{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Jérôme (saint ; 0345?-0420). Sancti Eusebii Hieronymi,... Opera omnia, post monachorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri, sed potissimum Joannis Martianaei hujus Vallarsii et Maffaei,... Editio Parisiorum novissima... accurante et ad ultim.... 1845.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation  s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

## QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

HIGYMNASII LENSIS CATHOL.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

## PATROLOGIÆ TOMUS XXV.

S. HIERONYMI TOMI QUINTUS ET SEXTUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
ou PETIT-MONTROUGE.

1845.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

S. EUSEBII

# HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# OPERA OMNIA,

POST MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI

SED POTISSIMUM JOANNIS **MARTIANÆI** HUJUS ORDINIS RECENSIONEM,
DENUO AD MANUSCRIPTOS ROMANOS, AMBROSIANOS, VERONENSES ET MULTOS ALIOS,
NEC NON AD OMNES EDITIONES GALLICANAS ET EXTERAS CASTIGATA,
PLURIMIS ANTEA OMNINO INEDITIS MONUMENTIS,
ALIISQUE S. DOCTORIS LUCUBRATIONIBUS SEORSIM TANTUM VULGATIS AUCTA,
INNUMERIS NOTIS, OBSERVATIONIBUS, CORRECTIONIBUS ILLUSTRATA,

*STUDIO ET LABORE*

## VALLARSII ET MAFFÆII

VERONÆ PRESBYTERORUM,
OPERAM NAVANTIBUS ALIIS IN EADEM CIVITATE LITTERATIS VIRIS.
EDITIO PARISIORUM NOVISSIMA

EX SECUNDA AB IPSIS VERONENSIBUS EDITORIBUS CURIS POSTERIORIBUS ITA RECOGNITA,

ATQUE EX **RECENTIUS DETECTIS** SIC DITATA
UT PRÆSENS EDITIO, AMPLITUDINE SOLA, CÆTERIS OMISSIS EMENDATIONIBUS,
PRÆCEDENTES OMNES EDITIONES, ETIAM BENEDICTINAS,

***tertia parte seu triente materialiter superet,***

ACCURANTE ET AD ULTIMUM RECOGNOSCENTE **J. P. MIGNE**, *CURSUUM COMPLETORUM* IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## TOMI QUINTUS ET SEXTUS.

VENIT APUD EDITOREM,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
ou PETIT-MONTROUGE.

1845.

# ELENCHUS OPERUM

## QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

### OPERUM HIERONYMI TOMUS V.


| | |
|---|---|
| Cmmentaria in Ezechielem. | Col. 15 |
| Commentaria in Danielem. | 491 |
| Translatio Homiliarum Origenis in Jeremiam et Ezechielem. | 584 |
| In Lamentationes Jeremiæ tractatus. | 787 |


### OPERUM HIERONYMI TOMUS VI.


| | |
|---|---|
| Commentaria in Osee. | 809 |
| Commentaria in Joelem. | 947 |
| Commentaria in Amos. | 989 |
| Commentaria in Abdiam. | 1097 |
| Commentaria in Jonam. | 1117 |
| Commentaria in Michæam. | 1151 |
| Commentaria in Naum. | 1231 |
| Commentaria in Abacuc. | 1273 |
| Commentaria in Sophoniam. | 1337 |
| Commentaria in Aggæum. | 1387 |
| Commentaria in Zachariam. | 1415 |
| Commentaria in Malachiam. | 1541 |
| Defensio Eruditionis Hieronymianæ adversus Joannem Clericum. | 1577 |



Imprimerie de Vrayet de Surcy et Cie,
rue de Sèvres, 37, à Paris.

# PRÆFATIO.

Quintus exsuperat in Hieronymianorum partitione operum tomus iste, quem ex argumenti, quod propositum habet, ingenio, commentariorum scilicet in reliquos duos majores prophetas, Ezechielem ac Danielem, in unum cum quarto compingere constitueram : fecissemque adeo, nisi et illius aucta voluminis sub prelo materia in abnormem excresceret molem, et quæ maxime huic obtigit longe prolixior, eaque ἅπαξ ἁπλῶ necessaria germanarum scriptionum, quibus vulgatæ antea editiones carebant, accessio dispertiri coegisset in duos. Hac autem de causa tantum abest, ut negotii aliquid facessisse lecturis videar, quin potius multam inierim ab iis gratiam, quando et major multo labor exantlandus, ut eorum studiis consuleretur, et ne qua sui etiamnum parte male mulctatus sanctissimus Pater subiret conspectus hominum, nihil non fuerit mihi otii impendendum atque operæ. Nam illud quidem ex tota liquet collectionis hujus œconomia, non id magis curæ fuisse nobis, ut Hieronymianarum lucubrationum, totum veluti orbem una complecteremur, quam ut alienis, iis tamen quæ abesse nullo ejus lectionis ac dignitatis impendio poterant, onerari ne pateremur. Indicio ipse ille fuerit, qui ejusmodi scriptionibus abundat tertius tomus, a quo tamen inutilia quædam quæ Parisiensem editionem onerabant, amovimus : puta illud Hexaplorum Origenis specimen, quæ ut nihil fere ad Hieronymum, ita proprio opere duobus in folio tomis postmodum luculentissima prodiere : tum unum atque alterum de hebraicis Nominibus, non antea editum monimentum, quod latere in schedis nostris satius duximus, quam alienæ farraginis molem accrescere. Quæ huic igitur tomo nunc primum accedunt, duodetriginta sunt homiliæ, quas ex Origenis Græco in Latinum S. Doctor convertit : suntque explanationum in prophetas Jeremiam atque Ezechielem pars nobilissima, non ea tantum de causa, quod maximi Scripturarum interpretis studio adornantur Romanis auribus, ab eoque laudantur in suorummet operum catalogo : verumetiam quod, jam deperdito maximam partem Græco Adamantii textu, ipsæ in Latino archetypi gloriam propemodum solæ sustineant. Illas partim ab Huetii, partim a Genebrardi editione huc ascivimus : mirumque dictu est, in illo præsertim editore, cujus et eruditionem suspicimus, et maxime delectamur ingenio, non eam in edendis Hieronymianis lucubrationibus diligentiam deprehendisse, quæ suam ut in cæteris fidem satis præstiterit, cum tot passim vitiis editio illa scateat, quorum ingentem vim nos eluimus, ut quo nunc pacto integritati pristinæ restituuntur, in publicum prodire videri nunc primum possint. Distulimus vero illas in quintum usque tomum : tametsi priores quatuordecim, quæ Jeremiæ quædam capita præpostero confusoque ordine edisserunt, ad superiorem quartum pertinuissent. Causa differendi palmaris hæc est, quod cum simul fuerint ab ipso sanctissimo interprete sub una tantum præfatione ad Vincentium presbyterum singulari libello conjunctæ, divelli ab invicem, sive a posterioribus totidem, quæ Ezechielem interpretantur, et ad hunc proprie tomum spectant, jure non poterant. Id cum summi viri Erasmus atque Huetius minime attendissent, singularem hunc librum in duos temere dividentes, multa, eaque a veritate longius abhorrentia de prologo, quo homiliæ in Jeremiam male mulctarentur, opinati sunt. Atque ille quidem in censura librorum Origenis miratur primum quid rei sit, cur Hieronymus alias creber in præfationibus, nihil in homilias in Isaiam (quas nos inter suppositicia ad superioris tomi appendicem amandavimus), tum hasce in Jeremiam fuerit præfatus. Suspicatus deinde est, prologum ab his sublatum, ad quos scripserat, postquam Origenis nomen factum est Romanis invidiosum, et verosimile sit, in eo Hieronymum magnifice prædicasse Adamantii ingenium. Contra Huetius, singulis quidem libris Origenis a se expositis prologos prætexuisse Hieronymum, non diffitetur, cum id asserat Gennadius in Catalogo virorum illustrium ; at quos tractatibus in Isaiam et Jeremiam prætexuit, non de industria, sed casu et librariorum oscitantia censet sublatos : alioquin sublati quoque fuissent alii, quibus Origenem Prologis impense laudat, ut est ille ad Damasum homiliis in Canticum Canticorum præfixus, et iste alter ad homilias in Ezechielem. Verum sua utrumque splendide opinatio fallit ; nam neque de industria, quod episcopus Abri-

censis monet, neque, quod ipse autumat, casu et describentium incuria præfationes illæ deperierunt. Nempe quam somniant præfixam homiliis in Isaiam, nusquam exstitit, nedum ab eo translatore concinnata est, quem fortasse Rufinum, Hieronymum certe non fuisse evicimus : evicimus autem cætera post argumenta, quæ in superioris præfatione tomi congessimus, ex hoc ipso, quod nullo homiliæ illæ munitæ sint prologo. Exstat econtrario homiliarum in Jeremiam præfatio, hæcque ipsa est, quam solis putant homiliis in Ezechielem præfigi, verissime autem utrisque, scilicet et prioribus in Jeremiam una junctis, sub unius libri nuncupatione, prætexitur ab ipso interprete. Quæ id nos docet præfationis ejus non indiligens lectio : tum quæ sub una recensione fit in Catalogo *viginti octo* homiliarum mentio, ut alia prætermittam rationum momenta, nullum reliquum faciunt dubitationi locum, doctorumque hominum, qui in adversaria opinione versantur, judicium palam refellunt. Sed ut eo, quod cœptum est dici, revertamur, cur ad quintum hunc tomum differrentur homiliæ istæ, causa fuit insuper nobis ipsa scriptionis indoles : ejus nempe, quam non suopte ingenio cudit Hieronymus, sed ab alio acceptam auctore, Adamantio videlicet, adornare Latinis auribus ad aliena debuit vestigia ; ipsamque ideo interpretationem decuit magis primigenium, ut ita dicam, S. Doctoris in eos prophetas commentariorum laborem pone sequi.

Ad Græcum quod pertinet aliquot ex his homiliarum textum (sunt vero duodecim tantum ex his quæ Jeremiam, plane deperditis quæ Ezechielem explicant) animus aliquando fuit hunc quoque e regione Latinæ interpretationis apponere : jamque nonnulla fuerant nobis ad eum sive emendatiorem, sive clariorem exhibendum animadversa. Verum quod bono cepisse videbamur consilio, cum manus operi fuit admovenda, meliore id sensimus prætermittendum. Enimvero cum sit Origenes in hisce tractatibus exigua pars ipse sui, et desiderium lectori magis, quam Hieronymo augeat dignitatem, illud operis, quod si integrum suppeteret, aut majori saltem ex parte, commodo atque ornatui fuisset editioni nostræ, nunc male mulctatum imperfectumque ut apponerem a me ipso impetrare non potui. Si obtinuissem, ipsarum duodecim, quæ solæ supersunt in Græco, homiliarum invertere ordinem oportebat. Nimirum Origenes supra quinque et quadraginta homilias in Jeremiam elimaverat, e quarum ingenti strue quatuordecim sibi delegit Latine refundendas Hieronymus, easque non ducto a prioribus initio, continenti serie, sed ut se quæque obtulit, saltuatim ita est interpretatus, ut ne dicam Origeniano proposito, ne ipsius quidem Jeremiæ, quem enarrat, ordini consentaneus in vertendo fuerit. Ab ea quæ et penes Adamantium prima est, gradum ad postremas duas, decimam tertiam et quartam fecit : nescias enim quem secunda et tertia Hieronymiana locum teneant in Græco archetypo, in quo penitus desiderantur : quartam, quæ decimæ septimæ Origenianæ respondet, post reliquas omnes recensuit. Exinde aliæ, quæ subsequuntur a quinta ad duodecimam, sin minus ad Græci exemplaris regulam, recta ad invicem serie explicavit, tantum quod septimæ octavam præposuit. Servandus autem in Latina editione nostra præposterus hic ordo erat, qui etsi paulo confusior, Hieronymianus est tamen, quod ipse minime diffitetur in præfatione : eoque debuit, quo institutus ab eo est, modo repræsentari ; nam sæpe alibi ex sententia sua mavult non tam interpres audire, quam novi operis conditor. Demum non Adamantium nobis propositum est, sed Hieronymum recognoscere, atque abstinere, quoad fieri potest, alienis scriptis, ab ea enim quæ nunc aliquos vexat, inclarescendi per chartarum plaustra libidine, ingenium nostrum abhorret immane quantum.

Ut vero, quod nostrarum est partium, de singulis, quæ hoc tomo continentur, Hieronymi lucubrationibus quidpiam ex ordine prænotemus, Commentariorum in Ezechielem, qui primum obtinet locum, quatuordecim libri sunt. Iis adornandis, non unum aut alterum, sed quatuor ferme annos exegit Hieronymus, non quod alacri ad miraculum usque ingenio, tanti labor hic steterit, sed quod interpellato, minimeque continenti studio nunc hoc, nunc illud segmentum operis per intervalla dictaverit. Incœptus labor vixdum absolutis in Isaiam Commentariis, anno videlicet undecimo supra quadringentesimum ; sed *in ipso dictandi exordio*, quod ipsemet causatur in prologo, et in epist. 126, ad Marcellinum et Anapsychiam, ita animo consternatus obstupuit subito nuntio de Pammachii et Marcellæ morte, tum Occidentalium provinciarum, et maxime urbis Romanæ vastatione, ut incœpto abstinere, diuque

tacere compulsus sit. Ad ejus anni finem, sive ad subsequentis initium iterum ab exordio ad tertium usque librum intermissum laborem repetiit, cum denuo, ut ipse ait modo laudata ad Marcellinum epistola : *Hoc anno subitus impetus Barbarorum sic Ægypti limitem, Palæstinæ, Phœnicis, Syriæ percucurrit instar torrentis cuncta secum trahens*, ut vix eorum ipse manus potuerit evadere, nedum animum, quem fere desponderat, ad scribendum advertere. Nihilosecius, lentescente per tempus dolore, maxime vero opus urgente Eustochio, lucrativis, immo furtivis noctium horis anni quadringentesimi decimi tertii, *hyeme propinquante*, quod ipse profitetur in septimi libri præfatione ad Nonum usque persecutus est, cum aliis subinde occupationibus de toto illuc orbe fugientium distineretur. Exinde qui subsequuntur ad finem usque operis, insequenti decimoquarto supra quadringentesimum ascribendos, nihil est dubium. Et vero sub initium Noni libri, Heraclianum Africæ comitem NUPER pœnas luisse perfidiæ refert : quæ temporis nota satis manifesto designat priorem hujusce anni partem, quo Luciani v. cl. collega in consulatu Heraclianus fuit, et sub Augustum mensem, *Novarum*, ut Prosper ait, *in Africa rerum reus honorem amisit et vitam*. Duos vero postremos libros, qui visionem edisserunt templi, cum ad eam partem delubri pervenisset, in qua Sancta Sanctorum, ac Thymiamatis Altare describitur, se maluisse parumper intermittere, datis ad virginem Demetriadem litteris profitetur, ut, quod ipse ait, *De Altari transiret ad Altare*. Eam porro epistolam, quæ in nostra recensione locum obtinet 130, ad huncce annum quadringentesimum decimumquartum pertinere, certis argumentis suo loco ostendimus.

Hisce commentariis septennio prior est, qui ad Scripturarum seriem subsequitur, in Danielem singularis liber, cui annum tribuimus quadringentesimum septimum. Cum nempe animum ad eum scribendum appulit sanctus doctor, jam (quod ipsemet in hujus præfatione libri luculentissime prodit) duodecim prophetas minores exposuerat, fueratque adeo annum quadringentesimum sextum prætergressus, cujus postremæ parti postrema item ex illis explanatio, quæ est in Amos, ex ipsa sexti consulatus Arcadii Augusti et Anitii Probi notatione certo certius affigitur. Rursus annum antevertebat quadringentesimum octavum, cujus mense Augusto Stilichonis patrata est interfectio. Calumniabantur autem Hieronymianæ gloriæ invidi homines, suggillatum ab eo barbarum Romani exercitus ducem, cum in explanatione magnæ illius statuæ, quam per visum Nabuchodonosor viderat, de pedibus ferro, testaque ex luto compactis mysterium exponens, in eo dixit Romanum significari imperium : *Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius : quando et in bellis civilibus, et adversum diversas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio*. Quam postea malevolorum suspicionem purgans undecimi in Isaiam libri præfatione : *Non sic*, inquit, *adulandum est principibus, ut sacrarum Scripturarum veritas negligatur : nec generalis disputatio unius personæ* (Stilichonis) *injuria est ; quæ cum benigno meorum studio caretur, Dei judicio repente sublata est*. Omnino igitur quando illa excudi calumnia potuit, atque adeo postquam in Danielem commentarii in vulgus editi sunt, advivebat Stilicho, primasque obtinebat Romanarum virium : quem opinari minime par est, simulatque illa expositio, ad vulgi aures devenisse e vivis sublatum ; quin potius non ita parum intercessisse temporis, quo et sanctus Pater ab iniquis observari, calumnioseque traduci, atque ex adverso a sui studiosis benigne excipi, bonamque in partem posset exponi. Ex hoc temporis intervallo rerumque serie planissime colligas, ipsum opus, quod diximus, ita ad annum pertinere quadringentesimum septimum, ut vix potuerit subsequentis priorem partem attigisse.

Duodetriginta homiliarum, quæ nunc primum accedunt, quamquam, ut diximus, singularis est liber, non una tamen planeque eadem est ætas, sive non uno illæ tempore, eodemque impetu ex Græco Origenis textu refusæ sunt in Latinum. Cum igitur in suorum ipse operum catalogo sanctus interpres sub una omnes recensione ponit : *In Jeremiam*, inquiens, *et in Ezechielem Homilias Origenis viginti octo, quas de Græco in Latinum verti*, ita accipiendus meo quidem judicio est, ut cum editionis celebritate, non cum Romano sermone cultuque donatæ sunt, notet. Priores enim quatuordecim, sive quæ Jeremiam interpretantur, Latinas multo antea fecerat, quam reliquis in Ezechielem manum admoveret ; cujus rei locuples ipse testis accedit, in eo quem huic translationi præfixit ad Vincentium Pro-

logo : *Post quatuordecim*, inquit, *Homilias in Jeremiam, quas* JAMPRIDEM *confuso ordine interpretatus sum, et has quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi.* Jam vero quo tempore utrasque simul una junxerit, emiseritque uno libro, ex eo licet intelligere, quem in laudato Catalogo locum tenent. Nempe hinc Eusebiani Chronici interpretationem, inde epistolam in nostra recensione 18, ad Damasum, *de Seraphim*, mediæ interjacent : cumque prior illa e duabus istis lucubrationibus ad annum trecentesimum octogesimum certissime spectet, altera ad insequentis medium, ut suis locis probatum est : nihil jam laborandum, ut certo scias, quo temporis ipsæ intervallo circumscribantur, ita tamen ut velis ad trecentesimum octogesimum primum propius accedere. Numquam profecto assentiaris cl. Tillemontio, qui posteriores quatuordecim in Ezechielem ad annum usque trecentesimum octogesimum sextum differt. Hoc illi satis infirma ratio persuasit, quod in hujusmet libri præfatione Origenem vocet sanctus doctor, *hominem juxta Didymi videntis sententiam alterum post apostolos Ecclesiarum magistrum* : laudari enim abs Hieronymo Didymum, eumque *videntem* dici ante hunc annum, quo illum deflore noverit Alexandriæ, neutiquam potuisse arbitratus est. Non erat vero tanti istæc facienda conjectura, cui et tota Hieronymianarum scriptionum series, et quod rei caput est, ipsiusmet sanctissimi interpretis testimonium ea, qua continenter suos libros in Catalogo ad temporis recenset prærogativam, ratione adversatur.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM

IN

# EZECHIELEM[a] PROPHETAM

## LIBRI QUATUORDECIM.

## *LIBER PRIMUS.*

**1-2** Finitis in Isaiam decem et octo Explanationum voluminibus, ad Ezechiel, quod tibi, et sanctæ memoriæ matri tuæ Paulæ, o Virgo Christi Eustochium, sæpe pollicitus sum, transire cupiebam, et extremám, ut dicitur, manum operi imponere prophetali : et ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nuntiata est. Atque ita consternatus obstupui, ut nihil aliud diebus ac noctibus nisi de salute omnium cogitarem : meque in captivitate sanctorum putarem esse captivum, nec possem prius ora reserare, nisi aliquid certius discerem : dum inter spem et desperationem sollicitus A pendeo, aliorumque **3-4** malis me crucio. Postquam vero clarissimum terrarum omnium lumen exstinctum est, immo Romani imperii truncatum caput : et, ut verius dicam, in una Urbe totus orbis interiit, *obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est : concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis* (*Psal.* XXXVIII, 4) : nec putavi illam sententiam negligendam : *Musica in luctu importuna narratio* (*Eccli.* XXII, 6). Verum quia et tu indesinenter hoc flagitas, et magno vulneri cicatrix paulatim obducitur : [b] Scorpiusque inter Enceladum et [c] Porphyrionem Trinacriæ humo premitur, et Hydra multorum capitum contra nos

[a] Ad eosdem mss. codices, ad quos superiores tomi quarti commentarios, hos quoque in Ezechielem ac Danielem exegimus. Sanctum præterea Gregorium cognomento Magnum, qui suas in Ezechielem homilias ex hisce Hieronymi commentariis magnam partem derivavit, et Rabanum, qui totidem verbis B illos descripsit, more contulimus.

[b] Rufinus in Sicilia mortuus.

[c] Ex ingenio quidem, certa tamen emendatione, substituo *Porphyrionem*, pro quo mendose hactenus obtinuit *Porphyrium*. Constat vero fabulam Gigantum alludi, quorum alter Enceladus omnium ma-

aliquando sibilare cessavit : datumque tempus, quo non hæreticorum respondere insidiis, sed Scripturarum expositioni incumbere debeamus, aggrediar Ezechiel prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerii, id est, tricesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, et mysticos intellectus, plenum humanæ naturæ tempus accedat. Quod opus si per Domini misericordiam ad calcem usque perduxero, transibo ad Jeremiam, qui in Lamentationibus suis, sub typo Jerusalem quatuor plagas mundi, quadruplici plangit alphabeto.

(Cap. I. — Vers. 1.) *Et factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis.* Tricesimus annus non, ut plerique æstimant, ætatis prophetæ dicitur, nec [a] Jubilæi, qui est annus remissionis; sed a duodecimo anno Josiæ regis Juda, quando inventus est liber Deuteronomii in templo Dei, usque ad quintum captivitatis annum Joachin cognomento Jechoniæ, qui cum matre ductus est in Babylonem, et cum Daniele tribusque pueris, et Ezechiel (quæ est tribus Judæ prima captivitas) quando stillavit ira Dei super Jerusalem (IV *Reg.* XXII; II *Par.* XXXIV; IV *Reg.* XXIV). Secundum anagogen vero præfiguratur Dominus atque Salvator, qui tringinta annos natus venit ad baptismum (*Luc.* III), quæ in homine perfecta ætas est. Unde et in Numerorum volumine juxta Hebræos, non, ut in LXX continetur, a vicesimo [b] quinto ætatis anno, sed a tricesimo incipiunt sacerdotes in tabernaculo ministrare (*Num.* IV). In quod signum præcessit et Joseph, quando in Ægypto esurienti populo frumenta largitus est (*Genes.* XLI), et Joannes Baptista venit ad fluenta Jordanis, prædicavitque baptismum pœnitentiæ (*Luc.* III). Quodque **5** scriptum est, *in quarto*, pendente sententia, subauditur *mense*. Statim enim sequitur, *in quinta mensis*. Quod ut manifestius fieret, supra addidere Septuaginta.

(Vers. 2.) *Cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei in quinta mensis : ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin.* Captivum sedisse populum super flumina Babylonis, David prophetat in spiritu : *Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus* (*Psal.* CXXXVII). Chobar autem, aut nomen est fluminis, aut certe, juxta interpretationem suam, [c] qua in *grave* vertitur, Tygrim significat et Euphratem, et omnia magna et gravissima flumina quæ in terra Chaldæorum esse perhibentur. Apertosque cœlos non divisione firmamenti, sed fide credentis intellige : eo quod cœlestia sint illi reserata mysteria. Unde et in baptismate Salvatoris, quando Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, apertos cœlos legimus (*Matth.* III), quibus reseratis, panduntur visiones Dei : non una visio, sed plures, dicente Domino per Prophetam : *Ego visiones* [d] *multiplicabo, et in manibus Prophetarum assimilatus sum* (*Osee* XII, 10). Istæ sunt visiones quas omnis Ezechielis prophetia contexuit. Significantiusque juxta Hebræos et cæteros Interpretes transmigratio dicitur Joachin, et non *captivitas*, quod LXX transtulerunt. Non enim captus urbe superata ; sed voluntate se tradens, ductus est in Babylonem. Igitur Joachin, id est, Jechoniæ dicatur prima transmigratio : Sedeciæ autem secunda vel extrema captivitas.

(Vers. 3.) *Factum est verbum Domini ad Ezechiel filium Buzi, sacerdotem, in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar.* Et Danieli et Ezechieli, qui in Babylone erant juxta flumina, futurorum sacramenta panduntur super aquas, immo in aquis purissimis, ut baptismatis potentia monstraretur. Alioquin et apostolus Paulus quando ab Anania lotus in Domino est, tegentibus prius oculos ejus squamis, caruit cæcitate (*Act.* IX). Et in Genesi, prima quæ viverent, de aquis egressa sunt. Illud quoque intelligendum, quod in tricesimo ætatis suæ anno Dominus **6** ad baptisma venerit : in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, et est in anni primus exordio, præter Nisan mensem novorum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos, post collectionem frugum, et torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, et Januarius quartus. Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, et Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, non ut quidam [e] putant Natalis in carne, tunc enim

ximus, alter Porphyrion statura insolentior et minax, in Siciliæ insula a Jove percussi sunt. Vide Claudian. in Gigantomachia. Elegantissime autem Horatius lib. III, od. 4 :

> Sed quid Typhœus, et validus Mimas,
> Aut quid minaci PORPHYRION statu,
> Quid Rhœcus, evulsisque truncis
> Enceladus jaculator audax? etc.

*Porphyrium*, quod legebatur antea, non gigantis, sed ethnici philosophi, quod nihil ad rem facit, est nomen. Rufinum vero hic acriter perstringi in Sicilia fato functum, ac duobus monstris Encelado ac Porphyrioni junctum dici nemo non videt.

[a] Penes Raban. et Palat. ms., *nec non jubilæi ;* et mox, *duodevicesimo* pro *duodecimo.*

[b] Infra vero in cap. hujusmet prophetæ XXVI : *Ad sacerdotale*, inquit, *officium non post vicesimum quintum ætatis annum, sed post tricesimum accedunt.* Ubi nempe Num. IV Hebraica veritas scribit a tricesimo anno sumi ministros in tabernaculo fœderis, LXX a vicesimo quinto verterunt. Hic pro *in tabernaculo* Rabanus legit *in templo.*

[c] Victorius ait, ut *grave* significet, legendum esse *Chobad* כבד, et forte ר et ד similitudo mutationem induxit, nisi potius grave pro potenti, ac multo, quod est כובד Hieron. vocem accepit.

[d] Idem *multiplicavi* maluit, juxta Græc., ἐπληθυνα.

[e] E Græcis præcipue, quos inter S. Epiphanius, qui Hæres. 51, § 24, sexto Januarii die Natalem Christi consignat : *Cum enim*, inquit, *Januarii mense natus esset, octavo idus Januarii, qui est apud Romanos Januarii dies sextus*, etc.

absconditus est, et non apparuit. Quod huic tempori congruit, quando dictum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17). Porro Buzi in linguam nostram vertitur, *spretus* atque *contemptus:* Ezechiel, *roboratus a Deo.* Quod sic Domino coaptabitur, ut dicamus Creatorem mundi, qui Pater est Salvatoris, ab omnibus hæreticis sperni atque contemni, qui vetus non recipiunt Testamentum. Nec mirum robustum Dei esse Dominum: cum ipse sit Dei virtus Deique sapientia.

*Et facta est super eum ibi manus Domini.* LXX: *Et facta est super me manus Domini.* Ut cernere visiones Dei et intelligere possimus, manu et fortitudine Dei super nos opus est (I *Cor.* I). In qua manu et brachio eductus est populus Israel de Ægypto; cujus fortitudinis partem etiam Magi intellexerunt dicentes: *Digitus Dei est* (*Exod.* VIII). Et Salvator in Evangelio: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Pro quo in altero Evangelio scriptum est: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* XI, 20).

(Vers. 4.) *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus. Et de medio ejus quasi species electri, id est, de medio ignis.* LXX: *Et vidi, et ecce spiritus auferens* (sive *attollens*) *veniebat ab Aquilone, et nubes magna in eo, et ignis micans, et splendor in circuitu ejus. Et in medio ejus quasi visio electri in medio ignis ÷ et splendor in eo* ‘,. In consolationem populi transmigrantis, et revelationem sententiæ Dei, propheta videt maximam **7** visionem. In cujus interpretatione omnes synagogæ Judæorum mutæ sunt, ultra hominem esse dicentium, et de hac, et de ædificatione templi, quod in ultimo prophetiæ hujus scribitur, aliquid velle conari. Nos autem quæ a majoribus accepimus, et juxta modum ingenioli nostri, spiritualibus spiritualia comparantes, suspicari magis possumus quam explanare, benivolis credemus fidisque [*Al.* fidelibusque] lectoribus, veniam deprecantes, ut temeritati, immo fidei nescienti mensuram suam, faveant magis quam irascantur. Ac primum sciendum, spiritum auferentem, sive attollentem, quem nos juxta Aquilam interpretati sumus, *ventum turbinis*, et juxta Symmachum et Theodotionem *flatum ac spiritum tempestatis*, ab aliis in bonam, ab aliis in contrariam partem accipi. Verbum enim Hebraicum RUA (רוח) pro locorum qualitate, vel *spiritus*, vel *anima*, vel *ventus* accipitur. Spiritus, ut ibi: *Emitte spiritum tuum et creabuntur* (*Ps.* CIII, 30). Anima: *Egredietur spiritus ejus et revertetur in terram suam* (*Ps.* CXLV, 4). Ventus: *In spiritu* [a] *violento conteres naves Tharsis* (*Ps.* XLVII, 8). Et alibi: *Ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum* (*Ps.* X, 7). Qui ventum et flatum tempestatis legunt, hoc sentiunt: iram et furorem Dei venire ab [b] Aquilone, hoc est Nabuchodonosor, et Jerusalem post sex annos hujus visionis esse capiendam. Cernitur enim visio quinto anno transmigrationis regis Joachin, qui et Sedeciæ regnanti in Jerusalem quintus erat, quem legimus post sex similiter annos, id est, anno undecimo imperii sui, urbe capta, ductum in Babylonem. His ergo qui habitabant prope flumen [c] Chobar, et sponte se regi tradiderant, revelatur quod benefecerint obedire sententiæ Dei. In brevi enim et Judæam provinciam, et urbem Jerusalem esse capiendam. Quodque nubes magna describitur, intelligamus eam imbres eversionum super Judæam, pluviasque allisionum portare. Et involutus ignis monstrat ventura supplicia, et captivitatis mala. Splendorque in circuitu ejus significat Dei aperta judicia. Qui autem in contrariam partem sentiunt, hoc est, bonam, spiritum auferentem, sive **8** extollentem, Spiritum sanctum intelligunt, qui auferat ab hominibus vitia atque peccata, sive jacentes attollat ad sublimia, faciatque recedere ab Aquilone vento frigidissimo, a quo exardescunt mala super omnem terram (*Eccles.* XLIII); et in Jeremia, olla illa terribilis a facie Aquilonis accenditur (*Jerem.* I). Nubem quoque magnam ad personam Christi referunt, qui venit in Ægyptum hujus sæculi super nubem levem: magnamque proprie dici ad comparationem minorum, prophetarum videlicet, et apostolorum omniumque sanctorum, de quibus scriptum est: *Et veritas tua usque ad nubes* (*Ps.* XXXV, 6); et: *Mandabo nubibus ne pluant super Israel imbrem* (*Isai.* V, 6); et alibi: *Nubes pulvis pedum ejus* (*Naum* I, 3); et iterum: *Nubes et caligo in circuitu illius* (*Ps.* XCVI, 2). Ignem quoque micantem et splendorem in circuitu ejus, juxta illud accipi quod scriptum est: *Deus ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24). Ad quem mittendum super terram Salvator venisse se dicit, et in nobis omnibusque credentibus ardere desiderat (*Luc.* XI); qui cum terrorem peccatoribus inferat atque supplicia, tamen splendore rutilet, et lumine ac fulgore sit plenus. Idcirco nos excoquens, ut puris atque purgatis tribuat lætiora.

(Vers. 5.) *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium, et hic aspectus eorum: similitudo hominis in eis.* Quodque sequitur, *Et splendor in eo*, obelo prænotandum est. Nisi addidisset Scriptura, dicens: *Id est, de medio ignis*, propter ambiguitatem verbi errare poteramus, ut putaremus speciem, vel visionem electri esse in medio venti, vel spiritus. Ergo hoc sentiendum, quod in medio ignis et tormentorum Dei, electri similitudo sit, quod est auro argentoque pretiosius; ut post judicium atque tormenta, quæ patientibus tristia videntur et dura, pretiosior electri fulgor appareat, dum providentia Dei omnia gubernantur, et quæ putatur pœna, medicina est.

(Vers. 6.) *Et in medio ejus similitudo quatuor animalium, et hic aspectus eorum: similitudo hominis in eis.* In medio ejus, subauditur quidem, electri: sed melius ut ignem intelligamus, qui credentibus lumen,

[a] Al., *In spiritu vehementi confringens naves*, etc. ⁂
[b] Penes Raban., *venire a Babylone, hoc est, Nabuchodonosor*, etc.

[c] Duo mss., *propter flumen Chobar*, etc. Leviora quædam infra emendamus.

incredulis supplicium est. In hujus ergo ignis medio erat 9 similitudo quatuor animalium, similitudo, non natura; quatuorque animalium quæ postea dicuntur quadriformia, una similitudo est hominis, ut omnia in mundo rationabilia demonstrentur: *Faciamus enim*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.* I). Imago autem et similitudo Dei non est corporis forma, sed mentis: descripta ad similitudinem veræ imaginis Christi, qui est imago Dei invisibilis. Illæ rationales creaturæ in quatuor versantur locis, sive propter quatuor cardines mundi, quibus orbis includitur, sive propter quatuor loca, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et supercœlestium, de quibus et Paulus apostolus loquitur: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* II, 10). De tribus, Pauli testimonium est. Videamus et quartum. *Laudate Dominum, cœli cœlorum, et* [a] *aqua quæ super cœlos est, laudet nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 3). Rursumque ab Apostolo alia dicuntur cœlestia, et alia supercœlestia (I *Cor.* XV).

(Vers. 7.) *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, et pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* LXX: *Et quatuor facies uni, et quatuor alæ uni, et crura eorum recta, et pennati pedes eorum. Et scintillæ quasi fulgurans æramentum, et leves pennæ eorum, et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus eorum.* De quatuor animalibus, quorum aspectus erat similitudo hominis (ita dumtaxat ut singula haberent quaternas facies, et quaternas alas, pedesque rectos, et plantam pedis, quasi vestigium pedis vituli, sive, ut interpretatus est Aquila, *rotundam*, quod LXX penitus omiserunt), de scintillis quoque æris splendore rutilantibus, et de levibus pennis eorum, quod in Hebraico non habetur, de manu quoque hominis sub alis eorum in quatuor partes, et reliquis quæ propheticus sermo describit, conabimur quid nobis videatur dicere, cum opiniones singulorum breviter strinxerimus. Quidam quatuor Evangelia, quos nos quoque in procemio commentariorum Matthæi secuti 10 sumus, horum animalium putant nominibus designari: Matthæi, quod quasi hominem descripserit: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Leonis, ad Marcum referunt: *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus* (*Isai.* XL, 3). Vituli, ad Lucæ Evangelium, quod a Zachariæ incipit sacerdotio. Aquilæ, ad Joannis exordium, qui ad excelsum evolans cœpit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Super quo quid nobis videretur, in supradicto opere diximus, pleniusque in Apocalypsi Joannis (*Cap.* IV) horum animantium species ac nomina referuntur ad quatuor Evangelia [*Al.* Evangelistas]. Quibus quomodo possit omnium animalium descriptio coaptari, tentabimus suo loco dicere. Alii vero qui philosophorum stultam sequuntur sapientiam, duo hemisphæria in duobus templi Cherubim, nos et Antipodas, quasi supinos et cadentes homines suspicantur. Plerique, juxta Platonem, rationale animæ, et irascitivum, et concupiscitivum, quod ille λογικὸν et θυμικὸν et ἐπιθυμητικὸν vocat, ad hominem, et leonem ac vitulum referunt: rationem et cognitionem, et mentem, et consilium, eamdemque virtutem atque sapientiam in cerebri arce ponentes: feritatem vero et iracundiam atque violentiam in leone, quæ consistat in felle. Porro libidinem, luxuriam, et omnium voluptatum cupidinem in jecore, id est, in vitulo qui terræ operibus hæreat. Quartamque ponunt quæ super hæc et extra hæc tria est, quam Græci vocant συντήρησιν, quæ scintilla conscientiæ in [b] Cain quoque pectore, postquam ejectus est de paradiso, non extinguitur, et qua victi voluptatibus, vel furore, ipsaque interdum rationis decepti similitudine, nos peccare sentimus. Quam proprie Aquilæ deputant, non se miscentem tribus, sed tria errantia corrigentem, quam in Scripturis interdum vocari legimus spiritum, *qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). *Nemo enim scit ea quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in eo est* (I *Cor.* II, 11). Quem et Paulus ad Thessalonicenses 11 scribens, cum anima et corpore servari integrum deprecatur (I *Thess.* V). Et tamen hanc quoque ipsam conscientiam, juxta illud quod in Proverbiis scriptum est: *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 13): cernimus præcipitari apud quosdam et suum locum amittere, qui ne pudorem quidem et verecundiam habent in delictis, et merentur audire: *Facies meretricis facta est tibi, noluisti* [Al. *nescis*] *erubescere* (*Jerem.* III, 3). Hanc igitur quadrigam in aurigæ modum Deus regit, et incompositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit, et suo parere cogit imperio. Quam disputationem partium animæ, id est, hominis, qui minor mundus ab iisdem philosophis appellatur, etiam nos attingemus. Sunt qui simpliciter in quatuor animalibus, juxta Hippocratis sententiam, quatuor arbitrantur elementa mundi monstrari, de quibus constant omnia: ignem, aerem, aquam, terram. Quæ quomodo sibi misceantur, et cum singula sint, sibi juncta videantur, invicemque se tangant, et in una persona animantium quatuor species habeant ac figuras, non est propositi operis. Quatuor quoque rotas de terrenis ad sublimia consurgentes, singulis et quadriformibus junctas animalibus, vel eorumdem elementorum commixtionem æstimant, vel quatuor temporum circulum, qui

[a] Victorius plurium numero, *et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent*, etc., ex Græco.

[b] Videatur *Adam*, qui ejectus de paradiso est, legendum pro *Cain*. Cæterum apud Raban., *peccatore* pro *pectore* scribitur.

ternis conficitur mensibus, annumque vertentem, qui ab eo [a] quod semper vertatur et in se redeat, nomen acceperit. De quibus pulchre uno versiculo dictum est :

Ver, æstas, autumnus, hyems, et mensis, et annus.

Quodque dicitur : *Erat rota in rota, annum in anno significari putant.* De quo alius poeta (*Virgil.* II *Georg.*) :

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Firmamenti etiam similitudinem crystallo comparatam, cœlum hoc quod suspicimus intelligi volunt : sub quo volvuntur et transeunt quatuor animantia. Thronumque coloris sapphiri, et sedentem desuper hominem sub humana similitudine, imperium cuncta regentis omniaque habentis sub pedibus suis, omnipotentiæ Dei describi autumant; dicique ad extremum : *Hæc visio similitudinis gloriæ Dei :* per quæ quasi per picturam quamdam et **12** imaginem, providentiam demonstrari. Quodque pedes animantium recti esse dicantur, et *planta pedis vituli, seu rotunda*, terrena quæque ad cœlestia subvolare, et omnibus angulis amputatis, rotunditatem sequi, quæ omnium figurarum pulcherrima est. Scintillas rutilantes, cuncta plena luminis indicare, et manus hominis sub pennis tam ipsius hominis, quam leonis, et vituli, et aquilæ : ut ratio cuncta sustentet, ac de humilitate terrena ad cœlestia sublevet. Hæc et ad Evangelia et ad cuncta quæ supra posuimus referre possumus. Audisse me memini quatuor perturbationes, de quibus plenissime Cicero in Tusculanis disputat, gaudii, ægritudinis, cupidinis et timoris, quorum duo præsentia, duo futura sunt, per quatuor significari animalia, de quibus et Virgilius breviter (*Æneid.* lib. VI) :

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque :

quæ regi debeant ratione, et potentia Dei ; quibusque oppositæ sint, immo impositæ, virtutes quatuor, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, ut harum gubernentur arbitrio. Quæ quomodo vultibus hominis, leonis, vitulique et aquilæ coaptentur, omnino tacuerunt. Super quibus idem philosophus et orator in tribus ad filium officiorum libris disputat. Legi et cujusdam Catinæ, quem Syri λεπτὸν, id est, *acutum* et *ingeniosum*, vocant, brevem disputatiunculam, putantis castrorum ordinem duodecim tribuum describi in solitudine, ad Orientem et Occidentem, Septentrionem et Meridiem, quæ sibi invicem, et charitate, et consanguinitate sociantur, et hoc esse rotam in rota, quæ ducantur a spiritu, et nube protegantur in eremo, et columna ignis illuminentur in nocte ; nec revertantur in Ægyptum, sed semper ad terram repromissionis ire festinent. Electri autem in medio similitudinem, interpretatur Sancta sanctorum, faciemque hominis refert ad totum Israel ; leonis ad regale sceptrum Judæ ; vituli ad sacerdotalem et leviticam tribum : extra quæ sit facies aquilæ, vindicta et ultio Dei de cœlo cuncta prospiciens, et quæ parata sit laniare peccantem, de qua et in Osee dicatur : *Sicut aquila super domum* **13** *Dei* (*Ose.* VIII, 12), id est, templum. Et in hoc eodem propheta (*Infra* XVII), aquilam magnam magnarum alarum et unguium, quæ habeat ductum intrandi in Libanum, Nabuchodonosor intelligi, quem et nunc significet esse venturum, ac super hujuscemodi quadrigam instar aurigæ sedere Deum, et facienda, vel non facienda præcipere. Hoc autem, inquit, populo dicitur, qui in Babylone versatur, quod si Deo colla subjecerit, ipsiusque paruerit retinaculis, rursum ejus mereatur auxilium, et terram quam amiserat, recipiat.

(Vers. 8, 9.) *Et facies et pennas per quatuor partes habebant : junctæque erant pennæ ejus* [Vulg. *eorum*], *alterius ad alterum. Non revertebantur cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Juncta sibi sunt Evangelia hærentque mutuo, et in toto orbe volitantia huc illucque discurrunt : nec habent finem volatus, nec aliquando superantur et recedunt, sed semper ad ulteriora procedunt. Unde et Paulus dicit : *Præteritorum obliviscens, et in futurum me extendens* (*Philip.* III, 13). Hoc idem et de virtutibus animi possumus dicere, et de volatu temporum, commixtioneque elementorum, quod præterita relinquentes, semper ad priora festinent. Quod autem tempora labantur et fugiant, brevi versiculo demonstratur (*Virgil.* III *Georg.*) :

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et in carmine lyrico (*Horat. Carm. od.* 14) :

Heu, heu, fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni !

(Vers. 10.) *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor : facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor : et facies aquilæ desuper* [Vulg. silet *desuper*] *ipsorum quatuor.* Facies principia dicit Evangeliorum, e quibus homo et leo, hoc est, nativitas Christi, et prophetæ vox tonantis in eremo dextras partes tenent. Vituli autem, id est, victimarum et sacerdotii Judæorum, in sinistris est : quod abolitum transivit ad sacerdotium spirituale, de quo dictum est : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX, 2) ; ita dumtaxat, ut omnia sibi hæreant, unoque [b] corpore censeantur. Aquila autem, quæ et super nativitatem et super prophetiam est, quæ Domini expletur adventu, et super sacerdotium quod præteriit, **14** et extra hæc omnia est, de nativitate referens spirituali, quomodo Pater in Filio, et Filius in Patre sit. De qua rectissime dicitur : *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Ista sunt juxta Apocalypsim (*Cap.* IV), ut ante jam diximus, quatuor animalia plena oculis ante et retro, quorum unum animal simile leoni, et secundum simile vitulo, et tertium admonito.

[a] Deerat *quod* vocula, sine qua sensus laborabat. Hujusmodi alia subinde emendantur, lectore non

[a] Antea erat *unoquoque*, contra mss. fidem.

habere faciem quasi hominis, et quartum simile aquilæ volantis. Ibique dicuntur in modum Seraphim senas habere alas, duabus faciem, et duabus pedes operientia, duabus autem volantia, et nec in die nec in nocte cessantia atque dicentia : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est* (*Apoc.* IV, 8).

(Vers. 11.) *Et facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper, duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum.* Et supra diximus juncta sibi esse Evangelia et tempora, et omnes rationales creaturas, quatuorque virtutes, ita ut qui una caruerit, omnibus careat. Quodque duæ extentæ sunt, et in altum se elevant, prædicationem cœlestem significat, et omnia ad Dei tendere majestatem. Duæ autem quibus teguntur corpora, humana excluditur scientia, nec perfectus præbetur intuitus, dicente Apostolo : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, destruentur ea quæ ex parte sunt* (I *Cor.* XIII, 9).

(Vers. 12.) *Et unumquodque coram facie sua gradiebatur. Ubi erant impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Qui aratri stivam tenet, non debet respicere post tergum (*Luc.* IX, 62), nec imitari uxorem Loth (*Genes.* XIX), ne incidat in plagam Deuteronomii (*Cap.* XIX), et pereat ὀπιστοτόνῳ insanabili, quo cecidit et Heli, quia vitio filiorum offenderat Deum (IV *Reg.* IV) : quanto magis quatuor animalia quæ plena erant lumine atque pennata, quæ sequuntur Spiritum sanctum præcedentem : quæ ita per orbem volitant, et se ad excelsa sustollunt, ut corpora sua protegant pennis historiæ, nec nobis aspectum tribuant pleniorem? Quod autem secundo dicitur : *Non revertebantur cum incederent*, utriusque instrumenti indicat sacramentum, quod in quatuor istis animantibus, et Lex, et Evangelium ad futura festinent; **15** et numquam retro motum accipiant.

(Vers. 13, 14.) *Et similitudo animalium, et* [Vulg. absque *et*] *aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* LXX : *Et in medio animalium visio, sicut carbonum ignis ardentium, sicut facies lampadarum discurrentium in medio animalium; et splendor ignis, et de igne egrediebatur quasi fulgur.* Quodque sequitur : *Et animalia currebant et revertebantur quasi species bezec*, de editione Theodotionis in Septuaginta additum est : qui, ne contra priores duas sententias propheta dicere videretur, hoc quod putabant esse contrarium, id est, *et animalia currebant et revertebantur*, silendum putaverunt, ne legenti scandalum faceret. Melius est autem in divinis libris transferre quod dictum est, licet non intelligas quare dictum sit, quam auferre quod nescias. Alioquin et multa alia quæ ineffabilia sunt, et humanus animus capere non potest, hac licentia delebuntur. Nos autem hoc dicimus, quod quomodo in Proverbiis in eodem loco scriptum est : *Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne similis fias* (*Prov.* XXVI, 4, 5) ; et rursum ponitur quod nobis videtur esse contrarium : *Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur ;* et utrumque pro temporum et personarum diversitate concordat, dum et stultus contemnitur, quia non recipit sapientiam ; et stulta superbia alia decutitur stultitia, juxta quod et Apostolus dicit : *Factus sum insipiens, vos me coegistis* (II *Cor.* XII, 11) : ita et in hoc loco debere nos quærere, quare supra secundo dictum sit : *Non revertebantur animalia cum incederent ;* et nunc semel, *animalia currebant et revertebantur.* Essetque quæstio nisi sequeretur, *in similitudinem fulguris coruscantis:* quod Hebraico sermone dicitur BEZEC (בזק), et interpretatus est Symmachus, *quasi species radii fulguris.* Quomodo igitur crebris micat ignibus æther ; et in ictu oculi atque momento discurrunt fulgura et revertuntur, non amittentia matricem, et, ut ita dicam, fontem ignis atque materiam : ita et hæc animalia cum inoffenso pergant pede, ad priora festinant. Sin autem conatui **16** suo aliquid obsitum viderint, non tam revertuntur, quam contrahunt se, extendenda rursum, et præbitura lumen quod parumper absconderant, ut dent servis cibaria in tempore suo, nec tribuant sanctum canibus, nec mittant margaritas ante porcos (*Matth.* VII). Unde et Paulus dicit : *Lac vobis potum dedi, non escam, necdum enim capere poteratis* (I *Cor.* III, 2). Electioque Judæ, et Saulis unctio non arguunt Deum ignorantiæ futurorum, sed præsentium monstrant esse judicem (*Matth.* X). Unde et Apostolis præcipitur, ut si indignam domum salutatione perspexerint, excutiant prius pedes ; et pax quam domui dederant, revertatur ad eos. Carbones autem ignis ardentis et lampades in medio animalium discurrentes, de illo loco interpretatæ sunt Isaiæ : *Et comedet ignis sicut fœnum materiam, et sanctificabo eos in igne ardente* (*Isai.* V, 24). De quibus et alibi scriptum est : *Cadent super eos carbones ignis* (*Ps.* CXXXIX, 11). Et contra labia dolosa, in alio psalmo dicitur : *Quod detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CXIX, 3, 4). Et in alio loco : *Habes carbones ignis, sedebis supra eos : hi erunt tibi in adjutorium* (*Isai.* XLVII, 14). Quamcumque creaturam aspexerimus, fulgurat Dei notitiam, dum ex creaturis Creator agnoscitur. De medioque animantium splendor ignis, et fulgur egreditur. Si enim Evangelia sibi colliseris, in medio litteræ vilisque historiæ, Spiritus sancti sacramenta reperies.

(Vers. 15 seqq.) *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia habentia* [Vulg. *habens*] *quatuor facies. Et aspectus rotarum, et opus earum, quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi sit rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent. Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus, et*

*totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor.* LXX : *Et vidi, et ecce rota una super terram sequens animalia quatuor. Et aspectus rotarum, et factura earum, quasi species tharsis. Et similitudo in quatuor : et opus earum sicut solet esse rota in rota. In quatuor partes earum ambulabant, et non revertebantur, cum ambularent. Et dorsa earum, et altitudo erat eis. Et vidi eas, et dorsa earum plena oculis in circuitu ipsarum quatuor.* Hucusque quatuor animantium quæ **17** quaternas habebant facies, pictura describitur, sequentium spiritum, et nubem, quæ erat in medio spiritus, nunc per singula animalia singulæ ponuntur rotæ, quæ non erant junctæ animantibus, sed sequebantur ea. Sive una rota apparuit super terram, quæ, divisa per quatuor, tot habebat facies, quot animalia sequebatur. Tantaque similitudo erat rotarum quatuor sequentium animalia quatuor, ut una rota verissime crederetur. Opusque earum erat atque factura, quasi visio *tharsis*, quam nos in *mare* vertimus. Aquila [a] *hyacinthum* posuit; qui lapis cœli habet similitudinem. Aspectusque earum erat quasi rota in rota, ut non unam rotam crederes, sed alteram alteri copulatam. Per quatuor partes ibant, et non trahebantur, nec revertebantur retrorsum. Qui enim fieri poterat, ut reverterentur, cum sequerentur animalia, quæ semper ad priora se tenderent? Statura quoque rotarum et altitudo tanta erat, ut miraculum vdentibus faceret. Totumque corpus et dorsa erant plena luris in circuitu, ut nullum membrorum aspiceres quod oculos luminis non haberet : qualemque describunt fabulæ poetarum Argum fuisse centoculum sive multorum oculorum, quem Juno in pavum vertit ob negligentem custodiam, ut quod miraculum est conditoris Dei, hoc condemnatio esset inulti adulterii. Omnia cœlestia, et terrestria, et quidquid sub humanam cadit intelligentiam, Solis rotis volvitur. Solis annuum circulum, per singulos menses luna decurrit. Lucifer qui ipse vesper est, dum ad Orientem, et ad Occidentem rutilus micat, et noctis tenebras parvo temperat lumine, duobus annis eumdem conficit cursum : aliaque astra quatuor quæ vocantur errantia, et quidquid fulget in cœlo, segetum quoque et arborum, herbarumque varietates per quatuor tempora suis currunt rotis, nihilque aspicimus quod ante non fuerit. *Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non adimpletur* (*Eccles.* I, 6,7). Quare? quia ad fontes **18** suos de matrice abysso revertuntur. Evangeliorum autem, id est, quatuor animalium quæ spirant, vivunt, intelligunt, si quis rotam cursumque consideret, in brevi tempore videbit mundum esse completum sermone Apostolico. Rota quoque in rota, vel duorum junctura Testamentorum est, quod indicat scala Jacob (*Gen.* XXVIII), et forceps Isaiæ (*Isai.* VI), et gladius bis acutus : vel Evangelia sibi cohærentia, quorum cursus et statura tendit ad cœlum, paululumque quid attingit in terra, et semper properans, ad excelsa festinat. De quibus et alibi dicitur : *Lapides sancti volvuntur super terram* (*Zach.* IX, 16); ex quibus ædificatur cœlestis Jerusalem. Hoc ipsum puto significare et illud quod in psalmo canitur : *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* LXXVI, 19). Et alibi : *Quæ inflammat rotam nativitatis* (*Jac.* III, 6). Quæ testimonia, quem sensum in suis locis habeant, non hujus est temporis. Totum autem corpus et dorsa plena oculis approbabit, qui viderit nihil esse in Evangeliis quod non luceat, et splendore suo mundum illuminet, ut etiam quæ parva putantur et vilia, Spiritus sancti fulgeant majestate.

(Vers. 19 seqq.) *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea. Et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter levabantur, sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant : et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ sequentes ea : quia spiritus vitæ erat in rotis.* Quatuor animalia spiritum sequebantur, et nubem quæ erat in spiritu. Rursumque rotæ cum animalia sequerentur elevantia se de terra, nequaquam animalia, sed spiritum sequebantur, ut ostenderent propriam voluntatem : *quia spiritus vitæ erat in rotis.* Tria autem et in animalibus et in rotis pariter indicantur, cum starent, cum ambularent, cum elevarentur, quæ et animalia, et rotæ in commune faciebant. Neque enim stantibus animalibus rotæ poterant ambulare, nec ambulantibus super terram animalibus, elevare se rotæ, **19** sed quorum una erat actio, una erat et requies, et cursus, et elevatio. Secundoque dicitur, *quia spiritus vitæ erat in rotis* : ut nequaquam vas aliquid arbitremur rotarum, [b] quas in carpentis plaustrorum rhedarumque et curruum aspicimus, sed animantia, immo super animantia. Animalis enim homo non percipit ea quæ spiritus sunt. Istæ ergo rotæ, in quibus erat spiritus vitæ, omnia ordine faciunt atque mensura, habentque cum animalibus concordiam, sequentes ea, et per ea Spiritum sanctum; immo mediis prætermissis, sancti Spiritus societate gaudentes. Quæ omnia juxta priorem intelligentiam, variæ interpretationi prudens lector poterit coaptare.

(Vers. 22 seqq.) *Et similitudo super caput animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis, et extenti super capita eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Unum-*

[a] At vero Symmachum, non Aquilam vertisse *hyacinthum*, epist. in nostra recensione 34, ad Marcellam, num. 1, etc., in hoc ipso Commentar. in Ezechiel. infr. cap. x tradit. Quod etiam discas ex Gregorio Neocæsariensi in Ezechiel; qui Commentarius falso ascribitur Nazianzeno, tum ex Theodoreto, et ex cod. exaplari ms. Jesuitarum Parisiensium, teste Montfauconio, ubi Σ. ὡς ὅρασις ὑακίνθου. *Symmachus, quasi species hyacinthi*, legitur. Atque adeo opinor aut lapsum hic memoria sanctiss. doctorem aut vitiatum a librariis locum, et Aquilæ, qui *chrysolithum* vertit, non *hyacinthum*, pro Symmachi nomine substitutum.

[b] Hactenus Vulgati *quasi in carpentis*, pro *quas*.

*quodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum, cumque starent, demittebantur pennæ eorum. Nam cum fieret vox supra firmamentum quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni, et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Ubi nos posuimus, *pennæ eorum rectæ, et quasi sonum*, vel *vocem sublimis Dei*, LXX transtulerunt, *alæ eorum extentæ et volantes*; *et quasi vocem fortis* : quod in Hebraico dicitur SADDAI (שדי). Multaque et in hoc, et in aliis capitulis ab eis prætermissa sunt, quæ ob longitudinem ponere supersedi. Quod autem nos manifestius interpretati sumus, *alterius ad alterum : unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur*, pro quo in Hebræo scriptum est, *mulieris ad sororem suam, vir duabus alis velabat corpus suum, et vir velabatur similiter :* ideo post mulierem virum posuit in persona eadem, ne sexum in cœlestibus putaremus : cum in uno atque eodem juxta proprietatem Hebraicam, idem et vir et mulier appellatur. Videtur autem super **20** quatuor animalia et rotas totidem, similitudo firmamenti, quod nos appellamus cœlum, habens speciem crystalli, quod est purissimum, et ex aquis mundis atque lucentibus, nimio frigore [a] concrescere dicitur : intantum ut etiam gelu constricta aqua, Græco sermone χρύσταλλος nominetur. Decebat autem in superioribus esse eximiam puritatem, quæ cuncta protegat, id est, rationales sapientesque virtutes, et quatuor temporum cursum, et mundi plagas, et rerum omnium ordinem, et Evangelicam prædicationem, quæ ex parte intelligitur, et ex parte velatur. Voxque auditur alarum volantium, quasi vox aquarum multarum, quæ juxta Apocalypsim Joannis (*Cap.* XVII) populos significant, paulatimque proficiens dicitur quasi vox castrorum, et quasi vox sublimis Dei, quod Hebraice appellatur SADDAI, et juxta LXX, *vox verbi;* ut universa quæ prædicantur in mundo, vocem Filii Dei esse credamus. Stantibus autem animalibus, demittebantur alæ eorum. Vocem enim Dei Omnipotentis resonantem in cœlestibus ferre non poterant, sed stabant, et mirabantur; et silentio suo, Dei potentiam demonstrabant, qui sedebat super firmamentum. Quod firmamentum his qui deorsum erant, habebat similitudinem crystalli : his autem qui supra, instar lapidis sapphiri videbatur. Quæ similitudo sapphiri, thronus erat ejus qui sedebat in similitudinem hominis. Ex quo intelligimus, et firmamentum, et crystallum, et sapphirum, et hominem in similitudine, non in veritate monstrari. Hominem autem Deum Patrem debere intelligi multa docent testimonia. E quibus illud est in Evangelio : *Homo quidam plantavit vineam, et locavit eam agricolis* (*Matth.* XXI, 33). Et post paulum : *Misit servos, et super omnes filium suum* (*Ibid.*, 37). Rursumque : *Homo quidam fecit nuptias filio suo* (*Matth.* XXII, 2). Non quod filius excludatur a regno, de quo scripsit Isaias : *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum* (*Isai.* VI, 1). Et Joannes : *Hæc autem*, inquit, *dixit Isaias, quoniam* [Al. *quando*] *vidit gloriam Filii Dei* (*Joan.* XII, 41); sed quod in Patre regnet et Filius. Omnia enim Filii Patris sunt, *qui est imago Dei Patris invisibilis* (*Coloss.* I, 15). Nam et in Daniele Deus Pater sedens inducitur (*Dan.* VII), **21** et offertur ei Filius hominis, ut accipiat regnum. Et in Apocalypsi Joannis, eadem de Filio scribuntur (*Apoc.* III, VII). Et ad pugnam primi martyris Stephani, cernitur stans ad dexteram Patris. De quo canitur in psalmo : *Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dexteram meam. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2). Sicut autem crystallo purissima quæque atque lucentia in cœlestibus demonstrantur, quæ nostrum oculatum corpus illuminant : sic in sapphiro, id est, in throno Dei, et super firmamentum quod cœlum accipimus, abscondita atque secreta et incomprehensibilia Dei sacramenta monstrantur : *Qui posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 12), et in nube videtur et in caligine. Unde et in Exodo scribitur : *Et sub pedibus Dei erat quasi opus* [b] *lateris sapphiri, et sicut species firmamenti cæli mundissimi* (*Exod.* XXIV, 10). Unde et sponsa pulchritudinem sponsi describit in Cantico : *Venter ejus quasi tabula eburnea super lapidem sapphirum* (*Cant.* V, 14). Et in Joannis Apocalypsi primum fundamentum jaspidis, secundum sapphiri scribitur (*Apoc.* XXI). Et in rationali pontificis, in versu et ordine lapidum singulorum, secundus ordo carbunculum habet, et sapphirum, et jaspidem (*Exod.* XXVIII). De quibus ex parte lapidibus, in Isaiæ Explanationibus diximus.

(Vers. 27, 28.) *Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum a lumbis ejus et desuper. Et a lumbis ejus usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. Hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.* Similitudo hominis qui sedebat super similitudinem throni, qui thronus habebat similitudinem lapidis sapphiri, a lumbis et desuper, electro comparatur. Quod electrum, et intrinsecus et extrinsecus habebat quasi ignis aspectum. A lumbis vero et deorsum ignis erat resplendens in circuitu; ut ostenderet ea, quæ supra lumbos sunt, ubi sensus versatur et ratio, non indigere igne nec flammis, sed pretiosissimo metallo, et purissimo. Ea vero quæ a lumbis deorsum, ubi coitus, ubi generatio, ubi incentiva vitiorum purgatione **22** indigere flammarum, ut cum purgata fuerint, habeant

[a] Quidam mss. penes Victorium *congelascere.*

[b] Hæc inquit Victor. est vera et antiqua lectio : juxta Hebræum et Græcum exemplar. In Latino *lapidis* pro *lateris* nos habemus.

sicut arcus similitudinem, quæ vulgo Iris dicitur, cum fuerit in nube in die pluviæ. Iris enim quæ in sancta Scriptura vocatur arcus, et in Apocalypsi Joannis eodem nomine Iris dicitur (*Apoc.* IV), nisi in pluvia, et in aquosa nube non potest apparere, diversorum colorum, et pulcherrimorum, et sensim in alios transeuntium. Unde et poeta (*Virgil.* IV *Æneid.*):

Mille rapit varios adversa luce colores.

Sed et morem vulgi sequens idem poeta: *Cum bibit*, inquit, *arcus*. Ex quo significat numquam arcum apparere, nisi in nube et in aquis. Hic arcus signum est clementiæ, et testamenti Dei, quod fecit cum hominibus: ut quando apparuerit in nube, sciamus nos, secundum antiquitatis exemplum, nequaquam perituros esse diluvio (*Genes.* IX). Ex quo ostenditur post pœnas atque supplicia, et purgationem peccatorum, futuram misericordiam, dumtaxat in his qui Deum meruerint videre regnantem. Unde dicitur: *Hic erat aspectus splendoris per gyrum*. Per gyrum Dei, vel throni, vel omnium quæ perspecta sunt. Et hæc visio gloriæ similitudinis Dei: non quo gloriam Domini viderit, sed similitudinem gloriæ ejus. Visio autem omnis hæc est: Spiritus elevans, et nubes magna, et quatuor animalia, et rotæ totidem sequentes animalia, et spiritum, quæ sub firmamento Dei esse meruerunt. Quæ postquam elevata sunt, et audierunt vocem quasi aquarum multarum, et quasi verbi sublimis Dei, vocemque castrorum et exercitus, demiserunt alas, et stuporem silentio demonstrarunt: apparuitque sedens super similitudinem sapphiri quasi similitudo hominis, qui a lumbis supra habebat speciem electri, et a lumbis deorsum speciem ignis in circuitu. Post quem terrorem datur signum misericordiæ; velut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. De hac visione prolixius diximus quia et obscura est, et a multis varie exponitur. In reliquis quantum fieri potest absque damno sensuum, propter magnitudinem voluminis brevitati studebimus.

(Cap. II. — Vers. 1.) **23** *Et vidi, et cecidi in faciem meam, et audivi vocem loquentis.* Non est elatus visionum magnitudine, sed conscientia fragilitatis humanæ procidit in faciem suam. Unde et apostolus Paulus post ascensionem cœli et paradisi, et auditionem verborum ineffabilium, datum sibi dicit angelum Satanæ, qui se colaphizet, ne extolleretur (I *Cor.* XII). Et Abraham cecidit in faciem, postquam audivit sermones Dei. Et tamen quia non peccato, sed humilitate corruerat, a Domino sublevatur, et verba ejus jubetur audire (*Gen.* XVII). Sciendum quoque, quod aliud sit in faciem cadere, aliud retrorsum. Abraham, postquam audivit de nativitate Isaac, cecidit in faciem, et risit (I *Reg.* IV). Heli autem, qui peccaverat, retrorsum cecidit. Et de Dan in Genesi scriptum est: *Fiat Dan coluber in semita, mordens plantam equi, et cadet eques retrorsum, salutem expectans Dei* (*Gen.* XLIX, 17, 18). Quia enim ad morsum colubri ceciderat ex equo, propter ea Salvatoris exspectat adventum. Et in Evangelio secundum Joannem, qui ad comprehendendum venerant Dominum, postquam ille respondit: *Ego sum, ceciderunt retrorsum in terram* (*Joan.* XVIII, 6); sermonem ejus, qui Moysi dixerat: *Vade, dic filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14), minime sustinentes.

*Et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tibi* [Vulg. *tecum*]. Jacens sermonem Dei audire non poterat, sed audit cum Moyse: *Tu vero hic sta mecum* (*Exod.* XXXIV, 2). Quod et Daniel sibi accidisse commemorat (*Dan.* X).

(Vers. 2.) *Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos. Et audivi loquentem ad me, et dicentem: Fili hominis.* LXX: *Et venit ad me spiritus, et assumpsit me, et elevavit, et statuit me super pedes meos: et audivi eum loquentem ad me, et dixit mihi: Fili hominis.* Præceperat prophetæ sermo divinus et jusserat: *Sta super pedes tuos* (*Psal* XXXIX, 3); sed sine auxilio Dei et adventu Spiritus sancti stare non poterat: propterea ingreditur in eum, sive assumit et suscitat, ut firmo sit gradu, et possit dicere: *Statuit supra petram pedes meos* (*Ephes.* VI, 14). Nullumque peccatorem stantem legimus, sed ad sanctos dicitur: *State ergo succincti lumbos vestros.* Peccator autem illud Deuteronomii **24** meretur audire: *Non erit stabile vestigium pedis tui* (*Deut.* XXVIII, 56). Crebro ad Ezechiel dicitur: *Fili hominis* (*Matth.* VIII, 20), et ad Daniel raro: quorum uterque in persona ejus qui dixerat: *Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, captivum populum consolatur, et retrahit ad pœnitentiam.

(Vers. 3.) *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me. Ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc.* Nequaquam populum Dei Israel, sed gentes apostatrices vocat eos, qui a Domino recesserunt, non solum patres, sed et filii. Nec peccato patrum filii viderentur obnoxii; sed ut par et patrum et filiorum esset impietas. Porro quod LXX transtulerunt, *irritantes me*, sive *in amaritudinem convertentes*, illud significat, quod Deus benignus et dulcis natura nostris vitiis mutetur in amaritudinem. Sicut enim sanctis dicitur: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9); sic peccatores eum amarum sentiunt. Unde et Apostolus bonitatem et severitatem Dei super sanctos et peccatores refert (*Rom.* XXI). Et de peccatoribus qui jacebant, scriptum est: *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos, Dominus solvit compeditos* (*Psal.* CXLV, 8). Sanctis vero stantibus præmia pollicetur.

(Vers. 4.) *Et filii dura facie, et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Hoc in LXX non habetur. Magnæque clementiæ est ad tales Deum mittere, nec desperare eorum salutem; et confidentiæ prophetalis, quod ad tales quoque ire non timeat. Indomabili autem corde, et dura facie, juxta illud debemus accipere quod peccatori dicitur: *Nervus fer-*

*reus collum tuum, et frons tua ænea* (*Isai.* XLVIII, 6). Qui et in consequentibus arguuntur cordis lapidei, quod Deus evulsurum esse se dicit, et pro illo carneum redditurum : ut mollitie sua, Dei præcepta suscipiat.

(Vers. 5.) *Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant : quoniam domus exasperans est, et scient quia propheta fuerit in medio eorum.* Simile quid in Jeremia scriptum est : *Si forte audiant et agant pœnitentiam* (*Jer.* XXVI, 3). Et in Evangelio : *Forsitan filium meum verebuntur* (*Matth.* XXI, 37). Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, [a] ut liberum hominis monstret **25** arbitrium, ne præscientia futurorum mali vel boni immutabile faciat quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit : sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.

(Vers. 6.) *Tu ergo, fili hominis, non timeas eos, neque* [Vulg. *ne*] *sermones eorum metuas, quoniam increduli et subversores sunt tecum.* LXX : *Et tu, fili hominis, non timeas eos, nec a facie eorum formides : quoniam insanient, et congregabuntur contra te in circuitu.* Licet dura cervice sint, et corde indomabili, tamen mea sunt fortiora præcepta. Nec te putes esse deceptum, si mittaris ad eos qui te loquentem non audiant. Ecce prædico tibi quod insaniant, et congregentur adversum te, et circumdent te, nullum tibi effugium relinquentes. Hoc autem facient, quia increduli sunt, et Dei imperia contemnentes.

*Et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.* Qui possint ferire, qui arcuato percutere vulnere, et aculeo fistulato, ut eadem plaga et cutem aperiat, et venena diffundat. Unusquisque pro moribus suis sortitur vocabulum. Scribis et Pharisæis dicitur : *Generatio viperarum* (*Matth.* XXIII, 33). Et de Herode qui versipellis erat : *Ite et dicite vulpi huic* (*Luc.* XIII, 32). Et pseudoprophetæ in hoc eodem Propheta vulpibus comparantur. Et nunc corde indomabili scorpiones esse dicuntur. Unde et in Evangelio legimus : *Omnes qui ante me venerunt, fuerunt fures et latrones, et non audierunt eos oves* (*Joann.* X, 8). Et quomodo oves perditæ domus Israel audierunt adversarios? Ex quo ostenditur, eos qui audierint fures et latrones, ovium vocabulum perdidisse, et alia assumpsisse nomina, ut non quasi oves perierint, sed quasi viperæ, vulpes et scorpiones.

(Vers. 7, 8.) *Et loqueris verba mea ad eos : si forte audiant, et timeant,* [b] vel *quiescant, quoniam irritatores sunt. Tu autem, fili hominis, audi quod ego loquor* [Vulg. *quæcumque loquor*] *ad te.* Non ergo cessandum, licet mali sint, quibus loquimur ; quin secundum Apostolum (II *Tim.* IV), opportune, importune verbum Dei prædicemus, quia potest **26** fieri, ut et durus corrigatur ad mollitiem, et qui obediens est, mutata voluntate non audiat.

*Noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est.* Semel diximus exasperationem, sive irritationem, Septuaginta amaritudinem ponere. Quod ergo dicit, hoc est : Non debes eos imitari, ad quos corrigendos mitteris, ne peccatum simile similem mereatur et pœnam.

*Aperi os tuum, et comede quæ ego do tibi.* Dignum te, inquit, præbe sermonibus meis, et cibum suscipe spiritualem, ut quomodo in Evangelio dicitur : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII, 8); et hic dicatur : Qui habet apertum os ad comedendum, comedat. Unde et Psalmistæ Dominus loquitur : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Et ille respondit : *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131). Et apostolus Paulus, qui habebat in se thesauros sapientiæ et scientiæ, et in quo Christus Dominus loquebatur, scribit Corinthiis : *Os meum apertum est ad vos, o Corinthii* (II *Cor.* VI, 11). Et de Salvatore Matthæus refert : *Aperiens os suum, docebat discipulos* (*Matth.* V, 2).

*Et vidi, et ecce manus missa ad me.* Pro manu missa, *extentam* Septuaginta transtulerunt. Quæ mittitur et extenditur ad eos, qui beneficia consequuntur. Contrahitur autem ab his quibus loquitur per prophetam : *Numquid abbreviata et contracta est manus Domini* (*Isa.* L, 2)? Et in Psalmo : *Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem* (*Psal.* LXXIII, 11)? Denique extendit in passione pennas suas, suscepitque discipulos, et portavit illos in humeris suis, et locutus est : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem* (*Isa.* LXV, 2), ut congregaret filios Israel, sicut gallina congregat pullos sub alas suas : et extensione manuum Moysi, Israel superat Amalec (*Exod.* XVII).

(Vers. 9.) *In qua erat involutus liber, et expandit illum coram me, et* [Vulg. *qui*] *erat scriptus intus et foris : scriptæque erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. Et dixit ad me : Fili hominis, quodcumque inveneris, comede.* Pro involuto libro, Septuaginta *capitulum libri* transtulerunt. In manu Domini sedenti super thronum, quæ missa est et extenta. De quo et in Psalmis dicitur : *In capitulo libri scriptum est de me* (*Psal.* XXXIX, 8). Capitulum **27** intelligamus exordium. Iste liber involutus atque signatus, scriptusque intus et foris, vel ante et post, tantæ difficultatis fuit, ut nullus potuerit neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire illum et legere, nisi solus leo de tribu Juda, radix David

[a] Confer Rabanum ubi hunc ex Hieronymo locum laudat in Epist. ad Heberardum comitem contra hæresim Gothescalchi.

[b] Victor., inverso ordine, *et quiescant, vel timeant :* quod enim ait Hebraice est יחדלו, Hieron. vertit *quiescant ;* LXX. vero πτοηθῶσιν, *timeant.* Porro Hieronymianam interpretationem Septuagintavirali continuo facit præcedere.

et Jesse, quem Joannes in Apocalypsi devorasse se dixit (*Apoc.* v), non totum, sed in capitulo, id est, in principio. Neque enim fieri potest, ut humana natura totos libri hujus thesauros devoret. Et expandit illum coram propheta, et legendum cognoscendumque præbuit, qui in Isaia populo non credenti dicitur esse signatus (*Isai.* xxix). Usque hodie enim velamen Judæis in veteri positum est Testamento. Scriptusque erat ante et retro; de futuris et de præteritis. Vel certe foris, in historiæ littera, intus, intelligentia spirituali, de qua et Psalmista : *Omnis*, inquit, *gloria filiæ regis ab intus* (*Psal.* xliv, 14). Scriptæque erant in eo tam intus quam foris lamentationes, et carmen, et væ. Lamentationes, de his qui ad pœnitentiam provocantur, sicut Samuel et Apostolus Paulus plangebant atque lugebant Saul et Corinthios, quos salvare cupiebant (II *Par.* xvi; II *Cor.* xii). Carmen super his, qui Dei digni sunt testimonio, et quibus Psalmista præcipit: *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* xcv et xcvii, 1). Porro væ super illis qui penitus desperantur, et cum venerint in profundum peccatorum, contemnunt (*Prov.* xviii).

(Cap. III, — Vers. 1.) *Comede volumen istud, et vade* [Vulg. *vadens*], *loquere filiis* [Vulg. *ad filios*] *Israel.* Nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel. Denique et David postquam ipse misericordiam consecutus est : *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*Psal.* l, 15).

(Vers. 2.) *Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. Et dixit ad me : Fili hominis.* Ego, inquit, aperui os meum, quia mihi dictum est : *Aperi os tuum, et comede.* Et, aperto ore, Dominus largitus est cibos; ut initia voluntatis in nobis sint, et perfectionem beatitudinis a Domino consequamur. *Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* ix, 16). Attamen et velle et currere, nostri arbitrii est. Pro *aperui*, Septuaginta transtulerunt, *aperuit*, ut **28** subaudiatur Deus : quia ipse et aperuit os prophetæ, et cibavit eum.

(Vers 3.) *Venter tuus comedet; et viscera tua complebuntur volumine illo, quod ego do tibi.* LXX : *Os tuum comedet, et venter tuus implebitur capitulo isto tibi dato.* Principia lectionis, et simplicis historiæ, esus voluminis est. Quando vero assidua meditatione in memoriæ thesauro librum Domini condiderimus, impletur spiritualiter venter noster, et saturantur viscera, ut habeamus cum apostolo Paulo viscera misericordiæ (*Coloss.* iii), et impleatur ille venter, de quo Jeremias loquitur : *Ventrem meum, ventrem meum ego doleo : et sensus cordis mei conturbant me* (*Jerem.* iv, 19).

*Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.* Loquitur et David : *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo* (*Psal.* cxviii, 103). Et alibi : *Judicia Domini vera,* [a] *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum; et dulciora super mel et favum* (*Psal.* xviii, 10, 11). Et Samson favum mellis in ore leonis invenit (*Judic.* xiv); et Dominus post resurrectionem partem assi piscis comedit et favum (*Luc.* ii). Et in Proverbiis de ape dicitur, quamquam hoc Hebræa non habeant exemplaria : *Vade ad apem, et disce quomodo operatrix sit, et opus suum castum faciat : cujus laboribus reges et imperiti pro sanitate abutuntur* (*Prov.* vi, 8, *sec.* LXX): quod operati sunt Moyses et prophetæ, et evangelistæ, et apostoli; ut quicumque rex fieret, cujus cor in manu Dei est, dulcibus fruatur cibis. Qui vero simplex et absque serpentis astutia habet innocentiam columbarum, simplici fide credat atque salvetur : quia ubique insidiæ sunt, et sæpe diabolus transfigurat se in angelum lucis (II *Cor.* ii) : melque distillat de labiis mulieris meretricis, dulcia repromittens ut venena interserat (*Prov.* v).

(Vers. 5.) *Et dixit ad me : Fili hominis, vade et ingredere* [in Vulg. non est et *ingredere*] *ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos.* Cui dicitur : *Vade et ingredere ad domum Israel*, ostenditur non fuisse cum populo peccatore; licet in eisdem videretur super flumen Chobar finibus commorari. Scriptum est enim : *Et ego eram in medio transmigrationis juxta flumen Chobar.* Separata enim erat prophetæ conversatio, et iniquorum offendebatur aspectu. Hoc idem faciebat et Moyses (*Exod.* xxxiii), procul a castris multitudinis figens tabernaculum : **29** quod cum fuisset ingressus, descendebat columna nubis, et stabat ante ostium tabernaculi.

(Vers. 5, 6.) *Non enim ad populum profundi sermonis, et difficilis* [Vulg. *ignotæ*] *linguæ tu mitteris, ad domum Israel, neque ad populos multos,* [b] *et ignoti sermonis, quorum non possis audire sermonem. Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Quoniam illi ad te nolunt venire, tu perge ad eos. *Non enim habent sani opus medico, sed male habentes* (*Luc.* v, 31). Neque potes dicere : Non possum loqui ad eos, quia linguæ alterius sunt, et invicem nobis barbari sumus, nec mutuum possumus audire sermonem. Quid loquar de uno populo? Si ad diversas te mitterem nationes, tamen auctoritas et potentia mea omnem difficultatem vinceret. Atque utinam tempus instaret, quod ad omnes missurus sum nationes, quo et linguarum daturus sum gratias, ut prædicent apostoli mei, et totum mundum a diversitate linguarum, una fide meo subdant jugo; facilius illi audirent, qui profundi sunt altique sermonis, et nihil habent de levitate Judaica, sed gravi et solido ingrediuntur pede, et cum ignotæ sint linguæ, notæ fidei sunt. Unde sequitur : *Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te.* Denique postea misit, et omnes pariter cre-

[a] Interserit Victor, *justificata in semetipsa*, ex psalmi textu.

[b] Victor., ex Hebræo et Vulgata Hieronymi editione, restituit *ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ*, impressamque lectionem contendit mancam esse et mutilam. Mss. vero nostri nihil præterea habent.

diderunt. Unde Paulus et Barnabas loquuntur ad Judæos [*Al.* eos] : *Vobis quidem oportuerat prædicari verbum Dei : sed quia noluistis suscipere sermonem, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Et de centurione dicitur : *Neque in Israel tantam fidem inveni* (*Matth.* VIII, 10).

(Vers. 7.) *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est et duro corde.* Ne contristeris, ait, si te audire noluerint. Idcirco te non audient : quia me audire contemnent : juxta quod et Salvator aiebat : *Qui vos non recipit, me non recipit* (*Ibid.*, x, 40). In quo aperte liberum monstratur arbitrium. Et duæ redduntur causæ, quare non audiant : quia perversæ, inquit, sunt voluntatis, et attrita fronte, sive, ut Septuaginta verterunt, *contentiosi sunt :* et subauditur, quod sæpe ad salutem provocati, noluerunt audire.

(Vers. 8, 9.) *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem* **30** *frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est. Et dixit ad me.* Domus Israel attritæ frontis est, et procacis audaciæ, et duro sic corde, ut scorpionibus comparetur. Ideo dedi tibi vultum durissimum, et frontem quæ nullo pudore superetur. Ex quo discimus, interdum gratiæ esse Dei impudentiæ resistere, et cum [a] res poposcerit, frontem fronte concutere. Hoc autem tribuitur, ne nostra verecundia et humanus pudor pertimescat insidias æmulorum.

(Vers. 10.) *Fili hominis, omnes sermones meos quos loquar ad te, assume in cor tuum, et auribus audi.* Iste est cibus voluminis, et hæc sunt verba quibus pro diversitate audientium, vel lamenta, vel carmen, vel væ hominibus loquitur [*Al.* loquimur]. Et tamen notandum, quod ante sermones Dei in nostro corde condendi sunt audiendique et intelligendi diligentius; et sic ad populum proferendi.

(Vers. 11.) *Vade, ingredere ad transmigrationem* (sive *captivitatem*), *ad filios populi tui, et loqueris ad eos, et dices eis : Hæc dicit Dominus Deus : si forte audiant et quiescant :* Et Dominus noster venit ad populum Judæorum, mittente Patre, ut prædicaret captivis remissionem, et impleretur in eo quod scriptum est : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII, 19).

(Vers. 12.) *Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ : Benedicta gloria Domini de loco suo.* Deus de quo scriptum est : *Assumens mansuetos Dominus* (*Psal.* CXLVI, 6), ipse assumpsit et prophetam, qui non erat in carne, sed in spiritu, et ambulans in spiritu, carnis opera non implebat : spiritus enim Dei erat in eo. Quamobrem et terrena contemnens rapitur a spiritu, et audit post se vocem commotionis magnæ, præteritorum obliviscens, et in futurum se extendens, ut inimicorum insidias A post tergum relinqueret. Talo quid et in Exodo legimus (*Exod.* XXIV), quando Pharao et omnis exercitus ejus persequebatur Israel, et angelus in columna nubis deseruit priora castrorum ; venitque post tergum, et tota nocte stetit inter Israel et Ægyptios : **31** ut, perterritis adversariis, audiret Israel : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Locus autem Domini est omnis in quibus hospitium invenit. Aut certe Filius locus est Patris, sicut et Pater locus est filii, dicente Domino Salvatore : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11). Hoc idem significat et Michæas : *Ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet super excelsa terræ, et commovebuntur montes subter eum, et valles tabescent sicut cera a facie ignis, et sicut aqua quæ defertur in præceps* B (*Mich.* I, 3, 4). Descendente enim Domino Salvatore, et proficiscente de Patre, excelsa terræ montesque commoti sunt, et inferiora vallium liquefacta. Potest locus esse gloria Domini, et lux inaccessibilis, de qua Apostolus loquitur : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem* (1 *Tim.* VI, 16). Quando præterita judicia Domini animo revolvimus, audimus vocem post tergum commotionis magnæ. Quando futura corde meditamur, auditur vox de prioribus, et ex his quæ ante sunt.

(Vers. 13.) *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ.* Pro eo quod subauditur, ἀπὸ κοινοῦ juxta Hebraicum : *audivi post me vocem commotionis magnæ, et audivi vocem alarum* C *animantium, et vocem rotarum*, addidere LXX : *Et vidi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*, et reliqua juxta illud quod in Exodo legitur : *Et videbat omnis populus vocem Dei* (*Exod.* XX, 18) : ut vocem quæ veniebat post tergum, audierit propheta : quæ autem ante se erat, viderit. Sed melius et verius est, auditam vocem intellexisse, quam visam, tam alarum percutientium se mutuo, quam rotarum, de quibus supra diximus, et commotionis magnæ quæ Dei iram super Israel populum venturam esse monstrabat.

Vers. 14. *Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me, et abii amarus in indignatione spiritus mei.* LXX : *Et spiritus elevavit me, et suscepit me, et abii sublimis in impetu spiritus mei.* Postquam elevatus a spiritu D est, et assumptus ab eo, tunc in indignatione et in amaritudine spiritus sui abiit quo ferebatur, intelligens indignationem Dei, et quid significaret visio, mente pertractans. **32** Sive sublimis ipso spiritus sui impetu ferebatur, cupiens ire quo Dominus imperabat. Spiritum autem ejus, non Spiritum sanctum, sed spiritum hominis intelligamus, de quo in multis locis dicitur, ut in Isaia : *De nocte consurgit spiritus meus ad te, Deus* (*Isai.* XXVI, 9). Transferturque propheta (non ut quidam æstimant) in spiritu, sed in ipso corpore, quod et de Abacuc juxta Theodotionem legimus ( *Dan.* XIV).

[a] Penes Raban., *et cum locus poposcerit.*

(Vers. 15.) *Manus enim Domini erat mecum confortans me. Et veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar. Et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.* LXX : *Et manus Domini facta est super me fortis, et intravi ad captivitatem sublimis. Et circuivi habitantes super fluvium Chobar, qui erant ibi : Et sedi ibi septem diebus conversans in medio eorum.* Pro eo quod nos vertimus, *acervum novarum frugum*, Aquila, Symmachus, et Theodotio ipsa verba posuere Hebraica THEL ABIB (תל אביב) : quod Septuaginta transtulerunt, *sublimis et circuivi ;* melius esse credentes aliquid dicere, quam imponere quod lectori faceret quæstionem. Nos autem ab Hebræis [a] didicimus, Thel abib significare, quando nova frumenta, vel hordea congregantur, et post famem et penuriam, antequam terantur in area, spem ciborum aliquam repromittunt. Ita et Israel parvus et tenuis, qui habitabat in ripis Chobar fluminis, quasi reviviscens, ortusque de terra, sementem Judaici populi promittebat. Manus autem Domini fit super prophetam, confortans eum, ut possit nomen speculatoris accipere, et docere quod didicit. Septemque prius diebus versatur inter eos, videns cuncta quæ gererent, ut postea sciret quæ corriperet. Mœret autem, sive conversatur in medio eorum, videns scelera, et justam Dei pro peccatorum iniquitate sententiam. Pro eo quod nos diximus, *mœrens*, et in Hebræo scriptum est MASMIM (משמים), Theodotio transtulit, *admirans*, ut stuporem Prophetæ iniquitates eorum cernentis exprimeret. Aquilæ vero secunda editio, quam Hebræi κατὰ ἀκρίβειαν nominant, transtulit : ἡρεμάζων, id est, *quiescens*, et *seorsum positus*, ut fuisse quidem in medio **33** captivorum, sed ab eis separatum mente, monstraret.

(Vers. 16, 17.) *Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Qui speculator futurus est, et Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea quæ videat : nihilque habere eorum in conscientia, quæ in aliis correpturus est.

(Vers. 18, 19.) *Si dicente me ad impium : Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in iniquitate sua morietur ; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab* [b] *iniquitate, et a via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Duo sunt impii, sive iniqui, ut LXX transtulerunt. Unus qui nihil audit a speculatore, et in sua impietate moritur ; cujus sanguis de speculatoris quæritur manibus. Alter, cui speculator annuntiat, et ille audire contemnens, suo vitio moritur : ita dumtaxat, ut speculator a culpa alienus sit. Ex quo intelligimus ideo Dominum impio comminari, et dicere : *Morte morieris*, ut avertatur a via sua impia, et vivat. Comminatio enim non in homines, sed in peccata [*Al* peccatores] est, nec in eos qui convertuntur a vitiis, sed qui in peccato permanent. Magnumque discrimen est, Dei tacere sermones, ob triplicem causam : vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. Unde et Isaias : *Væ*, inquit, *mihi misero, quia tacui* (*Isa* VI,5). Quodque sequitur : *Tu autem animam tuam liberasti*, illud Apostolicum sonat : *Si cujus opus arserit, damnum patietur, ipse autem salvus erit : sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 14) ; ut [c] probet utrum speculator externus a causa sit mortis ejus qui periit, an reus. Opus enim magistri, salus discipuli est.

(Vers. 20, 21.) *Sed et si conversus justus a justitia sua* [d] *fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur, quia non annuntiasti ei ; in peccato suo morietur, et* **34** *non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit : sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Sin autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti.* Sicut impios, vel iniquos duos legimus : Unum, qui non audivit, et periit ; alterum, qui audivit, et perseveravit in nequitia : sic duo justi sunt, unus qui non audivit, et [e] periit ; alter qui audivit, et conversus ad pœnitentiam, salvavit animam suam. Notandumque quod possit justus cadere ; et si habuerit magistrum, ad meliora converti. Et bona igitur opera indigent assiduo præceptore, ne lapsus ab optimo cursu, retrahat pedem. Et impius quidem, vel iniquus si conversus non fuerit, in impietate et iniquitate sua morietur. Justus autem si fecerit impietatem atque peccatum, non statim moritur ; sed ponitur offendiculum coram eo, sive tormentum ; et ut Theodotio dixit, *infirmitas :* ut torqueatur, et planam viam non inveniat, et intelligat se languidum, de quibus et Apostolus dicit : *Ideo infirmantur multi apud vos, et dormiunt multi* (*Ibid ;* XI, 30. Prodest enim justo intelligere delictum suum, conscientiæque tormentum ; et dicere cum Psalmista : *Conversus sum in ærumna mea, dum mihi infigitur spina* (*Ps.* XXXI, 4). Et quomodo impio non sunt obviæ iniquitates, si avertatur a via sua impia et vivat : sic justo non prosunt antiquæ justitiæ, si novis facinoribus opprimatur. Quod autem intulit : *Ipse morietur, quia non annuntiasti ei*, subauditur, potuisse eum vivere, si speculator magisterque docuisset.

[a] Vitiose antea erat *dicimus*.

[b] Victor. cum Vulgata, *ab impietate tua et*, etc., negans, *ab inquitate*, lectionem esse Hieronymi ; sed LXX : τῆς ἀνομίας αὐτοῦ.

[c] Idem, *probetur utrum speculator externus causa sit mortis*, etc. Nullis quod sciam mss. suffragantibus.

[d] Ad Vulgatæ Editionis fidem rescribit Victorius : *a justitia sua fuerit, et fecerit*, etc.

[e] Apud Raban. cum interposita negandi particula, *et non periit.*

(Vers. 22.) *Et facta est ibi* [Vulg. tacet *ibi*] *super me manus Domini, et dixit ad me : surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum.* Quod ex Hebræo transtulimus, *ibi*, et in LXX non habetur, significanter positum est, nec dubium quin locum significet. Supra enim legimus : *Et veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta fluvium Chobar* (*Supra*, III, 15). Recteque ei [a] cui dixerat, *sedi*, jubetur ut surgat. Et qui ingressus fuerat ad transmigrationem, audit, *egredere :* **35** non in confragosas valles, non in præruptas rupes, sed in campi latitudinem quæ possit capere gloriam Domini. Unde et Corinthiis dicitur : *Dilatamini* (I *Cor.* VI, 13). Quando ingreditur ad captivos, de quibus dictum est, quod insaniant et persequantur eum, forti manu indiget, ut possit resistere, et furorem persequentium sustinere. Quando autem egreditur in campum, fit quidem super eum manus Domini : quia absque illius adjutorio exire non poterat, sed non additur *fortis.* Ad videndam enim gloriam Dei, non ad pugnandum egreditur. Et hoc animadvertendum, quod in medio captivorum sedentium, ipse sedens Propheta gloriam Domini non viderit.

(Vers. 23.) *Et surrexi* [Vulg. *surgens*] *et egressus sum in campum, et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxta fluvium Chobar.* Jubente Domino, ingreditur, et jubente egreditur, sedetque cum sedentibus; quia stantem illum numerus captivorum audire non poterat. Egressusque in campi latitudinem, vidit stantem gloriam Domini, quam prius viderat ambulantem, et elevantem se, et interdum stantem. Quia juxta fluvium sæculi hujus *Chobar*, qui interpretari potest [*Al.* interpretatur] *gravissimus*, gloria cernebatur : quod significat, omnem mundi hujus gloriam præterfluere, et gradum stabilem non habere. Gloria autem Domini stans, et perseverans, cum stante Propheta videtur in campo : quæ in medio captivorum, nec stare poterat, nec videri.

(Vers. 24.) *Et cecidi in faciem meam, et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos : et locutus est mihi, et dixit ad me : Ingredere, et includere in medio domus tuæ.* Stantem gloriam Domini ferre non sustinens, cecidit in faciem suam, ut ab ingrediente in eum spiritu levaretur. Qui spiritus statuit eum super pedes suos, et locutus est ei, dicens : *Intra et includere in medio domus tuæ.* Et est sensus : Quia corroboratus es aspectu Dominicæ majestatis, nullum timeas, nec aliquem pertimescas; sed revertere in domum tuam : vel ad necessitates corporis, ut quidam putant, vel in signum futuræ obsidionis. Et quomodo Isaias discalciatus et nudus (*Isai.* XX), trium annorum captivitatem, et nuditatem **36** populi nuntiavit, ita et tu clausus domo, opere ipso propheta vicinam obsidionem urbis Jerusalem.

(Vers. 25, 26.) *Et tu, fili hominis : ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te eis, et non egredieris de* [Vulg. *in*] *medio eorum, et linguam tuam adhærere faciam palato* (vel *gutturi*) *tuo, et eris mutus, nec ut vir objurgans eos* [A Vulg. abest *eos*] : *quia domus exasperans est.* Quod in domo clauditur, quod vinculis alligatur, quod non egreditur ad eos, inter quos habitat, sed inter multitudinem captivorum, solitudinem carceris patitur (ut supra dixi) obsidionis indicium est, quod clausa Jerusalem atque circumdata ab exercitu Chaldæorum, nullum habitantium foras exire permittet. Hæc est olla de qua Jeremias loquitur (*Jerem.* I), et ipse hic Propheta in consequentibus ; in qua carnes populi consumuntur. Quod autem lingua Prophetæ palato vel gutturi cohæret et mutus effectus, auctoritatem non habet increpantis, causa perspicua est : *quia* inquit, *domus exasperans est.* Et est sensus : Tantæ sunt [b] amaritudinis, et tantæ adversus Deum contentionis, ut objurgantem non mereantur audire. Ex quo perspicuum est, ubi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccantes, qui a Domino corrigantur.

(Vers. 27.) *Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Qui audit, audiat : et qui quiescit, quiescat : quia domus exasperans est.* Illud quod in Ecclesiaste legimus : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccles.* III), etiam in sermone prophetico comprobatur : quod ejusdem sit sapientiæ et tacere et loqui pro tempore, et dare conservis suis in tempore suo cibaria. Unde et Isaias ad populum non credentem : *Tacui, numquid semper tacebo? dicit Dominus* (*Isai.* LXV). Qui igitur ob multitudinem peccatorum diu clausum os tenuit : quia vidit aliquos posse converti, de quibus dictum est : *Qui audit audiat*, et qui a malis quiescit quiescat, et desinat : idcirco aperto ore, et non propria voluntate, sed Domini jussione loquitur ad populum. Id autem quod nos posuimus : *Qui audit audiat : et qui quiescit, quiescat :* pro quo LXX interpretati sunt : *Qui audit audiat : et qui incredulus est, incredulus sit :* secunda Aquilæ editio ita transtulit : *Qui audit* **37** *audietur : et qui relinquit, relinquetur.* Et est sensus : *Qui habet dabitur ei : qui autem non habet, etiam id quod videtur habere auferetur ab eo* (*Marc.* IV, 25).

(Cap. IV. — Vers. 1, 2.) *Et tu, fili hominis, sume, tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in giro.* Sicut prius diximus : *Intra et includere in medio domus tuæ, et ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te, et non egredieris*, typum esse prophetam futuræ obsidionis urbis Jerusalem : ita nunc Geometrica jubetur in latere arte describere, ipsumque laterem poni in conspectu prophetæ, ut postquam

[a] Antea vitiose erat, *qui dixerat.*
[b] Cum Victorio ex Florent. codd., *amaritudinis* et *contentionis* reponimus, concinniori sensu : pro quo antea erat *amaritudines* et *contentiones.*

descripserit in pulvere Jerusalem, omnem adversum eam pingat obsidionem; adumbrans munitiones, et comportatos aggeres, et coronam vallantis exercitus, et arietes in circuitu, per quæ omnia urbes capi solent. Munitiones dicuntur, quibus urbs claditur, ne quis obsessorum possit effugere : comportati aggeres, quibus vallum fossæque complentur : castra, militum custodiæ per circuitum : arietes quibus murorum fundamenta quatiuntur, et lapidum junctura dissolvitur. Hoc autem dicitur, ut significetur urbis Jerusalem sub Sedecia vicina captivitas : cujus anno undecimo et rex, et civitas capta est. Pro latere, qui Græce dicitur genere feminino ἡ πλίνθος, Symmachus manifestius interpretatus est πλίνθιον, quem nos *laterculum* et *abacum* appellare possumus. In cujus pulvere solent geometræ γραμμὰς, id est, *lineas*, *radios*que describere. Ex quo quidam volunt, non absurdum esse etiam hujus doctrinæ habere scientiam (illa exempla replicantes, quod Jesus filius Nave exploratores miserit, qui terram describerent (*Jos.* II) quæ proprie vocatur Geometria : et Angelus in Zacharia habuerit funiculum Geometricum ad Jerusalem metiendam (*Zach.* II). Et quod nunc jubetur Propheta Jerusalem in pulvere describere (quæ apud eos proprie [a] appellatur σκηνογραφία) possumus laterem et in sugillationem Israelis accipere, quod in luto, et latere servierit Pharaoni (*Exod.* I). Sive ut urbs, quam putabant esse firmam et inexpugnabilem, fragilissimo lateri comparetur, qui ad tactum aquæ illico solvitur, ut de qua prius dictum est : *numquid petra* **38** *durissima, vel* [Al. *quia*] *deserti mons est filiæ Sion*, vertatur in laterem, qui inundatione Babylonia corrumpatur; juxta illud quod scriptum est : *Propterea adducet Dominus super vos aquas multas et fortes, regem Assyriorum* (*Isa.* VIII, 7).

(Vers. 3.) *Et tu sume tibi sartaginem ferream ; et pones eam murum* [Vulg. *in murum*] *ferreum inter te, et inter civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam. Signum domui Israel est.* Quod supra diximus, et ipsum prophetam, et descriptionem lateris, munitionibus, aggere, arietibusque circumdantem [*Al.* circumdatis], in signum præcedere obsidendæ Jerusalem, hoc nunc manifestius dicitur, post multa quæ media sunt : *Signum est domui Israel*, sartago ferrea, quæ instar muri inter prophetam et urbem ponitur, grandem iram demonstrat Dei, quæ nullis precibus fatigetur, nec flectatur ad misericordiam. Sicut enim omnia metalla ferrum domat, nihilque eo durius est, sic incredibilia scelera Jerusalem, Deum natura mollem suo vitio fecerunt esse durissimum. Sartago quoque dicitur medius inter populum et Deum murus oppositus, ut ostendat omnem multitudinem in brevi esse frangendam, redigendamque ad nihilum. Obfirmatio autem vultus contra urbem, severitatis indicium est : juxta illud quod alibi scriptum legimus : *Facies Domini super facientes mala; ut disperdat de terra memoriam eorum* (*Ps.* XXXIII, 17).

(Vers. 4 seqq.) *Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos, et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo, et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Quæramus qui sint anni trecenti nonaginta, qui pro diebus totidem supputentur, quibus in sinistro latere propheta dormierit vinctus atque constrictus; ita ut in latus se alterum non moveret, captivitatem et miserias decem tribuum, id est, Israelis ostendens. Et qui alii quadraginta anni, quibus pro Juda et iniquitatibus ejus in dextro jacuerit latere, sive ut narrat sancta Scriptura, *dormierit*, de Israel hoc dicendum est, **39** quod sub rege Phacee filio Romeliæ, qui undevicesimus regnavit in Israel annis viginti, venit Teglatphalasar rex Assur (IV *Reg.* XV), et cepit Ajon, et Abel, domum Maacham, et Janoe, et Cedes, Azor et Galaad, et Galilæam, et universam terram Nephthalim, et transtulit eos in Assyrios. Post quem regnavit in Israel Osee filius Ela annis novem, captusque est cum omni Samaria a Salmanassar rege Assyriorum, et translatus est in Elam, et Abor fluvios Gozam in civitatibus Medorum. Sexto autem Ezechiæ regis anno, ut sancta Regum narrat historia (*Ibid.*, XVII), captus est Osee : a quo si per ordinem supputemus, quot annis Israel fuerit in angustia et jugo pressus captivitatis, sic invenire poterimus. A sexto anno usque ad vicesimum nonum (tot enim Ezechias regnavit annis) supputantur anni viginti quatuor : cui successit Manasses, regnavitque annis quinquaginta quinque. Post hunc Amon regnavit annis duobus. Post quem Josias annis triginta et [b] duobus. Cui successit Joacim, qui et Eliacim cognominatus est, et regnavit annis undecim. Post quem Joachin cognomento Jechonias, qui statim ductus est in captivitatem, regnavitque pro eo Sedecias annis undecim, sub quo capta est Jerusalem templumque destructum. Fiunt itaque a

[a] Hoc modo legunt mss. codices ; editi autem libri σκιογραφία pro σκηνογραφία retinent. Est autem *scenographia* ex Vitruv. : *Frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus* : quod perfecte convenit loco præsenti Ezechielis describentis Jerusalem in pulvere. MART.

[b] Victorius ait : Triginta et uno, non triginta duobus annis Josias regnavit, IV Reg. XXII; II Paral. XXXIV, apud omnes. Verum nihil immutatum, quia numerorum, quos supputat, ratio non responderet, si adimeretur unus. Eo enim adempto non 164, sed 163, nec 155, sed 134, essent, et ita prophetico numero 390 unus deesset annus. Nec propterea pulcs sanctissimum virum lapsum memoria, imperfectum enim annum pro perfecto sumit : et ea est causa, quod in totius summa non annos 390, sed 389 et menses quatuor supputat. At Scriptura sacra integros tantum in vita Regum, non autem imperfectos numerat annos. Vixisse autem Josiam menses aliquot super unum et trigesimum annum, aliunde vir sanctus historiam hausit.

prima captivitate Israel, quæ facta est sub rege Phacee usque ad undecimum annum Sedeciæ, quo Templum desolatum est, anni centum sexaginta [*Al.* septuaginta] quatuor. A secunda, quando captus est Osee, et omnis subversa Samaria, anni centum triginta quinque [*Al.* octoginta]. Fueruntque desolationis templi anni septuaginta, qui additi primæ captivitati, faciunt annos ducentos triginta quatuor. In secundo enim Darii regis Persarum anno templum exstructum est a Zorobabel filio Salathiel, et Jesu filio Josedec, prophetantibus Aggæo et Zacharia, qui regnavit annis triginta sex : unoque sublato, adduntur anni ejus triginta quinque. Post quem regnavit Xerxes filius Darii, annis viginti. **40** Post quem Artabanus mensibus septem. Et [a] Xerxes, qui cognominabatur Μακρόχειρ, annis quadraginta. Post quem Xerxes mensibus duobus, et Sogdianus mensibus septem [*Al.* quatuor]. Cui successit Darius cognomento Νόθος, qui regnavit annis decem et novem. Post quem Artaxerxes cognomento Μνήμων [*Al.* Memnon], Darii et Parisatidis filius, regnavit annis quadraginta, qui ab Hebræis Assuerus appellatur; sub quo Mardochei et Esther narratur historia (*Esther* VIII) : quando omnis populus Judæorum de mortis periculo liberatus, recepit pristinam libertatem. Fiuntque a secundo anno Darii usque ad extremum annum Assueri, anni centum quinquaginta quinque, menses quatuor. Qui additi superioribus annis ducentis triginta quatuor, faciunt annos trecentos octoginta novem, et menses quatuor. Dextri autem lateris dormitio, id est annorum quadraginta, facile supputantur. Post Eliacim enim qui cognominatus est Joacim, regnavit filius ejus Joachin cognomento Jechonias mensibus tribus. Quo regnante, « ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis, in Jerusalem, et circumdata est munitionibus : venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem, cum servi ejus oppugnarent eam. Et egressus est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse et mater ejus, et servi ejus, et principes ejus, et eunuchi ejus, et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui, et protulit omnes inde thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ. » Et post paulum : « Transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem, et omnem artificem, et inclusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ (*Ibid.*). » Quo capto cum infinita populi multitudine, et cunctis opibus Jerusalem, regnavit Sedeciasannis undecim : sub quo capta urbs, templumque destructum est. Cujus solitudo usque ad secundum Darii annum, permansit annis septuaginta. **41** Tricesimo autem desolationis templi anno, Cyrus regnavit in Persis, subverso Astyage rege Medorum : qui juxta prophetiam Isaiæ (*Isai.* XLV), quinquaginta ferme hominum millia de tribu Juda remisit in Jerusalem, et vasa templi, quæ Nabuchodonosor asportaverat, et cætera quæ Ezræ narrat historia (III *Esdræ* I). Sicut igitur in Israel, hoc est, decem tribubus a Phacee rege Israel, sub quo Salmanasar Israelitici populi multa vastavit, usque ad quadragesimum annum Assueri, supputamus annos trecentos nonaginta, quando universi Judaici populi persecutio mitigata est : sic a primo anno Jechoniæ, quando magna pars Jerusalem translata est in Babylonem, usque ad primum Cyri regis Persarum annum, qui desolationis templi erat annus tricesimus, supputantur anni quadraginta, sub quo Judæorum laxata captivitas est, et libertas populo reddita. Quidam trecentos nonaginta annos Israelis, et quadraginta Judæ jungentes, faciunt annos quadringentos triginta, et volunt eos impleri a baptismate Salvatoris, usque ad consummationem mundi. Alii vero, et maxime Judæi, a secundo anno Vespasiani, quando Jerusalem a Romanis capta, templumque subversum est, supputari volunt in tribulatione, et angustia, et captivitatis jugo populi constituti, annos quadringentos triginta; et sic redire populum ad pristinum statum : ut quomodo filii Israel quadringentis triginta annis fuerunt in Ægypto, sic et in eodem numero finiatur extrema captivitas : scriptumque esse in Exodo : *Habitatio autem filiorum Israel, qua habitaverunt in terra Ægypti, anni quadringenti triginta.* Et iterum : *Factum est post annos quadringentos triginta, egressus est omnis exercitus Domini nocte.* Satisque miror cur Vulgata exemplaria *centum nonaginta annos* habeant, et in quibusdam scriptum sit, *centum quinquaginta* : cum perspicue et Hebraicum, et Aquila, Symmachusque et Theodotio, *trecentos nonaginta annos* [b] teneant; et apud ipsos LXX, qui tamen non sunt scriptorum vitio depravati, idem numerus reperiatur. Difficillimam quæstionem, et ne dicam superbe, a nullo **42** explanatam, non tam nostri scientia, quam Domini gratia exposuisse nos credimus, impleto illo, quod ipse pollicitus est : *Quærite, et invenietis : petite et accipietis : pulsate et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Qui autem voluerit supputare a prima captivitate quæ facta est sub Manahen filio Gaddi rege Israel, qui regnavit in Samaria annis decem (IV *Reg.* XV) : quando venit Phul rex Assyriorum in terram Israel, et mille talenta accepit argenti; et post eum alios duos annos Phacee, quos [*Al.* qui] regnavit in Israel, inveniet, vicesimo octavo anno regis Assueri compleri trecentos nonaginta annos, quando Esther fertur historia : quod et credibilius est. Neque enim finito imperio Assueri, sed adhuc regnante eo, Israel jugum gravissimæ servitutis abjecit.

[a] Hic notior sub Artaxerxis est nomine, quo illum Hieron. ipse in cap. Daniel. VII vocat.

[b] Immo *dies*, non *annos* habent ad Hebræum, שלש־מאות ותשעים יום, tametsi dies pro annis habendos non inficior. Cæterum de LXX quæ eorum nunc obtinet, lectio est ἐννενήκοντα καὶ ἑκατὸν ἡμέρας *nonaginta et centum dies*, sed in aliis codd. et cum primis Complutensi, τριακοσίων ponitur ante ἐννενήκοντα. Consule edit. Romanæ in hunc τῶν LXX locum notas.

(Vers. 7.) *Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit exertum* [Vulg. *extentum*], *et prophetabis adversum eam.* LXX : *Et ad conclusionem Jerusalem parabis faciem tuam, et brachium tuum roborabis, et prophetabis super eam.* Præparatione vultus opus est ac robore, et confirmatione exerti brachii atque nudati, ut non solum voce, sed et gestu, et habitu prophetantis, urbis obsidio demonstretur.

(Vers. 8.) *Ecce circumdedi te vinculis, et non te convertes de latere tuo in latus alterum, donec compleas dies obsidionis* (vel *conclusionis*) *tuæ.* Sinistræ partes, quia sine templo, et notitiæ Dei fuerant in Samaria, delegantur Israeli ; dextræ, Judæ, in quo [*Al.* qua] Dei cultus et religio. Et notandum quod in altero sit pœna peccantium, in altero virtutis exercitatio. Nec convertit se de altero in alterum latus, ut nulla cruciatuum requies indicetur ; donec impleatur supradictorum dierum perfecta conclusio. Quod dies prophetæ, hoc annus est patientibus (*Genes.* XXIX). Et quos annos putabat Laban, Jacob erant quasi pauci dies. Non solum autem in suppliciis varietas est pro diversitate meritorum ; sed in bonorum quoque retributione, agni in dextra, et hædi stant in sinistra. Unde et in alio loco scriptum est : *Cor sapientis in dextra ejus, cor autem stulti in sinistra ejus* (*Eccli.* x, 1). Alia sunt Domini vincula, quibus in salutem ligamur ; **43** alia diaboli, quibus decem et octo annis ligaverat mulierem in Evangelio (*Luc.* XIII).. Unde et *funibus peccatorum uorum unusquisque constringitur* (*Prov.* v, 22). Quæ solvit Dominus per typum Lazari suscitati, qui fasciolis, et institis vinctus jacuerat in sepulcro (*Joan.* XI).

(Vers. 9 seqq.) *Et tu sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et vitiam : et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum : trecentis et nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die : a tempore usque ad tempus comedes illud. Et aquam in mensura bibes sextam partem Hin, a tempore usque ad tempus bibes illud. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud, et stercore humano operies illud in oculis eorum.* Quam nos vitiam interpretati sumus, pro quo in Hebræo dicitur CHASAMIM (כסמים) : Septuaginta Theodotioque posuerunt ὄλυραν, quam alii *avenam*, alii *sigalam* [a] putant. Aquilæ autem prima editio et Symmachus ζέας, sive ζείας interpretati sunt: quas nos vel *far*, vel gentili Italiæ Pannoniæque sermone, *spicam*, *speltam*que dicimus. In vase quoque Septuaginta addidere *fictili*, jubetur autem propheta famem futuram, et inopiam populi Israel opere demonstrare. Sicut enim in rerum omnium penuria, non quæruntur ciborum diversitates et deliciæ ; sed quomodo venter impleatur : sic nunc propheta frumentum, et hordeum, fabam, lentem, et milium, avenamque mittit in unum vas, facitque trecentos nonaginta panes, quos per singulos dies comedat : qui panes habent vicenos siclos, id est, stateres. Siclus autem, [b] id est, stater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo, Latinam unciam faciunt : ita ut unus panis decem uncias habere dicatur, quo trahitur magis anima quam sustentatur. Sterilitatem cibi, aquæ auget sterilitas. Sextam enim partem mensuræ Hebraicæ, quæ appellatur HIN, jubetur per singulos dies bibere. Porro HIN duos χόας Atticos facit : **44** quos nos appellare possumus *duos sextarios* Italicos, ita ut HIN mensura sit Judaici sextarii, nostrique castrensis, cujus sexta pars facit tertiam partem sextarii Italici. Qui cibus et potus juxta inclytum Oratorem non vires tribuit, sed mortem prohibet. Quod autem dicit : *A tempore usque ad tempus comedes*, vel *bibes*, illud, a vespere usque ad vesperam significat : licet quidam male ab anno usque ad annum intelligi putent. Ipsique panes instar hordeacii panis subcinericii fiunt. Diciturque ei, ut humano stercore operiat eos, non ignorantibus his qui comessuri sunt (solet quippe inscitia miserias temperare) sed videntibus, et in oculis eorum, ut ante aspectus horrorem, quam gustus nauseam sustineat. Notandum quoque, quod juxta numerum dierum sinistri lateris, trecenti nonaginta subcinericii panes jubeantur fieri, et per singulos dies comedi ; et de quadraginta dierum dextri lateris panibus omnino taceatur : ut occulte sancta Scriptura insinuet, non eamdem pœnam populi esse peccatoris, si tamen notitiam habeat Dei, et ejus qui a religione veri Dei omnino discesserit. Possumus autem et hoc dicere juxta intelligentiam spiritualem, quod Judaicus populus post offensam Dei usque hodie subcinericios panes comedat mixtos frumento, hordeo, faba, lente, milio, et avena ; quorum alter hominum, alter jumentorum cibus est. In eo enim quod videntur in unum Deum credere, habent aliquid et frumenti. Quod autem Filium negant, hordeo jumentorum pascuntur et fabis, quibus comedentium venter inflatur, et mens opprimi dicitur : intantum ut Pythagoræis quoque cibus detestabilis sit. Propter lentem Esau primogenita perdidit (*Genes.* XXV). Milium rusticorum, et agrestium, et altilium cibus est. Avena, sive vitia et olyra, bruta pascuntur animalia. Quod autem scribitur, juxta LXX, Elias fugiens Jezabel invenisse panem ὀλυρίτην, *subcinericium* (III *Reg.* XIX), persecutionis tum, unde sponte ruit illa præcipue Rabbinorum sententia de duplici siclo profano et sacro, quem duplo majoris pretii fuisse putant supra vulgarem, de quo hic loci Hieronymum loqui contendunt. At istud discrimen neque Hieronymus, neque Josephus agnovere; neque ex ipsa Scriptura extundi satis commode potest.

[a] In aliis libris *secalem*, ms. Sangerm. antiquiss. *sicalam*. Vid. superiori tomo in Isai. XXVIII, 25. Confer et Lexica vetera, et præcipue Hesychium. Drusius ex Rab. David in lib. Radicum כסמת, *spelta*. Et in Comment. in hunc locum, כסמים, vulgo, inquit, שיגלי, id est, *secale*.

[b] Consentit Josephus lib. III, cap. 9, Antiquita-

et penuriæ signum est. Unde et a [a] corvis pascitur, ut quia **45** cibum non invenerat in Israel, nationum quæ immundæ erant, pasceretur alimentis. Lex quoque ipsa quam legunt, et non intelligunt, subcinericius panis est, et opertus humano stercore. Quamobrem et Paulus apostolus lucra Legis, et pristinarum cæremoniarum observantiam dicit se habuisse sicut stercora, ut Christum lucrifaceret (*Philipp.* III).

(Vers. 13 seqq.) *Et dixit Dominus : Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos. Et dixi, ah, ah, ah, Domine Deus : Ecce anima mea non est polluta, et morticinium, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. Et dixit ad me : Ecce dedi tibi fimum, boum pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in eo.* Prophetas juxta Zachariam (*Zach.* III) viros esse portentosos, qui suis operibus futura portendant, et de quibus loquitur Deus : *In manibus Prophetarum assimilatus sum* (*Osee* XII, 10), in multis locis creberrime legimus. Sicut igitur Ezechiel panem comedit in stercore : sic et filii Israel, vel omnis populus Judæorum, sive ut alii putant, decem tribus comedent [*Al.* comedebant] panem pollutum in nationibus : licet ad eos non sit comminatio, qui jam ejecti sunt ; sed ad eos qui ejiciendi sunt de terra repromissionis. Quod cum Propheta didicisset, juxta Aquilam tertio detestatus est, *ah, ah, ah.* Juxta Symmachum vero et LXX, respondit μηδαμῶς, quod Latine dicitur *nequaquam.* Pro quo Theodotio transtulit : *O Domine Deus.* Ne putemus eum contradicere Domini imperio ; sed causas reddere, immo deprecari, cur hoc facere non possit. Denique impetrat quod rogavit, et sententiæ austeritas mitiori imperio temperata est. Quæritur cur Ezechiel faciliora renuerit : et Osee scorto statim fuerit copulatus (*Ibid.*, I), nec contradixerit, immo nec responderit, castum habere se corpus, neque commixtione meretricis debere maculari, dicente Apostolo : *Qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur* (I *Cor.* VI, 16). Ex quo ostenditur figuram fuisse Synagogæ, vel Ecclesiæ, non vere juxta litteram perpetratum : quod ipsum exponentes prophetam plenius disseruimus. Morticinium dicitur, quod absque effusione sanguinis amittit vitam, et in quo moritur anima, laceratum a bestiis, quod Græce appellatur **46** θηριάλωτον. Quod autem pro humano stercore, boum conceditur fimus, leviora significantur mala : dum jubentur quidem coctum in bubulo stercore comedere panem ; sed ab humani stercoris longe esse immunditia : et usque hodie in populo Judæorum servatur ista sententia, ut non comedant panem suum in humano stercore. Neque enim idolis serviunt, nec varia dæmonum portenta venerantur ; sed in fimo bubulo : dum omnia A propter carnem et ventrem, et terræ hujus bona operantur, secundum quod dicitur : *Qui fecerit ea, vivet in eis* (*Levit.* XVIII, 5 ; *Deut.* IV). Nos autem terrena contemnimus, et non solum humani stercoris calcamus cibos, ac terrenas delicias putamus esse pro nihilo, sed comedimus panem qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), et fruimur illo cibo, de quo Psalmista decantat : *Panem Angelorum comedit homo* (*Psal.* LXXVII, 25) ; nequaquam Ægyptiis carnibus, sed mannæ tenuitate viventes.

(Vers. 16, 17.) *Et dixit ad me : Fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, et comedent panem in pondere, et in sollicitudine, et aquam in mensura et angustia bibent ; ut deficientibus pane et aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant* B *in iniquitatibus suis.* Verbum Hebraicum MATE (מטה), prima Aquilæ editio *baculum*, secunda et Symmachus Theodotioque στερέωμα, id est, *firmamentum* interpretati sunt. Quod autem opere futurum esse monstraverat, et sermone demonstrat, omnisque sinistri et dextri lateris dormitio, et subcinericii panis, sexque specierum varietate commixti, mundi mala significans, illo tendit, ut inediam ciborum in Jerusalem, et aquæ penuriam incredibilem protestetur : ita ut unusquisque corruat ad fratrem suum, ab alio auxilium sperans, quod in se esse non pervidet [*Al.* prævidet]. Natura enim hominum est, ut prementibus malis et angustiarum pondere, in proximo magis quam in se habeant fiduciam : contabescuntque in iniquitatibus suis, dum pro iniquitatibus cuncta patiuntur. Vereorque ne ista panis contritio etiam in C nostra inveniatur Jerusalem, in qua visio pacis cernitur, quem conterit Dominus quando irascitur, et indignos nos suo judicat pane. Atque utinam saltem in pondere eum et sollicitudine mereamur accipere, et arentem linguam nimia siccitate, extremus Lazari **47** digitus irroret (*Luc.* XVI). Deficiente autem pane et aqua Ecclesiæ, corruet vir contra fratrem suum, et ubique discordia est, scindentibus nobis Christi tunicam, quam nec milites in passione Salvatoris scindere ausi sunt (*Joan.* XIX) ; et contabescentibus in iniquitatibus nostris, dum Dei justitiam non habemus. Scriptum est in Jeremia, quod parvuli, id est, vulgus Ecclesiæ petierint panem, et non fuerit qui eis frangeret (*Thren.* IV, 4). Paulus vero D qui vir **48** [b] Ecclesiæ erat, et sciebat Christum panes fregisse legales, ac dedisse discipulis erogandos, loquitur confidenter : *Panem quem frangimus, nonne communicatio est Corporis Christi ?* (I *Cor.* X, 16.) Baculumque vel fortitudinem panis comedere non possunt, qui lacte infantiæ indigent, nec valent accipere solidum cibum. Nihilque ita vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ, de quo scriptum est : *Et panis confirmat cor hominis* (*Psal.* CLXXXIII, 15).

[a] Confer Commentarios in cap. XV Isaiæ, ubi corvos illos aves negare videtur fuisse, sed homines, qui Eliam pasti sunt. Vide et quæ ibi nos annotavimus.

[b] Vox *Ecclesia* in aliis libris desideratur.

# LIBER SECUNDUS.

**47** Secundi explanationum in Ezechiel voluminis, o virgo Christi Eustochium, istud est exordium.

(Cap. V. — Vers. 1 seqq.) *Et tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum,* [a] *quasi novaculam tonsorum* (sive *radentem pilos*), [b] *et trahe per caput tuum, et barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos. Tertiam partem igne combures in medio civitatis, juxta completionem dierum conclusionis* [Vulg. *obsidionis*], *et tertiam partem concides gladio in circuitu ejus; tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii, et ex eis rursum tolles, et projicies eos in medium ignis, et combures eos. Ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.* Pro tribus partibus capillorum et pilorum, quarum una comburitur in medio civitatis, alia conciditur gladio in circuitu ejus, tertia vento huc illucque rapienda dispergitur, de qua parum assumitur, et ligatur in ora pallii, et rursum modicum quid partis tertiæ emittitur in ignem, de quo egreditur flamma in omnem domum Israel, LXX quatuor partes interpretati sunt. Cumque dixissent : *Quartam partem igni combures in medio civitatis, et quartam concides gladio in* **48** *circuitu ejus, et quartam disperges in ventum,* quia remanebat eis quarta pars alia, addiderunt de suo : *Et quartam partem assumes, et combures eam in medio civitatis :* quasi non sit ipsa quæ prima, et aliud quid in prima dixerit, aliud in ista quæ addita est. Denique et in consequentibus aenigma capillorum in tres partes divisorum, ipse Dominus edisserit per Prophetam, dicens : *Tertia tui pars peste morietur, et fame consumetur in medio tui,* famem et pestilentiam ignem esse significans; *et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo,* foris cædes ac bella describens. *Tertiam vero,* inquit, *partem tuam in omnem ventum dispergam,* eos esse demonstrans qui ducendi sunt in captivitatem. Post quos dicit se nudare vel effundere gladium suum, ut nec captivitas novissimum sit malorum; sumereque de ipsis dispersis atque captivis, et ligare in summitate pallii sui eos qui de captivitate redituri sunt in Jerusalem, et ex ipsis quoque tollere aliquam partem, et igni flammaque consumere, significans Macedonas, sub **49** quibus habitatores Judææ, et præcipue Jerusalem dura perpessi sunt. Quod autem dicit, *ex eo,* id est, populo Judæorum; sive, juxta LXX, *ex ea;* ut subaudiatur, urbe Jerusalem, *egredietur ignis in omnem domum Israel :* Machabæorum narrat historia, quod quædam pars Judæorum se tradiderit Antiocho Epiphani, et eum ad persecutionem populi A concitaverit, et multa alia quæ in eadem scribuntur historia, et in Josephi voluminibus, præcipueque dissensione Hircani et Alexandri, per quorum occasionem Cneus [*Al.* consul] Pompeius cepit Jerusalem, et Romanæ ditioni subdidit : posteaque [*Al.* quæ postea] sub Tito et Vespasiano urbs capta est, templumque subversum. Et post quinquaginta annos, sub Ælio Hadriano usque ad solum incensa civitas atque deleta est, ita ut pristinum quoque nomen amiserit. Quomodo autem in cæsarie et barba pulchritudinis ac virilitatis indicium est, quæ si radantur, fœda nuditas apparet, et universi corporis pars extrema, atque ut ita dicam emortua, in capillis atque pilis est : ita Jerusalem et populus ejus emortuus, et a vivo Dei corpore separatus, fami ac B pestilentiæ et cædi, et gladio, captivitati ac dispersioni traditur. De qua dispersione, sub figura capillorum aliqua pars ligatur in summitate pallii, ut modicum quid rursum tradatur incendio, de quo infinita flamma ac pene universa devastans, egreditur in omnem domum Israel.

(Vers. 5 seqq.) *Hæc dicit Dominus Deus : Ista est Jerusalem : in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras; et contempsit judicia mea, ut plus esset impia quam gentes, et præcepta mea ultra quam terræ quæ in circuitu ejus sunt. Judicia enim mea projecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt.* Jerusalem in medio mundi sitam, hic idem Propheta testatur, umbilicum terræ eam esse demonstrans. Et Psalmista nativitatem exprimens Domini : *Veritas,* inquit, *de terra orta est* (*Ps.* XLVIII, 12). Ac deinceps passionem : *Operatus est,* inquit, *salutem in medio terræ* (*Ps.* LXXIII, 12). A partibus enim Orientis cingitur plaga quæ appellatur Asia. A partibus Occidentis, ejus quæ vocatur Europa. A meridie et austro, Libya et Africa. A Septentrione, Scythis, Armenia atque Perside et cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium **50** posita est, ut qui erat notus in Judæa Deus (*Ps.* LXXV), et in Israel magnum nomen ejus, omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla, quæ gentium circa se positarum impietatem secuta, vicit etiam ipsas in scelere suo. Quod pulchre interpretatus est Symmachus : *Hæc,* inquiens, *Jerusalem, quam in medio nationum posui, et circa eam regiones, commutavit judicia mea impietatibus quas didicit a gentibus, et justificationes meas a regionibus quæ sunt in circuitu ejus : quia legitima mea reprobaverunt, et in judiciis meis non ambulaverunt.* Illud autem quod dixere Septuaginta : *Justificationes meas inique ex*

[a] In Vulg. Hieronymi versione, verba *quasi novaculam tonsorum* non sunt.

[b] Supplet ex Vulgat. edit. Victorius, *et assumes eos, et trahe;* etc., quæ lectio ex Hebraico, Græcoque codicibus confirmatur. Similiter paulo post verbum *assumens,* in eo versu, *et assumens tertiam partem :* et vocem *tui,* cum dicitur *et ligabis eos in summitate pallii tui,* iisdem suppetiis restituit.

*gentibus, et legitima mea de regionibus quæ sunt in circuitu ejus*, non habere consequentiam, etiam me tacente, perspicuum est.

(Vers. 8, 9.) *Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt : in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati : ideo hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui judicia in oculis gentium. Et faciam in te quæ non feci, et quibus similia ultra non faciam, propter omnes abominationes tuas.* Pro eo quod nos interpretati sumus : *Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt*, Symmachus transtulit : *Quia multitudo vestra fuit ex gentibus, quæ in circuitu vestro sunt.* Aquilæ secunda editio : *Eo quod numerati estis in gentibus quæ in circuitu vestro sunt.* Porro Septuaginta : *Quia occasio vestra de gentibus quæ in circuitu vestro sunt.* Et est sensus, vel superasse Jerusalem sceleribus suis cunctas in circuitu nationes, vel multitudinem ejus, non populum Israel, sed turbam cæterarum gentium esse dicendam. Aut certe in numerum cæterarum gentium, quæ in circuitu ejus sunt, eos esse conversos, sive omnem occasionem habuisse de gentibus, quas magis in bonam partem docere debuerint. Quid, inquit, causer quod in præceptis meis non ambulaveritis, et judicia mea non feceritis, cum etiam omnes in circuitu nationes viceritis scelere vestro, et non feceritis quæ illi naturali lege scripta in cordibus suis sæpe fecerunt? Idcirco non per Angelos, neque per aliquos ministros, sed ipse ego faciam in te judicia mea videntibus cunctis quæ ante **51** non feci, et ultra non faciam. Dicens autem *judicia*, ostendit sententiæ veritatem, ne ira mensuram pœnarum videatur excedere. Nec fecit in ulla natione talia qualia fecit in Jerusalem : *Quia servus qui novit voluntatem domini sui et non facit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 48). *Potentesque potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Et *similia*, inquit, *ultra non faciam*. Pulchre dixit, *similia non faciam*. Multo enim post interfectionem Christi duriora facturus est. Aliud est enim coluisse interdum idola propter quæ ante puniti sunt, et aliud Dei Filium trucidasse.

(Vers. 10.) *Idcirco patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos : et faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.* Ad id quod supra dixerat : Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt, sive, pro eo quod occasio vestra est ex gentibus quæ in circuitu vestro sunt, in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, tertio retulit ideo. Primum ita : Ideo hæc dicit Dominus Deus : ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui judicia. Secundo : Ideo patres comedent filios in medio tui. Tertio : Ideo vivo ego, dicit Dominus Deus ; nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et reliqua. Attamen notandum, quod ubi decora sunt et honesta, ac pro merito eorum qui ea sustinent, seipsum Deus facere profitetur. Ubi autem tristia et non digna Deo, dicit quidem fieri, sed non a se, ut in præsenti : *Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos.* Non enim dixit, ego faciam ut patres comedant filios suos in medio tui, et filii comedant patres suos. Quod autem decorum erat, nec Dei majestati videbatur indignum, ipsum se dicit facere. Sequitur enim : *Et Faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.* Tale quid et in maledictis Deuteronomii invenire poterimus, et præcipue in loco illo : *Glorificantes me glorificabo, qui autem me despiciunt, ad nihilum deducentur* (*Deut.* XXVIII). Eos enim qui se glorificant, ipse glorificat. Qui autem eum despiciunt, non a Domino despicientur, vel deducentur ad nihilum (hoc enim sequebatur ut diceret) sed absolute, deducentur ad nihilum : non a Deo, **52** sed pro meritis suis atque peccatis. Legimus in Regum volumine, famis necessitate cogente, a matre filium devoratum (IV *Reg.* VI). Josephus quoque in obsidione Jerusalem, multa hujuscemodi facta commemorat. Quando autem patres filios comederint, vel filii patres, nulla narrat historia, nisi forte in multis necessitatis malis, etiam hæc facta esse credendum sit. Potest hoc ipsum referri et ad nostram Jerusalem : quando magistri contra discipulos, id est, patres contra filios, et discipuli contra magistros, id est, filii adversum patres, seditione mutua concitantur, et impletur illud quod per Apostolum dicitur : *Si autem invicem mordetis et accusatis, videte ne ab invicem consumamini* (*Gal.* V, 15). Unde et Propheta mystico sermone cantabat : *Cum appropinquarent adversum me qui affligunt me, ut comederent carnes meas* (*Ps.* XXVI, 2). Et Job simile quid loquitur : *Si autem dixerunt ancillæ meæ : Quis det nobis de carnibus ejus ut comedamus* (*Job* XXXI)? Et super magistris, qui lucra sectantur de discipulis, salutisque eorum nullam curam gerunt, dicitur : *Qui devorant populum meum sicut cibum panis* (*Ps.* LII, 5). De quibus [a] et Apostolus : *Et comedunt*, inquit, *domos viduarum* (*Luc.* XX ; *Matth.* XXIII). Possumus patres qui comederint filios, et filios qui comederint patres, non solum in Babylonia, sed et in Romana obsidione intelligere. Illud autem quod dicitur : *Et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum*, magis ad Romanam pertinet captivitatem, quando in toto orbe terrarum dispersi sunt. Et hæc est in omnem ventum capillorum barbæque dispersio.

(Vers. 11.) *Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus : nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis :*

[a] Marianus castigat editionem Erasmi, ac pro voce *Apostolus* posuit *Evangelium* ; at hoc modo cum legant mss. codices, intactum contextum Hieronymi relinquimus : potuit etiam sanctus vir non Paulum, sed Matthæum intelligere nomine *Apostolus*. MART.

*ego quoque confringam* (sive, juxta LXX, *abjiciam*) *te, et non parcet oculus meus, et non miserebor.* Proprie hoc ad Jerusalem dicitur, quia sancta mea violasti me deserens, et in templo meo idola coluisti, ego quoque confringam omnia idola tua, et conteram atque concidam, sive abjiciam te, quia prius abjecisti me : et non parcet oculus meus cum te videro, fami, gladio, servituti colla submittere : nec miserebor; quia misericordiam meam non mereris. Scriptum est enim : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7). **53** Hoc idem et in Ecclesia intelligendum est, quod magistris et Sacerdotibus, qui egerint negligenter, possit Deus quotidie dicere : Quia sancta mea violastis in cunctis offensionibus vestris, et in universis abominationibus quæ egistis, ego quoque vos conteram atque confringam, reddamque per me quod in meum populum perpetrastis. De quo contra pastores hic idem Propheta plenius loquitur (*Infra*, XXXIV), quod lanis ovium operiantur et lacte vescantur et caseo, et fractum pecus ac morbidum non requirant.

(Vers. 12, 13.) *Tertia tui pars peste morietur, et fame consumetur in medio tui, et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo. Tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. Et implebo* [ Vulg. *complebo* ] *furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis.* Septuaginta quia supra quatuor partes posuerant, quas in descriptione incendii, gladii et dispersionis tres tantum esse sermo propheticus approbavit, ut superfluo una pars incendii in duas partes divideretur, in hoc quoque loco eamdem primam partem diviserunt in duas, ut dicerent : *Quarta pars tui morte atteretur, et quarta pars tui fame consumetur in medio tui, et quarta pars tui cadet in circuitu tuo, et quartam partem tui in omnem ventum dispergam :* licet hoc quod posuimus : *Et quarta pars tui in gladio cadet*, de Theodotionis editione sub asteriscis additum sit. Perspicuum est autem ut Hebræa veritas continet, tres esse partes. De quarum prima dicatur : *Et tertia tui pars peste morietur, et fame consumetur in medio tui.* Multoque melius fuerat transferre quod scriptum est, quam rei male translatæ patrocinium quærere. Nec hoc dicimus ab illis factum, quibus vetustas auctoritatem dedit : sed per multa sæcula scriptorum atque lectorum vitio depravatum. Quamquam et Aristeus [a] et Josephus, et omnis schola Judæorum, quinque tantum libros Moysi a Septuaginta **54** translatos asserant. De quo capitulo quia supra diximus, nunc omittendum videtur. Hoc tantum addam, quod necessarium est in eo quod ait : *Et implebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis ;* quomodo sentiendus sit furor, et indignatio et zelus Dei, sæpe exposuimus, quod humanis Deus loquatur affectibus : non quo ipse irascatur, sed quo nos per pœnas atque cruciatus Deum sentiamus iratum. Zelus autem sub metaphora viri et uxoris accipiendus, qui quamdiu uxorem diligit, zelotypus est ; si neglexerit, dicit illud quod in consequentibus dicturi sumus : *Zelus meus recedet a te : et ultra non irascar tibi* (*Infra*, LXI, 42). Quodque jungitur : *Et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo*, non illi qui consumpti sunt fame et pestilentia, nec qui gladio ceciderunt in circuitu civitatis, sed illi qui dispergentur in omnem ventum, aliorum mortibus suisque miseriis sentient iratum Deum, quem clementem sentire noluerunt.

(Vers. 14.) *Et dabo te in desertum ;* quodque sequitur : *et in opprobrium gentibus quæ in circuitu tuo sunt*, in Septuaginta non habetur : pro quo addiderunt de suo, *et filias tuas in circuitu tuo.* Rursumque juxta utramque editionem, *in conspectu omnis prætereuntis.* Prodest autem Jerusalem omnia in ea vitia desolari, et ad desertum redigi, et sua eam peccata cognoscere, ut quæ cæteris gentibus in exemplum virtutum esse debuerat, sit exemplum miseriarum. Filias autem ejus, urbes vel viculos intelligere possumus, sive Ecclesias in toto orbe dispersas, ut quicumque hujus peregrinus est sæculi, et dicit cum Psalmista : *Advena sum, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII, 12) ; et de quo dicitur : *Non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos* (*Ps.* CXXVIII, 8), videat opprobrium ejus et doleat.

(Vers. 15.) *Et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in gentibus in circuitu tuo sunt.* Pro quo in Septuaginta legitur : *Et* [b] *erit* στεναχτή, id est *gemibilis.* Et de Theodotione additum est, **55** καὶ [c] δηλαϊστὴ ; cujus verbi notitiam non habemus. Pro quo tres alii interpretes, *blasphemiam* transtulerunt, quæ in Hebraico dicitur GEDDUPHA (גדופה). Sequitur :

*Cum fecero in te judicia in furore, et indignatione, et in increpationibus iræ* [d] *quæ ego Dominus locutus sum.* Gemitu autem dignam Jerusalem, cum offenderet Deum, ut faceret in ea judicia in furore et indignatione, testatur et Paulus, qui dicit : *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Et itererе, non ex suo, sed ex vulgari sensu loquatur.

[a] Scilicet Aristeas lectas coram rege tantum narrat *Scripturas Legis :* Josephus vero luculentissime in Proœm. Antiquit. Legem dumtaxat communicatam ei tradit. οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμπθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, *Neque enim totam Scripturam accipere illi contigit, sed Legem solum ei tradiderunt, qui ad eam interpretandam missi fuerant Alexandriam.* Paria his habet noster in Micheæ cap. II. atque alibi ; ut si quando universum opus Scripturarum a LXX translatum videtur asserere, non ex suo, sed ex vulgari sensu loquatur.

[b] Victor., *eris ;* ex Græco, ἔσῃ.

[c] Vitiose erat δηλαίστη, nec bene reposuerat Drusius δειλαϊστὴ, pro δηλαιστὴ, quod melioris notæ Hieronymiani mss. præferunt cum nostri, tum quos Montfauconius laudat. Sic paulo inferius Δηλαϊστὴν, vel δηλαίαν rescribimus, pro quo mendose obtinebat Δηλαίστην, δαλαίαν.

[d] Voculam *quæ* Victor expungit : legitque præposito puncto, *Ego Dominus*, etc., ex Hebræo codice, Vulgata et Græco.

rum : *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus aggravati* (II *Cor.* v). Loquimurque cum Jerusalem : *iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei.* Δηλαϊστὴν vel δηλαίαν, quidam *infelicem et miseram* : alii *perspicuam* et *expositam ad miserias* intelligi volunt.

(Vers. 16.) *Quando misero sagittas famis pessimas* [ Vulg. addit *in eos* ], *quæ erunt mortiferæ : et quas mittam ut disperdam vos, et famem congregabo super vos, et conteram* [a] *firmamentum* (vel *baculum* ) *panis.* Famem et pestilentiam, et bestias pessimas, et quidquid aliud malorum sustinemus in sæculo, propter nostra venire peccata manifestum est. Unde et fames illa, quæ facta memoratur in Ruth ( *Ruth* I ), et in Regum volumine sub Elia ( III *Reg.* XVII ), quando tribus annis, et sex mensibus cœlum clausum est, et sub Elisæo (IV *Reg.* VI ), cujus incredibilem inopiam repentina abundantia compensavit, Dei judicio missa est. Quod non solum tunc in Jerusalem factum est, sed et in nostra fit Jerusalem, in qua propter magnitudinem peccatorum, primum fames mittitur audiendi sermonem Dei. Deinde famem mors sequitur; ut qui non audivimus : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9), postea sentiamus : *Mors peccatorum pessima est* (*Psal.* XXII ). De firmamento et baculo panis, supra diximus ( *Supra*, IV ).

(Vers. 17.) *Et immittam in vos famem, et bestias pessimas usque ad internecionem : et pestilentia, et sanguis transibunt per te, et gladium inducam super te : ego Dominus locutus sum.* Bestias pessimas induci super terram solitudinis, quæ fame et gladio, et peste vastata est, præsentia quoque ostendunt tempora : quando familiaria animalia canes [*Al.* familiare animal canis ], in dominorum carnes rabie concitantur [*Al.* concitatur], et ursis ac lupis cunctisque aliis generibus bestiarum **56** terra completur : pestilentiamque et sanguinem transire per eam, morbum gladiumque significat. Sed et in nostram Jerusalem mittuntur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum et conscientiam peccatorum, quæ excruciant atque dilacerant animum nostrum (*Rom.* I). Dissensiones, hæreses, schismata, æmulationes, invidiæ, tristitiæ, detractiones, desideria mala, avaritia, quæ est radix omnium malorum (II *Cor.* XII), bestiæ pessimæ sunt. Quæ cum fuerint in nobis, meremur audire : *Corripiet te prævaricatio tua* (*Jerem.*) Precamurque et dicimus : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Ps.* LXXIII, 19).

( Cap. VI. — Vers. 1 seqq. ) *Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos. Et dices : Montes Israel, audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus.* Quod sæpe in hoc Propheta dicitur *Adonai Dominus*, propter Græcos et Latinos, qui Hebrææ linguæ non habent scientiam, breviter exponendum videtur. ADONAI (אדני) unum nomen est de decem vocabulis Dei, et significat *Dominum*, quo sæpe et in hominibus utimur. Denique et Sara vocans Abraham dominum suum, hoc vocabat nomine (*Gen.* XVIII). Et ubi dicitur *Domine mi rex, Adonai* ( *Exod.* XXVIII) scriptum est. Quando igitur duo, Domini et Domini juncta sunt nomina, prius nomen commune est, secundum proprie Dei, quod appellatur ἄῤῥητον (יהוה) id est, *ineffabile*, quod et scriptum fuit in lamina aurea, quæ erat in fronte pontificis. Montes autem Israel, qui simulacris dæmonum fuerant occupati, non auribus, sed imperio ac potentia conditoris suum audiunt et intelligunt Creatorem. Quomodo mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum ( *Ps.* CXIII) : non utique carnis oculis quibus carebat. Et ad mare dicitur : *Tace, obmutesce* (*Marc.* IV, 39). Et ventorum flatibus imperatur; jubeturque vermi, qui Jonæ percussit umbraculum (*Jon.* IV). Et de eadem terra scriptum est : *Qui respicit terram, et facit eam tremere* (*Ps.* CIII, 32). Ad quos Propheta loquitur indicans idola destruenda et aras, universasque cærenonias **57** quibus prius idolis servierant conterendas. Possumus montes Israel et principes accipere eos, qui potentia, sapientiaque, et scientia ac divitiis præcellebant. Et hoc animadvertendum, quod obfirmatur quidem facies, et ponitur contra montes : sed nequaquam solis montibus, sed et collibus loquitur, et rupibus et vallibus, in quibus inferior dignitas, et gradus prudentiæ scientiæque cognoscitur. Videntur mihi tropologice montes esse, qui ad perfectam scientiam pervenerunt ; colles, qui paulo inferiores sunt; rupes, qui nullam habentes scientiam, et tantum in conversatione fidentes, aliqua sibi de Scripturarum interpretatione præsumunt, habentes juxta Apostolum zelum Dei, sed non secundum scientiam ( *Rom.* X ; *Jacob.* III ); valles autem appellari novissimos in Ecclesia, qui et vita et scientia inferiores, tamen de conventu [b] familiæ Dominicæ non recedunt. Qui omnes verbum Dei jubentur audire, ut unusquisque pro suo modulo, et sensu intelligat quid Dominus præcipiat.

(Vers. *4*, 5.) *Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra. Et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra. Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum : et dispergam ossa vestra circa aras vestras in omnibus habitationibus vestris.* Montibus dicitur [*Al.* dicit] Israel quod disperdat Deus excelsa eorum, in quibus adorabant homines fictos deos, et aras simulacraque confringat, et cultores eorum in conspectu fanorum interfici faciat; ut jaceant cadavera mortuorum ubi prius jacebant hostiæ; et dispergantur ossa, non montium, sed eorum qui jacebant in montibus, in circuitu ararum, et in cunctis urbibus viculisque Israel. Hoc juxta litteram. Alioquin et super eos qui eriguntur in superbiam, et de quibus Apostolus loquitur : *Scientia inflat*, *charitas autem ædificat*

[a] Idem interserit *in vobis*, ex Hebr. et Vulg. editione.

[b] Penes Raban., *de conventu Dominico non recedunt.*

(I *Cor.* VIII, 1), inducitur gladius, ut omnia eorum simulacra, quæ de suo finxerunt animo, conterantur, et interfecti jaceant, et mortuos se esse sentiant, nihil sibi simulacra sua atque figmenta prodesse cernentes. Quodque dispergere se dicit ossa montium circa aras, fortissimos quosque eorum a se mutuo **58** indicat separandos. Prodest enim perversæ scientiæ malos a malis dividi. Et ut illi qui consensu pessimo ædificabant turrem, pro utilitate propria dissipati sunt, divisæque linguæ eorum (*Gen.* XI), ne consensus pessimus pejores eos faceret; ita ossa montium dispergentur [*Al.* dispergantur], ut vanos conatus suos intelligant. Hoc quod nos posuimus : *Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum*, in Septuaginta non habetur.

(Vers. 6, 7.) *Urbes desertæ erunt, et excelsa demolientur ; et dissipabuntur et interibunt aræ vestræ, et confringentur et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra. Et cadet interfectus in medio vestri, et scietis quia ego Dominus.* Causa perspicua cur urbes montium deserendæ sint : scilicet ut demoliantur excelsa, aræque et idola destruantur, et delubra pereant, et omnis simulacrorum cultura desistat ; cadantque interfecti in medio montium ; et sciant quoniam ipse sit Dominus. Per quæ occasio nobis datur, spiritualem magis intelligentiam sequi, ut urbes hæreticorum, quæ interpretantur Ecclesiæ, et excelsa superbiæ eorum, et aræ perversorum dogmatum confringantur, et idola pereant, quæ de suo sibi corde simularant, et conterantur delubra, non templa, quæ contra templum Domini surrexerant, Græcoque sermone appellantur τεμένη, id est, fana atque delubra et omnia opera montium conterantur, quæ [*Al.* quia] non opera Dei sunt, sed magistrorum falsæ scientiæ. Cumque ceciderint interfecti in medio montium, vel quos ipsi montes interfecerant, vel Ecclesiastici viri, qui eos male viventes in salutem suam occiderant : tunc finis erit montium superborum, ut cognoscant quod ipse sit Dominus. Potest autem fieri ut de uno populo montium Israel, aliis interfectis, cognoscant alii. *Pestilente enim flagellato, stultus astutior erit* (*Prov.* XIX, 25).

(Vers. 8.) *Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terras : et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt.* Illud quod Dominus loquitur ad Eliam : *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genu Baal* (III *Reg.* XIX, 18) : et Paulus apostolus scribit : *Et nunc in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ* **59** *salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5), potest huic capitulo convenire. Et Apostoli enim, qui erant de semine Israël, et gladium fugerant, idcirco sunt reservati, ut dispergerentur in terras [*Al.* terris], et in gentibus Evangelium prædicarent, ac recordarentur in gentibus Dei, in quibus captivitatis tempore versabantur. Potest autem et hoc dici, quod ideo aliqui de captivitate Judaica reservati sint [*Al.* reservandi sunt], ut in gentibus recordarentur nominis ejus, illiusque potentiam prædicarent. De hæreticorum quoque populis, qui evadere potuerint gladium perditionis eorum, et pessimam factionem, quæ contra Deum fuerat concitata, huc illucque dispersi, recordabuntur hominis Dei, agentes pœnitentiam, et captos se a viris ecclesiasticis exsultabunt.

(Vers. 9, 10.) *Quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, et oculos eorum fornicantes post idola sua. Et displicebunt sibimet super malis, quæ fecerant in universis abominationibus suis. Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.* Multa de hoc capitulo a LXX prætermissa sunt, illudque mutatum, *juravi cordi eorum fornicanti :* pro quo nos posuimus : *contrivi cor eorum fornicans.* Juravit autem atque decrevit se facturum esse quæ opere monstravit ; sive contrivit fornicans cor et recedens a Deo, eorum de quibus per Osee Dominus loquitur : *Spiritu fornicationis seducti sunt* (*Osee* IV, 12). Et oculos fornicantes post idola, per quorum fenestras mors intrasse perhibetur. Quam ob causam et in Daniele duo presbyteri præceperunt revelari Susannam, ut nudati corporis decore fruerentur (*Dan.* XIII). Nec frustra locutus est Dominus, ut faceret malum vel mala, quando ad comminationem ejus agunt pœnitentiam qui sententiæ subjacebant. Sin autem cor durum sit et indomabile, ne per pœnas quidem sentiens beneficia corrigentis, dicitur ad eos : *Sine causa percussi filios vestros : disciplinam non recepistis.* (*Jer.* II, 30). Prodest autem et hæreticis, ut conteratur cor eorum, thesaurus pessimus dogmatum perversorum, quia recessit a Domino, et fornicantes oculi post adinventiones suas. Qui cum Domini fuerint recordati, displicebunt sibi in universis abominationibus suis, et intelligentes veræ fidei veritatem, scient quia ipse sit **60** Dominus. Qui idcirco sæpe infert tribulationem, quæ patientibus perniciosa videtur et pessima, ut ad pœnitudinem convertantur.

(Vers. 11.) *Hæc dicit Dominus Deus : percute manu tua, et allide pedem tuum, et dic : heu! ad omnes abominationes malorum domus Israel.* Magnitudinem peccatorum jubetur Propheta manibus pedibusque ac sermone monstrare, ut gestu corporis ac [a] indignatione vocis, habitum stupentis mirantisque et plorantis ostendat. Quomodo enim si quando novum aliquid mirandumque conspicimus, tam corpore quam animo perhorrescimus, ita ut complaudamus manus, et pedes allidamus ad terram, et vocem inclinemus ad fletum ; sic nunc oculis animi prophetæ cernens ventura supplicia, ad universas abominationes malorum domus Israel loquitur quæ sequuntur. Percutimus spiritualiter manu, quando a malis nos operibus separamus. Allidimus pedem, quando non

[a] Duo quibus utimur mss., tum Brixiani aliquot Victorio inspecti, *inclinatione* hic habent pro *indignatione*.

gradimur illinere peccatorum. Plangimus atque ploramus, quando nobis displicent quæ geruntur. Quod ostenditur verbo, *heu*. Pro quo Aquila interpretatus est ἃ ἃ, Symmachus σχετλίασον, quod significat *lamentare*, vel *plange*. LXX et Theodotio εὖγε, quod magis insultantis est quam plangentis.

*Qui gladio, fame et peste ruituri sunt.* Hæc est autem causa plangendi, quod habitatores montium, et ararum idolorumque cultores gladio, fame et peste ruituri sunt. Qui variis ducuntur erroribus, et quotidie mutant fidem, circumferunturque omni vento doctrinæ : isti cæduntur gladio, et dividuntur in partes, unitatem Ecclesiasticæ fidei relinquentes. Qui vero spirituales non habet cibos, fame[a] moritur, nesciens eum qui dixit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Porro qui vel singulis, vel pluribus deditus vitiis, ab eis non potest separari, quasi quondam veterno pestilentiæ [*Al.* quadam uterina pestilentia] corruit.

(Vers. 12.) *Qui longe est, peste morietur : qui autem prope est, gladio corruet, et qui relictus fuerit atque circumdatus* [Vulg. *et obsessus*], *fame morietur, et implebo* [Vulg. *complebo*] *indignationem meam in eis.* Qui obsidionem urbis effugerit, et ad deserta migraverit, peste morietur ; qui prope fuerit, cadet **61** hostium gladio. Quem autem circumdederit hostilis exercitus, fame interibit et penuria : in hisque omnibus implebitur indignatio Dei, ut cognoscant qui remanserint, quia ipse sit Dominus. Qui ab Ecclesia quoque recesserit, statim peste morietur. Qui sciolus sibi videtur et diligens, nisi caverit, gladio feretur inimici. Qui simplici contentus fide, instar brutorum animantium versatur quidem in Ecclesia, sed tamen in nullo bono opere proficit ; nec imitator est formicæ, quæ in messe præparat sibi cibos atque comportat, iste fame morietur, et in his omnibus implebitur ira Domini.

(Vers. 13.) *Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, per circuitum ararum vestrarum in colle excelso* [Vulg. *in omni colle*] : *in cunctis summitatibus montium, et subter omne lignum nemorosum, et subter universam quercum frondosam : locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.* Perspicuum est juxta litteram, et interpretatione non indiget, quod in montibus Israel, et in excelsis collibus, inter ipsa idolorum altaria lucosque quia appellantur ligna nemorosa, Israeliticus sit cæsus exercitus, ut ubi peccaverant, ibi punirentur. Juxta anagogen sequamur ordinem propositum. Quando magistri hæreticorum ab Ecclesiasticis viris, qui instructi sunt scientia Scripturarum, contriti fuerint atque superati, videmus interfectos perversorum dogmatum jacere inter simulacra quæ finxerant, et eos qui se elevabant contra scientiam Dei, stratos in montibus collibusque subtus omne lignum nemorosum ; qui habebant verba pompatica, umbramque foliorum, et poma bonorum operum non habebant ; qui erant sub omni quercu frondosa, quæ non affert fructus hominum, sed porcorum : ubi accenderunt thura redolentia non Deo, sed idolis suis. Nec dicere poterant quod de Noe scriptum est : *Odoratus est Dominus odorem bonæ fragrantiæ* (*Gen.* VIII, 21) : et id quod Paulus loquitur : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco* (II *Cor.* II, 15). Quomodo autem sanctus odore suo delectat Deum : sic peccatur ex cujus persona psalmus ille cantatur : *Computruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Ps.* XXXVII, 6), accendit idolis suis thura fœtentia. Id quod nos interpretati sumus, *in cunctis* **62** *summitatibus montium :* et post paululum : *Et subter universam quercum frondosam,* LXX reliquerunt.

(Vers. 14.) *Et extendam manum meam super eos, et faciam terram desolatam, et destitutam a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum et scient quia ego Dominus.* O montes Israel, cum interfecti vestri ceciderint in medio ararum idolorumque vestrorum in omni colle excelso, in cunctis montium summitatibus ; cumque complevero lucos vestros cadaveribus mortuorum, in quibus quondam accenderunt thura idolis suis redolentia, tunc extendam manum meam ad ultionem, quæ fuerat hucusque contracta, et redigam universam terram Israel in solitudinem, a deserto Deblatha, quæ est in terra Emath, quæ hodie vocatur Epiphania Syriæ, in cunctis habitationibus eorum ; ut omnibus pateat nihil esse inter solitudinem et mare Magnum, quod non hostilis mucro consumpserit. Multi putant eumdem esse locum, de quo in Jeremia scriptum est : *Et apprehenderunt Sedeciam in deserto quod est juxta Jericho, et omnis comitatus ejus diffugit ab eo. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath* (*Jer.* XXXIX, 5). Potest et ob vicinam similitudinem DALETH et RES, ד, ר, Hebraicarum litterarum, quæ parvo apice distinguuntur, vel Deblatha vel Reblatha appellari. Juxta mysticos autem intellectus, extendit Dominus manum suam super omnes qui hæretico fuerant errore decepti, ut terram eorum, quæ interpretatur Ecclesia, faciat desolatam a deserto Deblatha, quod in lingua nostra παλάθην, hoc est, *massam ficorum* sonat, caricarumque inter se compactarum, ut postquam in simulata dulcedine, quæ non erat terræ cultæ, sed solitudinis, amaritudinem, repererint, tunc cognoscant, quia ipse sit Dominus. *Mel enim distillat de labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impinguat vescentium fauces, et postea amarius felle reperitur* (*Prov.* V, 3, 4). Hoc significant et duo calathi ficorum, qui positi sunt in Jeremia contra faciem templi (*Jer.* XXIV) : unus ficorum optimarum, et unus pessimarum : quorum alter ad Ecclesiam Christi refertur, alter ad congregationem malignantium.

(Cap. VII.—Vers. 1, 2.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Et tu, fili hominis, hæc dicit* **63** *Domi-*

[a] Antea, *morietur*. Et loci, inquit Victor. continentia vocem bene emendatam ostendit, sic enim idem semper servatur tempus.

*nus Deus terræ Israel : Finis,* [a] *venit finis super quatuor alas terræ.* Quas nos plagas mundi interpretati sumus : Orientem videlicet et Occidentem, Meridiem et Septentrionem. De quibus alis et Isaias loquitur : *Domine, ab alis sive finibus terræ portenta audivimus* (*Isa.* XXIV, 16), quæ in toto orbe per apostolos gerebantur. Et de sanctis scriptum est : *Si dormieritis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri* (*Ps.* LXVII, 14). Unde et Dominus cum appropinquasset et vidisset Jerusalem, flevit et dixit : *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)? Iste est qui in Deuteronomii cantico expandens alas suas suscepit eos, et assumpsit eos in humeris suis (*Deut.* XXXII). Quidam spirituales alas terræ, quibus ad cœlestia subvolamus, quatuor ponit genera credentium : domum Aaron, et domum Levi, et domum Israel, et timentes Dominum. De quibus et Psalmista canit : *Domus Israel, benedicite Dominum : domus Aaron, benedicite Dominum : domus Levi, benedicite Dominum; qui timetis Dominum, benedicite Dominum* (*Psal.* CXXXIV, 19-21). In Aaron sacerdotium ; in Levi, ædituos et ministros ; in Israel, cunctum populum ; in timentibus Dominum proselytos intelligens. Nos autem simpliciter explanandum putamus, quod post comminationem montium Israel, ad omnem terram Israel, sive decem, sive duodecim tribuum sermo propheticus dirigatur : et nequaquam propheta futura prænuntiet, sed jam ingruentem videat captivitatem. Quinto enim anno Sedeciæ cœpit Ezechiel in Babylone prophetare captivis; et anno nono venit Nabuchodonosor et obsedit Jerusalem : cepitque eam anno undecimo Sedeciæ. Ex quibus perspicuum est venisse finem et appropinquasse, non super montes et colles rupesque et valles, sed super quatuor plagas terræ ex omni parte Israel : non omnis terræ : quod si dixisset, de toto mundo credi poterat ; sed terræ simpliciter, quod significat Israelis. Sic enim cœperat : *Hæc dicit Dominus Deus terræ Israel : Finis, venit finis super quatuor plagas terræ.*

(Vers. 3, 4.) *Nunc finis super te, et mittam* [Vulg. *emittam*] *furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas.* **64** *Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor : sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus.* In hoc capitulo juxta LXX Interpretes ordo mutatus est atque confusus : ita ut prima novissima sint, et novissima, vel prima vel media, ipsaque media nunc ad extrema, nunc ad principia transferantur. Ex quo nos et ipsum Hebraicum et cæteros secuti interpretes, ordinem posuimus veritatis. Ad terram igitur Israel sermo dirigitur, quod venerit super eam finis et consummatio, et emittat Dominus furorem suum in eam, non injustum, et tantum de indignatione venientem ; sed plenum æquitatis atque rationis : ut judicet eam secundum vias suas, et ostendat illi omnes abominationes suas : ut recordetur operum suorum, et intelligat quid male [*Al.* mali] gesserit. Quod autem dicit : *Non parcet oculus meus super te, et non miserebor*, quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes, et cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit, ut pareat : non miseretur, ut magis misereatur ; ne quid putridum vivasque carnes sui vicinia corrupturum, remaneat in corpore. *Percutit autem Dominus quem diligit, et castigat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Cujus intelligentiæ illud est : *Ego percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39). Omnis enim medicina ad tempus habet amaritudinem, sed postea fructus doloris, sanitate monstratur. Tale quid et per Amos loquitur Deus : *Quoniam vos cognovi de universis tribubus terræ : idcirco ulciscar super omnia peccata vestra. Novit enim Dominus eos qui ejus sunt* (*Amos* III, 2). Et vias [*Al.* egressum], inquit (II *Tim.* II), illius totiusque vitæ gressum, abominationesque, et maculas ponam in medio ejus : ut ante oculos peccatricis quæ pro sanitate punitur, pristina peccata ponantur. Cumque hoc fecerit Dominus, scient qui cruciati sunt, quod ipse sit Dominus. Hoc ipsum sonat et illud testimonium : *Ulciscar Jacob secundum vias suas, et juxta adinventiones ejus reddam illi* (*Osee* XII, 2).

(Vers. 5, 6.) *Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una, afflictio ecce venit : finis venit, venit finis. Evigilavit adversum te, ecce venit. Venit contractio* [Vulg. *contritio*] *super te, qui habitas in terra.* Hæc in Septuaginta non habentur, sed in editione eorum de translatione **65** Theodotionis sub asteriscis addita sunt. Nos autem sequamur Hebraicum. Pro *afflictione*, quam juxta Symmachum, qui interpretatus est κάκωσιν perspicuitatis causa posuimus : et in Hebraico et in Græco κακία, vel πονηρία scribitur : id est, *malitia*. Dicitur [*Al.* Dicit] autem quod extremum peccatorum terræ Israel tempus advenerit : ut jam non effugiat sententiam Dei, quam longo tempore merebatur. Et quia necdum compleverat peccata sua, propterea differebatur supplicium ; secundum illud quod scriptum est : *Necdum enim completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Genes.* XV, 16). Unde et Dominus ad Judæos : *Et vos*, ait, *implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* XXIII, 32). Venit tibi ergo miseria ; venit afflictio, venitque captivitas. Et ne putes me rursum futura minitari, ostendo digito atque demonstro. Ecce venit, finis venit, venit finis. Qui hucusque dormitare tibi videbatur et quiescere, evigilavit contra te repente atque surrexit. Venit *contractio*, quæ in Hebraico dicitur SEPHPHIRA (צפירה), et quam Aquila interpretatus est προσκόπησιν, id est, *contemplationem et prospectionem*, quam semper pavida tibi venire metuebas ; et quam interpretatus est Theodotio πλοκήν, id est, ordinem contextumque malorum omnium. Porro quod dicitur *super te qui habitas in terra*, juxta illud Apocalypseos Joannis debemus accipere : *Væ super omnes*

[a] Victor., *Finis venit, venit finis* ; verbum *venit* ex Vulg. editione, et Hebraico replicans.

*qui habitant in terra* (*Apoc.* VIII, 13). Sanctus enim non est habitator terræ, sed advena atque peregrinus; dicitque : *Advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13). Quamobrem et Abraham Hebræus, id est, περάτης et peregrinus *transitorque* memoratur; de præsenti sæculo ad futurum transire festinans. Possumus hunc locum, et spiritualiter interpretari contra populum Judæorum, super quem venit finis et consummatio a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem interfecerunt inter templum et altare (*Matth.* XXIII). Quamdiu enim non miserunt manus in Filium Dei, dormitavit sententia eis Domini, et dilata est. Quando vero interfecerunt hæredem, ut periret hæreditas : tunc evigilavit adversum eos, atque surrexit omnis ordo miseriarum **66** atque perplexio; quia non quæsierunt cœlestia, sed terræ hærere cupierunt.

(Vers. 7.) *Venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium.* Verbum Hebraicum ADARIM quod nos in duo verba divisum, primum AD הד, secundum ARIM הרים, juxta Theodotionem, *gloriam montium* interpretati sumus, Symmachus vertit in *recrastinationem*, dixitque : *Et tempus prope est : dies festinationis, et non recrastinationis.* Porro LXX ita transtulerunt : *Venit tempus, appropinquavit dies, non cum perturbatione, neque cum doloribus.* Theodotio : *Venit tempus, prope est dies famis et non gloriæ montium.* Occisionis autem tempus, et famis nunc quoque in Judaico populo comprobatur, non habente prophetas nec verbum Dei, quo anima credentium pascitur. Montes autem magistros intellige, et qui habeant notitiam Scripturarum. De quibus et in alio loco dicitur : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5). Porro Septuaginta qui dixerunt : *non cum perturbatione, et non cum doloribus*, illud significant, quod tantum habeant ignorantiæ [*Al.* tantam ignorantiam] Dei et animi cæcitatem; ut nec turbentur in sceleribus suis, nec pœnitentiæ doloribus crucientur.

(Vers. 8.) *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et* [a] *replicabo furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas. Et imponam* (sive *dabo*) *tibi omnes abominationes tuas.* Si a quinto anno transmigrationis regis Jechoniæ usque ad nonum annum regni Sedeciæ, quando venit Nabuchodonosor, et obsedit Jerusalem, supputare voluerimus, tres anni erunt medii. Unde recte dicitur : *Nunc de propinquo effundam iram meam super te.* Nequaquam tibi ventura prædicam, nec comminabor quæ longe post futura sunt : nunc in te complebo furorem meum. Qui furor et ira nequaquam absque judicio est : sed ut reddat vias tuas in caput tuum, et omnes abominationes tuas sentire te faciat. Possumus autem et de extrema captivitate dicere, quod post interfectionem Christi, quando venit eis finis et evigilavit adversum eos peccatum, impletum est illud, quod scriptum est : *Nunc pervenit in eos ira Dei in finem* (I *Thess.* I, 16). Quando a Tito et Vespasiano Jerusalem circumdata est, et advenit desolatio ejus, **67** et impletum est : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 38). Tunc judicati sunt juxta vias suas, et blasphemias, quibus Dominum negaverunt; et senserunt furorem Dei : et omnis indignatio ejus super illos effusa est, receperuntque scelera sua, ut permaneat deletio templi usque ad consummationem.

(Vers. 9.) *Et non parcet oculus meus, neque miserebor : sed vias tuas imponam* (sive *dabo*) *tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt, et scietis quia ego sum Dominus percutiens.* Causas severitatis et austeritatis, sive, ut hæretici putant, crudelitatis Dei quod non parcat oculus ejus nec misereatur, subjecit dicens : *Vias tuas dabo tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt;* ut sentias quæ fecisti, et videns abominationes tuas vel in conspectu tuo, vel in medio omnium positas, emendes errorem pœnitudine, et recedens a pristinis operibus, cum oderis quæ fecisti, tunc sentias quod ipse sit Dominus (*Heb.* XII). Qui ideo percutit ut emendet, et castigat omnem filium, quem recipit.

(Vers. 10, 11.) *Ecce dies, ecce venit, egressa est* [b] *contractio : floruit virga, germinavit superbia. Iniquitas surrexit in virga impietatis, non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum : et non erit requies eis.* LXX : *Ecce dies parit, ecce finis venit, egressa est complexio, et floruit virga, germinavit superbia, suscitata est injuria, et conteret fortitudinem iniqui, et non cum perturbatione neque cum festinatione, et non ex ipsis sunt, neque pulchritudo in eis.* Contracta est, inquit, dies et abbreviata, instatque vicina captivitas, Floruit virga quæ multo vobis tempore minabatur, et de flore fructum plagarum parturiit [*Al.* parturit]. Superbia vestra germinavit quod merebamini, ut super virgam impietatis vestræ, [c] qua subjectos vobis impie cædebatis, consurgat iniquitas, quæ non est ex miserabili populo, neque ex eis qui instar brutorum animantium ducuntur a magistris, neque ex clamore eorum et sonitu, quo frustra vociferabantur, a sacerdotibus Pharisæisque seducti, ut consona voce clamarent et dicerent : **68** *Crucifige, crucifige talem* (*Joan.* XIX, 6). Unde non erit eis requies, sed æterna captivitas. Porro Septuaginta juxta illum sensum in quo scribitur : *neque enim scitis quid ventura pariat dies* (*Prov.* XXVII, 1), dixerunt : *Ecce dies parit*, quod multo ante conceperat : *venitque finis, et egressa est complexio*, quæ mala vestra omnia complectatur

[a] Ex subnexa Hieronymi expositione, ubi *et nunc*, inquit, *in te complebo furorem meum*, videatur cum Victorio legendum *complebo*, pro *replicabo*, maxime cum ita et Vulgata Hieron. editio habeat, et Hebræus textus כליתי, Græcusve συντελέσω assentiatur.

[b] Ita retinendum, et subnexa expositio probat, et Hebr. הצפרה. quod *circulum* sonat. In Hieron. autem edit. *confractio* scribitur.

[c] Sic nostri, et quatuor, quos Victor. laudat, mss. codices habent. Martian., post Erasm., *quia*.

et tencat, sive ut Symmachus interpretatus est, *inspectio*, ut omnia videat Deus quæ fecistis, et consideret opera vestra, et reddat unicuique quod meretur. In eo autem quod ipsi similiter transtulerunt, *floruit virga*, illo testimonio uti possumus : *Ne auferas virgam a filio tuo* (*Prov.* XIII, 13). Et Apostolus : *Quid vultis ? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21)? Sed et Deus ore Psalmistæ resonat : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum : misericordiam autem meam non auferam* [Al. *dispergam*] *ab eis* (*Psal.* LXXXVIII, 33, 34). Ideo ergo Dominus visitat et percutit, ut [a] oriatur et pateat omnis superbia, quæ diu latebat inclusa ; et suscitetur injuria contra ortam et germinantem superbiam, conteraturque fortitudo iniqui, non cum perturbatione, neque cum festinatione. Finis enim florentis virgæ, sanitas est atque correctio, quæ non eorum merito venit, qui corripiuntur, nec pulchritudine, quam in se non habent, sed misericordia Domini. Locus difficilis, et inter Hebraicum et Septuaginta multum discrepans, quibus pleraque de Theodotionis editione addita sunt, ut aliquam habere consequentiam viderentur.

(Vers. 12.) *Venit tempus, appropinquavit dies.* Non solum ad Jerusalem dicitur, quod venerit ei tempus captivitatis, et appropinquaverit dies quo Babylonio sit vallanda exercitu ; sed et ei qui exstructis et dilatatis horreis exsultabat, Dominus loquitur : *Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te : quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XI, 20)? Unde et Apostolus : *Tempus*, ait, *abbreviatum est* (I *Cor.* VII, 29). Et in [b] alio loco : *Præterit enim figura hujus mundi* (*Ibid.*, 31). Notandum quod non in futurum distulerit, sed de præsenti dixerit, *præterit*, et quotidie labitur figura mundi. Numquam enim in eodem statu permanet ; sed semper crescentium et decrescentium figura prætervolat **69** et mutatur. Unde et Dominus : *Cœlum*, inquit, *et terra præteribit* (*Matth.* XXIV, 35). Sin autem hæc quibus omnia quæ in mundo sunt [c] continentur, prætereunt atque pertranseunt, quid potest in humanis rebus esse perpetuum ?

(Vers. 13.) *Qui emit, non lætetur, et qui vendit, non lugeat.* Naturale est in possessionum emptione lætari : in venditione lugere. Cum autem instet servitus atque captivitas, et gaudium et tristitia in utroque sunt vana. Unde et Apostolus : *Tempus abbreviatum est : de cætero, qui habent uxores, sic sint quasi non habeant, et qui flent, quasi non fleant, et qui gaudent, quasi non gaudeant, et qui emunt, quasi non possideant, et qui utuntur mundo isto, quasi non utantur* (I *Cor.* VII, 29 *seqq.*). Nam et diluvium ementes oppressit atque vendentes, ut Dominus loquitur in Evangelio (*Matth.* XXIV).

*Quia ira super omnem populum ejus.* Hoc in Septuaginta non habetur. Pro *populo* potest *multitudo* et *turba* juxta Hebraicum accipi ; hoc enim significat AMONA (המונה). Causaque perspicua est quod idcirco qui emit, gaudere non debeat, et qui vendit, lugere desistat, quia ira Dei in brevi ventura sit super omnem multitudinem terræ Judææ, sive Jerusalem. Ex superioribus enim intelligitur, in quibus scriptum est : *Hæc dicit Dominus Deus terræ Israel*, etc.

(Vers. 13.) *Quia qui vendit, ad id quod vendidit non revertetur.* Juxta Hebraicum morem loquitur. Omnis enim emptio ad venditorem revertebatur quinquagesimo anno remissionis, qui apud illos vocatur jubilæus. Ante igitur quam annus remissionis adveniat, quando possessiones ad priores dominos revertuntur, ingruet captivitas, quæ omnem urbis auferet consuetudinem. Porro quod Septuaginta transtulerunt : *Quia qui emet, ad venditorem non revertetur*, cum juxta historiam penitus non cohæreat, juxta anagogen hunc sensum habere potest : ut dicamus eum qui hæretico fuerat errore deceptus, cum intellexerit magistri fraudulentiam, nequaquam reverti ad venditorem, id est, ad magistrum ; sed eum despicere atque contemnere.

**70** *Et adhuc in viventibus vita eorum, quia visio ad omnem multitudinem ejus non regredietur.* Quomodo possessio non revertetur ad priorem dominum, eversione urbis instante : sic visio et comminatio prophetalis, quæ ad omnem multitudinem urbis dirigitur, nequaquam regredietur, et irrita fiet ; sed rebus explebitur, viventibus adhuc his, ad quos prophetalis sermo dirigitur. Hoc autem ait, ut ostendat imminentem captivitatem, ne secundum consuetudinem dicerent : Visio hæc in longos dies erit, et post tempora multa complebitur. Possumus et hoc dicere, quod postquam recesserit a Judæis visio prophetalis : *Lex enim et prophetæ usque ad Joannem Baptistam* (*Matth.* XI, 13), post interfectionem Salvatoris nequaquam regrediatur ad eos, nec ultra mereantur habere prophetas. Significanterque ad omnem, inquit, multitudinem visio non regredietur. Ergo regredietur ad eos qui ex Judæis Domino crediderunt, apostolos videlicet, et reliquias populi Judaici, quæ ex Israel salvæ factæ sunt. Sed nec isti duo versus habentur in Septuaginta editione.

*Et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.* LXX : *Et homo in oculis vitæ suæ non obtinebit.* Et est sensus juxta Hebraicum : Non proderit homini iniquitas sua, nec ei præbebit aliquam fortitudinem. Juxta Septuaginta : Et homo, [d] qui desideravit quod in mundo putavit esse pretiosum, non obtinebit ; sed libertate pereunte, amittetur omne quod pulchrum est. Ambiguitas autem Hebraicarum litterarum IOD י et VAU ו, quæ tantum magnitudine discernuntur, fecit alios *iniquitatem*, alios *oculos* interpretari.

[a] Penes Rabanum, atque in uno Vatic. mss., *moriatur* : quod sciolus non nemo de suo scripsit.

[b] Cum hæc testimonia juncta sibi sint, Victor. rescripsit *in eodem*, pro *alio loco*. Simile quid et paulo inferius audet.

[c] In aliis libris, quibus fere concinit et Rabanus, *Sin autem hæc omnia, quæ in mundo sunt continenter prætereunt*, etc.

[d] Ex emendatioribus Victorii mss. *qui* pro *quod* restituimus.

(Vers. 14.) *Canite tuba, præparentur omnes.* LXX : *Clangite tuba, et judicate omnia.* De tubarum clangore et sonitu in multis locis legimus, ut ibi : *Sicut tuba exalta vocem tuam* (*Isai.* LVIII, 1); et alibi : *Clangite in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis* [a] *nostræ* (*Ps.* LXXX, 5); et in Apostolo : *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo* (1 *Thess.* IV, 5). Et in Evangelio : *Nolite tuba clangere ante vos* (*Matth.* VI, 2). Et tubas ductiles atque argenteas Numerorum narrat historia (*Num.* X *et* XXXI), **71** quæ sermoni prophetico comparantur, et doctrinæ Apostolicæ. Præcipiturque nunc, ut omnes ad signum clangoris, et buccinæ præparentur ad bella. Porro quod dixere LXX, *et judicate omnia*, nulli dubium est quin, apostolorum conveniat potestati. Qui, postquam cecinerit angelorum tuba, judicaturi sunt in duodecim thronis duodecim tribus Israel. Quorum Paulus loquebatur : *Angelos judicabimus* (1 *Cor.* VI, 3); et [b] alibi : *In vobis judicabitur mundus* (*Ibid.*, 2). Juxta præsentem autem sensum jubentur per ironiam hi qui huic officio mancipati sunt, tuba clangere, ut omnes contra Babylonium parentur exercitum.

*Et non est qui vadat ad prælium. Ira enim mea super* [c] *omnem multitudinem ejus.* Et hæc in Septuaginta non habentur. Præceperat Deus (*Num.* X), ut tuba canerent ad exercitum præparandum, qui Babyloniorum posset resistere fortitudini; sed nihil profuit imperasse, cum non sit in populo qui audeat ad bella procedere. Idcirco autem enervatus est populus, et caret viribus præliandi, quia omnis ira Dei super omnem multitudinem ejus, subauditur urbis Jerusalem, sive terræ Judææ. Sed et in nostra terra et Jerusalem, quando nos vel persecutio publica, vel variorum incentiva vitiorum superare nituntur, frustra magistri canunt tuba, et præparare nos ad bella festinant, cum nulla sit in populo fortitudo, quæ idcirco subtracta est, quia iram Dei præsentia meruere peccata.

(Vers. 15, 16.) *Gladius foris, pestis et fames intrinsecus. Qui in agro est gladio morietur : et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur. Et salvi erunt qui fugerint ex eis : eruntque in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi : unusquisque in iniquitate sua.* Septuaginta, *columbas convallium*, sive, ut Theodotio transtulit, *meditantes*, omnino tacuerunt. Hocque quod nos interpretati sumus, *omnes trepidi : unusquisque in iniquitate sua*, Theodotio transtulit ita : *omnes mussitantes, unaquæque in iniquitate sua;* ut sub metaphora columbarum meditantium, significet unumquemque de populo suum flere peccatum, et intelligere atque sentire cur ista patiatur. Tres autem partes aliorum qui in urbe pestilentia et fame **72** moriantur, et aliorum quos gladius foris interficiet, et eorum qui captivitatem fuga evaserint, supra legimus : quorum qui salvus fuerit, transibit ad montes, et instar mussitantium columbarum, sua trepidus peccata deflebit. Tropologice vero sic accipiendum, quod qui in agro et campo est, extra fines Dominicæ civitatis, quæ interpretatur Ecclesia, adversarii mucrone feriatur, qui autem in civitate egerit negligenter, nec præparaverit sibi cibos, de quibus in Proverbiis scriptum est : *Qui operatur terram suam, replebitur* [Al. *saturabitur*] *panibus* (*Prov.* XII, 11,) iste fame morietur et pestilentia. Pauci autem, qui vel hæreticorum gladium, vel desidiæ suæ famem, mortemque vitaverint, non salvabuntur nisi in montibus, et nisi assumpserint alas columbæ, et avolaverint, et requieverint. Quæ columbæ quamdiu in vallibus sunt, trepidant et ad singula reformidant : quarum præcipimur imitari innocentiam, et de quibus in psalmo scriptum est : *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri* (*Ps.* LXVII, 14) : in cujus specie descendit Spiritus sanctus, et mansit super Dominum Salvatorem. Pulchreque juxta Theodotionem vocabimus columbam meditantem (*Matth.* III), eum qui in lege Domini die ac nocte meditatur, et de quo scriptum est : *Os justi meditabitur sapientiam* (*Ps.* XXXVI, 30).

(Vers. 17.) *Omnes manus dissolventur, et omnia genua fluent aquis. Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido.* Pro genibus aquis fluentibus, Septuaginta transtulerunt, *femora polluentur humore.* Cum autem omnes trepidaverint, et ad montana confugerint, manus omnium dissolventur, et nullus contra hostes poterit resistere, pavorisque magnitudine, urina polluet genua : nec valebit profluentes aquas vesica cohibere. Accingent se ciliciis, et tremor omnia possidebit. Hoc in illo populo factum est, non solum sub Babyloniis, sed et sub Romanis, quando pervenit in eos usque ad finem ira Dei. Cæterum et in nostra Judæa in qua est Domini confessio, quando multiplicatæ fuerint iniquitates, et refrigerit multorum charitas, omnes manus bonorum operum dissolventur, et **73** cuncta genua, sive femora fluent aquis eorum qui illicitos quæsierunt concubitus, et quos in lege γονορρύεις, id est, *fluxum seminis sustinentes*, et immundos Scriptura cognominat. Unde qui tales sunt, debent se accingere ciliciis pœnitentiæ, et venturum judicium formidare. Quod qui fecerit, merebitur Isaiam audire dicentem : *Confortamini, manus dissolutæ : et genua debilia roboramini* (*Isai.* XXXV, 3).

(Vers. 18.) *In omni facie confusio, et in universis capitibus* [d] *calvitium.* Rubor vultus, pudoris indicium est, et conscientia peccatorum lucet in facie : spesque salutis est, quando delictum sequitur verecundia. Unde ad eam quæ corde duro in suis peccatis gloriabatur, dictum est : *Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere* (*Jer.* III, 3). Calvitium quo-

[a] Alias editi, Victorio, quem sequimur, excepto, vestræ præferunt.

[b] Iterum Victorius legi vult *in eodem loco*, pro *alibi*, quod juncta sibi mutuo hæc sint testimonia.

[c] In Vulgata Hieron. edit., *super universum populum ejus* : in Hebræo autem אל־כל־הבורה, quod proprie turbas, ac gentium multitudinem sonat.

[d] Apud Rabanum, *Summa, inquit, capita.*

que capitis, luctus est signum, quando perdit decorem cæsaries, et pulchritudinem comarum amittimus. Denique et ad Jerusalem dicitur : *Pro ornamento capitis tui habebis calvitium, propter opera tua* (*Isai.* III, 17). Et alius propheta ; [a] *Omnia*, inquit, *capita in omni loco attondentur, et omnibus barba radetur* (*Jer.* XLVIII, 37). Michæas quoque ad eamdem Jerusalem : *Decalvare*, ait, *et tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum sicut aquila* (*Mich.* I, 16). Et super mortuis jubetur fieri calvitium. Soli autem sancti, hoc est, Nazaræi, et qui ad pontificatum Domini meruerunt pervenire, non radunt capita sua (*Num.* VI). Neque enim habent mortis opera, nec immundi sunt, quia Nazaræi, id est, sancti Domini sunt. Quod si juxta eos quispiam mortuus fuerit, omnes dies pristini non reputabuntur sanctificationis eorum. Samuel Dei sanctus erat, et propterea æterna capitis ornamenta possedit : audivitque illud de Cantico Canticorum : *Cincinni tui nigri sicut corvus* (*Cant.* V, 11). Porro Samson quia perdidit comam, perdidit fortitudinem (*Judic.* XVI) : paulatimque renascentibus capillis, vires rediere pristinæ, ut multo plures moriens quam vivens occideret. Elisæus vero licet corporis haberet calvitium, tamen quia Nazaræus Domini erat, cincinnis capitis fruebatur. Unde parvuli [*Al.* pueri], quia parvuli erant, et nec dum ad ætatem viri pervenerant, illudentes calvitio ejus atque dicentes : *Ascende, calve : ascende, calve* (IV *Reg.* II, 23),

**74** ferarum laniati sunt morsibus; quarum saltus ac silvæ sunt habitaculum.

(Vers. 19.) *Argentum eorum foris projicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit.* LXX : *Argentum eorum in plateis projicietur, et aurum eorum erit contemptui.* Fuga et captivitate cogente, divitias et auri argentique pondera projicient in plateis : suas tantum animas servare cupientes, ne sint ponderi quæ prius fuere luxuriæ. Alioquin et juxta anagogen, captivorum atque fugientium de Jerusalem omne argentum projicietur in plateis, in lata et spatiosa via quæ ducit ad mortem, quia angustam salutis semitam reliquerunt. Sed et omne aurum erit contemptui, vel in sterquilinium atque immunditiam reputabitur. Non enim potest habere munditiam, qui extra Domini Ecclesiam est.

*Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Et hoc in Septuaginta non habetur. Nulli autem dubium quin obsidionis et famis tempore, aurum argentumque esurientes non liberet : et illisi pretiosissimo metallo dentes, instar durissimi lapidis retundantur. Denique sequitur :

*Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur.* Præsentibus malis didicimus multos divites inter sericum, gemmas, et auri argentique pondera egestate confectos, habuisse exitum mendicantium. Argentum autem et aurum eorum, qui extra Ecclesiam sunt, non liberare animas possidentium in die furoris Domini : sed æternam eos habere famem, et inani ventre cruciari, ostendit illud testimonium in quo dicitur : *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ* (*Prov.* XIII, 8). Propriæ divitiæ sunt, quas nos Christi veritas docuit (*Luc.* XVI), qui præcepit, ut faciamus nobis amicos de iniquo mammona, qui nos recipiant in æterna tabernacula.

*Quia scandalum iniquitatis eorum factum est.* Ideo, inquit, possidentium aurum et argentum nec anima saturabitur, nec venter implebitur, quia hoc ipsum aurum et argentum, scandalum scelerum eorum factum est. Significat autem idola, quæ auro argentoque fabricata, suos condemnant [*Al.* contemnunt]

**75** artifices. Pro quo Septuaginta transtulerunt : *quia cruciatus iniquitatum eorum fuit*, ut in suo iniqui errore crucientur, et se intelligant male Dei munera in blasphemiam convertisse.

(Vers. 20.) *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo.* LXX : *Electa mundi in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum, et offendicula sua posuerunt ex eis.* Quæ ego, inquit, dederam in ornamentum possidentium atque divitias, illi verterunt in superbiam, ut de quibus poterant per eleemosynas et bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiæ. Denique ex auro et argento fecerunt idola, et mea munera in dæmonum simulacra verterunt. Porro quod dixere LXX, *Electa mundi in superbiam posuerunt*, ad aurum argentumque referendum est : quibus in mundo nihil putatur esse pretiosius. Illudque quod sequitur : *Offendicula eorum*, sciamus de Theodotione additum. Facilis autem sensus est juxta tropologiam, quod aurum et argentum, sensus et eloquia Scripturarum quæ electa sunt mundi, et quæ nobis in ornamentum data sunt, hæretici posuerunt in fomentum et materiam superbiæ, et imagines diversorum dogmatum et abominationum atque offendiculorum suorum fecerunt ex eis : ut per quæ poterant colere, et adorare Deum, ex his Deum offenderint.

(Vers. 21.) *Propter hoc dedi eis illud in immunditiam : et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum : et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud.* LXX : *Propter hoc dedi ea illis in immunditiam : et tradam ea in manus alienorum, ut diripiant ea, et pestilentibus terræ in prædam, et polluent ea.* Quia ex auro et argento, et ornamentis monilium quæ dederam eis, imagines sibi abominationum suarum simulacrorumque fecerunt, propterea dedi eis illa in immunditiam et in stercora. Pro quibus Symmachus interpretatus est, *nauseam*, volens idolorum sordes exprimere. Et tradam, inquit, ea in manus hostium, ut diripiant omnia, et non tam contaminem, quam contaminata esse demonstrem, quæ prius videbantur esse sanctissima. Nos quoque tradimur in **76** manus inimicorum et alienorum a Deo,

[a] In vulg. recte additur *eorum*, juxta Hebr. ראשיהם.

quando facimus ornamenta nostra simulacra dæmonum, et omnis gloria nostra possidetur ab impiis, sive pestilentibus terræ, ut nos suæ subjiciant potestati.

(Vers. 22.) *Et avertam faciem meam ab eis : et violabunt arcanum meum : et introibunt in illud emissarii* (sive ut Septuaginta transtulerunt *temere;* vel ut Symmachus et Theodotio, *irrumpentes, et pestilens*) *et contaminabunt illud.* Cum, inquit, propter superiores causas abominationum populi avertero faciem meam ab eis, et nequaquam eos dignos meis oculis judicavero : tunc violabunt arcanum meum, quod significat Sancta sanctorum, pro quo Septuaginta, *visitationem* transtulerunt (ut in sanctis Dei fuisse præsentiam demonstrarent) et irrumpent in ea impii et pestilentes terræ : quæ exceptis sacerdotibus soloque pontifice nullus alius audebat intrare. Quod scimus et a Babyloniis, et a rege Antiocho Cneoque Pompeio, et ad extremum factum esse sub Vespasiano et Tito, quando templum captum atque subversum est, et omnia perpetrata quæ sequens prophetæ sermo complectitur. [a] Ad nostra quoque mala opera avertit Deus faciem suam : et quia aversa est facies, ideo Dei violatur arcanum, ut pro sacerdotibus et sanctis Dei pestilentes ingrediantur, et universa contaminent : ut qui locus esse debuit sanctitatis, fiat locus immunditiæ, juxta illud Evangelicum : *Domus Patris mei domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Matth.* XXI, 13).

(Vers. 23.) *Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum, et civitas plena iniquitate.* LXX : *Et adducam perturbationem, quia terra plena judicio sanguinum, et civitas plena iniquitatum.* Verbum [b] Hebraicum ARETHIC (הרתיק), Aquila *conclusionem*, Symmachus et Theodotio καθήλωσιν id est, *confixionem* interpretati sunt. Pro quo Septuaginta posuere φυρμὸν, quod nos in *perturbationem* vertimus. Igitur, o propheta, iram meam super terram Judæam, et super urbem Jerusalem brevi sermone conclude, ut quomodo terra plena est judicio sanguinum, omnes enim in sanguine judicantur, fundentes innoxium sanguinem : quod et in Nabuthe persona **77** fecisse Judæos Scriptura commemorat : sic ipsorum quoque fundatur cruor, et plena iniquitatis civitas demonstretur. Nam et sub Manasse repleta est urbs Jerusalem a porta usque ad portam sanguine prophetarum (I *Reg.* XXI). Venietque eis conclusio, et perturbatio atque confixio, ut nullus de imminentibus miseriis possit evadere.

(Vers. 24.) *Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum.* Et hæc in Septuaginta non habentur. Pro sacerdotibus et prophetis, pessimos cunctarum gentium adducam Babylonios, ut domos vestras possideant, vosque subjiciant servituti. Sed et nostras domos, id est, animas (templum enim A sumus Dei, et Spiritus sanctus habitat in nobis (I *Cor.* VI) possidebunt pessimi dæmones, si fuerit terra nostra plena sanguinibus, et habitatio plena iniquitatis.

*Et quiescere faciam superbiam potentium : et possidebunt sanctuaria eorum.* LXX : *Et avertam fremitum fortitudinis eorum : et polluentur sancta eorum.* Omnis superbia offendit Deum. Propterea pessimi gentium possidebunt domos potentium et superborum, et obtinebunt sanctuaria eorum, quia locum sanctimoniæ spurcus ingreditur, et sua eum contaminat immunditia. Significanter autem quia polluta fuerant sanctuaria Dei, et violatum arcanum ejus, non dixit, possidebunt sanctuaria mea, sed *sanctuaria eorum :* quia post contaminationem mea esse B cessarunt.

*Angustia adest.* LXX : *Propitiatio veniet.* Juxta superiorem ordinem, recte Aquila et Theodotio interpretati sunt, adesse *angustiam :* Symmachusque, *mœrorem.* Septuaginta autem in medio universorum tristium, verbum posuere lætitiæ : ut lugentis animus sustentetur, et speret inter adversa, meliora, Dominumque propitium; de quo scriptum est : *Dominus erigit allisos* (*Ps.* CXLV, 8). Nos autem juxta Symmachum priorem sententiam cum posteriore conjunximus, ut diceremus :

(Vers. 25.) *Angustia superveniente, requirent pacem, et non erit.* Quod juxta Septuaginta omnino stare non potest. Si enim propitiatio veniet, quomodo quærent pacem, et non invenient? Quæret autem ille pacem, et non inveniet, qui audivit ab apostolis : *Pax huic domui* (*Matth.* X, 12), et non servavit eam, nec fecit in sua mente requiescere, sed malis fugatam operibus non potest invenire. *Ipsa est* **78** *autem pax quæ exsuperat omnem sensum* (*Philipp.* IV, 7); et quam ad Patrem victor ascendens Salvator, apostolis dereliquit (*Joan.* XIV).

(Vers. 26.) *Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum.* LXX : *Væ super væ erit, et nuntius super nuntium.* Quomodo sanctis dicitur : *Gaudete, iterum dico gaudete* (*Philipp.* IV, 2); et de ipsis scriptum est : *Ibunt de virtute in virtutem* (*Ps.* LXXXIII, 8), ut præsentia bona futuris bonis cumulent : sic et his super quos venit angustia, et qui quæsierunt pacem et non invenerunt eam, veniet conturbatio super conturbationem, sive væ super væ, juxta quod et in Apocalypsi scriptum est : *væ unum abiit, et væ alterum veniet cito* (*Apoc.* IX, 12). Et auditus veniet super auditum, nuntiusque super nuntium; juxta illud beati Job : *Cum adhuc unus loqueretur, venit alius nuntius* (*Job.* I, 16), mala augens malis, et appropinquantis Babylonii fremitum turbamque describens.

*Et quærent visionem de Propheta : et lex peribit a Sacerdote, et consilium a senioribus.* Proprie singula quæruntur a singulis. Vaticinium futurorum quæ-

[a] Facile Victorio assentiat ex ingenio rescribenti, *Ob nostra*, pro *Ad nostra*. Sed mss. non suffragantur.

[b] Mss. legunt *Arethic* cum *iod* in fine, non *haratoc* cum Hollem, הרחוק juxta contextum hodiernum Hebraicum. MARTIAN.

ritur a propheta. Legis interpretatio, sacerdotis officium est. Prudens consilium ætas matura perquirit ; juxta illud quod scriptum est : *In consilio sanctorum* [Al. *justorum*] *et congregatione, magna opera Domini* (*Ps.* cx, 1, 2). Hæc autem non solum eo tempore, quando Babylonius contra Jerusalem veniebat exercitus, a prophetis, sacerdotibus et senioribus quærebantur ; sed quotidie in Ecclesiis requiruntur. Quæ si visionem, legem, consiliumque perdiderint, frustra prophetas et sacerdotes, et seniores habere se jactant.

(Vers. 27.) *Rex lugebit, et princeps induetur mœrore*, sive, juxta Septuaginta, *interitu* : qui nescio quid volentes, hoc quod de Hebraico sermone expressimus, *rex lugebit*, omnino tacuerunt. Luxisse autem Sedeciam, et omnes principes populi Judæorum fuisse mœrore confectos, sancta Scriptura commemorat. Possumus autem, quamquam hoc prima fronte videatur esse blasphemum, regem lugentem nostra vitia atque peccata, Christum dicere, qui loquitur in Psalmis : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem* (*Ps.* xxix, 10) ? Et appropinquans Jerusalem flevit super eam, et dixit : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas missos ad te ; quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat sub alas pullos suos, et noluisti* (*Matth.* xxiii, 37) ! **79** Principes quoque vel in bonam partem apostoli erunt, qui lugent peccatores : vel in contrariam, illi quibus dicitur : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum* (*Isai.* i, 11). Inducturque, juxta Septuaginta, *interitu*, qui non habet armaturam Dei, nec indutus est Christo. *Quotquot enim in Christo baptizati sunt, Christum induerunt* (*Galat.* iii, 27).

*Et manus populi terræ conturbabuntur*, sive, juxta Septuaginta, *dissolventur*. Quando visio non fuerit in propheta, et Legis scientia in sacerdote, et consilium in senibus : rexque luxerit, et princeps fuerit in mœrore, sive in interitu, consequenter et populi manus conturbabuntur, suum perdentes ordinem, sive dissolventur, antiquam fortitudinem non habentes. Pulchreque non populus Dei dicitur, cujus turbabuntur manus, et cujus non est municipatus in cœlo ; sed populus terræ, de quo scriptum est : *Recedentes a te super terram scribentur* (*Jerem.* xvii, 13).

*Secundum viam eorum faciam eis, et* **80** *secundum judicia eorum judicabo eos*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *ulciscar eos*. Peccatoribus reddit Deus juxta vias suas, ut teneat judicii veritatem. Cæterum in sanctis excedit modum clementiæ. *Neque enim condignæ sunt passiones temporis hujus ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* viii, 18). *Stipendia enim peccati mors* (*Ibid.* vi, 23), quam recipit peccator juxta vias suas et opera sua. Cæterum justorum virtus fruitur Domini largitate, de qua Paulus loquitur : *Donum Dei vita æterna*. Quodque addidit : *et secundum judicia eorum judicabo eos*, illud Evangelicum sonat : *in quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* vii, 1). Et Apostolicum : *In quo enim judicio judicas alteram, teipsum condemnas. Eadem enim operaris quæ judicas* (*Rom.* ii, 1).

*Et scient quia ego Dominus*. Iste versiculus frequenter in hoc propheta ponitur, quod supplicia atque cruciatus sequatur scientia Dei, ut quem non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoscant.

# LIBER TERTIUS.

**79-80** Nihil longum est quod fidem habet, et omnis retro temporum series transacta non prodest : nisi forte bonorum operum sibi viaticum præparaverit, quæ semper ad futura, immo ad æterna respiciunt, et nullis terminis coarctantur. Vera sententia est : Omnia orta occidunt, et aucta senescunt. Et alibi : Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Quis crederet ut totius orbis exstructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis et mater fieret et sepulcrum : ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis urbis, servorum et ancillarum numero complerentur : ut quotidie sancta Bethleem, nobiles quondam utriusque sexus, atque omnibus diviciis affluentes, susciperet mendicantes ? Quibus quoniam opem ferre non possumus, condolemus, et lacrymas lacrymis jungimus : occupatique sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non patimur, explanationes in Ezechiel, et pene omne studium omisimus, Scripturarumque cupimus verba in opera vertere, et non dicere sancta, sed facere. Unde rursus a te commoniti, o virgo Christi Eustochium, intermissum laborem repetimus, et tertium volumen aggressi, tuo desiderio satisfacere desideramus : illud et te et cæteros qui lecturi sunt deprecantes, ut non vires nostras, sed votum considerent, quorum alterum fragilitatis humanæ, alterum sanctæ est in Domino voluntatis.

**81** (Cap. VIII. — Vers. 1.) *Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis, ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me.* Quinto anno transmigrationis Jechoniæ, quarto mense, quinta mensis, superiorem visionem factam ad prophetam legimus. Hæc autem quam nunc exponere volumus, sexto anno ejusdem regis, sexto mense, quinta mensis facta memoratur. Ex quo perspicuum est post annum et duos menses hæc facta quæ scripta sunt, et vel intermissam per annum et duos menses

prophetiam, vel per totos quatuordecim menses gesta, quæ superior sermo contexit. Sexto autem anno et sexto mense, et quinta die mensis, qui numeri ad fabricam mundi referuntur, et [*Al.* ad] carneos sensus, qui terrena conspiciunt, et necdum cœlestia contemplantur, factam prophetiam non mirabitur, qui ad presbyteros Juda sermonem dirigi intellexerit. E quibus septuaginta tenebant thuribula, et viginti quinque in templo adorabant solem, sedebatque propheta in domo sua fugiens frequentiam multitudinis; et senes Juda sedebant coram eo, vel prophetæ verba audire cupientes, vel insidiantes sermonibus ejus. Significanterque dicuntur senes Juda, ut nihil ad Israel, hoc est ad decem tribus, quæ prius captæ fuerant, sed ad eos qui de tribu Juda cum Jechonia ducti erant in captivitatem, dici intelligamus.

(Vers. 2.) *Et cecidit super me ibi manus Domini Dei. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis ab aspectu lumborum ejus, et deorsum ignis : et a lumbis ejus et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri.* LXX : *Et facta est super me manus Adonai Domini : et vidi et ecce similitudo quasi species viri a lumbis ejus, et deorsum ignis, et a lumbis ejus, et sursum quasi* ※ *visio auræ* *, *quasi visio electri.* Virum, Hebræus sermo non continet. *Visionem* autem *auræ*, quæ in Septuaginta non habetur, de Theodotione addidimus. Et pro eo quod nos diximus, *cecidit super me manus Domini*, Symmachus transtulit, *incidit mihi* **82** *manus Domini*, quod in Hebraico dicitur [a] TEPHPHOL (תפל). Manus autem ἐνέργειαν, id est, opera significat, ut visionis possit sacramenta cognoscere. Et hoc considerandum, quod non ipsas videat veritates; sed similitudinem ignis, quia a lumbis usque deorsum ignis apparuit; et a lumbis sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri. Pro splendore, qui in Hebraico dicitur ZOR (זהר), *auram* Theodotio transtulit, ut in supernis Dei refrigeria demonstret. Denique et in Regum volumine beatus Elias adventum Domini non in tempestate contemplatur et turbine, non in ignis ardoribus; sed in aspectu auræ tenuis atque lenissimæ, ut Dei Omnipotentis mansuetudinem comprobaret. Opera autem coitus, quæ significantur in lumbis, neque deorsum, igne purgantur. Et opera virtutum, quæ a lumbis ad superiora consurgant, splendorem habent atque fulgorem, et tamen nec ignis usque ad pedes dicitur; nec splendor electri usque ad caput, sed deorsum et sursum, ut tam in peccatoribus quam in sanctis, pro diversitate meritorum, alius usque ad illud et illud membrum; alius usque ad illa et illa perveniat. Et quomodo qui sanctitudinis perfectionem tenent, ad verticem usque perveniunt, sic qui in peccatorum A profundo sunt, plantas igneorum pedum tenere credendi sunt.

(Vers. 3.) *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei.* LXX : *Et extendit similitudinem manus, et assumpsit me in fimbria verticis mei.* Et hic similitudo manus, non ipsa manus extenditur, neque enim in Deo aliquid corporale est. Videturque manus, ut membrum humani corporis atque consueti, nequaquam terreat eum qui assumitur atque comprehenditur. Si enim in colubri, vel in qualibet alia bestiarum similitudine tetigisset prophetam, ipsa dissimilitudo membrorum terruisset assumptum. Parsque comprehenditur capillorum, quia totius apprehensionem capitis, humana natura non sustinet. Pro *cincinno*, Septuaginta **83** transtulerunt κράσπεδον, id est *fimbriam*: quorum alterum in capillis, alterum in vestibus accipi solet.

*Et elevavit me spiritus inter terram et cœlum.* Primum similitudine manus apprehenditur; postea elevatur a spiritu, qui spiritus non eum statim ad cœlum levat, sed inter terram et cœlum, ut terrena interim derelinquens, festinet ad cœlum. Possumus autem et hoc dicere, quod propter bona opera, propheta similitudine manus Dei apprehensus sit, et propter scientiam rerum spiritualium elevetur a spiritu.

(Vers. 4). *Et adduxit me in Jerusalem in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat Aquilonem, ubi erat statutum idolum Zeli ad provocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundam visionem quam videram in campo.* LXX : *Et adduxit me in Jerusalem in visione Dei ad vestibulum portæ quæ respicit Aquilonem : ubi erat statua possidentis. Et ecce erat ibi gloria Domini Dei Israel secundum visionem quam vidi in campo.* Hoc autem quod in quibusdam codicibus reperitur. ※ *Et in statua imaginem* [b] *Zeli* *, de Theodotione additum est. Reliqua similiter. Quando dicit : *adduxit me in Jerusalem in visione Dei*, ostendit se non in corpore, sed in spiritu esse translatum. Juxta quam visionem possumus et cœlos, et profunda maris, et infera conspicere, dum rationes singulorum cogitatione complectimur. Primum autem venit ad vestibulum, quod respicit ad Aquilonem, ubi videat statuam idoli Zeli ad provocandam æmulationem; ut de illo loco possit ad interiora pene B trare, et cernere reliqua, quæ postea describuntur Statuam autem idoli Baal in templo Dei positam, narrat historia. Pulchreque appellatur *idolum Zeli*, quia ad æmulationem et zelum Dominum provocat; juxta illud quod in Deuteronomio dicitur : *Ipsi me provocaverunt ad zelum in eo qui non erat Deus : et ego provocabo eos ad zelum in gente quæ non est* (*Deut.*

[a] Antea, TEPHPHOT, initio absque aspiratione. Cod. Sangerm. antiquiss., apud Montfaucon., THEPPOL.

[b] Hactenus manifesto errore obtinuit in vulgatis libris *cæli*, pro *zeli*, quod emendare non dubitavimus, cognata subnexæ expositionis contextu, atque ipsa Theodot. versione τῆς εἰκόνος τοῦ ζήλου. In Comment. quoque in Sophoniæ cap. 1: *In tantam*, inquit, *Judas, et Benjamin venerant impietatem, ut in Templo Domini, juxta quod scribit Ezechiel, et Regnorum quartus liber ostendit, statuam Baal, quam imaginem Zeli Dominus vocat, statuerint et in eodem sanctuario idola et Dominum pariter venerati sint*, etc.

xxxii). Porro quia zelus et possessio quod **84** Hebraice dicitur CENA (קנאה), eodem [a] appellantur nomine, pro *statua Zeli*, Septuaginta, *statuam possidentis*, interpretati sunt. Denique quando natus est Cain, *Possedi*, inquit parens, *hominem per Deum* (*Genes.* iv, 1), possessione hominis, ad Cain nomen alludens. Ibique erat gloria Dei Israel, non quod delectaretur tali vicinia; sed ut sui præsentia idolum Zeli, templumque deleret. Unde et subversio urbis templique post breve tempus sequitur. Et in Isaia scriptum est, quod lectus angustus nequaquam duos capiat, et pallium breve utrumque operire non possit (*Isa.* xxviii); significante Scriptura illud Apostoli: *Qui consensus Christo et Belial? Templo Dei et idolo* (II *Cor.* vii, 25)?

(Vers. 5.) *Et dixit ad me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam Aquilonis: et ecce ab Aquilone portæ altaris, idolum Zeli in ipso introitu.* Pro eo quod nos posuimus: *Ab Aquilone portæ altaris, idolum Zeli in ipso introitu*, Septuaginta transtulerunt: *Ab Aquilone ad portam Orientalem*, quod in Hebraico non habetur; cætera quæ ibi scripta sunt relinquentes. Dixit, inquit, ad me, vel gloria Dei, quam in campo videram, vel spiritus qui me inter cœlum levavit ac terram. Locutusque est mihi, postquam me transtulit in Jerusalem, et fecit vel urbem, vel templum videre, et imperavit ut levarem oculos ad viam Aquilonis. Ibi enim statua Baal posita erat, quam vocat idolum Zeli, in ipso portæ introitu. Qui autem idolum Zeli, sive possidentis, ad gloriam Dei, vel ad spiritum referunt, impie faciunt, personam idoli, Dei majestate mutantes.

(Vers. 6.) *Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vides tu quid isti faciant: abominationes magnas quas domus Israel facit hic: ut procul recedam a sanctuario meo? Et adhuc conversus, videbis abominationes majores.* Ne me, inquit, putes injuste templum deserere, et subvertendam relinquere civitatem, aspice quæ in templo faciant. Cumque illa conspexeris, non putes finem esse scelerum, **85** adhuc majora conspicies. Quod quidem potest et de nostra Jerusalem, nostroque templo intelligi, quando in exemplum Ophni et Phinees (II *Reg.* ii) idolorum scelera operamur in tabernaculo Dei; et fornicamur cum his, quæ [*Al.* qui] se militiæ et ministerio Dei voverint; et sacrificiorum ejus primitiva decerpimus, dantes in usum clientum atque famulorum, et omnia lucri causa facimus. Sin autem hæc tam magna sunt quæ videmus, quanto majora existimanda sunt quæ humanam effugiunt conscientiam?

(Vers. 7 seqq.) *Et introduxit me ad ostium atrii: et vidi, et ecce foramen unum in pariete. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem. Et cum perfodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Hoc quod transtuli: *Et vidi, et ecce foramen unum in pariete*, in Septuaginta non habetur. Et quia omnia quasi imagine picturaque monstrantur, unum in pariete foramen vidisse se dicit, juberique sibi ut illud perfodiat, et amplius faciat, quo videlicet aperto foramine, latius possit intrare et videre, quæ foris positus videre non poterat. Per quod ostenditur, tam in Ecclesiis, quam in singulis nobis, per parva vitia majora monstrari, et quasi per quædam foramina, ad abominationes maximas perveniri. Ex fructibus enim arbor cognoscitur (*Matth.* xii, 33, 34); et ex abundantia cordis, os loquitur. Pro signo sunt interioris hominis, verba erumpentia: quomodo libidinosum, quia sua callide celat vitia, interdum turpis sermo demonstrat; et avaritiam latentem intrinsecus parvulæ rei cupido significat. Minoribus enim majora monstrantur, vultuque et oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa et lasciva mens lucet in facie; et secreta cordis, motu corporis et gestibus indicantur.

(Vers. 10.) *Et ingressus vidi: et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio: et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Non solum idolum Zeli stabat in introitu portæ Aquilonis, sed et omnes Templi parietes diversis idolorum imaginibus pingebantur: ut nulla esset **86** bestia, quam non parietis pictura monstraret. Hoc in delubris idolorum, fanisque gentilium hucusque perspicimus, quod omnia genera bestiarum adoret stulta religio. Unde et Virgilius ait:

Omnigenumque [b] deum monstra, et latrator Anubis,
Quasi non et illa sint monstra quæ laudat
Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam.

Possumus et in nostri templi [*Al.* nostris templis] parietibus idola monstrare depicta, quando omnibus vitiis subjacemus, et pingimus in corde nostro peccatorum conscientiam, imaginesque diversas. De quibus et in Psalmo [*Al.* Psalmis] dicitur: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum dissipabis* (*Psalm.* lxxii, 20). Et in alio loco: *Verumtamen in imagine perambulat homo* (*Psalm.* xxxviii, 7). Quod scilicet nullus hominum sit, qui aliquam imaginem non habeat, sive sanctitatis, sive peccati. Quamobrem furiosis dicitur et iracundis: *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* (*Psal.* lvi, 5). Et de hominibus nequam: *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira* (*Matth.* iii, 7)?

[a] Notatum et Montfauconio, vocem *cena*, secundum similitudinem soni, non litterarum dici abs Hieronymo *zelum* et *possessionem* sonare, aliter enim *possessio* קנין dicitur, non קנאה: et a קנא deducitur, non a קנה. Nec desunt hujusmodi alia apud Hieronymum exempla Hebraicorum verborum, in quibus sonum tantummodo ac pronuntiationem attendit, non litteras.

[b] Virgilii versus uterque est sub finem Libr. octavi Æneidos: satisque miror quid in mentem Martianæo venerit, qui ex Ovidio, lib. ii Amorum, elegia 13, laudari illos annotavit.

Et de versipellibus ac fraudulentis : *Ite, dicite vulpi huic* (*Luc.* XIII, 32). Ac de amatoribus feminarum : *Equi insanientes in feminas facti sunt mihi : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (*Jerem.* LVIII). De brutis quoque ac vecordibus : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia.* Et iterum : *In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te* (*Ps.* XXXI, 9). Et multa hujuscemodi. Hoc autem quod posuimus : *Et ecce omnis similitudo reptilium et animantium*, in Septuaginta non habetur.

(Vers. 11.) *Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulæ de thure consurgebat.* Quando dicit septuaginta viros fuisse de senioribus domus Israel, qui tenebant thuribula manibus, ostendit multos alios fuisse presbyteros, qui hoc non faciebant, sed forsitan peccatis aliis tenebantur : unumque nomine Jezoniam filium Saphan stetisse **87** in medio eorum, quasi principem sceleris eorum, atque sacrilegii, qui omissa religione Dei, colebant idola, et in templo, non adorabant Deum, cujus erat templum, sed picturas parietum. Pulchreque dicitur : *Stabat Jezonias filius Saphan*, hoc est, *judicii* et condemnationis suæ in medio stantium presbyterorum, quia et princeps, et hi quorum princeps erat, firmo in sceleribus stabant gradu, nec fluctuabant in malo ; sed robustissime persistebant : vaporque nebulæ et confusionis ac turbinis, qui surgebat ex thure, offerentium sacrilegia demonstrabat. Hoc factum sit eo tempore juxta litteram. Cæterum et nobis orandum est, ne seniores domus Israel septenarium numerum, qui est sanctus, per septem decades multiplicantes, stent in erroribus suis, et adorent picturas idolorum, vaporque sacrilegii ascendat sive consurgat resistens Deo. Quando viderimus plebem pessimam congregatam, de qua scriptum est : *Odivi Ecclesiam malignantium* (Psal. XXV, 6) ; et pejores plebe [a] præpositos, nequioremque principem, qui præfectus est plebi atque presbyteris, dicamus Jezoniam stantem ante picturas, et singulos habere thuribula in manibus suis, non Dei majestatem, sed proprias sententias adorantes, et nequaquam odorem bonæ fragrantiæ ad Deum, sed fœtorem ad idola pervenire.

(Vers. 12.) *Et dixit ad me : Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim : Non videt Dominus nos : dereliquit Dominus terram.* Ex eo, inquit, quod in templo faciunt pariter congregati, ostenditur quid unusquisque in cubiculo suo faciat. Sed secundum anagogen melius intelligi potest, quod nonnulli principes Ecclesiarum faciant in tenebris, quæ dictu quoque turpia sunt. Iste est absconditus cordis homo, de quo dicitur : *Ingredere in cubiculum tuum* (*Mich.* VI, 4). Et rursum : *Qui videt in* [b] *abscondito* **88** *reddet tibi.* Recolat unusquisque conscientiam suam, et opera tenebrarum recordetur in tenebris, sciatque scriptum : *Omnis qui mala operatur, odit lucem, et non venit ad lucem, ne arguatur a luce* (*Joan.* III, 20 ; I *Thess.* V). Et in se illud intelliget esse completum : *Qui inebriatur, nocte inebriatur* (*Prov.* II, 25). Quod juxta litteram stare non potest. Quanti enim in prandiis conviviisque dierum inebriantur ? Sed quia ebrietas cordis offendens Deum, tenebrarum est, et non lucis, propterea quicumque inebriatur, nocte inebriatur. Cum autem seniores domus Israel fecerint mala in tenebris et in abscondito cubiculorum suorum, et putaverint se Deum posse celare, tunc consequenter dicent : *Non videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram.* Multique sunt peccatores et ambulantes juxta cogitationes suas, qui Deum non æstimant curare mortalia, nec ad illum nostra vitia pertinere. Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre et esse præsentem, numquam quod ei displicet, faceremus. Porro quod sequitur, *Dereliquit Dominus terram*, quorumdam etiam philosophorum sententia est, qui ex siderum cursu atque constantia, suspicantur esse in cœlestibus providentiam, et terrena contemni, dum nihil recti nec juxta ordinem in terris geritur.

(Vers. 13, 14.) *Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas illi* [Al. *istæ*] *faciunt. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem ; et ecce mulieres sedentes* [Vulg. *ibi... sedebant*] *plangentes Adonidem.* Quem nos *Adonidem* interpretati sumus, et Hebræus et Syrus sermo THAMUZ (תמוז) [c] vocat : unde quia juxta gentilem fabulam, in mense Junio amasius Veneris et pulcherrimus juvenis occisus, et deinceps revixisse narratur, eumdem Junium mensem eodem appellant nomine, et anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, et postea reviviscens canitur atque laudatur. Consequenterque **89** postquam principes et seniores domus Israel quid fecerint in templo ac tenebris cubiculisque monstratum est : etiam mulierum vitia describuntur, quæ plangunt amatorum societate privatæ, et exsultant, si eos potuerint obtinere. Et

[a] Legit in suo exemplari Rabanus *presbyteros* : et mox quidem Hieron. presbyteros opponit plebi.

[b] Idem, *in absconso*, quam Latinorum codicum antiquam fuisse lectionem, ad eum Matthæi locum in commentariis ostendimus.

[c] Eaque vulgo recepta sententia est, quam alibi, et præcipue epist. 58, ad Paulinum, num. 3, Hieronymus laudat, atque alii Ecclesiastici tractatores Græci Latinique confirmant. Attamen Ægyptiorum hunc cultum de Osiride et Api bove plerique recentiores exponunt, de quo Plutarchus librum integrum scripsit. Et Tibullus, lib. 1, eleg. 8 :

Barbara Memphitem plangere docta bovem.

Vide Plin. lib. VIII, cap. 46 ; Solinum, in Polyhist. cap. 36 ; Pompon. Melam lib. I, cap. 9 ; Strabon. lib. XVII. Certum porro est, Judæos tunc temporis serviliter Ægyptiis adulantes religionis cultus impios perinde ac mores civiles æmulatos.

quia eadem gentilitas hujuscemodi fabulas poeterum, quæ habent turpitudinem, interpretatur subtiliter, interfectionem et resurrectionem Adonidis, planctu et gaudio prosequens : quorum alterum in seminibus, quæ moriuntur in terra, alterum in segetibus, quibus mortua semina renascuntur, ostendi putat; nos quoque eos qui ad sæculi mala et bona, vel contristantur, vel exsultant, mulieres appellemus, molli et effeminato animo : dicamusque plangere eos Thamuz, ea videlicet quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima.

(Vers. 15, 16.) *Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis : adhuc conversus videbis abominationes majores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interius, et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis.* Quod nos *vestibulum* juxta Symmachum interpretati sumus, qui *πρόπυλον* posuit, pro eo quod LXX et Theodotio ipsum verbum Hebraicum transtulerunt [a] ÆLAM (עֵילָם) : Aquilæ prima editio, *προστάδα* : secunda, ÆLAM templi interpretata est, quam nos *porticum* templi exprimere possumus : sive intectum *atrium*, quod inter templum et altare erat. Et quia supra legimus, post idolum Zeli, quod ad portam Aquilonis apparuit : *Adhuc conversus videbis abominationes majores ;* ostensisque per parietem picturis omnium bestiarum, quas adorabant septuaginta presbyteri, et Jezonias filius Saphan, tenentes thuribula in manibus, secundo dicitur : *Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt,* eo quod sederent mulieres plangentes Adoniden; post tertium quoque peccatum dicitur : *Adhuc conversus videbis abominationes majores his.* Quæ est autem **90** major abominatio superiorum trium scelerum ? Videlicet quarta quæ sequitur : *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et* [b] *adorabant ad ortum solis,* eo quod, contempto Domino, id est, Creatore, adorarent solem, id est, Domini creaturam, præcipiente ipso Domino per Moysen (*Deut.* XII), quod nequaquam in morem gentilium contra Orientem Deum adorare deberent : sed in quacumque fuissent orbis parte, sive ad Orientem, sive ad Occidentem, sive ad Meridiem, sive ad Septentrionem, adorarent contra templum, ubi sancta sanctorum habitare Dominus credebatur. Quod quidem et Danielem in Babylone fecisse legimus (*Dan.* VI), qui apertis fenestris cœnaculi sui, adorabat Dominum contra templum, quod erat in Jeru-salem. Hoc juxta litteram fuisse sacrilegii, nemo dubitat. Secundum anagogen, omnes hæreticos pejores esse prioribus, id est, idolo Zeli pictisque in pariete figuris animantium, et planctu Adonidis, per quæ idololatria voluptasque monstratur, ille scire poterit, qui intellexerit prophetam dicentem : *Tu autem odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te* (*Ps.* XLIX, 17). Et in alio loco : *Verterunt contra me scapulam recedentem* (*Jerem.* II, 27). An ignoramus Marcionem et cæteros hæreticos, qui vetus laniant Testamentum, contempto Creatore, id est, justo Deo, alium quemdam bonum Deum colere et adorare, quem de suo corde finxerunt ? Omnesque nostri temporis hæretici, qui Dei Filium prædicant creaturam, et tamen adorant eum, relicto divinitatis templo et post tergum habito, ipsi confessione sua creaturam adorare se dicunt. Nos autem sic adoramus solem justitiæ, ut Deum adoremus in templo veteris Testamenti, ubi Lex et Prophetæ, ubi Cherubim et propitiatorium est. Quos nos *viginti quinque* viros transtulimus, LXX posuerunt, *viginti ;* et in quibusdam exemplaribus, *quinque* de Theodotione additi sunt.

**91** (Vers. 17.) *Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis : numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me ? Et ecce applicant ramum ad nares suas.* Pro eo quod nos diximus : *Et ecce applicant ramum ad nares suas,* LXX transtulerunt : *et ecce ipsi sicuti subsannantes,* quibus de Theodotione additum est, *Extendunt ramum ;* ut sit totum pariter : *Et ecce ipsi extendunt ramum quasi subsannantes.* Pro quo interpretatus est Symmachus, *quasi* [c] *emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas.* Significat autem viginti quinque viros, qui in quadrum solida statione fundati sunt, et a quinque sensibus per quinquies quinque, quadranguli figuram efficiunt, non solum templum habere post tergum, sed instar idolorum applicare ramum ad nares suas : haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone *βαΐα* vocant, ut per hoc eos idola adorare significet. Denique et Job inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit, quod numquam aspiciens cœlum et solem, et lunam, et astra fulgentia, osculatus sit manum suam (*Job.* XXXI), id est, adoraverit creaturas. Symmachi autem interpretatio, fœdum raucumque sonitum de naribus proeedentem in Dei contemptum significat. Omnesque vidéo : sieque alterum *Ælam* secundæ editionis Græcis litteris scribi *αἴλαμ*. Sed neque illud difficultate sua caret, quod in ejus lectione vocis ad Hebraicum exemplar Theodotioni ait consentire Septuaginta, cum tamen ille *οὐλάμ*, *αἴλαμ*, hi quæ et secundæ editionis versio est, legerint.

[a] Non אוּלָם *Ulam*, in suo exemplari Hebraico legebat Aquila, et Hieronymus, sed אֵילָם *Ælam*, per *aleph* et *iod*, quæ diphthongum efficiunt ex eodem Hieronymo. Hinc videas nullam variantem lectionem Hebraici contextus colligi posse ex Erasmo et Mariano, qui ubique nobis obtrudunt Hebraica verba punctis Massorethicis distincta ; haud paucas vero hujusmodi lectiones ex nostra præsenti nova editione Hieronymi fore colligendas. MART. — In Hebraico archetypo אוּלָם *Ulam* scribitur per *vau*, non *iod*, ut *Ælam* Latinis litteris reddas ; quamquam hanc vocem hic penitus omitti malim, quod et Montfaucono probari

[b] Legebatur in futuro, *et adorabunt ortum solis :* renuentibus mss. et sacro textu.

[c] Hic quoque vitiose legebatur *emittens*, cum tamen Symmachus ὡς ἀφιέντες, *quasi emittentes*, plurium numero verterit.

hæretici, qui repleverunt terram iniquitate, et conversi sunt ad falsi nominis scientiam, ut Dominum ad iracundiam provocarent, æstimandi sunt : quando laudare voluerint Deum, magis turpi sonitu blasphemare, vel Testamenti veteris Deum parvi ducere, irridere, contemnere.

(Vers. 18.) *Ergo et ego faciam in furore : non parcet oculus meus, nec miserebor. Et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Quodque sequitur, *et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos*, in Septuaginta non habetur. Pro his, ait, omnibus quæ fecerunt, ego faciam in furore, et non parcet oculus meus, nec miserebor. Quod audientes veteres hæretici, Creatorem calumniantur quasi crudelem et sanguinarium ; nec cogitant Apostolum Paulum, qui certe boni Dei (ut ipsi volunt) apostolus est, scribere **92** ad Corinthios, *Si venero rursum, non parcam* (II *Cor.* xv, 2); ut virga corripiat delinquentes, et errantes retrahat ad salutem. Qui enim non intelligunt quod sibi prosit, et orant frequenter contraria, expedit eis ut non exaudiantur a Domino. Unde et in oratione Dominica dicimus : *Fiat voluntas tua* (*Matth.* vi, 10). Non voluntas nostra, quæ errare consuevit : sed voluntas tua, quæ futura cognoscit. Magnæque interdum felicitatis est, ad præsens misericordiam non mereri. Et istis igitur, qui sunt de domo Juda, et a confessione Ecclesiæ recesserunt, non parcet Dominus. Cumque clamaverint voce magna, de qua Dominus dixit : *Clamor eorum pervenit ad me* (*Genes.* xviii) : tamen Dominus non exaudiet eos : ut malis coacti, intelligant quid fecerint.

(Cap. IX. — Vers. 1.) *Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens : Appropinquaverunt visitationes urbis.* Pro visitationibus, *ultionem* Septuaginta transtulerunt. *Mihi enim vindictam et ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* xxxii, 35). Omnisque ultio visitatio est quasi ægrotantis, quasi habentis vulnera, quasi medicas exspectantis manus, juxta illud quod alibi scriptum est : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum : misericordiam autem meam non auferam ab eis* (*Psal.* lxxxviii, 33, 34). Recteque (ut supra diximus) visitatio vel ultio appropinquare dicitur captivitate vicina.

*Et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Non dixit, *habebat*, ut Septuaginta transtulerunt. Neque enim narrat præterita, sed præsentia futuraque demonstrat. Qui igitur malos percutit in eo quod mali sunt, et habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Domini.

(Vers. 2, 3.) *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus : ingressique sunt, et steterunt juxta altare æneum. Et gloria Dei* [Vulg. *Domini*] *Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus. Et vocavit virum, qui indutus erat lineis ; et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.* Pro *lineis*, quod nos juxta **93** Symmachum interpretati sumus, LXX, ποδήρη ; Theodotio ipsum verbum Hebraicum BADDIM (בדים) ; Aquila, *præcipua*, interpretati sunt. Rursum ubi nos diximus, *et atramentarium scriptoris ad renes ejus*, LXX posuerunt : *Et zona sapphirina super renes ejus ;* Theodotio, κάστυ *scribæ in manu ejus ;* Aquila, μελανοδοχεῖον, id est, *atramentarium scribæ ad lumbos ejus ;* Symmachus, *tabulas scriptoris habebat in renibus suis.* Et ubi nos transtulimus, *limen domus*, Septuaginta et Theodotio, τὸ αἴθριον, id est, sub divo posuere *vestibulum*. Pro vase quoque interitus, quod singuli viri habebant in manibus, soli Septuaginta *securim* interpretati sunt. Ad hominum igitur peccata delenda, qui in sexta die fabricationis mundi facti sunt, veniunt sex viri, et descendunt de porta superiori, sive ut LXX transtulerunt, *excelsa* ad Aquilonem. Et habebat unusquisque securim in manibus, de qua Joannes loquitur : *Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ fructum non facit, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* iii, *Luc.* iii, 9). Eratque in medio sex virorum unus, id est, septimus, in habitu pontificis vestitus lineis indumentis, et habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, quo omnium peccata describeret, et sanctorum a peccatoribus numerum segregaret : sive zonam sapphirinam coloris lapidis sapphiri, qui in ornamentis est principis sacerdotum. Egressique sunt sex viri, et steterunt juxta altare æneum. Duo enim erant altaria : unum thymiamatis, aureum intrinsecus ; et alterum ante templum, æneum holocaustorum. Juxta altare autem stare dicuntur parati ad jubentis imperium, ut cujuscumque viderint ibi non esse peccata dimissa, sententiæ Domini et interfectioni eum subjacere cognoscant. Gloria quoque Dei Israel ascendit, sive assumpta est de uno Cherub, et ivit ad limen, sive ad subdivum atrii domus atque vestibuli, quod nequaquam tecto premitur, sed aeris fruitur libertate. Quæ ipsa gloria Domini virum, qui erat in habitu pontificis, habebatque **94** atramentarium in lumbis suis, vocavit, et dixit quæ Scriptura testatur. Quidam sex viros, sex interpretantur Angelos, qui Dei pareant voluntati : ipsumque unum qui habebat indumenta pontificis, Salvatorem intelligunt ; juxta id, quod Sacerdos est et magni consilii Angelus, illudque quod dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* cix, 4). Ποδήρη autem, quod Septuaginta transtulerunt, una ex octo vestium est pontificis, quæ Latine dicitur *talaris ;* et ex eo quod ad pedes usque descendat, hoc sortita vocabulum est. De veste pontificis ante annos plurimos scio edidisse me librum, ad cujus explanationem mitto lectorem. Neque enim possum omnia in omnibus locis dicere, quodque Aquilæ prima editio et Theodotio dixerant κάστυ, pro quo in Hebræo legitur CESATH (קסת), cum [a] ab Hebræo quæ-

[a] Ipsa hæc Origenis a Drusio laudati sunt verba : Οὐδὲν γὰρ ἡγοῦμαι σημαίνεσθαι παρ' Ἕλλησιν ἐκ τῆς κάστυ

rerem quid significaret, respondit mihi Græco sermone appellari καλαμάριον, ab eo quod in illo calami recondantur. Nos *atramentarium*, ex eo quod atramentum habeat, dicimus. Multi significantius *thecas* vocant, ab eo quod thecæ sint scribentium calamorum. De quatuor Cherubim, unus Cherub mittitur a gloria Dominicæ majestatis, locuturus ad eum, qui pontificis indumentis indutus erat. Et quamquam plerique τὰ χερουβείμ neutrali genere, numeroque plurari dici putent, nos scire debemus singulari numero *Cherub*, generis masculini, et plurali ejusdem generis *Cherubim:* non quo sexus in ministris Dei sit, sed quo unumquodque juxta linguæ suæ proprietatem diversis appelletur generibus. Angeli vocantur numero plurali *Malachim*, et *Cherubim*, et *Seraphim* ejusdem generis et numeri. Porro *sabaoth*, quod interpretatur *militiarum*, sive *exercituum* atque *virtutum*, dicuntur genere feminino, numero plurali, et desinunt in extremam syllabam OTH (וֹת) Qui autem volunt sub figura pontificis intelligi Salvatorem, de Apocalypsi Joannis utuntur exemplo, in qua scriptum est: *Et converti me, et vidi vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus aspexi septem* **95** *candelabra aurea: et in medio candelabrorum similem Filio hominis* (*Apoc.* II, 12, 13), et cætera.

(Vers. 4 seqq.) *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, et signa* THAU *super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester; neque misereamini. Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis* THAU, *ne occidatis: et a sanctuario meo incipite.* Præcipitur [a] ei qui indutus erat veste talari, sive linea, et sacerdotalem habitum præferebat, ut ponat signum super frontes virorum gementium et dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Jerusalem. Pro *signo*, quod Septuaginta, Aquila et Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit THAU, quæ extrema est apud Hebræos viginti et duarum litterarum, ut perfectam in viris gementibus et dolentibus scientiam demonstraret. Sive, ut Hebræi autumant, quia *Lex* apud eos appellatur THORA (תורה), quæ hac in principio nominis sui littera scribitur; illi hoc accepere signaculum, qui Legis præcepta compleverant. Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum **96** litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema THAU, littera, [b] crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti ma-

φωνῆς, τῶν δὲ Ἑβραίων τις ἔλεγε τὸ καλούμενον καλαμάριον εἶναι τὸ κάστυ. *Nihil autem voce κάστυ apud Græcos significari puto; Hebræus autem quidam dicebat casty esse id, quod dicitur calamarium.* Quæ nisi ab eo descripsit Hieronymus, mirum id sit, utrumque pariter et ignorasse eam vocem, et Hebræum magistrum consuluisse, idemque accepisse responsum, quod in Græco resonaret. Neque enim alienum est, quod LXX, Arabs et Syrus vertunt, *cingulum*, neque quod aliis placet, ipsum *atramentum*. Cæterum in Hieronymiano textu emendamus, *quod in illo calami recondantur*, pro *recordantur*, quod vitiose erat antea.

[a] Hanc quoque variam Thau signi, aut litteræ expositionem ex Origene sumpsit Hieronymus, cujus ut conferas, Græca ipsa verba describemus, prout sunt integriora, in Coisliniano codice, nec non in Regio bombycino apud Montfauconium. Οἱ μὲν Ο' τῷ ἐνδεδυμένῳ φασὶ τὴν ποδήρη προστετάχθαι ὑπὸ τῆς δόξης τοῦ Κυρίου, σημεῖον δοῦναι ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν καταστεναζόντων καὶ τῶν κατοδυνωμένων· πυνθανομένων δὲ τῶν Ἑβραίων, εἴ τι πάτριον ἔχοιεν περὶ τοῦ θαῦ λέγειν μάθημα, ταῦτα ἠκούσαμεν. Τινὸς μὲν φάσκοντος, ὅτι τὸ θαῦ ἓν τῶν παρ' Ἑβραίοις εἴκοσι δύο στοιχείων ἐστί, τὸ τελευταῖον ὡς πρὸς τὴν παρ' αὐτοῖς τάξιν τῶν γραμμάτων· τὸ τελευταῖον οὖν εἴληπται στοιχεῖον, εἰς παράστασιν τῆς τελειότητος, τῶν διὰ τὴν ἐν αὐτοῖς ἀρετὴν στεναζόντων, καὶ ὀδυνωμένων ἐπὶ τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐν τῷ λαῷ, καὶ συμπταιόντων τοῖς παρανομοῦσι. Ἕτερος δὲ ἔλεγε, σύμβολον εἶναι τὸ θαῦ τῶν τὸν νόμον τετηρηκότων· ἐπείπερ ὁ νόμος παρ' Ἑβραίοις θωρὰ καλεῖται, καὶ τὸ πρῶτον αὐτοῦ στοιχεῖόν ἐστι τὸ θαῦ· καὶ σύμβολον οὖν ἐστι τῶν κατὰ τὸν νόμον βεβιωκότων· τρίτος δὲ τις φάσκων, τῶν καὶ εἰς τὸν σωτῆρα πεπιστευκότων, ἔλεγε τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ θαῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι· καὶ προφητεύεσθαι περὶ τοῦ γενομένου ἐν χριστιανοῖς ἐπὶ τοῦ μετώπου σημείου, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ πεπιστευκότες πάντες, οὑτινοσοῦν προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα εὐχῶν, ἢ ἁγιῶν ἀναγνωσμάτων, etc. *Septuaginta dicunt, ei qui talari veste indutus erat, a gloria Domini præceptum fuisse, ut signum daret in frontibus gementium et dolentium. Interrogatis autem Hebræis, num quam a majoribus sibi traditam circa Thau notitiam haberent, hæc audivimus. Unus quidem dicebat, Thau unum esse ex viginti duobus Hebræorum elementis, ipsumque ultimum secundum ordinem litterarum suarum; ideoque ultimum elementum propositum fuisse ad declarationem perfectionis eorum, qui ob insitam virtutem gemebant, et de peccatis populi dolebant, et concidebant cum delinquentibus (id est ne conciderent.) Alius autem dicebat, Thau symbolum eorum esse, qui Legem servaverant, quoniam apud Hebræos lex* THORA *vocatur, et primum vocis hujus elementum est Thau; quapropter symbolum est eorum qui secundum Legem vixerant. Tertius, e numero eorum qui in Christum crediderant, aiebat vetera elementa Thau crucis formæ simile habere, ac propheticе enuntiari signum, quo Christiani frontibus insigniendi erant: quod sane omnes, qui in Christum crediderunt, efformare solent initio cujusque operis, maxime autem orationum et lectionum sacrarum.*

[b] Hieronymo Origenem, quem fere ad verbum transtulit imposuisse, dum scribit Thau Samaritanum simile fuisse cruci, Scaliger, aliique post eum docti viri contendunt, in eoque culpant, quod neutiquam consulto Samaritanorum alphabeto, hic ejus secutus sit fidem, qui neque ipse viderat, sed ex aliena scripserat fide. In siclis enim antiquissimis, qui supersunt, cum eædem incisæ sint litteræ, quæ in scriptis Samaritanis leguntur, nullaque adeo (ut colligunt) dubitandi ratio sit, alias Samaritanorum fuisse litteras, quam quæ in illis siclis visuntur; non inveniunt tamen in horum alphabeto aliquam cum crucis figura similitudinem. Verum in illis ipsis nummis aut siclis, quos jactant, perspecta adeo ad crucis decussatæ X formam Thau litteræ figura est, ut qui ad eorum fidem provocant, minime ipsi illos consuluisse credendi sint. Ter occurrit in uno Simonis P. M. ethnarchæ Judæorum, quem Rhenferdius laudat, in quo *annus primus* receptæ *libertatis* notatur, terque hoc Thau X signum pingitur. Rabbi quoque Azarias in *Meor ennaiim* hanc alteram ad instar crucis decussatæ

nus inscriptione signatur. Sunt qui putent, ex eo quod secundum Hebraicum alphabetum ista extrema sit littera, demonstrari in multitudine peccantium, reliquias superesse sanctorum. Gementes igitur dolentesque salvantur; qui non solum malis non consenserunt operibus, sed et aliena planxere peccata, secundum quod et Samuel planxit super Saul (III *Reg.* XVI), et apostolus Paulus super his qui post peccatum non egerunt pœnitentiam. Unde et ipse dicebat: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus* (II *Cor.* V, 2). Et alibi: *Tristitia mihi est magna, et incessabilis dolor cordis mei* [Al. *cordi meo*]. Præcipiturque sex viris ut præter eos qui possunt dicere: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7), cunctos interficiant, non seni parcant, non juveni, non virgini, non parvulo, non mulieri. Secundum mysticos intellectus, senes sunt in Ecclesia de quibus dicitur: *Cani hominis prudentia ejus* (*Sap.* IV, 8); juvenes qui sunt ad fidei bella promptissimi; virgines, qui pudicitiam tota mente conservant; parvuli, qui lacte potantur infantiæ, et necdum percipiunt solidum cibum; mulieres, qui [*Al.* qua] fragilitate sexus, animæ imbecillitatem testantur. Quibus universis **97** non parcitur, si absque Christi signaculo aliquid esse se credunt. Quodque sequitur: *Et a sanctuario meo incipite*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *et a sanctis meis incipite*, vel sacerdotes significat, qui versabantur in templo et adorabant idola; vel eos qui pro sacerdotii merito sancti vocabantur in populo, et qui fuerant in populis causa peccati, primi meruere supplicia. Tempus enim est (I *Cor.* VII), ut judicium incipiat a domo Dei.

(Vers. 7.) *Cœperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus. Et dixit ad eos: Contaminate domum: et implete atria interfectis.* Implere atria interfectis. Pro *atriis*, quæ Hebraice dicuntur ASEROTH (חצרות), LXX posuere *vias*. Occiduntur autem viri seniores, de quibus supra legimus quod haberent thuribula et adolerent idolis incensum. Nec est ulla templi religio: quia, offenso [a] religionis Deo, contaminata sunt omnia, ut unde peccatum, inde judicium sit. Atriaque cadaveribus complentur in templo, et non viæ, quæ utique foris erant, nisi forsitan vias intelligere possimus [*Al.* possumus] plateas civitatis. Nec audere poterant Angeli contaminare templum sanguine mortuorum, in quo prius habitabat gloria Dei, nisi hoc recedentis [*Al.* credentis] gloriæ Dominus præcepisset. Omnis qui peccato mortuus est, contaminat atria templi, et vias urbis Domini, in quibus vivit: qui cum Christo resurgens, mortuus esse desistit.

[b] *Et egressi sunt, et percutiebant eos, qui erant in civitate.* Sive, ut alii transtulerunt: *percutiebant civitatem;* pro his qui erant in urbe, ipsam urbem appellantes.

(Vers. 8.) *Et cæde completa, remansi ego: ruique super faciem meam, et clamans aio: Heu* [Vulg. *Heu, heu, heu*], *Domine Deus, ergo ne disperdas omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Jerusalem?* Cunctis, qui signaculum non habebant, cæde prostratis, corruit propheta in faciem suam, pro interfectorum multitudine, nullum præter se arbitrans remansisse. Quod quia videbatur esse contrarium ei sententiæ, qua jusserat Dominus signatarum frontium viros non esse cædendos, propterea in Vulgata editione subtractum **98** est. Nos autem sequentes Hebraicam veritatem, posuimus, *remansi ego*. Notandumque quod non dixerit, *solus:* quod si dixisset, videbatur esse contrarium; sed *remansi ego*, ut subaudiatur cum cæteris, qui frontes habuere signatas. Ut autem sciamus signanter hoc dictum, *remansi ego*, in Regum volumine, quando Elias loquitur ad Deum: *Altaria tua demoliti sunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam auferre* (III *Reg.* XIX, 14); solum posuit, quia remansisse alios nesciebat. Quidam putant ex persona Domini, in cujus typum præcessit Ezechiel, posse hoc intelligi de populo Judæorum: quando omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Psal.* XIII). Et Propheta testatur: *Salvum me fac, Domine: quoniam defecit Sanctus* (*Psal.* II, 1). Solus enim inventus est Dominus, qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus (I *Petr.* II). Quod autem intulit: *effundens furorem tuum super Jerusalem*, verbum effusionis, pœnarum ostendit magnitudinem, ut alibi legimus: *Effusa est despectio super principes* (*Psal.* CVI, 40). Et iterum: *Pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII, 2). Et in bonam partem. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris* (*Rom.* V, 5). Et: *Effusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV, 3). Et in contrarium: *Effunde furorem tuum super gentes, quæ te non intellexerunt, et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt* (*Jerem.* X; *Ps.* LXXVIII, 6). Et: *Effunde frameam, et conclude ex adverso eorum, qui persequuntur me* (*Psal.* XXXIV, 3).

(Vers. 9, 10.) *Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel et Juda magna est nimis valde. Et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione. Dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor: vias eorum super caput eorum reddam.* Videns Dominus prophetam suum flere pro populo, et admirari indignationis magnitudinem, reddit causas: non ut ille putabat injusti, vel excedentis modum supplicii, sed meritæ justæque sententiæ. Iniquitas, inquit, decem tribuum Israel et duarum tribuum

Thau litteram tradit exstitisse olim in Samaritanorum alphabeto, et qui illam a Christiano aliquo effictam suspicatus est, ut Hieronymianæ doctrinæ consentiret, eum arbitror insanire. Cæterum vide Morini Exercit. 2 in Pentateuchum Samaritanum, et Montfauconii Palæographiam lib. VI.

[a] Penes Rabanum, *offenso Deo*, absque *religionis* verbo.

[b] Præponit Victorius, suppletque ex Vulg., *Egredimini*, etc. In Hebraico quoque est יצאו.

Juda magna est, et non solum magna, sed magna nimis. Nec hoc dixisse sufficit, sed repetit, *valde*, ut pro magnitudine iniquitatis, magnitudo supplicii sit. Ex quo discimus, non ut plerique æstimant, et **99** maxime Stoici, paria esse peccata; sed vel magna vel parva, et pro qualitate mensuraque peccantium, diversitatem esse judicii punientis. *Repleta est*, inquit, *terra sanguinibus*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *populis* : et *civitas est repleta aversione;* aut, ut Vulgata habet editio, *iniquitate et immunditia:* non modicus sanguis effusus est, sed de porta usque ad portam : et omnis civitas declinavit a cultu Dei, et pro eo plena est immunditia, idololatriæ videlicet sordibus. Causa autem tantorum scelerum illa est, quod putaverunt providentiam non esse super terram, nec Deum curare mortalia, juxta illud quod alibi legimus (*Virgil. l.* IV, *Æneid.*):

> Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
> Sollicitat.

Quia igitur illi vel putaverunt non esse providentiam : vel quæ ante fuerat in populis, hoc tempore suum populum reliquisse : propterea et Dei non parcet oculus, nec miserebitur : ut contra vitia sæviens, placabilis sit virtutibus : viasque eorum atque peccata reddat super capita eorum, vel super principale (ἡγεμονικὸν) cordis, vel super principes populi, juxta Numerorum librum, in quo capita populorum principes esse dicuntur.

(Vers. 11.) *Et ecce vir, qui indutus erat lineis, qui habebat atramentarium in* [a] *lumbis suis, respondit dicens : Feci sicut præcepisti mihi.* LXX : *Et ecce vir, qui indutus erat podere* (id est, *veste talari*) *et accinctus zona lumbos suos, et respondit verbum dicens : Feci sicut mandasti mihi.* Ipse est vir, cui jussum est transire per mediam Jerusalem, et ponere signum in frontibus virorum gementium et dolentium super cunctis iniquitatibus eorum. Dicit ergo se Domini præcepta complesse, et signaculo THAU litteræ frontes signasse [*Al.* armasse] lugentium. Sex autem viri quibus præceperat Dominus, dicens : *Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: nulliusque misereamini usque ad internecionem*, nihil tale renuntiant. Neque enim lætitiæ, sed mœroris implevere sententiam, quæ non sermone, sed opere probatur. Et in hoc loco pro ποδήρη, id est, *veste talari*, quam interpretati sunt Septuaginta, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit BADDIM (בדים); Symmachus, *lineam;* Aquila, *præcipuam*, sive *stolam*. **100** Pro *zona* quoque Symmachus, *tabulas;* Aquila, *atramentarium;* Theodotio, κάστυ posuerunt.

(Cap. X. — Vers. 1, 2.) *Et vidi, et ecce in firmamento quod erat super caput Cherubim quasi lapis sapphirus : quasi species similitudinis solii apparuit super eam* [Vulg. *ea*]. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait : Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherub* [Vulg. *Cherubim*) : *et imple manus tuas prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim : et effunde super civitatem.* De firmamento, quod erat super Cherubim, et de lapide sapphiro, qui habebat similitudinem throni, et de rotis quæ animalia sequebantur, supra dixisse sufficiat, et illorum lector explanatione contentus sit. Nunc autem quod jubetur ille, qui indutus erat lineis, pro quo Septuaginta in hoc loco *stolam* interpretati sunt, ut tollat prunas ignis de medio Cherubim, et effundat sive spargat super civitatem, illud mihi videtur ostendere, quod post interfectionem cædemque multorum, et in viis cadavera mortuorum, prunarum ignis assumitur, ut puniat, sive mundet Jerusalem : juxta illud quod in Isaia scriptum est : [b] *Sanctificavit eum in igne ardente, et devorabit sicut fenum materiam* (*Isa.* x, 17). Isti sunt carbones, quos in remedium linguæ atque mendacii desolantes vitia atque peccata, Propheta interrogatus exoptat : *Quid detur tibi, et quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CXIX, 3, 4). Multaque istiusmodi in Scripturis sanctis invenire poterimus; de quibus crebro diximus. Hoc tantum notandum est, quod in Isaia, qui tantum in sermone peccaverat, et immunda labia habere se dixerat, ad purgandum unus forcipe carbo comprehenditur. Hic vero quia erat civitas plena iniquitate, et post supplicia cadaveribus mortuorum, plures assumuntur carbones ignis, et non una manu, sed ambabus, ut omnis purgetur Jerusalem. Quamquam et hoc intelligendum sit, quod non ad purgationem, sed ad pœnas atque cruciatus, prunæ ignis assumendæ sint, quæ effundantur super Jerusalem.

(Vers. 3 seqq.) *Ingressusque est in conspectu meo. Cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius. Et elevata est gloria Domini desuper* **101** *Cherub ad limen domus, et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini. Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens : Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim : ingressus ille stetit juxta rotam. Et extendit Cherub manum de medio Cherubim, ad ignem qui erat inter Cherubim, et sumpsit et dedit in manus ejus, qui indutus erat lineis. Qui accipiens egressus est, et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* Vidente propheta, ingreditur vir, qui indutus erat talari veste vel linea, et ut LXX nunc interpretationem commutant, *stola sancta*, cum apud Hebræos unus sermo habeatur BADDIM (בדים), et cæteri interpretes in cœpta translatione persistant. Ingreditur autem, ut secundo dicitur, in medio rotarum, quæ sunt subter Cherubim; ut impleat manus suas ignels carbonibus. Qui cum esset ingressus, stetit tantum juxta rotam, et vel ob tristitiam puniendæ Jerusalem, vel ob gloriæ magnitudinem stupens, manum ad ignem ipse non misit, sed unus

[a] Hieron. versio, *in dorso suo, respondit verbum, dicens.*

[b] Victor., *sanctificabit*, ex Græco ἁγιάσει.

de Cherubim, id est, Cherub misit manum, et tulit ignem, qui erat in medio Cherubim, et dedit in manum ejus, qui indutus erat vestibus lineis. Qui accipiens egressus est; et tamen Scriptura non dicit, egressus quid fecerit : ut tristis rei narrationem intelligentiæ potius nostræ relinqueret, quam oculis subjiceret. Introeunte autem viro, qui indutus erat vestibus lineis, Cherubim stabant a dextris domus, ut sanctæ superuæque virtutes dexteram domus Dei partem tenere viderentur, et illæ quæ mittuntur ad supplicia, de quibus scriptum est : *Immissionem per angelos pessimos* (*Psal.* LXXVII, 49), sinistras partes possidere credantur. Cumque elevata esset gloria Domini de Cherub, qui carbones ignis viro traditurus erat; et transiisset ad limen domus, statim nube, tenebris, et caligine atrium impletur interius. Neque enim, præsente Domini majestate, exercentur supplicia, et gloria Domini videtur in atrio, de quo scriptum est : *Sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius.* Pro *sonitu* in Hebræo, *vox* ponitur : quæ vox habebat similitudinem vocis Dei **102** Omnipotentis loquentis. Pro quo Septuaginta transtulerunt : *sicut vox Dei* SADDAI (שדי); quod Aquila, Symmachus, et Theodotio ἱκανὸν, quod *fortem potentem*que significat, transtulerunt. Nota, lector, in quibus superior, et hæc Visio concordent, sive discordent, ut ex collatione utriusque absque nostro admonitu, divina intelligas sacramenta, et illud quod ante commonui, quoniam et [*Al.* si] in firmamento, et in throno, et in manu hominis non veritas, sed similitudo dicatur. Neque enim facie ad faciem revelato vultu, gloriam Domini contemplamur; sed in similitudine omnia videmus et imagine, quamdiu fragili et corruptibili, et mortali circumdamur corpore (1 *Cor.* XIII).

(Vers. 8 seqq.) *Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta Cherubim. Rota una juxta Cherub unum, et rota alia juxta Cherub unum. Species autem erat rotarum quasi visio lapidis chrysolithi, et aspectus earum, similitudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ. Cumque ambularent in quatuor partes gradiebantur, et non revertebantur ambulantes, sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et cæteræ, nec convertebantur. Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. Quatuor autem facies habebat unum. Facies una, facies Cherub : et facies secunda, facies hominis, et in tertio, facies leonis; et in quarto, facies aquilæ, et elevati* [Al. *elevata*] *sunt Cherubim.* Observa quæ prius fuerit, vel quot species rotarum, juxta LXX, *quasi visio tharsis* : nunc autem juxta eosdem, *quasi visio carbunculi*; ut pennarum per ignem, qui a Cherub traditur, similitudo monstretur : licet in Hebraico, et supra, et hic THARSIS (תרשיש) scriptum sit : quod Aquila *chrysolitum*, Symmachus, *hyacinthum* transtulerunt. Rursumque ubi nos vertimus : *Et omne corpus earum*, quod subauditur rotarum, in Hebræo scriptum est : *Et omnes carnes earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli.* Nota carnes appellari in supernis virtutibus, ut quando legimus : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptionem* (1 *Cor.* XV), sciamus non substantiam carnis, sed opera condemnari : BASAR (בשר) enim quod in hoc loco scribitur, non *corpus*, sed *carnem* significat. Circulos **103** autem rotarum, cantos (Sic) ferreos appellavit, quibus lignorum rotunditas arctatur et stringitur. Rotæ autem istæ non solum carnes habent, vel corpus, aut membra : sed et colla, et manus, et pennas, ut efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus. Rotæ quoque ipsæ appellatæ sunt lingua Hebraica GELGEL (גלגל), quod Symmachus, *volubiles*, Aquila, *rotam* interpretatus est. Porro quod sequitur : *Audiente me*, usque ad eum locum ubi scriptum est : *Elevati* [Al. *elevata*] *sunt Cherubim*, in LXX non habetur; sed de Hebraico additum est. In quo observandum, quod nequaquam, ut supra dicitur : Facies hominis, et facies leonis [a] a dextris quatuor, et facies vituli a sinistris quatuor : et facies aquilæ quatuor; ut videlicet alia a sinistris, alia a dextris esse credantur : sed omnium æqualis ordo describitur, dicente Scriptura : Quatuor autem facies habebat unum : Facies una, facies Cherub, et facies secunda, facies hominis : et in tertio facies leonis : et in quarto facies aquilæ; ut prima et secunda, et tertia, et quarta facies, non locorum diversitate dextri et sinistri, sed uno per gradus ordine describatur. Unam autem faciem, id est primam, appellavit Cherub, pro qua supra dixerat, facies vituli. Ex quo intelligitur faciem Cherub esse faciem vituli. Quorum omnium sensum, præteritæ visionis explanatio continet.

(Vers. 15 seqq.) *Ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar. Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter et rotæ juxta eos* [Al. *ea*]. *Et cum elevarent Cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non* [b] *resistebant rotæ : sed et ipsæ juxta erant. Stantibus illis stabant, et cum elevatis elevabantur. Spiritus enim vitæ erat in eis.* Omnia vivunt Deo, et suum sentiunt Creatorem. *Non est enim Deus mortuorum, sed viventium* (*Matth.* XXII, 32). Unde et omnia corpora rotarum plena sunt oculis (*Supra* 1). Et in psalmo dicitur : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (*Ps.* XVIII, 1, 2). Sol quoque et luna, **104** mare et flumina, montes et colles laudant Deum, et in suum circulum per annos

[a] Voces *a dextris*, quæ antea post aquilæ nomen subdebantur, cum Victorio huc revocavimus, junximusque leonis nomini ad sacri textus, et cum primis Græci τῶν LXX sup. cap. 1 fidem.

[b] Factum pridem videatur scribarum errore, ut pro *residebant*, quod præfert Vulgata Hieronymi versio, textusque Hebræus לא ישבו, et probatum Victorio est, legatur *resistebant*; sed quando ferme idem est sensus, mss. vero non suffragantur, nihil duximus immutandum.

singulos elementa volvuntur, cœlorumque rationem in terris deprehendimus, ut antiquæ legis ordinem conservantes volvantur et currant; et nihil novum cernamus super terram. Quod autem dicitur : *Ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar* (*Eccles.* 1), Scriptura demonstrat eadem nos debere intelligere in expositione animalis, quæ supra intellexímus.

(Vers. 18 seqq.) *Et egressa est gloria Domini a limine Templi, et stetit super Cherubim. Et elevantes* [Al. *elevantia* et *exaltata*] *Cherubim alas suas, exaltati sunt a terra coram me. Et illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt. Et stetit in introitu portæ domus Domini Orientalis, et gloria Dei Israel erat super eos* [Al. *ea*]. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel, juxta fluvium Chobar : et intellexi, quia Cherubim essent. Quatuor, per quatuor vultus uni : et quatuor alæ uni, et similitudo manus hominis sub alis eorum : et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram juxta fluvium Chobar, et intuitus eorum et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.* Gloria Domini, sive majestas, quæ steterat in templi limine, stetit super Cherubim. Qui elevantes [*Al.* Quæ elevantia *et* exaltata] alas suas, propheta cernente, exaltati sunt, rotis pariter sequentibus, et stetit in introitu portæ domus Domini Orientalis, paulatimque protectio Dei reliquit Israel. Primum fuit in templo, deinde stetit in atrio templi sive limine : qua recedente de templo, nubes et caligo implevit templi penetralia. Rursumque ipsa gloria sedit super Cherubim, et illis statim avolantibus, et ad exteriora abeuntibus, secutæ sunt rotæ. Et gloria stetit in porta domus Domini Orientalis, non in janua templi, sed post atrium et limen in introitu portæ domus Domini Orientalis. Quod cum propheta vidisset, ipsum est, inquit, animal, quod vidi subter Deum Israel, juxta fluvium Chobar, et intellexi, quia Cherubim essent. Quid enim novi viderat, quod intelligeret esse Cherubim, quæ prius non intellexerat? *Cherubim* in lingua nostra *scientiæ* **105** *multitudo* est: notitia sacramentorum Dei, et thronus ejus ac requies. Unde et in psalmo dicitur : *Qui sedes super Cherubim, manifestare* (*Ps.* LXXIX, 2). Semper enim gloria Domini sedet in scientiæ multitudine : et tunc manifestatur, quando cuncta regi providentia demonstrantur; nec fortuitu quid fieri, nec dicere quempiam : *Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt* (*Supra* IX, 9). Unde et intuitus Cherubim et appetitus eorum, est oblivisci præteritorum, et in futura se extendere (*Philipp.* III).

(Cap. XI. — Vers. 1.) *Et elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini Orientalem quæ respicit solis ortum.* Quia egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim; posteaque avolantibus Cherubim, stetit ipsa gloria in introitu portæ domus Domini Orientalis, et propheta quia per se ad eam ire non poterat, elevatus a spiritu est, et ductus ad eamdem portam domus Domini Orientalem, quæ respicit solem justitiæ, de quo scriptum est: *Ecce vir : Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12) : ut nequaquam remaneret in templo, quod erat ignorantiæ nube confusum; sed stans in porta domus Domini Orientalis, quæ sequuntur sacramenta cognosceret.

(Vers. 2 seqq.) *Et ecce in introitu portæ viginti et quinque viri, et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Phaltiam filium Banajæ principes populi. Dixitque ad me : Fili hominis, hi viri, qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, dicentes : Nonne dudum ædificatæ sunt domus? Hæc est lebes, nos autem carnes. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare, fili hominis. Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me, loquere : Hæc dicit Dominus : Sic locuti estis domus Israel, et cogitationes cordis vestri ego novi. Plurimos occidistis in urbe hac, et implestis vias ejus interfectis. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes, et educam vos de medio ejus. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus, et ejiciam vos de medio ejus : daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis judicia. Gladio cadetis : in finibus Israel judicabo vos, et scietis quia* **106** *ego Dominus. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio ejus in carnes. In finibus Israel judicabo vos, et scietis quia ego Dominus.* [a] Quod sequitur, in Septuaginta non habetur, sed de Hebræo additum est : *Quia in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis : sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati.* Assumitur propheta juxta illud quod scriptum est : *Assumens mansuetos Dominus* (*Ps.* CXLVI, 6); sive elevatur a terra, et introducitur ad portam domus Domini Orientalem, ut possit viginti quinque virorum qui erant in introitu portæ, et Jezoniæ filii Azur, atque Phaltiæ filii Banajæ, principum populi sacramenta cognoscere. Hi igitur qui erant in introitu portæ domus Domini Orientalis, desperantes salutem, et scelerum conscientia parati ad interitum, nec volentes per pœnitudinem peccata corrigere, dicunt : Licet nuper post primam captivitatem ædificatæ sint domus quæ ante corruerant, tamen scimus hanc civitatem esse instar lebetis, nosque pro carnibus, ut in ea consumamur et concrememur, juxta illud quod in Isaia scriptum est : *Tempestas si transierit, non assumet nos* (*Isai.* XXVIII, 15). Illis ista dicentibus, irruit in prophetam spiritus Domini; et secundo præcipit ut vaticinetur, et dicat : Quoniam ista dixistis, et cordium vestrorum me secreta non fallunt, ego vobis interpretabor quomodo civitas in lebetem, et vos in carnes reputemini : non juxta illum sensum quem locuti estis; sed juxta alterum quem non timetis. Est quidem ci-

[a] Expunximus mss. ope subsequentem versiculum, *Quia in præceptis meis non ambulastis*, etc., quia hic nedum superfluo, sed et incommoda contextus serie recitabatur, cum mox suo loco positus sit.

vitas in lebetis similitudinem, sed non vestris implebitur carnibus; verum eorum quos interfecistis. Vos autem qui arbitramini vos in hac urbe morituros, educam de medio civitatis, et tradam hostium manibus: faciamque in vobis judicia; ut cum ceciderítis gladio, nequaquam in urbe, nec extra terminos Israel, sed in finibus vestræ provinciæ, tunc cognoscatis quod ego sim Dominus. Secundoque dicitur: *In finibus Israel judicabo vos, et scietis quia ego sum Dominus.* Hæc autem universa patiemini, quia in præceptis meis non ambulastis; et judicia mea non **107** fecistis, sed cæterarum in circuitu gentium scelera estis operati. Cumque secundum litteram manifestum sit quod dicitur, omissis parumper Jezoniæ et Azur, Phaltiæ et Banajæ nominibus, quæ in tempus aliud reservamus, hoc dicendum est, quod usque hodie in Ecclesia, quæ est domus Domini, et ante portam, et in introitu, sive in via portæ, quæ significat Salvatorem, per quem ingredimur ad Patrem, sunt viginti quinque viri, ad sensus cuncta referentes. Et quantum non subterfugit memoriam meam, numquam in bonam partem hunc numerum potui reperire: licet in [a] Levitico ad sacerdotale ministerium a viginti quinque annis eligantur; in Hebræo enim non habet hunc numerum, qui in Septuaginta dicitur, sed tricenarium, qui in exordio hujus prophetæ, et Domini continetur ætate, quando venit ad fluenta Jordanis, et a Joanne baptizatus est (*Luc.* III). Sin autem in Evangelio quinque virgines prudentes, et quinque stultæ reperiuntur (*Matth.* XXV), sciamus hunc numerum in medio positum, et pro qualitate utentium, vel ad bonam vel ad malam partem posse conferri. Hi igitur viri, qui cuncta ad sensus referunt, et habent duos principes, de quibus supra diximus, duali numero continentur, qui scindit unitatem, et in secundæ diei numero non videtur a Domino, juxta Hebraicam veritatem. Unde et in Arca Noe, bina et bina introducuntur immunda (*Genes.* VI). Dominus autem scissionem in unum coarctans, fecit utrumque unum, et solvit medium parietem, inimicitias in sua carne condemnans (*Ephes.* II). Unde et augustius quid loquitur atque sublimius: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 5), ut a Judaica dualitate, in unionem nos revocet fidei Christianæ. Denique, pontificatu perdito Judæorum, Dominus patitur nequaquam sub uno principe, sed sub duobus, Anna et Caipha: ut religionis eorum scissum [*Al.* falsum] monstraret errorem. Sunt multi in hujus portæ introitu ante domum Domini Orientalem, qui vitiis suis nationibus comparantur, et peccatorum conscientia desperant salutem, et dicunt: Civitas in qua versamur, lebes est, et nos omnes carnes, et Babylonio consumemur **108** ardore, cujus jacula ignita sunt: nolentes agere pœnitentiam, et desperantes salutem; propterea audiunt, quod non ipsi sint carnes præteritæ et perditæ civitatis, sed hi quos scandalizaverint, et quos interfecerint. Idcircoque super eos gladius inducitur, ut postquam in finibus Israel nequaquam inter gentes, sed inter Christianos fuerint judicati, tunc cognoscant, quod ipse sit Dominus secundum illud quod in Psalmis legitur: *Cum interficeret eos, requirebant illum* (*Psal.* LXXVII, 34): ut quem per beneficia non senserant, per tormenta cognoscant.

(Vers. 13.) *Et factum est cum prophetarem, Phaltias filius Banajæ mortuus est: et cecidi in faciem meam, clamans voce magna, et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus: consummationem tu facis reliquiarum Israel?* Vaticinante propheta, unus e duobus principibus *Phaltias* filius Banajæ moritur, qui interpretatur *ruina declinans*, et est filius *structoris*, sive *cæmentarii*: οἰκοδόμος enim aliud in linguam nostram verti non potest. Alter principum servatur incolumis, *Jezonias* filius Azur. Jezonias *aures ejus* sonat, quod subauditur animæ. *Azur* vero *fulcrum*, sive *adjutorium*. Qui igitur cadendo a Domino declinarat, et erat ædificationis pessimæ, recte cadit, prophetante eo, quem confortavit Deus. Qui autem præceptis obediebat Dei, et illius sustentabatur ac fulciebatur auxilio, recte in imperio populi permanet. Legimus in Exodo (*Cap.* II), mortuo Pharaone rege Ægypti, ingemuisse filios Israel ab operibus luti, palearum ac laterum, et clamasse ad Dominum, quem, illo vivente, inclamare non poterant. Isaias quoque (*Cap.* VI), mortuo Osia rege leproso, vidit Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et Seraphim stantia circa eum; intelligensque immunda habere se labia, et habitare in populo immunda labia habente, meretur ut de altari carbo mittatur, et labia ejus purget immunda. Hic autem, prophetante fortitudine Dei, princeps qui a Domini declinaverat servitute, cadit ut elevetur a Christo. Si enim resurrectio Dominus, ruina diabolus est. In quo quæritur, **109** quomodo de Salvatore dicatur. *Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II, 34). In ruinam eorum, qui stabant pessime, et resurrectionem eorum, qui ceciderant. Quod cum propheta vidisset, cecidit in faciem suam: non peccantis merito, sed plangentis affectu; et voce magna, quæ de magno fidei ardore veniebat, tertio clamavit, et dixit, *Heu, heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel?* Et est sensus: Etiam ipsæ reliquiæ, quæ esse videbantur in populo, te indignante, delentur.

(Vers. 14 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, fratres tui, fratres tui: viri propinqui tui, et omnis domus Israel universi, quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Longe recedite a Domino: nobis data est terra in possessionem. Propterea hæc dicit Dominus Deus: quia longe feci eos*

[a] Pro Levitici libro Victor. librum Numerorum substituit: Est enim, inquit, testimonium hoc Num. IV, ubi juxta Hebraicam veritatem Vulgata in editione nos legimus: *Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos et familias suas a tricesimo anno et supra usque ad quinquagesimum annum.* Quo in loco LXX legunt, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε, id est *a vigintiquinque annis.*

*in gentibus, et quia dissipavi eos in terra* [Al. *dispersi eos in terris*]. *ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerint* [Vulg. *venerunt*]. **LXX** : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, fratres tui et viri captivitatis tuæ , et omnis domus Israel consummata est ; quibus dixerunt habitatores Jerusalem : Longe recessistis a Domino : nobis data est terra in hæreditatem. Propterea ait : Hæc dicit Adonai Dominus, quia repellam eos in gentes, et disseminabo eos in omnem terram, et ero eis in sanctificationem parvulam in regionibus, ad quas ingressi fuerint illuc.* Primum de interpretationis varietate dicendum est. Pro eo quod in Hebræo habetur, *viri propinqui tui* ( hoc enim significat GOOLATHACH גאלתך ) **LXX** transtulerunt, *viri captivitatis tuæ*. Deinde ubi sequitur : *universi quibus dixerunt habitatores Jerusalem ;* pro *universis*, illi posuerunt, *consummata est*, propter litterarum et verbi ambiguitatem : [a] CHULLO (כלה) enim quod Aquila et Symmachus et Theodotio *universos* interpretati sunt ; illi verterunt, *consummata est*, quod juxta sensum omnino non resonat. Factus est igitur sermo Domini ad Ezechielem, qui dixerat : *Heu, heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel ?* In Phaltiæ videlicet morte, et eorum qui cum eo interfecti sunt, quod nequaquam illæ sint reliquiæ, quas in Jerusalem putabat **110** propheta, sed hi qui in Babylone videbantur esse captivi. Et est sensus : O fili hominis, fratres tui de eadem tecum stirpe geniti, fratres, inquam tui, quibus dixerunt habitatores Jerusalem, vos recessistis a Domino, quia captivi estis, et cum Jechonia vos tradidistis, nobis autem terra Israel data est in æternam possessionem. Dic ergo eis, quod longe quidem eos fecerim a terra Israel, et disperserim in nationes, et in alienis terris esse præceperim ; sed quia meæ obedierint jussioni, sint in eis futurus etiam in peregrinis et hostilibus locis in parvam sanctificationem : dum plerique inveniantur ex eis, qui idololatriæ nequaquam colla submittant ; sed memores sint mandatorum Dei, sicut fuerunt Daniel et tres pueri, et cæteros fuisse credendum est, in similitudinem tantorum principum quos Scriptura nunc commemorat (*Dan.* III). Ex quibus universis discimus, non esse insultandum his, qui Dei judicio pœnis traditi sunt ; nec exprobrandum homini converso a peccatis suis ; nec pœnitentibus et egressis de Ecclesia aliquando dicendum : *Longe recessistis a Domino ; nobis data est terra in possessionem.* Quia hæc dicit Dominus : Licet eos parumper a mea Ecclesia separaverim, et inter gentes disperserim : tamen ero eis in sanctificationem modicam, dum meminerint peccatorum suorum, ut qui propter vitia recesserunt de loco suo [Al. terra sua], propter pœnitentiam ad sedes pristinas redire festinent.

(Vers. 17 seqq.) *Propterea loquere : Hæc dicit Dominus Deus : Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes de illa* [Vulg. addit *ejus*]. *Et dabo eis cor unum* (sive *alterum*) *et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. Quorum autem cor post offendicula et abominationes suas ambulat : horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus.* Loquitur sermo divinus ad eos, qui captivi erant in terra Babylonis, ad **111** fratres Ezechielis prophetæ, et ad propinquos quibus dixerunt habitatores Jerusalem [*Al.* Israel] : Longe recessistis a Domino, nobis data est terra in possessionem. Loquitur autem hæc quæ sequuntur : Congregabo vos de populis, et reddam vobis terram Israel. Cumque ingressi fueritis, auferetis cuncta idola, propter quæ offenderatis Deum, et dabo vobis cor unum timoris, et servitutis Dei, ut nequaquam diversis idolis servientis, sive alterum quam prius habuistis. Et spiritum novum tribuam in visceribus vestris, juxta illud quod scriptum est : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Ps.* L, 12). Et auferam a vobis cor lapideum, id est, cor durum, secundum illud quod loquitur Stephanus primus martyr in Christo : *Dura cervice, et incircumcisi corde* (*Act.* VII, 51). Et induratur cor Pharaonis, ne dimittat populum Israel (*Exod.* VII). Et dabo, inquit, vobis cor carneum, molle, et tenerum, et quod possit Dei mandata suscipere, ut scribantur in tabulis cordis carnalibus. Idcirco autem datur cor molle, et aufertur cor durum, ut in præceptis meis ambulent, judiciaque custodiant, et sint in populo Dei : Dominusque, qui prius fuerat adversarius, sit eis in Deum. Qui autem nequaquam pœnitentia priora peccata correxerint, sed ambulaverint post abominationes suas retribuam, ait, eis, quod merentur, ut viæ eorum ponantur in capitibus eorum. Hæc sub Zorobabel filio Salathiel, et sub Jesu filio Josedec sacerdote magno, et sub Ezra ac Neemia accidisse tribui Judæ, et his qui cum eis reversi sunt, plerique æstimant. Habitatores quoque Jerusalem, qui sub Sedecia rege Judæ capti sunt, vel qui fugerunt cum Jeremia in Ægyptum, in omnes terras esse dispersos, et nequaquam esse reversos in urbem Jerusalem. Plena autem conversio eorum, qui captivi erant, et reliquiarum Israel intelligitur in Christo, quando reliquiæ salvæ factæ sunt, et una die crediderunt tria millia, et iterum quinque millia (*Act.* II) ; et alii de quibus loquitur Jacobus ad apostolum Paulum : *Vides, frater, tanta millia credentium Judæorum ? hi omnes æmulatores Legis sunt* (*Act.* XXI, 20). Sed et quotidie superbi **112** habitatores urbis Jerusalem, quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, Dei merentur offensam, et

[a] Unus Vatic. ms. cum vetustiss. Sangermanensi penes Montfauconium, CHOLLO.

*hi qui forte erant, ablato* corde lapideo, et accepto corde mollissimo, per pœnitentiam revertuntur ad Ecclesiam ; et ambulant in præceptis Domini, judiciaque ejus custodiunt, funtque Domini populus, et Dominus, quem prius offenderant, fit eis Deus.

(Vers. 22, 23.) *Et elevaverunt Cherubim alas suas, et rotæ cum eis, et gloria Dei Israel erat super eos* [Al. *ea*]. *Et ascendit gloria Domini de medio civitatis : stetitque super montem, qui est ad Orientem urbis.* Paulatim gloria Domini recedit de Jerusalem. Primum templum deserens, stat in atrio vel in limine domus, et postea in introitu portæ Orientalis ; novissime, sublatis pennis rotisque sequentibus, stat super montem, qui est ad Orientem urbis, haud dubium quin montem significet Oliveti, unde Salvator ascendit ad Patrem. Stabatque gloria Domini, quæ de Jerusalem urbe discesserat super montem Oliveti, in signum resurrectionis et lumuris, ut inde perituram arsuramque cerneret Jerusalem. Quodque dicit : *Ascendit gloria de medio civitatis* (*Joan.* XIV, 31), aliis verbis loquitur Dominus ad discipulos : *Surgite, abeamus hinc* (*Luc.* XIII, 35). Et ad Judæos : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Josephus quoque [a] refert auditam vocem in templo angelorum et fortitudinum cœlestium, quæ prius in urbis præsidio erant : abeamus ex his sedibus (*Joseph. Antiq. Jud.*). Mirumque in modum usque in præsentem diem gloria Domini, quæ deseruit templum, stat super montem Oliveti, et in crucis signo rutilans, spectat templum quondam Judaicum, in favillas et cineres dissolutum.

(Vers. 24, 25.) *Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem in visione in spiritu Dei, et sublata est a me visio, quam videram. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.* Pro eo quod nos ex Hebraica veritate transtulimus : *Et sublata est a me visio, quam videram*, LXX transtulerunt : *Et ascendi a visione, quam videram.* Quod utrumque significat non in corpore prophetam in Jerusalem de Babylone translatum, sed in **113** spiritu, sublataque visione quæ eum in spiritu duxerat Jerusalem, et universa monstraverat, quæ superior sermo narravit, reversus est in semetipsum, et locutus est ad transmigrationem omnia quæ ei fuerant demonstrata, ad eos videlicet, de quibus supra scriptum est : *Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant juxta me, et cecidit super me ibi manus Domini Dei, et vidi* (*Supra* VIII, 1). Mirumque in modum sedentibus his qui ad se venerant visitandum, visiones mysticas propheta cernebat, et absens erat ab his qui coram se sederant, absque spiritu, præsens corpore. Omniaque fiunt, ut consolationem recipiant qui captivi erant, quod reducendi sint in terram Israel, et ambulaturi in præceptis Domini, futurique ei in populum, et ille futurus sit eis in Deum. Qui autem non fuerint conversi ad pœnitentiam, sed ambulaverint post abominationes suas, recipiunt quæ fecerunt. Verba autem in Scripturis sanctis pro rebus dici sæpe admonuimus.

(CAP. XII.—Vers. 1 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas : qui oculos habent ad videndum, et non vident : et aures ad audiendum, et non audiant : quia domus exasperans est.* Pro eo quod nos vertimus : *In medio domus exasperantis tu habitas*, LXX posuerunt : *In medio iniquitatum eorum tu habitas.* Sed ex eo quod sequitur, *Quia domus exasperans est*, intelligimus priorem quoque sententiam huic versiculo convenire. Pro exasperatione quoque, dici amaritudinem, crebro docuimus, ut sit sensus : in medio domus ad amaritudinem convertentis, tu habitas, quæ Deum natura dulcem atque clementem, vitiorum suorum amaritudine, amarum facit atque crudelem. Alioquin de Deo legimus : *Gustate et videte, quoniam suavis*, sive *dulcis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Habitat autem propheta in medio populi Dei ad amaritudinem provocantis, qui habet oculos, et non videt : aures, et non audit, non vitio sensuum, sed pertinacia pravitatis. Unde et Dominus ad Judæos : *Si cæci*, inquit, *essetis, peccatum non haberetis* (*Joan.* IX, 41) : voluntariam cæcitatem in illis arguens atque condemnans. Quia ergo oculos habent ad videndum, et non vident : aures ad audiendum, et **114** non audiunt, et tua verba contemnunt, doce eos per imaginem atque picturam ; et schematibus ostende corporeis, ut venturam captivitatem non solum auditu, sed et oculis recognoscant.

(Vers. 3.) *Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis : et migrabis* [Vulg. *transmigrabis*] *per diem coram eis. Migrabis autem de loco tuo, ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant : quia domus exasperans est.* LXX : *Et tu, fili hominis, fac tibi vasa captivitatis ; et captivare per diem coram eis : et captivare de loco tuo in locum alterum in conspectu eorum, ut videant quia domus exasperans est.* Nulli dubium quin universa loci hujus continentia, futuram captivitatem indicet regis Sedeciæ tribus Judæ, qui captus est cum Jerusalem. Sed quoniam quidam volunt captivitatem Sedeciæ, qui interpretatur *justus Dominus*, in typum præcedere Salvatoris, qui de cœlestibus ad terrena descendens, humanum corpus assumpserit, et hæc esse vasa captivitatis : ideo præmonendum puto prudentem cautumque lectorem, et hæc quidem nos ponere, ne quid prætermittere videamur, sed non probare. Neque enim rex impius in figuram potest præcedere illius, qui totius pietatis exemplum est. Captum autem esse Sedeciam a Babyloniis atque Chaldæis, et Jeremias propheta et Regum narrat historia, et ductum de loco in locum (*Jerem.* XXXIX, *et* IV *Reg.* XXV), hoc est, de Jerusalem in Babylonem, et cætera quæ Ezechiel in consequentibus loquitur. Qui autem referunt ad Dominum

[a] Vide quæ tum alibi sæpe, cum præcipue tom. I, ad epist. 18, num. 9, observavimus.

Jesum Christum, captivitatem ejus et transmigratio- A nem de loco ad locum, descensionem ex cœlestibus ad terrena significari putant.

(Vers. 4 seqq.) *Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum. Tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans ante oculos eorum. Perfode tibi parietem : et egredieris per eum in conspectu eorum. In humeris portabis* [Vulg. *portaberis* ] : *in caligine effugies* [Vulg. *efferes*]. *Faciem tuam velabis, et non videbis terram : quia portentum dedi te domui Israel.* LXX : *Et proferes vasa tua captivitatis per diem in oculis eorum. Et tu gredieris vespere in conspectu eorum, sicut egreditur aptivus. Perfode tibi parietem, et transibis per eum in onspectu eorum. In humeris portaberis, et absconditus egredieris. Faciem tuam operies, et non videbis terram : quia portentum dedi te domui Israel.* Facere **115** jubetur propheta in figura, quæ Sedecias facturus est in veritate. Collige, inquit, sarcinas tuas (hæc enim vasa sunt transmigrantis) videntibus eis. Et postquam viderint quæ facturus es, egredieris vespere in similitudinem transmigrantis. Legimus Sedeciam nocte muro suffosso fugisse ad deserta Jordanis, ibique a Babyloniis esse comprehensum, et hoc significare perfossum parietem. Quod autem dicit : *In humeris portabis*, subauditur sarcinas tuas, et quidquid ad viæ solatium fugientes portare consueverunt. *In caligine effugies* [Al. *efferes*] ; ne videaris a quoquam. *Faciem tuam velabis*, vel cæcitate quæ ei accidit, erutis oculis a Nabuchodonosor ; vel ne cognoscatur quod ipse sit rex, et major fiat C cura servantium. Quodque sequitur : *Et non videbis terram*, illud significat, quod cæcus ductus sit in Babylonem, eamque non viderit. *Quia portentum dedi te*, inquit, *domui Israel :* in signum enim et figuram, prophetarum tam dicta quam facta sunt. Unde et in Zacharia, viri portentosi vocantur, quod futura portendant (*Zach.* III). Et in Osee loquitur Deus : *In manibus prophetarum assimilatus sum* (*Osee* XII, 10). Qui autem volunt in Ezechielis persona Christum intelligi, vasa captivitatis, humanum corpus accipiunt, et perfossum parietem, quo infernorum claustra perfregit, et resurgens a solis credentibus visus est : portatusque in humeris, quando cum angelicis potestatibus ad cœlum victor ascendit ; et quod absconditus egreditur, et velat faciem suam, D ne in carne mortali videatur divina majestas, et non videt terram, ne oculis illius illustretur, quæ ejus non meretur aspectum. *Oculi enim Domini super justos* (*Ps.* XXXIII, 16), et avertit faciem suam ab impiis. Hæc autem, inquiunt, omnia fecisse narratur, ut per similitudinem hominis, dura ad fidem Israelitici populi corda converteret. Et in portentum datur domui Israel ; juxta illud quod scriptum est : *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem* [illegible] *m* , II , 24 ).

(Vers. 7, 8.) *Feci ergo sicut præceperat mihi : vasa mea protuli quasi vasa migrantis* [Vulg. *transmigrationis*] *per diem, et vespere perfodi mihi parietem manu. In caligine egressus sum, et humeris* **116** *portavi* [ Vulg. *in humeris portatus* ] *in conspectu eorum.* LXX : *Et feci sic juxta omnia, quæ mandaverat mihi : vasaque protuli sicut vasa captivitatis per diem : et ad vesperum perfodi mihi parietem manu, et absconditus egressus sum : super humeros assumptus sum in conspectu eorum.* Quæ supra jussus est facere, opere se complesse testatur, nec interpretatione indiget juxta utramque sententiam, quod supra expositum est. Illud autem notandum, quod uno atque B eodem tempore Jeremias prophetabat in Jerusalem, et Ezechiel in Babylone, et illius prophetia mittebatur ad captivos ; et hujus ad eos, qui habitabant in Jerusalem ; ut unius in diversis regionibus Dei providentia probaretur, et intelligerent audientes, quæcumque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini jussione consistere.

(Vers. 9.) *Et factus est sermo Domini mane ad me dicens : Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans, quid tu facis ? Dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus.* Si te, inquit, interrogaverit domus exasperans : Quare ista facis ? Vel secundum Septuaginta etiam si non interrogaverint, tu ingredere, ut sciant cur ista feceris. *Dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus.*

(Vers. 10 seqq.) *Super* [a] *principem onus istud, qui est in Jerusalem ; et super omnem domum Israel quæ est in medio eorum. Dic : Ego portentum vestrum : quomodo feci, sic fiet illis. In transmigrationem et in captivitatem ibunt. Princeps autem, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur ; parietem perfodient, ut educant eum ; facies ejus operietur, ut non videat oculis* [Vulg. *oculo*] *terram. Et extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, et ipsam non videbit ; ibi morietur. Et omnes qui circa eum sunt, præsidium ejus et agmina illius dispergam in omnem ventum ; et gladium evaginabo post eos, et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus et disseminavero eos in terras* [Vulg. *terris*]. *Et relinquam ex eis viros paucos a gladio, et fame, et pestilentia ; ut narrent omnia scelera eorum in gentibus, ad quas ingredientur, et scient quia ego Dominus.* Primum exponamus historiam. Dic, inquit, ad eos, o fili hominis, qui vel interrogant, **117** vel non interrogant. *Quid tu facis hæc ?* quod super ducem onus illud et visio sit, qui est in Jerusalem, ducem significans Sedeciam. Et dic : *Ego portentum vestrum*, sive ut Se-

[a] Ad Vulgatæ edit. fidem mavult Victor. hic legi *Ducem ;* nam *principem* ex Græco LXX ἄρχοντι derivari sentit. Sicque legit et paulo post, *Dux autem qui est in medio*, etc., quod ex ipsa Hieronymi repetita lectione in Commentario asserit.

ptuaginta transtulerunt, *Ego qui portenta facio;* ut ex præsentibus futura cognoscantur. *Quomodo feci, sic fiet illis*, duci et cunctis qui in comitatu ducis sunt. In transmigrationem Babyloniam captivi ducentur, et dux qui est in medio eorum in humeris portabitur, vel jumentorum, vel eorum qui cum eo fugerant. In caligine, et in noctis tenebris egredietur : murumque suffodient socii ejus ut educant eum. Facies illius velabitur, vel timore fugientis, vel cæcitatis injuria, ut cæcus terram non videat Babylonis. Et ego extendam rete meum super illum, et capietur in sagena mea. Concedente quippe Domino, a Babyloniis captus est : et hæc quæ ab hostibus passus est fieri, se fecisse testatur. Ductusque in Babylonem, terram Chaldæorum non videbit, ibique captivus morietur. Omnes autem socios ejus, et adjutores et comites fugæ, cum ille fuerit comprehensus, huc illucque dispergam, nec securos abire permittam : sed in manibus hostium evaginabo gladium meum; ut quando dispersi fuerint in gentibus, intelligant quod ego sim Dominus, et mea cuncta voluntate sint facta. Et relinquam, inquit, ex sociis ejus qui cum eo fugerint, et qui evadere potuerint, paucos, qui gladium, et famem, et pestilentiam evaserint, ut cum vel fuga, vel captivitate ad diversas pervenerint regiones, narrent omnia scelera sua vel sermone, vel exemplo; propter quæ tanta meruerint mala, et intelligant quod ipse sim Dominus. Qui autem tropologiam et cœptam explanationem super Salvatore conatur exponere, ducem qui est in medio Jerusalem, ipsum interpretatur, qui in portentum signumque præcesserit, quod et ipse et socii ejus captivi istius mundi sint, et ab inferis victor ascendens, in humeris portatus sit angelorum : in caligine egressus, ignotus incredulis, destructo medio pariete, fecerit utrumque unum : facies illius operta, ut terram non respiciat Judæorum (*Ephes.* II). Nec mirum si Dominus celaverit faciem suam; cum usque hodie ante vultum Moysi velamen positum sit populo non credenti. **118** Extenditque Dominus rete suum super illum, juxta id quod de eo sponsa loquitur in Cantico Canticorum : *Ecce iste post parietem nostrum prospiciens per fenestras, apparens per retia* (Cant. II, 9). De quo et Jeremias : *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris* (Thren. IV, 20). Et : *Cum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est* (II *Cor.* V, 21). Et adducetur, ait, in Babylonem, confusionem istius mundi, in terram Chaldæorum qui interpretantur, *quasi dæmonia*, ut eos qui dæmonibus fuerant mancipati, retraheret ad salutem; et captivam duceret pristinam captivitatem. Ipsamque, inquit, terram Chaldæorum non videbit, et ibi morietur; ut omnes nos sua morte vivificet. Cunctos autem adjutores ejus et socios, apostolos et apostolicos viros dispersit in universum orbem. Et evaginavit gladium post eos, ut variis coronarentur martyriis, et tunc intelligerent vel ipsi, vel hi qui per eos crediderant, quod ipse sit Dominus, et idcirco disperserit eos in gentibus, et disseminaverit in terras, ut multum fructum facerent. Et reliquit ex eis paucos viros, sicut Joannem Apostolum, et cæteros, a gladio, et fame, et pestilentia liberatos, et persecutionum impetum declinantes, ut narrent scelera Judæorum et iniquitates cunctarum gentium ad quas ingressi sunt, ut acta pœnitentia, scirent quod ipse esset Dominus. Hæc diximus, lectoris arbitrio judicium relinquentes. Cæterum nulla dubitatio est, periculosum esse regis impii captivitatem et necem, sacramento Domini comparare.

(Vers. 17 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede* [Vulg. addit *sed*]; *et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. Et dic* [Vulg. *dices*] *ad populum terræ : Hæc dicit Dominus Deus ad eos qui habitant Jerusalem, in terra Israel : Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua propter iniquitatem omnium qui habitant in ea. Et civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta : et scietis quia ego Dominus.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, panem tuum cum dolore comedes, et aquam tuam cum tormento et angustia bibes. Et dices ad populum terræ : Hæc dicit Adonai Dominus habitatoribus Jerusalem super terram Israel : Panes suos cum egestate comedent,* **119** *et aquam suam cum dissipatione bibent, ut dissipetur terra et plenitudo ejus. In impietate enim omnes qui habitant in ea, et civitates eorum quæ habitantur, in desolationem erunt, et terra dissipabitur, et cognoscetis quia ego sum Dominus.* Post principis et sociorum ejus prophetiam, quæ sub corporali imagine monstrabatur, venit ad populum : et quidquid prophetæ dicitur, per prophetam refertur ad habitatores Jerusalem, quod in obsidionis malo, panem suum comedant in angustia et egestate, et aquam suam nequaquam in abundantia, sed cum tormento bibant, et tribulatione. Hæc autem, inquit, o propheta, tibi dicuntur, ut tu loquaris ad populum terræ tuæ, et dicas : Hæc dicit Dominus habitatoribus Jerusalem, quæ est in terra Israel : Obsessi a Nabuchodonosor atque a Chaldæis, famis et sitis sustinebitis malum; ut omnis terra cum sua plenitudine (*Al.* multitudine) deleatur, habitatores significans per eam quæ inhabitatur. Et ne putent sibi hoc evenire sine causa : Dic, inquit, eis, quod propter scelera eorum et impietates, omnes urbes Judææ ad solitudinem redigendæ sint, et universa terræ cultura dispereat, ut cognoscant Deum sævientem, quem miserantem cognoscere noluerunt. Possumus juxta anagogen habitatores Jerusalem credentes Christo dicere, qui habitant in Ecclesia. Et si per peccata illius offensam meruerint, comedant panem cum egestate, et bibant aquam cum mœrore et angustia : non cibum panis, nec potum aquæ, sed famem sermonis et doctrinæ Dei sustinentes (*Amos* VIII). Quando enim vel vitio principum, qui capiendi sunt et tradendi

Babyloniis, vel nostra duritia, perdiderimus sermonem Dei, aquasque non meruerimus habere utiles : tunc in dolore et penuria, nostrum sumemus cibum, et terra perdet multitudinem credentium, et civitates, quæ in toto orbe intelliguntur Ecclesiæ, desolabuntur, et terra deserta erit, ut omnes sciant quia offensa sit Domini. Quod quidem et in persecutionis tempore intelligere possumus.

(Vers. 21 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel dicentium : In longum differentur dies, et peribit omnis visio? Ideo dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Quiescere faciam proverbium istud : neque vulgo dicetur ultra in Israel.* **120** *Et loquere ad eos, quod appropinquaverint dies et sermo omnis visionis. Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel. Quia ego Dominus loquar, quodcumque locutus fuero verbum, et fiet. Non prolongabitur amplius; sed in diebus vestris, domus exasperans, loquar verbum, et faciam illud, dicit Dominus Deus. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, ecce domus Israel dicentium : Visio quam hic videt in dies multos, et in tempora longa iste prophetat. Propterea dic ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Non prolongabitur ultra omnis sermo meus : verbum quod locutus fuero, complebitur : dicit Dominus Deus.* Quod nos diximus, *proverbium*, juxta Symmachum, omnes alii interpretes, *parabolam* transtulerunt, quæ Hebraice appellatur MASAL (משל). Rursum ubi a nobis editum est : *Neque erit divinatio ambigua*, vertere Septuaginta, *nec divinans juxta gratiam :* pro quo omnes, *lubricum* interpretati sunt, A quod nos *ambiguum* diximus, ut decipientia audientes suos prophetarum verba noscamus. Est autem sensus omnis capituli hic : Supra prophetaverat contra principem qui erat in Jerusalem, deinde populo famem et ardorem sitis nuntiaverat esse venturum. Quod multitudo non credens, vetus assumebat tritumque proverbium : In longum tempus differtur comminatio prophetarum, et omnis visio peribit, dum frustra cernitur : vel juxta Symmachum διαπνεύσει, id est, *in ventum* et *auram tenuem dissolvetur*. Dic ergo, inquit, eis, quod nequaquam mea comminatio differatur, nec divinatio falsa atque ambigua proferatur in populos quæ finem habeat incertum, ut alio dicatur tempore, alio impleatur : sed nunc, vivente te, qui loqueris, et his qui audiunt, B verbum quod locutus sum, compleatur. Significat autem vicinam captivitatem urbis Jerusalem, et Sedeciam cum populo Juda jamjamque capiendum. Non solum autem illo tempore, sed usque hodie vulgus incredulum et dura corda mortalium prophetiam Dei non recipit : sed omnia quæ prophetæ comminantur, quæ prædicat Evangelium, in aliud tempus æstimant differendum. Sciamusque hic *parabolam*, quæ a Septuaginta ponitur, accipi pro *proverbio*, juxta illud quod in psalmo legimus : *et factus sum eis in parabolam* (*Psal.* LXVIII, 12). Et in hoc eodem propheta : *Quid est vobis parabola ista in populo Israel, dicentium : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (*Infra* XVIII, 2)? Manifesta perstringimus, ut in obscurioribus immoremur. C

# LIBER QUARTUS.

**121-122** Vellem, si fieri posset, Eustochium, explanationes in Ezechielem per singulos libros propriis texere prophetiis, et quod vaticinatione conjunctum est, nequaquam expositione dividere : ut facilior esset cursus dictantis pariter et legentis; longumque et immensum interpretationis iter certis spatiis separare, ut quasi titulis et indicibus, et, ut proprius loquar, argumentis ostenderem quid libri singuli continerent. Sed quid faciam, cum aliæ prophetiæ breves sint, aliæ longæ : ut sæpe necessitate cogamur et plures in unum librum coarctare, et unam in multos dividere? Unde et nunc contra prophetas et prophetias, ad seniores quoque populi Israel et ad terram super quam inducuntur quatuor plagæ pessimæ, et de ligno vitis, quod cum fuerit abscisum, inutile est inter omnia ligna silvarum, catalogum etiam vitiorum Jerusalem volumus quarto libro comprehendere. Quem quia unius voluminis non patitur angustia, alteram partem ejus quinto volumini reservamus : prudentissimi lectoris sollicitudinem præmonentes, ut sciat quid nobis in hoc explanandum, et quid sibi legendum sit. D

(Cap. XIII. — Vers. 1, 2.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel qui prophetant, et dices prophetantibus de corde suo : Audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus.* Hoc quod nos posuimus : *Qui prophetant, et dices prophetantibus de corde suo*, omisere LXX, et pro eo quod non habetur in Hebræo, addiderunt, *et prophetabis, et dices ad eos*. Est autem sermo contra pseudoprophetas, qui decipiebant populum, et, contra Dei mandata, aliud prophetabant. Nec quempiam moveat, quod prophetæ appellantur : hanc enim habet sancta Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suæ et sermonis prophetam nuncupet : sicut prophetæ appellantur Baal, et prophetæ idolorum, et prophetæ confusionis. Unde et apostolus Paulus poetam Græcum prophetam vocat : Dixit quidam proprius eorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri (*Tit.* I). Et in Osee legimus : *Sicut propheta insaniens homo portans spiritum* (*Osee* IX, 7). Quidquid autem eo tempore Israelitico populo dicebatur, hoc nunc refertur ad Ecclesiam : ut

prophetæ sancti sint apostoli et apostolici viri. Prophetæ autem mendaces atque furiosi, omnes hæretici; quorum principes ex suo corde confingant; qui autem ab eis seducti sunt, aliorum mendaciis acquiescant.

(Vers. 3.) *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* LXX : *Væ his qui prophetant de corde suo, et omnino non vident*, relinquentes illud quod a nobis propositum est, *qui sequuntur spiritum suum.* Cum prophetarum nomen secundum regulam Scripturarum bonis malisque commune sit, in eo differunt, quod boni prophetæ esse **123** dicuntur sapientes, mali autem stulti et insipientes : quorum alterum refertur ad ecclesiasticos viros, alterum ad omnes hæreticos, qui Dei spiritum relinquentes sequuntur spiritum suum : quia nequaquam divino instinctu, sed proprio corde vaticinantur : unde et nihil vident. Qui autem sapiens est, non cordis sui cogitationes, sed Dei spiritum sequitur, juxta illud quod et in superioribus (*Supra*, I) animalia et rotæ spiritum Dei sequebantur. Et propheta dicit : *Post Dominum Deum tuum ambulabis* (*Psal.* XXVI, 11). Et in alio loco : *Deduc me in semitam rectam* (*Ps.* CXLII, 10). Et iterum : *Spiritus tuus bonus ipse deducet me in terram* (*Psal.* LIX). Et populo Dei, columna ignis et nubes erat dux in solitudine (*Exod.* XIII). Et Jeremias loquitur : *Non laboravi sequens te* (*Jerem.* XVII, 16). Quis autem hæreticorum qui sequitur spiritum suum, non impingat in tenebris, et cæcus cæcos ducat in foveam? Unde licet sibi in mysteriis, immo orgiis suis plura ecclesiasticis doctoribus videre videantur, tamen nihil omnino vident : quia solem justitiæ perdiderunt, frustraque imitantur eos, qui prius vocabantur Videntes, et quibus dicitur : *Qui vides vade : recede in terram Juda; et in Bethel non prophetabis* (*Amos* VII, 12, 13). Quamobrem visio Isaiæ et Abdiæ pronuntur in titulis. Et Dominus apostolis præcepit : *Levate oculos vestros et videte* (*Joan.* IV, 35). Et propheta suppliciter deprecatur : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Ps.* CXVIII, 18).

(Vers. 4 seqq.) *Quasi vulpes in desertis prophetæ tui, Israel, erunt* [Vulg. *erant*]. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes, ait Dominus : cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis, ait Dominus, cum ego non sim locutus.* LXX : *Sicut vulpes in desertis prophetæ tui, Israel* [Al. addit. *erant* aut *erunt*]. *Non steterunt in firmamento, et congregaverunt greges super domum Israel. Non resurrexerunt qui dicunt in die Domini : videntes mendacia, divinantes vana, qui dicunt, dicit Dominus, et Dominus non misit eos : et cœperunt suscitare sermonem. Nonne visionem falsam vidistis, et divinationes vanas locuti estis? Et dicebatis, dicit Dominus, et* **124** *ego non sum locutus.* Dicamus primum juxta Hebraicum. Prophetæ Israel vulpium similes sunt, quotidie domesticarum avium furta facientes : qui habitant, juxta Aquilam et LXX, *in desertis*; juxta Symmachum et Theodotionem, *in parietinis* atque *ruinosis* : qui non possunt ascendere ex adverso, neque murum pro domo Israel opponere. Legimus Aaron adversum ignem Israelis populum devorantem occurrisse et stetisse medium, et opposuisse murum pro salute populi (*Num.* XVI). Jeremiæ quoque dicitur, ne occurrat Domino, neque stet contra iram ejus orationis perseverantia (*Jerem.* VII). Sicut enim murus hosti opponitur, et adversario occurri solet ex adverso contraque venienti : ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Unde et Moysi dicitur : *Dimitte me, et delebo populum istum.* Cui enim dicitur : *Dimitte me* (*Exod.* XXXII, 10), ostenditur quod tenendi habeat facultatem. Isti stare non possunt in prælio in die Domini, ut pro populo precibus dimicent et resistant obsecrationibus sententiæ Dei. Quia igitur vana conspiciunt, et divinant mendacium, et a Domino missos esse se dicunt, cum non sint missi ab eo, et perseverant in erroribus, et suum cupiunt firmare sermonem; arguuntur quod omnia sint cassa quæ prædicant, suum mendacium Domini sermonem esse dicentes. Porro juxta Septuaginta hic sensus est : Omnes hæretici propter fraudulentiam ac nequitiam vulpium similes sunt, de quibus Salvator loquitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos* (*Matth.* VIII, 20). Et de Herode scriptum est : *Dicite vulpi huic* (*Luc.* XIII, 32). Et de eisdem vulpibus quæ parvulos simplicesque decipiunt, et populantur vineam Christi, Salomon loquitur : *Capite nobis vulpes parvulas, dissipantes vineas* (*Cant.* II, 15). Et in psalmo super his qui eorum fraudulentia supplantantur canitur : *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII, 10, 11). Hi prophetæ qui vulpium similes sunt, non steterunt in firmamento; nec cum Petro audire meruerunt : *Tu es Petrus : et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Nec Moysi similes sunt, cui dictum est : *Tu vero hic sta mecum* (*Deut.* V, 31). Nec illius qui dicit : *Statuit supra petram pedes meos;* sed fluctuaverunt omni vento doctrinæ. Nec steterunt in firmamento, de quo in octavo decimo psalmo **125** legimus : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Isti congregaverunt irrationabiles quosque, et propter nimiam innocentiam pecudum similes, contra domum Dei. Unde nunc dicitur : *Et congregaverunt greges super domum Israel :* nec surrexerunt ipsi, nec alios suscitare potuerunt; sed quæcumque egerunt et agunt, plena mendaciis sunt. Quodque sequitur : *Et cœperunt suscitare sermonem*, illud significat, quod velint quidem consurgere, et se ad excelsa sustollere; sed quod cupiant, implere non possint : diciturque eis : *Nonne visionem falsam vidistis, et divinationes vanas locuti estis?* Quodque sequitur, *et dicebatis, dicit Dominus, et ego non sum locutus*, in Septuaginta non habetur.

(Vers.8,9.)*Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos : ait Dominus Deus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur : nec in terram Israel ingredïentur. Et scietis quia ego Dominus Deus.* LXX : *Ideo dic : Hæc dicit Adonai Dominus. Quoniam verba vestra mendacia, et divinationes vestræ vanæ : idcirco ecce ego super vos, dicit Dominus Deus, et extendam manum meam super prophetas qui vident mendacium, et qui loquuntur vana : in disciplina populi mei non erunt, nec in scriptura domus Israel scribentur, et in terram Israel non intrabunt : et scient quia ego Adonai Dominus.* Sub prophetarum persona, sermo contra hæreticos est, qui loquuntur vana et vident mendacium, et perseverant suam firmare doctrinam : quod ipse Dominus contra eos veniat atque consurgat, et extendat manum suam super illos ad percutiendum, et non contrahat ad parcendum ; et comminatur, quod non sint in concilio populi Domini futuri, nec in Ecclesia ejus, sed in synagoga diaboli, nec scribantur in domo Israel. De quibus in alio loco dicitur : *Super terram scribantur* (*Jerem.* XVII, 13) : non in terram Israel quæ terra viventium est, **126** de qua nunc dicitur, *nec in terram Israel ingredientur* : sed in terram mortuorum et umbram mortis, ut postquam ista perpessi fuerint, separati a cœtu populi Dei, intelligant quod ipse sit Dominus. Pro eo quod nos vertimus, *in concilio populi mei non erunt*, Septuaginta transtulerunt, *in disciplina*, sive *in correptione populi mei non erunt*. Alia enim adversariorum, alia filiorum correptio est. Unde et Jeremias : *Corripe*, inquit, *nos, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore, ut nequaquam paucos nos facias. Effunde furorem tuum super gentes quæ te ignoraverunt ; et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt* (*Ibid.* X, 24, 25).

(Vers. 10 seqq.) *Eo quod deceperint populum meum, dicentes : pax, et non est pax. Et ipse ædificabat parietem : illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit. Erit enim imber inundans : et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. Siquidem et ecce cecidit paries. Numquid non dicetur vobis, ubi est litura quam livistis? Propterea hæc dicit Dominus Deus : Et faciam erumpere spiritum tempestatum in indignatione mea : et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes iræ in consummationem. Et destruam parietem quem livistis absque temperamento, et æquabo eum terræ : et revelabitur fundamentum ejus, et cadet et consumetur in medio ejus : et scietis quia ego sum Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, et in his qui liniunt eum absque temperamento : dicamque vobis : non est paries : et non sunt qui liniunt eum. Prophetæ Israël qui prophetant ad Jerusalem : et vident ei visionem pacis : et non est pax, dicit Dominus Deus.* LXX : *Quoniam deceperunt populum meum, dicentes : pax, pax, et non erat pax : et iste* [a] *ædificabat parietem, et isti linunt eum stultitia. Dic ad eos qui linunt stultitia, cadet. Erit pluvia inundans : et dabo lapides magnos in juncturas eorum et cadent. Et spiritus auferens, et disrumpetur. Et ecce cecidit paries : et* [b] *non dicent ad vos, ubi est litura vestra quam livistis? Propterea hæc dicit Adonai Dominus :* **127** *Et disrumpam spiritum auferentem in furore meo, et pluvia inundans in ira mea erit : et lapides magnos in furore inducam in consummationem, et suffodiam parietem quem livistis, et cadet. Et ponam eum super terram, et revelabuntur fundamenta ejus, et cadet. Et* [c] *consumemini cum increpationibus, et cognoscetis quia ego Dominus. Et complebo furorem meum super parietem : et super eos qui linunt eum, cadet : dixique ad vos : Non est paries, neque qui liniunt eum Prophetæ Israel : qui prophetant super Jerusalem, et qui vident illi pacem : non est pax eis, dicit Dominus Deus.* Prophetæ Israel, qui non erunt in concilio populi Dei, nec scribentur in scriptura domus Israel, nec terram repromissionis intrabunt, ideo ista patientur, quia deceperunt populum meum, pro rigore pœnitentiæ et conversionis injuria, pacem eis et prospera nuntiantes, secundum illud quod alibi dicitur : *Pax, pax, ubi est pax* (*Jerem.* VIII, 11)? Deus itaque metaphorice ædificabat eis per legis mandata sanctorumque prophetarum eloquia et comminationes, maceriam. Hoc enim verbum Hebraicum significat HIS (חיץ) ; ut omnem ab illis incursionem bestiarum et hostilem impetum submoveret, dum conversi ad Deum, hoc quasi muro et pariete firmissimo cingerentur. Pseudoprophetæ vero non semel, sed frequenter pollicebantur eis pacem, hoc enim repetitus pacis sermo significat. Ipsumque parietem qui in sequentibus CIR (קיר) appellatur, liniebant pseudoprophetæ *absque temperamento*, ut interpretatus est Symmachus, hoc est, puro luto, et quod paleas non haberet, ut nec præbere posset aliquam fortitudinem. Ut vero [d] LXX et Theodotio, linunt eum *stultitia* : Aquila autem verbum Hebraicum THAPHEL (תפל) interpretatus est [e] ἀνάλῳ, quod significat *absque sale*, de translatione transiens ad aliam translationem, ut quomodo cibus absque

[a] In instanti *ædificat*, mss. ac Rabanus legunt. Quin etiam Græcus οἰκοδομεῖ. Vid. in fine hujus capitis.

[b] Victorius, qui versiones ad suum quemque archetypum refigere continuo studuit, hic negandi particulam expungit ad Græci ejus, quo utebatur, puta Aldini, codicis fidem, ubi καὶ ἐροῦσι, *et dicent*, scribitur. At pleraque alia exemplaria Græca, et cum primis Vatic. οὐκ interserunt, καὶ οὐκ ἐροῦσι, *et non dicent*, quod est omnino retinendum. Lectorem vero admonitum voluimus, quod hujusmodi alia passim editor ille ad eam normam immutet, quæ cum Hieronymianorum codicum suffragio careant, minime nobis probantur.

[c] Iterum Victorius parum consulto immutat *consumetur*, quod in Græco Aldino exemplari legerit συντελεσθήσετε, cum optime alia, et præcipue Vaticanum præferat συντελεσθήσεσθε.

[d] Videtur intelligendum de Hexaplaribus LXX ; in uno enim Complutensi codice est ἀφροσύνη, *stultitia*.

[e] In aliis libris est ἄναλον, aut ἄναλα.

sale nullum habet saporem : ita et lutum absque paleis quibus firmatur et stringitur, nil roboris possit præbere parieti. Dic, inquit, ad eos **128** qui illis vana promittunt, et cassum pollicentur auxilium, quod casurus sit iste paries et hæc maceria, et immittam imbrem vehementissimum, hostes videlicet sævissimos. Babylonios autem Chaldæosque significat; et eosdem lapides [a] grandinis desuper irruentes, omnia per metaphoram, quo instabilem maceriam subitus turbo subvertat et subruat; et postea dicatur eis, id est, pseudoprophetis, Ubi est litura quam levistis, et ubi est quod polliciti estis auxilium? Quidquid autem de pseudeprophetis diximus, et ad hæreticos referri potest, quod omnia eorum Dei ira figmenta solvantur; et ædificatio pessimorum dogmatum, quæ Spiritus sancti non habet condimentum, corruat, et usque ad fundamenta et pulverem dilabatur, et adæquetur ipsa maceria terræ, et cadat, et consumantur prophetæ qui promittebant, et populus cui promittebatur in medio ejus : ut postquam compleverit indignationem suam, et dixerit eis : *non est iste paries*, hoc est, non est vestra defensio; et non sunt qui linunt eum, sed omnia vana sunt et in nihilum proficientia : tunc opere cognoscatis quod ego sim Dominus. Ut autem sciamus qui sint isti qui linunt parietem, sequitur, *Prophetæ Israel*, hoc est, pseudoprophetæ, *qui prophetant ad Jerusalem, et vident ei visionem pacis*, isti sunt causa peccati et ruinæ, et stultæ securitatis. Non enim erit pax, dicit Dominus, quia Dominus non misit eos, nec est locutus ad eos. Hoc quod LXX transtulerunt : *et super juncturas eorum*, in Hebraico non habetur. Significat autem juncturas lapidum in pariete, vel adminicula lignorum, quibus parietes roborantur. Nec non illud quod supra legimus : *ipse ædificabat* [b] *parietem;* plerique ad populum referunt Israel, qui vanum sibi vel Ægyptiorum, vel pacis promittebat auxilium.

(Vers. 17 seqq.) *Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui quæ prophetant de corde suo : et vaticinare super eas, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Væ* **129** *his quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas : et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmentum panis : ut interficerent animas, quæ non moriuntur : et vivificarent animas quæ non vivunt : mentientes populo meo credenti mendaciis. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes : et disrumpam eos de brachiis vestris : et dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum. Et disrumpam cervicalia vestra : liberabo populum meum de manu vestra : neque erunt ultra in manibus vestris ad prædam* [Vulg. *prædandum*] *: et scietis quia ego Dominus. Pro eo quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii ut non reverteretur a via sua mala et viveret : propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius : et eruam populum meum de manu vestra : et scietis quia ego Dominus.* LXX : *Et tu, fili hominis, obfirma faciem tuam super filias populi tui, quæ prophetant de corde suo : et propheta super eas et dices : Hæc dicit Adonai Dominus. Væ his quæ consuunt cervicalia sub omni cubito manus : et faciunt velamina super omne caput universæ ætatis, ut pervertant animas. Animæ subversæ sunt populi mei. Et animas salvabant : et contaminabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmentum panis : ut occiderent animas, quas non oportuit mori : et salvarent animas quas non oportuit vivere : dum loquuntur populo audienti vanos sermones. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super cervicalia vestra, super quæ vos colligitis animas, et disrumpam ea de brachiis vestris. Et dimittam animas quas vos pervertitis, animas eorum in dispersionem : et disrumpam velamina vestra, et liberabo populum meum de manibus vestris : et non erunt ultra in manibus vestris in congregationem : et cognoscetis quia ego Dominus. Pro eo quod pervertebatis animam justi inique : et ego non pervertebam eum : et confortabatis manus iniqui, ut penitus non converteretur a via sua pessima, et viveret. Propterea mendacia* [c] *vestra ultra non videbitis : et divinationes nequaquam divinabitis* **130** *adhuc : et liberabo populum meum de manu vestra, et scietis quia ego Dominus.* Supra ad prophetas divinus sermo directus est, qui luto linebant parietem, quod paleas non haberet, nec ullum possit parieti sive maceriæ robur tribuere : nunc adversus filias populi prophetissas jubetur faciem suam ponere, sive dirigere, et, ut LXX transtulerunt, obfirmare. Quomodo autem adversum prophetas, alii pseudoprophetæ inspirabantur diabolico spiritu, ut Dei mandata subverterent, ita adversum Prophetissas, qualis fuit Debbora (*Judic.* v) et Olda (IV *Reg.* xxii), et in Actibus apostolorum Philippi evangelistæ quatuor filiæ prophetantes, inspirabantur dæmoniaco spiritu (*Act.* xxi), aliæ etiam ejusdem sexus, quarum fuit Prisca et Maximilla, quæ vaticinatione mendacii fidem subverterunt veritatis. Has autem dicunt Hebræi maleficis artibus eruditas per necromantias et pythicum spiritum, qualis fuit illa quæ visa est suscitasse animam Samuelis (I *Reg.* xxviii) : et in Actibus apostolorum, cujus divinatio multos

[a] Vulgata, inquit Victorius, editio *grandes*, sive *prægrandes* lapides constanter legit, verum quia Hebraice legitur אבני אלגביש, et Hebræi verbum אלגביש, pro grandine exponunt, prægrandesque lapides grandinis hic significari existimant, nihil est immutatum. Ostendit autem Hieron. se vim vocis Hebraicæ non ignorasse, quamvis *grandes* tantum, non *grandinis*, ipso sacro in codice sit interpretatus.

[b] Additur penes Rabanum, *vel ædificat :* atque in præsenti quidem in Græco esse, superius observamus.

[c] Malim utique amoveri hinc vocem *vestra*, quam ipsi LXX, nedum Hebræus textus, aut Latinus interpres ignorant. Addit Victorius, nec in Florentinis, aut Brixianis codicibus inveniri. Nostri autem constanter habent.

dominis reditus acquirebat, de qua ad apostoli Pauli imperium immundus ejectus est spiritus (*Act.* XVI). Nos autem ita dicemus, alios hæreticos falsitate dogmatum suorum prædicare virtutem. Quorum fuit Pythagoras et Zeno, a quo Stoici : Indorum Brachmanes, et Æthiopum Gymnosophistæ, qui ob victus continentiam, miraculum sui gentibus [*Al.* gentilibus] tribuunt. Recteque dicuntur parietem linire, et aliquam fortitudinem polliceri; sed quia Christi non habent condimentum, vanus est eorum labor, et peritura ædificatio. *Nisi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant* [Al. *laboraverunt*] *qui ædificant eam* (*Psal.* CXXVI, 1). Alii autem voluptatum libidinisque doctores, dicuntur consuere pulvillos, et ponere sub omni cubito manus, Epicurei, et Pyrrhonii, et apud nos Jovinianus et Eunomius, qui dicunt : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Jubetur ergo propheta ponere, sive obfirmare faciem suam contra filias populi sui. Primumque dicendum, quid sibi velit posita facies sive directa et obfirmata. Nempe illud quod de Domino scriptum est : *Facies Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 17). Sicut enim **131** liquescit cera a facie ignis : sic pereunt peccatores a facie Dei. Secundum quem sensum in hoc eodem propheta dicitur : *Fili hominis, obfirma faciem tuam super Theman et Darom et Nageb* (*Infra*, XX, 46). Et iterum : *Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, obfirma faciem tuam super filios Jerusalem* (*Infra*, XXI, 2). Et post paululum : *Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, obfirma faciem tuam super filios Amon* (*Infra*, XXV, 2). Et rursum : *Obfirma vultum tuum super Pharaonem regem Ægypti* (*Infra*, XXIX, 2). Et iterum : *Fili hominis, obfirma faciem tuam super Gog et Magog.* Et in alio loco : *Firmabo faciem meam super hominem illum, et ponam illum in desertum, et in dissipationem, et auferam eum de medio populi : et scietis quia ego Dominus* (*Infra*, XIV, 8). Væ igitur his hæresibus, hisque doctrinis, quæ requiem pollicentes, omnem ætatem sexumque decipiunt, ut capiant animas miserorum, et contaminent [a] me ad populum meum, dum credor diligere voluptatem : et hoc non propter eorum, et hemicorum hordei, ut in Osee legimus (*Osee* V), sed propter pugillum hordei, quo bruta vescuntur animantia, et fragmentum panis. Non panem integrum nec [*Al.* id est] solida testimonia Scripturarum, sed quæ hæretica pravitate fracta, et decurtata atque imminuta sunt; ut sanctos quosque decipiant, et ad mortem trahant; et peccatores vanis promissionibus vivificare contendant. Propterea clemens et misericors Deus non ipsas prophetissas interficit, sed disrumpit pulvillos earum, qui instar retium volantes animas capiunt, ut postquam rupti fuerint, liberam volandi habeant facultatem. Et scindent velamina, sive cervicalia, in quibus principale animæ recumbebat, et quibus deceptorum capita operiebantur. Cum Apostolus doceat virorum capita non velanda, sed revelata facie Domini gloriam contemplandam (II *Cor.* III). Vos enim, inquit, falsis terroribus servientium Deo animos frangebatis, et promissionibus fraudulentis, impios tenebatis inclusos, ne agentes pœnitentiam, vitam reciperent quam perdiderant. Propterea vanas nequaquam videbitis visiones; nec vocabo **132** vestra mendacia prophetias; sed divinationes, de quibus scriptum est : *Non est augurium in Jacob, neque divinatio in Israel* (*Num.* XXIII, 23) : ut eruam populum meum de manibus vestris, et opere cognoscatis me esse Dominum, qui perditos liberavi.

(Cap. XIV. — Vers. 1 seqq.) *Et venerunt ad me viri* [b] *seniores Israel, et sederunt coram me. Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis : et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam : numquid interrogatus respondebo eis? Propter hoc loquere eis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit ei* [Vulg. tacet *ei*] *contra faciem suam : et venerit ad prophetam interrogans* [c] *eum per me : ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum : ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis. Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. Quia homo homo de domo Israel, et de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit* [d] *in Israel a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam : et venerit ad prophetam ut interroget per eum me : ego Dominus respondebo ei per me. Et ponam faciem meam super hominem illum; et faciam eum in exemplum et in proverbium; et disperdam eum de medio populi mei : et scietis quia ego Dominus. Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum : ego Dominus decepi prophetam illum : et extendam manum meam super eum; et delebo eum de medio populi mei Israel. Et portabunt iniquitatem suam : juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit : ut non erret* [Vulg. addit *ultra*] *domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis; sed sit mihi in populum : et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.* LXX : *Et venerunt ad me viri de senioribus Israel, et sederunt ante faciem*

[a] Apud Raban., *contaminent omnem populum meum.*

[b] Rescribendum videtur cum Victor. *seniorum*, ad Hebræum אנשים מזקני, et Græcum ἄνδρες ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων; quibus et Vulgata Hieronymi versio, ipsiusque historiæ veritas concinnunt.

[c] Econtrario est in Vulgata, *interrogans per eum me.* Nihil vero immutamus, cum nihil in Hebræo sit, quod verbis istis respondeat hoc loco, sed semel infra vers. 7.

[d] Has duas postremas voces, *In Israel*, Victor. delet, propterea quod nec in Hebraica nec Græca, Latinave editt. reperiantur, eisque Brixiæ mss. codd. careant. Habent vero quibus nos utimur mss.

*meam. Et factus est sermo Domini ad me, dicens :*
**133** *Fili hominis, viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis : et tormentum iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam : si respondens respondebo eis? Propterea loqueris eis : et dic ad eos : Hæc dicit Adonai Dominus : Homo homo de domo Israel qui posuerit cogitationes suas in corde suo, et tormentum iniquitatis suæ posuerit ante faciem suam : et venerit ad prophetam, ut interroget eum in me : ego Dominus respondebo ei in his quibus tenetur mens ejus : ut averteret domum Israel secundum corda eorum quæ abalienata sunt a me in cogitationibus eorum. Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini, et recedite ab inventionibus vestris : et ab omnibus impietatibus vestris, et convertite facies vestras ad me : Quia homo homo de domo Israel, et de advenis qui peregrinantur in terra Israel : qui abalienatus fuerit a me, et posuerit cogitationes suas in corde suo : et tormentum iniquitatis suæ posuerit ante faciem suam ; et venerit ad prophetam ut interroget eum in me : ego Dominus respondebo ei in eo quo tenetur, et obfirmabo faciem meam super hominem illum : et ponam eum in desertum, et in exterminium : et auferam eum de medio populi mei : et cognoscetis quia ego Dominus. Et propheta si erraverit, et locutus fuerit verbum : ego Dominus errare feci prophetam illum. Et extendam manum meam super eum, et exterminabo illum de medio populi mei Israel. Et accipient iniquitatem suam secundum iniquitatem interrogantis, et iniquitas similiter prophetæ erit, ut nequaquam erret domus Israel a me, et non polluantur adhuc in cunctis delictis suis. Et erunt mihi in populum : et ego ero eis in Deum, dicit Adonai Dominus.* Postquam locutus est ad prophetas qui prophetabant in corde suo, et linebant parietem absque temperamento; et ad prophetissas quæ consuebant cervicalia, et ponebant sub omni cubito manus, faciebantque velamina, et operiebant capita universæ ætatis (per quæ perversorum dogmatum doctrina monstratur), venerunt ad prophetam, non omnes senes, ne cuncti viderentur errare ; sed quidam seniorum Israel, et sederunt coram propheta : quam ob causam venissent interim silentio differentes ; statimque Dei sermo factus est ad prophetam, indicans cur adessent. Neque enim naturæ hominis est quamvis sancti, cordis arcana cognoscere. Unde de **134** solo dicitur Salvatore : *Videns autem Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX)? Et est sensus : Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis, sive cogitationes ; et, juxta Symmachum et Theodotionem, *idola et scandalum*, id est, ruinam atque tormentum iniquitatis suæ, posuerunt contra faciem suam, et sic ad sciscitandum Domini venere sermonem. Numquid hujuscemodi hominibus debeo respondere, qui cum cogitationibus pristinis ad me veniunt : ne hoc quidem tempore impietatis suæ scelera relinquentes, sed credentes idolis, et divinationibus fraudulentis ; et habentes ruinam iniquitatis contra faciem suam atque tormentum, dum meliora desperant, et parati sunt ad supplicium, et sic mea per te cupiunt verba cognoscere? Quia igitur perverso ad te corde venerunt, responde eis non ex persona tua, ne levis sit auctoritas respondentis; sed ex meo imperio, et dices ad eos : *Hæc dicit Dominus Deus.* Est autem totius loci, ut latam explanationem brevi sermone comprehendam, ista sententia : Homo homo non aliarum gentium, quarum error potest habere veniam, sed domus Israel, qui cum pristinis vitiis, de quibus supra diximus, ad prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo ei juxta cor, et immunditias suas, ut juxta quod vult et credit, ita et audiat. Non enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat. Recesserunt enim a me, et idola sunt secuti. Brevisque ista est comminatio, ut recedant ab idolis cogitationibusque perversis, et convertantur ad me, priora [*Al.* propria] scelera relinquentes. Non enim meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat; sed suo corde capiendus est : secundum quod Scribæ et Pharisæi interrogantes Dominum, immo tentantes, audiunt : *Quid me tentatis?* Et rursum : *Nec ego dicam vobis, in qua virtute hæc faciam* (*Matth.* XXI, 27). Qui autem homo talis est, et sic interrogat, ponit Deus faciem suam super illum, sive confirmat ; ut austeritate vultus, frontis duritia molliatur, et sit in exemplum, et in proverbium, sive in solitudinem, et in interitum, ut illo perdito de populo Dei, cognoscant cæteri quod ipse sit Dominus **135** qui cordis arcana cognoscit, et perversitatem mentis intelligit; nec considerat verba loquentium, sed corda. Quodque sequitur, et videtur facere quæstionem : *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum,* non putemus de vero propheta dici, sed de pseudopropheta, qui συνωνυμῶς propheta appellatur. Et de illo Scripturarum loco solvi potest, quando Achab rex Israel vadens ad prælium, non vult audire Michæam prophetam, sed pseudoprophetarum consiliis acquiescit (III *Reg.* XII). Dicitque Michæas, quod viderit Dominum sedentem in solio, et erroris spiritum ultro se obtulisse ad decipiendum regem. Diabolus quoque in volumine Job circuiens terram, stare dicitur in conspectu Dei, et in substantiam primo Job, deinde in corpus ejus accipere a Domino potestatem (*Job.* I *et* II). Sed et Balaam hariolus a Domino mittitur, ut decipiat Balac filium Beor (*Num.* XXII). Hoc autem totum dicitur, ne pseudoprophetarum fortitudini reputetur, quod decipitur populus, et magis vult audire mendacium, quam veritati aurem accommodare : sed quod Dei iræ sit, ut perversus populus et incredulus, magis pseudoprophetas audiat quam prophetas. Denique extendit manum suam super eum, subauditur, prophetam, et deletur de medio populi ejus, ut portet iniquitatem suam, quia similis erroris, et pœna consimilis sit : ut tam ille qui interrogat, quam ille qui interrogatur, portent iniquitatem suam, et ne

quaquam domus Israel eorum qui Dei verba audire voluerint, perversis vaticinationibus illudatur ; sed sit populus Dei, et ipse Dominum habere mereatur. In eo quod dixit : *Ego Dominus decepi illum*, Salomonis verba consentiunt, qui de Deo disputans, ait : *Et illusoribus illudet* (*Prov.* III, 34) : illudque testimonium : *Si ambulaverint ad me perversi ; et ego ambulabo contra eos in furore perverso* (*Levit.* XXVI, 27, 28). Quodque secundo dicitur, *homo homo filiorum Israel, et advenarum qui juncti sunt eis*, duplicem in nobis juxta Apostolum ostendit hominem, exteriorem et interiorem (I *Cor.* XV). Multi enim habentes hominis faciem corporalem, diversarum **136** bestiarum assumunt imagines, quas dissipari propheta cupiens, deprecatur : *Domine, in civitate tua imaginem eorum dissipabis* (*Psalm.* LXXII, 20). Illi de quibus scriptum est : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 21), non sunt homines homines, sed homines sunt jumenta. Rursum qui in Evangelio audiunt, *Serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira* (*Matth.* XXIII, 33) ? non sunt homines homines, sed homines [a] serpentes. Et de quibus scriptum est : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos* (*Matth.* VIII, 20) : ac de Herode : *Dicite vulpi huic* (*Luc.* XIII, 32), non sunt homines homines, sed homines vulpes. Qui vero utrumque hominis vocabulum possident, si erraverint, ideo per supplicia corriguntur, ut intelligant quod ipse sit Dominus. Nec non quod juxta LXX posuimus : *Homo, qui abalienatus fuerit a me, et posuerit cogitationes suas in corde suo, et tormentum*, sive, *supplicium iniquitatis suæ ante faciem suam*, illi testimonio convenit quod in Isaia scriptum est : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis* (*Isai.* L, 11). Unusquisque enim ipse sibi flammarum succendit ardores, paratque supplicia, dum non vult pœnitudine errata corrigere, sed permanet in erroribus, qui flammarum meretur incendium.

(Vers. 12, 13 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis ; terra cum peccaverit mihi ut prævaricetur prævaricans, extendam manum* [*Al. addit* meam] *super eam, et conteram virgam panis ejus, et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem et* [b] *jumenta. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe et Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quod si et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam, et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias, tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus* [*Vulg. addit* Deus], *quia nec filios nec filias liberabunt : sed ipsi soli liberabuntur ; terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio : transi per terram, et interfecero de ea hominem et jumentum, et tres viri isti fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias : sed ipsi soli liberabuntur. Si autem et pestilentiam* **137** *immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem, et jumentum, et Noe et Daniel et Job fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt ; sed ipsi in justitia sua liberabunt animas suas. Quoniam hæc dicit Dominus Deus : Quod si quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, et bestias malas, et pestilentiam misero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus : tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias. Ecce ipsi egredientur ad vos, et videbitis viam eorum, et adinventiones eorum, et consolabimini super malo quod induxi in Jerusalem in omnibus quæ importavi super eam. Et consolabuntur vos cum videritis viam eorum, et adinventiones eorum : et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus.* Quatuor plagæ inducuntur super terram *prævaricatricem*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *peccatricem* : fames, bestia, gladius, pestilentia, quarum si singulæ per partes inductæ fuerint singulis regionibus, et tres viri isti Noe et Daniel et Job, quorum justitia Scripturarum vocibus prædicatur, pro terra peccatrice fuerint deprecati, non solum illam salvare non poterunt, sed ne filios quidem, et filias suas, si terræ peccatricis opera perpetrarint ; sed seipsos tantummodo poterunt liberare. Quæritur cum et Abraham et Isaac et Jacob, Moyses quoque et cæteri patriarchæ et prophetæ justi fuerint ; cur horum tantummodo fiat mentio. Quod facile solvitur : Noe enim imminens orbi terrarum [*Al.* terræ] diluvium, quia omnis terra polluerat vias Domini, prohibere [*Al.* differre] non potuit (*Genes.* VI, VII) ; sed filios qui forsitan ejusdem virtutis erant, [c] ob seminarium humani generis habuit reservatos. Daniel quoque imminentem captivitatem populi Judæorum, nullis fletibus mitigavit (*Dan.* I). Sed et Job non ob peccata, sed ob probationem, nec domum nec filios liberavit (*Job.* I). Alii autem dicunt, quia hi tantum tres viri, et prospera et adversa, et rursum prospera conspexerunt : idcirco pariter nominatos ; et hoc latenter significari, ut quomodo illi et bona et mala, et rursum læta viderunt : sic et populum Israel, **138** qui prius bonis fruitus fuerat, et postea captivitatis sustinuit jugum, si egerit pœnitentiam, redire ad pristinam felicitatem. Quod si Noe et Daniel et Job pariter congregati ; et in uno loco positi, peccatricem terram, hoc est, eos qui in terra [d] habitant, non possunt iræ Dei subtrahere : quid dicendum est de his, qui putant merito

[a] Inepte erat, *atque serpentes*, tametsi eam copulam Brixianorum codicum ope Victor. antea sustulerat. Cæterum pene ad verbum ex Origenis Homil. in Ezech. III, ex his quas ipse Hieron. Latine vertit, nosque huic tomo annectimus, sumpta sunt, quæ de duplici homine hic edisseruntur. *Omnes*, inquit ille, *homines nati sumus homines, sed non omnes homines homines sumus ; id quod in Levitico scriptum est : Homo, homo filiorum Israel*, etc.

[b] Minori numero, ex Hebræo Vulgataque edit., *jumentum*, Victor. hic atque infra substituit.

[c] Voculam *et* post Victorium expungimus, ut sensus constet.

[d] Unus Vatic. interserit *peccatrice*, quod et Brixiæ

parentum atque virtutibus posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? Unde nec peccatorem [*Al.* prævaricatorum] filium, martyr [*Al.* justus] pater poterit liberare; nec sanctæ conversationis mater, impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. Et econtrario, *parentum vitia filiis non nocebunt; sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Infra*, XVII, 4). Lot in Sodomis habitans, sed et spiritu, et carne peregrinus, uxorem quia post tergum respexerat, non liberavit: sed tantum filias, quæ forsitan non peccaverant (*Genes.* XIX). Et Josias vir sanctus, non solum peccatorem populum suis virtutibus non salvavit, sed et ipse in peccatis illius mortuus est (IV *Reg.* XIII). Quod si aliquando propter Abraham et David in posteros eorum misericordiam suam Dominus pollicetur: notandum quod non his parcat, qui [*Al.* si] in sceleribus perseverant; sed qui agunt pœnitudinem, ut merita patrum, filiorum adjuvet [a] conversatio. Cum, inquit, hæc se ita habeant, et terram peccatricem a singulis plagis tantorum virorum non salvet deprecatio: sic dicit Dominus Deus, quia Jerusalem nefanda peccavit, quatuor simul plagas inducam super eam: gladium, quo ab hostibus trucidatur; et famem, quam in obsidione sustinet; et bestias, quibus fugientes in desertis, et saltibus devorantur; et pestilentiam, quæ semper famem ac penuriam sequitur. Pro qua Vulgata editio *mortem* transtulit. Hæc autem, inquit, inducam super eam, ut nec homines in ea remaneant, nec jumenta. Et tamen pro mea clementia quatuor simul imminentibus plagis, et cuncta vastantibus, relinquam in ea aliquos, qui educant filios suos et filias; et captivi huc veniant, hoc est, in Babylonem, et in Chaldæam, ut cum videritis eos, et opera ipsorum perspexeritis, tunc intelligatis juste eos captos, et meam justam fuisse **139** sententiam, et habeat consolationem vestra captivitas; dum intelligitis idcirco me eos de gladio, fame, bestiis, et pestilentia liberasse, ut eorum perversitate discatis, merito eorum subversam Jerusalem, templumque succensum, et populum ductum esse captivum, præter eos quos gladius, fames, bestiæ, pestilentiaque consumpserint. Hæc dicta sint de illa Jerusalem, cui prophetante Ezechiele apud Chaldæos, appropinquabat captivitas. Cæterum et super nostram terram cui dicitur: *Terra es, et in terram ibis* (*Genes.* III, 19); et super nostram Jerusalem singulosque credentium, si Dei mandata contempserint, et prævaricatores meruerint appellari, inducetur fames; non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi verbum Dei. Inducetur et gladius, de quo legimus: *Tradentur in manus gladii: partes vulpium erant* [Al. *erunt*] (*Psal.* LXII, 11). Et ad Mariam: *Tuam quoque animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 35). Inducentur et bestiæ, quibus ne tradatur justus, postulat: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Inducetur et pestilentia (pro qua LXX *mortem* interpretati sunt) de qua scriptum est: *Mors peccatorum pessima est* (*Psal.* XXXIII, 22). Et: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et, *Si sic separat amara mors* (*Infra* XVIII, 4)? De quibus cunctis nec spiritualium parentum, quos magistros intelligimus (I *Reg.* XV), doctrina, nec principes non poterunt liberare, nisi filiorum fuerit assensus, et illorum obsecrationes suis conatibus juverint. Justitia enim justi erit super eum, et iniquitas iniqui in ipso commorabitur: *Unusquisque peccato proprio morietur, et justitia sua salvabitur* (*Deut.* XXIV, 16). Frustraque dicunt Judæi: *Abraham pater noster* (*Joan.* VIII), cum opera Abraham non habeant. Quod si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus. *Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine* (*Jerem.* XVII, 5), quamvis sancti sint, quamvis prophetæ. Legimus: *Nolite confidere in hominibus* (*Psal.* CXLV, 2). Et iterum: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in principibus* (*Psal.* CXVII, 6). Non in principibus tantum sæculi, sed et in principibus Ecclesiarum, qui suas tantum animas si justi fuerint, liberabunt. Filios autem ac filias, quos in Ecclesia genuerint, si fuerint negligentes, salvare non poterunt, et tamen Apostolus loquitur: *Si cujus opus arserit, ipse salvus erit: sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 24, 15). Manus autem super terram prævaricatricem **140** extenditur, ut virga sive fortitudo panis conteratur. Quæ extenta, minatur plagas, nolente qui eam extendit, et sublevat peccantes percutere, sed extensione terrere, et territos conservare.

(Cap. XV. — Vers. 1 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid tolletur de illa lignum, ut fiat opus: aut fabricabitur de ea paxillus, ut pendeat ex eo* [Al. *ea*] *quodcumque vas? ecce igni datum est in escam: utramque partem ejus consumpsit ignis: et medietas ejus redacta est in favillam. Numquid utile erit ad opus? Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum ignis illud devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis? Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum: sic tradam* [Al. *tradidi*] *habitatores Jerusalem; et ponam faciem meam in eos. De igne egredientur: et ignis consumet eos. Et scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos, et dedero terram inviam, et desolatam, eo quod prævaricatores exstiterint, dicit Dominus Deus.* Pro eo quod nos interpretati sumus: *utramque partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus redacta est in favillam*, Septuaginta transtulerunt: *Annuam purgationem ejus consumit ignis, et dimittit in finem.* Rursum ubi nos diximus: *Cum posuero faciem meam in eos*, illi verterunt, *cum obfirmavero*. Prævaricationem quoque *delictum* interpretati sunt. Variis autem similitudinibus, quas Græci parabolas vocant, prænuntiatur subversio urbis Jerusalem. Et quomodo

codd. habent, Victorio teste. Terra, inquit, peccatrix pro iis dicitur, qui peccatores in terra sunt.

[a] In aliis libris, ac penes Raban, *conversio*.

supra (*Ad cap.* IV) in sartagine, in qua carnes populi frigebantur, et in latere in quo munimenta, et aggeres arietum ac vinearum machinæ pingebantur, ejusdem urbis obsessio famesque descripta est, et postea in hoc eodem lecturi sumus : in Jeremia quoque scriptum est (*Jerem.* I, 13), *Ollam* quæ a facie Aquilonis accenditur, significare urbem Jerusalem; saltusque Nageb, et Theman, et Darom, succisus, hoc ipsum prænuntiat : sic in præsenti loco eadem Jerusalem vineæ et viti fructiferæ comparatur. De qua in alio loco scriptum est : *Ego te plantavi vineam frugiferam, omnem* [a] *veram : quomodo conversa es in amaritudinem vitis* **141** *alienæ?* (*Jerem.* II, 21.) Et in Isaia : *Plantavi*, inquit, *vineam sorec* (*Isai.* V, 2), quod *electam* et *pulchram* sonat. Et in Psalmis legimus : *Vineam ex Ægypto transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam : Dux itineris fuisti in conspectu ejus* (*Psal.* LXXIX, 9). Et manifestius discimus, Scriptura dicente : *Vinea autem Domini sabaoth domus est Israel* (*Isai.* V, 7). Hæc vinea quamdiu affert fructus, in omnibus liguis saltuum nihil ea pretiosius est ; sin autem uvas habere desierit, in nullo utilis erit : nisi ut cum radice, et propaginibus suis tradatur incendio. Cætera ligna silvarum (ut de pomiferis arboribus taceam, quarum et Scriptura modo nullam facit mentionem) cum poma non habeant, succisa plurimam præbent utilitatem, et in omnem agriculturam, et in usum armorum proficiunt : dum attenuantur in scuta, radiuntur in hastilia, cludunt foribus, continent [b] armariis, risco, loculis ; omnemque domus tribuunt supellectilem. Vitis autem si semel uvas afferre cessaverit, intantum inutilis est, ut ne paxillus quidem ex ea possit fieri, de quo aliquid pendeat. Cumque malleolos excideris, utramque partem eorum primum ignis arripit, deinde flamma consumit : tantumque nihil prodest cum redacta fuerit in favillam, ut etiam cum integra sit, absque frugibus nullam præbeat utilitatem. Ambiguitas autem verbi Hebraici SENE (שנה) quod tribus litteris scribitur, SIN ש et NUN נ et JOD ה ; si legatur SENE, *duo* significat ; si SANE, *annos*. Unde factum est, ut pro duabus summitatibus ejus, quod nos interpretati sumus *utramque partem ejus* ; Septuaginta interpretarentur, *annuam purgationem ejus* : cum Aquila dixerit, *duo novissima ejus* ; Symmachus et Theodotio, *duas summitates ejus*. Et est ordo : Sicut vitis infructuosa incendio traditur in nullam utilitatem : sic et Jerusalem, immo habitatores ejus tradentur ardoribus, ut egrediantur de igne, et ignis consumat eos, id est, etiamsi de urbe evaserint, foris hostili gladio consumentur ; et qui remanserint, ipso miseriarum pressi pondere, me esse Dominum recognoscent : cum posuero sive obfirmavero faciem meam super eos, et dedero illos in æternam solitudinem. Non enim peccatores sicut cæteræ gentes, **A 142** sed prævaricatores exstiterunt. Aliud est enim negligere quod ignores : aliud contemnere quod colueris. Possumus vineam et Jerusalem juxta intelligentiam spiritualem, intelligere credentium multitudinem. Quæ si negligens fuerit, et culturam pristinæ religionis amiserit, nec attulerit fruges virtutum, nec vinum fecerit, quod lætificat cor hominis, æternis tradetur ardoribus, et in nihilum reputabitur. *Servus enim, qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Tale quid et Dominus loquitur in Evangelio secundum Joannem : *Ego sum vitis vera ; et Pater meus agricola. Omnis palmes, qui manet in me, et non facit fructum, tollet illum Pater. Et omnis qui affert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* (*Joan.* XV, 2, 2). Si autem Salvator vitis est, et nos palmites, et Deus [*Al.* dicitur] Pater agricola, quamdiu Dei præcepta servamus, semper excolimur, et cultura nostra purgatio est : *Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16). Quod si afferentes fructum, purgamur a Patre, ut fructus ampliores afferamus, ostenditur omnem nostrum conatum, adjutorio Dei, pervenire ad finem, et fructum facere plenitudinis. Qui autem palmes fruges non fecerit, tolletur a Patre. Et cum sublatus fuerit, quid de eo Pater faciat, Scriptura non dicit : nisi forte separatio a Christi corpore, pœna perpetua est, et interitus. Quod in vinea et vite intelleximus, sub alia figura Salvator docet in Evangelio : *Bonum est sal : si autem sal infatuatum fuerit, ad nihil est utile, nisi ut foris projiciatur, et ab hominibus conculcetur* (*Marc.* IX, 49). Et oculus qui totum corpus illuminat, si fuerit excæcatus, audit a Domino : *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt : ipsæ tenebræ quantæ* [*Al.* quotæ] *erunt* (*Matth.* VI, 23, 13) ? Comparatione quippe prævaricatoris, et ejus qui confessum prius negaverit Deum, levior pœna est eorum, qui numquam Dei habuere notitiam. Ligna autem saltuum, sive silvarum, secundum varietatem credentium, habent in magna domo aliquam utilitatem ; in qua non solum vasa aurea, et argentea sunt, sed lignea et fictilia ; alia in honorem, alia in contumeliam (II *Tim.* II).

(Cap. XVI. — Vers. 1, 2.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, notas fac Jerusalem* **143** *abominationes suas, et dices : Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, testificare Jerusalem iniquitates suas, et dices ad eam : Hæc dicit Adonai Dominus.* In quibus brevis erat singularum prophetiarum circumscriptio, tota capitula posuimus, quid nobis videretur illico subjungentes. Hic autem quia longus ad Jerusalem sermo dirigitur testificantis et docentis eam peccata quæ fecerit ; et pene usque [c] ad ducentorum versuum numerum extenditur vaticinium, usque ad eum videlicet locum in quo scri-

[a] Vatic., *omne semen verum*, tum *aliena*. pro *alienæ* Victorius probat ex LXX, ἄμπελος ἀλλοτρία.

[b] Apud Raban., *armariis, scriniis, ac loculis*.

[c] Totum integrumque capitulum Vulgatæ editionis dividitur in sexaginta et tres versiculos ; qua divisione longe distat a numero quem hic assignat Hieronymus. Igitur ut divisionem antiquam perspectam habeas, consule Bibliothecam divinam S. Hieronymi a

ptum est : *Cum placatus fuero tibi in omnibus quæ fecisti, dicit Dominus Deus*, necesse habemus omnem prophetiam per partes ponere ; et his quæ proposuerimus, explanationes debitas coaptare. Sub persona mulieris meretricis quæ primum viri fuerit consortio copulata, Jerusalem et ortus, et educatio, et pubertas, et nuptiæ, et adulterium, et repudium, et rursum revocatio contexitur ; ut et clementia viri atque judicium, et adulteræ atque meretricis scelera cognoscantur, dum post universa supplicia suscitat ei pactum sempiternum : ut recordetur iniquitatis suæ, et confundatur, et non sit ei ultra aperire os præ confusione sua, cum placatus fuerit illi in omnibus quæ fecerat. Multum namque prodest peccatoribus scire quid fecerint. Unde et pœnitens loquitur : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum coram me est semper* (*Psal.* L, 4). Quatuor autem modis intelligi potest Jerusalem : Vel hæc quæ Babylonio et Romano igne succensa est ; vel cœlestis primitivorum ; vel Ecclesia quæ interpretatur *visio pacis ;* vel animæ singulorum quæ fide cernunt Deum. Illudque quod plerique de cœlesti Jerusalem interpretandum putant, Ecclesia non recipit, ne omnia quæ in præsenti prophetia contexuntur, ad cœlestium fortitudinum ruinas atque cruciatus, et restitutionem in pristinum statum suscipere compellamur.

(Vers. 3.) *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan* [Vulg. *Chananæa*]. *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Chethæa.* Magna fides, et grandis audacia prophetarum, unum hominem, totam urbem ignobilitatis arguere. Mirabilis Daniel, qui ad presbyterum delinquentem, et adulterio jungentem homicidium, puer ausus est **144** dicere : *Semen Chanaam, et non Juda, species decepit te* (*Dan.* XIII, 56). Magnus et Isaias, qui clamat ad principes et ad populum Judæorum : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, auribus percipite verba Domini, populus Gomorrhæ* (*Isai.* I, 10). Sed non minor Ezechiel, qui ad totam urbem loquitur confidenter : *Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan : Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Chethæa*, Quamquam et Stephanus primus martyr Evangelii, ad insanientem populum sit locutus (*Act.* VII, 51) : *Dura cervice, et incircumcisi corde, vos semper sancto Spiritui restitistis* [Al. *resistitis*]. Et licet possimus radicem Jerusalem, et generationem ejus terram Chanaan, secundum illud accipere quod in Ægypto vocatus sit populus, et ibi multo tempore habitaverit (Cham quippe pater Chanaam princeps fuit gentis Ægyptiæ), tamen juxta scelerum similitudinem, radicem Jerusalem terram Ægypti esse dicemus : Unde et pater illius appellatur *Amorrhæus*, qui interpretatur λαλούμενος, id est, *multo sermone celebratus.* Et mater tua *Chethæa*, id est, ἐξεστῶσα : *quæ* vel *ipsa insanit*, vel alios mittit in amentiam. *Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo natus est* (*Joan.* VIII, 54). Unde et in toto orbe hujus antiqui patris famosum vocabulum est, et multos vertens in amentiam. Præcipiturque Jerusalem vel juxta litteram, vel juxta spiritum, ut relinquat antiquum patrem, et dicitur ad eam : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam ; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV, 11). Et promittitur ei si post peccatum ad verum voluerit patrem reverti : *Restituam te sicut fuisti quando nata es.* Cujus tanta nobilitas, ut urbis Jerusalem quæ de Abraham, Isaac et Jacob stirpe descendens Deum habuit patrem ? et tamen quia peccavit, et verum reliquit parentem, meretur audire : *Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan : Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Chethæa.* Si illa hoc audivit : quid de nobis fiet qui vocati ex gentium sordibus, omnem maculam in lavacro Salvatoris amisimus, si polluerimus indumentum Christi, et non habuerimus in convivio vestem nuptialem ? Utique illud, ut vinctis manibus pedibusque, æternis tradamur ardoribus, in quibus est fletus oculorum et stridor dentium (*Matth.* XXII).

**145** (Vers. 4, 5.) *Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et in aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his, misertus tui : sed projecta es super faciem terræ, in abjectionem animæ tuæ, in die qua nata es.* LXX : *Et generatio tua, in die qua nata es, non ligaverunt mamillas tuas, et umbilicus tuus non est præcisus, et in aqua non es lota in salutem, nec sale salita, et pannis non es involuta : nec pepercit super te oculus tuus, ut facerem tibi unum ex omnibus istis, et pateretur quidpiam super te, et projecta es super faciem campi* [a] *pravitate animæ tuæ in die qua nata es.* Juxta ordinem lectionis de singulis disseramus. Quando nata est Jerusalem de patre Amorrhæo et matre Chethæa, et effusa ex utero, non est præcisus umbilicus ejus, quo fetus aluntur in ventre instar arborum et virgultorum, quæ per radices humore terræ nutriuntur occulto. Et quomodo virorum seminarium significatur in lumbis : ita genitalia feminarum honesto sermone juxta consuetudinem Scripturarum umbilicus vocantur, testimonio Job, qui sub figura draconis loquitur de diabolo : *Virtus ejus in lumbis ejus : et fortitudo illius in umbilico ventris* (*Job.* XL, 11). Iste enim draco coluber antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, et decepit orbem terrarum, adversus viros virtutem habet in lumbis, adversus feminas in umbilico. Hoc autem significat de Jerusalem : quod non statim legem acceperit, nec ei pudendæ nativitatis exordia sint abscisa : sed gentilem primum vixerit vitam ; pro quo Septuaginta interpretati sunt : *In die qua nata es, non alligaverunt mamillas tuas* (*Ezech.* VII), hanc habente Scriptura sancta, consuetudinem, ut pro corde, pectu-

nobis editam, sive tom. I editionis nostræ col. 673 et seqq., ubi numerum pene ducentorum versuum in capitulo XVI invenire et scire poteris. MART.

[a] Victor., *pravitati* ex LXX, τῇ σκολιότητι.

sculum sive pectus (*Levit.* x; *Num.* xviii), et mamillas nominet : ut unicuique loco congruum viderit. Sacerdotes in quibus debet esse doctrina, et legem requirunt ex ore eorum, accipiunt pectusculum. Joannes super pectus recumbit Domini, ut de fonte uberrimo hauriret fluenta sapientiæ (*Joan.* xiii). Virginis in Cantico Canticorum duæ mamillæ sunt, quasi duo hinnuli gemini capreæ, qui pascuntur in liliis, donec respiret dies, et amoveantur umbræ (*Cant.* iv). Mater diligens, **146** statim ut nata fuerit infantula, ligat mamillas ejus, ut a tenero tumore [a] desistant, et pulchritudinem custodiant virginalem. Cum autem ad ætatem venerit pubertatis, dicetur de ea : *Numquid obliviscetur sponsa ornatus sui : aut virgo fasciæ pectoralis suæ* (*Jerem.* ii, 32)? Sequitur : *Et in aqua non es lota in salutem.* Cruenta infantium corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent : ita et generatio spiritualis lavacro indiget salutari. *Nullus enim mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus* (*Job.* xxvi, 14, 15). Et in Psalmis legimus : *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea* (*Ps.* l, 6). Secunda nativitas solvit primam nativitatem. Scriptum est enim : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* iii, 5). Multaque sunt lavacra quæ Ethnici in mysteriis suis, et hæretici pollicentur : qui omnes lavant; sed non lavant in salutem. Propterea additum est : *et in qua non es lota in salutem.* Quod quidem non solum de hæreticis, sed de Ecclesiasticis intelligi potest, qui non plena fide accipiunt baptismum salutare. De quibus dicendum est, quod acceperint aquam, sed non acceperint spiritum : sicut et Simon ille Magus, qui pecunia volebat redimere gratiam Dei, baptizatus quidem est in aqua, sed nequaquam baptizatus est in salutem (*Act.* viii). Tertio dicitur : *nec sale salita.* Tenera infantium corpora dum adhuc uteri calorem tenent, et primo vagitu laboriosæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint, et restringantur. Porro Jerusalem, quæ de malis parentibus nata est, nihil saporis, nihil diligentiæ consecuta est. Qui autem renascuntur in Christo, dicitur ad eos : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v, 5); et præcipitur eis ab Apostolo : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus* (*Coloss.* iv, 6). Unde et vulgo sapientes salsi, et stulti vocantur insulsi. Et in Levitico lege sancitur : *Omne sacrificium vestrum sale salietur. Non cessabit sal Testamenti Domini de sacrificiis vestris : in cunctis muneribus vestris sal offeretis* (*Levit.* ii, 13). Qui hoc sale conditus fuerit, et omnem putorem humoremque noxium hujus admixtione siccaverit, ultra non dicet : *Computruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ* **147** *meæ* (*Ps.* xxxvii, 6). Scio me legisse in quodam volumine De Domino Salvatore, quod ipse sit sal cœleste; et non solum terrena, et inferna, sed cœlestia quoque suo sapore condiverit : ut impleatur illud quod scriptum est : *Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* ii, 14). Quartum est : *nec involuta pannis.* Et Salvator pannis est involutus infantiæ, et omnis qui nascitur per involucra pannorum, protectione indiget Dei. Naturale est, ubi tamen parentum non deest diligentia, ortis infantibus primum præcidi umbilicum : deinde ad eluendum sanguinem lavari eos aqua. Tertio, humorem corporum parvulorum, salis adjectione siccari. Quarto, ut tenera infantium corpora pannis involvantur, duplicem ob causam, ut et sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat, servatur et stringitur; et membra tenerrima ne facile depraventur. Unde et corpora Barbarorum, Romanis corporibus rectiora sunt. Usque ad secundum enim, et tertium annum, semper pannis involvuntur. Sed non talis Jerusalem, cujus nec umbilicus abscisus, nec ligata sunt ubera, nec aqua lota est in salutem, nec sale salita, neque involuta atque constricta pannis infantiæ. Cur autem nihil horum meruit, sequens Scriptura testatur. *Non pepercit super te oculus : ut faceret tibi unum de his misertus tui.* Pro quibus LXX posuerunt : *Non pepercit super te oculus tuus : ut facerem tibi unum ex omnibus istis.* Et necesse est, ut duplex editio duplicem habeat intelligentiam. Prior hoc significat : Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui. Et est sensus : Nullus tui misertus est, offenso Deo; nullius super te mota sunt viscera, ut de quatuor superioribus saltem unum tibi faceret; quia omnia simul non merebaris accipere. In altera dicitur : Non pepercit super te oculus tuus, ut facerem tibi unum de his misertus tui. Et hunc habet sensum : Ita egisti, et sic in peccatis nata es, et in delictis concepit te mater tua, ut ne ipsa quidem tui miserearis. Cumque sic gesseris, ut adversum te per mala opera crudelis exsisteres : ego quid tibi potui facere, **148** quæ ne unum quidem superiorum accipere meruisti? Quia igitur nihil horum quæ fieri infantibus solent, in te factum est; et hoc non sine causa nec absque judicio, sed tuo vitio atque peccato, quæ ne ipsa quidem tui miserta es : ideo projecta es in faciem terræ, sive campi; et projecta propter pravitatem animæ tuæ in die qua nata es. Oremus ne pravitate animæ projiciamur in faciem campi, in quo lata, et spatiosa via est quæ ducit ad mortem; in quo Chaldæorum debacchatur equitatus. Simulque considerandum, quod nullus in die quo nascitur, pravum aliquid committere potest, nisi lavacri tempore, quando sapiens generatio fide credentis assumitur.

(Vers. 6, 7.) *Transiens autem per te : vidi te conculcatam in sanguine tuo. Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo, vive : dixi, inquam, tibi, in sanguine tuo, vive. Multiplicatam quasi germen agri dedi te,* [b] *et*

[a] Duo mss., *tumore resistant.*

[b] Exciderit librariorum incuria versiculus, *et multiplicata es, et grandis effecta*, quem Victorius supplet ex Vulgata Hieronymi edit. et Hebraico, quin etiam ex LXX, in quorum Latino codice legitur, *et multiplicata es, et magnificata es.*

*ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem. Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit : et eras nuda, et confusionis plena.* LXX : *Et transivi per te, et vidi te mixtam in sanguine tuo, et dixi tibi, de sanguine tuo vita multiplicare, sicut ortum agri dedi te, et multiplicata es, et magnificata es, et ingressa es in civitates civitatum. Ubera tua erecta sunt, et pilus tuus ortus est : tu autem eras nuda, plena ignominiæ.* Postquam projecta es in faciem campi, sive super faciem terræ, propter pravitatem animæ tuæ, meum ultra non merebaris auxilium : attamen transiens per te vidi te conculcatam, sive commixtam in sanguine tuo, id est, ream mortalium criminum : et provocavi te, tribuens pœnitentiam, dixique tibi : Licet sis in sanguine, tamen vive conversa; tantaque fuit in te omnium rerum abundantia, B ut agri uberrimi haberes similitudinem, et benedictionem Jacob, qua benedixit ei pater suus, dicens : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Genes.* XXVII, 27); et intrares penetralia Domini, diceresque cum sponsa : *Introduxit me rex in cubiculum suum* (*Cant.* I, 3); et ad mundum muliebrem pervenires, pro quo Septuaginta transtulerunt : *et ingressa es in civitates civitatum;* ut quomodo Canticum Canticorum, et sæculum dicitur **149** sæculorum; ita civitates appellentur civitatum. De quibus in Evangelio dicitur : *Habeto potestatem super decem,* sive *super quinque civitates* (*Luc.* XIX, 17, 18) : ut non solum civitas, sed metropolis civitas appelleris, secundum illud quod in Isaia legitur : *Mater urbium fidelis Sion* (*Isa.* I, 26, 27). Porro quod interpretatus est Symmachus, *et pervenisti ad ornatum mulierum*, sive ut Theodotio, *et ingressa es ad ornatum ornamentorum,* pro quo nos secuti sensum Hebraicum diximus : *et pervenisti ad mundum muliebrem,* tempus pubertatis ostendit, quando puellæ nubiles appellantur, et possunt maritorum amplexibus copulari. Denique sequitur : *Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit.* Honeste adolescentularum maturitas indicatur, quando intumescunt ubera sive eriguntur, et germinat pilus. Cumque parata esset ad nuptias, et haberet pulchritudinem corporis, vestimentorum tegmina non habebat, nec Dei protegebatur auxilio. Si quis Christi non habet indumentum, nudus est. Si quis non est indutus visceribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, pudicitiæ, D mansuetudinis, patientiæ, jacet super faciem terræ : et pulchritudo ejus confusione, et nuditate [a] turpatur.

(Vers. 8.) *Et transivi per te, et vidi te : et ecce tempus tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam.* Septuaginta : *Et transivi per te, et vidi te, et ecce tempus tuum, tempus divertentium : et expandi alas meas super te, et operui ignominiam tuam.* Quanta clementia! Non suffecerat semel vidisse eam conculcatam in sanguine, et ad pœnitentiam provocasse : sed peccantem rursum invisit, et quia erat nuda, et confusionis plena, rursum venit et visitat, et ecce tempus ejus, tempus *amantium;* sive juxta Septuaginta *divertentium*, et sive juxta interpretationem Aquilæ secundam συναλλαγῆς, *sponsalium* videlicet, et temporis nuptiarum; juxta primam vero ejusdem editionem et Theodotionis, μαστῶν, quod interpretatur *uberum :* pro quo Symmachus vertit ἀγαπῆς, quod *dilectionem* sonat. Illud igitur tempus erat, quando possunt mulieres viris sociari, et sustinere coitum maritalem. Attamen misericors Deus expandit alas suas, et suscepit eos, et **150** in humeris suis portavit eos, juxta illud quod in Evangelio scriptum est : *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Luc.* XII, B 34)? Sive amictum expandit pro alis : hoc enim interpretatur πτερύγιον, quo operta est et Ruth ad pedes dormiens Booz (*Ruth.* III). Et in ora, id est, πτερυγίῳ vestimenti nostri, jubemur hyacinthinas fimbrias alligare. Hæc autem fecit ut operiret ignominiam Jerusalem : genitale feminarum sub hoc nomine corpus ostendens. Etenim juxta Apostolum : *Inhonesta corporis nostri majore honore circumdamus* (I *Cor.* XII, 13). Unde et Psalmista canit : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Ps.* XXXI, 1). Quæ Cham quia non protexit in patre, æterna maledictione signatur (*Genes.* IX). Quod de Jerusalem diximus, referamus ad animam nostram, quæ quamdiu in infantia constituta est, peccato caret. Cum autem ætatis ejus tempus advenerit, multi sunt amatores dæmonum et hæreticorum, perversorumque dogmatum, qui ad eam cupiunt declinare. Qui protectione Dei repelluntur; ut non satellites diaboli, sed ministros Salvatoris recipiat. Pro *divertentium, dilectione,* et *uberum,* in Hebraico habetur DODIM (דודים), quod secundum linguæ eorum proprietatem, omnia quæ supra versa sunt significat. Potest tempus dilectionis, et uberum sive amatorum Dei, intelligi Abraham, et Isaac, et Jacob : quando eis pollicitus est Dominus post Ægyptiam servitutem, suum populum liberandum.

*Et juravi tibi; et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus.* LXX : *Et juravi tibi, et ingressus sum in testamentum tecum, dicit Adonai Dominus.* Quia expandi amictum meum, sive alas meas super te : et operui confusionem tuam : propterea juravi tibi, et ingressus sum pactum, sive testamentum tecum : ut mihi potius quam cæteris, qui ad te volebant divertere, jungereris, juxta illud, *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec* (*Ps.* CIX, 4; *Hebr.* VI). Omnis enim controversiæ finis est juramentum. Et vivo ego, dicit Dominus : nisi malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem (*Ezech.* XVIII). Tempore igitur nuptiarum, Israel juramentum accipit Dei, pro omni dotali **151** munere. Et quia David de

[a] Antea incommodo sensu erat *turbatur* : pro quo *turpatur* rescribimus.

se dixerat : *Memento, Domine David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Ps.* CXXXI, 1) : qui juravit Domino, votum vovit Deo Jacob; et ipse Dominus jurat ei, Scriptura dicente : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum* (*Ibid.*, 11).

(Vers. 9.) *Et facta es mihi, et lavi te aqua, et mundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo.* Quia expandi alas meas, et operui ignominiam tuam, et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum; propterea mea es facta possessio : ut quæ aliena eras, quando videbaris immunda, mea esse cœperis, quando pactum meum tecum juramento firmavi. Sive juxta consuetudinem prophetarum : facta es mihi, ait, pro eo quod est, meo conjugio copulata es : et lavi te, inquit, aqua baptismi salutaris. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III, 5). Et alibi legimus : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Marc.* I, 8). De quo baptismate et Isaias loquitur, dicens : *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion; et sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu judicii, et spiritu combustionis* (*Isa.* IV, 4). Cum autem laverit, et mundaverit sanguinem : [a] sicut αἱμορρόουσαν, quæ duodecim annis cruore manabat, fimbriæ sanavit attactu (*Marc.* V) : non sufficit ei lavare aqua, et mundare sanguine, nisi oleo quoque unxerit : juxta quod *Samaritanus*, qui interpretatur *custos*, seminecis vulnera primum olei infusione linivit, deinde vini austeritate compescuit (*Luc.* X). Dominus autem noster alio unctus est oleo, quod non dolorem vulnerum mitigaret, sed lætitiam tribueret, dicente ad eum Spiritu sancto : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ consortibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Habent et contrariæ fortitudines simulati olei lenitatem, dulcia per hæreticos pollicentes; quæ vertuntur in amaritudinem, et quæ detestatur propheta commemorans : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5). Sin autem ab unctione unctus, id est, Christus appellatur, vide quantum profecerit Jerusalem : ut et ipsa uncta oleo spirituali, Christi nomen acceperit; juxta quod et **152** in Psalmis de Abraham legimus : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.*

(Vers. 10.) *Et* [b] *vestivi te discoloribus.* LXX : *Et indui te variis* : Legis cæremoniis, quarum occupata studio, idola derelinqueres. Ista sunt varia vestimenta, quibus indutus est Joseph : nec potuerunt eum fratres vendere, nisi prius eum tunicæ varietate nudassent (*Gen.* XXXVII). Et de sponsa dicitur in quadragesimo quarto psalmo : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Ps.* XLIV, 10). Hoc est vestimentum de quo et Apostolus loquitur : *Induite novum hominem, qui renovatur in cognitionem juxta imaginem Creatoris* (*Ephes.* IV, 24). Volumus scire quæ sint varia vestimenta? Idem nos Apostolus doceat, Credentibus scribens : *Induimini ergo visceribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ* (*Coloss.* III, 12). Quid hac varietate pulchrius? De qua et Job loquebatur : *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam* (*Job.* XXXVIII, *sec. LXX*)? Et pontifex semel in anno, quando pro populo adolebat incensum, ingrediens in Sancta sanctorum, variis vestibus utebatur (*Exod.* XXXIX; *Hebr.* IX). Certe si divitiæ varietatem vestium, et non sanctitas faceret diversitasque virtutum, Pharao et Nabuchodonosor hæc vestimenta habuisse scriberentur, et non Joseph, qui sub peregrino et pastorali patre, vestes discolores et regias habere non poterat.

*Et calciavi te janthino.* LXX : *Et calciavi te hyacintho* [Al. *Hyacinthino*]. Aquila et Symmachus, *janthina :* Septuaginta et Theodotio, *hyacinthina* transtulerunt. Pro quo in Hebræo scriptum est THAS (תחש). Et quia pulchre ad Jerusalem sermo dirigitur, et sub persona feminæ, omnis ejus ornatus exprimitur, hyacinthina, sive janthina calciamenta narrantur, quæ virorum personæ non conveniunt. Denique facturis pascha præcipitur, absque ulla coloris varietate, ut accinctis lumbis, et pedibus calciatis sint. Ista sunt calciamenta de quibus et Apostolus scribit : *calciati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Philo vir disertissimus Judæorum, hyacinthon in vestibus pontificis aeri comparat, per quem superna atque cœlestia **153** significari arbitratur. Nec prius Jerusalem calciatur hyacinthinis, nisi lavetur aqua. Unde et Apostolorum, quibus prius præceperat Dominus ut excuterent pedum suorum pulverem (*Matth.* X), lavantur a Salvatore pedes. Et sponsa dicit in Cantico Canticorum : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos* (*Cant.* V, 3)? Et Moysen et Jesum divinus sermo [c] testatur (*Exod.* III), ut solvant corrigiam calciamenti sui, quia locus in quo stent sanctus sit. Cum autem loti fuerint pedes, et omni sorde purgati, calciantur hyacinthinis, sive janthinis; quod utrumque aerii et κυανέου coloris est : ut rapiantur in occursum Domini in aerem, et ad cœlestia regna festinent.

*Et cinxi te bysso.* Jerusalem non solum vestitur discoloribus, et calciatur hyacinthinis, sed et bysso accingitur, de qua tenuissima in veste pontificis fila texuntur. Et uxor in Proverbiis, quæ viro suo duas

[a] Putarunt Erasmus et Marianus *Hemorrhoissam* dictam fuisse sanctam a B. Hieronymo; unde pro particula etiam Latina, Græcum nomen ἅγιαν supposuerunt contra fidem exemplarium mss. MART.— Pro *sicut*, quod nostri præferunt mss. ac Rabanus, duobus verbis Martianæus legit *quo etiam;* corrupte vero editi vetustiores *quo ἁγίαν*, id est, *sanctam;* αἱμορρόουσαν, etc.

[b] Deerat versiculus iste, *Et vestivi te discoloribus*, quem positum hic abs Hieronymo nihil est dubium, cum et LXX versionem subdat, cui Hebraicam veritatem continenter præponit, et infra in Commentario notet, *Jerusalem*, inquiens, *non solum vestitur discoloribus, et calciatur hyacinthinis, sed*, etc. Nos ex mss. et Rabano suffecimus.

[c] Rescribendum mea quidem sententia est, *obtestatur*, aut quid simile.

texuit chlamydes, et præsentis sæculi et futuri, sibi de bysso, et purpura fecisse dicitur vestimenta (*Prov.* xxxi). Hac bysso accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiva tenuanda sunt, nihilque in eis crassi humoris [*Al.* crassæ Veneris] relinquitur : et implemus præceptum Apostoli dicentis : *State ergo succincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* vi, 14); quasi aliis verbis diceret, *bysso*. Et Dominus ad Apostolos loquitur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* xxii, 35). Nisi enim astrinxerimus fluentia lumborum reumata, lucernas in manibus habere non possumus. Unde et ad Job loquitur Deus : *Accinge sicut vir lumbos tuos* (*Job.* xxxviii, 3). Et comessuri agnum, calciati pedes, tenentes baculum, stantes in Evangelii veritate, et ad Christi sanguinem præparati, lumbos accinctos habere dicuntur (*Exod.* xii). Qua zona mortificante lumbos, Elias quoque et Joannes Baptista accinguntur (IV *Reg.* i ; *Marc.* i). De quibus et pœnitens flebiliter ingemiscit, dicens : *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus* (*Ps.* xxxvii, 8).

*Et indui te subtilibus.* LXX : *Et circumdedi te trichapto.* Pro quo Aquila *florido*, sive *palpabili :* Symmachus, *indumento :* **154** Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit [a] MESSE (משי). Cumque diligenter inquirerem, quid sibi vellet vocabulum [b] *trichapti*, quod LXX transtulerunt; et a nullo Græcorum nec usum, nec etymologiam possem invenire sermonis : tandem didici a LXX esse compositum (rebus enim novis nova fingenda sunt nomina) quod tantæ subtilitatis fuerit vestimentum, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere credatur. Unde et ego volens tenuitatem exprimere vestimenti, pro *trichapto*, *subtilibus* transtuli, quod tenui stamine atque subtegmine textum erat. Et congrue illis, de quibus increpans dixerat : *Incrassatum est cor populi hujus, et manducavit, et bibit Jacob, et saturatus est, et incrassatus, et calcitravit dilectus, et dereliquit Deum factorem suum* (*Deut.* xxxii, 15), nunc tenuitas vestium condonatur. Nam et in libro Sapientiæ, qui a quibusdam Salomonis inscribitur, spiritus sapientiæ unigenitus et multiplex, tenuis et mutabilis appellatur (*Sap.* vii). Et manna de quo scriptum est. *Panem angelorum manducavit homo* (*Ps.* lxxvii, 25), tenuissimum in similitudinem pruinæ, et sementis coriandri fuisse narratur (*Exod.* xvi). Possumus juxta interpretationem secundæ editionis Aquilæ, qui *floridum* interpretatus est, *vestimentum*, ubertatem terræ Judææ per metaphoram intelligere, vel divini cultus pulchritudinem.

(Vers. 11.) *Et ornavi te ornamento.* Generaliter ornamenta nunc ponit, de quibus in consequentibus per partes enumerat, armillas et torquem, inaures et coronam, et reliqua, quæ ornamenta tribuit Jerusalem, et in Isaia dicitur, quod vitio suo universa perdiderit. Scriptum est enim : *Pro eo quod elevatæ sunt*, hoc est, *superbierunt filiæ Jerusalem, et ambulaverunt excelsa cervice* (*Isa.* iii, 16, 17), et reliqua : pro zona, accinctæ sunt funibus, et pro ornatu capitis, calvitio deturpatæ, et pro pulchris et mollibus indumentis, cilicii asperitate circumdatæ.

*Et dedi armillas in manibus tuis.* LXX : *Et circumdedi armillis manus tuas.* Quando **155** nobis bona opera dederit Deus, circumdat armillas manibus nostris. Unde et in manibus prophetarum assimilatum esse se dicit (*Osee* xii), et crebro in manu Aggæi sive Jeremiæ et reliquorum factum sermonem legimus (*Agg.* i). In Job quoque draconis labium perforatur armilla, omnesque ejus venenati sibili, qui in perversis intelliguntur dogmatibus, bonorum operum circulo perforantur (*Job* xl).

*Et torquem circa collum tuum.* Pro *torque*, quam nos juxta Aquilæ secundam editionem et Symmachum interpretati sumus, Septuaginta et Theodotio κάθεμα transtulerunt, quod non solum hic, sed et in Isaia scriptum est : *Auferet Dominus gloriam vestimenti earum, et murenulas, et corymbos, et circulos, et* κάθεμα (*Isa.* iii, 18). Puto autem κάθεμα ab eis dictum, ex variis gemmis in pectus mulierum monile descendens, qui et ipse ornatus pulcherrimus mulierum est.

(Vers. 12.) *Et dedi inaurem super os*, sive, *nares tuas.* Verbum Hebraicum NEZEM (נזם), excepto Symmacho, qui interpretatus est ἐπιῤῥίνιον, omnes *inaurem* transtulerunt : non quo inaures ponantur in naribus quæ ex eo quod de auribus pendeant inaures vocantur : sed quo circulos in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur, et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus. Quos tunc accipimus juxta mysticos intellectus, quando cum Apostolo possumus dicere. *Christi bonus odor sumus in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitæ in vitam* (II *Cor.* ii, 15). Quando vivimus et de nobis dici potest, *Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos viventes* (*Psal.* cxiii, 17), tunc odoratur Deus odorem sacrificii nostri bonæ fragrantiæ, et aureum circulum sensuum ac dogmatum divinorum habemus in naribus. Quando vero mortui sumus, et versamur in cœno atque in sordibus turpitudinum, habemus illam inaurem in naribus, de qua scripsit Salomon : *Sicut inauris aurea in naribus porcæ : sic mulieri male moratæ pulchritudo* (*Prov.* xxi, 22).

*Et circulos in auribus tuis.* LXX : *Et* **156** *rotulas su-*

[a] In uno e nostris mss. est *Messi*, quemadmodum et infra legitur.

[b] Docet vero Theodoritus, plexum esse e capillis factum, qui capiti mulierum circumponitur. Et Scholion in Coisliniano codice penes Montfauconium, πλέξις ἤ τινι αἱ τρίχες συμπλέκονται. Τριχαπτὸν δὲ λέγει τὸ ἀπό χρυσοῦ κατεσκευασμένον, ἵνα εἴπῃ ἀπό χρυσονήματος. Λέγει δὲ τὴν ἐκ χρυσοῦ διαζώδιον ἐσθῆτα. *Plexus quo capilli complicantur. Trichaptum autem dicit, quod ex auro concinnatum est, quasi dicat ex aureo filo. Loquitur autem de veste figuris animalium ex auro intertexta.* Huic simile pallium Hieronymus ipse Epist. 107, ad Lætam statuit pudicitiæ signum exstitisse.

*per aures tuas.* Qui claudit aures suas, ne audiat judicium sanguinis, et sepit eas spinis, ne particeps fiat invidis, et detractoribus, de quibus scriptum est: *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente veniet interitus eorum, et ruinam utriusque quis novit* (*Prov.* XXIV, 21, 22)? tam videlicet ejus qui detrahit, quam illius qui libenter auscultat: iste circulos habet, et rotulas in auribus, non rotas quæ sequuntur Cherubim (illud enim angelicarum fortitudinum est), sed rotulas diminutive, quæ humanæ convéniunt fragilitati. Quamobrem et ad Deum dicitur: *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* LXXVI, 19). In his enim qui terrena pertranseunt, et vix modicis vestigiis contingunt terram, de quibus scriptum est: *Lapides sancti volvuntur super terram* (*Zach.* IX, 16), vox tonitrui Domini, et excelsorum dogmatum personat. Qui autem erroribus ducuntur humanis, et non habent solida vestigia, sed circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* II), et ejecti de paradiso firmitatis, habitant in regione *Naid*, quæ interpretatur *fluctuatio*, merentur linguæ mendacis ferre sententiam, quæ inflammat rotam nativitatis nostræ (*Genes.* IV).

*Et coronam decoris in capite tuo.* LXX: *Et coronam gloriationis super caput tuum.* Decorem juxta Symmachum ob sensus elegantiam interpretati sumus. Alioquin et in Hebræo THOPHERTH (תפארת), et in reliquis translatoribus καύχησις, *gloriatio* dicitur. Ornamenta cætera, membrorum sunt singulorum. Capitis ornatus, totius corporis dignitas est. Coronam autem vocat diadema feminarum, quo capillorum stringitur et ornatur ambitio. Volumus scire quæ sit corona decoris in capite Jerusalem, revolvamus Exodum, in quo scriptum est: *Et fecit laminam auream, et scripsit in ea litteras deformatas sigillo sanctificationis Domini, et posuit super caput Aaron* (*Exod.* XXXIX, 29). Signum Dominicæ sanctificationis, nomen est omnipotentis Dei, quod quatuor litteris Hebraicis scribitur (יהוה), et apud eos vocatur ineffabile, dum nomen ejus non potest dici. Cujus majestatem etiam gentilitas non ignorat, et Atheniensium testatur ara, [a] *Ignoto Deo.* Unde et Apostolus: *Quem vos*, inquit, *ignotum colitis, hunc nos annuntiamus vobis* (*Act.* XVII, 23). Istam puto coronam esse, **157** de qua et Psalmista dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Ps.* IV, 7). Et Apostolus loquebatur: *Cursum consummavi, fidem servavi, de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* (II *Tim.* IV, 7, 8). Et in alio loco ad Credentes: *Gaudium meum, et corona mea* (*Phil.* IV, 1). Gloria enim patrum, filii. Et in Salomone scribitur: *Corona gloriæ senectus* (*Prov.* XII, 6); eorum videlicet qui destruxerunt ea quæ parvulorum sunt, et post ætatem perfecti viri, venerunt ad senectutem, et ad patrum nomina, quibus scribit Joannes post pueros (I *Joan.* II), et juvenes qui possunt dicere: *Quando eram parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus sum vir, destruxi ea quæ parvuli sunt* (I *Cor.* XIII, 11).

(Vers. 13.) *Et ornata es auro et argento.* Crebro diximus aurum ad mentem, argentum ad eloquium pertinere. Tribuatque nobis Dominus, ut divinum sensum accipere mereamur atque sapientiam, et id quod mente concipimus, eloquii venustate proferre, et nequaquam ex his facere idolum sicut faciunt hæretici, de quibus scriptum est: *Dedi eis argentum et aurum; ipsi vero ex argento, et auro fecerunt Baal* (*Osee* II, 8). Et hoc magis, juxta intelligentiam spiritualem, ornatui aptum est feminarum. Alioquin argenti vilior materia, rusticarum et pauperum ancillarumque ornatus est, qui non convenit Jerusalem, quæ in reginam dicitur profecisse.

*Et vestita es bysso, et polymito, et multicoloribus*, LXX: *Et amictus tui byssini, et trichapta, et versicoloria.* Verbum [b] Hebraicum MESI (משי), et hic Theodotio ipsum ut supra posuit, Aquila ἄνθιμον, Symmachus *polymitum.* Nos autem quod supra *subtile*, hic juxta Symmachum, *polymitum* diximus; LXX τρίχαπτα transtulerunt, servantes interpretationem præteritam: ut ad similitudinem capillorum tenuia vestimenta monstrarent. Omnis autem ornatus describitur feminarum, ut lavetur, ut mundetur, ut ungatur oleo, et discoloribus vestiatur, calcietur hyacintho, accingatur bysso, induatur trichaptis, sive subtilibus, accipiat armillas, et torquem auream, circulos in ora pendentes, et rotulas in auribus, **158** diadema in capite, auro argentoque decoretur: quamquam argenti vilior sit materia, et post omnia inferatur: *Vestita es bysso, et polymito, et versicoloribus;* sive, ut Septuaginta transtulerunt, *amictu et palliis*, hoc enim περιβόλαια significant, ut non solum cultu corporis esset ornata, et omnia haberet monilia feminarum, sed strati quoque ejus, et lectuli sollicita esset diligentia maritalis, ut postquam ista complesset, veniret ad ciborum delicias, et ne in his quidem aliquid ei deesse pateretur. Quæ omnia juxta superiorem explanationem aptabimus intelligentiæ spirituali: ut byssinis operiatur atque subtilibus, ne delicata conjugis membra gravi palliorum onere prægraventur, sed et usum pariter exhibeant, et decorem.

*Similam et mel et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis.* Post vestitum, ciborum curam gerit, ut comedat Jerusalem similam et mel et oleum, vel per partes, ut plerique æstimant, vel commixtione trium, dulciorem panem, qui panis de cœlo descendit (*Joan.* VI); ac sub tribus nominibus, ut nonnulli putant, sacramentum indicat Trinitatis:

[a] Si Œcumenio credimus, ejusmodi inscriptio fuit: Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. *Dis Asiæ Europæque et Libyæ, Deo ignoto ac peregrino.* Confer autem Hieronymum in Commentar. in Epist. ad Titum cap. I.

[b] Sic legunt codices mss. hoc loco; licet supra retineant *Messe*, vel *Mse.* Hinc videas verbum משי Hebraicum et *Msse*, et *Mesi* legi potuisse, cum esset punctis vocalibus destitutum. MART. — Archinteus Mediolanensis, quo nunc uti incipimus ms., *Msi.*

non quo alia atque alia substantia sit; sed quo diversis, similæ et mellis, et olei nominibus, Patris et Filii et Spiritus sancti una dulcedo monstretur. Et hoc animadvertendum, quod in multis sacrificiis offeratur simila, medulla frumenti atque purissima, de qua scriptum est: *Et de adipe frumenti saturavit eos* (*Ps.* LXXX, 17): non de hordeo, nec de farina, quæ tunc solum offertur, quando maritus zelotypiæ spiritu commovetur. In Judicum volumine Debboram legimus (*Judic.* IV), quæ interpretatur *apis*, cujus prophetia [*Al.* prophetiæ] mella dulcissima sunt, et refertur ad Spiritum sanctum, qui apud Hebræos appellatur genere feminino RUA (רוּחַ). In Evangelio quoque Hebræorum, quod lectitant Nazaræi [a], Salvator inducitur loquens: *Modo me arripuit mater mea, Spiritus sanctus.* Porro simila, quæ de frumento conficitur, refertur ad Dominum, qui de semetipso ait. *Nisi granum tritici ceciderit, et in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). Oleum vero, quod lassorum **159** membra sustentat et reficit, et est luminis nutrimentum, et quo in tabernaculo Dei juge lucernæ lumen accenditur, Patri dicitur convenire. Quæ omnia unam credentibus tribuunt gratiam, dicente Apostolo: *Divisiones sunt gratiarum, unus autem spiritus, et divisiones ministeriorum, unus autem Dominus, et divisiones operationum, unus autem et idem Deus* (*I Cor.* XII, 4, 5). Qui talem comederit cibum, et hoc dulcissimo, et suavissimo pane oleique splendore fulgente pastus fuerit ac nutritus, vertetur in decorem, et fiet pulcherrimus: non semel, sed repetito, *nimis, nimis.* Duplicatum enim adverbium pondus facit orationis: quo ad pulchritudinis magnitudinem addi ultra nihil possit.

*Et profecisti in regnum.* Hoc in Septuaginta non habetur, qui forsitan Alexandriæ in Græcum sermonem Scripturas ex Hebraica veritate vertentes, timuerunt hoc edere, ne regem Ægypti viderentur offendere, dum a Deo Jerusalem debitum regnum esse commemorarent: quamquam eruditi solos quinque libros Moysi ab eis interpretatos probent (*Vid. sup. cap.* V). Post ornatum ergo multiplicem, post coronam, post auri et argenti abundantiam, post indumenta palliaque pulcherrima, post decorem incredibilem proficit in reginam, quia civitas est magni regis, de quo scriptum est: *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Ps.* XVII, 1). Et in Apocalypsi Joannis Jerusalem quasi sponsa ornata atque composita describitur viro suo (*Apoc.* XXI). In Psalmis quoque de eadem dicitur: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Ps.* XLIV, 10). Omne autem quod dicimus de Jerusalem, ne in singulis hæreamus, et librorum magnitudo tædium legentibus faciat, referamus ad Ecclesiam. Si enim Jerusalem, juxta Apostolum (*Galat.* IV), mater nostra est; mater autem nostra Ecclesia est: consequenter Jerusalem Ecclesia est, mater primitivorum qui descripti sunt in cœlis.

(Vers. 14.) *Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posui super te, dicit Dominus Deus.* LXX: *Et exivit nomen tuum in gentes in specie tua: quia completum erat in pulchritudine quam posui* **160** *super te, dicit Dominus Deus.* Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus: *Et egressum est nomen tuum in gentes, quod perfectum erat propter dignitatem meam, quam posueram super te, dicit Dominus Deus.* Et est sensus: Meis beneficiis meaque incredibili largitate ad reginæ vocabulum pervenisti, ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur, et [b] esses non tuis meritis atque virtutibus, sed mea liberalitate perfecta. *Nisi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Ps.* CXXVI, 1, 2). Qui plantat enim et qui rigat, nihil est, nisi Dominus dederit incrementum (I *Cor.* III); quia *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX, 16): ut postquam omnia fecerimus, dicamus: *Servi inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus* (*Luc.* XVII, 10). Non quo ex beneficentia Dei, liberum homini tollatur arbitrium, sed quo ipsa libertas Dominum habere debeat adjutorem.

(Vers. 15.) *Et habens fiduciam in pulchritudine tua: fornicata es in nomine tuo, et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres.* Grande discrimen, non in Dei clementia, sed in suo decore confidere. Quantoque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, et fornicetur in nomine suo. Adversariæ siquidem potestates solitos contemnunt cibos, et peregrina alimenta desiderant. Unde de diabolo dicitur: *Escæ ejus electæ* (*Abac.* I, 16). Non vult quemlibet decipere. Saul regem qui electus a Domino est, et Judam apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem, nostram putemus esse virtutem; sed potius audiamus: *Ne glorieris in crastinum: nescis enim quid ventura pariat dies* (*Prov.* XXVII, 1). Et in alio loco: *Fratres, si præventus fuerit homo in aliquo peccato, vos qui spirituales estis, perficite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne forte et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Neque exponamus, sive effundamus, fornicationem nostram omni transeunti, ut non Dei, in quem credimus, sed ejus fiamus a quo polluimur. Qui cuncta recipit vitia, et diversorum peccatorum spiritum transeuntem suo suscipit gremio, et divaricat pedes suos omni transeunti, iste effundit fornicationem **161** suam, et ejus incipit sustinere dominatum, cujus hospes exstiterit.

[a] Confer quæ tum alibi, tum præcipue in Admonitione Dialogis contra Pelagianos præfixa de Nazaræorum hocce Evangelio diximus.

[b] In Vat. ms., quocum et Rabanus legit, *quod esset, non tuis meritis.... sed mea liberalitate profectum.*

(Vers 16.) *Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta, et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est.* LXX : *Et tulisti de vestibus tuis, et fecisti tibi idola consuta, et fornicata es super eis, et non ingredieris, neque fiet.* Symmachus hunc locum ita interpretatus est : *Cumque tulisses de vestibus tuis, fecisti tibi excelsa multicoloria, et fornicata es in eis, non facta neque futura.* Pro consutis et versicoloribus et excelsis, sive idolis, Aquila et Theodotio ἐμβολίσματα transtulerunt, quod significat diversos pannos hinc inde consutos, et instar emplastri factum idolum, quasi πολύῤῥαφον vestimentum. Vestivi, inquit, te versicoloribus, et induta es bysso, et polymito, et multarum varietate formarum. Tu autem vestimenta tua quibus mea largitate donata es, tulisti : et fecisti tibi idola, vel excelsa, quæ Hebraice dicuntur BAMOTH (במות), quod numquam ante factum est, neque fiet; ut quæ acceperis ad ornatum, transtuleris ad injuriam donatoris. Quod super Jerusalem juxta litteram intelligi potest, ut omnia præcepta Legis, et divitias ac rerum omnium abundantiam idolis deputaverit, quod gens alia non fecerit, nec factura sit. Omnes enim nationes quæ a principio idolis servierunt, non tanti criminis reæ sunt. Nostra autem Jerusalem, quæ interpretatur, *visio pacis*, ab hæreticis scinditur, quando unum et alterum testimonium Scripturarum de propriis carpentes locis, conantur assuere his, quibus non queunt coaptare. Ad quos et supra dictum in hoc eodem propheta legimus : *Væ his qui consuunt cervicalia sub omni cubito manus, et faciunt operimenta super caput universæ ætatis* (*Sup.* XIII, 18) : quod Dominus fieri prohibens, loquitur in Evangelio : *Nemo assumit commissuram panni rudis in veteri vestimento. Alioquin tollit de plenitudine ejus, et pejor scissura fiet : nec mittunt vinum novum in utres veteres* (*Matth.* IX, 16, 17). Tales sunt Nazaræi, qui veteris Legis observantiam, Evangelicæ gratiæ aptare conantur. Et omnes hæretici, qui testimonium in suo loco alteri sensui congruens, alteri nituntur assuere : cum Dominica tunica desuper texta per totum, scindi omnino non possit, sed texta Spiritu sancto nullam recipiat **162** scissionem. Quod autem dicitur juxta LXX, *et non intrabis neque erit*, hoc significat : cum tibi idola feceris perversorum dogmatum, quæ arbitraris excelsa : et fornicata sis super eis, credens in his quæ ipsa finxisti, templum Dei intrare non poteris. Et simulacra tua substantiam non habebunt, neque erunt in perpetuum, dicente Apostolo : *Scimus enim quia nihil est idolum in mundo* (I *Cor.* VIII, 4).

(Vers. 17.) *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo quod* [Vulg. *quæ*] *dedi tibi; et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.* Juxta litteram Dominus Lege præcepit, ut fierent thuribula, phialæ, candelabrum, arca Testamenti, cunctaque vel aurea vel deaurata, et alia ex argento, quæ omnia conflavit Jerusalem et vertit in idola Belis, sive Baalis, Chamos et Astaroth, et Melchom. Juxta intelligentiam spiritualem, et de auro et argento sanctarum Scripturarum idola facimus, quando gratiam sensus et eloquentiæ hæretica pravitate corrumpimus, et ponimus in cœlo os nostrum, et lingua nostra pertransit in terram. Masculinæ autem dicuntur imagines in quibus omnis hæresis fornicatur, ex eo quod unusquisque se putat robustissima colere, et habere quæ finxit, nec ulla posse oppugnatione subverti. Hæ sunt imagines quas de nostro corde confinximus, et quæ in cœlesti Jerusalem destruendæ sunt, de quibus Propheta pronuntiat : *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum dissipabis* (*Ps.* LXXII, 20). Quicumque enim homo est, et Dei nomen amisit, dicitur de eo : *Verumtamen in imagine perambulat homo, verumtamen frustra conturbatur* (*Ps.* XXXVIII, 7). Nos autem unum habemus virum, et unam veneramur imaginem, quæ est imago invisibilis et omnipotentis Dei.

(Vers. 18.) *Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas :* subauditur *imagines masculinas :* ut omnem cultum quem acceperat ad utendum, verteret in blasphemiam. Hoc autem facimus, quoties prudentia, temperantia, fortitudine, justitia, cunctisque virtutibus hæreticam circumdamus pravitatem, sub occasione earum, simplices quosque decipimus; ut videntes mella virtutum, vitiorum venena non caveant.

*Et oleum meum, et thymiama meum, posuisti coram eis. Et panem meum* (sive ut LXX transtulerunt, *panes meos*) **163** *quem dedi tibi; similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti ea in conspectu eorum in odorem suavitatis.* Oleum de quo supra diximus, et thymiama, sive incensum, de quo Psalmista proclamat : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Ps.* CXL, 2); et panes propositionis, quos Deo jubemur offerre : similam quoque, sensum purissimum **164** Scripturarum, et mel, quod gustavit Jonathan, et aperti sunt oculi ejus et confortatus est (I *Reg.* XIV), posuit misera Jerusalem in conspectu idolorum, sive coram imaginibus masculinis, ut essent his in odorem suavitatis, quæ natura sua dulcia sunt atque suavissima : sed dum offeruntur idolis falsisque doctrinis, vertuntur in amaritudinem.

# *LIBER QUINTUS.*

**163-164** Ne librorum numerus confundatur, et per longa temporum spatia divisorum inter se voluminum ordo vitietur, præfatiunculas singulis libris præposui : ut ex fronte tituli statim lector

agnoscat, quotus sibi liber legendus, et quæ nobis prophetia explanauda sit. In præterito igitur volumine, id est, quarto, partem prophetiæ contra Jerusalem, cujus istud exordium est : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan*, usque ad eum locum, ubi scriptum est : *Similam et oleum et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis*, ut potui brevi sermone disserui. Nunc ejusdem prophetiæ pars reliqua cum cæteris quæ sequuntur, quinto volumini, et tuo, Eustochium, nomini dedicatur. In quo nihil ex arte rhetorica, nihil ex compositione reperies, et venustate verborum : sed curam simplicis et solertis diligentiæ, ut ista et sola laus mea sit, si prophetæ per me dicta intelligas.

(Vers. 20 seqq.) *Et factum est, ait Dominus Deus, et tulisti filios tuos et filias tuas, quas genuisti* [Vulg. *generasti*] *mihi : et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua,* [a] *immolantis filios meos? et dedisti illos consecrans eis. Et post omnes abominationes tuas et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda et confusionis plena, conculcata in sanguine tuo.* LXX : *Et factum est post hæc, dicit Adonai Dominus, et tulisti filios tuos, et filias tuas quas genuisti, et immolasti eis in consumptionem, quasi parum fornicata sis,* [b] *et interfecisti filios tuos, et dedisti eos cum offerres illis, hoc est, super omnem fornicationem tuam et abominationes tuas, et non es recordata diei infantiæ tuæ, quando eras nuda et ignominiosa : mixta in sanguine tuo vixisti.* Quod filios suos, et filias Jerusalem, de quibus scriptum est : *Filios genui et exaltavi : ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2); idolis immolaverit, sancta Scriptura commemorat : *Immolaverunt filios suos et filias suas dæmonibus* (*Ps.* CV, 37). Et iterum : *Effuderunt sanguinem innocentem* (*Ibid.*, 38), **165** *sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas immolaverunt sculptilibus Chanaan* (*Exod.* IV, 22). Suos autem vocat juxta Hebraicum. Ipse enim de eis dixerat : [c] *Filius primogenitus meus Israel.* Sive juxta Septuaginta, *tuos*, quos de fornicatione genuisti. In eo autem loco in quo nos posuimus, *et dedisti illos consecrans eis*, pro quo Septuaginta transtulerunt, *et dedisti eos ad placandum*, sive *expiandum*, Aquila, Symmachus, et Theodotio posuerunt, *transtulisti et transduxisti eos :* quia ethnici per ignem filios suos, vel transferunt parvulos, vel adultos transire compellunt. Cum hæc, ait, feceris, non es recordata infantiæ tuæ, quando tuli te conspersam sanguine et lavi, et post multa quæ propheticus sermo narravit, copulavi mihi. Nostra quoque Jerusalem, si hæretica fraudulentia supplantata fuerit, tollit filios suos, qui [d] robustiores sunt in fide, et filias quæ non habent tantam fidei fortitudinem. Aut certe filios, qui mystica quæque cognoscunt : filias quæ simplicem sequuntur historiam; et tradit dæmonibus devorandos, et cum interficiat eos, vivificare se credit, et placare simulacra, quorum occisione saturantur. Quodque dicitur juxta Septuaginta, hoc est, *super omnem fornicationem tuam, et abominationes tuas*, illud significat, quod cunctis peccatis et fornicationibus pejor sit doctrina dæmonum : immo interficiet eos, quos vel multo labore genuerat Deo, vel suos fecerat filios, quos in fornicatione generavit.

(Vers 23 seqq.) *Et accidit post omnem malitiam tuam : væ, væ tibi, dicit Dominus Deus. Et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum, et divisisti* [Al. *dimisisti*] *pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium, et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.* LXX : *Et factum est post omnes malitias tuas* ※ *væ, væ tibi : dicit Adonai Dominus. Et ædificasti tibi habitaculum fornicationis, et fecisti tibi prostitutionem in omni platea. Et in principio omnis viæ ædificasti fornicationes tuas : et corrupisti decorem* **166** *tuum, et divaricasti crura tua omni transeunti, et multiplicasti fornicationem tuam : et fornicata es cum filiis Ægipti vicinis tuis, qui sunt magnarum carnium, et multipliciter fornicata es, ut me ad iracundiam provocares.* Hoc quod secundo dicitur, *væ, væ tibi*, Vulgata editio non habet, sed de Theodotionis editione additum est. Rursumque ubi nos diximus : *Et ædificasti tibi lupanar*, pro quo Septuaginta transtulerunt : *Et ædificasti tibi habitaculum fornicationis*, Symmachus et Theodotio πορνεῖον interpretati sunt; Aquila volens exprimere etymologiam sermonis Hebraici GOB (גב), posuit βάθυνον, quod nos dicere possumus, *foveam :* ut significet ganeam ac defossum specum atque tenebrosum, in quo prostitutarum libido versatur. Quodque sequitur : *Et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis*, pro quo Septuaginta transtulerunt [e] ἔκθεμα, in Hebraico habet RAMA : et tam Aquila, quam Symmachus et Theodotio, *excelsum* sive *sublime* interpretati sunt. Denique et in consequentibus, ubi scriptum est : *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ*, pro signo et fornicatione, rursum in Hebræo habet RAMA (רמה), quod nos vel *prostibulum*, vel *signum* interpretati sumus, cum apud Hebræos unum vocabulum sit. Hoc autem po-

[a] Ex Hebraico ותשחטו, et Vulg. edit. reposuit Victorius *immolasti.*

[b] Locum hunc ita refigit Victor. : *et dedisti eos ad placandum in illis*, ex LXX, qui habent καὶ ἔδωκας αὐτὰ ἐν τῷ ἀποτροπιάζεσθαι ἐν αὐτοῖς : cui lectioni Hieronymus quoque in Comment. suffragium addit, ubi : *In eo autem*, inquit, *loco, ubi nos posuimus, et dedisti illos consecrans eis*, pro quo LXX transtulerunt, *et dedisti eos ad placandum, sive expiandum*, etc.

[c] Penes Rabanum, *de eis dixerat, Filios meos, sive juxta Septuaginta, tuos*, etc.

[d] Apud eumdem, *qui subtiliores sunt*, etc.

[e] Polychronius, ἔκθεμα λέγει οἷον τὸ προαγώγιον ἔνθα τὰς πόρνας τρέφειν εἰώθασι, *Ecthema dicit quasi prostibulum, ubi solent scorta alere.*

nitur, quod excelsus sit; ut volentibus fornicari, procul appareat fornicationis locus, et non necesse sit quæri. Quod semel et iterum atque iterum diximus, in perpetuum dixisse sufficiat, sub persona mulieris post multa mariti beneficia fornicantis, describi fornicationem Jerusalem, quomodo a Deo recesserit, et juncta sit idolis, nec occulta fuerit fornicatione contenta; sed ædificaverit sibi lupanar, et in omni via signum transeuntibus posuerit, ut venirent ad scortum, et satiarent libidinem, non tam suam, quam ejus quæ divaricavit crura sua omni transeunti, et pulchritudinis magnitudinem fornicationis magnitudine deturparit: et inter cætera etiam Ægyptiis vicinis suis amore magnarum carnium prostrata sit. Et ut omne genus turpitudinis demonstraret, multiplici spurcitiæ genere deformata sit. Nulli autem dubium, quod Ægypto vicina sit Palæstina, dicente Domino **167** ad Abraham: *Dabo tibi omnem terram a fluvio Ægypti, usque ad fluvium magnum Euphratem* (*Gen.* xv, 18), ut ex una parte Ægyptios, et ex altera habeat Assyrios, cum quibus et in posterioribus dicitur fornicata. Fornicatio autem Jerusalem cum Ægyptiis, idololatriæ eorum imitatio est. Ad nostram autem Jerusalem, sive Ecclesiam, sive credentium animas, si fuerint negligentes, et omnibus vitiis patuerint, duplex maledictionis sermo dirigitur, ut audiant: *Væ, væ tibi, ait Dominus Deus*, juxta illud quod in Apocalypsi Joannis scriptum est: *Væ super omnes habitatores terræ* (*Apoc.* viii, 13). Si enim sanctus dicit: *Advena sum, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Psal.* xxxviii, 13): quare non peccator habitator terræ esse dicitur? Ædificat autem sibi lupanar, qui tota frontis libertate delinquit; juxta illud quod scriptum est: *Peccator cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit* (*Prov.* xviii, 3). Et exstruit altissimum locum in cunctis plateis: *Lata* enim *et spatiosa via est quæ ducit ad mortem*. Et in omni capite viæ ædificat; ut nulla peccatorum genera derelinquat; sed imitans scortum Proverbiorum, manifeste in plateis et in angulis platearum, prætereuntes stultos juvenes ad suos invitet amplexus, et polluat decorem animæ, quem pro beneficio a Deo conditore sortita est (*Prov.* v *et* vii). Et omnia itinera ejus plena sunt turpitudinis, cunctisque cogitationibus quæ vitiorum incentiva suppeditant, aperit cor suum, et crura divaricat, et fornicatur cum Ægyptiis vicinis suis, quorum exempla sectatur, ethnicis videlicet, qui in suis turpitudinibus gloriantur, et tam nefaria est, ut ipsos quoque superet in turpitudine. Et hæc omnia facit, ut Deum ad iracundiam provocet. Magnarum autem carnium Ægyptii esse dicuntur, sive ob turpitudinis magnitudinem, sive ob peccatorum deformitatem. Unde sanctus, carnium dicitur parvularum, quæ in eo decrescunt quotidie, et per virtutes attenuantur: ita ut nequaquam caro appelletur, sed spiritus: et loquatur in psalmo: *Sitivit anima mea ad te, Deus, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* lxii, 2): sive (ut quædam habent [a] exemplaria) *quomodo consumpta est* **168** *caro mea: In terra deserta et invia et inaquosa: sic in sancto apparui tibi* (I *Cor.* v). Quamobrem et Corinthius fornicator traditur in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. De hac carne scriptum est: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Aruit fenum, et flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum* (*Isa.* xl, 6, 7). De qua et Apostolus loquebatur: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (I *Cor.* xv, 50). Et in Genesi loquitur Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (*Gen.* vi, 3). Et ad credentes dicitur: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu* (*Rom.* viii, 8, 9). Alia autem caro sanctorum est, de qua scriptum est: *Omnis caro videbit salutare Dei* (*Isai.* xl, 5).

(Vers. 27.) *Ecce ego extendi* [Vulg. *extendam*] *manum meam super te, et auferam justificationem tuam* [Vulg. *jus tuum*], *et dabo te animis* [Vulg. *in animas*] *odientium te, filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt* [Al. *ardescunt*] *in via tua scelerata*. LXX: *Si autem extendero manum meam super te, et auferam legitima tua, et dabo te in animas odientium te, filiarum alienigenarum, quæ te declinare fecerunt de via tua.* Quodque sequitur: ἠσέβησας, hoc est, *impie egisti*, juxta Septuaginta sequenti capitulo coaptatur, juxta cæteros finis superioris est. Extendit autem Dominus super Jerusalem manum suam, ut corrigat delinquentem, et auferat legitima ejus, quæ quamdiu Dei præcepta servabat, legitima Domini dicebantur. Quando vero adoravit idola, et religionem in impietatem mutavit, nequaquam [b] legitima illius appellantur. Quod non solum in lege et cæremoniis, sed in sabbatis quoque et diebus festis et neomeniis accipiendum est. Dans enim legem, ait: *Sabbata mea et dies festos meos*. Quando autem recesserunt a Deo, dicitur eis: *Neomenias vestras, et sabbata, et diem magnum non* [c] *recipiam: Jejunium et otium, et solemnitates vestras odit anima mea* (*Exod.* xxxi; *Deut.* v; *Isai.* i, 14). Quod et de populo scriptum est (*Deut.* vii). Qui enim prius Dei populus vocabatur, postquam recessit a Domino, dicitur de eo ad Moysen: *Peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti* (*Exod.* xxxii, 7). Quæ hic extensio manus, alibi elevatio, sive visitatio dicitur. Quando enim peccantem non corripit Deus, contrahit manum **169** suam. Sin autem peccaverit, et in Dei lege cœperit ægrotare, mittitur ad eum visitatio; juxta illud quod in psalmo canitur: *Si dereliquerunt filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint: visitabo*

[a] Utramque lectionem, quæ penes LXX erat, recole inferius in cap. xliv, ubi Hieronymus *Attenuata*, inquit, *jejuniis caro, et circumcisa continentia, fugit opprobrium Ægyptiorum*, etc.

[b] Ex nostris et Victorii mss. utpote necessariam negandi vocem *nequaquam* supplevimus.

[c] Reponit Victor. *recipio*, ex LXX, οὐκ ἀνέχομαι.

*in virga iniquitates eorum* (*Psal.* LXXXVIII, 31, 32). Et in hoc propheta scriptum est : *Terra si peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum meam super eam, et conteram firmamentum panis ejus*, et reliqua. In quo quærimus, quid sit inter extensionem manus, et emissionem ejus. Loquitur autem diabolus ad Dominum : *Mitte manum tuam, et tange omnia quæ habet : nisi in facie benedixerit tibi* (*Job.* II, 5). Videturque mihi mitti manus, ad probationem eorum quibus mittitur : extendi autem, ad pœnas eorum qui merentur supplicia. Nec solum extensio et immissio; sed expansio manus Dei dicitur, Isaia ex persona Domini proclamante : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem* (*Isa.* LXV, 2). Sanctus quoque levare narratur manus, Scriptura dicente : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2). Sublatis autem legitimis Dei a populo Judæorum, interrogemus eos quam habeant legis observantiam. Victimas sublato templo atque subverso offerre non possunt; nec adulterarum lapidatio, cæterorumque criminum lege concessa exerceri potest, et vacatio terræ anno remissionis, et cætera hujuscemodi. Datur autem in animas odientium se filiarum Palæstinarum, quando traditur Palæstinis, quos indifferenter Septuaginta *alienigenas* vocant : quas intelligere possumus, urbes vel oppida Palæstinæ. Nostra quoque Jerusalem, si præterierimus cæremonias Dei, et extenta fuerit manus ejus super nos, et ablata cuncta legis observantia, tradetur filiabus Palæstinæ et non filiis. Neque enim primum fortioribus suppliciis tradimur, sed juxta peccatorum qualitatem, inferioribus : ut correpti in minori, majora cruciatuum tormenta vitemus. *Philisthiim*, hoc est, *Palæstini*, prima litterarum parte mutata, interpretantur *cadentes poculo*, sive *fractura* [Forte *actura*]. Per quæ significatur tradendos nos adversariis potestatibus, quæ biberunt de calice Babylonis, et corruerunt, et quarum opera perversa sunt. Tantaque erit miseræ Jerusalem correptio atque ignominia, ut erubescant etiam **170** ipsæ adversariæ potestates super nostrorum magnitudine peccatorum. Quod nos interpretati sumus juxta Symmachum, *scelerata* : Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit [a] ZEMMA (זמה). Sublatis autem cæremoniis Dei a populo Judæorum, ad nos cum sacerdotio transit et legislatio, dicente Scriptura : *Constitue, Domine, legislatorem super eos* (*Psal.* IX, 21). Et in alio loco : *Legem pone mihi, Domine, in via tua* (*Psal.* XXVI, 11).

(Vers. 28, 29.) *Et fornicata es in filiis Assyriorum: eo quod necdum fueris expleta, et postquam fornicata es, nec sic es satiata. Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis, et nec sic satiata es.* LXX : *Impie egisti, et fornicata es in filios Assur; et nec sic satiata es : et fornicata es, et non es repleta; et multiplicasti testamenta tua ad terram Chanaan, et Chaldæorum; et neque in istis expleta es.* Supra scriptum est, Jerusalem fornicatam cum filiis Ægypti vicinis suis, qui sunt magnarum carnium : hic altera Assyriorum vicinitas indicatur. Et propterea utrisque traduntur gentibus, quia utrarumque simulacra venerati sunt, ingredientesque Chaldæam, quæ est terra Chanaan, imitati sunt eorum errores quorum imperio subjacebant. Secundum tropologiam de aliis peccatis ad alia sæpe transimus. Cumque non egerimus priorum scelerum pœnitentiam, augemus delicta delictis, et nullo errore satiamur, sed quasi fune longo et corrigia jugi vitulæ, trahimus peccata, et testamentum nostrum, sive fornicationem multiplicamus in terra *Chanaan*, quæ interpretatur, *quasi fluctuatio*, et cum Chaldæis, qui et ipsi nobiscum sonant, *quasi dæmonia* (*Psal.* XXXIX, 3). Semperque vestigia habemus in salo, et numquam possumus *dicere : statuit supra petram pedes meos.* Hæreticorumque pravitatibus subjicimur, qui habent similitudinem dæmonum: sive ipsis Dæmonibus, de quibus Paulus scribit : *Non est nobis pugna adversus carnem et sanguinem, sed adversum rectores tenebrarum istarum, adversum spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12).

(Vers. 30, 31.) *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias hæc omnia opera mulieris meretricis, et procacis? Quia fabricata es lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea : nec facta es quasi meretrix fastidio* **171** *augens pretium.* LXX : *Quid faciam cordi tuo, dicit Adonai Dominus, cum feceris hæc omnia opera mulieris fornicariæ, et impudentis? ÷ et fornicata es tripliciter in filiabus tuis * quando ædificasti lupanar tuum in principio omnis viæ, et basim tuam fecisti in omni platea : et non fuisti quasi meretrix congregans mercedes.* Quodque dixere Septuaginta : *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis*, in Hebraico non habetur, nec aliorum Interpretum quispiam posuit. Ἐπαπορητικῶς (*contentiose*) autem hæc omnia ad Jerusalem loquitur Deus, quod invenire non valeat, quo ægrotantem et seminecem possit curare medicamine; juxta illud quod scribit Isaias : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non fecerim ei* (*Isa.* V, 4)? Et Osee : *Quid tibi faciam, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens* (*Osee* VI, 4). Idololatria enim tua non in occulto, sed tota libertate commissa est, ut in omnibus viarum principiis et compitis poneres aras, et basim, sive excelsum tuum, de quo supra diximus, faceres in omni platea. Nec imitata est callidas meretrices, quæ solent difficultate augere libidinis pretium, et ex hoc magis amatores ad insaniam provocare. Sive juxta Septuaginta : Non fuisti quasi meretrix congregans mercedes, sed dedisti quæ accipere debueras, ut nec in eo quod fornicata es, et secuta dæmones, eorum protegereris auxilio, sed variis oppressa captivita-

[a] Martianæus cum *jod* intermedio, זימה; est autem *zemma* ut plurimum cogitatio in malum.

tibus, sentires calamitates tuas. Quod quidem et ad omnem animam Christianam referri potest, quæ deserto cultu Dei, vitiis se, [a] luxuriæque permisit, et sæcularem secuta vitam, ne in ea quidem egit feliciter, sed et divitias religionis perdidit, et mundi divitias non accepit : nec in constupranda ea fuit aliqua difficultas, sed ipsa se ingessit amatoribus suis. Est autem et alia fornicatio spiritualis, quando deserentes Ecclesiam, hæreticis jungimur, et ædificamus lupanar nostrum in capite omnis viæ, quibus præcipit sermo divinus : *State in viis, et quærite semitas Domini sempiternas, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea* (*Jerem.* VI, 46), Moysi videlicet, Jesu, Judicum et Regum libris, Isaiaque et Jeremia, et aliis prophetis. **172** In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar suum, qui ad perversitatem doctrinæ, testimoniis male abutitur Scripturarum et dicit : Hæc ait Isaias : hæc dicit Osee : hæc locutus est Moyses : hæc Daniel. Et pulchre non in mediis viis, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio. Si enim ad scientiam, et profunda divinorum venerit librorum, errare non poterit. Excelsum quoque suum, sive basim, facit in omni platea, Ethnicorum se, et impiorum lasciviæ vitiisque permittens, etiam inter ipsos hæreticos cum ab eis fuerit deturpata, non habens gratiam, sed patens contemptui, quia facile præteritam fidei perdidit castitatem. Hoc autem quod (ut supra diximus) in Hebraico non habetur: *Fornicata es tripliciter in filiabus tuis*, sive ad Jerusalem juxta litteram dicitur, quod omni genere in suis oppidis, et viculis fornicata sit; et nullus remanserit angulus vel platea, ubi non idololatriæ signa condiderit: sive Ecclesiæ credentibusque deceptis, qui non audierunt illud Apostoli : *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in die adventus Domini nostri Jesu Christi servetur* (I *Thess.* V, 23); sed omni genere fornicati sunt et corpore, et anima, et spiritu. Legimus in Proverbiis : [b] *Tu autem scribe ea tripliciter, ut respondeas sermones veritatis, qui proponuntur tibi* (*Prov.* XXII, 20, 21). Et jubetur nobis, ut eloquia veritatis, id est, Scripturas sanctas, intelligamus tripliciter. Primum, juxta litteram ; secundo, medie per tropologiam; tertio, sublimius, ut mystica quæque noscamus. Secundum litteram, illud est: *Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia* (I *Cor.* X, 8). Et : *Nolite murmurare, sicut quidam de eis murmuraverunt et perierunt ab exterminatore* (I *Cor.* X, 10). Medie autem et juxta tropologiam, quando recedimus a littera, et paululum ad altiora conscendimus, dicente Apostolo : *Scriptum est : Non alligabis os bovi trituranti.* Statimque sequitur: *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique locutus est?* (I *Cor.* IX, 9). Extrema autem, id est, tertia et sublimis sacraque intelligentia, juxta illud ejusdem **173** Apostoli : *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Filiæ autem sunt Ecclesiæ fornicantis, credentium prius, et postea deceptorum in hæresi animæ, quarum culpa refertur ad matrem.

(Vers. 32 seqq.) *Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes : tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et donabas eis ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio. In eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti : factum est in te contrarium.* LXX : *Mulier adultera ÷ similis tui : a viro suo accipiens mercedes : omnibus qui fornicabantur cum ea dabat mercedes : et tu dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et onerabas illos ut venirent ad te, per circuitum in fornicatione tua. Et factum est in te perversum contra mulieres in fornicatione tua, et post te non sunt fornicatæ : in eo quod dares mercedes, et mercedes non sunt datæ tibi : et factum est in te perversum.* Hoc quod in LXX scriptum est, *similis tui*, in Hebraico non habetur, et lectionis conturbat ordinem, et facit non minimam quæstionem, quæ mulier, cujus similis sit : cum Jerusalem ipsa mulier adultera esse dicatur. Tulit igitur Jerusalem rerum omnium abundantiam, qua fuerat viri liberalitate donata, et dedit eam alienis, dæmonibus videlicet et idolis, juxta illud quod scriptum est in Osee : *Et hæc non cognovit, quia ego dedi ei triticum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei : ipsa vero argentea et aurea fecit Baalim* (*Osee* II, 8.) Unde iratus statim infert : *Propterea convertam, et auferam triticum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo ; et tollam vestimenta mea, et linteamina mea, ut non* [c] *operiam ultra ignominiam ejus : et nunc revelabo immunditiam ejus in conspectu amatorum illius, et nemo eruet eam de manu mea.* Cumque omnes mulieres fornicantes solean accipere mercedes ab amatoribus suis, Jerusalem fecit contrarium, ut magis daret quam acciperet. Et ut largitatem mercedis ostenderet : Onerabat (*Al.* Honorabat), inquit, **174** eos ut venirent ad se per circuitum ; ne quis esset vicinus qui ejus ignominiæ non misceretur. Et quidem Jerusalem in hoc quoque vicit alias meretrices, ut non solum sua daret, quæ pro ritu turpitudinis labore quæsiverat ; sed et munera maritalia amatoribus, et stupratoribus suis tribueret. Tantaque fuit expositio adulteræ ad omnem turpitudinis magnitudinem, ut non solum præsentibus, sed etiam futuris meretricibus præferatur. Unde et nos juxta Symmachum interpretati sumus : *Et post te non erit fornicatio.* Collatione enim tui, omnis deinceps fornicatio levior

[a] In Vatic. ms. cui et Rabanus concinit, *vitiis se luxuriæ pollui permisit.*

[b] Al., *Describe autem tibi tripliciter.*

[c] Rescribit Victorius, *operiant*, ex τοῦ μὴ καλύπτειν Græci textus, ut sibi videtur, significatione.

existimabitur. Quidquid de Jerusalem diximus, refertur ad Ecclesiam animasque credentium, quæ munera maritalia, aurum videlicet in sensu, et argentum in eloquio, et vestimenta, quibus fœditas nostra ac turpitudo velatur, dant amatoribus suis; vel contrariis fortitudinibus, vel magistris dogmatum perversorum, quando asserunt nihil nocere luxuriam, et passivam libidinem, juxta corporis genitalia, coitum naturali lege deposcere : cibis omnibus indifferenter utendum, qui ad hoc facti sunt, ut sumantur. Prudentiam in eo tantum necessariam, ut sibi prosit; nec justitiam habere locum, quæ si valeat, mendicandum sit, et cætera hujuscemodi. Quæ accipiens misera Jerusalem, in qua visio pacis esse deberet, acumen ingenii et eloquii venustatem vertit in turpitudinem. Et pro amatoribus suis adversum maritum ornata processit his ornamentis, in quibus in boni abusionem a viro fuerat ornata. Quodque sequitur : *Et donabas eis ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum*, omne genus significat peccatorum, ut non uno sit contenta delicto, sed peccandi sustineat famem, et contra jura naturæ omnibus turpata membris usque ad verticem polluatur.

(Vers. 35 seqq.) *Propterea, meretrix, audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus : Quia effusum est æs tuum, et revelata est ignominia tua in fornicatione tua* (Vulg. *fornicationibus tuis*) *super amatores tuos, et super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, et omnes quos dilexisti cum universis quos oderas,* **175** *et congregabo eos super te undique, et nudabo ignominiam tuam coram eis et videbunt omnem turpitudinem tuam. Et judicabo te judiciis adulterarum, et effundentium sanguinem, et dabo te in sanguine* (Vulg. *sanguinem*) *furoris et zeli, et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et demolientur prostibulum tuum, et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui, et derelinquent te nudam, plenamque ignominia. Et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt* (Al. *truncabunt*) *te gladiis suis. Et comburent domos tuas igni, et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum, et desines fornicari et mercedes ultra non dabis. Et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius : eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his. Quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci juxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.* LXX : *Propterea, meretrix, audi verbum Domini : Hæc dicit Adonai Dominus : Quia effudisti æs tuum, et revelabitur ignominia tua in fornicatione tua ad amatores tuos, et in omnes cogitationes iniquitatum tuarum, et in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis. Ideo ecce ego super te congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, et omnes quos dilexisti cum universis quos oderas, et congregabo eos super te per circuitum, et revelabo malitias tuas ad eos, et videbunt cunctam ignominiam tuam. Et ulciscar te ultione adulterarum et effundentium sanguinem, et ponam te in sanguine furoris et zeli, et tradam te in manus eorum : et suffodient lupanar tuum, et destruent basim tuam, et nudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriationis tuæ, et derelinquent te nudam et plenam ignominiæ, et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et truncabunt te gladiis suis. Et succendent domos tuas igni, et facient in te ultiones coram mulieribus plurimis : et avertam te a fornicatione, et mercedes ultra non dabis : et immittam furorem meum super te, et auferetur zelus meus a te, et requiescam, et non ero ultra sollicitus : quia non es recordata diei infantiæ tuæ, et contristabas me in his omnibus. Et ecce ego vias tuas in caput tuum dabo, dicit Adonai Dominus : et sic fecisti iniquitatem super cunctis iniquitatibus tuis.* Primum historiæ fundamenta jacimus. Quia hæc et illa fecisti, quæ **176** superior sermo comprehendit : idcirco audi, meretrix, quæ feceris, et quæ passura sis. Effudisti æs tuum quod a me acceperas, et dedisti mercedem amatoribus tuis, quæ accipere debueras, et interfecisti filios tuos, dum eos offerres idolis : ut non solum adultera, sed et parricida exstiteris. Idcirco congregabo super te omnes amatores tuos, cum quibus fornicata es, tam eos quos dilexisti, quam illos quos oderas, et adulterarum te lege nudabo, ut omnes videant turpitudinem tuam, et genitalia propter quæ prius amoris amentia ferebantur. Hæc autem omnia per metaphoram mulieris adulteræ et homicidæ, quæ non solum contra virum suum fornicata sit, sed et filios interfecerit, dicuntur ad Jerusalem, et quod congregandæ sint universæ gentes adversum eam, quarum adoraverit idola, et omnia Dei munera in cultum eorum converterit, et destruatur templum Baal, et aræ omnis civitatis incendio subvertantur, nihilque in ea remaneat. Et sicut solent contra adulteram omnes lapides jacere, et trucidare meretricem, ut singulorum vulneribus occidatur : ita ut omnes mulieres pœnam videant fornicariæ : sic in conspectu aliarum in circuitu civitatum, et omnium nationum deserendam Jerusalem. Et hoc fieri, ut desinat fornicari, et non det ultra mercedes amatoribus suis, et requiescat indignatio Dei, nec irascatur ei quam amare desierit. Ex quo perspicimus grandem offensam esse, nequaquam curæ haberi a Deo, sed permitti hominem sceleribus suis atque peccatis. *Auferetur*, inquit, *zelus meus a te, et requiescam, nec irascar amplius*, quasi alienæ, et quæ a me recesserit, et quam æternæ tradiderim nuditati. Si autem hoc passa est Jerusalem, quia cum idolis fornicata est, quid eam passuram putamus, quando Dei Filium trucidarit? Et hæc, ait, universa fecisti, oblita beneficiorum pristinorum, et me ad iracundiam provocasti, sive contristasti me, quem bonis operibus debueras ad gaudia provocare. Propterea, et ego reddidi tibi opera tua in caput tuum. Et cum te subvertero, o adultera, tamen minus in te iræ meæ exercebo, quam meruisti : quo et in hoc divina clementia demons-

tretur, ut majora sint peccata quam pœnæ. Juxta tropologiam, **177** omnis anima accipit a Deo pecuniam spiritualem, secundum illud Evangelii (*Mat.* xxv; *Luc.* xix) quod dicitur in parabolis quinque et duum, et unius talentorum, et servorum decem mnas singulas acciplentium, qui cum egerint negligenter, debitores fiunt quinquaginta [*Al.* decem] denariorum et quingentorum; et propter hoc præsentibus amatoribus, quos dæmones, contrariasque virtutes intelligimus, revelatur ignominia Jerusalem, vel in die judicii; vel in tempore pœnitentiæ quando corripiuntur. Et prius quidem solus omnipotens Deus cernit occulta, dicente sermone Evangelico : *Et Pater qui videt in abscondito* (*Mat.* vi, 6). Et in alio loco : *Scrutans corda et renes Deus* (*Ps.* vii, 10). Et in Regum volumine : *Tu solus nosti corda cunctorum filiorum hominis* (**IV** *Reg.* viii). Quando vero fuerit expletum : *Non est absconditum quod non manifestetur, et opertum quod non reveletur* (*Luc.* xii, 2). Et in alio loco : *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus unicuique erit a Deo* (**1** *Cor.* iv, 5); et cum correptionis tempus advenerit, tunc implebitur illud Osee : *Nunc circumdederunt eos cogitationes suæ* (*Osee* vii, 2). Et in alio loco : *Inter se cogitationibus accusantibus*, sive *defendentibus*, *in die quando judicabit Deus abscondita hominum* (*Rom.* ii, 15). Et rursum : *Ecce homo, et opera ejus ante faciem illius.* Et videbunt omnes turpitudinem ejus qui prius cum ea fuerant fornicati, et dabit eam Deus in sanguine furoris et zeli. Plenus est enim furor viri contra uxorem adulteram, et nullo pretio potest redimi. Sanguis autem filiorum sic intelligi potest, ut filios appellemus Jerusalem λογισμοὺς καλοὺς, id est, *cogitationes bonas*, quæ a Deo hominibus insitæ sunt; quos interficit adultera, quando ad mala opera declinaverit. Prodest quoque Jerusalem, ut suffodiatur lupanar ejus, et omnis fornicationis ejus seminarium destruatur. Cum enim hoc factum fuerit, mercedes ultra non dabit, et requiesceet Dei indignatio, et nequaquam eam zelabitur, de illius castitate securus : videlicet juxta eos qui in bonam partem accipiunt quæ dicuntur. Alii vero, **178** ut supra diximus, ad contrariam partem referunt, ut magnæ iræ Dei sit non irasci, cum semel contempserit fornicantem, et de salute illius desperaverit. Sin autem hæretici qui vetus non recipiunt Instrumentum, juxta Septuaginta editionem, in hoc loco reprehenderint illud quod dictum est : *Et contristabas me in omnibus istis;* eo quod Deus non solum iram recipiat, sed et mœrori subjaceat atque tristitiæ, interrogemus eos quomodo illud suscipiant, quod certe boni Dei mandatum est : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* iv, 30). Quid enim dixerint in defensionem illius testimonii, hoc nos in satisfactionem præsentis sermonis aptabimus.

(Vers. 44.) *Ecce omnis qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens : Sicut mater, ita et filia ejus. Filia matris tuæ es, quæ projecit virum suum, et filios suos, et soror sororum tuarum tu, quæ projecerunt viros suos, et filios suos.* **LXX** : *Hæc sunt omnia quæ dixerunt contra te in parabola, dicentes : Sicut mater, et filia. Filia matris tuæ tu es, quæ repulit virum suum, et filios suos : et sorores sororum tuarum quæ repulerunt viros suos, et filios suos.* Post κατάλογον vitiorum et correptionis [*Al.* correptiones] Jerusalem, per quam retrahitur ad salutem, aptatur ei tritum vulgi sermone proverbium, sive ut Septuaginta transtulere, *parabola :* Qualis mater, talis et filia. Mater autem Jerusalem, sicut et supra et in consequentibus scriptum est, Chethæa appellatur, interpretaturque *insaniens*, sive *in amentiam vertens:* per quæ sæculi hujus incentiva monstrantur, quæ captivam animam ducunt ad interitum, et a viro suo separant (haud dubium quin verbum Dei doctrinaque dicatur). Et soror sororum suarum, ut post paululum lecturi sumus, Sodoma vocatur, et Samaria : quarum altera gentilem vitam luxuriamque significat, altera hæreticorum decipulas. Porro quod in Septuaginta legitur : [a] *sorores sororum tuarum, quæ repulerunt viros suos, et filios suos*, non habet sensum. Quas enim alias sorores habebant Sodoma et Samaria, quæ sorores sunt Jerusalem? Et hoc quærendum, **179** quos viros Sodoma Samariaque dimiserint, et quos projecerint filios? Nisi forte possimus hoc dicere, quod semper errantium fluctuent pedes, nec sint solida vestigia quæ [b] contra veritatem sunt; sed huc illucque discurrant, et circumferantur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem (*Ephes.* iv). Et cum in primis frustra se sudasse cognoverint, ad secunda tertiaque transcendant.

(Vers. 45 seqq.) *Mater vestra Hethæa* (Al. *Chethæa*), *et pater vester Amorrhæus, et soror tua major Samaria : ipsa et filiæ ejus quæ habitant ad sinistram tuam. Soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma et filiæ ejus. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti paulo* [Vulg. *pauxillum*] *minus : pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.* **LXX** : *Mater vestra Chethæa, et pater vester Amorrhæus, soror vestra senior Samaria : hæc et filiæ ejus quæ habitant a sinistris tuis et soror tua junior te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma et filiæ ejus : et nec sic quidem in viis ejus ambulasti, neque secundum iniquitates illius egisti paulo minus, et transgressa es eas in omnibus viis tuis.* Supra dixerat : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Chethæa;* hic ordine et numero commutato : *Mater*

[a] Distinctis verbis, alioque adeo sensu, hic et supra Martianæus legit, *soror es.* Nec diffiteor, quod et Nobilio notatum est, in aliquot Græcis libris, et penes Theodoritum haberi ἀδελφή. Verum et textus LXX plurium numero, καὶ ἀδελφαὶ τῶν ἀδελφῶν σου, *et sorores sororum tuarum* habet, et subnexæ Hieronymianæ expositionis series sic legi postulat.

[b] Duo mss., *quæ proprie veritatis sunt.*

*vestra Chethæa, et pater vester Amorrhæus.* Cum enim scelera profecerint, scinduntur in partes; et unione deserta, in turbam proficiunt ac multitudinem, quæ cum Jesu non valet ad montana conscendere. Sorores autem Jerusalem Samariam, et Sodomam quarum altera a sinistris, altera à dextris est, etiam secundum intelligentiam corporalem si de templo Jerusalem Orientem aspicias, approbabis [a]. Majorque dicitur Samaria, quia prior peccavit, et ab Assyriis ducta est in captivitatem: et minor ac junior Sodoma, quæ refertur ad gentium turbam. Alioquin eo tempore Sodoma non erat, quæ prius quam in Scripturis legamus Jerusalem, cum Gomorra, Adama et Seboim, divino fuerat igne deleta (*Genes.* XIX). Media autem inter duas sorores Jerusalem, quæ alio nomine appellatur Juda, a Chaldæis ducta est in Babylonem: multoque Jerusalem sceleratiora peccavit quam Samaria et Sodoma, in **180** templo adorans idolum Zeli, et postea Dei Filium interficiens. Porro secundum tropologiam, Samaria et Sodoma, id est, hæretici et Ethnici, sæpe leviora committunt, quam hi qui putantur Jerusalem, hoc est, Ecclesiastici. Unde ad Corinthios dicitur, qui credebant quidem in Christum, sed malis operibus premebantur: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio qualis nec inter gentes quidem, ita ut uxorem patris quis habeat* (I *Cor.* V, 1), et cætera. Solent hæretici, qui tamen vetus suscipiunt Instrumentum, tres naturas ex hoc loco intelligere, spiritualem, animalem, atque terrenam. Et spiritualem referunt ad Jerusalem; animalem, ad Samariam; terrenam, ad Sodomam. Quos breviter interrogemus, quomodo tres naturæ, spiritualis, animalis, et terrena, quæ utique inter se diversæ sunt, unam matrem et unum patrem habere dicantur? quod figmento eorum non congruit. Et quomodo animalis, et terrena natura, juxta hunc eumdem prophetam restituantur in antiquum statum, id est in spiritualem? quod et ipsum eorum rationibus contrarium est. Quod autem Samaria intelligatur in hæresibus, et in Osee propheta, et in multis aliis locis, præcipueque illo testimonio comprobatur: *Væ qui despiciunt Sion, et qui confidunt in monte Samariæ, vindemiaverunt principia gentium* (*Amos* VI, 1). Omnes enim hæretici despiciunt Sion, quæ interpretatur, *specula*, et refertur ad Ecclesiam; et confidunt sibi in monte Samariæ, in superbia videlicet dogmatum perversorum, quæ putant esse sublimia, et per has prædicationes fraudulentas, vindemiant atque populantur principia gentium; ut miraculo doctrinarum, potentes quosque gentilium ad errorem hæreticum pertrahant.

(Vers. 48, 49.) *Vivo ego, dicit Dominus: quia non fecit Sodoma soror tua ipsa et filiæ ejus, sicut fecisti tu et filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus; et manum egeno et pauperi non porrigebant. Et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas sicut vidisti* [Al. *vidi*]. *Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non* **181** *peccavit; sed* [b] *vicisti eam sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es.* LXX: *Vivo ego, dicit Adonai Dominus: sic fecit Sodoma soror tua hæc, et filiæ ejus sicut fecisti tu et filiæ tuæ. Verumtamen fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia in saturitate panum, et in abundantia. Deliciis affluebat ipsa et filiæ ejus ÷ hoc habebat ipsa et filiæ ejus *, et manum pauperis et egeni non assumebant, et gloriabantur magnifice, et fecerunt iniquitates in conspectu meo, et abstuli eas sicut vidisti. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, et multiplicasti iniquitates tuas super eas: et justificasti sorores tuas in omnibus iniquitatibus tuis, quas operata es.* Quod posuere LXX, *hoc habebat ipsa et filiæ ejus*, in Hebraico non habetur. In veteri Testamento Dei juramentum est: *Vivo ego, dicit Dominus* (*Num.* XIV, 21). In novo autem: *Amen, amen dico vobis* (*Joan.* XIII, 16). Sin autem hoc commune cum cæteris est: *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed viventium* (*Marc.* XII, 16, 27). Et in alio loco: *Placebo Domino in regione viventium* (*Psal.* CXIV, 9): quærimus, qua ratione commune vocabulum proprie sibi vindicet Deus. Sed quomodo dicitur, arbor bona, et bonus homo, et bonus pastor, et bonus servus (*Luc.* XVIII); nemo autem absolute bonus, nisi solus Deus: sic cum angeli cæteræque virtutes, patriarchæ quoque et prophetæ, atque apostoli sint viventes comparatione Dei omnipotentis, mortui appellantur. *Quis est enim homo qui vivit, et non videbit mortem* (*Psal.* LXXXVIII, 49)? Unde et apostolus Paulus de Deo: *Qui solus*, inquit, *habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem* (I *Tim.* VI, 16). Et de fonte viventium: *Vita*, inquit, *nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Iste igitur qui jurat, et loquitur: *Vivo ego, dicit Dominus*, describens Sodomæ, et filiarum ejus scelera, primam superbiam posuit, proprium diaboli, primumque peccatum. Unde idem Apostolus: *Ne inflatus*, ait, *superbia, in judicium incidat diaboli* (I *Tim.* III, 6), propter quam de cœlo corruit. Dixerat enim: *Fortitudine faciam, et sapientia intelligentiæ auferam terminos gentium, et robur earum devastabo, et commovebo civitates habitatas, et orbem terrarum totum apprehendam manu sicuti nidum, et sicut confracta* **182** *ova auferam* (*Isai.* X, 13, 14). Et: *Superbis Deus resistit; humilibus autem dat gratiam* (*Jacob* IV, 6). Legimus et in alio loco: *Quid superbis, terra et cinis?* Et Evangelium refert Pharisæi superbiam, publicani humilitate superatam (*Luc.* VIII): cujus seminarium est saturitas panum, et rerum omnium abundantia, et otium; sive ut LXX transtulerunt, deliciarum luxuriæque opulentia. Dives ille in Evangelio purpuratus (*Luc.* XVI) nihil aliud refertur habuisse crimi-

[a] Vatican. ms. cum Rabano, *approbabis, quod major sit quæ dicitur Samaria, quia*, etc.

[b] Victorius, *sed et vicisti eas*, sorores scilicet, Sodomam et Samariam: sicque plurium numero in Hebraica, Græca, Latinaque editt. habetur.

nis, nisi quod opibus et divitiis affluens, in tantam A eruperat superbiam, ut manum egeno et pauperi Lazaro non porrigeret: et sic oblitus sit conditionis suæ, ut ne hoc quidem misero daret, quod projiciendum erat. Ob quam causam et in alio loco scribitur: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Superbia, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium et deliciæ, peccatum Sodomiticum est, et propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, et numquam sibi necessariis indigendum. Quapropter et lege præcipitur: *Attende, ne comedens et bibens et saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oves et boves, argentum, et aurum, obliviscaris Domini Dei tui* (*Deut.* VIII, 11). Et in alio loco de Israel scriptum est: *Manducavit et bibit, et saturatus* B *est, et impinguatus, et calcitravit dilectus* (*Deut.* XXXII, 15). Quod sciens et sapientissimus omnium Salomon in Proverbiis deprecatur: *Tribue mihi necessaria et quæ sufficiant: ne saturatus mendax fiam, et dicam: quis me videbit? aut pauper effectus, furer et pejerem nomen Dei mei* (*Prov.* XXX, 8, 9). Quodque sequitur: *et justificasti sorores tuas in cunctis abominationibus tuis, quas operata es*, non simpliciter justas Sodomam et Samariam esse decernit, sed comparatione deteriorum: quomodo et Publicanus, de quo supra diximus, non absolute justus dicitur, sed collatione pejoris. Et tamen cum tales sint Sodoma et Samaria, ne dimidium (*Al.* dimidiam) quidem peccaverunt comparatione Jerusalem. *Servus enim qui* C *scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Et: *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Porro quod pro *deliciis* (Al. *divitiis*) *otium* in Hebraico continetur, sciendum ad illum sensum pertinere: *In* **183** *desideriis est omnis anima otiosi;* quod videlicet semper aliquid agendum sit: ne ager pectoris nostri, cessante manu, malarum cogitationum sentibus occupetur.

(Vers. 52.) *Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens illis* [Al. *ab eis*]: *justificatæ enim sunt a te.* LXX: *Et tu sustine tormentum tuum in eo quod corruperis sorores tuas in peccatis tuis, quibus inique egisti super eas, et justificasti illas super te.* Secunda post naufragium tabula est, cum peccaveris, erubescere; et non illi subjacere increpationi, quæ contra Jerusalem dicitur: D *Facies meretricis facta est tibi: nescis erubescere* (*Jerem.* III, 3). Portat autem tormentum suum, qui propria torquetur conscientia, et in isto sæculo sustinet propria voluntate cruciatum, ne æterna tormenta ustineat (*Genes.* IV). Corrumpimusque fratres nostros, vel sorores peccatis nostris, quando per nostra peccata ad majora scelera provocantur. Quod dico, ita fiet manifestius: Finge aliquem in sacerdotali culmine constitutum non bene vivere, et deturpare operibus dignitatem. Nonne imitatione vitiorum ejus, laicus frater corrumpitur? Nam et qui unum de minimis scandalizaverit, mola collo alligata, præcipitatur in profundum (*Matth.* XVIII, 6). Sorores quoque Jerusalem Sodoma, et Samaria justificantur: non quo per se justæ sint, sed ut diximus, comparatione pejoris.

*Ergo et tu confundere; et porta ignominiam tuam, quæ justificasti sorores tuas.* Septuaginta: *Et tu confundere, et suscipe ignominiam tuam: eo quod justificaveris sorores tuas.* Confusionem sequitur ignominia: ignominiam correptio: correptionem consolatio: consolationem salus: juxta illud Apostoli: *Tribulatio operatur patientiam: patientia probationem: probatio spem: spes autem non confundit* (*Rom.* V, 3-5). Haud dubium quin in futurum: quia in præsentiarum sua per confusionem peccata delevit. Tale quid et [a] illud Evangelii sonat: *Est confusio quæ ducit ad mortem, et est confusio quæ ducit ad vitam* (*Eccli.* IV, 25). Spiritus quoque sanctus peccatores hortatur in Psalmis: *Confundantur et revereantur omnes inimici mei: convertantur retrorsum, et confundantur valde velociter* (*Psal.* XXXIX, 15). Scriptum est **184** et alio in loco: *Dic tu primum peccata tua, ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 26, *sec.* LXX). Et rursum: *Justus accusator sui est in principio sermonis* (*Prov.* XVIII, 17). Non igitur mirum si provocetur Jerusalem ad confusionem, et ignominiam; quæ intantum peccaverit, ut justificaret sorores suas: cui deinceps dicitur: *Et tu, et filiæ tuæ* [b] *revertimini in antiquum statum.*

(Vers 53, 54.) *Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariæ, et filiarum ejus: et convertam reversionem* [Al. *conversionem*] *tuam in medio earum, ut portes ignominiam tuam, et confunderis* [Al. *confundaris*] *in omnibus quæ fecisti consolans eas.* LXX: *Et convertam conversiones earum conversione Sodomorum et filiarum ejus, convertam conversionem Samariæ, et filiarum ejus, et convertam conversionem tuam in medio earum, ut portes tormentum tuum: et habeas ignominiam ex omnibus quæ fecisti, ut me ad iracundiam provocares.* Grandis profectus Jerusalem, ut post confusionem, et ignominiam, quam illatam sibi Dei judicio libenter excepit atque portavit dicens: *Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei,* promittatur ei restitutio in antiquum statum. Sed tamen quoniam comparatione scelerum ejus, justificata est Sodoma, et Samaria, quarum altera a dextris, altera a sinistris est; primum restituitur *conversio*, sive *captivitas* Sodomæ, ut interpretatus est Aquila: secundo *captivitas* Samariæ, ut idem Aquila et Symmachus transtulerunt: et

[a] Erat forte hæc sententia in aliquo Evangelio apocrypho, vel in exemplaribus antiquæ Vulgatæ addita fuit, sicut et alia bene multa quæ modo non leguntur apud eos. MART. — Archinteus liber, *tale quid et in Evangelio sonat.* Victorius vocem *Evangelii* delet, nihil enim tale in hodiernis saltem Evangeliorum codicibus reperitur. Respici autem videtur, ubi hæc est eorum verborum sententia: *Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Et II Cor. VII: *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur.*

[b] Post Victorium legimus ad sacri textus fidem, *revertemini*, pro quo erat *revertimini*.

novissima restituetur Jerusalem, quæ majore fuerat iniquitate depressa, et peccatrices sorores comparatione sui justas esse monstraverat. Cui enim dubium, quin inter tres peccatores, immo impios, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo majoribus pœnis dignus sit, qui majoris fuerit dignitatis? *Potentes enim*, ut diximus, *potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Qui autem minimus fuerit, dignus est misericordia. *Et servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Unde et Petrus: *Tempus*, inquit, *est ut incipiat judicium a domo Domini* (I *Pet.* IV, 17). Et in hoc eodem propheta præcipitur secures habentibus: *A sanctis meis incipite* (*Supra* IX, 6), ut extrema Jerusalem, **185** sororibus ante conversis et restitutis in pristinum statum, portet ignominiam suam, et confundatur, et erubescat super his quæ peccaverat, et in omnibus consoletur sorores suas, dum graviora sustinet (*Jerem.* VI). Vel certe ideo confundatur et erubescat, quia Deum ad iracundiam provocarit. Ex quo perspicuum est, non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitiis clementissimum et mansuetissimum Deum ad iracundiam provocari, dicente Apostolo: *An divitias bonitatis ejus, et sustentationis, et patientiæ contemnis: ignorans quia bonitas Dei ad pœnitentiam te provocat? Secundum duritiam autem tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram* (*Rom.* II, 4, 5), quam Deus naturaliter non habet. Unde et in alio loco scriptum est: *Emisisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam* (*Exod.* XV, 7). Quod enim conjunctum est, et in uno corpore copulatum, mitti non potest, sed illud quod extra corpus est. Verbi gratia, lancea, telum, sagitta, gladius. Legimus et in Evangelio (*Matth.* X, 15), tolerabilius fore terræ Sodomorum in die judicii, quam ei quæ apostolos non receperit.

(Vers. 55.) *Et soror tua Sodoma et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam. Et Samaria, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam. Et tu et filiæ tuæ revertemini* [Al. *revertimini*] *ad antiquitatem vestram.* LXX: *Et soror tua Sodoma, et filiæ ejus restituentur sicut fuerant a principio: et Samaria, et filiæ ejus restituentur sicut fuerant a principio. Et tu et filiæ tuæ restituemini, sicut fuistis ab initio.* Judæi inter cæteras fabulas, et interminabiles genealogias, et deliramenta quæ fingunt, etiam hoc somniant, in adventu Christi sui, quem nos Antichristum scimus, et in mille annorum regno, Sodomam esse restituendam in antiquum statum, ita ut sit quasi paradisus Dei, et quasi terra Ægypti; et Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judæam (IV *Reg.*, XVII, XVIII). Legimus enim decem tribus captas a Phul, et Salmanassar, et Teglathphalassar regibus Assyriorum, et usque hodie ibi esse captivas. Jerusalem quoque tunc esse fabricandam, et omnes filias ejus, urbes videlicet, et viculos, et castella, quæ sub ipsius futura sint potestate, floriturasque ut prius floruerunt, et ipsam Jerusalem auro et argento, et pretiosis lapidibus exstruendam, de qua **186** et Isaias vaticinetur: *Constituam judices tuos sicut prius, et consiliarios tuos sicut a principio, et post hæc vocaberis civitas justitiæ, mater civitatum, fidelis Sion* (*Isa.* I, 26); et nostra loquatur Apocalypsis (*Apoc.* XXI): Et David cantat: *Bene fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et ædificentur muri Jerusalem* (*Ps.* L, 20). Et in alio loco: *Ædificabuntur civitates Judæ, et habitabunt, et commorabuntur ibi, et semen eorum in æternum dirigetur* (*Ps.* LXVIII, 36). Nos autem horum perfectam scientiam, Dei judicio relinquentes, immo liquido confitentes [*Al.* confidentes], post secundum adventum Domini Salvatoris, nihil humile, nihil futurum esse terrenum; sed regna cœlestia quæ primum in Evangelio promittuntur, hoc dicimus, quod in Ecclesiæ statu, cuncta completa sint, et quotidie compleantur. Sodoma revertitur in antiquum statum, quando naturæ suæ reddita gentilis prius, et impia anima intelligit Creatorem. Samaria recipit antiquam beatitudinem, hæreticorum errore contempto, et juncta doctrinæ, et fidei Christianæ. Cumque illæ reversæ fuerint, et Jerusalem, *visio pacis*, quæ interpretatur Ecclesia, revertetur in pristinum statum. De qua scriptum est: *Factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV, 2); et: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum* (*Ps.* CXXI, 3); et in Apostolo: *Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra* (*Galat.* IV, 25); et in eodem: *Accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et millia angelorum frequentium* [Al. *frequentiam*] (*Hebr.* XII, 22). Et revertitur cum filiabus suis, quæ in toto orbe dispersæ sunt. De quo plenius in Isaiæ explanationibus disseruimus.

(Vers. 56 seqq.) *Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiæ tuæ antequam revelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per girum. Scelus tuum, et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus.* LXX: *Nisi fuissent Sodoma soror tua ad audiendum in ore tuo in diebus superbiæ tuæ antequam revelarentur malitiæ tuæ, sicut nunc est filiarum Syriæ, et nisi hoc fuisset, quid factum esset tibi, et omnium in circuitu tuo filiarum alienigenarum, quæ circumdant te per girum? impietates tuas, et iniquitates tuas tu porta.* Symmachus hunc locum ita interpretatus est: **187** *Quia non fuit Sodoma soror tua in auditu per os tuum in die superbiæ tuæ, antequam revelaretur ignominia tua, sicut in tempore opprobrii filiarum Syriæ, et omnium quæ in circuitu tuo sunt filiarum Palæstinarum, quæ te ambiunt per gyrum. Scelus tuum et nefas tuum tu portabis.* Theodotio hoc modo: *Et non erat Sodoma soror tua in auditu oris tui, in die superbiæ tuæ, antequam revelaretur malitia tua: sicut tempus opprobrii filiarum Syriæ, et omnium per circuitum ejus filiarum alienigenarum, quæ abominantur te per gyrum. Fornicationem tuam, et contaminationes tuas, tu portasti, dicit Adonai Dominus.* Editioni Aquilæ congruit nostra translatio; quas omnes posui, ut ex collatione cunctarum, alicujus sensus possimus re-

perire vestigium, et interim absque aliorum præjudicio, sic nobis videtur lectionis ordo reddendus : In diebus superbiæ tuæ, quando peccabas, non es recordata eversionis Sodomæ sororis tuæ, antequam pateret malitia tua, quæ hoc tempore revelata est in tantum, ut cunctis urbibus Syriæ et Palæstinæ quæ in circuitu tuo sunt, fieres opprobrium. Quia igitur vicisti in scelere sororem tuam; nec ejus exemplo territa es, ne similia sustineres, et prohiberes pedem tuum : nunc autem revelata est ignominia tua, Dei ausculta sententiam. Vel *porta* juxta Septuaginta : vel *portasti*, juxta Aquilam, et Theodotionem : vel *portatura es*, juxta Symmachum, scelus et ignominiam tuam, ut postquam pœnas pro sacrilegio sustinueris, veniam non ex pacto tuo, sed ex mea clementia consequaris. Syria Hebræo sermone dicitur ARAM (ארם), quæ interpretatur, *sublimitas*. Et juxta explanationem illius loci Isaiæ prophetæ, in quo Aram, et Ephraim consentiunt contra Judam, et Jerusalem, ethnicorum arguta sapientia, et quæ sibi sublimitatem scientiæ repromittat, juncta malitiæ hæreticorum, impugnat Judam, in quo vera confessio est, et non potest prævalere. Hic quoque eadem arrogantia Syriæ, id est, philosophorum cum filiabus alienigenarum, in quibus multiplex diversorum in gentibus dogmatum error ostenditur, illudit Jerusalem, et opprobrio habet eam, cujus vitiis superata est.

(Vers. 59 seqq.) **188** *Quia hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi sicut despexisti juramentum, ut irritum faceres pactum. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ : et suscitabo tibi pactum sempiternum. Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis cum receperis sorores tuas tecum majores cum minoribus tuis : et dabo tibi eas in filias, sed non ex pacto tuo. Et suscitabo*[a] *tibi pactum meum tecum, et scies quia ego Dominus, ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua : cum placatus fuero tibi in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.* LXX : *Hæc dicit Adonai Dominus : Et faciam in te sicut fecisti, sicut despexisti hæc, ut prætterires testamentum meum. Et recordabor ego testamenti mei, quod feci tecum in diebus adolescentiæ tuæ, et suscitabo tibi testamentum sempiternum, et recordaberis viæ tuæ, et despicieris cum receperis sorores tuas te majores cum junioribus tuis, et dabo eas tibi in probationem, et non ex testamento tuo, et suscitabo ego testamentum meum tecum, et cognosces quia ego Dominus : ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os a facie ignominiæ tuæ, cum propitius fuero tibi juxta omnia quæ fecisti, dicit Dominus Deus.* Ideo tibi dixi : scelus tuum et ignominiam tuam tu porta, sive portasti, aut portatura es; ut recipias quod mereris : quia despexisti juramentum meum, et irritum fecisti pactum meum. Cum autem fuerit expletum, *ego occidam, et ego vivificabo : ego percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39) : tunc recordabor pacti mei, quod olim tecum habui. Et suscitabo tibi pactum, nequaquam Legis quod præteriit, sed pactum Evangelii sempiternum : ut cum recordata fueris viarum tuarum, et receperis sorores tuas majores, vel minores Samariam et Sodomam earumque socias, tribuam tibi eas in filias, sive in probationem (*oportet enim* (I *Cor.* XI, 19) *et hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant*), non ex tuo merito, sed ex mea misericordia, et tunc scias quod ego sim Dominus; et recorderis beneficiorum meorum, et confundaris, et dicas juxta Apostolum : *Qui non sum dignus vocari Apostolus : quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XV, 9). Et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua. Sanctorum enim est aperire os juxta **189** Apostolum qui ait : *Os meum ad vos patet, o Corinthii* (II *Cor.* VI, 11) : et Domini Salvatoris, qui aperiens os suum, docebat eos (*Matth.* V), dicens et in psalmo : *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum* (*Ps.* LXXVII, 2). Peccatori autem dicitur : *Peccasti : quiesce* (*Genes.* IV). Et : *Ut quid tu assumis testamentum meum per os tuum* (*Ps.* XLIX, 16)? Et : *Non est pulchra laudatio in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Sanctusque meretur audire : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Ps.* LXXX, 11). Ex quo intelligimus, etiam cum per misericordiam Dei receperimus pristinam gloriam, immo acceperimus pactum Evangelii sempiternum, postquam placatus fuerit nobis Dominus in omnibus quæ fecimus, memoriam præteriti nos habere peccati, et semper os claudere, quia non ex operibus nostris, sed ex Dei gratia salvati sumus.

(Cap. XVII. — Vers. 1 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, propone ænigma, narra parabolam ad domum Israel, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. Summitatem frondium ejus evellit, et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam. Et tulit de semine terræ, et posuit illud in terra pro semine ut firmaret radices super aquas multas, in superficie posuit illud. Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura : respicientibus ramis ejus ad eam et radices ejus sub illa erant. Facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, narra narrationem, et dic parabolam ad domum Israel, et dices : Hæc dicit Adonai Dominus : Aquila magna magnarum alarum, longo ductu plena unguium quæ habet ductum intrandi in Libanum, et tulit electa cedri. Summitates teneritudinis avellit, et attulit eas in terra Chanaan. In civitate murata posuit illud, et tulit de semine terræ, et dedit illud in campo plantationem super aquas multas : ut respiceretur, posuit illud : ortumque est, et factum in vineam infirmam et parvulam magnitudine, ut tantum apparerent* **190** *rami ejus sub ea, et radices illius subter illam erant. Et facta est*

[a] Victor. ad Vulgatam editionem, ipsumque Hebraicum, *et suscitabo ego pactum meum tecum.* Eadem ratione paulo superius rescripserat, *cum receperis sorores tuas te majores*, pro *tecum majores.*

*in vineam magnam, et fecit propagines, et extendit ramos suos.* Quando prophetæ dicitur : *Propone ænigma, narra parabolam,* sive ut LXX transtulerunt : *narra narrationem, et dic parabolam,* ostenditur obscurum esse quod dicitur. Nulli enim dubium, ænigma, et parabolam aliud proferre in verbis, aliud tenere in sensibus. Et Salvator enim ad populum loquebatur in parabolis, quas secreto apostolis disserebat. Ergo ænigma, et parabolam ita debemus intelligere, quasi ænigma, et parabolam Duæ autem in præsenti Ezechielis prophetia Aquilæ proponuntur. De prima nunc dicendum est : de altera in consequentibus disseremus. Et interim simplicem carpamus historiam. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, sive ut vertere Septuaginta, *plena unguium,* Nabuchodonosor rex Chaldæorum est, de quo et Osee loquitur : *Quasi aquila super domum Dei* (*Osee* VIII, 1). Iste multis imperans nationibus, et innumerabili vallatus exercitu, venit super domum Dei, haud dubium quin templum significet : sive ut nunc Scriptura dicit, ad Libanum, de quo loquitur Zacharias : *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. Ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt* (*Zach.* XI, 12). Et crebro templum quod erat inclytum atque [a] sublime, in Scripturis sanctis Libanus appellatur. Tulitque medullam cedri, et summitatem frondium ejus evellit, et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam. Pro *negotiatoribus,* sive *negotiationibus, muratam* Septuaginta transtulerunt. Indicat autem Jechoniam regem Juda, quem cepit Nabuchodonosor cum matre sua et principibus populi, cunctisque opibus Jerusalem, et vasis templi ; et transtulit in Babylonem, quæ est in terra Chanaan, ibique consenuit. De cujus postea genere, sicut Matthæi Evangelistæ Scriptura testatur (*Matth.* I), Dominus et Salvator noster natus est per Salathiel **191** et Zorobabel. Qui protulit de semente ejusdem terræ, id est, de stirpe regia, Matthanian patruum Jechoniæ, cujus vertit nomen, et vocavit eum Sedeciam, et posuit regem in Jerusalem, multisque præfecit populis. Et tamen in superficie posuit illum, nec potestatem ejus alta imperii radice firmavit : sed posuit eum, ut respiceretur, et sub potestate esset Babylonia, sive humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam : ut præesset quidem populis Judæorum ; sed respiceret ad Babylonii jubentis imperium. Hoc est enim quod Scriptura dicit : *Humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam,* subaudiatur, aquilam. Quod apertius vertere Septuaginta, *ortumque est quod plantatum fuerat, et factum est in vineam infirmam et parvulam : ut tantum apparerent rami ejus,* ut videretur quidem habere regnum, sed ipsum regnum ejus humile atque infirmum, Babylonii principis regeretur arbitrio. Hoc interim de præsenti capitulo, cui subnectamus et reliqua.

(Vers. 7 seqq.) *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis. Et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. In terra bona, super aquas multas* [b] *plantavit eam : ut faciat frondes, et portet fructum, et* [Vulg. *ut*] *sit in vineam grandem. Dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ergone prosperabitur? Nonne radices ejus evellet, et fructum ejus distringet, et siccabit omnes palmites germinis ejus, et arescet, et non in brachio grandi, neque in populis multis* [Vulg. *populo multo*] *ut evelleret eam radicitus? Ecce plantata est, ergone prosperabitur? Nonne cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur, et in areis germinis sui arescet?* LXX : *Et facta est aquila altera grandis magnarum alarum, plurimis unguibus : et ecce vinea hæc implicata erat ad eam, et radices ejus ad illam, et ramos suos extendit ad illam, ut irrigaret eam cum gleba plantationis suæ. In campo bono, super aquam multam ipsa impinguata est : ut faceret germina et afferret fructum, et esset in vineam grandem. Propterea dic : Hæc dicit Adonai Dominus : Si dirigetur? Nonne radices teneritudinis ejus, et fructus illius computrescent, et arescent omnia quæ ex ea orta sunt? Et non in brachio* **192** *magno, neque in populo multo, ut evellat eam a radicibus suis : et ecce impinguatur. Numquid dirigetur? Nonne statim ut tetigerit eam ventus urens, arescet, ac siccabitur ariditate : cum gleba germinis sui arescet?* Aquila secunda, id est, altera, et ipsa magna, plena plumis, multorum unguium, propter rapacitatem, et vastationem gentium plurimarum, rex Ægypti est Pharao. Et ecce vinea ista subauditur rex Sedecias, qui a Nabuchodonosor in Jerusalem fuerat constitutus, cœpit, inquit, mittere propagines suas ad eam, id est, ad regem Ægyptiorum, legatos dirigere, et ab eo contra regem, cui subditus erat, auxilium postulare. Hoc est enim quod Scriptura nunc dicit, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. Quæ in terra bona a Nabuchodonosor plantata erat, ut faceret frondes, et afferret fructum, et cresceret in vineam latiorem : propterea jubetur prophetæ, ut loquatur ad vineam, quæ a Nabuchodonosor plantata fuerat, et ramos suos ad aquilam Ægyptiam miserat : numquid prosperabitur quia hoc facere conata est, et non statim omnes propagines ejus, et palmites siccabuntur? Et non, inquit, in brachio grandi, neque in populo multo? Fugiens enim Sedecias, et regis Ægyptii auxilio destitutus, a ducibus Nabuchodonosor in desertis Hie-

[a] Atque hæc quidem congrua magis est ratio, quamobrem templo in prophetis sæpe Libani nomen tribuatur : sicut enim continuo nivibus splendebat, eratque præ omnibus aliis Palæstinæ montibus sublimis Libanus, ut Theodor. notat in ps. LXXI, 16 ; sic templum Josephus tradit, eminus conspectum instar montis procerrimi et nivei, sive splendentis apparuisse. Laudatum in hanc rem ab Hieronymo Zachariæ locum eadem convenientia ad templum usurpavit Rabban Jochanan Ben Zaccai, cum sponte reseratas templi fores conspiceret, quod portentum Josephus quoque et Tacitus narrant ; prædicens imminere tempus, quo ædes sacra conflagraret : *Aperi, o Libanon, portas tuas, ut consumat ignis cedros tuas.*

[b] Victor. *plantata est,* ad Vulgatæ lectionem.

richontiis [*Al.* Hierichuntis] comprehensus est : et cuncti ejus socii huc illucque dispersi sunt, sicut in volumine Regum et Paralipomenon, et Jeremiæ scriptum est (IV *Reg.* XXV, *Jerem.* XXXIX).

(Vers. 11 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Dic ad domum exasperantem : Nescitis quid ista significent? Dic : Ecce venit rex Babylonis Jerusalem, et assumet regem et principes ejus, et adducet eos ad semetipsum in Babylonem. Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus, et accipiet ab eo jusjurandum : sed et fortes terræ tollet, ut sit regnum humile, et non elevetur, sed custodiat pactum ejus, et servet illud. Qui recedens ab eo, misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos et populum multum. Numquid prosperabitur,* [a] *vel consequetur salutem, qui fecit hæc? Et qui solvit pactum, numquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus : quoniam in loco regis qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* **193** *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium in jactu aggeris, et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas. Spreverat enim juramentum, ut solveret fœdus. Et ecce dedit manum suam : et cum omnia hæc fecerit, non effugiet.* Hoc est ænigma, hæc est parabola, quod sub duabus aquilis et vinea, duos reges Babylonis et Ægypti Scriptura monstraret; et regem Sedeciam, qui contra jusjurandum, deserta amicitia Nabuchodonosor, se ad regem Ægyptium transtulit. Feriet, inquit, cum eo fœdus, et accipiet ab eo jusjurandum, ut custodiat pactum ejus, et servet illud. Qui dissolvit, ait, pactum, numquid effugiet? Ex quo discimus, etiam inter hostes servandam fidem, et non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim fidelior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, et deceptus est, te qui per occasionem divinæ majestatis hosti tuo, immo jam amico, es molitus insidias. Quoniam, inquit, in loco regis qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Legimus enim Sedeciam captum, ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum; et instar feræ clausum cavea, translatum in Babylonem (IV *Reg.* XXV). Unde et Scriptura cum videatur sibi esse contraria, tamen in utroque verissima est. Dictum enim erat ad Sedeciam : *Et intrabis Babylonem, et non videbis eam* (*Jerem.* XXXIV, 4). Intravit enim, quia ductus est Babylonem, et non vidit, quia fuerat excæcatus. Hoc autem quod sequitur : *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium; in jactu aggeris, et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas* : dupliciter intelligitur, sive rex Ægyptius contra Nabuchodonosor regem Babylonis veniens, non poterit præliari, neque cum parvo exercitu tantæ resistere multitudini : sive ipse Sedecias expugnabitur a Pharaone, a quo speravit auxilium : non quo Pharao eum expugnaverit, vel hoc alicubi Scriptura testetur; sed quo expugnatio Nabuchodonosor, per occasionem sit facta regis Ægyptii : nec iste visus sit expugnare Jerusalem, qui obsidebat, sed ille in quo Sedecias frustra speraverat. Ecce, inquit, **194** dedit manum suam regi Ægypti, et tradidit se; et perjurii contra Deum commisit sacrilegium. Numquid, ait, proderit ei? Et cum omnia hæc fecerit, non effugiet.

(Vers. 19 seq.) *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Vivo ego, quoniam juramentum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. Et extendam* [Vulg. *expendam*] *super eum rete meum, et comprehendetur sagena mea : et adducam eum in Babylonem, et judicabo illum ibi in prævaricatione qua despexit me. Et omnes profugi ejus, cum universo agmine* [Vulg. addit *suo*] *in gladio cadent, residuique in omnem ventum dispergentur : et scietis quia ego Dominus locutus sum.* Sententia sæcularis est :

..... dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Quam solent nobis opponere, qui dicunt hostes fraude decipiendos. Cui ut acquiescamus, multo pejus fecit Sedecias : non enim hostem decepit, sed amicum, cui fœdere Domini fuerat copulatus. Ergo quamdiu non jures, et pactum non ineas sub nomine Domini, prudentiæ est, et fortitudinis, vel decipere, vel superare adversarium utcumque potueris. Cum autem te constrinxeris juramento, nequaquam adversarius, sed amicus est qui tibi credidit : et sub occasione jusjurandi, id est Dei nuncupatione, deceptus est. Propterea Scriptura nunc dicit : Juramentum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. Ac ne putaremus juramentum et fœdus, et pactum, regis esse Babylonii, vel Sedeciæ qui fecerat, sequitur : *In prevaricatione qua despexit me.* Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit per quem juravit : illique facit injuriam, cujus nomini credidit adversarius. Propter quam causam expandam, inquit, super eum rete meum, et comprehendetur sagena mea, et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum illic. Quidquid igitur contra Sedeciam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cujus nomine fuerat pejeratum. Secundum anagogen, licet violenta videatur interpretatio, hoc sciendum, quod quomodo cætera animantia, et ad bonam et ad malam partem referri solent; ita et de aquila, et de leone. In bonam partem dicitur : *Catulus leonis Juda* (*Genes.* XLIX, 9). In contrariam : *Adversarius noster diabolus quasi leo rugiens circuit* (II *Petr.* V, 8). Et illud in psalmo: *Insidiatur in* **195** *absconditis, sicut leo in cubili suo : insidiatur ut rapiat pauperem* (*Ps.* IX, 9). In bonam partem de aquila dicitur, quod justus dives effectus faciat sibi alas sicut aquilæ, ut possit reverti in domum præcessoris sui. Et in Isaia scriptum est, quod justi pennas afferant sicut aquilæ (*Isa.* XL) : *currant* et non lassentur : ambulent, et non esuriant.

[a] Hæc antea, quasi alia ab Hebræo, interpretatio inclusa, alioque erat charactere prænotata.

Recte autem ille qui dixerat : *Fortitudine faciam, et sapientia intelligentiæ auferam terminos gentium, et vires earum deprædabor : et commovebo civitates quæ habitantur, et orbem terrarum universum apprehendam manu quasi nidum, et sicut confracta ova* (*Ibid.*, x, 13, 14), nunc sub persona aquilæ describitur : quod nequaquam velit de Libano, qui interpretatur *candor*, et refertur ad thymiama, parvula atque humilia virgulta perstringere, sed summitates cedrorum, et de principibus, ac de stirpe regia, juxta illud Abacuc : *Escæ ejus electæ* (*Abac.* I, 16). Ponitque testamentum, cum his quos ceperit, ut regi Babylonio colla submittant, et impleant illud quod Apostolus loquitur : *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Et in alio loco : *Quos tradidi*, inquit, *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (I *Cor.* V). Non debemus ergo, si forsitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum et de domo Dei ejicimur, reluctari : sed æquo animo latam in nos ferre sententiam, et dicere cum Propheta (*Mich.* VII, 9), *Iram Domini sustinebo, quoniam* [Al. *qui*] *peccavi ei, donec justificet causam meam*, et cætera. Et frequenter evenit, ut alteri subditi ad alterum transeamus, qui nobis suum repromittat auxilium ; nec faciat in pristina sententia permanere. Quod omni ratione vitandum est, ne siccentur palmites nostri et germina arescant : et contra pactum Dei facere credamur.

(Vers. 22 seqq.) *Hæc dicit Dominus* [Vulg. addit *Deus*] : *Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam de vertice ramorum ejus; tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem : in monte sublimi Israel plantabo illud. Et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres : universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabit. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et elevavi* [Vulg. *exaltavi*] *lignum humile, et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum, ego Dominus locutus sum* **196** *et feci.* LXX : *Quia hæc dicit Adonai Dominus : Et auferam ego de electis cedri de vertice ⁘ et dabo de capite ramorum ejus *, de corde eorum auferam, et plantabo super montem excelsum, et suspendam illud in monte sublimi Israel, et plantabo, et afferet germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et requiescet sub ea omnis avis, et omne volatile sub umbra ejus requiescet ÷ et rami ejus restituentur *, et scient omnia ligna campi, quia ego Dominus qui humilio lignum excelsum, et exalto lignum humile : et arefacio lignum viride, et germinare facio lignum aridum. Ego Dominus locutus sum et facio.* Hoc quod in Septuaginta legitur : *Et dabo de capite ramorum ejus*, de Theodotionis editione additum est. Rursumque quod sequitur : *Et rami ejus restituentur*, obelo prænotandum est, quia in Hebraico non habetur. Verus Nabuchodonosor propterea sumit de medulla cedri sublimis, de vertice ramorum ejus, ut sit regnum ejus humile, et non elevetur. Dominus autem Deus Pater omnipotens, qui locutus est ad Ezechielem, tollit de stirpe regia, et de genere David ; et plantat super montem excelsum et eminentem, qui loquitur in psalmo : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Ps.* II, 6). Defecerat enim princeps de Juda, et dux de Israel, donec veniret cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium (*Genes.* XLIX). Iste erupit in germen, et fecit fructum, et cedros omnes sua sublimitate superavit : ita ut habitent sub eo omnes volucres cœli, et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo. De quo dicit Abacuc : *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus* (*Abac.* III) ; et qui congregare desiderat quasi gallina pullos suos sub alas suas (*Matth.* XXIII) : ut omnia regionis ligna cognoscant quod ipse sit Dominus. Tropologice de credentibus loquens : Iste est qui Israel quondam sublime lignum humiliavit, et exaltavit humilem gentium populum, qui exsiccavit lignum viride Judæorum, florens et germinans in Lege et Prophetis ; et frondere fecit lignum aridum nationum : ut quod semper locutus est, opere compleret. Hoc idem significant [*Al.* significans] Simeonis in Evangelio verba dicentis : *Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum* (*Luc.* II, 34). Et granum sinapis, quod cum minimum sit omnibus seminibus, postquam **197** creverit avium habitaculum est (*Matth.* XIII, 32). Quidam aliter interpretantur, lignum sublime humiliatum, et humile exaltatum, referentes ad passionem Domini Salvatoris. *Qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus æqualem se esse Deo : sed exinanivit se, formam servi accipiens* (*Philipp.* VIII, 6, 7) ; et post resurrectionem, ipsum lignum postea sublimatum est, quod **198** prius virens, morte siccatum, et postea reviviscens, pristinum receperit virorem. Alii Judaice utrumque referunt ad Israel : quod primo adventu humiliatus sit et arefactus : et secundo restituatur in pristinum statum, impleto illo quod dicit Apostolus Paulus : *Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet* (*Deut.* V, 9, 10).

# *LIBER SEXTUS.*

**197-198** Putabam quod, medio serpente confosso, non reviviscerent hydræ novella plantaria, et juxta fabulas poetarum, Scylla mortua, nequaquam in me Scyllæi sævirent canes, qui latrare non cessant : et hæreticis Dei percussis manu, ne tentarentur, si fieri potest, etiam electi Dei (*Matth.* XXIV), hæresis ipsa non moritur, hæreditariis contra nos odiorum suorum catulis derelictis, qui nostra simu-

lantes, genitricis antiquæ, et pellacis Ulyssis venena non deserunt: labiaque tantum melle circumlinunt; et juxta eloquia Scripturarum (*Ps.* LIV), mollierunt verba sua super oleum : ipsi autem sunt jacula, et jacula ignita, quæ scuto fidei repellenda simul et exstinguenda sunt. Hæc dixi, filia Eustochium, ut laborantem me in opere prophetali, et hæreticis resistentem, orationibus juves, et sextum volumen Explanationum in Ezechiel, meo ore, suo sensu Dominus explicet; ejusdemque Spiritus gratia, quo prophetis revelata sunt quæ scripta legimus, nobis quoque disserentibus revelentur, ut possimus dicere: *Os meum aperui, et attraxi spiritum* (*Psal.* CXVIII, 131).

(Cap. XVIII. —Vers. 1, 2.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* [Vulg. *obstupescunt*]? LXX: *Et factus est sermo Domini ad me, dicens :* ÷ *Fili hominis* ⁑ *quæ est parabola hæc in filios Israel, dicentium: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt?* Hoc quod Septuaginta dixerunt, *fili hominis*, in Hebraico non habetur. Monet autem divina Scriptura illud quod in Exodo dictum est: *Ego sum Dominus Deus tuus. Deus æmulator, qui reddo peccata patrum super filios, usque ad tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et facio misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea* (*Exod.* x, 5; *Deut.* v, 9, 10). Et iterum: *Descendit Dominus in nube et astitit juxta Moysen, et invocavit Moyses nomen Domini, et transiit Dominus ante faciem ejus, et invocavit* [a] *eum, dicens: Domine Deus misericator et misericors, patiens et multæ misericordiæ, et verax, et justitiam servans, et misericordiam in millia, auferens iniquitates, et injustitias, et peccata: et non emundabit* **199** *iniquitates patrum super filios et super filios filiorum, in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* XXXIV, 5 *seq.*), sic accipi debere, quasi proverbium, et parabolam, ut aliud in verbis sonet, aliud in sensu teneat; quod in parabola quoque duarum aquilarum supra diximus. Unde et Dominus in septuagesimo septimo psalmo: *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio* (*Ps.* LXXVII, 15). Et in Evangelio parabolam sementis, et lolii, et sinapis, quod cum sit minimum omnium seminum, in magnam consurgit arborem (*Matth.* XIII), ita proponit, ut aliud prætendat in verbis, aliud in sensibus teneat. Et nos usque in præsentem diem putabamus duo testimonia Exodi, quæ supra (*Isa.* XXIX) posuimus non esse parabolam, sed simplicem explicare sententiam. Et quamquam non auderemus quidpiam dicere, nec vas fictile loqui contra figulum, quare ita, vel ita me fecisti: tamen scandalum patiebamur occultum, quod injustitia videretur Dei, alium peccare, et alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrum super filios in tertiam et quartam generationem, injustum videtur ut alius peccet, et alius puniatur. Sed ex eo quod sequitur: *his qui me oderunt*, comminationis, sive præcepti scandalum solvitur. Non enim ideo puniuntur in tertia et quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, cum patres potius qui fuerunt peccatores puniri debuerint; sed quia patrum exstiterunt æmulatores, et oderunt Deum hæreditario malo, et impietate in ramos quoque de radice crescente. Solent in hoc loco hæretici, qui vetus non recipiunt Instrumentum, contra creatorem dicere: Quam bonus et justus Deus Legis et Prophetarum, qui quiescens, et silens ad peccata patrum, reddit his qui non peccaverunt; immo quanta in eo crudelitas, ut iram suam usque ad tertiam et quartam extendat [b] generationem! Quibus nos respondebimus, et in hoc Dei Creatoris clementiam demonstrari. Non enim truculentiæ est, et severitatis, iram tenere usque ad tertiam et quartam generationem, sed signum misericordiæ pœnam differre peccati. Quando enim dicit: *Domine Deus miserator, et misericors, patiens et multæ miserationis;* et infert: **200** *reddens iniquitatem patrum super filios, et filios filiorum*, hoc indicat, quod tantæ misericordiæ sit, ut non statim puniat, sed sententiam differat puniendi. Sin autem vindicta peccantium differtur in tertiam et in quartam generationem, cum justis sanctisque quid amplius facit. Sequitur: *Et servans justitiam et misericordiam in multa millia, his qui custodiunt mandata ejus, et faciunt præcepta illius.* Scriptum est in Proverbiis: *Sicut uva acerba dentibus noxia est, et fumus oculis: sic iniquitas his qui utuntur ea* (*Prov.* x, 26). Ex quo perspicuum est, non aliorum dolere dentes et obstupescere, sed eorum qui uvam acerbam comederint. Est autem loci istius hic sensus; quomodo si quis velit dicere: *Patres uvam acerbam comederunt, et dentes filiorum obstupuerunt*, ridiculum est, et nullam habens consequentiam: sic iniquum est atque perversum peccare patres, et filios nepotesque cruciari. Sunt qui hoc quod in Exodo scriptum est: *Reddens iniquitates patrum super filios in tertiam et quartam generationem*, ita edisserant, ut ad animam humanam sententiam referant, patrem in nobis levem [*Al.* lenem] punctum sensuum et incentiva vitiorum esse dicentes; filium vero, si cogitatio peccatum conceperit; nepotes, si quod cogitaveris atque conceperis, opere perpetraveris; pronepotem autem, hoc est, quartam generationem, si non solum feceris quod malum est et scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris, secundum illud quod scriptum est (*Ibid.*, XVIII, 3): *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit* [*Al.* contemnet]. Deus igitur primos et secundos stimulos cogitationum, quas Græci προπαθείας vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, nequaquam punit; sed

[a] Duas voces, *eum dicens*, cum neque penes LXX, neque in Hebræo sint codice, Victorius suorum quoque adjutus mss. suffragio, delet.

[b] Vitiose Martian. legerat *gubernationem*.

si cogitata quis facere decreverit, aut ipsa quæ fecerit, noluerit corrigere pœnitentia. Unde scriptum est: *Nullus hominum sine peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Numerabiles autem anni vitæ illius* (*Prov.* xx, 9). Et in alio loco: *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Et rursum: *Astra quoque non sunt munda in conspectu ejus: et adversus Angelos suos perversum quid excogitavit* (*Job* xxv, 5). Sin autem sublimis illa natura peccato non caret, quid dicendum est de hominibus, qui fragili carne circumdati, debent loqui cum Apostolo: **201** *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* vii, 24)? Et illud, ut cum omnia fecerimus, debeamus dicere: *Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* xvii, 10). Et: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam: nisi* B *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* cxxvi, 1, 2). Ad probationem autem hujus rei, quod nequaquam primus pulsus cogitationis, immo parvus mentis instinctus puniatur a Deo, sed si quod mente conceperis, opere consumes, illud de Genesi proferendum est: Cham peccavit, irridens nuditatem patris; et sententiam non ipse qui risit, sed filius ejus suscepit Chanaam: *Maledictus*, ait, *Chanaan; servus erit fratrum suorum* (*Genes.* ix). Quæ enim justitia est, ut pater peccaverit, et in filium sententia proferatur? Necnon quod in contrariam partem ponit Apostolus (I *Tim.* ii), salvam esse mulierem, si filii ejus permanserint in fide, et sanctitate, et pudicitia, videtur sententia justitiam non habere, ut si filii boni fuerint et nepotes, salventur C parentes. Quanti enim parentes sancti sunt, et malos habent filios: et e contrario quanti parentes peccatores, justos et sanctos filios generant? Ergo secundum hunc sensum cuncta accipienda quæ supra diximus, peccata parentum atque generantium, in ramis, non in radice puniri. Hoc interim de proverbio sive parabola dixisse sufficiat: quod Lex et Prophetæ, hoc est, Exodus et Ezechiel, immo ipse Deus qui et hic et ibi locutus est, nequaquam in sententiis discrepare videatur, aut hic corrigere, quod ibi male dixerit. Si quis autem vel meliorem, vel alterum sensum potuerit reperire, qui contrariorum inter se testimoniorum scandalum tollat, illius magis acquiescendum sententiæ est.

(Vers. 3, 4.) *Vivo ego, dicit Dominus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce* D *omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* LXX: *Vivo ego, dicit Adonai Dominus, si fuerit ultra, ut dicatur hæc parabola in Israel: quia omnes animæ meæ sunt. Quomodo anima patris, ita anima filii* **202** *mea est. Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* A Quid significet, *Vivo ego, dicit Dominus, et parabola*, vel *proverbium*, supra plenius diximus: quæ nequaquam dicetur in Israel, sed in his qui Dei notitiam non habent, nec possunt perspicere veritatem. Omnes, inquit, animæ meæ sunt; juxta creaturam, non juxta meritum: ut Moyses appellabatur homo Dei, de quo scriptum est: *Oratio Moysi hominis Dei* (*Deut.* xxxiii, 1). Et Elias qui ad quinquaginta militum principem loquebatur: *Et si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo super te, et super quinquaginta* [a] *viros* (IV *Reg.* i, 12). Homo vero peccati et filius iniquitatis, non vocatur homo Dei, sicut servus et famulus Dei hi appellantur, de quibus dici non potest: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34). Et iterum: *A quo enim quis vincitur, ejus et servus est* (II *Petr.* ii, 19). Sicut peccata filiorum non nocent patribus, sic peccata patrum ad filios non redundant; sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur: non abolitione substantiæ, sed ex ejus consortio, qui dicit: *Ego sum vita* (*Joan.* xiv, 6). Et alibi loquitur: *Omnis qui vivit et credit in m', non morietur in æternum* (*Ibid.* xi, 26). Et: *Amen, amen dico vobis: qui sermonem meum custodierit, mortem non videbit in sempiternum. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Ibid.* viii, 51): quia [*Al.* qua] victuri sumus quando Christus apparuerit vita nostra in gloria (*Coloss.* iii, 3); et implebitur illud quod scriptum est: *Amen amen dico vobis: qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam: et in judicium non venit, sed transibit de morte in vitam* (*Joan.* v, 24). Illud autem quod a Balam dicitur: *Moriatur anima mea in animabus justorum* (*Num.* xxiii, 10): hunc habet sensum, ut cupiat mori sæculo atque peccato, ac vivere cum justorum animabus, quorum vita Christus est, et possunt canere: *Placebo Domino in regione viventium* (*Ps.* cxiv, 9). *Non est enim Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 32). Et si Balaam, ut [b] verisimile est, in linguam nostram translatum, *vanum populum* sonat: perspicuum est quod vanus prius gentium populus desideret habere consortium cum animabus justorum, Abraham, Isaac et Jacob, qui εὐθεῖς, id est, *recti* et **203** *justi* nuncupantur. Unde et Geneseos liber, ex eorum vocabulo [c] nomen accepit.

(Vers. 5, 6 seq.) *Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam; in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit; et hominem non contristaverit; pignus debitori reddiderit; per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit; et nudum operuerit vestimento; et ad usuram non commodaverit;*

[a] Pro *viros*, inquit Victor., apud omnes est *suos*, sicque habent aliquot ms. codd.

[b] Sic putare malim scriptum ab Hieronymo, quam *verissimum*, quod in Vatic. quidem est ms. et Victorius probat. Verissime enim non *vanum populum*, sed *absorptionem*, sive *perniciem* ab Hebraico בלע sonat et nomen בלעם.

[c] Scite in eam Judæorum opinionem concedit, Genesis librum denotari, ubi *Liber recti* laudatur Josue x, 13, et Samuel I, xxviii. Paria habet in caput Isaiæ xliv: *Unde et liber Geneseos appellatur* εὐθεῖς, *id est* justorum, *Abraham, Isaac et Israel.*

*et amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam; judicium verum fecerit inter virum et virum; in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem : hic justus est, vita vivet, dicit Dominus Deus.* LXX : *Homo autem qui fuerit justus, qui facit judicium et justitiam; super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad cogitationes domus Israel; et uxorem proximi sui non contaminaverit, et ad mulierem fluentem sanguine non accesserit; et hominem non oppresserit; pignus debitori reddiderit; et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit; et nudum operuerit vestimento; et pecuniam suam ad usuram non dederit; et amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam; justum judicium fecerit inter virum et inter proximum ejus; in præceptis meis ambulaverit, justificationes meas custodierit, ut faciat eas : hic justus est, vita vivet, dicit Adonai Dominus.* Vultis, ait, scire hoc quod dictum est : *Peccata patrum reddam in tertiam et quartam generationem* (*Deut.* v, 9), non id sonare quod plerique existimant; nec esse simile huic sententiæ : *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (*Jerem.* xxxi, 29) : audite quæ illaturus sum : si fuerit pater justus, qui hæc fecerit, et illa non fecerit, et habuerit filium pessimum, qui, desertis virtutibus patris, se flagitiis manciparit; nonne et iste vita vivet quia justus est; et ille morte morietur, quia omnia perpetrarit, quæ pater vitando justus effectus est? Videamus catalogum virtutum patris, quæ mihi videntur in decem et septem partes dividi. Quarum primum est, fecisse judicium; secundum huic simile, judicio copulasse justitiam; tertium, non comedisse in montibus; **204** quartum, oculos non levasse ad idola, sive ut LXX transtulerunt, *ad cogitationes domus Israel;* quintum, uxorem proximi sui non violasse. Sextum, menstruatæ uxoris vitasse complexus. Septimum, hominem non contristasse, sive, ut LXX ediderunt, *oppressisse* per potentiam; octavum, pignus debitori reddidisse; nonum, per vim nihil rapuisse, vel, juxta LXX, *rapinam non rapuisse;* decimum, panem suum esurienti dedisse; undecimum, nudum operuisse vestimento; duodecimum, ad usuram pecuniam non dedisse; tertium decimum, nihil ex his quæ dederit ampliusaccepisse; decimum quartum, ab iniquitate avertisse manum suam; decimum quintum, quod simile videtur primo, sed in parte diversum est, judicium verum fecisse inter virum et virum, sive proximum suum; decimum sextum, in præceptis Domini ambulasse; decimum septimum, judicia et justificationes illius custodisse. Quorum singula quid velint, dicemus in consequentibus. *Si fuerit*, ait, *vir justus et fecerit judicium.* Scriptum est in Proverbiis : *Cogitationes justorum judicia* (*Prov.* xii, 5). Qui hanc virtutem possederit, ut nihil sine ratione faciat et judicio, potest illud propheticum dicere : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsis* (*Ps.* xviii, 10), et cum recte omnia judicarit, ut non accipiat personam pauperis in judicio, implebit præceptum Domini : *Sicut minorem, sic et majorem judicabis* (*Prov.* xviii), audacter dicens : *Desideravit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore* (*Ps.* cxviii, 10). Et iterum : *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus* (*Vers.* 30). Et in eodem psalmo : *Cognovi quia justitia* [Al. *justa*] *judicia tua* (*Vers.* 75); et in tantam proficiet beatitudinem, ut intelligat judicia Domini, quæ sunt abyssus multa; et dicat cum Apostolo : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius* (*Rom.* ii, 33). Et in oratione commemoret : *Quoniam judicia tua jucunda* (*Psal.* cxviii, 39). Post judicium sequitur justitia, quam qui habuerit, Christum liquido possidebit, qui juxta Apostolum factus est nobis justitia, et sanctificatio, et redemptio (I *Cor.* i); ut faciat justitiam veram, nec personas [a] recipiat in judicio; sed de sua sciat in aliorum judicio justitia judicandum. **205** Tertium est in montibus non comedere, quod Judæi existimant ad idololatriæ pertinere peccatum. Crebro enim legimus in Regum et Paralipomenon libris : *Verumtamen ab excelsis non recessit. Adhuc populus immolabat in excelsis, et adolebat incensum in sublimibus* (III *Reg.* xv, 22; *Paral.* xx), hoc Scriptura significante, quod in montibus lucisque, idolis hostias immolaverint, et thura succenderint. Nos autem dicemus comedere eum in montibus, qui dicit cum Pharisæo : *Gratias ago tibi, Deus, quod non sum huic similis publicano : jejuno bis in sabbato : decimas do omnis substantiæ meæ* (*Luc.* xviii, 12), etc. Et e contrario Publicanus audiens eum, qui dixerat : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xii, 29), percutiebat pectus suum manu, hoc est, pessimarum cogitationum thesaurum, et oculos ad cœlum non audebat extollere. Sed et illud quod alibi dicitur : *Majora te non requiras, et fortiora te non scruteris* (*Eccli.* iii, 22), omnes hæreticos arguit in montibus comedere superbiæ, et Ecclesiasticam despicere simplicitatem, et nescire de se scriptum : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* iv, 6). Quarto loco ponitur, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, pro quibus Septuaginta cogitationes transtulerunt. Idola autem, id est, simulacra quæ de suo corde finxerunt, omnes hæretici faciunt, ad quæ levant cordis oculos, qui falsitatem eorum atque mendacium putaverint veritatem. Domus autem Israel simulacra dicuntur, quæ reperiuntur in Ecclesia; et per occasionem falsi nominis scientiæ, simplices quosque seducunt, ut philosophorum dogmata introducant in domum Israel, eorum scilicet qui Deum mente conspiciunt. Quinto loco ponitur : et uxorem proximi sui non violaverit, sive contaminaverit, quod aperte adulterium quidem prohibet; sed ex eo quod additur, proximi sui, nisi omnis homo proximus intelligatur, videtur

[a] Antea, eodem tamen sensu erat, *respiciat.*

esse præceptum, ut ab amicorum nos abstineamus **206** uxoribus; inimicorum vero, et ignotorum conjuges libere polluamus. Proximus ergo omnis homo hominis accipiendus, juxta parabolam Evangelii, quæ a Salvatore proponitur, cujusdam hominis qui Jericho [*Al.* Hierichum] descendens, a latronibus vulneratus est: quando interrogat Pharisæus, quis fuerit proximus ejus, docens illum esse proximum, qui bene fecerit. Potest juxta mysticos intellectus uxor intelligi sancti viri, sapientia, dicente Salomone: *Ama illam, et amplexabitur te: dilige illam, et custodiet te* (*Prov.* IV, 6). Quam contaminare desiderat, qui aliorum benedicta reprehendit, et facibus accensus invidiæ, sancta violat, casta corrumpit, pura contaminat. Sextum est: Et ad mulierem, sive uxorem menstruatam non accesserit. Per singulos menses, gravia atque torpentia mulierum corpora, immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus [a] vitium seminis trahere: ita ut leprosi et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et fœda in utroque sexu corpora, parvitate [*Al.* pravitate] vel enormitate membrorum, sanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris, ut non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque, quibus videntur lege conjungi Scriptura dicente: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Genes.* I, 28), certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem et Apostolus et Ecclesiastes sonant: *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri a complexibus* (*Eccles.* III, 6). Caveat ergo et uxor, ne [b] forte victa desiderio coeundi illiciat virum, et maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem. Unde et Paulus: *Ut noverit*, inquit, *unusquisque possidere vas suum in sanctitate et pudicitia* (I *Thess.* IV, 4). Pulchre in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: Adulter est [c] uxoris propriæ, amator ardentior. Quem librum quidam in Latinam linguam **207** transferens, martyris Xisti nomine voluit illustrare: non considerans in toto volumine, quod in duas partes frustra divisit, Christi nomen et Apostolorum omnino reticeri. Nec mirum, si gentilem philosophum in martyrem et Romanæ urbis episcopum transtulerit: cum Eusebii quoque Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphili martyris vocabulo commutarit, ut facilius tali laudatore libros impiissimos περὶ ἀρχῶν

A Romanis conciliaret auribus. Sequitur in loco septimo: Et hominem non contristaverit, sive, ut LXX transtulerunt, non oppresserit per potentiam. Quo vitio atque peccato nescio quis alienus sit. Et Ægyptii enim opprimebant Hebræos per potentiam. Unde et Abacuc queritur, quare impius opprimat justum (*Abac.* I). Atque utinam de solis his diceretur qui foris sunt, et non de his qui intus. Solent enim et principes Ecclesiarum opprimere plebem per superbiam. De quibus scriptum est: *Principem te constituerunt, ne eleveris: esto inter eos quasi unus ex ipsis* (*Eccli.* XXXII, 1). Et Salvator præcepit: *Qui vult inter vos esse primus, sit omnium minimus* [Al. *novissimus*] (*Matth.* XX, 27). Quod autem juxta Hebraicum dicitur, *et hominem non contristaverit*,
B Apostolico congruit testimonio: *Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in vobis* (*Ephes.* IV, 30). Et in Evangelio quod juxta Hebræos Nazaræi legere consueverunt, inter maxima ponitur crimina, qui fratris sui spiritum contristaverit. Si autem tristitia alterius interficit contristantem, quid de iniquitate et tyrannica mente dicendum est, cui illud convenit: *Quid gloriatur terra et cinis* (*Eccli.* X, 9)? ut oblitus conditionis suæ quomodo plenus pituitis, felle, stercoribus, et post paululum vermibus exarandus, ponat in cœlum os suum, et lingua ejus pertranseat usque in terram, et dicat cum vero Nabuchodonosor: *Ascendam in cœlum, super sidera cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV, 12). Octavum est: Pignus debitori reddiderit. Non omni
C debitori, alioquin multis occasio recipiendorum pignorum, fiet divitiarum materia: sed ei debitori, de quo in lege scribitur, quod pauper sit, et proprium opposuerit vestimentum, et ante solis occasum operimentum recipere debeat (*Deut.* XXIV), **208** ne cruciatus frigore, clamet ad Dominum, qui ultor est ejus injuriæ. Sin autem juxta ea quæ sequuntur, panem esurienti dare debemus, et nudum operire vestimento (*Exod.* II): quanto magis suum reddere, si tamen debitoris indubitata paupertas est? Possumus quoque pignus reddere debitori, quando ei, cui dilectione conjungimur, et qui nobis debet mutuam charitatem, reddimus pignus suum, nihil debiti ejus apud nos ultra retinentes. Nonum possidet locum: Per vim nihil rapuerit, sive juxta
D Septuaginta, rapinam non rapuerit. De raptoribus et Apostolus loquitur, quod inter cæteros peccatores ne vescendum quidem cum hujuscemodi sit: omnisque rapina mixta violentiæ est (I *Cor.* VI). Nisi

[a] Huc refer illam Æneæ Gazensis sententiam in Dialogo ante medium, ἐπεὶ καὶ τῶν Ἑβραίων τὸν νόμον προσίεμαι, etc., quæ sic habent Latine, *Nam et Hæbræorum legem admitto, quæ corpore fœde vitiati hominis patrem adjudicavit lapidationi, eo quod ob intemperantiam purgationem conjugis non exspectaverit, unde materiæ redundantia, et turpissimus prolis morbus exstitit.* Vid. Levit. XX, 18.

[b] Hunc, ubi secundis curis recognovit Martianæus, locum in Supplemento post tomi V Præfationem, ex cod. Corbeiensi litteris Longobardicis, ut ipse vocat, exarato ante annos octingentos, sic mutat, *ne desiderio coeundi celet virum:* de eo scilicet quo laborat, menstruo.

[c] De hoc Xysti libello, quem Rufinus Latine explicavit, recole quæ in Epist. 133, num. 3, et Comment. in Jerem. cap. XXII, replicat S. doctor, quæque nos ibi annotavimus. Quæ hæc ejus laudatur sententia sub numero 138, ita effertur: *Adulter etiam propriæ uxoris est impudicus omnis, vel amator ardentior.* Paria habet Athenagoras Legatione pro Christianis, et Clemens Alexandrinus in Pædagogo II, cap. 10. Quin et Publius Syrus ex ethnicis. Dictum quoque illud de Othone notissimum est,

Uxoris mœchus cœperat esse suæ.

enim vis fuerit illata, rapina non proficit. Est autem et sancta violentia, rapinaque optabilis, de qua scribit et Evangelium : *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). De qua et Judas frater Jacobi loquitur : *Et alios quidem de igne* [a] *rapite : aliorum vero qui judicantur miseremini* (*Judæ* 23). Et e contrario adversariæ potestates in perniciem eorum quos rapiunt, prædam rapere festinant. Quod significat et Jacob, dicens : *Bestia mala comedit eum : bestia mala rapuit Joseph* (*Genes.* XXXVII, 33). Unde et oves Domini quæ sequuntur eum, non rapiuntur de manibus ejus. Et ipse dicit : *Pater quod dedit mihi, omnibus majus est, et nemo potest rapere de manu* [Al. addit *mea*] *Patris mei* (*Joan.* X, 29). Ex quo perspicitur, una Patris Filiique potestas, virtus atque substantia. Si enim de Filii manu, quæ dedit Pater, nemo potest rapere, et hæc eadem in Patris manu sunt quæ non rapiuntur ab eo, liquido comprobatur, omnia Patris et Filii esse communia, et in Filii manu tenere Patrem, sicut Patris manu tenentur quæ Filii sunt. Decimum est : Panem suum esurienti dederit. Per quod docemur eleemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus : nec dandum panem his qui ructant plenitudine, sed his qui inanitate cruciantur. In pane autem omnis continetur cibus. Et significanter dicitur, *suum :* ne de rapinis, et usuris et alieno malo quæsitum panem, vertamus in misericordiam : *Redemptionem enim animæ viri* (*Prov.* XIII, 7), **209** *propriæ divitiæ*. Quod multos facere conspicimus, clientes et pauperes, et agricolas ; ut taceam de militantium et judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur. Publiceque diaconus in Ecclesiis recitet offerentium [b] nomina : tantum offert illa, tantum ille pollicitus est, placentque sibi ad plausum populi, torquente eos conscientia. Damusque materiam miseris, ut gaudeant, ad ea quæ tribuunt, et non lugeant ad ea quæ rapuerint. Melius autem est ut intelligamus panem justi eum esse qui dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51) ; et quem in oratione nobis tribui deprecamur : [c] *Panem nostrum substantivum*, sive *superventurum da nobis* (*Matth.* VI, 11) ; ut quem postea semper accepturi sumus, in præsenti sæculo quotidie mereamur accipere. Hunc panem justus esurientibus tribuit, de quibus scriptum est : *Beati qui esuriunt et sitiunt* (*Matth.* V, 6). Quia qui justus est, communem omnium panem, suum facit proprium, qui defecerat in Judæa, propheta dicente : *Auferam ab eis fortitudinem*, sive *baculum panis*. Hoc quod loquimur, si tamen Christi sumus immo quod propheta commemorat, panis credentium est et esurientium. Qui omnino non dandus est his, qui manducaverunt et biberunt et saturati sunt, et incrassati calcitraverunt, de quibus dicitur : *Væ qui saturati estis nunc, quia esurietis* (*Luc.* VI, 25), ne evomant illum, dicente Salomone : *Evomet enim et contaminabit sermones tuos bonos* (*Prov.* XXIII). Quod aliis verbis Salvator loquitur : *Ne detis sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Undecimum possidet locum : Et nudum operuit vestimento. Qui sermo juxta superioris versiculi explanationem, dupliciter disserendus est : ut et nudis tribuamus operimentum, Salvatore dicente : *Nudus eram, et operuistis me* (*Matth.* XXV), et nudis fide atque virtutibus tribuamus vestimentum Christi, de quo scriptum est : *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27). Hoc vestimento nudus **210** erat, qui vestem non habens nuptialem, projectus est de convivio. De hac nuditate, et ad Jerusalem Dominus loquitur : *Tu autem eras nuda et confusione* [Al. *confusionis*] *plena* (*Supra* XVI, 7). Duodecimum numerum tenet : Et ad usuram non commodaverit, sive ut LXX transtulerunt, pecuniam suam ad usuram non dederit. In Hebraico cunctarum specierum usura prohibetur ; in LXX tantum pecuniæ. Juxta quod et in quarto decimo psalmo scriptum est : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psal.* XIV, 5). Et quomodo dicitur : *Fratri tuo non fenerabis, alieno autem fenerabis* (*Deut.* XV, 6, *et* XXIII, 10). Sed vide profectum : In principio Legis a fratribus tantum fenus tollitur ; in propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele : *Pecuniam suam non dedit ad usuram*. Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino : *Feneramini his a quibus non speratis recipere* (*Luc.* VI, 35). Sequitur in tertio decimo loco : Et amplius non acceperit. Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumenti et milii, vini, et olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive ut appellat sermo divinus, *abundantiæ :* verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem, et solent argumentari ac dicere : Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios. Nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate, novem et semis de meo habeat? *Nolite errrare*, inquit Apostolus, *Deus non irridetur* (*Galat.*

[a] Penes Rabanum, *de igne rapientes, aliis autem miseremini in timore*

[b] Quam hic Hieronymus suggillat consuetudinem, recitandi offerentium nomina, etiam per id fere temporis Innocentius I epistol. ad Decentium, num. 5, improbavit, edicens ut fidelium oblationes *Deo*, non populo, nec publica diaconi recitatione, sed tacita sacerdotis *oratione* commendentur. Ejus præceptum Francofordiense concilium an. 794 instauravit, editio decreto, *de non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur*.

[c] *Substantivum* hic vocat et *superventurum* panem, quem alibi *supersubstantialem, peculiarem, præcipuum* et *crastinum* intelligit. Vide hac de re commentarium eruditissimum in Matthæi caput sextum. MART.

VI, 7). Respondeat enim nobis breviter fenerator misericors : utrum habenti dederit, an non habenti ? Si habenti, utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt [a] usuram appellari et superabundantiam, **211** quidquid illud est, si ab eo quod dederit, plus acceperint. Quartus decimus gradus : Ab iniquitate, ait, averterit manum suam, ut omni opere fugiat iniquitatem. Non enim solum manu, sed et aliis membris committitur iniquitas, dicente Salomone : *Iniqua labia procul a te remove* (*Prov.* IV, 24). Et in Psalmis : *Iniquitatem in excelso locuti sunt* (*Ps.* LXXII, 8). Pes quoque currit ad iniquitatem, et oculus si alienam mulierem concupiscat, nec sit ejus imitator, de quo dicitur : *Iniquitatem non fecit, et dolus non est inventus in ore ejus* (*Isa.* LIII, 9). Unde et de iniquo mammona jubemus facere nobis amicos, qui nos in æterna recipiant tabernacula. Quintum decimum est : Judicium verum fecerit inter virum et virum, sive proximum suum. Quod videtur idem sonare quod primum, ubi scriptum est : *Si fuerit justus, et fecerit judicium;* sed addita veritate judicii : quod facit inter virum et virum, sive proximum suum, ἐπίτασιν cernitur habere virtutum. Unde et in Proverbiorum exordio, post multa præcepta, correptio infertur judicii. *Scire*, inquit, *sapientiam et disciplinam, et intelligere verba prudentiæ, suscipere versutias sermonum, et nosse justitiam veram, et post omnia corrigere judicium* (*Prov.* I, 2, 3). Quamobrem et Apostolus (I *Cor.* VI) reprehendit eos qui in Ecclesia constituti sunt, quod habeant inter se judicia, minimusque eligitur, atque contemptus, qui juxta Evangelium primus est, ut judicet inter virum et virum, qui destruxit ea quæ parvuli sunt, et pervenit usque ad perfectum virum ; et tamen majori sententia indiget, ut possit ad veritatem judicii pervenire. Sequitur in sexto decimo loco : In præceptis meis ambulaverit. Et in decimo septimo : Judicia et justificationes meas custodierit, ut faciat ea, factaque custodiat. Quorum utrumque multiplicem habet intelligentiam, si velimus omnia legis mandata replicare, in quibus præcepta Domini, et in quibus justificationes esse dicuntur. **212** Plenus est præceptorum et justificationum centesimus octavus decimus psalmus, et ex parte octavus decimus, in quo scriptum est : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, et præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Ps.* XVIII, 9). In quo quæritur, quomodo in hoc eodem propheta dixerit Deus : *Dedi eis justificationes non bonas, in quibus non vivant in eis* (*Infra* XX, 28). Facilisque responsio est et plenior in consequentibus, non vivere Judæos sequentes occidentem litteram, et vivere Christianos intelligentes spiritum vivificantem. Longum est, si voluerimus probare testimoniis, ubi præcepta Domini, et ubi justificationes esse dicantur, et quibus singula, vel diversitatibus, vel obscuritatibus involvantur. Unde et in præsenti loco infertur : *Hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus.* Qui hæc fecerit, et illa non fecerit, nequaquam punietur delictis patris, sed suis vivet virtutibus.

(Vers. 10 seqq.) *Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis* (sive ut LXX transtulerunt, *et fecerit peccata : in via patris sui justi non ambulaverit*), *et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contristantem* (sive *opprimentem*), *rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuras dantem, et amplius accipientem, numquid vivet* [b] *? Cum universa detestanda hæc fecerit, morte morietur : sanguis ejus in ipso erit.* Pro *latrone* in Hebraico scriptum habet PHARIS (פָּרִיץ), quod Aquilæ secunda editio, *peccatorem;* Symmachus, *transgressorem*, Septuaginta et Theodotio *pestilentem* interpretati sunt. Quomodo autem pestilentia morbos creat, et passim regiones in quibus incubuerit, vastare consuevit, sic pestilens homo universa populatur. Dicamusque primum juxta historiam, ut scialis iniquitates patrum non redundare ad filios. Si justus fecerit quæ superior sermo per ordinem texuit, vita **213** vivet. Quod si genuerit filium recedentem a Domini servitute, et patris virtutes vitiis commutantem, ut faciat quæ ille non fecit, et non faciat quæ ille operatus est : numquid vivere poterit? Certe non vivet, sed erit reus sanguinis sui. Porro juxta intelligentiam spiritualem, justus vir Ecclesiasticus, si fidem Evangelicam prædicaverit, et filius ejus atque discipulus hæretico fuerit errore deceptus, vocabitur pestilens. De quo et in primo psalmo scribitur : *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Psal.* I, 1). Et in proverbiis, confidens et procax, et superbus pestilens appellatur (*Prov.* XXXIII). Iste effudit sanguinem deceptorum, et omnia

[a] In eo igitur usuræ censetur iniquitas, quod quis supra quod dedit accipiat. Verissima hæc autem sancti doctoris sententia tot supra atque infra exemplis atque argumentis munita penitus evertit novitium dogma, de libera fenerandi per civicas, quas vulgo *Cambiales* vocant; litteras facultate, omnesque frivolas et a Christiana charitate alienas ratiunculas, quas suæ obtendunt avaritiæ (quod summopere dolendum est) nuperi feneratores Christiani, nihil esse ostendit. Ut enim se a legum pœnis callide eximant simulatis contractibus, *Deus*, inquit Hieronymus ex ore Apostoli, *non irridetur. Usura appellatur superabundantia, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* Jam vero audiant qui fortunas suas fenoribus quotidie augent, Hieronymiano geminum S. Leonis Magni testimonium ex Sermone 16 : *Injusta*, inquit, *et impudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit; non credit Deo veraciter promittenti, et credit homini trepide paciscenti : dumque certiora existimat præsentia quam futura, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri, non injusti causa sit damni. Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fenerantis, cui pecuniam et minuisse, et auxisse, peccatum est : ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fenoris, et lucrum, quod omni caret humanitate, vitandum est.... Fenus pecuniæ, funus est animæ.*

[b] Addit juxta Hebraicum Vulgata, *Non vivet*, quod et Rabanus olim legit, et Victorius de more sufficit.

in se peccata congeminat; comedens in montibus superbiæ, et Ecclesiam proximi sui polluens, egenos et pauperes in scientia Scripturarum contristans, opprimens atque supplantans : rapinam rapiens, eos quos de Ecclesia seduxerit : pignus non reddens, quod a magistro acceperat, ut impleret quod scriptum est : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x,8). Et ad idola atque simulacra, quæ de suo corde finxit, levans oculos suos, cunctasque faciens abominationes : et dans ad usuram pecuniam, ut errorem magistri [a] discipulorum augeat diligentia; et repetens ab his quibus tribuit, amplius quam dederat : certe vivere non poterit, sed in suo sanguine morietur.

(Vers. 14 seqq.) *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit similiter* [Vulg. *simile eis*] : *super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit : hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Pater ejus,* [b] *qui calumniatus, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui : hic mortuus est in iniquitate sua.* Nec, inquit, miremini, si justi viri filius declinans ad vitia atque peccata, morte moriatur. Cum econtrario filius peccatoris et impii, **214** si viderit perversitatem viarum patris sui, et converterit se, ut mala non faciat et faciat bona, reus paternorum scelerum non teneatur. Quod et in nobis accipi potest, quibus in Psalmis dicitur : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum* (*Ps.* XLIV, 11). Et qui de gentium sumus stirpe generati, ut relinquamus parentum crimina, et faciamus judicium atque justitiam, et vivamus in ea. Repetit itaque quæ supra latius prosecuti sumus. Et ideo breviter cuncta percurrimus, ad illa quæ obscuriora et nova sunt transire cupientes.

(Vers. 19, 20.) *Et dicitis : Quare non portavit* [Al. *portabit*] *filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit et fecit illa : vita vivet. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris : et pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super illum.* Solvit quæstionem, quam e contrario poterat auditor opponere. Soletis, ait, dicere : Quare filius justus non portavit iniquitatem patris? Ad quæ ipse respondet : Videlicet, quia filius bene operatus est, et patris delicta non fecit. Justumque est, ut quomodo peccator in suo scelere moritur; sic justus in suis vivat virtutibus : et moriatur anima quæ peccaverit; et vivat quæ Dei præcepta custodierit.

(Vers. 21, 22.) *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit universa præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* In tantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant, nec justum filium sceleratus prægravat pater : neque alii pro aliorum sceleribus puniuntur, ut ipse unus atque idem qui prius impius fuit atque peccator, si postea egerit pœnitentiam, et ad meliora conversus pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati : sed in meum suscipiatur gregem, innovatione virtutis. Simulque considerandum, qualem impium et peccatorem suscipiat pœnitentem. Si ab omnibus, inquit, **215** peccatis suis quæ operatus est, averterit se, et custodierit universa præcepta Domini, quo scilicet omnia crimina derelinquat, et cunctas virtutes sequatur : si omnia bona fecerit, et cuncta deseruerit mala; et ego omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, obliviscar.

(Vers. 23.) *In justitia sua, quam operatus est, vivet.* Non tam mea quam sua vivet justitia : licet justitiæ meæ sit, bonis bona, et malis mala reddere.

*Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus : et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (I. *Tim.* II). Ergo Domini voluntatis est, omnes salvos fieri, et ad notitiam veritatis venire. Ubicumque autem Dei videtur severa et truculenta sententia, non homines, sed peccata condemnat.

(Vers. 24.) *Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius : numquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat non erunt in memoria* [Vulg. *recordabuntur*]. *In prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo quo* [Vulg. *quod*] *peccavit, in ipsis morietur.* Sicut justum antea peccatorem non prægravant antiqua delicta : sic peccatorem qui prius justus fuerit, non juvant veteres justitiæ. Unusquisque enim in quo invenietur, in eo judicabitur.

(Vers. 25.) *Et dixistis : Non est æqua via Domini. Audite* [Vulg. addit *ergo*], *domus Israel : Numquid via mea non est æqua : et non magis viæ vestræ pravæ sunt?* Reddit causas quare Domini justa sententia sit. *Putatis me*, ait *iniquum, ut peccata patrum reddam filiis* (*Deut.* XXIV); et aliis comedentibus uvam acerbam, aliorum dentes obstupescant (*Jerem.* XXXI)? Ecce unusquisque in suo peccato moritur, et in sua justitia vivificatur : in utroque non præterita, sed præsentia [judicatur] [c]. Quin potius vestra iniqua sententia est, qui putatis parabolam non esse parabolam :

[a] Antea minus commodo sensu, et adversantibus mss. erat *discipulorumque.*

[b] Rabanus et Victorius, *quia*, cum Vulgata et Hebraico, ex quibus itidem libris mox Victorius *ecce*, *hic* legit.

[c] Victorius verbum, *judicantur*, quo sine imperfecta sententia videbatur, ipsismet Hieronymi ope supplet acceptum ex cap. XXXV infra, ubi : *Deus non præterita in utroque judicare, sed præsentia*, dicitur.

sed sic eam accipitis, quasi historiæ veritatem, ut aliorum scelera in aliis puniantur.

(Vers. 26.) *Cum enim averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis. In iniquitate* [Vulg. *injustitia*] *quam operatus est morietur.* Potest et hoc intelligi : Justus prius populus Israel, avertit se a justitia sua, quia justitiæ reliquit auctorem, et fecit iniquitatem, Dei Filium **216** denegando. In peccato atque scelere quod operatus est morietur : non in pluribus, sed in uno, hæredem interficiens, ut perderet hæreditatem.

(Vers. 27, 28.) *Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium atque justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim vertit* [Vulg. *et avertens*] *se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita vivet, et non morietur.* E contrario, ait, gentium populus non habens notitiam Dei, et impius, si se averterit ab impietate sua, quam prius operatus est in idololatria, et fecerit ea quæ Israeli lege præcepta sunt : ipse prius mortuus vivificabit animam suam. Vidensque se interisse in iniquitatibus quas operatus est, credet in eum qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6) : vita vivet, et non morietur.

(Vers. 29.) *Et dicunt filii Israel : Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel : et non magis viæ vestræ pravæ?* Usque hodie Israel blasphemat Deum, cur populum suum reliquerit, et gentium assumpserit multitudinem. Quos arguit Dominus, quod viæ eorum pravæ sint, Domini autem justa sententia, ut perditis colonis prioribus, alios in vineam suam mittat agricolas. Quod intelligentes in Evangelii parabola, dixere Judæi : *Non erit istud* (*Luc.* XX, 16).

(Vers. 30.) *Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus.* Sive de gentium multitudine, sive de Israel populo sint qui judicantur : *Non est personarum acceptio apud Deum* (*Coloss.* III, 25), sed unusquisque sua coronabitur fide : et impietate atque infidelitate damnabitur.

(Vers. 31.) *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis.* Proprie ad Israel iste sermo dirigitur, ut agant pœnitentiam, et relinquant iniquitates, sive prævaricationes suas, quibus in Deum prævaricati sunt. Potest autem et ad utrumque populum intelligi : ut et Israel, et gentium turba, sua vitia derelinquens, convertatur ad eum qui possit sanare contritiones suas.

*Et facite vobis cor novum, et spiritum* **217** *novum.* Ut vetustatem litteræ deserentes, vivatis in novitate spiritus. Cor novum Israelis, est credere in eum quem prius negaverat. Cor novum gentium, est idola derelinquere, et mortuorum cultura contempta, credere in eum qui est Deus viventium.

*Et quare moriemini, domus Israel?* Melius est, ut supra diximus, exhortationem hanc in qua scriptum est : *Convertimini, et agite pœnitentiam*, super persona accipere Judæorum, quos non vult mori, et quibus nunc loquitur : *quare moriemini, domus Israel*, qui habetis patres Abraham, Isaac et Jacob, de quibus scriptum est : *Deus vivorum, et non mortuorum* (*Marc.* XII, 27). Cur vestro vitio moriemini, qui patrum merito, et mea debetis vivere misericordia?

(Vers. 32.) *Quia nolo mortem morientis* (Al. *peccatoris*), *dicit Dominus Deus : revertimini, et vivite.* Nolo, inquit, vos mori, quos in salutem genui. *Filios enim genui, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I, 2). Revertimini ergo, et vivite. Non dicitur revertimini, nisi his qui prius cum Deo fuerant, et postea ejus deseruere comitatum. Et vivite per pœnitentiam qui estis mortui per peccatum. Igitur Israel, quia non revertitur ad pristinum statum, mortuus esse credendus est.

(Cap. XIX. — Vers. 1 seqq.) *Et tu assume planctum super principes Israel, et dices : Quare mater tua leæna inter leones cubavit? in medio leunculorum enutrivit catulos suos. Et eduxit unum de leunculis suis, leo factus est : et didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum, et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. Quæ cum vidisset quoniam infirmata est, et periit expectatio ejus, tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum. Qui incedebat inter leones, et factus est leo. Didicit capere prædam, et homines devorare. Didicit viduas facere, et civitates eorum in desertum adducere, et desolata est terra, et plenitudo ejus, a voce rugitus illius. Et convenerunt adversum eum gentes undique de provinciis et expanderunt super eum rete suum : in vulneribus earum captus est. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem ne audiretur vox ejus ultra super montes Israel.* LXX : *Et tu accipe lamentum super principem Israel, et dices : Quid mater tua catulus* **218** *in medio leonum facta est? in medio leonum multiplicavit catulos suos. Et exsilivit unus de catulis ejus : leo factus est, et didicit rapere rapinas : homines comedit, et audierunt contra eum gentes. In corruptione earum captus est, et adduxerunt in chamo in terram Ægypti. Et vidit quoniam ablatus esset ab ea, et perisset substantia ejus, et tulit alium de catulis suis, leonem constituit eum : et conversabatur in medio leonum. Leo factus est, et didicit rapere rapinas : homines comedit, et pascebatur in audacia sua, et civitates eorum ad desertum adduxit, et vastavit terram et plenitudinem ejus a voce rugitus sui. Et dedit super eum gentes per circuitum de regionibus : et expanderunt super eum retia sua. In corruptione earum captus est, et posuerunt eum in chamo, et in cavea venit ad regem Babylonis, et introduxerunt eum in carcerem : ut non audiretur vox ejus ultra super montes Israel.* Scio me in hoc loco multiplicem legisse explanationem, et tantis obscuritatibus impeditam, ut non tam aperuerit, quam involverit lectionem, dum universa

quæ scripta sunt, refert ad contrarias fortitudines, et in cœlesti Jerusalem leones et bella describit: quomodo alter eorum captus sit, et rursum in locum ejus alius constitutus, multaque ponit testimonia: diabolum, et comites ejus, leones appellari solere, ut est illud de apostolo Petro: *Adversarius noster diabolus quasi leo rugiens circuit, et quærit quomodo possit intrare* (I *Petr.* v, 8); et de Psalmis: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Certe ubi ad historiam venit, dicit Johanan filium Careæ ductum in Ægyptum: qui quomodo fugiens cum paucis leo appellatus sit, scire non possum: et alterum leonum Sedeciam, qui et ipse ductus in Babylonem sit. Nos autem istiusmodi explanationes lectoris arbitrio relinquentes, dicemus captivitate vicina, prophetam non tam futura vaticinari, quam narrare præterita. Post sextum enim Sedeciæ annum (siquidem statim in consequentibus legimus: *Et factum est in anno septimo, in quinto mense, decima mensis*) assumitur planctus super principes, vel principem Israel, et dicitur: *Quare mater tua leæna inter leones cubavit?* Planctus igitur super principes est, omnes videlicet qui de Josiæ stirpe generati sunt. Mater principum Jerusalem leæna appellatur, quæ leunculos **219** genuit et nutrivit: unumque de leunculis suis eduxit, et fecit leonem, Joachaz significans filium Josiæ, quem Nechao Pharao duxit in Ægyptum, et pro eo constituit Joacim. Quo mortuo, Jechonias filius ejus rex constitutus, cum matre et optimatibus civitatis a Nabuchodonosor ductus est in Babylonem: de quo nascitur Salathiel, pater Zorobabel, qui ex eo quod in Babylone natus est, nomen accepit (IV *Reg.* XXIII). Perspicuumque est sub metaphora leænæ, leunculorum, et leonis, rursumque alterius leonis, illa describi quæ eo tempore jam facta erant, quo hæc propheta dicebat. Postquam enim Jerusalem eduxit de stirpe regia Joachaz filium Josiæ, et constituit in regem, tam crudelis in brevi exstitit tempore, ut tropologice cepisse prædas, et homines devorasse memoretur. Ad quem cum venisset Ægyptius, cepit eum non absque vulneribus, sive in fovea, ut proprie in Hebraico continetur: ut conservet tropologicam captionem leonum, qua semper in foveis capi solent. Et adduxit eum in chamo sive in catenis in terram Ægypti, ibique mortuus est. Quod cum vidisset mater ejus Jerusalem, quæ eum genuerat, quæ nutrierat, quæ constituerat in regnum, quod perisset expectatio ejus, tulit de aliis regibus Jechoniam, filium Joacim, et constituit in regem. Qui et ipse præcessoris imitatus crudelitatem, sub leonis feritate describitur, quod homines devorarit, multas viduas fecerit, ad desertum adduxerit civitates; et ad vocem rugitus ejus territa sit universa provincia, ita ut convenirent ad eum gentes, et expanderent super eum rete suum, et in fovea caperent, et mitterent eum in caveam, et in catenas, non quod hoc Jechoniæ factum sit, ipse enim se tradidit regi Babylonio, et in Chaldeam asportatus est; sed ut leonis servetur translatio, qui capitur in foveis, catenisque constringitur, et in caveis reservatur. Alioquin juxta historiam: hoc de Sedecia legimus, qui post Jechoniam rex Jerusalem constitutus est. Et hæc fecit occasio, ut quia catenæ leguntur, et caveæ, et carcer nominatur, Sedeciam potius quam Jechoniam plerique intelligant. Servatus igitur in carcere est, **220** nec interfectus, et tantummodo sublatus e regno. Cæterum Sedeciam cæcum ductum in Babylonem, ibique statim occisum, narrat historia.

(Vers. 10 seqq.) *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata: fructus ejus et frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, et exaltata est statura ejus* [a] *in frondes. Et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum: et evulsa est in ira, in terramque projecta, et ventus urens siccabit fructum ejus: emarcuerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris ejus, ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum in terra invia et sitienti. Et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructus ejus comedit, et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium: planctus est, et erit in planctum.* LXX: *Mater tua quasi vinea, sicut flos in malis granatis in aqua plantata. Fructus ejus et germen illius factum est ex aqua multa. Et facta est ei virga fortitudinis in tribum ducum: et exaltata est magnitudine sua in medio propaginum. Et vidit magnitudinem suam in multitudine palmitum suorum, et confracta est in furore: in terram projecta est, et ventus urens arefecit electa ejus. Vindicati sunt, et arefacta est virga fortitudinis ejus. Ignis consumpsit eam, et nunc plantaverunt eam in deserto in terra sine aqua, et exivit ignis de virga electorum ejus, et comedit eam, et non erat in ea virga fortitudinis. Tribus in parabolam lamentationis est, et erit in planctum.* Diversis sermonibus una res dicitur. Et quomodo in superioribus legimus Jerusalem pulchræ mulieri comparatam, et rursum leænæ quæ in cubili suo leones nutrierit, sic nunc viti vel vineæ pulcherrimæ comparatur, quæ super aquas plantata sit multas, et idcirco humore nutriti palmites in tantum increverint, ut unus palmes, quem Scriptura virgam solidissimam, sive fortissimam nuncupat, profecerit in sceptra dominantium. Pro quo vertere Septuaginta, *in tribum ducum*, ut scilicet reges ex ea fierint. Tantæ autem erat ipsa vinea pulchritudinis, ut splendor viroris ejus, floribus mali punici coæquaretur, quod in Hebraico dicitur quasi vinea in sanguine tuo, rubore florum sanguini comparato, exaltata **221** ergo vinea erecta: *Quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6), evulsa est in furore Domini in terramque projecta, ut ruinas

[a] Pro *in* Victor. *inter* rescribit ex Hebr. על־בן, et Vulg. [Græcoque ἐν μέσῳ. Paulo quoque post *siccavit*, pro *siccabit*, quemadmodum et Rabanus.

Jerusalem, elegans vitis translatio custodiret. Quamvis enim pulchra sit vinea, et longis propaginibus extendatur, si hastilia calamosque subtraxeris, terræ juncta, arescit calore, maxime si ventus urens, quem Græci καύσωμα vocant, siccaverit fructum ejus, ut emarcescat, et quasi ignis cremetur ardoribus. Quod autem in Septuaginta additum est: *Vindicati sunt*, pro eo quod in Hebraico scriptum est, *emarcuerunt*, quam consequentiam habere possit, scire non valeo. Illa igitur vinea tantæ ubertatis, et fructuum, tantæque pulchritudinis, quomodo nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti? Significat autem terram Babylonis ad quam translati sunt, vel Ægyptum, quo confugerunt, aut ipsam terram Judæam, in qua pauci pauperes remanserunt, quibus præfectus erat Godolias [*Al.* Gotholias], ut congregaret et regeret reliquias populi (IV *Reg.* xxv). Contra quem surrexit de stirpe regia, et de virga ramorum vineæ Ismael, qui interfecit eum in Maspha [*Al.* Masepha], et comedit omnem fructum vineæ, et exinde non fuit in ipsa vinea virga fortis, et sceptrum dominantium (*Jerem.* xl *et* xli). Nullus enim remansit de regibus qui populum gubernaret, sed cum Joannam filio Careæ ad Ægyptum confugerunt. Idcirco planctus est, et parabola lamentationis, ut plangatur regium genus quod in Judæa ultra cessavit, donec veniret cui repositum est: *Et ipse erat exspectatio gentium* (*Genes.* xlix, 10). Ex quo perspicuum est, et superiorem lectionem, in qua dicitur: *Quare mater tua leæna inter leones cubavit?* et hanc in qua scriptum est: *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata*, ad Jerusalem pertinere, quæ perdidit leones et palmites suos, et non remansit in ea virga quæ consurgeret in tribum, sive in sceptra dominantium. A planctu enim incipit, et finitur in planctu. Assume planctum super principes Israel. Hoc est, in principio et nunc in fine, planctus est; et lamentatione, planctuque parabolæ stirps regia prosequenda. Porro secundum **222** anagogem, quod alii ad cœlestem referunt Jerusalem, ut dicant ex ea in istam vallem lacrymarum plurimos corruisse, et reges esse desisse, et vineam quondam pulcherrimam vento urente siccatam, ita ut nullus in ea virentium palmitum remanserit, quam postea sub urbis figura plangat Jeremias, nos intelligimus (*Matth.* xxiv) super Ecclesiam, eo quod in novissimo tempore multiplicata iniquitate, refrigescat [*Al.* refrigescet] charitas multorum: ita ut probentur si fieri potest etiam electi Dei, et principes ejus capiantur retibus diaboli, qui non sit unius regis captione contentus, sed quotidie reges et principes capere festinet, secundum illud quod scriptum est: *Escæ ejus electæ* (*Abac.* i, 16). Palmites quoque Ecclesiæ quondudum floribus et rubori sanguinis æquabantur, postea vento [a] siccentur. Quam expositionem et Evangelii quoque parabola sonat, in qua sole orto, ea quæ germinaverant, æstuavevunt, et repente siccata sunt (*Marc.* iv); ita ut vix remaneat unus e palmitibus qui consurgat in virgam, et dignus populi princeps fiat. Quod aliis verbis loquitur Amos: *Inducam famem et sitim super terram: non famem panis et sitim aquæ, sed famem audiendi sermones Dei* (*Amos* viii, 11). Unde debemus plangere, et lamentari super principes Israel, quorum vitio et superbia Judæa deserta, et capta est Jerusalem.

(Cap. XX. — Vers. 1.) *Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis, venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, et* [b] *sedebant coram me.* Post undecim menses, et quinque dies superioris visionis, rursum sermo fit ad prophetam, postquam venerunt viri de senioribus domus Israel, ut interrogarent Dominum et sederunt coram eo. Hanc autem fuisse consuetudinem populi Israel, ut quidquid scire cupiebant a Domino, quærerent per prophetas, multa exempla testantur. Saul quærens asinas, pergit ad Samuelem, accepitque consilium a puero ut offerat prophetæ quartam partem sicli. Ægrotante filio Jeroboam, mittitur in Sylo ad Achiam [*Al.* Abiam] prophetam uxor ejus, deferens munuscula, panes et colliridas, uvas et lagunculam mellis, ut de filii infirmitate cognosceret (I *Reg.* ix, III *Reg.* xiv). David quoque propheta alium interrogat **223** prophetam Nathan, utrum templum Domino ædificare debeat (II *Reg.* vii). Et Achab sciscitatur, ascendat an non in Ramoth Galaad (III *Reg.* xxii). In Isaia quoque (*Isa.* xxxvii), et in Regum volumine (IV *Reg.* xix), quæ Sennacherib ventura sint nuntiantur. Nec mirum si in veteri Testamento, singulis quæ ventura sunt prophetæ annuntient, cum Agabum legerimus quæ Paulo ventura sunt, prophetare (*Act.* xxi). Scriptum est in Deuteronomio: *Gentes quas perditurus est Dominus in conspectu tuo, istæ* [c] *somnia et divinationes audient: tibi autem non sic dedit Dominus Deus tuus* (*Deut.* xviii, 14). Gentium enim est adire Chaldæos, harialos, aruspices, divinos, sortilegos, oracula dæmonum, quibus errori earum illuditur. Unde et nunc seniores Israel prophetam adeunt, ut interrogent per eum Dominum, et tamen de interrogatione silent, ipso qui interrogandus erat sciente quid interrogarent, ut et in eo miraculum sit scire cur venerint, et ad ea respondere quæ tacitus sermo in animo continebat.

(Vers. 2, 3.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, loquere senioribus Israel, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me vos venistis? Vivo ego, quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.* Sanctis et congrua interrogantibus datur promissio, adhuc loquente te dicam: *Ecce adsum.* Peccatoribus autem, quales fuerunt seniores Israel, et quorum scelera in consequentibus propheta describit, non datur res-

[a] Addit cum Rabano Vatic. ms. *urente.*

[b] Victorius ad Vulgatæ textum, *sederunt.* Hebraice est וישבו.

[c] Reponit Victor. *omnia*, pro *somnia*, ex Græc. κληδονισμῶν. Hebraicus quoque augures et præstigiatores sonat.

ponsio; sed increpatio pro peccatis : et addit jusjurandum : *vivo ego*, ut firmior sit sententia denegantis. Quod autem dixere LXX, *si respondero vobis:* Symmachus manifestius transtulit, *non respondebo vobis.*

(Vers. 4.) *Si judicas eos : si judicas, fili hominis.* LXX : *si ultus eos fuero ultione, fili hominis :* Illi quidem ad interrogandum me venerunt, cupientes de his, quibus ambigunt, et futura cognoscere; tu autem, fili hominis, judica eos, ut non prophetæ sit responsio, sed sententia judicantis pro iniquitatibus quæ fecerunt, et patrum secuti sunt scelera. Vel certe, *si ultus eos fuero ultione*, ut sit sensus : Tanta iniquitate cooperti sunt, ut ne emendatione quidem, et **224** correptione sint digni, secundum illud quod in propheta dicitur : *Non visitabo* [a] *ultra filias vestras, et nurus vestras, cum mœchatæ fuerint* (*Osee* IV). Unde et peccatores, qui in profundum venere peccati, dimittuntur ut faciant desideria cordis sui (*Prov.* XVIII).

*Abominationes patrum suorum ostende eis, et dices ad illos.* LXX : *Iniquitates patrum eorum contestare eis, et dices ad eos.* Si peccata patrum non redundant ad filios, quomodo abominationes, et iniquitates patrum nunc senioribus ponuntur? Hac videlicet causa, ut ostendantur similia parentibus agere, et hæreditario malo, longissimum funem trahere peccatorum, ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant.

(Vers. 5, 6.) *Hæc dicit Dominus Deus : In die qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum meam pro eis, dicens : Ego Dominus Deus vester. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti in terram quam provideram eis, fluentem lacte et melle : quæ est egregia inter omnes terras.* LXX : *Hæc dicit Dominus Deus : Ex qua die elegi domum Israel, et notus factus sum semini domus Jacob, et cognitus eis in terra Ægypti, et suscepi eos dicens : Ego Dominus Deus vester : in die illa apprehendi eos manu mea, dicens : ut educerem eos de terra Ægypti in terram quam paravi eis, terram fluentem lacte et melle : favus est ultra omnem terram.* Pro eo quod dixere Septuaginta, *favus est ultra omnes terras*, pro quo nos interpretati sumus, *egregia est inter omnes terras*, Aquilæ prima editio posuit, *firmamentum;* secunda, *inclytum ;* Symmachus, [b] *regionem;* Theodotio, *fortitudinem;* quod videlicet omnium terrarum ista sit fundamentum, quod in ea Dei religio sit, et templum, et ceremoniæ, et notitia Dei; et in tantum populus Israel in Ægypto constitutus ignorabat Deum, ut missus ad eos Moyses : *Si interrogaverint*, ait, *me, quis misit te? quid dicam eis? Dic*, inquit, *ad eos : Qui est, misit me* (*Exod.* III, 13, 14). In Ægypto igitur notus factus est populo, et semini domus Jacob : **225** quando levavit manum suam pro eis contra Ægyptios, et dixit : *Ego sum Dominus Deus vester*, et elegit eos ut educeret de terra Ægypti, ad terram fluentem lacte et melle. Necdum enim capere poterant solidum cibum : sed quasi parvuli atque lactentes, melle et lacte indigebant infantiæ. Juxta litteram vero inclytam esse terram Judæ, et cunctis terris fertiliorem, dubitare non poterit, qui a Rinocorura usque ad Taurum montem, et Euphratem fluvium cunctam consideraverit terram, et urbium potentiam amœnitatemque regionum, Palæstinam videlicet et Phœnicen, Arabiam, Syriam Cælen, Ciliciam, et cæteras regiones, quas Israeli, si Dei præcepta servasset, Dominus repromisit, quas [c] quia non accepit, vitium fuit incredulitatis ejus. Nam et in ipsa Palæstina Judææque provincia gentes plurimæ remanserunt, quæ non sunt ejectæ. Neque enim sponsor in crimine est, si ille cui repromittitur, indignum se fecerit sponsione : præsertim cum proponatur optio promittentis : *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis. Sin autem nolueritis, gladius devorabit vos.* Eliguntur ergo præsentia : nec statim qui eligitur, tentari non potest, nec perire; quia et Saul electus in regem, et Judas in Apostolum, suo postea vitio corruerunt. Elevatio autem manus, sive extensio, habitum percutientis ostendit : ut percuteret pro eis Ægyptios, et populum Israel de Ægypto liberaret.

(Vers. 7.) *Et dixi ad eos : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui : ego Dominus Deus vester.* LXX : *Et dixi ad eos: Unusquisque abominationes oculorum suorum projiciat, et in adinventionibus Ægypti non polluatur : ego Dominus Deus vester.* Pro offensionibus, quæ Hebraice dicuntur SECUSE (שיקוצי), Symmachus interpretatus est, *nauseas*, Aquilæ secunda editio, *abscissiones*, ut significarent abjiciendas ab oculis lippitudines, et quasi nauseas, quæ non solum aspectum impediunt ; sed et contra cernentibus vomitum creant. GELULE (גלולי) quoque verbum Hebraicum, est, quod LXX *adinventiones;* Aquilæ prima editio, *inquinamenta;* **226** secunda, Symmachusque et Theodotio, *idola* interpretati sunt : quos et nos in præsentiarum secuti sumus. Præcipit autem exeuntibus primum de Ægypto, ut obliviscantur idolorum, quibus multo tempore servierunt, immo abjiciant ea ab oculis suis, ut ne aspectu quidem digna habeant : et quibus multo tempore polluti sunt, ultra non acquiescant. *Ego*, inquit, *Dominus Deus vester;* non portenta Ægyptia, non variorum figmenta monstrorum. Sed et nobis, quando eximus de Ægypto, jubetur ut

[a] Idem ac Hebræum, Vulgatumque Interpretem quibus revera assentitur et Græcus, hunc ita refixit locum : *Non visitabo super filias vestras cum fornicatæ fuerint, et super sponsas vestras cum mœchatæ fuerint.*

[b] Græce vero habet Symmachus στάσιν, quæ vox proprie *stationem* sonat.

[c] Huc refer Theodoriti Quæstionem 59 in Exodum, Πῶς ἐπαγγειλάμενος ὁ Θεὸς μέχρι τοῦ Εὐφράτου τοῦ ποταμοῦ παραδώσειν αὐτοῖς τὴν γῆν, οὐκ ἐπλήρωσε τὴν ὑπόσχεσιν : *Quamobrem Deus, qui promiserat se daturum Judæis terram usque ad Euphratem, promissis non steterit.* Confer et Hieronymi nostri Epist. 129, ad Dardanum.

offensiones oculorum nostrorum abjiciamus : ne scilicet his delectemur, quibus antea delectabamur in sæculo, ne simulacris Ægypti polluamur, adinventionibus videlicet philosophorum atque hæreticorum, quæ recte idola nominantur. A spectaculis quoque, immo offensionibus Ægypti, removeamus oculos, arenæ, circi, theatrorum, et omnibus quæ animæ contaminant puritatem, et per sensus ingrediuntur ad mentem ; impleturque quod scriptum est : *Mors intravit per fenestras vestras* (*Jerem.* IX, 21).

(Vers. 8.) *Et irritaverunt me.* LXX : *Et recesserunt a me.* Sive ut Symmachus interpretatus est : *Non acquieverunt mihi.* Statimque vocati recedunt a Deo, ut nullum sit spatium inter vocationem, et recessionem. Et hoc notandum, quod nemo recedit a Deo, nisi qui ante cum eo fuerit. Unde et draco in Job volumine, apostata, prævaricator, et recedens appellatur (*Job* XXXIV).

*Noluerunt que audire me. Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt.* LXX : *Et noluerunt audire me. Abominationes oculorum* [a] *non projecerunt, et adinventiones Ægypti non reliquerunt.* Propterea, inquit, irritaverunt me, et recesserunt a me, quia noluerunt audire me, dum liberum homini servatur arbitrium : et fecerunt omnia, quæ ne facerent lege præcepi : statim desperantes salutem, et mussitantes contra Moysen, Deique repromissionibus diffidentes. Unde sequitur :

*Et dixi ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis in medio terræ Ægypti.* Statim ut præcepi eis relinquere, sive abjicere **227** offensiones oculorum suorum, et in idolis Ægypti nequaquam pollui, irritaverunt me, et noluerunt audire quæ dixi, sed e contrario fecerunt quæ non facienda præcepi. Ideo decreveram, ut effunderem in eos furorem et indignationem meam, et implerem iram meam quam mente conceperam in medio Ægypti. quia necdum egressi fuerant de Ægypto. Sequitur enim infra : *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum.* Ex quo ostenditur, nec dum eos fuisse egressos de Ægypto, quando effundere voluit indignationem suam, et implere iram suam super eos, et percutere eos in medio terræ Ægypti.

(Vers. 9.) *Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, et inter quas apparui eis ut educerem eos de terra Ægypti.* Quod facere cogitabam propter justitiam, non feci propter clementiæ magnitudinem, ne polluereturnomen meum, et viderer non potuisse complere quod Israel repromiseram. Peperci igitur nomini meo, ne haberent occasionem blasphemandi nationes, inter quas notus factus sum eis in terra Ægypti. Hucusque quid eis promiserit in terra Ægypti constitutis, et quomodo statim offenderint, et quid contra eos Dominus cogitaverit, et tamen non fecerit, propheta describit. Quæ sequuntur, egressis de Ægypto locutus est.

(Vers. 10 seqq.) *Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi illis, quæ faciat homo, et vivat in eis. Insuper et sabbata mea dedi eis, ut esset signum inter me et eos, et scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. Et irritaverunt me domus Israel in deserto : in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciet homo et vivet* [Vulg. *faciens homo vivet*] *in eis, et sabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos et feci propter nomen meum ne violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum.* Hæc ad eos dicuntur qui educti sunt de Ægypto in desertum : ut Ægyptiorum vitiis liberati facilius in solitudine præcepta **228** Dei complerent, et judicia ejus facerent, et sabbata custodirent. Quæ in signum data sunt inter eum qui dedit, et eos quibus data sunt, Scriptura dicente : *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Et tu præcipe filiis Israel, dicens : Videte, et sabbata mea custodite, quod est signum inter me et vos in generationibus vestris ; ut sciatis quod ego sum Dominus qui sanctifico vos, et custodite sabbatum, quoniam sanctum est vobis. Qui violaverit illud, morte morietur. Omnis qui fecerit in eo opus, interficietur anima illa de medio populi sui* (*Exod.* XXXI, 13, 14). Ergo sabbatum et circumcisio in signum data sunt veri sabbati, et veræ circumcisionis : ut sciamus nobis in perfecto, et æterno sabbato requiescendum a sæculi operibus, et non præputium, sed cor circumcidamus. Unde in sex diebus operantes, die septimo requiescimus, ut nihil aliud die ac nocte faciamus, nisi omne quod vivimus, deberi Domino noverimus, et redeunte hebdomade, totos nos ejus nomini consecremus, ut per sanctificationem diei, recordemur Domini qui sanctificat nos. Hæc præcepta et justificationes, et observantiam sabbati dedit Dominus in deserto, ut facientes illa viverent in eis : non de illis ad majora transirent, sicut in Evangelio promissum est. Quæ illi violaverunt, non semel nec parum. Sed vehementer, ut violationis ἐπίτασις monstraretur. Dixit ergo et in sua mente decrevit, ut effunderet furorem suum super eos in deserto, et consumeret eos, quando locutus est ad Moysen : *Dimitte me, et iratus furore contra eos, delebo illos* (*Exod.* XXXII, 10). Sed noluit facere, parcens Ægyptiis, et cæteris gentibus, ne scandalizarentur, et ipsis quorum misertus est, exspectans pœnitentiam conversorum. Notandumque quod quando [b] constitutis in Ægypto loquebatur post offensam : *Feci*, ait, *propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus* [c] *de quibus ejeci eos in conspectu earum.* Tunc enim adhuc in medio erant, quia necdum exierant. Nunc autem postquam egressi sunt, dicitur, *de quibus ejeci eos in conspectu earum.*

[a] Addit Victor. *suorum* ex Græco ὀφθαλμῶν αὐτῶν.
[b] Cum Vatic. ms. legimus post Victor. *constitutis* pro quo antea erat *constitutus.*
[c] Victorius, ms. ut ait, ope adjutus, supplet *in quarum medio erant* : quæ tamen verba in nostris mss. aut alias editis libris non sunt.

(Vers. 15.) *Ego igitur levavi manum meam super eos* **229** *in deserto, ne* [a] *educerem eos in terram quam dedi eis, fluentem lacte et melle: præcipuam terrarum omnium, quia judicia mea projecerant, et in præceptis meis non ambulaverant, et sabbata mea violaverant. Post idola enim cor eorum gradiebatur, et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos, nec consumpsi eos in deserto.* LXX: *Et ego levavi manum meam super eos in deserto, ut omnino non introducerem eos in terram quam dedi eis: terram fluentem lacte et melle: favus est ultra omnem terram: eo quod justificationes meas repulerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea violaverunt, et post cogitationes cordium suorum ambulaverunt. Et pepercit oculus meus super eos, ne delerem eos, et non interfeci eos, in consumptionem in deserto.* Decreveram quidem ut totum furorem meum effunderem super eos, et delerem illos atque consumerem: sed feci propter nomen meum ne violaretur in gentibus, Amalecitis videlicet et reliquis (*Exod.* XVII; *Num.* XIV), quæ contra eos in solitudine dimicarunt, ut nequaquam inducerem eos in terram, quam eis pollicitus sum fluentem lacte et melle, quæ *præcipua* terrarum omnium est, sive *favus*. Causa autem pœnæ est istiusque sententiæ, quia judicia mea projecerant, et in præceptis meis non ambulaverant, et sabbata mea violaverant. Ipsiusque causæ hæc causa est, ut ista non facerent, quia cor eorum Ægypti idola sequebatur. Pepercit autem, ait, oculus meus ne interficerem eos atque delerem, nec omnino consumerem. In quo quæritur, quomodo eis pepercerit, quorum cadavera in solitudine corruerunt, et excepto Jesu Nave, et Caleb filio Jephonæ, terram repromissionis nullus ingressus est. Ex quo intelligimus vivere eos, nec æternis suppliciis reservatos, nec deletos esse de libro viventium, nec consumptos ante faciem Domini. Si enim ex eo quod non sunt introducti in terram repromissionis, perisse credendi sunt: ergo et Moyses periit, qui vidit tantum terram repromissionis, et non est ingressus in eam. De quo in libro Jesu Dominus loquitur: *Moysès famulus meus mortuus est* (*Deut.* XXXIV, 5). Et in Malachia: *Mementote Legis Moysi servi mei* (*Malach.* IV, 4). Et in **230** Jeremia, quasi de amico, et familiarissimo suo loquitur Deus: *Si steterint Moyses et Samuel in conspectu meo* (*Jerem.* XV, 1). Alioquin et Moysi preces exauditas esse credendum est, quando pro populo interpellans, ait: *Si dimittis eis peccatum, dimitte; sin autem non vis, me dele de libro tuo quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 32, 33). Ut autem sciamus sententiam Dei in filios et famulos, non ad perditionem, sed emendationem fieri, audiamus testimonia Scripturarum. *Fili, ne contristeris ad disciplinam Domini, neque deficias quando ab eo argueris* (*Prov.* III, 11). *Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Et in alio loco: *Cum interficeret eos, tunc quærebant eum* (*Psal.* LXXVII, 34). Et in Deuteronomii Cantico: *Ego interficiam, et ego vivificabo* (*Deut.* XXII, 39). Possumus et hoc juxta litteram dicere quod non deleverit eos, neque consumpserit cum stirpe sua atque progenie, sed interfectis patribus, pepercerit filiis, quos in terram repromissionis induxit.

(Vers. 18 seqq.) *Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis* (sive *legitimis*) *patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec idolis* (sive *cogitationibus*) *eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester. In præceptis meis ambulate, et judicia mea custodite, et facite ea, et sabbata mea sanctificate, ut sit signum inter me et vos, et sciatur* (sive *ut sciatis*) *quia ego sum Dominus Deus vester.* Post interfectionem patrum qui in eremo corruerunt, præcepta dat filiis, in quorum salute misertus est patrum. Et pepercit, inquit, oculus Domini super eos: ne omnino interficeret eos atque deleret, sed patres in filiis reservaret: eademque testatur, quæ et patribus est locutus; ut postquam in præceptis illius ambulaverint, et judicia illius custodierint, et sanctificationem sabbati quod signum datum est, reservaverint: tunc sciant quia ipse sit Dominus Deus eorum. Præcepta autem, et legitima patrum, et judicia eorum, errorem inolitum significat: ne peccata eorum imitentur, quorum tormenta perspiciunt.

(Vers. 21, 22.) *Et exacerbaverunt me filii, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt, ut facerent ea, quæ cum fecerit homo vivet in eis, et sabbata mea violaverunt. Et commina-*
*tus sum ut effunderem furorem meum super eos,* **231** *et implerem iram meam in eis in deserto. Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus de quibus ejeci eos in oculis earum.* Sed et filii, inquit, parentum scelera sunt secuti, feceruntque omnia quæ illi fecerant: unde et similem meruere sententiam; sed eadem qua et patres eorum misericordiæ meæ magnitudine reservati sunt, et ob easdem causas, quibus et patrum misertus sum: ut unus atque idem Creator amborum, simili iram meam patientia mitigarem. Manifesta percurrimus, et ad obscuriora transimus.

(Vers. 23, 24 seq.) *Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationibus* [Vulg. *nationes*], *et ventilarem in terras: eo quod judicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola* (sive *cogitationes*) *patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, et pollui eos in muneribus suis cum offerrent* (sive *transducerent*) *omne quod aperit vulvam propter delicta sua* (pro quo LXX transtulerunt, *ut delerem eos* et quod illi prætermiserunt): *et scient quia ego Dominus.* Ubi in veteri Testamento contra filios eorum, qui in solitudine corruerunt, Dominus levaverit manum suam, volens eos dispergere in nationes, Scriptura non dicit: sed ex eo quod hic re

[a] Scilicet hinc *educerem* in terram, etc., neque adeo erat cur Victorius mutaret *inducerem*.

fert, factum esse credendum est. Sive hoc significat, quod postquam terram repromissionis intraverint, variis temporibus ob multa peccata diversis traditi sunt gentibus regibusque, et eo tempore quæ natura sua bona erant præcepta Domini, et judicia in quibus possent credentes vivere, facta sint eis non bona, dum nequaquam valent in captivitate legis præcepta servare, et facere quæ divinus sermo mandavit. Neque dixit, dedi eis præcepta mala : sed, *non bona*. Non enim statim sequitur, ut quod bonum non est, sit malum : sicut et **232** Apostolus docet, bonum esse homini uxorem vel mulierem non tangere; sed propter incontinentiam [a] unumquemque possidere vas suum in sanctificatione et castitate (1 *Cor.* VII). Quod si non fecerit, nec bonum nec malum est. Dedit ergo eis Deus dispersis in gentibus præcepta non bona, hoc est, dimisit eos cogitationibus, et desideriis suis, ut facerent quæ non conveniunt. Et polluit eos in muneribus suis : sicut Sacerdos leprosos de populo separans, et eos pollutos esse demonstrans ; dum idolis offerunt quæ Deo offerre deberent. Et transducunt omne quod aperit vulvam per ignem [b] Baali, id est, primogenita ; ut postquam deserti fuerint a Deo, et idolorum cultui traditi, tunc intelligant quod ipse sit Dominus, quem suo vitio ad iracundiam concitaverunt. Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus, pro præterito ponens futurum. *Igitur et ego dabo eis præcepta non bona, et judicia propter quæ non vivent, et polluam eos propter munera sua, quia consecrant, et transducunt omne quod aperit vulvam, ut deleam eos, et scient quia ego Dominus.* Et est sensus : Quia vidi filios patrum sceleribus adæquari, et eadem facere propter quæ illi offenderant Deum, volui illos dividere in nationes, et in toto orbe dispergere, et dare illis præcepta non bona ; et judicia in quibus non viverent, ut polluerem illos in muneribus suis, quia omnia primogenita idolis consecrabant, et delerem eos in perpetuum, et scirent quod ego essem Dominus. Per quæ ostendit non se dedisse [c] eis præcepta non bona qui in eremo morabantur, sed his quos dispergere voluit in nationes, et facere in toto orbe peregrinos, dare cogitasse [d] quæ non dedit : ut ibi Dei præcepta bona, vitio suo non bona facerent, dum idolis exhibent quæ Deus sibi præceperat exhibenda. Potest et hoc dici, quod ante [e] offensam, decalogum tantum acceperint ; post idololatriam vero, et **233** blasphemiam multiplices legis cæremonias, ut Deo potius offerrent victimas, quas dæmonibus offerebant, et comparatione sacrilegii, levius fieret quod non erat per se bonum, et nequaquam malum, quia Deo offerebatur, et tamen non bonum, quia boni auctorem offenderant.

(Vers. 27, 29 seq.) *Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes, et induxissem eos in terram super quam levavi manum meam, ut darem eis* [Vulg. addit *illam*] : *viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas, et dederunt ibi irritationem oblationis suæ, et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, et libaverunt ibi* [Vulg. tacet *ibi*] *libationes suas. Et dixi ad eos : Quid est excelsum ad quod vos ingredimini? Et vocatum est nomen ejus excelsum usque in hunc diem.* LXX : *Idcirco loquere ad domum Israel, fili hominis, et dices ad eos : Hæc dicit Adonai Dominus : Usque ad hoc me ad iracundiam provocaverunt patres vestri in delictis suis, quibus corruerunt in me, et introduxi eos in terram super quam levavi manum meam ut traderem eam illis. Viderunique omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi diis suis, et posuerunt ibi furorem munerum suorum, et posuerunt ibi odorem fragrantiæ eorum, et libaverunt ibi libamina sua. Et dixi ad eos : Quid est abbana, quia vos intratis illuc? Et vocaverunt nomen ejus abbana usque in hodiernum diem.* Volui, inquit, eos in solitudine delinquentes in cunctas dispergere nationes, et dare illis præcepta non bona, ut quod mihi offerre debuerunt, idolis immolarent, et omne primitivum [*Al.* primogenitum] suum consecrarent eis per ignem, ut interficerem eos atque delerem. Quando autem dicit, *volui*, os-

[a] Interserit Rabanus : *unumquemque suam uxorem habere bonum est.*

[b] In uno Vatic. *Bachalim* legimus, ex quo refigendum suspicati sumus *Bachurim*, quod hanc vocem e vestigio Hieron. interpretari videretur, *id est, primogenita*, atque Hebraice quidem בכורים *Bachurim* primogeniti appellentur. Verum cum ad *ignem* rectius vox *Baali*, sive idoli Baal, referatur, nihil est immutatum.

[c] Antea minus perspicuo sensu erat, *ostendit eis, non se dedisse præcepta*, etc. Hujusmodi alia subinde taciti castigamus.

[d] Martianæus post Erasmum *coegisse* retinuit, pro *cogitasse*, quem tamen antea Victorius sibilo explodendum errorem dixit, triumque Florentinorum codicum ope emendavit. Cogitavi, inquit, illis dare præcepta non bona ; sed non feci. Constantque etiam ex proxime superioribus verbis : *Volui illos dividere in nationes, et in toto orbe dispergere, et dare illis præcepta non bona*, etc., veram unam esse lectionem *cogitasse*, quam reposuimus.

[e] Equidem hoc nescio, quo conciliari pacto queat cum Exodi sententia cap. III ubi emitti præcipiuntur Hebræi ut Deo immolent. Utique post vitulum conflatum pluribus, durioribusque observationum vinculis populum pervicacem Deus obligaverit ; verum et ante μοσχοποιΐαν cultum eodem ferme modo Deo redditum, multosque legales ritus fuisse populo præceptos, cum primis vero sacrificia et victimas, totus Scripturæ contextus probat. Et scio tamen nedum hic loci, sed et in Jeremiæ cap. VII, col 895, sensisse Hieronymum, non nisi post vituli adorationem, mactare Deo victimas Israelitis permissum. *Manifeste*, inquit, *intelligitur, quod primum Decalogum dederit in Tabulis lapideis scriptum digito Dei, et post offensam idololatriæ caputque vituli ea jusserit sibi magis fieri, quam dæmonibus, auferens puram religionem mandatorum Dei, et concedens sanguinem victimarum, carniumque desiderium.* Nec demum ignoro hanc fuisse vetustiorum quoque Patrum nonnullorum sententiam : puta Lactantii lib. IV, cap. 10, et Chrysostomi orat. 2 advers. Judæos, et homil. 17 in Act. Apostol., in quam et multo post Anastasius abbas a Canisio vulgatus concessit.

tendit se non fecisse quod voluit. Illudque quod sequitur : *Et scient quia ego sum Dominus*, in LXX non habetur. Non enim eis videbatur consequens post interfectionem nosse, quod **234** ipse sit Dominus. Sed tu, fili hominis, rursum loquere ad eos, hoc est, ad seniores domus Israel, qui te interrogare venerunt : Patres vestri, de quorum vos stirpe descendistis, etiam in hoc blasphemaverunt me, et duxere pro nihili; postquam introduxi eos in terram quam mea fortitudine possederunt, quam ego ad possidendum dederam, illi verterunt ad exasperandum me. Cum enim vidissent omnem collem excelsum, lignumque nemorosum, sacrificabant in montibus, et in lucis et saltibus, et idolis victimas immolabant, et liba fundebant, quod cum vidissem, dixi ad eos : *Quid est*, BAMA? hoc enim interpretatur *excelsum:* aut cur ingredimini istiusmodi locum quem vobis in cunctis collibus elegistis, ita ut usque hodie istiusmodi loca appellentur BAMOTH, et antiquus error nomen pristinum teneat? Pro BAMA, quod nos in *excelsum* vertimus, in Septuaginta editione error obtinuit, ut scribatur [a] ἀββανὰ, quod Hebraico sermone nil resonat. Potest BAMA (במה), si utramque syllabam in duo dividas verba, significare, *in quo;* sed præsenti loco sensus iste non congruit. Ubicumque autem in Regum, et Paralipomenon libris scribitur : *Adhuc populus adolebat incensum, et immolabat in excelso :* BAMA singulariter, et BAMOTH (במות) pluraliter *excelsa* significat.

(Vers. 30, 31.) *Propterea di ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus* [Vulg. præponit *Certe*] : *In via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini. Et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie, et ego respondebo vobis, domus Israel? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.* Patrum vestrorum imitamini vitia, et per easdem inceditis vias, ut delicta similia similem mereantur et pœnam, et in tantum scelus profecistis, ut filios vestros per ignem dæmonibus consecretis : nec semel hoc fecisse sufficiat, sed usque in præsentiarum **235** agatis eadem. Non quod hæc seniores in captivitate faciant, sed quod illi qui Jerosolymis morabantur, et quibus captivitas imminebat, hæc omnia facere non cessent. Et cum tantis flagitiis obligati sitis, responsionem, inquit, meam quæritis? Vivo ego, dicit Dominus Deus, et juro per memetipsum, quia non respondebo vobis, quodque sequitur :

(Vers. 32, 33.) *Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium, erimus sicut gentes, et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.* Hunc habet sensum : Ne putetis cogitationes vestras quibus contra me blasphematis posse compleri; dicitis enim : Nolumus esse sub Domino, nec populus illius appellari : sed sicut cunctæ in toto orbe sunt nationes, et unaquæque gens suo vivit arbitrio, ut colat ligna, et lapides, et idolis serviat, etiam nos una gens erimus e pluribus. Ad quæ respondet Deus, juratque per semetipsum et dicit : Non vos relinquam neque contemnam, ut fugaces servos domini negligentes solent contemnere, sed ad meum retraham imperium, et brachio extento ac percutiente ac furore effuso, in pristinam vos redigam servitutem, et regnabo super vos : ut velitis nolitis, me habeatis regem, et sentiatis regem iratum, cujus clementiam neglexistis.

(Vers. 34.) *Et educam vos de populis, et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis : in manu valida et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.* Nec vos, ait, patiar esse in gentibus, nec æterna captivitate retineri, sed educam de populis, et congregabo de terris in quas vos ad serviendum hostilis necessitas huc illucque dispersit. Hæc autem faciam, non ut perdam vos et deleam, sed ut rex vester sim. Ex quo intelligimus etiam eam quam appellant hæretici Creatoris crudelitatem, sonare clementiam : dum ad hoc irascitur, et desævit, et totum effundit furorem, ut retrahat eos ad regnum suum, qui dæmonum tyrannidem ad serviendum elegerunt.

(Vers. 35, 36, seq.) *Et adducam vos in desertum populorum, et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem. Sicut judicio contendi adversus patres* [b] **236** *in deserto terræ Ægypti, sic judicabo vos, dicit Dominus. Et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis fœderis, et eligam de vobis transgressores et impios : de terra incolatus eorum educam illos, et in terram Israel non ingredientur, et scietis quia ego Dominus.* Faciam, ait Dominus, vobis qui estis in Babylone, et nunc servitis idolis, quod feci patribus vestris in Ægypto, ut educam vos in desertum populorum, et ibi judicer vobiscum facie ad faciem, sicut adversus illos judicio contendi, quando egressi sunt de Ægypto. Et postquam vos judicavero, subjiciam vos sceptro meo et imperio, et inibo pactum vobiscum, et inducam vos in terram vestram in vinculis charitatis, ut ligati amore meo, nequaquam a me possitis recedere. Transgressores autem et impios, qui cordis duritia in malis operibus perseverant, eligam de vobis, non ad possidendum, sed ad abjiciendum. Et educam quidem eos de terra incolatus eorum, ut educti non ingrediantur terram Israel; sed in diversis pereant regionibus : et distinctione bonorum et malorum, cognoscatis quia ego sum Dominus, qui facio cuncta judicio. Ad reliqua festinat oratio, breviterque percurrimus singula, ut sensum tantum legentibus præbeamus.

(Vers. 39.) *Et vos, domus Israel, hæc dicit Dominus Deus : singuli post idola vestra ambulate, et servite eis.*

[a] Nunc obtinet ἀβαμὰ; sed et Nobilius in plerisque Græcis exemplaribus ἀβανὰ reperit, et vetus Scholion, Ἀββανὰ, λίθος ἑρμηνεύεται, *Abbana, lapis interpretatur.*

[b] Addit Victor. *vestros*, et in versiculi fine *Deus*, ex Vulgata et Hebraico.

*Quod si et in hoc non audieritis me, et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris, et in idolis vestris.* LXX : *Et vos, domus Israel, hæc dicit Adonai Dominus : Unusquisque adinventiones suas auferat : et post hæc si vos audieritis me, et nomen meum sanctum non pollueritis ultra in muneribus vestris, et in studiis vestris.* Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus : *Unusquisque idolis suis euntes servite, quia noluistis audire me : nomen autem meum sanctum nolite ultra polluere per munera vestra atque simulacra. In monte vero sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel.* Symmachi translatio hunc habet sensum : Quia mihi servire non vultis, ite et servite idolis, et simulacrorum vestrorum calcate vestigia. Me enim audire non vultis, ut nequaquam mihi hostias immoletis, **237** nec adoleatis incensum, nec meus populus appellemini. Mihi enim nequaquam in lucis, et fanis, et idolorum locis servient cultores mei, quod vos facitis : sed in monte sancto meo, in monte excelso Israel. Porro Septuaginta proprium explicant sensum. Derelinquite cogitationes vestras pristinas, et malarum adinventionum auferte peccata : et si post hæc audieritis me, et nomen meum non polluerit is in muneribus vestris atque simulacris : tunc in monte meo sancto offeretis mihi victimas, et servietis, o omnis domus Israel. Aquila vero Symmacho ex parte consentiens, in parte discordat : *Ite*, inquit, *post idola vestra, et servite eis*, quia indigni estis meo imperio, nec me vestra cultura delectat. Quod si et in hoc nequaquam audieritis me, sed nomen sanctum meum pollueritis, dum mihi offerre simulatis quæ offertis idolis, et nomini meo tantum blasphemiam facitis, ut qui idolorum cultores estis, meos vos esse dicatis ; hoc scitote, quod in monte sancto meo, in monte excelso Israel, ibi servitura sit mihi omnis domus Israel, non vos qui servitis idolis : sed omnis domus Israel quæ postea creditura est.

(Vers. 40, 41.) *In monte vero* [Vulg. silet *vero*] *sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus : ibi serviet mihi omnis domus Israel : omnes inquam in terra in qua placebunt mihi, et ibi requiram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum, in omnibus sanctificationibus vestris, in odore suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero de terris in quas vos dispersi estis, et sanctificabor in vobis in oculis nationum, et scietis quia ego Dominus.* De hoc monte in quo servitura est Deo omnis domus Israel, Isaias et Michæas pari voce cecinerunt : *In novissimis diebus erit manifestus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite ascendamus in montem Domini, et in domum* [Al. *montem*] *Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. De Sion enim exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Is.* II *seq.*; *Mich.* IV, 1, 2). Et rursum Isaias : *In montem*, inquit, *excelsum ascende qui annuntias Sion : eleva et exalta vocem tuam qui evangelizas Jerusalem* (*Isa.* XL). Quem montem Sion, aut Ecclesiam intelligimus **238** quæ interpretatur *specula*, et in altitudine sanctorum dogmatum constituta est : aut ipsum Dominum Salvatorem, in quo et primitiæ, et decimæ, et omnis cultura in odorem vertitur suavitatis : ut omnes in circuitu nationes videntes populum Domini esse salvatum, glorificent Deum, et cognoscant qui salvati fuerint, quod ipse sit Dominus.

(Vers. 42.) *Cum induxero vos ad terram Israel : in terram pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris.* Tunc scietis quod ego sim Dominus, quando induxero, ait, vos in terram Israel, pro qua levavi manum meam, ut inducerem in eam patres vestros, quam illi suo vitio perdiderunt, et vos non tam vestro merito, quam mea clementia recepistis.

(Vers. 43, 44.) *Et recordabimini* [Vulg. interserit *ibi*] *viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis : et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris quas fecistis, et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum : non secundum vias vestras malas, et secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus.* Non possumus recordari scelerum nostrorum atque vitiorum, nisi inducti fuerimus in terram Israel, ibique positi dicamus cum Apostolo : *Qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum : Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XV, 9). Et displicebitis, ait, vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris quas fecistis. Sive ut interpretatus est Symmachus, *Et parvuli vobis videbimini propter omnes malitias vestras quas estis operati* (*Jacob.* IV), ut postquam excelsi fuerint, humiles se esse credant : quia Dominus humilibus dat gratiam. Et in alio loco scriptum est : *Ante contritionem* [a] *exaltabitur cor viri, et ante altitudinem humiliatur* (*Prov.* XVIII, 12). Superbiam enim contritio, et humilitatem sequitur exaltatio. Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis. Et Dominum Salvatorem tunc magis cognovimus, quando benefecit nobis, et passus est pro peccatis nostris, et portavit iniquitates nostras, et pro nobis doluit ; non pro aliquo merito eorum qui salvantur, sed propter nomen suum. Alioquin viæ nostræ, et scelera pessima, non misericordiam meruere, sed pœnam. Quidquid autem de populo diximus Israel, qui liberatus de Ægypto, in solitudine multa commisit, et offendit Deum, et postea in terram repromissionis inductus, veneratus est idola, lignaque et lapides coluit, et postea Dei clementia conservatus est : referamus ad eos qui de Ægypto sæculi hujus manu excelsa Domini liberati sunt, et introducti in vitiorum solitudinem, rursum Ægyptum suspirarunt, et fecerunt ea, per quæ puniri debuerant : sed nihilominus per pœnitentiam non suo merito, sed Domini clementia conservati sunt.

[a] Victor., in instanti, *exaltatur*, ad Græcum ὑψοῦται. Mox pro *altitudinem* Vatic. ms. *exaltationem*.

# LIBER SEPTIMUS.

**239-240**. Olim [a] pueri legimus : Nihil tam facile est, quin difficile fiat, quod invitus facias. Fateor me explanationes in Ezechiel multo ante tempore promisisse, et occupatione de toto huc orbe venientium, implere non posse : dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, et monasterii solitudinem, hospitum frequentia commutamus : intantum ut aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda. Itaque lucrativis, immo furtivis noctium horis, quæ hyeme propinquante, longiores esse cœperunt, hæc ad lucernulam qualiacumque sunt dictare conamur, et æstuantis animi tædium interpretatione digerere. Nec jactamus, ut quidam forsitan suspicantur, fratrum susceptionem, sed morarum causas simpliciter confitemur : præsertim cum Occidentalium fuga, et sanctorum locorum constipatio, nuditate atque vulneribus indigentium, rabiem præferat Barbarorum. [b] Quod absque lacrymis et gemitu videre non possumus, illam quondam potentiam et [c] ignorationem divitiarum ad tantam inopiam pervenisse, ut tecto et cibo, et vestimento indigeat; et tamen nequaquam duri quorumdam [d] atque crudeles animi molliuntur, dum pannulos eorum et sarcinulas discutiunt, aurum in captivitate quærentes. Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis senectute, et aliquid sustinentibus beati Isaac (*Gen.* XXVII), ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere, quæ etiam ad solis dieique fulgorem, litterarum nobis parvitate cæcantur. Sed et Græcorum commentarios, fratrum tantum voce cognoscimus. Nullique dubium, quod alienis dentibus commoliti cibi, vescentibus nauseam faciant. Unde obsecro te, filia Eustochium, ut ista quæ notariorum stylo cudimus, et ad quæ emendanda spatium vix habemus, id est, septimum incipias, **241** et ut ante jam dixi, si librorum brevitas vel longitudo inter se fuerint inæquales, visionum, immo ὑποθέσεων brevitati imputes ac longitudini, dum et juncta nolumus separare, et dissonantia in unam coarctare congeriem.

(Vers. 45 seq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, et stilla ad Africum, et propheta ad saltum agri meridiani. Et dices saltui meridiano : Audi verbum Domini : hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum : non exstinguetur flamma succensionis, et comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem. Et videbit universa caro quia ego Dominus succendi eam, nec exstinguetur. Et dixi, ah, ah, ah, Domine Deus : ipsi dicunt de me : Numquid non per parabolas loquitur iste ?* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, obfirma faciem tuam super Theman, et respice ad Darom, vaticinare super saltum ducem Mageb, et dices saltui Nageb : Audi sermonem Domini, hæc dicit Dominus : Ecce ego succendam in te ignem, et devorabit in te omne lignum viride, et lignum aridum. Non exstinguetur flamma succensa, et ardebit in ea omnis facies a meridie usque ad Aquilonem : et cognoscet omnis caro quia ego Dominus succendi illam : non exstinguetur. Et dixi : Nequaquam, Domine, Domine : ipsi dicunt ad me : Nonne parabola est quæ dicitur hæc?* Quid significet *pone*, vel *obfirma faciem tuam*, supra pleniùs diximus. Obfirmatione enim vultus opus est, et frontis duritia, ut quæ imperantur Prophetæ, loquatur intrepidus, maxime cum ad totam populi multitudinem tristia nuntiata sint. *Theman* autem et *Darom* et *Nageb*; et rursum *Nageb*, pro quo LXX ἀπηλιώτην interpretati sunt, quid sonent in Hebræo, expressit nostra translatio. Quodque dixere, *ducem Nageb*, melius habet in Hebræo *agri*, vel *regionis meridianæ*. Non enim SARE (שרה), ut putaverunt LXX, quod verbum *ducem* et *principem* sonat, sed SADE scriptum est, quod proprie *agrum*, *regionemque* signat, et propter DALETH et RES litterarum similitudinem, error inolevit. Loquitur autem sermo divinus per metaphoram saltus contra Jerusalem, quæ bestiarum, **242** et ferocium hominum habitatio est : quod succendat eam [*Al.* eum], omniaque ligna illius concrementur : nequaquam arbores vocans quæ fructibus indigebant, sed ligna quasi incendio præparata. Primumque comburit in eo lignum viride, secundum quod in hoc eodem Propheta legimus : *Et a sanctis meis incipite*; et postea aridum, quod nihil in se poterat habere vitale : sanctos videlicet simul et peccatores, ut alii captivitatis mala, morte effu-

[a] Archinteus ms. *Olim legimus*, absque *pueri* voce.

[b] Antea erat præfixa parenthesi (*quos*, etc.

[c] Hoc modo legunt omnes codices nostri mss. Erasmiana editio retinet in contextu, *et ignorantiam divitiarum* In margine autem hæc addita reperi : *legendum arbitror arrogantiam*. Sed falsa est et imperita conjectura, quia Hieronymus ut magnitudinem divitiarum demonstret in Romanis, vocat illam *ignorationem*, eo quod ignorarent domini suarum divitiarum thesauros et possessiones. MART. — Florentini quoque ms., Victorio teste *ignorationem*, præferunt. Liquet vero, ignorationem vocari divitiarum, quod tot, tantæque essent, ut a propriis dominis earum magnitudo ignoraretur. Olim erat *ignorantiam*, pro quo maluisset Erasmus *arrogantiam*.

[d] Heraclianum Africæ comitem notat, qui ad se transfugas e Barbarorum gladiis Romanos post captam ab Alarico Urbem, ob infamem avaritiam crudelissime vexabat, ut si quas fuga abduxissent substantiolas, miseris eriperet. Vide epist. 130 ad Demetriadem, num. 7, ubi avaritiam crudelitatemque ejus hominis exaggerat, atque exsecratur.

giant ; alii suppliciis tradantur æternis. Quodque infert : *Ab Austro usque ad Aquilonem*, hoc indicat, ab Jerusalem usque ad Babylonem : ut omne iter pergentium in captivitatem, gladio, fame, pestilentia ruentium compleatur. His enim qui in Babylone sunt, Jerusalem ad Austrum sita est ; quomodo e contrario olla in Jeremia quæ significat Jerusalem, a facie Aquilonis, id est, Babylonis succenditur (*Jerem.* I). Et pulchre in principio : *stilla*, inquit, *ad Africum* ; ut non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam et pars. Sin autem stilla tantæ sævitiæ est : quid in totis imbribus æstimandum est : Ut omnis caro, quæ visura est salutare Dei, per silvarum incendium et flammam, quæ nullius exstinguitur auxilio, cognoscat quod ipse sit Dominus. Quod intelligens Propheta respondit, *ah, ah, ah, Domine Deus* : vel ut Septuaginta transtulerunt, *nequaquam, Domine, Domine.* Et infert : *Et ipsi dicunt ad me : Numquid non per parabolas loquitur iste ?* vel *parabola est ista quæ dicitur ?* Et est sensus : Planius loquere, non intelligimus per parabolam quid loquaris : aperto sermone Dei nobis pande sententiam. Potest autem tropologice Theman et Nageb et Darom, [a] Ægyptus intelligi : legimus enim in Daniel crebro Austrum pro Ægypto accipi (*Dan.* XI), Ægyptus autem refertur ad mundi istius angustias. Prophetat igitur Ezechiel quæ mundo ventura sint mala, quem saltum vocat, pomiferas arbores non habentem, sed habitaculum bestiarum. De quo et in vigesimo **243** octavo psalmo dicitur : *Vox Domini perficientis cervos, et revelabit condensa silvarum* (*Vers.* 9). Istæ sunt silvæ, et saltus, qui plus devoraverunt in prælio de exercitu Abessalon, quam interfecit gladius (II *Reg.* XVIII). Succenditurque in saltibus primum lignum viride, et sic aridum, hi qui vivunt in malo, et hi qui justitiæ mortui sunt. Quodque dicitur : *Et comburetur in ea omnis facies ab Austro usque ad Aquilonem*, hoc dicit : Ab his qui fervente spiritu videbantur, usque ad eos qui crescente iniquitate, et refrigerata charitate multorum, calorem pristinum perdiderunt ; ita ut omnis caro perspiciat flammam Domini non exstingui. Precaturque propheta ne fiat quod Dominus comminatus est : hoc est, ne succendatur saltus, et ligna omnia concrementur ; ut aut adhuc accipiant locum pœnitentiæ, aut sibi non imponatur necessitas tristia nuntiandi : præsertim cum populus ea non intelligat, et obscuritate dictorum, magis ad insaniam provocetur.

(Cap. XXI. — Vers. 1 seq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel, et dices terræ Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. Pro eo autem quod occidi in te justum et impium : idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem, ab Austro usque ad Aquilonem. Et sciet* [Vulg. *Ut scias*] *omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum* [Vulg. abest *meum*] *de vagina sua irrevocabilem.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Idcirco vaticinare, fili hominis : et obfirma faciem tuam contra Jerusalem, et aspice ad sancta eorum, et propheta super terram Israel, et dices ad terram Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, et educam gladium meum de vagina sua, et interficiam ex te iniquum et injustum. Sic egredietur gladius meus de vagina sua super omnem carnem a Meridie usque ad Aquilonem, et cognoscet omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua : non revertetur ultra.* Quia supra dixerat : Ipsi dicunt de me, numquid non per parabolas loquitur iste ? et apertam populus flagitabat sententiam : idcirco id quod Dominus per metaphoram sive parabolam, et ut alii vertere, *proverbium*, **244** est locutus, nunc manifestius loquitur, saltus Nageb et Darom et Theman esse Jerusalem, et templum illius, sancta sanctorum, et omnem terram Judææ ; flammamque quæ combustura sit saltum, intelligi gladium devorantem, qui eductus sit de vagina sua, ut interficiat justum et impium. Hoc est enim lignum viride et lignum aridum. Unde et Dominus : *Si in ligno*, ait, *viridi tanta faciunt : in sicco quid facient* (*Luc.* XXIII, 31) ? Pro quo, nescio quid volentes, LXX *iniquum et injustum* interpretati sunt : quasi non idem utrumque significet. Quodque ibi dixerat : *Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam*, hoc est, silvam, sive flammam, *nec exstinguetur*, hinc aliis verbis loquitur : *Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.* Vere enim contra Jerusalem non est flamma sopita, nec exstinctum incendium, nec revocatus gladius, quia modicum tempus in medio, et Jerusalem cum templo suo, Babylonio igne succensa est.

(Vers. 6, 7.) *Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te : Quare tu gemis ? dices : Pro auditu, quia venit, et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ. Ecce venit et fiet, ait Dominus* [Vulg. addit *Deus*]. LXX : *Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum tuorum, et in doloribus geme in conspectu eorum. Eritque si dixerint ad te : Quare tu gemis ? et dices : Propter nuntium, quia venit, et comprehendetur pavore omne cor, et dissolventur universæ manus, et exanimabitur omnis caro et omnis spiritus, et omnia femora polluentur humore. Ecce venit et erit, dicit Dominus Deus.* Primum dixerat : *vaticinare*, vel *stilla ad Austrum, Africum et Meridiem, et ad saltum meridianum.* Quod quia videbatur obscurum, et dicta prophetæ populus nesciebat, secundo ponitur manifestius, saltum meridianum esse Jerusalem, et omnes infructuosas arbores ad quarum radices securis posita sit (*Mat.* III, *Luc.* III), intelligi habitatores ejus : gladiumque inter-

[a] Interserit Rabanus, *quod Septuaginta posuerunt.*

pretari pro incendio. Tertio jubetur prophetæ, ut tacentibus illis nec interrogantibus, cur ista vaticinatus sit, faciat per quæ interrogetur, et respondeat quæ Dominus locutus est. Ingemisce, **245** inquit, ejulare, non levi voce, nec dolore moderato, sed in contritione lumborum, ut gemitus tuus ex imis visceribus et amaritudine animi proferatur. Et hoc facies coram eis : ut cum te interrogaverint cur tanto gemitu conteraris, et quid tibi mali acciderit ut sic ingemiscas, tu eis meo sermone respondeas : Idcirco plango, et dolorem cordis mei dissimulare non valeo, quia auditus qui semper meis auribus insonuerat, opere completur et venit : imminens videlicet Babylonii furentis exercitus. Qui cum venerit et vallaverit Jerusalem, tunc tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus : ut, occupante pavore mentes hominum, nullus audeat repugnare. Infirmabitur enim omnium bellatorum spiritus, et tanta cunctos occupabit trepidatio atque formido, ut, timore cogente, artus et viscera dissolvantur, et vesica humorem tenere non valeat : ita ut urina genua polluantur. Naturale est enim, ut timore cogente, vesica laxetur, et adversus hominis voluntatem humor defluat. Quod quidem et in morborum magnitudine accidere solet, ut postquam vires defecerint ægrotantium, non solum genua, sed et lectuli polluantur. Ecce, inquit, venit, quod sæpe prædixi, et opere completur ac fiet quod non ego, sed Dominus locutus est. Scio quemdam in contritione lumborum, et fluentibus aquis, multa testimonia replicasse, ut prophetæ castitas impleretur, et amaritudo animi et dolor mentis internus, quod aquæ seminum genua polluant. Sed hæc expositio ad præsentem non pertinet locum.

(Vers. 8 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, propheta, et dices : Hæc dicit Dominus Deus, loquere : Gladius, gladius exacutus est et limatus, ut cædat victimas, exacutus est, et ut splendeat, limatus est : qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. Et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu : iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis. Clama et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel. Qui fugerant, gladio traditi sunt cum populo meo : idcirco plaude super femur, quia probatus est, et hoc cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus. Tu ergo, fili hominis,* **246** *propheta, et percute manu ad manum, et duplicetur gladius ac tripliceiur gladius interfectorum. Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti et limati ad fulgendum : amicti ad cædem. Exacuere, vade ad dexteram sive ad sinistram, quocunque faciei tuæ est appetitus. Quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum.* Multum est si utramque ponam editionem, et librorum extenditur longitudo : maxime ubi aut nulla aut parva distantia est. Ponam igitur nonnulla quæ discrepant. Pro eo quod nos diximus : *Qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum*, illi transtulerunt : *Interfice, contemne, repelle omne lignum*. Rursum ubi nos diximus : *Qui fugerant, gladio traditi sunt*, et illi et alii transtulerunt : *Hospites mei*, sive *habitatores*. Et ubi nos diximus : *Plaude super femur*, illi posuerunt : *Percute manu*. Et ubi transtulimus : *Et hoc cum sceptrum subverterit*, illorum habet editio : *Tribus repulsa est*. Loquitur autem ad gladium Nabuchodonosor, ut veniat contra Jerusalem, ut exacuatur atque limetur, multos enim esse cædendos ; et ad ipsum apostropham facit. Tu es qui moves atque subvertis sceptrum filii mei, imperium videlicet populi Israel, et omne lignum succidis, universam populi multitudinem. Dedi, inquit, istum gladium, ut teneatur manu Nabuchodonosor ; et sit in manu viri robustissimi. Unde, o propheta, clama et ulula, et mala instantia vocis lamentatione testare. Hic gladius nulli pepercit, nec aliquem imminentium malorum reliquit expertem. Factus est in populo, factus est in ducibus Israel, factus in hospitibus meis ac sacerdotibus, qui habitabant in templo meo. Idcirco percute femur, sive manum, et habitum plangentis assume. Hic enim gladius probatus est mihi, et hoc cum sceptrum meum regnumqûe subverterit, quod ultra non erit, et in Sedecia rege finietur. Iterum tibi, propheta, jubeo, ut qui femur percusseras pro stupore et miraculo, percutias et manus, ut non solum semel, sed secundo ac tertio gladius veniat ad interficiendum. Primo enim venerat Nabuchodonosor, quando tulit Jechoniam : et secundo, quando regnabat **247** Joacim : tertio, quando Sedecias. Et hic est gladius triplicatus, quando facta est magna occisio, et intantum multiplicavit ruinas, ut obstupescerent animo, et corde tabescerent, et in omnibus portis eorum daret conturbationem. Præcipitur ergo illi, hoc est, gladio acuto et limato ad fulgendum, amictoque et expedito, et parato ad cædem, ut vadat sive ad dexteram voluerit, sive ad sinistram. Quocumque, ait, faciei tuæ placuerit, audacter ingredere, me habens ducem, me adjutorem. Ego plaudam manu ad manum, ut sævientem te contra adversarios meos, quasi fautor tuus et exhortator instigem. Ne dubites, ne formides, et pati timeas quod passus est Sennacherib : ego Dominus sum locutus, meæ minister es voluntatis, meam comple sententiam (IV *Reg.* XIX). Possumus juxta anagogen, gladium acutum paratumque ad cædem accipere diabolum, de quo ait Apostolus : *Tradere hujuscemodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (I *Cor.* V, 5). Et in alio loco : *Hymenæus et Alexander : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Et in Psalmis scriptum est : *Misit furorem, et iram, et angustiam, immissionem per angelos pessimos* (*Ps.* LXXVII, 49). Hunc quidam putant gladium et in manu fuisse angeli, quando sub David percutiebatur Jerusalem (II *Reg.* XXIV).

Alii autem et de illo dici gladio suspicantur, de quo in Evangelio scriptum est : *Non veni pacem mittere super terram, sed gladium* (*Matth.* x, 34); et dividere inter se omnem consanguinitatis affectum, ut mali corruant, et sancti resurgant. Sed hoc impium est credere de gladio Salvatoris, et non potius de diabolo, qui Domini in Ecclesia sceptra subvertit, qui interficit cunctos in populo, et duces, et hospites Dei : et tunc a Domino comprobatur, quando Judam proditorem et similes ejus subverterit (*Joan.* XIII). Qui postquam comedit buccellam, intravit in illum Satanas. Duplicaturque et triplicatur gladius interfectorum, ut solvatur peccatum Jerusalem, quia suscepit de manu Domini duplicia peccata sua. Gaudet autem Dominus et exsultat, et hortator est gladii sævientis, ut vadat sive ad dexteram, sive ad sinistram, et quocumque eum faciei suæ tulerit appetitus, ut interfectis malis, remaneant boni, et impleatur illud quod scriptum **248** est : *Quid paleis ad frumentum? dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII, 32).

(Vers. 18 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, et* [Vulg. *ut*] *veniat gladius regis Babylonis. De terra una egredientur ambo* [Vulg. *ambæ*], *et manu capiet conjecturam : in capite viæ civitatis conjiciet. Viam pones, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Judam, et ad Jerusalem* [Vulg. *in Jerusalem*] *munitissimam. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas. Interrogavit idola, exta consuluit. Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, et sabbatorum otium imitans, ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod in memoriam revocastis iniquitates vestras* [Vulg. *recordati estis iniquitatis vestræ*], *et revelastis prævaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris ; pro eo, inquam, quod in memoriam revocastis* [Vulg. *recordati estis*], *manu capiemini.* Scio me in hoc loco juxta Septuaginta interpretes, cujusdam multiplicem legisse expositionem, Rabbath filiorum Ammon, referentis ad gentium populum : Judam vero et Jerusalem ad eos qui sub Christi nomine congregantur, et factis dent nominis dignitatem, regemque confusionis diabolum stare in omni viarum capite, et insidiari in occulto ; implerique illum versiculum : *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* (*Ps.* CXXXIX); et stare eum in bivio, vel eos qui sui sunt tenere cupientem, vel novum sibi acquirere servitium ; et ad dexteram semper pergere, ad eos scilicet qui in dextera parte sunt positi, ut expugnet eos, ut exsultet in cæde, ut arietibus et congestione operum terrenorum capiat miseram Jerusalem; et primo quidem, ut videatur ei nihil agere, et frustra conari. Illo vero recordante iniquitates eorum, qui in Ecclesia commorantur, immo malis operibus reducunt adversarias potestates in memoriam scelerum pristinorum, patefiunt omnia peccata populi et cogitationes eorum, et idcirco capiuntur, quia novis vetera delicta cumularunt. Hæc alius dixerit, nobis cœptæ historiæ veritas **249** persequenda est. Cum, inquit, dixisset mihi sermo divinus : Propheta, fili hominis, et loquere ad gladium et dic : Gladius, gladius, et cætera quæ prophetia gladii continentur ; secundo factus est ad me sermo Domini, dicens : Vis, fili hominis, scire quis iste sit gladius, et apertius personam discere gladii sævientis? Ausculta quæ dico : pone duas vias, ut per illas gladius veniat regis Babylonis, qui egredietur quidem uno itinere Chaldæorum, sed cum venerit per desertum et solitudinem ad bivium terræ Arabiæ, quæ appellatur filiorum Ammon, quarum una via Jerusalem ducit ad dexteram partem, sinistra vero ad Rabbath filiorum Ammon, quæ est civitas metropolis, et hodie Philadelphia nominatur : memor, inquit, internecionis quæ accidit regi Assyrio quando centum octoginta quinque millia, una nocte sunt cæsa, formidabit ad partem dexteram declinare, et ire contra munitissimam Jerusalem ; sed stabit in ipso compito, et ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, et commisceat eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντίαν, sive ῥαβδομαντίαν nominant. Interrogavit igitur idola ; exta consuluit. Ad dexteram facta est divinatio ejus, ut pergeret contra Jerusalem, et oppugnaret eam, aggeres comportaret, arietes poneret, ædificaret munitiones, urbemque concluderet, et in cæde aperiret os suum, et fremitum exsultantis et ululantis exercitus concitaret. Hoc, inquit, faciens, videbitur habitatoribus Jerusalem oraculum frustra consulere ; et quasi sabbatorum otium [a] terere, ludere videlicet, et nihil operis perpetrare. Rex autem Babylonis, non in sua fortitudine, sed in iniquitate populi confisurus est, qua eos scit offendisse Deum, et peccata patrum novis cumulasse [*Al.* cumulare] delictis, et prævaricationes eorum omnibus patuisse; et idcirco non dubitabit de victoria, quia confidet de iniquitate Jerusalem. Hæc juxta Hebraicum, a quo Septuaginta non tam sensu quam verbis in plerisque discordant.

(Vers. 25 seqq.) **250** *Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim : tolle coronam. Nonne hæc est quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam : et hoc non* [b] *fiet donec veniat* [Vulg. *veniret*] *cujus est judicium, et tradam ei.*

[a] Ita trium ope mss. Victor. rescripsit. Ante erat *tenere*, quam lectionem et Martianæus sequitur.

[b] Ex Vulgat. Edit. Victorius, *factum est*. In Hebr. Græcoque similiter, *non fuit*.

LXX : *Et tu, profane, inique dux Israel, cujus venit dies, in tempore iniquitatis finis. Hæc dicit Dominus Deus : Abstulisti cidarim, et posuisti coronam. Hæc non erit similis. Humiliasti excelsum, et sublevasti humilem. Iniquitatem, iniquitatem ponam eam : nec hæc talis erit, donec veniat cui debetur : et dabo ei.* Symmachus hunc locum ita interpretatus est : *Tu autem, profane, inique dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis constitutus : Hæc dicit Dominus Deus : Abstulit cidarim, et tulit coronam : neque hoc neque illud : humilem sublevabit, et sublimem humiliabit. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem faciam illud. Et hoc non fuit iste, cujus judicium est, quem daturus sum.* Post urbis Jerusalem subversionem et captivitatem populi, ad ducem Israel sermo dirigitur, quem nemini dubium est significari Sedeciam, in quo regum Israel de stirpe David imperium finitum est. Venit, inquit, tibi dies, quæ longo tempore præfinita est in te, et propter te sacerdotium et regnum interiit populi Judæorum. Cidaris enim insigne pontificis est : corona, hoc est, diadema, regis indicium. Nonne hæc est cidaris, et hæc corona quæ nihil fecit judicio; sed ad imitationem regis Babylonii, quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat? Propterea non semel, nec juxta Septuaginta bis, sed tertio iniquitatem ponam tibi in perpetuum, quæ non statim tibi reputata est, sed donec veniat Christus, cujus est judicium, et tradat ei Pater regnum et sacerdotium, vel Ecclesiam de gentibus congregatam : *Non enim judicat Pater quemquam; sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Et in alio loco : *Deus*, ait, *judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Ps.* LXXI, 1). Iste est cui repositum est imperium, et sacerdotium sempiternum, de quo loquebatur et Jacob : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de* **251** *femoribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). In eo loco ubi nos interpretati sumus : *Nonne hæc est*, pulchre transtulit Symmachus, *neque hoc, neque illud*. Quia enim dixerat : *Aufer cidarim, tolle coronam*, subjunxit, *neque hoc neque illud*, id est, regnum cessabit, et sacerdotium. Unde qui postea usque ad adventum Christi reges fuerunt pariter et sacerdotes, quorum unus Hyrcanus pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi et hoc et illud voluit vindicare, cum regnum ei non deberetur post Sedeciam, sed illi cui repositum erat, et qui fuit exspectatio gentium, de quibus loquitur et Malachias : *Vos, sacerdotes, qui contaminatis nomen meum* (*Mal.* I, 6). Et post paululum : *Non est voluntas mea in vobis, et victimas non suscipiam de manibus vestris. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ munda oblatio, sine sanguine hircorum, arietum, atque taurorum (*Ps.* XLIX), in Christi completur adventu, quando venit desideratus gentibus, et ortus est sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas (*Agg.* II).

(Vers. 28 seqq.) *Et tu, fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum. Et dices : Mucro, mucro, evagina te ad occidendum : lima te ut interficias et fulgeas. Cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia, ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. Revertere ad vaginam tuam, in locum in quo creatus es : in terra nativitatis tuæ judicabo te. Et effundam super te indignationem meam, in igne furoris mei sufflabo in te : daboque te in manibus hominum stultorum, et fabricantium corruptionem* [Vulg. *interitum*]. *Ignis eris cibus ; sanguis tuus erit in medio terræ : oblivioni traderis, quia ego Dominus locutus sum.* Gladium regis Babylonis stetisse in capite duarum viarum, in compito dexteræ et sinistræ, quarum altera ducebat Jerusalem; altera ad Rabbath filiorum Ammon, et exisse sortem, ut pergeret prius contra Jerusalem, supra legimus. Qua expugnata et capta, regnum quoque et sacerdotium ejus in æternum perisse prænuntiat. Residuum erat filiis Ammon, et ipse divisionis ordo poscebat, quid de sinistra via factum esset. **252** Unde imperatur prophetæ, ut loquatur ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, quod et ipsi capiendi sint, et ad eumdem gladium sermonem dirigit : O mucro, mucro, qui paratus es ad cædem, qui limatus, ut fulgeas et interficias : licet tibi idola responderint, et vanum sit omne quod a dæmonibus respondetur, ut videlicet vulneratorum cervicibus immineres, et per te compleretur quod multo Dominus tempore fuerat comminatus; tamen expleto opere tuo, quod egisti contra filios Ammon, revertere ad vaginam tuam, id est, in Babylonem, ad locum in quo factus es et creatus: ut in terra nativitatis tuæ judicem te, et effundam super te indignationem meam, et Medorum atque Persarum virtute capiaris. Quod plenius in Isaiæ volumine dicitur, in visione contra Babylonem : *Ecce ego suscitabo super eos Medos*. Et post paululum : *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham : non habitabitur usque in finem* (*Isa.* XIII, 17 *et seqq.*). Et quia semel sub persona gladii de rege, immo regno Babylonis loquebatur, servat μεταφοράν. *In igne*, inquit, *furoris mei sufflabo in te; ut faciam te igne consumi, et tradam te in manibus hominum stultorum et imperitorum, qui artem non habent cudendi gladios et acuendi ; ut nequaquam ultra acuaris, limeris, et fulgeas ad occidendum ; sed sis ignis cibus, sanguisque tuus, quem fudisti cunctis spectantibus, in te potius redundet; et tradaris æternæ oblivioni, et pereas in perpetuum, quia ego Dominus locutus sum, cujus dixisse, fecisse est.*

(Cap. XXII.—Vers. 1 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Et tu, fili hominis, nonne judicas* [Bis est in Vulg. *nonne judicas*] *civitatem sanguinum, et ostendis ei omnes abominationes suas? Et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Civitas effundens*

*sanguinem in medio sui, ut veniat tempus ejus, et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. In sanguine tuo qui a te effusus est, deliquisti, et in idolis tuis quæ fecisti, polluta es, et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum : propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris. Quæ juxta sunt, et quæ procul a te, triumphabunt de te* (sive *illudent tibi*), *sordida nobilis, grandis interitu. Ecce principes Israel, singuli in* **253** *brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem. Patrem et matrem contumeliis affecerunt in te* (sive *patri et matri maledixerunt*). *Advenam calumniati sunt in medio tui. Pupillum et viduam contristaverunt* (sive *oppresserunt*) *apud te : sanctuaria mea sprevistis* [Vulg. *sprevisti et polluisti*], *sabbata mea polluistis. Viri detractores* (sive *latrones*) *fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et super montes comederunt in te. Scelus* (sive ut significantius in Hebræo habet ZEMMA (זמה), hoc est, *incestum*) *operati sunt in medio tui. Verecundiora patris discooperuerunt in te, et immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te, et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie. Frater sororem suam, filiam patris sui, oppressit* (sive *humiliavit*) *in te. Munera acceperunt apud te, ad effundendum sanguinem. Usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniata es* (sive *et complebo consummationem malitiæ tuæ in oppressione tua*) *; meique oblita es, ait Dominus Deus. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam quam fecisti, et super sanguinem qui effusus est in medio tui. Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ in diebus quos ego faciam tibi? Ego Dominus locutus sum, et faciam. Et* [a] *disperdam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te, et possidebo te in conspectu gentium* (sive juxta Aquilæ primam editionem, et Theodotionem : *Et contaminabo te :* vel juxta Symmachum : *Et vulnerabo te in conspectu gentium*) *: et scies quia ego Dominus.* Et tu, ait, fili hominis (utar enim consueto ad te vocabulo), judica civitatem sanguinum, et ostende illi omnes abominationes suas, ut sciat se imminentem captivitatem merito sustinere, et in multis sanguinibus adduxisse tempus ruinæ suæ. Primum omnium scelerum, pro Deo idola venerata es; et adorasti opera manuum tuarum, et appropinquare fecisti tempus annorum tuorum, quod multo tempore dicebatur, et differebatur, ut ageres pœnitentiam. Tu autem secundum impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ (*Rom.* II). Idcirco dedi te opprobrium gentibus, et illusionem universis terris, quæ in circuitu tuo sunt, **254** tam juxta, quam procul : quæ triumphabunt de te, sive illudent tibi. Sordida, nobilis, grandis interitu. Sordida, quia munda esse desisti. Nobilis in malo, quæ quondam in bono cunctas urbes nobilitate superabas. Grandis interitu : ut quanto sublimior eras, tanto fortius

[a] Victorius ait, *dispergam*, est vera lectio : non *disperdam* ; sicque ex vi Hebraici verbi replicat in subnexa expositione Hieron. In Græco autem διασκορπιῶ σε.

A rueres. Et interim, ut cætera prætermittam, pauca numerabo quæ in te fuerint. Principes tui non justitia, sed roboris et brachii fortitudine judicantes, fuderunt in te innoxium sanguinem. Alii patrem et matrem contumeliis affecerunt, sive maledixerunt parentibus, Scriptura dicente : *Qui maledixerit patri et matri, morte moriatur* (*Exod.* XXI, 17). Advenam et peregrinum oppresserunt in medio tui : quasi non illis sufficeret pro omni angustia peregrinatio et exsilium patriæ. Pupillum et viduam contristaverunt, sive oppresserunt apud te : ut quorum omne prædium est in legum justitia, non solum contristarentur, sed opprimerentur a te. Sanctuaria mea, sive sancta contempsistis, et sabbata mea polluistis : ut non discerneretis inter sanctum et pollutum, inter B decretum religioni diem, otiumque sabbati ad culturam Dei, et cæteros dies, quibus operari et servire carnis necessitatibus lege permissum est. Viri *detractores*, sive juxta Symmachum et Theodotionem, *dolosi*, quod in Hebræo dicitur RACHIL (רכיל), et homicidæ erant in te, ut blasphemarent Deum, sive cuncta dolo agerent, aut violentia. Et comederunt in montibus alta sapientes, et elevati contra Deum superbia, scelus, sive incestum, operati sunt in medio tui : ut quod in angulis quoque et secreto raro fit, quando a malis conscientiæ hominum devitantur, hoc tu in propatulo feceris. Quid sit autem incestus, sequens sermo significat : Verecundiora patris nudaverunt in te, novercæ contra fas et licitum copulati, et immunditiam menstruatæ humiliaverunt in C te, non parcentes naturæ, nec inducias dantes turpitudini, et ad uxorem proximi sui adhinnientes. Quodque hoc sceleratius est, socer exarsit in nurum, et frater sororis jura nescivit : ut non uterinam, sed de eodem patre violaret sororem. Acceperunt munera ; ut innocentem **255** sanguinem funderent. Necessitatem pauperum verterunt in lucrum, ut usuram acciperent, et superabundantiam ; et propter avaritiam amicos calumniati sunt. Hoc autem, inquit, fecisti, o Jerusalem, quia mei oblita es. Memoria enim Dei excludit cuncta flagitia. Unde habitum Domini irascentis assumpsi, et complosi manus meas contra avaritiam tuam, et contra sanguinem qui effusus est in medio tui; ut intelligas, et mente cognoscas, utrum vel animo, vel manibus possis D meam iracundiam sustinere. Ego enim Dominus locutus sum, et ego faciam : et postquam capta fueris, Jerusalem, dispergam te in nationes, et ventilem in aerem, quasi inutiles paleas huc illucque rapiendas : tantæque clementiæ sum, ut sævitia mea vertatur in misericordiam. Omnia enim faciam, ut deficiat immunditia tua a te, et recipias pristinam puritatem. Quam cum receperis, possidebo te in conspectu omnium gentium : ut cum a me possessa fueris, tunc intelligas quod ipse sim Dominus. Sin autem interpretationem Symmachi et Theodotionis sequimur, quorum alter ait : *Et vulnerabo te*, sive

*confodiam* : alter : *Contaminabo te in conspectu gentium*, ad malam partem cuncta referenda sunt : quamquam illud huic sensui contrarium sit, quod supra dicitur : *Et deficere faciam immunditiam tuam a te.* Defectio enim immunditiæ, restitutio puritatis est. Utramque editionem pariter disserui, ut librorum magnitudinem declinarem.

(Vers. 17 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam. Omnes isti, æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis : scoria argenti facti sunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Eo quod versi estis omnes in scoriam : idcirco ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem congregatione argenti, et æris, et ferri, et stanni, et plumbi in medium fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum. Sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam, et conflabo vos,* [a] *et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus ut conflatur argentum in medio fornacis : sic eritis in medio ejus, et scietis quia* **256** *ego Dominus* [Vulg. addit *cum*] *effuderim indignationem meam super vos.* Verbum Hebraicum SIG (סיג), [b] Symmachus *scoriam*, Aquilæ prima editio στέμφυλον et γίγαρτον, quod utrumque *acinum* vinacii significat, interpretati sunt. Secunda autem ejus translatio, et Septuaginta vertere, *commixtionem*. Porro scoria, sordes et purgamenta metallorum sonat ; ut consequenter captivitate vicina, immo jam imminente urbis excidio, ignis adhibeatur : ut sub translatione conflationis, purum argentum remaneat, quod ære, stanno, ferro, plumboque mixtum fuerat atque violatum : quorum tria, æs, stannum, et plumbum, fusilis materiæ sunt, et igni solvuntur. Ferrum vero inter incudem et malleum mollescit atque tenuatur, et diversas accipit formas, prout voluntas artificis fuerit. Sicut igitur argentum quod supradicta metalla violarunt, in fornacem mittitur, ut ablatis sordibus, et adulterinis materiis, purum remaneat : ita, inquit, congregabo vos in medium Jerusalem, et Babylonia obsidione circumdabo, ut succendam in vobis ignem ad conflandum. Quodque ibi facit flammarum ardor immensus, hic fames et pestilentia faciet : ut postquam congregavero vos, atque succendero in igne furoris, tunc requiescam, et contemptus dolorem, pœnarum vestrarum ultione compescam. Et hoc totum faciam, ut postquam effudero indignationem meam super vos, finis vestri cruciatus, mei notitia sit : et sciatis quod ego sim Dominus judex omnium et retributor. Quod autem dicatur esse conflator, et in multis quidem aliis locis, sed maxime in Malachia, et Isaia legimus, quorum alter : *Ecce*, inquit, *Dominus egreditur quasi ignis conflatorii et sicut herba lavantium, et sedebit conflans* [c] *quasi aurum et argentum, et conflabit filios Levi* (*Mal.* III, 1, 3). Alter : *Et lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu judicii, et spiritu combustionis* (*Isa.* IV, 4). Et puto illud sonare, quod in Psalmis dicitur : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Ps.* XXV, 2). Post quod infertur : *Ure renes meos et cor meum :* ut universa lumborum noxii in me humoris pituita scelera sua, et velamen quod positum **257** est siccetur. Quod de Jerusalem intelleximus, intelligamus de animarum statu, quæ puræ a Deo conditæ sunt : aurumque in sensu atque sapientia, et argentum in sermone atque eloquio susceperunt, ut quod mente conceperint, verbis explicent. De argento legimus : *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Ps.* XI, 5). De auro similiter et argento, sexagesimus septimus continet psalmus, in quo scriptum est : *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora*, sive *interiora dorsi ejus in virore,* aut *pallore auri* (*Psal.* LXXVII, 14). *Omnis enim gloria filiæ regis intrinsecus* (*Psal.* XLIV, 14), quæ loquitur in Cantico Canticorum : *Introduxit me rex in cubiculum suum* (*Cant.* I, 3). Qui inter duo dormierit et requieverit Testamenta, statim assumit pennas columbæ deargentatas, auriqùe in cordis thesauro fulgore irradiabit. Ad hunc sensum reor et illa esse referenda, quod peccatoribus et qui meruerunt offensam Dei, cœlum æneum, terra sit ferrea, et maxime terra Ægypti, de qua educit Dominus Israel, quasi de fornace ferrea. In Zacharia quoque iniquitas sedet super talentum plumbi (*Zach.* V). Et in Exodi cantico dicitur : *Demersi sunt quasi plumbum in aqua violentissima* (*Exod.* XV, 10). Gravi enim peccatorum pondere premebantur, et loqui poterant : *Quasi onus grave gravatæ sunt super me* (*Ps.* XXXVII, 6). Quomodo autem auri speciem adulterina æris similitudo mentitur, sic argenti candorem stannum simulat, quod simplex et rusticus non facile dignoscit. Et sæpe accidit, ut aurum et argentum hæretica pravitate commixtum, igne Spiritus sancti et Domini judicio separetur, et purum aurum remaneat et argentum, de quo propheta dicit : *Dedi eis argentum et aurum ; ipsi autem fecerunt ex eis Baal* (*Osee* II, 8). Cui simile est : *Eduxi eos in argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus* (*Psal.* CIV, 37) : finisque pœnarum omnium sit, nosse quod ipse sit Dominus. Lapidem stanneum, sive massam stanneam, et in Zacharia legimus (*Zach.* IV) : quæ quid significet, suo loco interpretati sumus.

(Vers. 23 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, dic ei : Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens rapiensque prædam : animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in* **258** *medio illius. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt*

[a] Victor. interserit, *et congregabo vos*, ex Vulgata, Hebraico, Græcoque textibus.

[b] Atque ita סיג, *Sig*, reponi debere, monet Massorethica nota in hodiernis Hebræis exemplaribus, in quibus est כוג.

[c] Supplet Victor. ex Græco textu, *conflans et emundans quasi argentum et aurum, et emundabit filios Levi.*

*sanctuaria mea. Inter sanctum et profanum non habuere distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt, et a sabbatis meis averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio eorum. Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et perdendas animas, et avare ad sectanda lucra. Prophetæ autem ejus linebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus. Populum terræ calumniabantur calumnia* [Vulg. *Populi*, et *calumniam*], *et rapiebant violenter: egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque judicio. Et quæsivi de eis virum, qui interponeret maceriam, et staret oppositum contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.* Poterat diligens auditor inquirere, quæ esset scoria quæ argenti violaverit puritatem, et ære, plumbo, stanno, ferroque miscuerit. Quod ibi igitur sub persona urbis, et fornacis expressum est, et huic sub specie terræ, quæ non sit rigata, nec pluviam susceperit, prædicatur. Pluvias illas debemus intelligere, de quibus scriptum est: *Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem* (*Isa.* v, 6): quem exspectamus, quando datur nobis pluvia temporanea et serotina, de qua scriptum est: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ* (*Ps.* LXVII, 10). Dies autem furoris est, quem sibi unusquisque conciliat multitudine peccatorum. Scire cupimus quæ sit urbis scoria, qui terræ durissimæ et plenæ veprium sentiumque squalor. Conjuratio, inquit, Prophetarum, sive juxta LXX, *ducum* in medio ejus habentium similitudinem leonis, de quo scribit et Petrus: *Adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens circuit* (I *Petr.* v, 8). Qui leo omnesque ejus socii non quærunt corpora devorare, sed animas, accipiuntque mercedes, et pecunia cuncta dijudicant. Quod in illo quidem tempore accidisse populo Judæorum, nulli dubium est. Propter sacerdotes enim et principes et prophetas adduxit Dominus super eos malum. Sed in nostra Jerusalem hoc sæpe conspicimus: qui juxta Septuaginta devorant animas in potentia, et **259** pretium accipiunt, ut multas viduas faciant, quæ sponsum Dominum perdiderunt. Horum autem prophetarum factio est, et conjuratio, ut invicem sui fautores sint, et omnia turpis lucri gratia faciant. Sacerdotes qui præsules templi esse deberent, et ex quorum ore notitia Legis inquiritur, violant sanctuaria, nullamque inter sanctum et profanum, nisi pecuniæ habent distantiam. Avertunt oculos a sabbatis, et Dei requiem quæ in notitia Scripturarum est, non recogitant; nec dicunt cum propheta: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII, 18). Neque illud Apostoli: *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplamur* (I *Cor.* III, 12). Inter tales A prophetas et sacerdotes medius Dominus inquinatur, de quo scriptum est: *Medius autem inter vos stat quem vos ignoratis* (*Joan.* I, 26). Prophetæ igitur, sive duces, leonibus comparantur. Principes autem quos inferioris gradus homines intelligimus, luporum imitantur rapinam, ut effundant sanguinem non corporum, sed animarum, et avare sectantur lucra, nequaquam illo contenti: *Qui serviunt altari, vivant de altario* (I *Cor.* IX, 13): sed postquam ad ministerium Dei accesserint, Crœsi divitias congregant. Prophetæ quoque illi qui ventura prænuntiant, liniebant eos absque temperamento, de quo et supra diximus, vaticinantium prophetarum, qui absque commixtione palearum linierunt parietem, qui imbribus dissipatur. Istiusmodi vident vana, et non tam prophetant, B quam divinant mendacium, dicentes terræ miserabili: Hæc dicit Dominus, Dominus ista promittit: cum Dominus non sit locutus ad eos. Populus autem terræ nequaquam Dei, sed terrenorum operum, principum ac sacerdotum æmulator existens, per calumniam et potentiam cuncta faciebat: non divites, sed pauperes opprimens, de quibus scriptum est: *Pauper autem non sustinet comminationem.* Et: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ* (*Prov.* XIII, 8). Advenam quoque et peregrinum, qui necdum civis Ecclesiæ fuerat effectus, sed tantum auditor, et habens initia fidei, opprimebant calumnia: ut postquam circuissent mare et aridam, [a] facerent unum proselytum, et facerent eum filium gehennæ. **260** Inter tanta autem vitia et scelerum multitudinem, C quæsivi de eis virum qui iræ meæ posset resistere, et instar Moysi, et Aaron, et Samuelis, igni meo et incendio se opponeret; et non potui reperire. Unde loquebatur ad Moysen: *Dimitte me, et delebo populum istum* (*Exod.* XXXII, 10). Et quia resistentem mihi, retinentemque me, non potui reperire: propterea totam super eos effudi indignationem meam, et consumpsi illos, non absque mensura atque judicio, sed ut redderem vias eorum in capita illorum, vel propria peccata quæ fecerant, auctoribus tribuens, vel certe in capita populi ducis, principis, ac prophetarum, quorum nullus fuit qui irascenti Domino auderet resistere, et quorum causa terra squalida atque deserta imbrem Domini suscipere non meruit.

(Cap. XXIII. — Vers. 1 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt. Ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum* (sive, ut in LXX continetur, *Ibi ceciderunt ubera earum, et ibi devirginatæ sunt*). *Nomina earum, Oolla major* (sive *senior*), *et Ooliba soror ejus. Et habui eas* (sive *factæ sunt mihi*), *et pepererunt filios et filias. Et nomina earum, Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. Fornicata est igitur Oolla super me, et insanivit* (sive *abiit*) *ad amatores suos in Assyrios, qui*

[a] Duo mss. *ut facerent unum proselytum, facerent eum*, etc.

*appropinquabant* [Vulg. *appropinquantes*] *ei, vestitos hyacinthinis* [Vulg. *hyacintho*], *principes et magistratus, juvenes cupidinis* (sive *electos*) *universos equites ascensores equorum. Et dedit fornicationes suas super eos electos filios Assyriorum universos, et in omnibus super quos insanivit in immunditiis* (sive *adinventionibus*) *eorum polluta est. Insuper et fornicationes suas quas habuerat in Ægypto, non reliquit. Nam et illi dormierant cum ea in adolescentia ejus, et illi confregerant ubera pubertatis ejus* (sive *et ipsi devirginaverant eam*): *et effuderunt fornicationem suam super eam. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidinem. Ipsi discooperuerunt ignominiam ejus: filios et filias illius tulerunt; et ipsam occiderunt gladio. Et factæ sunt famosæ mulieres* (sive *facta est in sermone mulierum*); *et judicia* (sive *ultiones*) **261** *fecerunt in ea.* Duodecim tribus Israel quæ fuerunt junctæ in Ægypto, postea esse divisas in duas et decem tribus, appellatasque Judam et Israel, Regum et Paralipomenon Scriptura testatur. Judæ regnavit de stirpe David, Roboam filius Salomonis in Jerusalem, ubi erat templum et sacerdotes, et magna pars tribus Levi. Decem autem tribubus in Samaria Jeroboam filius Nabat de [*Al.* Nabadi] tribu Ephraim et Joseph; quarum Samaria nunc appellatur *Oolla*, quod in lingua nostra sonat *tabernaculum*: Jerusalem vero *Ooliba*, hoc est, *tabernaculum meum in ea.* Siquidem et in decem tribubus erat tabernaculum non Dei, sed idolorum. Aureos enim Jeroboam, ut populum averteret a cultu Dei, vitulos collocarat in Dan et Bethel. Dicamus ergo de singulis. Duæ istæ mulieres, Samaria et Jerusalem, filiæ fuerunt matris unius de Israel stirpe generatæ, et fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua. Neque enim accepissent Legem eductæ de Ægypto in monte Sina, prohibentem eas venerari idola, nisi in Ægypto fuissent Ægyptia portenta veneratæ. Potest autem mater ambarum esse Chethæa, de qua supra legimus: *Pater vester Amorrhæus, et mater vestra Chethæa* (*Supra* XVI, 3). Sed et quando dicitur: *Unusquisque abominationes Ægypti auferat ab oculis suis*, hoc significat, quod in Ægypto Israel idolis servierit, et ibi ceciderint, sive fracta sint ubera virginitatis ejus; majorque Samaria dicitur et senior, vel propter multitudinem decem tribuum, vel quia post mortem Moysi de Ephraim tribu, Jesus filius Nave populo præfuit: unde et Jeroboam, qui scidit eas, a domo David fuisse legimus (III *Reg.* XII). Et habuit eas Deus, sive factæ sunt ejus, quando ingemuerunt ab operibus Ægypti, luto prius et lateri servientes. Quæ postea illi filios et filias, vel in solitudine, vel in repromissionis terra genuerunt. Primumque fornicata est Oolla, id est, Samaria, super Deum, quando insanivit in Assyrios, qui vestiti ejus hyacinthinis, et non quoslibet de populo, sed duces et magistratus, nec ætate confectos, sed juvenes omnes, equites electos, quorum secuta est idola, et a quibus contra jussionem Dei postulavit auxilium. Qui venerunt et polluerunt eam, ut quidquid in adolescentia fecerat in Ægypto, **262** non relinqueret. Nam et Ægyptii concubuerant cum ea in adolescentia ejus, quorum simulacra venerata est; ibique devirginata, et confracta sunt ubera illius: et tanta fuit fornicationis abundantia, ut non fornicati cum ea, sed fornicationem suam super illam effudisse dicantur. Propterea tradita est ipsis amatoribus suis, Phul et Theglathphalassar, et Salmanasar, in quorum insanivit libidinem, et ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, τροπολογικῶς, quasi mulieris meretricis (IV *Reg.* XVII *et* XVIII, I *Parat.* V). Revelatio autem urbis, captivitas est, qui filios et filias earum duxere captivas, et ipsam gladio trucidarunt, ita ut in omnium mulierum exemplum jugulata sit; et in malam partem cunctarum sermone celebretur. Qui judicia et ultiones fecerunt in ea, ut nihil in illa salutis relinquerent; sed usque hodie decem tribus captivæ teneantur in montibus et in urbibus Medorum, ad quas translatæ sunt. Juxta anagogen in Osee propheta quid significet Joseph, Ephraim, Samaria, Jezrael, et Israel, et quomodo contrariæ sint domui David, et Jerusalem, quæ significat Ecclesiam, plenius disseruimus. De quibus et septuagesimus septimus psalmus sonat: *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt retrorsum in die belli* (*Psal.* LXXVII, 9). Et iterum: *Repulit tabernaculum Joseph, et elegit tribum Juda* (*Ibid.*, 67). Elegit enim Deus domum confessionis Ecclesiam, et repulit tabernaculum *Joseph*, quod interpretatur *augmentum.* Qui, prætermissa Lege Dei, aureos culturæ suæ vitulos addiderunt: et appellantur Oolla, id est, *tabernaculum*, non Dei, sed erroris et dæmonum. Et soror major ac senior, propter multitudinem et captivitatem ab Assyriis fornicata est contra Deum, quia dereliquit fidei veritatem, et insanivit in hæreticorum principes amatores suos, qui vestiti erant hyacinthinis, excelsa illi et cœlestia promittentes; et ascensores, de quibus dictum est: *Hi in curribus, et in equis* (*Ps.* XIX, 8), electos filios Assyriorum et duces ac magistratus, qui scientiam sibi et eloquentiam repromittunt. Hoc autem propterea fecit, quod easdem fornicationes quas habuerat in Ægypto, id est, antequam crederet, et adhuc in sæculo versabatur, etiam in hæresi exercuit. Et devirginata est [*Al.* devirginatæ sunt] a viris Assyriis qui in malitia perseverant, **263** sive ultoribus. Adversarius enim noster diabolus, ipse est inimicus et ultor (I *Petr.* V). Illi confregerunt ubera Samariæ; et virginitatem ejus quam habuerat in Ecclesia, perdiderunt. Propterea tradita est amatoribus suis, juxta Apostolum qui scribit: *Tradidi eos Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Et: *Tradidi eos in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat* (I *Cor.* V, 5). Illi discooperuerunt ignominiam miseræ Samariæ, et omnem illius ostenderunt turpitudinem, filiosque et filias, qui de illa generati sunt, scientia præditos, et simplices atque imperitos duxere captivos, et ipsam

interfecerunt gladio spiritali : totiusque mundi in malam partem sermone celebrantur, et fiunt famosæ inter cuncta sæculi dogmata, ut in exemplum omnium feminarum turpitudo illius puniatur.

(Vers. 11 seqq.) *Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plusquam illa insanivit libidine : et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter : ducibus ac magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia* (sive *pretiosa*); *equitibus, qui vectabantur equis, et adolescentibus, forma cunctis egregia. Et vidi quod polluta esset via una ambarum, et auxit fornicationes suas. Cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, et accinctos baltheis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum : forma* [Vulg. *formam* et *similitudinem*] *ducum omnium* (sive *tristatarum omnium*) *similitudine filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum in qua orti sunt : et insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuntios ad eos in Chaldæam. Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum* (sive *divertentium*), *polluerunt eam stupris suis, et polluta est in eis, et saturata est* (sive *recessit*) *anima ejus ab illis. Denudavitque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam : et recessit anima mea ab ea, sicut recessit anima mea a sorore ejus. Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dierum adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti. Et insanivit libidine super concubitu eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum : et sicut fluxus equorum, fluxus eorum* (sive *verenda equorum, verenda eorum*). *Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ : quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, et confractæ sunt* **264** *mammæ pubertatis tuæ.* Juxta litteram facilis interpretatio est, quod videns Ooliba, id est, Jerusalem, in qua erat Dei tabernaculum, plagas sororis, non est exemplo commonita, ut retraheret ab errore pedem suum; sed auxit germanæ fornicationem. Illa enim semel et foris idola fabricata est in Dan et Bethel : ista autem crebro in excelsis, et in templo Dei adoravit statuam Baal, et cum Assyriis fornicata est. Idolum autem Baal, sive Bel, et (ut apertius dicam) Belis, Assyriorum religio est, consecrata a Nino Belis filio in honorem patris. Et fornicationem suam Assyriis præbuit impudenter, ducibus et magistratibus, qui induti erant veste varia, et multicolori, equitibus et adolescentibus forma cunctis egregia : ita ut ambarum sororum una fieret fornicatio. In eo autem auxit Jerusalem fornicationes suas, quod videns in parietibus imagines Chaldæorum, insanivit libidine, et forma eorum vestituque decepta, misit ad eos nuntios, auxilium postulans : qui venerunt, et polluerunt eam. Et quia voluptas non est perpetua, sed cito affert satietatem : polluta et saturata in eos, recessit ab eorum fœdere. Unde et ego cernens turpitudines et fornicationes omnibus publicatas, recessi ab ea, ut quæ sororis scelera vicerat, pœnarum quoque sororem magnitudine superaret. Quæ tantæ procacitatis fuit, ut cunctos errores adolescentiæ suæ in graviori jam ætate committeret : et Ægyptia vitia, in Chaldæorum quoque libidine sectaretur. Insanivit enim quondam in concubitu Ægyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem asinorum, et tam largus seminum fluxus, sive verenda tam grandia, ut equorum superent deformitatem. Nec cessavit scelus adolescentiæ ejus : immo reversa est postquam facta est mihi, ut et in eremo et in terra repromissionis [a] superaret antiquam libidinem, in qua devirginata est, et fracta sunt ubera ejus, et omnis decor periit virginitatis. Porro secundum tropologiam, difficilis intelligentia, quomodo Ecclesia hæreticam vincat libidinem, nisi forte possimus hoc dicere, quod servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (*Luc.* XII, 47) : et quod hæretici **265** foris nefanda committant, et extra arcam Noe naufragio pereant : Ecclesiastici autem si veram fidem sequentes, Assyria atque Chaldæa imitentur vitia, et discolores sequantur imagines peccatorum, majoribus digni sint cruciatibus. An non mittimus nuntios ad Chaldæos, qui interpretantur *quasi dæmones*, quando pandimus eis, atque præbemus eis frangenda in pectore ubera, ubi mentis hospitium est, et saturati voluptatibus, ab aliis transimus ad alias ; et non tam fornicationem, quam meretricum numerum desideramus, et ad tantam venimus rabiem, ut post multa tempora Dominicæ servitutis revertamur ad Ægyptum, et ea faciamus, quæ in sæculo fecimus, antequam nomen fidei acciperemus?

(Vers. 22 seqq.) *Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, et congregabo eos adversum te in circuitu : Filios Babylonis, et universos Chaldæos, nobiles, tyrannosque et principes, omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, duces et magistratus, universos principes principum, et nominatos ascensores equorum. Et venient super te instructi curru et rota multitudo populorum : lorica et clypeo et galea armabuntur contra te undique. Et dabo* [b] *eis judicium, et judicabunt te judiciis suis, et ponam zelum meum in te, quem excercent tecum in furore. Nasum tuum et aures tuas præcident, et quæ remanserint, gladio concident. Ipsi filios tuos et filias tuas capient et novissimum tuum devorabitur igni, et denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ. Et requiescere* [c] *facient scelus tuum de te, et fornicationem tuum de terra Ægypti : nec levabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius.* LXX : *Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego suscitabo amatores tuos contra te, a quibus recessit anima tua, et adducam eos adversum te per circuitum filios Babylonis, et omnes Chaldæos φαχοὺθ*

[a] Penes Rabanum, *suspiraret*, pro *superare*.
[b] Maluit Victor., *coram eis*, quemadmodum est in Hebræo, Græco, et Vulgata.
[c] Denuo Victor., *faciam*, ex Hebræo והשבתי, Latinaque Hieronymi editione fecit.

*et σὺ et χοὺθ, et omnes filios Assyriorum cum eis, juvenes, electos, duces, et magistratus, omnes tristatas, et nominatos equitantes in equis. Cuncti venient super te ab Aquilone, currus et rotæ,* **266** *cum multitudine populorum, clypei et peltæ, et mittent custodiam super te in circuitu. Et dabo ante faciem eorum judicium, et judicabunt te judiciis suis, et dabo zelum meum in te, et facient tecum in ira furoris. Nasum tuum et aures tuas auferent, et reliquos tuos gladio dejicient. Ipsi filios tuos et filias tuas tollent, et residuos tuos devorabit ignis, et denudabunt te vestimento tuo, et assument vasa gloriationis tuæ, et avertent impietates tuas a te, et fornicationem tuam de terra Ægypti, et non elevabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius.* Quia Ægyptiarum carnium recordata es, et imitata turpitudinem gentis immundæ, quæ omnium bestiarum simulacra veneratur : propterea adducam contra te amatores tuos, quorum satiata complexu, recessisti ab eorum fœdere : ut quantus prius amor fuerat, in tanta odia vertereris. Filios, inquam, Babylonis, omnesque Chaldæos, nobiles, tyrannos et principes; pro quibus in Hebraico habetur, PHACUD (פקוד) et SUE (שוע) et CUE (קוע), quas multi gentes Orientales intelligunt, cum hujuscemodi nomina, nec in Regum volumine, nec in Paralipomenon, neque in Jeremia quidem, qui describunt captivitatem Jerusalem, aut in aliquo loco Scripturæ sanctæ inveniamus. Nec mirum, si Septuaginta ipsa Hebraica posuerunt nomina, cum Symmachus quoque et Theodotio in eadem verba consentiant. Omnes, inquit, Assyrios, equites, et juvenes, forma egregia, duces et magistratus, sive *tristatas*, quos nos *principes principum* interpretati sumus. De quibus et in Exodo legimus (*Exod.* xv, 4). *Electos ascensores tristatas* (τριστάτας), pro quibus Latina simplicitas, *ternos* [a] *statores* transtulit. Tristatæ autem nomen est apud Græcos, secundi gradus post regiam dignitatem. De quibus scriptum est: *Verumtamen ad tres primos non pervenit, qui principes equitum peditumque erant et tributorum* [Al. *tribunorum*] (I *Par.* xii, II *Reg.* xxiii) : quos nos magistratus utriusque militiæ, et præfectos annonarii tituli nominamus. Omnes, inquit, in curribus et in equis, lorica armati, galea et clypeo, obsederunt te per circuitum, et dabo eis **267** judicium, ut quos reliqueras, et quorum irritum feceras pactum, ab his judiceris : et judicabunt te judiciis suis quasi adulteram. *Et ponam*, inquit, *zelum meum in te, quem exercent tecum in furore.* Zelus enim meus est inter hostes, fidei etiam non servatæ. Nasum, inquit, tuum et aures tuas præcident, quasi adulteræ et deprehensæ in stupro : ut deformata placere desistas. Quomodo enim in facie omnis pulchritudo oris in narium decore consistit, et in auribus, e quibus in feminis uniones et margaritæ dependent : ita dignitas regis et judicum, quæ in ore auribusque signatur, eorum gladio præcidetur. Ipsi filios tuos et filias tuas capient. Tuos, inquit, et tuas, non meos et meas, quia de adulterio generati sunt, et cætera vorabuntur incendio. Et denudabunt, inquit, te vestimentis tuis, quibus te ornaveram, et vasis gloriæ tuæ, quæ tibi ad cæremonias templi aurea argenteaque concesseram, de quibus scriptum est : *Ego dedi eis aurum et argentum, et ipsi fecerunt ea Baal* (*Osee* II, 8). Hæc autem omnia faciam, ut perdita pulchritudine et vultu venefico [*Al.* veneficio] deturpato, quiescat aliquando scelus tuum, et fornicatio quam didicisti et exercuisti in Ægypto : ut postquam nasum aures que perdideris, nequaquam audeas oculos tuos levare ad Chaldæos, et amatoribus pristinis ostendere fœditatem tuam : nec recorderis amplius Ægyptiorum libidinis, quorum magnitudine carnium delectabaris. Quæ universa dicuntur sub translatione adulteræ, et propter adulterium deturpatæ : ut nequaquam ultra glorietur in decore suo; sed erubescat in fœditate, quam magnitudine meruit voluptatum. Quidquid de Jerusalem τροπικῶς dicitur, et ad animam referri potest, quæ virtutibus, Dei juncta complexui, postea adulteravit in vitia, et recessit ab eo, et patefactis universis sceleribus ejus, denudata est atque turpata et ostensa omnibus, ut a scelere suo aliquanto desistat : nec glorietur in nominis dignitate, sed pro mali conscientia et recordatione Ægypti, oculos ultra ad cœlum non audeat tollere. Unde et nasus ei præciditur, et aures amputantur, quia odorem **268** bonæ fragrantiæ verterat in fetorem, et audierat judicium sanguinis, quod non solum de odore et auditu, sed de visu quoque intelligimus, quo, quia male fuerant abusi, Samson et Sedecias privantur. *Surdum quoque Deus et mutum fecit* (*Exod.* iv, 11) : ne lingua eorum pertranseat usque ad terram, et tactus omnis auferetur in his qui vitam penitus perdiderunt. Et hæc fient, ut igni cuncta purgentur, et pereat Ægypti fornicatio : nec ultra oculos suos ad mala possit attollere.

(Vers. 28 seqq.) *Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti : in manus de quibus satiata est anima tua. Et agent tecum in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominia plenam,* [b] *et revelabitur ignominia fornicationum tuarum. Scelus tuum, et fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi : quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum. In via sororis tuæ ambulasti : et dabo calicem ejus in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus : Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum. Eris in derisum et in subsannationem quæ est capacissima : ebrietate et dolore repleberis, et calice mœroris et tristitiæ, calice sororis*

[a] Mendose etiam post Victorii emendationem Martianæus retinuit *stratores*, quod non secundi post regiam dignitatem gradus, sed infimi potius officii est nomen, ab equo insternendo derivatum. *Statores* vero nostri quoque præferunt mss.

[b] Hanc alteram hujus versiculi partem, *et revelabitur ignominia fornicationum tuarum*, quæ deerat, suffecimus ex mss. et Rabano. Victorius quoque antea suppleverat more suo ex Hebræo, Latinaque versione, et Græco.

*tuæ Samariæ. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis, et ubera tua lacerabis* (sive ut LXX transtulerunt : *festivitates et neomenias ejus auferam*) ; *quia ego locutus sum, ait Dominus* [Vulg. addit *Deus*]. *Propterea hæc dicit Dominus Deus. Quia oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum: tu quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas.* Prodest Jerusalem inimicitias habere contra Assyrios atque Chaldæos, et nequaquam Ægypti recordari; sed tradi eis in manus ad puniendum, qui illam oderant: quibus ante non traditur, nisi satiata fuerit de eis anima ejus, ut postquam pœnituerit veterum peccatorum, tunc purgetur suppliciis, et perdat omnes labores quos arte meretricia conquisivit: videatque nuditatem suam et ignominiam ; et sciat quod hæc universa non ei Dominus fecerit, sed fornicationes suæ, quibus fornicata est per gentes quas supra enumeravit, ut earum coleret simulacra. In viis, ait, sororis tuæ Samariæ ambulasti: propterea debes calicem illius bibere, **269** cujus peccata sectata es. Calix autem, quod sæpe accipitur pro pœnis atque suppliciis, multa exempla sunt, e quibus illud est: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ* (*Psal.* LXXIV, 9, 10). Et in Isaia Calix ruinæ, et poculum furoris dicitur (*Isa.* LI, 17). Et ad Jeremiam loquitur Deus : *Accipe calicem vini meri de manu mea, et potabis omnes gentes, ad quas ego mittam te, et bibent, et voment, et insanient* (*Jerem.* XXV, 15). Sicut enim quædam dantur cathartica, ut noxius humor qui inest corporibus egeratur: sic et Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, ut quidquid fellis amaritudinisque est, auferat a peccatoribus, et pristinæ eos restituat sanitati. Et ipse calix erit profundus et latus. Profundus, pœnarum magnitudine: latus tempore captivitatis. Quando autem, ait, inebriata fueris et dolore comprehensa, et biberis calicem usque ad fæces, et intantum hauseris, ut fragmenta quoque ipsius calicis devores : tunc tædebit te fornicationis pristinæ, et lacerabis ubera quæ fracta fuerant in Ægypto, et quæ amatoribus tuis subacta atque collisa sunt: sive omnes festivitates, et neomenias tuas auferam, ut pro solemnitate atque lætitia, æternum planctum habeas et mœrorem. Quia igitur ista fecisti, et oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum, sive retrorsum. propter corporis vitia, vel post genitalia, quibus turpitudinis fœditas indicatur : propterea porta scelus et impietatem tuam, videlicet supplicia quæ propter impietatem et scelera meruisti. Potest hoc quod dicitur : *Et potabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis*, significanter intelligi super Jerusalem, quæ calicem Samariæ sororis suæ bibit novissima, et quasi fæces tormentorum ejus usque ad fundum epotavit.

(Vers. 36, 37 seq.) *Et ait Dominus ad me dicens : Fili hominis, numquid judicas Oollam et Oolibam, et annuntias eis scelera* (vel *iniquitates*) *earum : quia adulteræ* [Vulg. *adulteratæ*] *sunt, et sanguis in manibus earum, et cum idolis* **270** (sive *adinventionibus*) *suis fornicatæ sunt : insuper et filios suos quos genuerant mihi, obtulerunt eis ad devorandum* (sive *transduxerunt*) *per ignem. Sed et hoc fecerunt mihi, polluerunt sanctuarium meum in die illa : et sabbata mea profanaverunt. Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa, ut polluerunt illud, etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant. Itaque ecce venerunt, quibus te lavisti* (sive, *cum venissent, statim lavabaris*) : *et circumlivisti* [Vulg. addit *stibio*] *oculos tuos : et ornata es mundo muliebri. Sedisti in lectulo pulchro, et mensa ornata* [Vulg. *ordinata*] *est ante te. Thymiama meum et unguentum* [a] *meum posuisti super eam, et vox multitudinis exsultantis erat in ea* (sive *et voce composita persultabat*) ; *Et in viris quidem* [b] *multitudines hominum adducebantur, et veniebant de deserto* (sive *ebrii de deserto*) : *posuerunt armillas in manibus suis, et coronas speciosissimas in capitibus suis. Et dixi ei quæ attrita est in adulterio : Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. Et ingressi sunt ad eam : quasi ad mulierem meretricem, sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam mulieres nefarias* (sive *ut facerent iniquitatem*). *Viri ergo justi* [Vulg. interserit *isti*] *sunt : hi judicabunt eas judicio adulterarum, et judicio effundentium sanguinem, quia adulteræ sunt, et sanguis in manibus earum. Hæc enim dicit Dominus Deus : Adduc ad eas multitudinem, et trade eas in tumultum et in rapinam, et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur gladiis eorum : filios et filias earum interficient, et domos earum igni succendent, et auferam scelus* (sive *impietatem*) *de terra, et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus* (vel *impietatem*) *earum. Et dabunt scelus* (sive *impietatem*) *vestrum super vos : et peccata idolorum vestrorum portabitis, et scietis quia ego Dominus Deus.* Ut sæpe commonui, parva in quibus Septuaginta editio discrepat ab Hebraico, ex latere copulavi, lectoris fastidio providens. Consequens autem erat, ut qui Samariæ et Jerusalem adulteria separatim descripserat, pariter earum supplicia nuntiaret. **271** Omnia autem dicuntur quasi ad adulteras, et facta anacephalæosi, breviter earum scelera proponuntur: ut recte juxta Legis imperium in adulteras [*Al.* adulteris] lapidatio populi consequatur. Quia igitur adulteræ sunt, justam

[a] Pro unica voce *meum*, quam ad mss. fidem cum Rabano substituimus, Martian. post Erasmum retinuit duobus verbis *et oleum*. Repositam a nobis lectionem probat Hebræus quoque textus, et Latina versio, quæ testimonia Victorius cumprimis laudat. Nec sane aliter ex Hebræo saltem positum ab Hieronymo, ipsa ejus expositio persuadet, ubi ait : *Thymiama meum, et unguentum, quod mihi specialiter jusseram fieri*, etc. Sic autem opinor, cum pro unguento, *oleum* LXX interpretati sint, utrumque lectionem fuisse annotatam eo, qui tam sæpe occurrit, modo : *unguentum* (sive *oleum*) *meum posuisti*, etc.

[b] Victorius, *quid e multitudine* : et paulo post *adulteriis*, pro *adulterio*, ex Hebraico, Græcoque fontibus.

deprome sententiam. Sunt enim mœchatæ in idolis, et sanguis in manibus earum, eorum videlicet quos idolis immolarunt : ut filios quos mihi genuerant, dæmonibus consecrarent. Nec hoc fecerunt foris et in montibus, ac lucis, ut sæpe facere consueverant; sed ad extremum polluerunt templum meum, ut statuam Baal in eo ponerent. Et sabbata mea profanaverunt : ut nec loci, nec temporis custodiretur apud eos religio. Sed nec præsentibus tantum adulteriis contentæ erant, neque suffecit eis; quod filios meos immolaverunt idolis suis vel dæmonibus; sed peregrinis quoque voluptatibus lascivientes, Assyriorum atque Chaldæorum simulacra veneratæ sunt. Qui cum venissent, Ooliba [a] Jerusalem, omnem adulteræ habitum implesti super eos, ut lavares corpus, oculos stibio linires : ut assumeres cultum muliebrem, sederes in lectulo libidini præparata [*Al.* præparato], epulas proponeres, quibus fractas ad libidinem vires reparares amatorum tuorum; thymiama meum et unguentum quod mihi specialiter jusseram fieri (*Exod.* xxx), et exterminari animam illam de populo, quæ in privatos usus hoc facere voluisset, tu offerres idolis; ut congregares frequentiam populorum, sive omni genere musicorum caneres : ut non solum visu, sed et auditu et odoratu, et cunctis sensibus placeres amatoribus tuis, qui venerunt ad te ebrii : non urbanæ alicujus elegantiæ, sed de deserto ac solitudine, rusticorum ac latronum habitum præferentes. Et in tantam exarsistis, o sorores pessimæ, insaniam voluptatum, ut armillas vestras et discriminalia imponeretis manibus et capitibus amatorum vestrorum, sive vobis ipsis, ut plenæ ornatu turparemini. Quamobrem dixi ei, vel Jerusalem, vel Samariæ, vel utrique : Sic attrivistis frontem, ut nequaquam secreto polluamini, vel mariti, vel hominum vitetis aspectum; sed instar meretricum publice **272** prostituamini, qui ingressi sunt ad vos, quasi ad meretrices, certatim vos polluere cupientes. Tradam igitur vos ad puniendum his quibus ultro traditæ estis ad deturpandum. Justi enim viri sunt, in eo quod adulteram et parricidam, me jubente, discruciant. Hæc enim dicit Dominus Deus : Monitu vocis tuæ congrega ad eas, o propheta, multitudinem populorum, et primum diripiatur earum universa substantia; deinde lapidentur et confodiantur gladiis, et filii earum et filiæ trucidentur, et domus ardeant. Et hæc omnia fient, ut auferatur de terra impietas; et discant omnes mulieres universæque provinciæ procul positæ, pœnis earum similia devitare : ut postquam receperitis quæ meremini; et portaveritis scelera idolorum vestrorum : tunc cognoscatis quod ego sim Dominus. Hæc autem omnia tropologice, et sub typo adulterarum dicta sunt contra Samariam et Jerusalem, quod Assyriis traditæ atque Chaldæis, ductæ sint in captivitatem, et urbes earum incendio concremarint : interfecti sint populi [b], qui pro Deo dæmonum simulacra venerati sunt. Possunt hæc et post adventum Christi intelligi, quod viri justi de populis nationum ipsi Samaritanos et Judæos comparatione sui judicent, et tradant eos ad devorandum, quibus Dominus dixerat (*Matth.* xxiii, 38) : *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et : *Quando videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scitote quia appropinquat desolatio ejus* (*Luc.* xxi, 22). Usque hodie enim adulteratæ sunt, et totius orbis lapidibus opprimuntur. Quoniam miserunt nuntios ad eos qui erant procul, et dicere non poterant : *Ego Deus appropinquans, et non Deus de longe, dicit Dominus* (*Jerem.* xxiii, 23) : et præparaverunt se amatoribus suis dæmonibus : et omnem cultum atque ornatum quem a Deo acceperant naturali bono, verterunt in cultum dæmonum, et opera sua decoremque, quem in armillis et diademate intelligimus, adulteris amatoribus præbuerunt, quorum pœna gentibus timor est, immo his qui ex gentibus crediderunt, ne similia patiantur, si ea fecerint quæ fecit Samaria et Jerusalem. A quibus tunc auferentur impietates, cum receperint **273** scelera sua, et velamen quod positum est ante vultum Moysi (*Exod.* xxxiv), abstulerint ab oculis suis, ut cognoscant quod ipse sit Dominus Jesus Christus, quem Dei Filium negaverunt (II *Cor.* iii).

(Cap. XXIV, Vers. 1 seq.) *Et factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima mensis, dicens : Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Pone ollam, pone, inquam, et mitte in eam aquam. Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena. Pinguissimum pecus assume : compone quoque strues ossium sub ea : efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea : per partes, et per partes suas ejice eam : non cecidit super eam sors. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum, non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere. Ut superducerem* [Vulg. *superinducerem*] *indignationem meam, et vindicta ulciscerer : dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. Propter hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. Congere ossa quæ igne succendam, consumentur carnes, et concoquetur universa compositio, et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat et liquefiat æs ejus, et confletur in medio* [Vulg. interserit *ejus*] *inquinamentum ejus, et consumatur rubigo ejus. Multo labore sudatum est; et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia*

[a] Penes Rabanum, *Ooliba, hoc est, Jerusalem.*
[b] Amovimus hinc vocem *tui*, quam mss. ignorant, et contextus respuit.

*tua exsecrabilis, quia emundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis ; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. Ego Dominus locutus sum : venit, et faciam : non transibo* [Vulg. *transeam*], *nec parcam, nec placabor. Juxta vias tuas et juxta adinventiones tuas* [a] *judicavi te, dicit Dominus.* **LXX** : *Et factus est sermo Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima mensis, dicens : Fili hominis, scribe tibi diem ab hac die, qua obfirmatus est rex Babylonis super Jerusalem ab hodierna die, et dic ad domum exasperantem parabolam, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus :* **274** *Pone lebetem et infunde super eum aquam, et mitte in eum divisiones : omnem incisuram bonam, crus, et humerum, carnibus separatis ab ossibus de electis pecoribus assumpta, et incende ossa sub eis : ferbuit, et sunt cocta ossa ejus in medio illius. Propterea hæc dicit Adonai Dominus : O civitas sanguinum, lebes in quo est rubigo in eo, et rubigo non est egressa ex eo : per partes suas protulit : non cecidit super eam sors, quia sanguis ejus in medio illius est. Super levissimam petram posui illum : non effudi illum super terram, ut operiretur terra. Ut ascenderet furor in ultionem vindictæ : dedi sanguinem ejus super limpidissimam petram, ut non operiretur. Propterea hæc dicit Adonai Dominus : Væ, civitas sanguinum, et ego magnificabo terrorem, et multiplicabo ligna, et succendam ignem, ut tabescant carnes et imminuatur jus, et ossa concrementur et stét super carbones suos. Incensa est ut exuratur et frigatur æs ejus, et concrementur in medio illius immunditia ejus, et deficiat rubigo ejus. Humiliabitur rubigo, et non exiet de ea multa rubigo ejus : confundetur rubigo illius : immunditia tua* ZEMMA, *pro eo quod contaminata es tu, et non es emundata ab immunditia tua. Et quid erit si non fueris emundata ultra donec impleam furorem meum in te ? Ego Dominus locutus sum, et veniet, et faciam : non differam, nec miserebor, nec deprecabilis ero. Secundum vias tuas, et secundum adinventiones tuas judicabo te, dicit Adonai Dominus. — Propterea ego judicabo te juxta sanguinem tuum, et juxta cogitationes tuas judicabo te, immunda atque famosa, et nimia ad irritandum* ⁂ Quorum pleraque de Theodotione addita sunt, et verbum Hebraicum ZEMMA (זִמָּה), pro quo nos *exsecrabilem immunditiam* interpretati sumus. Illudque ab eis additum est, quod in Hebraico non habetur, et obelo prænotandum est : *Propterea ego judicabo te juxta sanguinem tuum, et juxta cogitationes tuas judicabo te, immunda atque famosa, et nimia ad irritandum.* Dicamus ergo de singulis. Nono anno captivitatis regis Joacim (quinto enim exorsus est prophetare) et decimo mense ejusdem noni anni, decima die mensis decimi, factum est verbum Domini ad Ezechiel prophetam, in **275** Babylonis regione constitutum, et dixit ei : Fili hominis, scribe tibi hanc eamdem diem, et scito quod rex Babylonis hodie in regione Judæa obsidere cœperit Jerusalem, et vallare eam exercitu ; et obsidionem istam per parabolam describe atque proverbium, quæ in præsenti loco metaphoram translationemque significat. Pone, inquit, ollam æneam, id est, lebetem, et mitte in eam aquam, et pinguissimorum animantium omne corpus in frusta concide, tam femur, quam crus et armum, carnesque diligenter ab ossibus separa, et carnibus missis in lebetem, ossa pone vel compone sub lebete, et fac strues, et cumulos ossium, ut effervescat non semel, sed frequenter coctio lebetis, et discoquantur carnes intrinsecus, et ossa subter incendio concrementur. Vis autem scire, propheta, quis sit iste lebes, vel quæ carnes aut ossa ? Loquere hæc, dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum, id est Jerusalem, lebeti, cujus rubigo, id est malitia nimia est, et licet ignis suppositus sit, tamen rubigo ejus non exivit de ea. Perseveraverunt enim etiam capti atque cruciati in pristino scelere. Per partes, et singillatim consumite eam, nemo remaneat in salutem. Non cecidit super eam sors ut alii perirent, et alii salvarentur, sed cunctis communis venit interitus. Sanguis enim ejus, id est, homicidia, et filiorum neces, in medio illius sunt. Quem sanguinem effudit super limpidissimam petram, ut pateret omnibus, nec terra operiretur aut pulvere : ne transiret videlicet indignatio mea, sed super apertissimum sanguinem ultio properaret. Naturæ est enim, ut si sanguis fundatur in terram, combibat humus humorem sanguinis, vel paulatim terra operiatur et pulvere. Cum autem super limpidissimam petram et nullam habentem foveam, sanguis fuerit effusus, labitur et latam obtinet sedem. Hoc autem indicat, quod non occulta, sed publica fecerit homicidia, secundum illud quod dicitur ad Cain : *Sanguis fratris tui clamat ad me* (*Genes.* IV, 10) : propterea dic civitati, non unius sanguinis, sed sanguinum multorum : Ecce ego grandem in te pyram faciam, sive educam torrem, quem **276** vulgus titionem vocat, et non solum carnes in te molles et teneras, sed durissima quoque ossa sic succendam, ut nihil in te remaneat quod non cremetur incendio. Cumque et carnes et ossa consumpta fuerint et cremata, ipsum lebetem vacuum pone super prunas, ut æs quoque illius [b] incalescat et consumatur, et ære consumpto, rubigo quoque illius pereat, id est, civitate incendio concremata, malitia cum urbe dispereat. Sed quid prodest fecisse quod jussum est ? Ne per ignem quidem rubigo atque malitia lebetis, et urbis potuit auferri ; sed permanet in ea immunditia scelesta et exsecrabilis : hoc enim *zemma* significat. Et apostropham ad ipsum lebetem, id est ad ipsam urbem, facit. Mundare te volui, et non es mundata sordibus tuis, nec ultra poteris emundari, donec in te compleam indignationem meam. Ego Dominus locutus sum, et sententia mea non potest præterire. Venit jam urbis obsidio, faciam quod minatus sum :

[a] In Hebræo est שפטוך, *judicaverunt te*, quod Victorius corruptum arbitratur, substituitque libere *judicabo*, pro *judicavi*, ex versionibus Latina et Græca.

[b] Vitiose legebatur *invalescat*. Rabanus, *tabescat*;

nec transibo, sicut sæpe feci, scelera tua ; et ultra non parcam, nec placabor tibi etiam si multiplicaveris preces ; sed vias tuas, et adinventiones tuas reddam tibi, immo judicabo te juxta opera et cogitationes tuas, ut in hoc quoque ostendam clementiam meam instar medici, qui putridis non parcit carnibus, ut sana membra [a] salventur : non parcit, ut parcat ; crudelis est, ut misereatur; nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem, juxta illud Evangelicum magis volens unum perire membrum, quam totum corpus interfici ( *Matth.* v ). Notandum quoque quomodo a principio prophetiæ usque ad præsentem diem, quando obsideri cœpit Jerusalem, per ordinem captivitas veniat. Primum gladius provocatur ; deinde duæ viæ ponuntur, Ammon et Jerusalem, quarum ad dexteram partem sors cadit Nabuchodonosor ; conflatur argentum in civitate, æs, stagnum, plumbum et ferrum ; terra quoque non compluitur, sed sentibus occupatur : postea sub nomine duarum sororum Oollæ et Oolibæ, Samariæ et Jérusalem peccata narrantur, quomodo illa sit capta, et ista capienda. Ad extremum nono anno, decimo mense, **277** decima die mensis, in captivitate posito Ezechiel et his qui cum eo erant, et tradiderant se cum rege Jechonia, ostenditur qua die urbs cœperit obsideri, et similitudo lebetis ponitur ; ut quomodo carnes et ossa congesta in lebetem, incendio concremantur, sic cuncta civitas cum suis interitura sit civibus, et nullus remaneat eorum qui obsessi sunt, quin fame, gladio, pestilentia consumantur, et pars reliqua captiva ducatur in Babylonem. Potest hæc eadem prophetia et ad tempus pertinere Dominicæ passionis, propter quam exercitu circumdata est Jerusalem, et interfecti filii ejus, et obsidente Tito filio Vespasiani, ad salutem nullus evasit, templumque subversum est ; et post quinquaginta annos sub Hadriano, civitas æterno igne consumpta est. Præsentem autem captivitatem quando Ezechiel in Babylone ista cernebat, et Jeremias in principio ponit voluminis sui : *Quid tu vides, Jeremia ? Qui respondens, ait, Ollam succensam, et faciem ejus a facie Aquilonis* (*Jerem.* I, 13). Sunt qui juxta tropologiam, totum locum istum ad consummationem mundi [*Al.* sæculi] transferant, nonumque numerum, qui in Scripturis sanctis pœnarum et dolorum est, et semper sequitur justitiam, decimi mensis et diei decimæ clementia temperant. Idcirco enim adhibentur ægrotantibus pœnæ, ut dolorem sanitas consequatur. *Mundus ergo qui in maligno positus est* (1 *Joan.* v, 19 ), die judicii divino igne succenditur ; et civitas sanguinum ponitur super carbones ignis, ut impleatur illud quod scriptum est in Isaia : *Habes carbones ignis, sedibus super eos ; erunt tibi in adjutorium* ( *Isai.* XLVII, 14 ). Illudque difficile est, quomodo cum carbones et ossa consumantur, quibus pleni sunt etiam Pharisæi, quibus Dominus loquitur in Evangelio : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui similes estis sepulcris dealbatis : quæ intus plena sunt spurcitia, et ossibus mortuorum* ( *Matth.* XXIII, 27), nunc dicatur quod rubigosor desque mundi consumptæ non sint, sed etiam post judicii severitatem malitia remaneat. Quod facile solvitur, si intelligamus illud Apostoli : *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur* ( *Galat.* III, 22 ). *Vanitati enim creatura subjecta est* ( *Rom.* VIII, 28 ). Et ponitur sanguis qui effusus est in propatulo creaturæ universæ, ut omnium scelera pateant. Petram autem limpidissimam possumus **278** accipere, et Dominum Salvatorem, quæ sequebatur in solitudine populum Israel, de qua scriptum est : *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra : petra autem erat Christus* (1 *Cor.* x, 4 ) : quod in illo revelentur omnia ; et impleatur quod scriptum est : *Nihil occultum quod non reveletur.* Dicitque se Dominus non misereri, nec mundi præterire peccata ; neque parcere impiis, nec placari, ut viæ pereant impiorum, secundum illud quod in primi psalmi fine ponitur : *Et iter impiorum peribit.*

(Vers. 15 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata sit tibi, et calciamenta tua erunt in pedibus tuis : nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vesperi, fecique* [Vulg. *fecitque*] *mane sicut præceperat mihi. Et dixit ad me populus : Quare non indicas nobis quid ista significent, quæ tu facis ? Et dixi ad eos : Sermo Domini factus est ad me dicens : Loquere domui Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et super quo pavet anima vestra, et filii vestri, et filiæ quas reliquistis, gladio cadent. Et facietis sicut feci : ora amictu non velubitis, et cibos lugentium non comedetis. Coronas habebitis in capitibus vestris, et calciamenta in pedibus : non plangetis, neque flebitis : sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque gemet ad fratrem suum. Eritque Ezechiel vobis in portentum, juxta omnia quæ fecit, facietis cum venerit istud, et scietis quia ego Dominus Deus. Et tu, fili hominis, ecce in die quo tollam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum eorum super quo requiescunt animæ eorum, filios et filias eorum. In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi : in die, inquam, illa, aperietur os tuum cum eo qui fugit, et loqueris, et non silebis ultra, erisque eis in portentum, et scietis quia ego Dominus.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, ecce ego auferam a te desiderabilia oculorum tuorum in acie* (sive *in præparatione*) ; *non planges, neque flebis, nec venient lacrymæ tibi, gemitus sanguinis, renum luctus est. Erunt crines tui* **279** *colligati super te, et calciamenta tua in pedibus tuis, nec consolaberis in labiis eorum, et panem hominum non comedes. Locutus sum ad po-*

[a] Erat supino quidem errore, sensuque contextui ac Hieronymi menti contrario, *ut sana membra non salventur.* Nos negandi particulam ad mss. fidem, clamabat vero res ipsa, delevimus.

*pulum mane, sicut præceperat mihi, et mortua est uxor mea vesperi, fecique mane sicut præceptum est mihi. Et dixit ad me populus : non annuntias nobis quid sunt hæc quæ tu facis ? Et dixi ad eos, Sermo Domini factus est ad me, dicens : Dic ad domum Israel : Hæc dicit Adonai Dominus : Ecce ego contaminabo sancta mea, superbiam fortitudinis vestræ, desiderabilia oculorum vestrorum, et quibus parcunt animæ vestræ. Filii vestri et filiæ vestræ quos reliquistis, in gladio cadent, et facietis sicut feci. Ore eorum non consolabimini, et panem virorum non comedetis, et comæ vestræ super capita vestra, et calciamenta vestra in pedibus vestris. Non plangetis nec flebitis, et consumemini in iniquitatibus vestris, et consolabitur unusquisque fratrem suum, et erit Jezechiel vobis in portentum. Secundum omnia quæ fecit, facietis. Cumque venerint hæc, cognoscetis quoniam ego Adonai Dominus. Et tu, fili hominis, nonne in die quando abstulero fortitudinem ab eis, elationem gloriationis eorum, desiderabilia oculorum eorum, et elationem animæ eorum, filios et filias eorum. In die illa veniet qui salvus factus fuerit ad te : ut annuntiet in auribus tuis. In die illa aperietur os tuum ad eum qui fugerit, et loqueris, et nequaquam ultra reticebis, et eris eis in portentum, et cognoscent quoniam ego Dominus.* Supra ollæ lebetisque succensio, obsidionem urbis ostenderat, nunc captam eam atque deletam, et omnem populum, vel interfectum gladio, vel ductum in captivitatem, prophetalis sermo testatur. Et primum juxta consuetudinem nostram, historiæ fundamenta jaciamus. Fili, inquit, hominis, ecce auferam de conspectu oculorum tuorum quidquid tibi desiderabile est, et auferam *in plaga*, sive, ut LXX verterunt, *in præparatione* : ut videlicet præpares te ad ea non facienda, quæ solent in luctu fieri. Non planges, neque plorabis, nec fluentes lacrymæ dolorem cordis **280** ostendent : sed si forte nimio fueris mœrore superatus, tacitum habeto gemitum, nec prorumpat in verba. Mortuorum luctum non facies, vel, ut vertere LXX, *gemitus sanguinis, renum luctus est.* Per quod ostendit uxorem ejus esse morituram. Statim enim sequitur : *Et mortua est uxor mea vesperi* (*Prov.* XIX); quod proprie ad conjunctionem renum pertinet. Nihil enim viro uxore bona amabilius, quæ a Deo homini providetur, et cui Domini lege conjungitur, et unum cum ea corpus efficitur. Quodque sequitur : *Corona tua circumligata sit tibi, et calciamenta tua erunt in pedibus tuis*, hoc significat : Habebis comam quæ tondetur in luctu, et calciamenta in pedibus, quæ lugentes solent abjicere. Unde et David Abesalon filium fugiens, et pœnitens super nece Uriæ, nudis pedibus incedit (I *Reg.* XII, XV, XVIII). Aiunt Hebræi hucusque Babylonios magistros, Legis præcepta servantes, decalogum [a] scriptum in membranulis circumdare capiti suo, et hæc esse quæ jubeantur ante oculos et in fronte pendere, ut semper videant quæ præcepta sunt. Et quia Ezechiel sacerdos erat, nequaquam eum debere deponere coronam gloriationis, sed ligatam habere in capite. Hoc illi dixerint. Nos autem, juxta LXX, coronam capillorum intelligamus cæsariem : licet et ipsorum interpretatio nequaquam vim Hebraici sermonis expresserit. Nec amictu, inquit, ora velabis, nec cibos lugentium capies, quæ solent in luctu fieri, ut operiant vultum, et quæ Græci περίδειπνα vocant, a consolatoribus accipiant. Locutus sum, inquit, ad populum mane, quæ mihi Dominus imperarat, et vesperi mortua est uxor mea, oculorum desiderabile, lumborumque et sanguinis luctus. Statimque die altera mane feci omnia quæ mihi fuerant imperata ; interrogavitque me populus, cur contra morem omnium fecerim. Causasque quærentibus tantæ patientiæ, respondi : Sermo Domini qui ad me factus est, ut ad populum Israel loquerer, ista præcepit : *Ecce ego,* **281** id est, *jam nunc polluam sanctuarium meum*, ut incendatur templum et cunctis alienigenis pateat ac profanis, et in quo habebatis superbiam, id est confidentiam et spem ac desiderium salutis vestræ, et ad cujus obsidionem vestræ animæ formidabant : et filios quoque et filias quos vobis fames ac pestilentia reliquos fecerant, consumam gladio. Quidquid ego feci, et vos facietis. Quando consuetudo servatur in luctu, medius dolor est ; quando autem tanta malorum incumbit necessitas, ut omni ploratu major sit, unusquisque de sua necessitate sollicitus, ad aliorum quamvis sint proximi miserias non ingemiscit. Nihil, inquit, facietis quod solet in luctu fieri : sed urbe temploque succensis, stupebitis ad malorum magnitudinem. Non attondebitis, nec nudis incedetis pedibus, nec plangetis, nec amictu ora velabitis, nec cibos capietis a consolantibus : sed tabescetis, et consumemini in iniquitatibus vestris, et vix liberum habebitis gemitum, ne offendatis victorum superbiam, si publice flere videamini ; ita ut Ezechiel propheta sit vobis in portentum, et omnia, quæ ille non fecit in morte uxoris suæ, vos in eversione urbis et templi non faciatis. Et adhuc apertius : O, inquit, fili hominis, in tempore quando abstulero ab eis fortitudinem eorum, templi, ut diximus, confidentiam et gaudium dignitatis, et in quo spem solam

[a] Paria habet sub initium libri quarti in Matthæum cap. XXIII, ad illud Deuteronomii præceptum, *Ligabis ea in manu tua*, etc. *Hoc*, inquit, *Pharisæi male interpretantes scribebant in membranis Decalogum Moysi, id est, decem verba Legis, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur, quod usque hodie Indi, et Persæ, et Babylonii faciunt, et qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur.* Fatendum nihilosecius, si qua Rabbinis res suas narrantibus fides est, et si quid habet auctoritatis, quæ hodiernum apud eos obtinet consuetudo, non Decalogum, quod Hieron. tradit, sed aliquot Scripturæ textus, duos videlicet Exodi, totidemque Deuteronomii, solitos Hebræos in membranis describere, atque instar diadematis fronti obligare, vittis utrinque diffluentibus : quæ tanta est ineptientis populi superstitio. Vocant vero טוטפת, *frontalia*, quorum unum elegantissimum, et si quod uspiam antiquum, apud me est.

habebant, ac desiderium in quo requiescebant animæ eorum, insuper filios eorum et filias, subauditur ex superioribus, abstulero : eo, inquit, tempore, cum venerit ad te de Jerusalem fugiens, vel qui evaserit, dicens urbem esse subversam, tunc qui prius tacueras et gemitum liberum non habebas, et tantæ eras patientiæ, ut in uxoris nece et lumborum dolore, lacrymam non emitteres, aperies os tuum, et loqueris, non ad eum qui venerit, sed cum eo : ut quæcumque tu ventura prædixeras, **282** ille nuntiet jam perfecta, et ultra non tacebis; sed argues eos, et dices cuncta illis merito provenisse : ita ut sis illis in portentum, juxta illud quod in Zacharia scriptum est : *Prophetas viros esse portendentes* (*Zach.* III, 8). Et Dominus alibi loquitur : *in manibus prophetarum assimulatus sum* (*Osee* XII, 10). Hæc juxta historiam dicta sint. Veniamus ad anagogen (si tamen violenta non fuerit visa cauti lectoris prudentiæ). Filium hominis dici Dominum Salvatorem, nulli dubium, qui extrema hora, hoc est, ad vesperam mundi hujus, uxorem pristinam perdidit, nec flevit eam, nec amictu ora velavit, nec recepit ullam hominum consolationem, et hæc ventura prædixit mane, quæ completa sunt vesperi, et rursum mane in secundo adventu facta probavit quæ ventura prædixerat, sanctuarium Judæorum, et quod desiderabile habuerant in oculis, et super quo tremebant animæ eorum, esse polluta : filios quoque eorum et filias Romano gladio concidisse. Quod autem dicitur : *Coronam habebitis in capitibus vestris, et calciamenta erunt in pedibus*, ad illam partem referemus, quod nequaquam lugere debeant, nec signa luctus assumere, postquam pro umbra receperint veritatem, et Nazaræi quidam facti fuerint, et unusquisque super fratre suo consolabitur : ita ut Ezechiel quem confortavit Deus Pater, sit eis in portentum, ventura prænuntians, et postquam subversa fuerit Jerusalem, templumque succensum, et hoc totus mundus audierit, et dispersio Israel, quæ orbis terminos colit, tunc verba Domini opere completa, habeant libertatem, et polluto sanctuario ejus, Lege completa, vel destructa secundum occidentem litteram, aperta sit Evangelii gloria, et cognoscat Israel, quod ipse sit Dominus et Deus, qui hæc mane ventura prædixerit, et vesperi atque in consummatione mundi esse completa, suo probarit adventu.

# *LIBER OCTAVUS.*

**283-284** Quid aliis prosit in prophetas nostra dictatio, Dei judicii est, eorumque conscientiæ, qui, omissis declamationibus ac plausu et compositione verborum, cupiunt scire quid eorum sermo, vel narret præteritum, vel præsens arguat, vel prædicat esse venturum. Nobis interim [a] prodest : dum enim hoc facimus, et nihil aliud cogitamus, in modum furti explanationes aggredimur, et dierum miserias, noctium studio compensamus : pascitur animus, et obliviscitur sæculi calamitatum, quod in extremo fine jam positum congemiscit et parturit (II *Thess.* II), donec qui tenet de medio fiat, et pedes statuæ quondam ferrei, fragilitate digitorum fictilium conterantur. Cadit mundus, et cervix erecta non flectitur. Pereunt divitiæ, et nequaquam cessat avaritia. Congregare festinant, quæ rursum ab aliis occupentur. Aruerunt lacrymæ, pietas omnis ablata est. Multi qui petant, pauci qui tribuant. Nec erubescimus, paupertatem vili palliolo præferentes, Crœsi opibus incubare; [b] famemque et interitum plurimorum nostris custodire thesauris, secundum illum divitem purpuratum, qui ut nihil aliud fecerit, neque enim rapinas ejus et iniquitates Scriptura testatur (*Luc.* XVI), crudelitas ejus atque superbia non habebat modum : Lazaro ante fores jacenti atque semineci, ne ea quidem jussit dari quæ canibus projiciuntur. Quanti nunc Lazari jacent, et [c] quantorum purpuræ diversis vestium coloribus proteguntur, ne in usus quidem proprios vertentium quæ peritura conservant! Hæc virgo Christi Eustochium, ex cordis abundantia os locutum sit, et paulo liberius quam humilitati nostræ convenit, dixerimus. Cæterum octavus in Ezechielem liber, qui filiorum Ammon et gentium cæterarum increpationem continet, et vaticinium futurorum, hoc habebit exordium.

(Cap. XXV.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone* (sive *obfirma*) *faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis, et dices filiis Ammon : Audite verbum Domini Dei, hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod dixistis, euge, euge super sanctuarium meum* (sive *quia gavisi estis super sanctuarium meum*), *quia pollutum est, et super terram Israel, quia desolata est, et super domum Juda, quia ducti sunt in captivitatem : idcirco ego tradam te filiis Orientalibus* (sive CEDEM) *in hæreditatem, et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua : ipsi comedent fruges suas, et ipsi bibent lac* [Al. additur *tuum*] (sive *ubertatem tuam*), *daboque Rabbath in habitaculum camelorum* (sive *civitatem Ammon in pascua camelorum*) : *et filios Ammon in cubile pecorum, et scietis quia ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod plausisti manu, et percussisti* (sive *insonuisti*) *pede, et gavisa es ex toto affectu* (sive *insultasti ex animo tuo*) *super terram Israel : idcirco* [Vulg. addit *ecce*] *ego extendam manum meam*

[a] Penes Rabanum, *Nobis interim primum prodest.*

[b] Placuit Victorio ex Brixianis codicibus, *in famemque et interitum plurimorum nostros custodire thesauros.*

[c] Præfert idem ex iisdem mss. : *et quanti purpurati.... in usus quidem proprios vertentes.*

*super te*, **285** *et tradam te in direptionem gentium*, *et interficiam te de populis*, *et perdam de terris*, *et conteram*, *et scies quia ego Dominus*. Capta vel obsessa Jerusalem, postquam venit in Babylonem, qui poterat [*Al.* potuerat] evadere, et nuntiavit urbem jam jamque capiendam, vel cum templo esse subversam, juxta consuetudinem omnium prophetarum adversum cæteras in circuitu nationes, quæ insultaverant ruinæ Jerusalem, templique incendio, sermo convertitur prophetalis, primumque contra filios Ammon, qui habebant metropolim nomine Rabbath, quæ hodie a rege Ægypti Ptolemæo cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Judæa, Philadelphia nuncupata est. Fili, inquit, hominis, pone, sive obfirma faciem tuam contra filios Ammon, qui de Lot stirpe generati sunt, et dices ad B eos : Hæc dicit Dominus Deus (non sunt enim prophetæ verba, sed Domini. De obfirmatione vultus, in hoc eodem propheta plenius disputavimus) : Pro eo quod dixistis : *Euge*, *Euge*, sive insultastis, et gavisi estis, quia templum et sanctuarium meum hostium ingressione pollutum est, et super terram Israel, quoniam desolata est, et specialiter super domum Juda, id est, duarum tribuum, quæ nunc ductæ sunt in captivitatem : propterea et ego tradam te filiis CEDEM [*Al.* Edem], quos Orientales interpretati sumus. Nullique dubium est, Madianitas, et totam eremi vastitatem adjacere terræ Arabiæ, qui habent camelorum greges, oviumque et caprarum multitudines, et his opibus victitant. Quod et terræ Israel in Judicum libro accidisse narrat historia C (*Judic.* VI), quando venerunt Madianæi, et depasti sunt, usque Gazam, omnes regiones eorum. Μεταφορικῶς ergo per Madianæos, Ismaelitas et Agarenos, qui nunc Sarraceni appellantur, assumentes sibi falso nomen Saræ, quo [*Al.* quod] scilicet de ingenua et domina videantur esse generati, Scriptura significat : diciturque de rege Nabuchodonosor et omni ejus exercitu, quod veniat et capiat urbem Rabbath, quæ vel proprie hoc appellatur nomine, vel ob magnitudinem. *Rabbath* enim *maxima* dicitur. Et ne dubitemus Nabuchodonosor subvertisse Arabiam, postquam capta est Jerusalem, supra Scriptura testatur : *Et tu*, *fili hominis*, *pone tibi duas vias*, *Ammon* **286** *et Jerusalem*, *et veniet gladius regis Babylonis*. Et iterum : *In capite viæ civitatis conjiciet*, *et viam* D *pones*, *ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon*, *et ad Judam in Jerusalem munitissimam* (*Supra*, XXI, 19, 20). Et rursum : *Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon*, *et ad opprobrium eorum* (*vers.* 28). Venient ergo filii CEDEM, et collocabunt caulas suas, quasi pastores, figentque tentoria. Ipsi vastabunt fruges tuas, et bibent lac, et ubertatem terræ, immissis gregibus camelorum, et omnium populorum : ita ut sint filii Ammon in cubile pecorum, et malorum necessitate intelligant, quod ipse sit Dominus qui et futura prædixit, et ut fierent imperavit. Nec hoc suffecit filiis Ammon, ut insultarent, et dicerent : Euge, euge super templo et sanctuario Domini, quod pollutum erat diversarum introitu nationum; sed tanta fuit insultandi lascivia, ut cunctus simul populus manibus et pedibus concreparet, et ex toto cordis clamaret affectu : eo quod terra Israel esset desolata. Propterea non per Angelos, neque per alia ministeria, sed ipse Dominus, extendens manum suam ad percutiendum, tradet eam in direptionem, nequaquam camelis et ovium gregibus, sed manifestius gentibus, ut de populorum numero penitus eradicetur, et pereat, et redigatur ad nihilum : et postquam contrita fuerit, tunc intelligat quod ipse sit Dominus qui cuncta dijudicet, et in omnes terras habeat potestatem. Possumus juxta tropologiam filios Ammon intelligere, qui de Lot in spelunca generati sunt semine, et generati in ebrietate et incestu, omnes hæreticos, de quibus Scriptura dicit et Apostolus Joannes : *Ex nobis exierunt*, *sed non fuerunt ex nobis*. *Si enim fuissent ex nobis*, *permansissent utique nobiscum* (*Joan.* II, 19). Isti enim de *inclinatione* orti sunt, hoc enim *Lot* in linguam nostram vertitur : *Quia omnes declinaverunt*, *simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum*, *non est usque ad unum* (*Ps.* XIII, 3). Adversum hos ponitur, sive obfirmatur, facies prophetalis : ut eos sua austeritate conterat, et dicit eis : Quia insultastis Ecclesiæ meæ tempore persecutionis : [a] eo quod diversorum vitio pollutum esset sanctuarium meum, sive eorum vitio qui mihi serviebant, **287** sive hostium crudelitate, qui meos persequebantur : [b] terram quoque Israel, sensus videntes Deum, esse desolatam virtutum choro; et quomodo filii domus Juda, id est, Deum confitentis, in qua est vera fides et recta confessio, ducti sunt [*Al.* sint] in captivitatem, et servire Domino desierunt [*Al.* desierint] : idcirco, o omnis insultans, traderis filiis Orientalibus qui de vero lumine sunt profecti et traderis in hæreditatem, ut tu quoque discas Dominum confiteri. Et per translationem dicitur, quod filii Orientis ponent super eos caulas suas, et figant tentoria, et bibant lac, et comedant fruges, et civitas quondam superbiæ fiat in habitaculum camelorum, qui possint, deposito onere peccatorum, intrare per foramen acus (*Matth.* XIX), et in cubile pecorum, quæ reguntur a pastore bono (*Joan.* X), ut cum hoc fecerint, mixti et traditi Orientis pastoribus, intelligant quod ipse sit Dominus. Rursumque exprobrat eis, quare insultaverint nimio cordis affectu ruinis populi Dei, et terram Israel putaverint omnino desertam : pro quo mereantur manum ulciscentis Dei, ut qui excesserant modum exsultationis et gaudii super ruina domus Judæ, nequaquam tradantur filiis Orientis, sed sint in direptionem cunctarum gentium, et interficiantur de populis, et pereant, et conterantur, et nequaquam de stirpe Abraham, sed

[a] Victor. : *diversorumque vitiorum*, *quod pollutum*, etc. ; sicque olim et Rabanus legit.

[b] Victor. : *et quod domus Israel*, *hoc est*, *sensus videntes Deum*, *esset desolata virtutum choro*, *et quod filii domus Judæ*, etc.

de cunctis nationibus esse credendi sint, et tunc malorum cognoscant magnitudine, et contritione sua, et interfectione populi, quod ipse sit Dominus. Quod generaliter de Ecclesia intelleximus, super unumquemque sanctorum intelligi potest, ad quorum ruinam gaudent sæculi homines, et adversariæ potestates, si multi temporis perdiderint pudicitiam : dum mali consolationem suorum scelerum putant, si plures habeant consortes criminum atque supplicii : et hoc nemo faciat, nisi fuerit filius Ammon, hoc est filius populi, qui in declinatione generatus est.

(Vers. 8 seq.) *Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod dixerunt Moab et Seir, ecce sicut omnes gentes domus Juda : idcirco ecce ego aperiam humerum Moab, de* [a] *civitatibus inquam ejus,* **288** *et de finibus ejus inclyta terræ Beth Jesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim : filiis Orientis cum filiis Ammon, et dabo eam in hæreditatem, ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus, et in Moab faciam judicia, et scient quia ego Dominus.* LXX : *Hæc dicit Adonai Dominus : Pro eo quod dixit Moab* ·※· *et Seir* ⁝ *ecce sicut omnes gentes domus Juda : Idcirco ecce ego dissolvam humerum Moab de civitatibus promontoriorum ejus, electam terram domum Beth Jasimuth, super fontem urbis maritimæ, filios Orientis super filios Ammon dedi ei hæreditatem, ut non sit memoria filiorum Ammon in gentibus, et in Moab faciam ultiones, et cognoscent quoniam ego Dominus.* Hoc quod nos interpretati sumus *et Seir*, in LXX non habetur, sed de Theodotionis editione additum est. Ridiculam vero in hoc loco Hebræi narrant fabulam. Postquam urbs aperta, templumque reseratum est, filiique Ammon, et Moab, et Seir ingressi sunt templum, videruntque Cherubim protegentia propitiatorium, et dixerunt : Sicut cunctæ gentes colunt simulacra; ita et Juda habet suæ religionis idola; et ideirco, inquiunt, iratus est Dominus, et tradidit eos captivitati. Nos autem hoc dicemus, quod et isti insultaverint domui Judæ, quando a Chaldæis capta est, putantes sicut in cæteris gentibus non ibi esse auxilium Dei, et ideo regnum Judæ, et Jerusalem Dei præsidio destitutum, patuisse Babyloniæ potestati. Idcirco non multo post tempore, sed in præsentiarum Dominus comminatur se humerum, robur videlicet et fortitudinem Moab de civitatibus ejus dissoluturum, sive aperturum, ut ad ipsos quoque Babylonius victor introeat, et civitates in Moab esse desistant, et in finibus ejus ac terminis urbes inclytæ destruantur : quarum ponit nomina, Beth Jesimoth, et Beelmeon et Cariathaim : pro quibus nescio quid volentes LXX interpretati sunt, *domum Beth Jasimuth*; cum hoc vocabulum *villam desertam* significet : Beelmeon quoque usque hodie in Moab vicus sit maximus, quem illi verterunt, *super* **A 289** *fontem*, et Cariathaim, *civitatem maritimam* : traditurque et ipsa cum filiis Ammon filiis Orientis, Babyloniis, videlicet, juxta illum sensum quem contra filios Ammon interpretati sumus. Et dabo, inquit, Moab in hæreditatem, ut quomodo filiorum Ammon non est memoria ultra in gentibus, sic et in Moab ultiones faciam atque judicia : ut cognoscant quod ego sim Dominus, qui Judam tradidi pro peccato, et in filios Ammon, et in Moab ultor existam. Usque hodie autem *Moab*, qui interpretatur *ex patre*, et *Seir*, qui in *pilosum* vertitur et *hirsutum*, despicit et contemnit domum Juda, in qua vera confessio est, et putat tam facile eam posse subverti, quam cæterarum subvertuntur urbium munimenta. Unde et Dominus comminatur aperturum se, sive dissolturum omnem fortitudinem Moabitarum : ut civitates **B** habere desistant, et nequaquam in dialectica arte confidant [*Al.* confidere] : sed cuncti illius termini, quos pro illisione fluctuum vocant promontoria, destruantur; et inclytæ atque electæ terræ Beth Jesimoth, quæ interpretatur *domus solitudinis* atque *deserta*, et Beelmeon, quæ et ipsa vertitur *habens fontem*, sive [b] *super fontem*, et Cariathaim, quam LXX *civitatem maritimam* transtulerunt, pereant. Quamvis enim habeant robora pugnatorum, et inclyta pergant ad prælium arte pugnandi, et ex omni parte circumsepti munitique gradiantur : tamen inclyta eorum terra non est domus habitationis, sed domus solitudinis. Quodque se putant habere fontem scientiæ, et urbem maritimam, quæ cunctas sustinere possit sæculi tempestates, patientiam sibi et fortitudinem promittentes : tamen illuc conver- **C** tentur, ut et ipsi tradantur filiis Orientis, veri in Christo luminis; sicut traditi sunt filii Ammon, qui sibi in hæretica multitudine confidebant. Et consideremus profectum, atque in ipsa comminatione clementiam Dei, ut tradantur cum filiis Ammon filii Orientis in hæreditatem : et nequaquam hæresis ulla nominetur in gentibus; sed factis in Moab judiciis suis, et ultionibus pro arrogantia, rerum fine cognoscant Dominum esse qui cuncta **290** dispenset. Ad approbandum autem quod Moab in præsenti loco super Philosophorum intelligatur superbia, de quibus dicitur : *Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam intelligentium reprobabo* (I *Cor.* I, 19), pauca de **D** prophetis exempla replicanda sunt. Amos loquitur : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus Moab, et super quatuor non aversabor eum, pro eo quod combussit ossa regis Idumææ in cineres* (*Amos* II, 1). Vere enim quidquid in sæculo dogmatum perversorum est, quidquid ad terrenam scientiam pertinet, et putatur esse robustum, hoc dialectica arte subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dis-

[a] Victor voces *daciuitatibus*, ex Hebraico et Hieronymi editione bis repetit, moxque *inclytas* legit pro *inclyta*, concinente subnexa Hieronymi expositione, qui ad civitates verbum illud referens ait : *Ut ad ipsos quoque Babylonios victor introeat, et civitates in Moab esse desistant, ut in finibus ejus ac terminis urbes inclytæ destruantur.*

[b] Sic Brixianorum codicum ope Victorius restituit *super*, loco *per*, quod Martian. post Erasmum retinuit perperam. Vox enim ipsa בעל, ex qua nomen בעלמעון *Beelmeon* conflatum est, non *per* sonat, sed *supra*.

solvitur; ut probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum. Sed Isaia superbiam arguit Moab, dicens : *Audivimus contumeliam Moab : contumeliosus est nimis : superbiam ejus abstuli* (*Isa.* XVI). Jeremias quoque, contra omnes vaticinans nationes, proprie loquitur ad Moab : *Quoniam confidebas in munitionibus tuis* (*Jerem.* XLVIII, 7). Et post paululum : *Habebis fiduciam in gloria tua.* Et iterum : *Quomodo dicitis, fortes sumus?* Ac deinde : *Juxta est dies Moab ut veniat, et malitia ejus velox nimis* (*Ibid.* 14, 16). Et manifestius : *Dicite quomodo contritus est baculus gloriosus, virga magnificentiæ* (*Ibid.*, 20)? Et iterum : *Contritum est cornu Moab.* Hæc autem dicuntur, ut sub nomine Moab, stulta sæculi in cœlum se efferens superbia conteratur.

(Vers. 12, 13, seqq.) *Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda : peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem et jumentum. Et faciam eam desertam ab Austro, et qui desunt* [Vulg. *sunt*] *in Dedan, gladio cadent. Et dabo ultionem meam super Idumæam, per manum populi mei Israel, et* [a] *faciam in Edom juxta iram meam, et furorem meum, et scient indignationem meam, dicit Dominus Deus.* LXX : *Hæc dicit Adonai Dominus : Pro eo quod fecit Idumæa, ut ulciscerentur ultionem de domo Juda, et memoriam retinuerunt mali, et ulti sunt ultione : propterea hæc dicit Adonai Dominus : Extendam manum meam super Idumæam, et interficiam de ea hominem et pecus, et* **291** *ponam eam desertam : et de Themam fugientes gladio cadent. Et dabo ultionem meam super Idumæam, in manu populi mei Israel, et facient in Idumæa juxta iram meam, et furorem meum, et cognoscent ultionem meam, dicit Adonai Dominus.* Supra duo proposuerunt, pro eo quod dixerunt Moab et Seir, et postea de Seir tacens, contra Moab tantum locutus est : nunc reddit cœptum problema, quid Seir, hoc est, Idumæa fecerit. Quod autem Esau et Seir, et Edom, et Idumæa, et Duma, una gens appellentur, non ambiget qui scientiam habuerit Scripturarum. Et ut de cæteris prophetis taceam, Isaia, Jeremias, Amos, qui contra Idumæam, et Dumam, et Edom vaticinati sunt : Abdias prophèta totam propheticam contra hanc dirigit nationem, quem ut potuimus olim disseruimus. Arguitur igitur Seir, qui quia hispidus erat, pilosi nomen accepit, et Edom sanguinarius, qui ob lenticulæ rufæ coctionem primogenita perdidit, et ab edulio sortitus vocabulum est (*Gen.* XXV), Esau quoque *facta* interpretantur. Et hoc sciendum, quod in Hebræo numquam scribatur Idumæa, sed semper Edom, quem Idumæam expressit Græca translatio. Nequaquam ergo Idumæa [Edom], ut Moab locutus est, sed fecit ultionem de filiis Juda : peccavitque, sive memoriam pristini doloris tenuit, ut ultionem de eis caperet, a quibus in utero supplantatus est. Idcirco non per Angelos, neque per alium quemlibet : sed ipse Dominus manum extendens super Idumæam, abstulit de ea hominem et jumentum, et civitates illius redegit in desertum, id est *Themam*, quam nos in *Austrum* vertimus : de qua et de alia urbe Dedan, interfecti gladio cadent. Cumque illi se de Juda ulti fuerint, ego dabo ultionem super Idumæos per manum, sive in manu populi mei Israel : ut ab his opprimantur, in quos exercuerunt vindictam. Qui facient in Edom, sive Idumæam, juxta iram et furorem meum, ut meam expleant indignationem, et per manus populi mei Israel, in inimicam gentem mea ira desæviat, et intelligant contra iniquam ultionem Idumææ, meam justam fuisse vindictam, dicit Adonai Dominus. Secundum tropologiam, hic mihi sensus videtur. Idumæa terrena appellatur et carnea, quæ consurgit contra **292** spiritum, ut non faciamus ea quæ spiritus sunt, et animam in meditullio positam ad se retrahere festinat; vultque ultiones reddere, quibus prius subdita fuerat, filiis Juda, et recordatur doloris antiqui, quod non propriæ fuerit potestatis, et ideo vindictam expetivit de eis, qui recedentes a carne spiritum sequebantur. Propterea ipse Dominus filiorum Juda ultor existens, extendit manum super Idumæam, et aufert de ea hominem et jumentum, quidquid vel rationis videtur habere, vel simplicis fidei, ut eam redigat in solitudinem. Et de Theman, quæ interpretatur *deficiens*, et Dedan, quæ et ipsa *cognationem* sonat, omnes gladio interfecit, quem posuit in manu populi sui Israel, ut subvertatur Edom, et iram Domini sentiat ac furorem, et intelligat vindictam ejus ad hoc profecisse, ut serviat domui Judæ. Hoc est illud de quo et Apostolus disputat scribens : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 13). Diligit autem Jacob, quia carneum atque terrenum supplantat et superat, et benedictiones illius meretur accipere. Primum enim juxta carnem, et postea secundum spiritum vivimus. Ante vitia, deinde virtutes, quibus vitia subruuntur, quia appositum cor hominis ad malitiam a pueritia, erroresque adolescentiæ ætas matura condemnat (*Genes.* VIII). Unde et David : *Delicta*, inquit, *juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Ps.* XXIV, 7). Et tamen sciendum quod Jacob primam accepit benedictionem, Esau secundam. Et quod ad extremum dicitur de eo : *Servus eris fratris tui* (*Gen.* XXVII, 40), hoc significat, quod postquam caro spiritui subjecta fuerit, illique conjuncta, caro esse desistat, et Idumæa transeat in Judæam.

(Vers. 15, 16.) *Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecerunt Palæstini in-vindicta* [Vulg. *vindictam*], *et ulti sunt se toto animo interficientes, et implentes inimicitias veteres. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, et*

[a] Victor. *facient*, juxta Vulgatam editionem, et Hebræum עשה, Græcumque ποιήσουσιν. Ad quorum codicum sensum mox quoque *vindictam* pro *indignationem* substituit.

*interficiam interfectores, et perdam reliquias maritimæ regionis, faciamque in eis ultiones magnas, arguens in furore, et scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.* LXX : *Propterea hæc dicit Adonai Dominus : Pro eo quod fecerunt alienigenæ ultionem, et suscitaverunt vindictam insultantes, ex animo, ut delerent usque in æternum : propterea* **293** *hæc dicit Adonai Dominus : Ecce ego extendam manum meam super alienigenas, et disperdam, sive interficiam Cretenses, et perdam reliquias littoris maritimæ, et faciam in eis ultiones magnas in vindicta furoris, et cognoscent quia ego Adonai Dominus, cum dedero ultionem meam super eos.* Post filios Ammon, Moab, et Seir, qui et ipsi sunt Idumæi, et per Lot et Esau populo Israel, et domui Judæ cognatione sociantur, venit ad Philisthiim, quos Septuaginta ἀλλοφύλους, id est *alienigenas* transtulerunt, non generali nomine omnium gentium, quæ non sunt de genere Judæorum, sed speciali gentis suæ, quæ nunc dicitur Palæstina, mutata PHE littera, juxta Græcorum consuetudinem, in PI (π), sicut et apud nos pro Hebraico PHASE (פסח), Græcum et Latinum *pascha* celebratur. Philisthiim interpretantur *cadentes poculo*, qui et ipsi de aureo Babylonis calice inebriati sunt, et sæviunt, et toto animo insultant, inimicitiarum contra Israel veterum recordantes, quibus a Dei populo divisi sunt. Cumque Dominus dicat : *Mihi vindictam, et ego retribuam (Deut.* XXXII, 35), ipsi se ulciscuntur interficientes, et implentes antiqua odia. Propter quæ extentam super se manum Domini sentient, quæ interficiet interfectores. Pro quō LXX, nescio quid volentes, *Cretenses* interpretati sunt, cum et Aquila et Symmachus, et Theodotio ipsum verbum Hebraicum CHORETHIM (כריתים), vel *interjectores*, vel *interfectionem* verterint, non solum in præsenti loco, sed etiam in Sophonia, ubi contra Palæstinos ista dicuntur : *Gaza direpta erit, et Ascalon in perditionem, et Azotus* [a] *et Accaron eradicabuntur. Væ habitatoribus funiculi maris, accolæ Cretarum, verbum Domini super vos Chanaan terra alienigenarum, et disperdam vos ex habitatione, et erit Creta in pabulum pastorum, et cubile ovium* (*Sophon.* II, 4 *seqq.*). Et hic enim cum Septuaginta *Cretam* verterint, cæteri translatores ὄλεθρον [Al. *χάῤῥον*], id est *interfectionem*, vel *perditionem*, interpretati sunt. De quo in supradicto propheta, Deo præstante, quod nobis visum est, diximus. Unde et duarum legionum David, quarum una appellabatur *Phelethi*, et altera *Cerethi* (II *Reg.* XV), ultima ab eo quod interficerent atque jugularent, *Choretim* [Al. *Cherethim*], hoc est, *interfectorum* **294** nomen accepit. Perditque Dominus omnes reliquias maritimæ regionis, quæ salsis [*Al.* falsæ] tunditur fluctibus, et vindictas non parvas, sed magnas faciet in furore, ut furor ejus finem habeat misericordiæ, et postquam ultionem fecerit, arguens cum furore, tunc cognoscant Palæstini, quod ipse sit Dominus.

(Cap. XXVI.) *Et factum est in undecimo anno, prima* (sive *una*) *mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus* (sive *Sor*) *de Jerusalem : Euge, confractæ sunt portæ populorum* (sive *gentes*) *: conversa est ad me, implebor, deserta est* (sive *quæ fuit plena, deserta est*) *; propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te, Tyre* (sive *Sor*) *: et ascendere faciam super te* [Vulg. *ad te*] *gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres ejus, et* [b] *radam* (sive *ventilabo*) *pulverem ejus de ea, et dabo eam in limpidissimam* (sive *nitidissimam*) *petram. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus, et erit in direptionem gentibus. Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro* (sive *in campo*) *gladio interficientur, et scient quia ego Dominus.* Consequenter prophetiæ ordo contexitur. Locutus erat contra filios Ammon et Moab et Seir, qui et ipsi sunt Idumæi, et Philisthiim qui sunt in littore, et in funiculo maris eumdem limitem tenent. Post Palæstinos enim succedit Phœnicis regio, cujus metropolis est civitas *Tyrus*, quæ appellatur Hebraeo Syroque sermone SOR (צור). Et quia capta Jerusalem, etiam ipsa gavisa est, et insultavit ac dixit : *Confractæ sunt portæ populorum*, ego portum tutissimum habeo, illaque subversa, ad me omnis multitudo conversa est, quæ illius regebatur arbitrio, et quia illa deserta est, idcirco ego implebor, sive quæ plena fuit ante, redigetur in solitudinem. Quia igitur ista dixisti, et ruinis Jerusalem, quæ Dei judicio propter peccata sua subversa est, insultasti, propterea non per nuntios, nec per quoslibet alios, sed ego ipse ero adversum te, Tyre, et instar fluctuum maris ascendere faciam contra te Babylonios cum plurimis nationibus, quarum **295** oppugnatione muri tui et turres destruentur, intantum ut usque ad solum concidant, et pulvis illius radatur, sive in partes varias ventiletur, et sic humiliabitur, ut petræ nitidissimæ comparetur : tantaque erit in urbe, quondam frequentissima, solitudo, ut sagenæ piscatorum expandantur et siccentur in medio ejus. Ego enim Dominus locutus sum, cujus verba irrita esse non possunt, et tradam eam in direptionem gentibus. Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro sive in campo, hoc est in Phœnicis littore, urbes et oppida, vici atque castella interficientur gladio : metaphoricōs, quia filias appellavit, interfectionem ponit gladii, ut rerum fine cognoscant me esse Dominum, qui fieri ista præcepi. Potest juxta tropologiam quia SOR nomen Hebraicum vertitur in *angustiam*, omnis anima quæ perturbationibus occupata est, Sor appellari, quæ quando viderit pro suis vitiis atque peccatis Dei judicio subverti Jerusalem, in qua fuit templum et pacis visio, exsultat et ad se putat urbis quondam inclytæ imperium transferendum. Quod et in contrariis dogmatibus accipitur, et in hominibus sæculi,

[a] Supplet Victorius ex ipso τῶν LXX textu ad hunc modum : *et Azotus in meridie ejicietur, et Accaron eradicabitur.*

[b] Vitiose erat *tradam*, pro *radam*.

quando viderint hominem sanctum per negligentiam esse prolapsum et gaudent et exsultant, quasi aliorum ruina, sua sit resurrectio. Propterea Dominus comminatur, quod ipse contra hujuscemodi homines dimicet, et ascendere faciat contra eos instar marinorum fluctuum plurimas nationes, quæ destruant in eis quidquid munitissimum et firmum videtur, et ita omnia eorum argumenta subvertat, ut in pulverem rediganter. Sagenas quoque et retia quibus prius deceptam multitudinem piscabantur, cessare faciat, et in desertæ urbis solo, expandi atque siccari, ut pro illis alii subeant piscatores, quos Dominus ad piscandum misit. Sed et filias ejus, quæ prius quasi in thalamo servabantur, et pro mysticis secretioribusque doctrinis nulli facile credebantur, processuras protrahendasque in publicum, et Ecclesiastico mucrone truncandas, ut intelligant quod ipse sit Dominus, qui et Jerusalem pro peccatis parumper reliquit, et Tyri pro insultatione ejus et gaudio munimenta destruxit.

**296** (Vers. 6 seq.) *Quia hæc dicit Dominus* [a]: *Ecce ego adducam ad Tyrum* (sive *ad te* SOR) *Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu populoque magno. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet, et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro, et levabit contra te clypeum, et vineas, et arietes* (sive *lanceas*) *temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum, a sonitu equitum, et rotarum, et curruum movebuntur muri tui, dum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ* (sive *quasi ingrediens urbem de campo*). *Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ nobiles in terram corruent* (sive *substantiam fortitudinis tuæ in terram deducet*). *Vastabunt* (sive *vastabit*) *opes tuas, diripient negotiationes tuas* (sive *spoliabit substantiam tuam*) *et destruent* (vel *destruet*) *muros tuos, et domos tuas præclaras* (sive *desiderabiles*) *subvertent* (sive *vertet*) *et lapides tuos et ligna tua et pulverem tuum in medio aquarum ponent* (sive *medio maris injiciet.*) *Et requiescere faciam multitudinem cantorum* [Vulg. *canticorum*] *tuorum* (sive *destruam multitudinem musicorum tuorum*), *et sonitus cithararum tuarum* (sive *vox organorum tuorum*) *non audietur amplius. Et dabo te in limpidissimam* (sive *nitidissimam*) *petram. Siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra, quia ego locutus sum, dicit Dominus Deus.* Utramque editionem ex more conjunxi, et in quibus discrepant, ex latere copulavi, brevitati voluminum providens. Ergo quod dixerat, Ascendere faciam ad te gentes multas sicut ascendit mare fluctuans, et erit Tyrus in direptionem gentibus, tunc ponit manifestius, quod Nabuchodonosor regem Babylonis adducat Dominus ab Aquilone, regem regum, cum equis et curribus, et cum infinita exercitus multitudine, qui prius subditas Tyro in A littore civitates et castella subvertat, et postea obsideri faciat Tyrum, valletque eam exercitu, et aggere, et munitionibus, vineisque [*Al.* clypeisque] et arietibus impugnet muros et destruat, et tanta sit multitudo equitum ejus, ut pulvere equitatus, et sonitu ululantis exercitus, rotarumque strepitu et **297** equorum hinnitu, urbis fundamenta moveantur, et sic ingrediatur civitatem dissipatis muris, quasi de campo securus ingrediens, tantaque securitas sit vincentis exercitus, ut plateas Tyri conculcent equorum ungulæ; et omnis populus in medio corruat civitatis, et statuæ quondam nobiles, sive universa substantia in terram corruat, nihilque pristinarum divi- B tiarum in expugnata urbe servetur, sed cum muris domus quoque nobiles destruantur, et tanta sit victorum sævitia, ut ligna et lapides, qui residui incendio fuerint, in medium mare projiciantur, et vel Nabuchodonosor, vel ipse Dominus quiescere faciat universam urbis lætitiam, qua prius in canticis et psalteriis personabat, et ad solum usque subversa, sit siccatio sagenarum. Quodque sequitur: *Non ædificaberis ultra*, videtur facere quæstionem, quomodo non sit ædificata, quam hodie cernimus Phœnicis nobilissimam et pulcherrimam civitatem. Ex quo quidam volunt in ultimo tempore hæc Tyrum esse passuram, quæ postea non sit ædificanda. Sed quomodo Nabuchodonosor personam servare poterunt: præsertim cum legamus in consequentibus Nabuchodonosor oppugnasse Tyrum, et laboris sui non accepisse mercedem: et propterea tradi ei Ægyptum, C quia Dei sententiæ in Tyri oppugnatione servierit? Græcas et Phœnicum maximeque Nicolai Damasceni, et alias Barbarorum aiunt se, qui huic historiæ contradicunt, legisse historias, et nihil super oppugnatione a Chaldæis invenisse Tyriæ civitatis, cum probare possimus multa dici in Scripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non inveniantur; nec debere nos eorum auctoritati acquiescere, quorum perfidiam et mendacia detestamur. Potest ergo quod dicitur, *nec ædificaberis ultra*, sic accipi, quod nequaquam ultra sit regina populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit sub Hiram et cæteris regibus; sed vel Chaldæis, vel Macedonibus, vel Ptolemæis, et ad postremum Romanis regibus servitura sit. Nulli autem ambiguum juxta anagogen Nabuchodo- D nosor regem Babylonis, qui venit ab Aquilone, diabolum intelligi, qui cum sit ventus durissimus et sinister, nomine *dexter* vocatur, præsumens sibi nominis dignitatem, et est rex regum **298** omniumque regnorum, quæ ostendit Domino, dixitque ad eum: *Hæc omnia mihi tradita sunt, quæ dabo tibi si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Iste habet equos et currus, de quibus scriptum est: *Fallax equus in salutem* (*Ps.* XXXII, 17). Et: *Dormierunt omnes qui ascenderunt equos* (*Ps.* LXXV). Et in alio loco: *Equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV, 1). Iste filias Tyri, animas in angustia et in quo-

[a] Addit Victorius *Deus*, ex Vulgata Hebraicoque textu.

dam peccatorum carcere positas, interficit in agro campoque latissimo, et circumdat Tyrum munitionibus suis, ut clausam teneat, et nullus ex ea Babylonii regis evadere possit imperium. Destruet muros turresque subvertet, et quidquid forte habuit in dogmatibus, inundatione equorum ejus et sonitu equitum rotarumque et curruum strepitu pertremiscet, et ingredietur portas ejus, nullo prohibente, et plateas civitatis: *Quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13), equorum ejus calcabunt ungulæ, universamque substantiam sive statuas nobiles, quibus sibi imagines finxerant falsitatis, de quibus scriptum est: *Domine, in civitate tua imagines eorum dissipabis* (*Ps.* LXXII, 20), ad terram dejiciet, et destructis muris, domus quoque nobiles subvertentur, quas sibi paraverat, et in quibus exsultabat, atque in tantam desolationem veniet, ut lapides ejus et ligna quibus ædificaverat muros, et cæmenta construxerat, projiciant in profundum, canticaque ejus et musica, quibus sibi in sapientia hujus sæculi confidebat, et omnis cithararum sonus non audietur amplius, et piscatio ejus cessabit, et erit humilis, ita ut siccatio sagenarum, et ultra non ædificetur, quia ad Domini sententiam tradita Nabuchodonosor, omnino subversa est, juxta quod et Apostolus dicit: *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Loca difficilia sunt, et prudens lector ac diligens debet ignoscere labori meo. Aut si melius quid potuerit invenire, et ego in ejus transibo sententiam: dummodo noverit veniam quam mihi tribuet, se ab aliis accepturum.

(Vers. 15 seq.) *Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ? Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abjicient, et induentur* 299 *stupore. In terra sedebunt, et attoniti super repentina casu tuo admirabuntur, et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis quos formidabant universi? Nunc stupebunt naves in die pavoris tui, et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te.* LXX: *Quia hæc dicit Dominus Deus Sor. Nonne a voce ruinæ tuæ cum ingemuerint vulnerati tui, cum evaginatus fuerit gladius in medio tui, commovebuntur insulæ, et descendent de sedibus suis omnes principes maris, et auferent coronas suas, et vestimentis suis variis nudabuntur? Furore insanient: in terra sedebunt, et formidabunt perditionem suam, et gement super te, et assument super te lamentum, et dicent tibi: Quomodo peristi et dissipata es in mari, urbs laudata, quæ fuisti fortis in mari ipsa, et habitatores ejus, quæ dedit timorem suum omnibus habitatoribus suis? Et formidabunt insulæ in die ruinæ tuæ, et turbabuntur insulæ in mari in exitu tuo.* Primum ipsa historiæ verba pandamus brevissima μεταφράσει sensum dictorum aperientes. *Hæc dicit Adonai Dominus Tyro*, quæ Hebraice appellatur SOR (צר): Numquid in die ruinæ tuæ, quando Nabuchodonosor oppugnante, corrueris, et in gemitu vulneratorum, sive interfectorum, qui occisi fuerint in medio tui, non commovebuntur insulæ? Et descendent omnes reges de sedibus, sive soliis suis, et principes maris qui diversis imperant insulis, et auferent diademata de capitibus suis, omnem regnandi gloriam deponentes et vestes pretiosissimas, et incredibili varietate fulgentes, abjicient a se, et stuporis magnitudine vertentur in amentiam, atque humilitate dejecti, sedebunt in terra, et cum te viderint corruisse, sibi similia formidabunt: nihilque putabunt in terræ bonis esse perpetuum; sed e contrario assument super te lamentum, et flebile canticum commemorabunt, dicentes: Quomodo peristi quæ habitas (*Al.* habitabas) in mari, urbs inclyta, sive laudata? Tyrum enim fuisse insulam, et nullum habuisse de terra introitum, in Græcis, Latinisque, et Barbaris historiis legimus: sed postea a Nabuchodonosor rege Chaldæorum, vel, ut nonnulli affirmant, ab 300 Alexandro, rege Macedonum, jactos esse aggeres, et oppugnatione vineisque, et arietibus locum præparatum, ac de insula factam esse peninsulam. Tu igitur, o Sor, o Tyre, quæ quondam fuisti in cunctis fortissima insulis, sive in urbibus omnium voce laudata cum habitatoribus tuis, quos universi timebant, quomodo subito corruisti? Nunc stupebunt, sive pavebunt super te *insulæ*, et ut melius habetur in Hebraico, *naves*, in die pavoris et ruinæ tuæ, et turbabuntur insulæ in mari. Unde consequentius est supra *naves* legere, ne secundo ponantur *insulæ*; eo quod nullus egrediatur ex te, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *in die egressionis tuæ*: quando fueris ducta captiva. Hæc interim quasi quædam historiæ jacta sint fundamenta: nunc spirituale nitemur culmen imponere. Finge aliquem, diu servata pudicitia, multis floruisse virtutibus, et postea in aliquo gravi mortalique peccato esse collapsum: nonne ad sonitum ruinæ ejus interfectarumque virtutum omnes insulæ movebuntur: hi videlicet qui salsis amarisque hujus sæculi undantur fluctibus? et descendent de throno superbiæ suæ, omnes qui in sæculi hujus salsugine principes videbantur, et humilitate dejecti, auferent diademata de capitibus suis, quæ videbantur bonis operibus possidere, et vestimenta varia diversitate virtutum abjicient et induentur stupore, sive timoris magnitudine quodammodo videbuntur insani; sedebuntque humi, et stupentes super repentino casu ejus admirabuntur: in tantum ut omnes assumant planctum et lamentationem super eum qui corruit, et dicant: Quomodo peristi, qui prius salvus eras? quomodo corruisti, qui tanto tempore steteras, qui in mari hujus sæculi inter omnes inclytos putabaris, qui eras cunctorum opinione robustus? et habitatores [a] tui, hoc est, cogitationes

[a] Pro *tui*, quod Vaticani ms. ope restituimus, vitiose, nulloque, aut incongruo sensu erat, *Tyri*. Li-

fortissimæ adversum omnia ignita diaboli jacula resistentes, quæ prius erant formidini omnibus adversariis, versæ sunt in stuporem. Sed et naves, omnes videlicet sancti, qui hujus sæculi fluctus transeunt, obstupescent cum te viderint concidisse. In die pavoris et ruinæ tuæ turbabuntur insulæ, ne et ipsæ **301** similia sustineant. Aliorum enim ruinæ exempla justorum sunt, dum omnes infirmo et imbecillo statu fluctuantique vestigio in isto sæculo commoramur, et numquam est nostra certa securaque victoria : quando egredientur ex te qui prius steterant; vel in exitu tuo, in fine et consummatione tua. Non enim ex præteritis, sed ex præsentibus judicamur. Cavendumque est, et semper timendum, ne veterem gloriam et solidam firmitatem, unius horæ procella subvertat.

(Vers. 19 seq.) *Quia hæc dicit Dominus* [Vulg. addit *Deus*]: *Cum dedero te urbem desolatam sicut civitates quæ non habitantur, et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ, et detraxero te cum his qui descendunt in lacum* (sive *ad eos qui descendunt in foveam*) *ad populum sempiternum, et collocavero te in terra novissima* (sive *in profundo terrarum*) *sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum* (sive *descendunt in foveam*), *ut non habiteris, et* [Vulg. *Porro cum*] *dedero gloriam in terra viventium* (sive *ut non resurgas in terra viventium*), *ad nihilum redigam te* (sive *perditionem dabo te*) *et non eris, et requisita non invenieris* [Vulg. addit *ultra*] *in sempiternum, dicit Dominus Deus.* Cum superioribus junge quæ dicta sunt. Quando te dedero, o Tyre, urbem in perpetuum desolatam, sicut civitates sunt aliæ quæ omnino non habitantur, et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ, vel hostium infinitæ multitudines, vel certe qui ad insulam loquitur et ad urbem in insula constitutam tropologice adversariorum frequentiam abyssi fluctibus comparat : et detraxero te cum his qui deseendunt in lacum, sive in foveam, ad eos qui in inferno sunt, de quibus et in Psalmis legimus : *Introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt* (*Ps.* LXII, 10, 11) ; ad populum sempiternum, ubi est fletus oculorum, et stridor dentium, et posuero te in terra novissima, in qua antiquus draco constitutus est, et sicut veteres solitudines atque deserta ; ubi nulla bonorum recordatio, sed pœnæ erunt sempiternæ, neque te fecero suscitari in terra viventium, de qua scriptum est : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4). Et in alio loco : *Placebo Domino* **302** *in regione vivorum* (*Ps.* CXIV, 9) : tunc redigeris in nihili, sive peribis in æternum, et ultra non eris, secundum illud quod in alio psalmo scriptum est : *Dimitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero* (*Ps.* XXXVIII, 14). Non quod esse desistat qui in pœnis est sempiternis : sed quod qui Deo non vivit, in Scripturis sanctis dicatur non subsistere. Unde et Esther contra idola loquens : *Ne tradas*, inquit, *sceptrum tuum his qui non sunt* (*Esther* XIV). Utique erant quibus obsecrat ne tradatur ; sed Deo non erant, qui virtutibus, et viventi Deo esse cessarant. Et hoc notandum, quod quæritur Tyrus ab eo qui venit quærere, et salvum facere quod perierat, et nonaginta novem ovibus in montibus derelictis, quærit unam erroneam ovem (*Luc.* XIX). Mulier quoque quæ unam drachmam perdiderat, quærit, et invenit, et vicinas convocat ad lætitiæ societatem (*Ibid.*, 15). Sin autem requisita non invenitur Tyrus, non est quærentis vitium, sed ejus qui boni pastoris fugerit manum. *Et ultra*, inquit, *non eris in sempiternum* ; sive ut [a] in Hebraico עוֹלָם OLAM, et in Græco αἰῶν, scribitur, unum sæculum significat, juxta illud Isaiæ, qui post septuaginta annos dicit Tyrum restituendam in integrum statum (*Isa.* XXIII). Aiunt autem unum sæculum, id est, humanæ tempus ætatis, septuaginta annorum numero supputari, Psalmista dicente : *Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni. Sin autem in potentatibus, octoginta anni, quidquid supra, labor et dolor est* (*Ps.* LXXXIX, 10). Hoc metaphrastice breviter de Tyro diximus. Quod et ad eos referri potest qui in angustia hujus sæculi constituti, deducuntur ad inferos, et operiuntur abyssis fluctibusque pœnarum, et trahuntur ad inferiora terræ, et his copulantur qui in veteri solitudine sunt, et deducuntur in lacum, sive in foveam sempiternam, ut ultra non habitentur a Spiritu sancto. De quibus scriptum est : *Impius cum ceciderit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Nec de cætero erunt in terra viventium, sed peribunt, et redigentur ad nihili, et Deo esse cessabunt. Quibus testimoniis abutuntur, qui dicunt impiorum [b] et non peccatorum pœnas esse perpetuas : qui quæsiti a Deo, non sunt inventi ; **303** et in æternum esse cessarunt : quia suo vitio perdiderunt eum qui dicit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6).

(Cap. XXVII.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Tu ergo, fili hominis, assume super Tyrum lamentum, et dices Tyro quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas* (sive *ab insulis multis*). *Hæc dicit Dominus Deus.* Si voluero totam prophetiam contra Tyrum, sive super lamentatione Tyri, uno sermone comprehendere, et lon-

quet Hieronymum insistere Scripturæ verbis ad Tyrum, *quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi.*

[a] Omittunt editi libri particulam ל, *lamed*, legentes עולם, quod sine *lamed* non potest sonare *in sempiternum*. MART.

[b] Pluribus hac de re in fine commentariorum in Isaiam diximus, et ad dialog. 1 contra Pelagian., num. 28. Duplicem nempe damnatorum classem distingui oportere ad Hieronymi mentem, quorum alios, quos ille impios vocat, æteruis, alios quos peccatores, sive quos aut peccatorum pœnituerit, aut leviora crimina obstrinxerint, finiendis aliquando cruciatibus deputat. Confuso autem antea atque incommodo sensu legebatur, *qui dicunt impiorum atque peccatorum pœnas non esse perpetuas*. Nobis ad veram lectionem restituendam suppetias tulere Vaticanæ Chartæ et Rabanus.

gum faciam, et sensum lectoris obscurum ; dum omnia simul non potest mente retinere, præcipue in quibus ab Hebraico in hoc loco LXX editio discrepat, hoc est, quæ addiderint, quæve subtraxerint. Itaque nostra erimus interpretatione contenti, et sicubi dissonant, ex latere copulabimus, perfectam omnium Deo [a] scientiam relinquentes : et quid nobis videatur in singulis, breviter admonebimus. Qui plangitur, adhuc curæ est ei a quo plangitur. Unde et Samuel flebat atque plangebat super Saul (II *Reg.* xv). Et apostolus Paulus lamentatur et luget super his qui fornicati sunt et non egerunt pœnitentiam (II *Cor.* xii). Et Jeremias Lamentationes super eversione Jerusalem quatuor scribit alphabetis. Habitat ergo, juxta litteram, Tyrus, sive Sor, in introitu maris : vel quod prius insula fuit, vel quod portu tutissimo de alto venientes recipit naves, et est negotiatio populorum ad insulas multas, sive de insulis multis. Quod quidem usque hodie perseverat, ut omnium propemodum gentium in illa exerceantur commercia. Cœptam autem interpretationem sequentes, quidquid de Tyro dicitur, referamus ad συνοχήν, id est, *angustias* istius mundi, qui in maligno positus est, et variis perturbationibus quasi fluctibus coarctatur atque percutitur. De hujuscemodi negotiatoribus et in psalmo mystico sermone narratur : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo* (*Ps.* cvi, 23, 24).

(Vers. 3.) *O Tyre, dixisti, Perfecti decoris ego sum* (sive *dixisti, Circumdedi mihi ego decorem*) *et in corde maris sita.* Primum crimen est Tyri, si quid videtur habere boni, non Dei putare, sed suum, et **304** omnem pulchritudinem, quæ illi de diversis venit regionibus propriæ æstimare diligentiæ atque virtutis. Dixit enim : *Perfecti decoris ego sum*, sive *ego mihi circumdedi decorem*, cum sit in corde, hoc est, in medio maris sita, et quasi insula moveatur, et fluctuet, et undarum illisionibus confringatur. Quod autem cor maris, medium significet, et ille propheticus sermo demonstrat : *Propterea non timebimus cum conturbata fuerit terra, et translati montes in cor maris. Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum* (*Ps.* xlv, 2, 3). Sed et Dominus noster in corde terræ, hoc est, in medio, ad [*Al.* et ad] inferos dicitur descendisse. Vera autem et perfecta pulchritudo in nullo hominum, nisi in Christi corpore, quod interpretatur Ecclesia, et multorum sanctorum virtutibus congregatur. Unde et ipse loquitur ad sponsam : *Tota pulchra es, proxima mea, et macula non est in te* (*Cant.* iv, 7).

(Vers. 4, 5.) *Finitimi tui qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris. Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum.* [b] Pro quo nescio quid volentes, ita LXX transtulerunt : *Beelim filii tui circumdederunt tibi decorem : cedrus de Sanir ædificata est tibi : tenues tabulas cypressinas de Libano tulerunt, ut facerent tibi malos abiegnos.* Sermo enim *Beelim*, in hoc loco apud Hebræos penitus non habetur, sed pro *Beelim* scriptum est GEBULAIC (גבוליך), quod significat *terminos tuos*. In eo quoque quod dixerunt, *filii tui*, verbi ambiguitate decepti sunt, et scripturæ similitudine, dum pronuntiatione diversa eædem litteræ, *cæmentariorum*, [c] *et filiorum*, BONAICH et BENAICH (בניך) leguntur. O igitur Tyre, quæ dixisti per superbiam, Perfecti decoris ego sum, sive ego decorem mihi circumdedi, cum sis sita in medio mari, audi quanta tibi Dei largitate collata sint. Finitimi et contermini tui, qui non de longinquis, sed de vicinis sunt regionibus, ipsi impleverunt decorem tuum, et tu putas tuum esse quod alienum est ? Et loquitur quasi ad navem τροπικῶς, urbis significans pulchritudinem, et rerum omnium abundantiam, ut postquam universam illius supellectilem descripserit, malum, antemnas, **305** remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria, pelles, et cætera quibus navium optime instructarum usus indiget : tunc tempestatem illi, et ventum austrum, quo fluctus maximi commovebuntur, venire denuntiet, et eam subjacere naufragio. Per quæ significat urbis Tyriæ eversionem a rege Nabuchodonosor, sive, ut multi putant, ab Alexandro rege Macedonum, qui sex mensibus ipsam urbem obsedisse, et cepisse narratur, postquam Darium vicit in Lycia. Juxta mysticos vero intellectus, abietibus sive cedris de Sanir, navis Tyriæ tabulata cæduntur, quibus texitur atque compingitur, et cedro sive cyparisso de Libano malus ejus : [d] abietibus propter lævitatem [*Al.* levitatem] juncturasque tabularum mollius invicem se tenentium atque mordentium : sive cedris, quod lignum imputribile est. De *Sanir* autem dicitur, quod interpretatur *via lucernæ* ; aut ut nos verius arbitramur, *dens vigiliarum*, eo quod omnis navis prosperitas, et illustratio venerit ex vero lumine. Sanir autem mons juxta litteram ipse est qui et Hermon, quem alii vocant Sanior. Lege historiam. *Libanus* interpretatur *candor*, sive *dealbatio* : quod et ipsum ad gratiam pertinet aliunde venientem.

(Vers. 6.) *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos : transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, et*

[a] Sic habent post Victor. mss. quoque nostri. Martianæus, post Erasmum, *sententiam*.

[b] Qui suo loco subsequitur ex LXX interpretatione versiculus, hic quoque frustra, atque incommodo ad seriem orationis respectu ponebatur, quem nos ad mss. fidem expungimus, et suo semel loco recensemus.

[c] Legunt iidem editores Erasm. et Marian., secundam vocem *benaich*, quæ *filios tuos* significat ; sed non legunt primam *bonaich*, quæ *cæmentarios*, sive *ædificatores tuos* sonat. Distincte tamen mss. codices retinent voces a nobis editas ; unde facilis est conjectura, nulla manuscripta exemplaria contulisse mox citatos auctores ad restitutionem Hebraicorum verborum. MART.

[d] Supplet Victor, quorumdam ope mss. verbum *erigitur*.

*prætoriola de insulis Italiæ.* LXX : *De Basan fecerunt remos tuos, et templa tua, et fecerunt tibi ex ebore domos silvestres de insulis Chettiim.* Quanta pulchritudo navis, et supellectilis ejus, ut remos haberet cedrinos, non undelibet, sed de Basan, et transtra eburnea, et prætoriola, sive cellaria, in quibus merces pretiosissimæ reponuntur, de insulis *Chettiim*, quod nos in *Italiam* vertimus : ex ea regione quæ Græciæ propinquior est, omnes Occidentalium insularum partes intelligentes. Dicamus ergo juxta anagogen, remos fieri navis Tyriæ de Bazan, de qua et in Psalmis scribitur : *Dixit Dominus, de Bazan convertam de profundo maris* (*Ps.* LXVII, 23). Basan in lingua nostra interpretatur *ignominia*. Eos igitur qui fuerunt in profundo maris, et ignominia peccatorum, convertit Deus, et convertit in remos, ut cum Apostolis navigantes, possint ad terram, et **306** ad littora pervenire ; et fiunt transtra de ebore, cum mortificaverint corpora sua : vel usum dentium ad laudes Dei contulerint, et prætoriola, sive cellaria de insulis Chettiim, quæ juxta Hebraici sermonis etymologiam vertitur in *percussam*, ut plagis diaboli non tam interfecta sit, quam probata. Possumus ex ebore, et silvestres domos dicere de insulis Chettiim, quas hæretici non in domo Dei, sed in navi Tyria fabricare conantur. Et ipsi habentes ebur suum sermonis, et linguæ ædificantes templa Dei templo contraria, et domos silvestres, habitacula bestiarum, cum Scriptura dicat in domo Dei nemora, et silvas, ac lucos non esse plantandos (*Deut.* XII).

(Vers. 7.) *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo : hyacinthus et purpura de insulis Elisa, facta sunt operimentum tuum.* LXX : *Byssus cum varietate de Ægypto facta est tibi in stratum, ut circumdaret tibi gloriam, et operiret te hyacintho, et purpura, de insulis Elissa facta sunt operioria tua.* Quia dixerat Tyrus, *Perfecti decoris ego sum*, vel *circumdedi mihi ipsa pulchritudinem*, arguitur quid a singulis acceperit regionibus, secundum illud Scripturæ : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7) ? Describitur ergo quid unaquæque mittat provincia, secundum illud Virgilianum (*Georg.*, lib. I) :

India mittit ebur : molles sua thura Sabæi :
At Calybes duri ferrum, virosaque Pontus
Castorea,

et cætera. Byssus in *Ægypto* quam maxime nascitur, ex qua contextum est Tyriæ navis velum, quod A suspenditur malo, et operimentum illius, quod in solis calore atque tranquillo nautis atque vectoribus præbet umbraculum, de hyacintho et purpura fit ; quæ sunt de insulis Elisa, Ionii maris sic appellans insulas. Porro juxta Septuaginta de bysso in stratum, et in requiem Tyriæ navis velamenta texuntur, ut his operta gloriosior sit, et circumdata amictum habeat pulchriorem. Byssum autem referri ad terram, quia ex terra oritur, et hyacinthum ad aerem, purpuram ad mare ex quo conficitur, addito coccino bis tincto, quibus Pontificis vestimenta **307** texuntur, sæpe admonuimus quod quatuor elementa significent : terram, ignem, aerem, et aquas, ex quibus constant omnia, quæ sibi assumit Tyrus, ut Dei creaturis non utatur cum gratia, sed dicat : Perfecti B decoris ego sum : vel, decorem mihi ipsa circumdedi.

(Vers. 8, 9.) *Habitatores Sidonis, et Aradii fuerunt remiges tui. Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. Senes Biblii et prudentes ejus præbuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ. Omnes naves maris, et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.* LXX : *Principes tui habitabant in Sidone, et Aradii fuerunt remiges tui. Sapientes tui Sor qui erant in te, isti gubernatores tui. Senes Biblii, et sapientes ejus erant in te : isti confortabant consilium tuum, et omnes naves maris, et remiges earum facti sunt tibi in Occidentem Occidentis.* Dixerat supra : *Finitimi tui qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum :* antequam veniant ad eos qui longe habitant, proximarum provinciarum describit auxilia. C *Habitatores*, inquit, *tui*, sive principes Sidonis et Aradii, quæ vicina est insula, remiges tui. Sapientes tui, o Tyre, facti sunt gubernatores tui. Ad sapientes enim proprie pertinet gubernatio, Scriptura dicente : *Quibus non est gubernatio, cadent quasi folia* (*Prov.* XI, *sec.* LXX). Senes sive seniores [a] Biblii, et prudentes ejus præbuerunt nautas ad ministerium tuum, sive confortaverunt consilium Tyri, et variam supellectilem præbuerunt : omnesque naves maris, et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis Tyriæ, sive in Occidentem Occidentis. Hoc interim secundum litteram. Cæterum juxta mysticos intellectus quia *Sidonii* interpretantur *venatores*, et *Aradii*, *deponentes :* dicemus Tyrum gloriosam, et superbissimam civitatem, quæ, vento flante, postea D conterenda est, habere cives, sive principes venatores, de quibus scriptum est : **308** *Anima nostra quasi passer erepta est de laqueo venantium.* Ubi enim nos legimus *venantium*, [b] in Hebræo scriptum est,

[a] Consule Scaligerum in Append. ad librum de Emendatione Temporum. Victorius quoque *Biblii* supra atque infra legi vult ad Hebræum גבל, factumque errore librariorum penes LXX Βιβλίων, pro Γιβλίων. At vero quæstionem præcidit omnem Hieronymus in Eusebiano Libro Locorum ad B litteram ex libris Regum, *Biblos*, inquiens, *civitas Phœnicis cujus meminit Ezechiel, pro qua in Hebraico continetur GOBEL.* Idem itaque Biblii sunt atque Giblii. Vid. III Reg. V, in fine.

[b] Hoc Psalmi testimonium laudans S. Doctor, ut probet *Sidonios* in *venatores* verti, memoriæ videtur confisus suæ, Hebraicum exemplar consulere prætermisisse. In omnibus enim libris hoc loco habetur in Hebræo *Jocesim*, יוקשים, non, ut ipse ait, *Sidonim;* Et *Joces* quidem *auceps ; venator* autem צייד *Saiad* proprie dicitur. Quamobrem rectius in libro Nominum, *Sidon*, *interpretatur venator mœroris.* Verum, inquit Victor., adeo constanter Hieron. hoc semper asserit, ut non eum lapsum memoria, sed mutatum codicem Hebraicum jam credam. Infra cap. XXVIII : *Sidonii*, inquit, *interpretantur venatores, de quibus et in Psalmis scriptum est : Anima nostra sicut passer*, etc. Et cap. XXXII : *In Hebraico verius positum est*,

*Sidoniorum*. Isti venantur incautas animas in sublimibus constitutas, ut ad terrena deducant, et efficiuntur remiges, ut ducant eas ad naufragia. Sapientes autem Tyri, qui in malam partem accipiuntur, per quam sapientiores sunt filii tenebrarum a filiis lucis, ipsi gubernant Tyrum naufragio præparatam (*Luc.* XVI). Seniores Biblii et prudentes ejus præbuerunt nautas Tyro ad ministerium, sive confortaverunt consilium ejus. Sacra narrat historia, seniores plurimos fuisse a Domino reprobatos, et juniores electos in typum Synagogæ et Ecclesiæ. Senior Cain adjicitur, et Abel junior eligitur (*Genes.* IV): Ismael filius Abraham alienus a patre est, et Isaac junior hæreditatem accepit (*Genes.* XXI). Filiorum quoque Isaac senior Esau venator est, et vagatur in saltibus, junior Jacob simpliciter habitat domi (*Genes.* XXV). Unde scriptum est et in Malachia: *Jacob dilexi: Esau autem odio habui* (*Mal.* I, 2). Et recte juxta Apostolum (*Rom.* IX, 13), nihil in matris utero constituti boni vel mali fecerant, nec habebant meritum nec offensam, ut alter eligeretur, et alter abjiceretur, nisi quod in typo, ut diximus, Synagogæ et Ecclesiæ, senior repellitur, et assumitur junior. Omnes, inquit, naves maris et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis Tyræ, sive in Occidentem Occidentis. Quomodo dicitur Canticum Canticorum, et sæculum [*Al.* sæcula] sæculorum, et opera operum; ut canticum majus aliis canticis sit, et sæculum prolixius aliis sæculis, opusque cæteris operibus utilius: sic appellatur Occidens Occidentis, ut magnitudinem Occidentalium partium significet. Et pulchre naves maris, et nautæ earum, et remiges qui in Tyriæ navis auxilio sunt, non pergunt ad Orientem, nec ad ortum luminis, ubi sol justitiæ nascitur, sed ad Occidentem Occidentis, ubi lumen occumbit, **309** et ubi tenebrarum exordium est.

(Vers. 10.) *Persæ et Lydi* [Vulg. *Lydia*] *et Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui: clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo* (sive *peltas, et galeas suspenderunt in te ipsi dederunt gloriam tuam*). Persas fuisse fortissimos, quorum rex Cyrus, ut Isaiæ vaticinio prædicatur (*Isa.* XLV), subverso Astyage, rege Medorum, Babylonem ceperit, et sacra, et sæcularis narrat historia. Lydos quoque illo tempore inter gentes robustissimas reputatos, quorum rex Crœsus ab eodem Cyro captus sit, Xenophon scribit plenissime. Et Libyas cum Troglodytis et Æthiopibus venisse contra Jerusalem, in Paralipomenon volumine legimus (II *Par.* XII): qui quia illis temporibus florentissimi erant, famosi ad prælia pugnatores, Tyriæ urbis defensores esse memorantur, et ad terrendos hostes scuta et galeas inter murorum propugnacula suspendisse. Spiritualis autem intelligentia illud sonat, quod *Persæ*, qui interpretantur *tentantes*, sive *tentati*; et *Lydi*, quos *generatos* intelligimus; et *Libyes*, qui Hebraico sermone appellantur PHUT (פוט), et vertuntur in *os* (ab ore, non ab osse), frustra Tyrum nitantur defendere, cum tentatione superentur, et generationi ac libidini serviant, cassaque tantum verba multiplicent, non habentes galeam salutis, nec scutum fidei (*Ephes.* VI); sed gloriam tantum strepitumque sermonum prætendant ad ornatum illius.

(Vers. 11.) *Filii Aradii cum exercitu tuo* [Al. *suo*] *erant super muros tuos in circuitu: sed et Pygmæi qui erant in* [a] *turribus tuis, pharetras suas* [Al. *tuas*] *suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.* LXX: *Filii Aradiorum, et fortitudo tua super muros tuos, in circuitu custodes in turribus tuis erant. Pharetras suas suspenderunt super propugnacula tua per gyrum. Ipsi perfecerunt decorem tuum.* Verbum GAMADIM (גמדים), Aquilæ prima editio, *Pygmeos*: Symmachus, [b] *Medos*: Septuaginta, *custodes*: Theodotio *Gomadim*, ipsum Hebraicum, interpretati sunt. Aradum insulam quæ tota sit civitas, et contra se positum oppidum Antaradum habeat, vicinaque sit Tyro, et prætendat in Phœnicis littore **310** continentis terræ, usque hodie cernimus: hi sunt in exercitu urbis Tyriæ custodesque turrium ejus, et suspenderunt pharetras suas per gyrum, complentque pulchritudinem ejus, ut sagittarii esse doceantur, sive pygmæi sunt, hoc est bellatores, et ad bella promptissimi, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, quæ Græco sermone in *certamen* vertitur. Sin autem Aradii *deponentes* sonant, omnis qui prætendit falsi nominis scientiam, et habet in pharetra pectoris sui ignita diaboli jacula, quibus deceptorum corda vulnerat atque succendit, Aradius appellandus est. Cupit enim deponere eos qui nituntur ad alta conscendere, et complet pulchritudinem Tyri, de qua in Proverbiis scriptum est: *Non te decipiat pulchritudinis desiderium, ne capiaris oculis tuis* (*Prov.* VI, 25). Et iterum: *Sicut inauris in naribus porcæ, sic mulieri malemoratæ pulchritudo* (*Ibid.* XI, 22).

(Vers. 12.) *Carthaginenses negotiatores tui a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.* Non solum in præsenti loco, sed et in Isaia, ubi scriptum est: *Ululate naves Carthaginis* (*Isai.* XXIII, 14), cæteri Interpretes verbum Hebraicum transtulerunt THARSIS (תרשיש), quam coloniam esse Tyriorum nulli dubium est. Ipsi de Occidentis partibus argento, ferro, stanno, et plumbo, Tyri nundinas repleverunt. *Tarsis* in lingua nostra

*universi Sidonii; quos nos in venatores vertimus, juxta illud quod scriptum est: Anima nostra erepta est sicut passer de laqueo venantium, pro quo in Hebraico positum est Sidoniorum.*

[a] Ad mss. fidem restituimus post Victorium *turribus*, juxta Hebræum במגדלותיך, et Latinam Hieronymi versionem. Martianæus cum Erasmo *urbibus* retinuit.

[b] Duobus facile verbis גם מדים, *Gam madim*, pro uno *Gamadim* legerit Symmachus, qui ἀλλὰ καὶ Μῆδοι, *sed et Medi*, est interpretatus. Mox Archint. ms.: *Theodotio Gomodim ipsum*, etc.— Theodotio legebat *Gomadim*, non *Gammadim*, ut falso ponitur in antea editis libris. MART.

sonat *exploratio gaudii*. Exploratores autem hic non in bonam partem debemus intelligere, quales Moyses miserat ad explorandam terram repromissionis (*Num.* XIII), sed in contrariam, quales et Apostolus vitare se dicit : *Propter subintroductos falsos fratres, qui intraverunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo* (*Galat.* II, 4) : et de quibus Joseph loquitur : *Exploratores estis : considerare vestigia regionis venistis* (*Gen.* XLII, 9). Fratresque ejus intelligentes crimen esse non modicum aliena per insidias explorare, responderunt : *Non sunt exploratores servi tui.* Isti ergo nundinas Tyri non auro, nec lapide pretioso, sed argento, ferro, stanno, plumboque multiplicant, habentes eloquii venustatem, et arma ad expugnandum ; et in stanno eloquii similitudinem quod mentitur argentum ; et in plumbo impietatem gravissimam, **311** juxta Zachariam (*Zach.* V), in quo mulier sedit super talentum plumbi, et Ægyptii demersi sunt in profundum sicut plumbum. Longa singulorum disputatio metallorum, sed brevitati studendum est.

(Vers. 13, 14.) *Græcia, Thubal, et Mosoch ipsi institores tui ; mancipia et vasa ænea* [Vulg. *ærea*] *adduxerunt populo tuo : de domo Thogorma equos et equites, et mulos adduxerunt ad forum tuum.* LXX : *Græcia universa, et adjacentia ejus, ipsi negotiatores tui in animabus hominum, et vasa ænea dederunt mercatum tuum : de domo Thorgama, equos et equites, et mulos dederunt nundinas tuas.* Jones, inquit, qui Hebraice appellantur Javan, et Thubal, id est, Iberi Orientales, vel de Occidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur, et Mosoch, quos Cappadocas intelligimus, quorum metropolis quæ postea ab Augusto Cæsare Cæsarea appellata est, usque hodie lingua ipsorum Mazaca dicitur : isti pretiosum Tyri fecere commercium, ut mancipia, et ænea vasa ex Corintho adducerent Tyrum, et de domo Thogorma, id est, de Phrygia equos, et equites et mulos, quorum quondam illa provincia maximam habuit copiam. Aiunt Hebræi Græciam, id est, [a] Javan, interpretari [b] *est, et non est* : quod proprie refertur ad sapientiam sæcularem, in qua si recte aliquid reperiunt, *est* appellatur ; si in contrariam partem, *non est*. Multa enim naturæ bono [*Al.* bona] et ipsi disserunt de officiis, de continentia, de opibus contemnendis : quod proprie sibi Stoici vindicant, et videntur animas hominum quos deceperunt, lucrifacere : habentque vasa ænea, quibus mentiuntur auri similitudinem, quæ ingerunt populis Tyri, ut eos falsæ doctrinæ opinione sup-

plantent. De domo quoque Thogorma, quod interpretatur *peregrinus* et *advena*, ad forum et nundinas ejus equi adducentur, et equites et muli, de quibus scriptum est : *Fallax equus ad salutem* (*Ps.* XXXII, 17). Et in alio loco : *Dormitaverunt omnes qui ascenderunt equos* (*Ps.* LXXV, 7). Et in Psalmis : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Ps.* XXXI, 9). Quamobrem et Doech **312** accusator et interfector sacerdotum ; præfectus multorum fuit (II *Reg.* XXII), et hos esse de domo advenæ atque peregrini, qui non comedunt carnes agni, de quibus scriptum est : *Advena et mercenarius non comedent ex eo* (*Exod.* XII, 43) ; ut omnes nundinæ Tyri his mercimoniis compleantur.

*Filii Dadan negotiatores tui.* Pro quo nescio quid volentes Septuaginta, *filios Rhodiorum* interpretati sunt : nisi forte primæ litteræ falsi similitudine (ד *et* ר), ut pro Dadan legerent Radan, quæ et ipsa Cycladum maxima est, et in Ionio mari quondam urbs potentissima, navalique certamine gloriosa, et propter tutissimum portum mercatorum omnium receptaculum. Et quia *Rhodii* in linguam nostram vertuntur *videntes judicium*, de his nunc tropologice dicitur, qui cernunt judicii veritatem, et ipsi non faciunt, dicente Apostolo : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alium, teipsum condemnas. Eadem enim facis quæ judicas* (*Rom.* II, 1). Sed melius est Dadan alterius loci nomen accipere, ut et in Hebraico, et apud cæteros interpretes habetur.

(Vers. 15, 16.) *Insulæ multæ negotiatio manus tuæ : dentes eburneos et hebeninos commutaverunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus, propter multitudinem operum tuorum,* [c] *guttam, purpuram, et scutulata, et byssum et sericum, et Chodchod* [Vulg. *coccum*] *proposuerunt in mercatu tuo.* LXX : *Ex insulis multiplicaverunt negotiationem tuam : dentes elephantinos, et his qui introducebantur reddebas mercedes tuas. Homines negotiationem tuam a multitudine mercatus tui : in aphec, stacten, et polymita de Tharsis et Ramoth et Chodchod dederunt in nundinas tuas.* Multum ab Hebraico in præsenti loco Septuaginta editio discrepat ; ideo juxta utramque pauca dicenda sunt : ne in Tyri mercimoniis occupati, ad reliquas prophetias tardius transeamus. Filii Dadan negotiatores Tyri, de multis insulis multiplicaverunt negotiationem ejus, ita ut dentes elephantorum darent his qui veniebant ad commercium ejus, et haberent homines in nundinis propter negotiationis multitudinem. Haberent autem **313** in *Aphech*, [d] quod de Theodotionis edi-

[a] De hac vocis *Javan* etymologia et interpretatione Hieronymiana cum nonnulla dixissem tom. II, col. 338, Plautinæ prudentiæ Joannis Clerici placere haud potui ; sed mea non refert hujusmodi adversario displicuisse, modo ut placeam studiosis ac benevolis lectoribus. MART.

[b] Non igitur suo sensu, sed ex Hebræorum sententia ita exponi ait nomen Javan, *est et non*. Hebræi, gens excogitandis etymis nata, utcumque extuderint ex יש, *est*, ו, *et*, אין, *non*, quemadmodum Martianæus animadvertit. Monendum vero violentam hanc falsamque esse etymologiam, nomenque suum Javan trahere ex יאן, cujus radix est יאה, quod *pulchrum esse* significat.

[c] Mavult ad Vulgatæ ingenium Victor. ;, *gemmam* legi. Hebræum נפך, infra, cap. XXVIII, vertitur pro *carbunculo*, sicque alibi.

[d] Theodotio vero transtulit ἐν Ναφὲχ, *in Naphech* : nam quod Latine legitur *in Aphech*, et Græce ἐν Ἀφὲχ, cum *Naphech* legendum sit juxta Hebræum, ex

tione in Septuaginta additum est : pro quo Symmachus vertit, *polymita*. Stacten quoque, pro quo omnes alii *purpuram* interpretati sunt, quæ Hebraice dicitur ARGAMAN (ארגמן) : et *varietates ex Tharsis*, pro quo in Hebræo BUS (בוץ) dicitur, quæ ab omnibus in *byssum* translata est. Tharsis autem in præsenti loco penitus non habetur. Et *ramoth*, inquiunt, *et chodchod dederunt in nundinis tuis ;* quod ita habetur in Hebræo, nisi quod pro *ramoth*, Aquila *serica*, vel *subtilia*, interpretatus est. *Chodchod* vero omnes interpretes, ita ut in Hebræo positum est (כדכד), transtulerunt. Igitur, juxta Septuaginta, filii Rhodiorum negotiatores Tyri, de insulis plurimis multiplicaverunt negotiationem ejus : juxta Hebraicum, post filios Dadan negotiatores ejus, insulæ quoque diversarum gentium auxerunt in mercimonium ejus, afferentes dentes eburneos ex India, et ligna hebenina, quæ nigri coloris pretiosissima sunt, et commutaverunt cum aliis Tyri mercibus. Syrus quoque fuit negotiator Tyri : pro quo in Hebræo positum est ARAM (ארם), in cujus loco Septuaginta *homines* interpretati sunt, pro ARAM legentes ADAM, et RES et DALETH litterarum, sicut supra, decepti similitudine. Usque hodie autem permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, et tantam mercandi habent vesaniam, ut, occupato nunc orbe Romano, inter gladios, et miserorum neces quærant divitias, et paupertatem periculis fugiant. Istiusmodi homines negotiatores Tyri sunt, qui polymita, purpuram et sculata mercantur : byssum quoque et sericum, et chodchod proponunt in mercatu ejus. Pro *purpura*, quam omnes interpretati sunt ; *stacten*, id est, *guttam*, Septuaginta transtulerunt. Chodchod autem quid significet, [a] usque in præsentiarum invenire non potui. Aiunt Hebræi, omnes pretiosissimas merces hoc nomine significari, vel speciem quamdam esse pretiosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet, vel communi vocabulo **314** scruta vendentium. De multis autem insulis, ut transeamus ad anagogen, quæ salsis [*Al.* falsis] et amaris hujus sæculi tunduntur fluctibus, deferunt negotiatores Dadan dentes eburneos, candorem eloquentiæ pollicentes ; de quibus scriptum est : *A domibus eburneis ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo* (*Ps.* LIV, 9). Sed non sunt candidi, nec imitantur sponsam, de qua dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum* (*Cant.* VIII, 5) ? verum hebenini nigri coloris, qui non possunt suam mutare nigredinem, Jeremia dicente : *Si mutabit Æthiops pellem suam, et pardus varietatem suam* (*Jer.* XIII, 21). Syrus quoque, id est, *Aram*, qui interpretatur *excelsus*, et tumet superbia, negotiator Tyri est, et in multitudine operum Tyriorum defert falsi nominis scientiam, multas varietates, et stacten odoris optimi repromittens, et purpuram regiæ dignitatis, et scutulata ex arte dialectica, et byssum, pro qua Septuaginta *Tharsis* interpretati sunt terræ operibus deditus : et sericum, pro quo in Hebræo scriptum est RAMOTH (ראמות), quod interpretatur *visio mortis*. Omnia enim opera terrena ad interitum properant ; et chodchod, quidquid illud est quod intelligitur, proponens in nundinis Tyri. Dadan autem ex his mercibus quæ a negotiatoribus ejus insulisque dicuntur afferri, vel Indiæ regio intelligenda est, vel Idumæorum ac vastæ solitudinis, ut nonnulli æstimant, sonatque *cognationem*, ut similitudinem divinorum dogmatum in hæreticis cognoscamus.

(Vers. 17.) *Juda et terra Israel ipsi institores tui, in frumento primo : balsamum et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis.* LXX : *Judas et filii Israel, isti negotiatores tui in frumenti commercio et unguentis : primum mel et oleum, et resinam dederunt in nundinis tuis.* Verbum Hebraicum PHANAG (פנג) Aquila, Symmachus et Theodotio ita, ut apud Hebræos positum est, transtulerunt : pro quo LXX *unguenta*, nos *balsamum* vertimus. Dicitur autem, quibus terra Judæa, quæ nunc appellatur Palæstina, abundet copiis, frumento, balsamo, melle et oleo, et resina, **315** quæ a Juda, et Israel ad Tyri nundinas deferuntur. Cumque manifesta sit littera, juxta spiritualem sensum dicemus, non debere terram confessionis, et sensum cernentis Deum qui refertur ad Ecclesiam, deferre Tyro primum triticum, quod cadens in terram multiplicatur, et accipitur pro verbo Dei : *Non enim in pane solo vivit homo, sed in omni sermone Dei* (*Deut.* VIII, 3). Deinde balsamum quod nascitur in vineis Engaddi, sive unguentum, de quo scriptum est : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron* (*Ps.* CXXXII, 2). Et mel super quo loquitur et Salomon : *Mel invenisti, comede quantum satis est. Si enim plus comederis, evomes illud* (*Prov.* XXV, 16), dum saturitate nimia mel vertitur in absynthium. Oleum quoque de quo in tabernaculo Dei lucerna accenditur, ne aptetur nobis illud propheticum : *Oleum in Ægypto venundabas* (*Osee* XII, 1). Quod si in Ægypto, et in Tyro fuerit, vertetur in contrarium, et dicetur de eo, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5). Sed et resina lenis [*Al.* levis] est, apta corporibus, et pro medicina accipitur. Unde et in Jeremia scriptum est : *Numquid resina non est in Galaad : aut medicus non est ibi ? Quare non ascendit curatio filiæ populi mei* (*Jer.* VIII, 22). Hanc resinam habebat et Jacob, quam mittebat filio suo Joseph cum melle, et terebintho, nucibus thymiamate, et stacte (*Gen.* XLIII). Ismaelitæ quoque qui emerunt Joseph de terra

concursu duarum N factum est, quarum alteram librarii perperam omisere.

[a] Ipse interpretatus est *jaspidem* in Isaiæ LIV, 12, qua de re in commentariis : *Ubi*, inquit, *nos jaspidem, sequentes* LXX, *diximus, in Hebraico scriptum habet Chodchod, quod solus Symmachus* χαρχιδόνιον *transtulit*. Et vero recentiores plerique interpretes lapidem pretiosum designari autumant. Victorius, qui Saphirum interpretatur, magis probat.

Israel, hæc in Ægyptum portabant thymiamata, et resinam de Galaad, et stacten (*Ibid.*, 37). Et ut manifestius scire possimus quid sit frumentum, balsamum, mel et oleum resinamque ad mercatum ferri Tyri, audiamus Domini verba dicentis : *Nolite dare sanctum canibus : neque margaritas vestras mittatis ante porcos* (*Matth.* VII, 6). Mulieri quoque Chananææ, quæ pro filia precabatur, dicens : *Filia mea male vexatur a dæmonio*, respondit Dominus : *Non oportet tollere panem filiorum, et dare eum canibus* (*Matth.* XV, 22, 26). Sed quia exierat de finibus Tyri et Sidonis, et propinquabat terræ Israel, idcirco quod rogaverat consecuta est.

(Vers. 18.) *Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum : in copia* [Vulg. *multitudine*] *diversarum opum : in vino pingui, in lanis coloris optimi.* LXX : *Damascus negotiator* **316** *tuus in multitudine operum tuorum, ex multitudine omnis fortitudinis tuæ : vinum ex Chelbon, et lanas de Mileto.* Pro *vino pingui*, quod interpretatus est Symmachus, et apud Aquilam et Theodotionem, et in ipso Hebraico habet, *vinum de* HELBON (חלבון). Rursumque ubi nos posuimus *lanis coloris optimi*, sive *splendentibus*, et Aquila et Theodotio transtulerunt *in lanis Soor.* Significat autem quod inter cæteras negotiationes Tyri, ad nundinas ejus de Damasco deferebatur vinum pinguissimum, et lana præcipua : quod usque hodie cernimus. Sin autem Damascus interpretatur *sanguinem bibens*, et Hebræorum vera traditio est, campum in quo interfectus est Abel a parricida Cain (*Gen.* IV), fuisse in Damasco, unde et locus hoc insignitus vocabulo sit, juste et Paulus post interfectionem Stephani primi in Christo martyris perrexit Damascum, ut credentes in Christo vinctos duceret Jerusalem : Deique misericordia, qui fecit videntem et cæcum, oculos carnis amisit, ut mentis acciperet : ceciderunt que squamæ draconis ex oculis ejus, quibus lumen perdiderat veritatis, ut iret ad vicum qui appellatur rectus, et inveniret *Ananiam*, qui in lingua nostra interpretatur *obediens* (*Act.* IX). De hac igitur terra, cui dictum est : *Maledicta terra quæ aperuit os suum, et hausit sanguinem fratris tui* (*Gen.* IV, 11), Tyri nundinæ congregantur, et vinum pingue, [a] et lanæ splendentes : sive vinum de *Chelbon* quod interpretatur *lacteus.* Septuaginta pro *lanis coloris optimi*, lanæ *de Mileto*, sive *Soor* senserunt. Miletum in Hebraico non habetur ; sed quia inde lanæ præcipuæ deferuntur, pro SOOR, *Miletum* interpretati sunt. Ex quo perspicuum, quod Tyrus lacte vescatur infantiæ, et vestimenta non habeat propria, sed aliunde et ex variis congesta provinciis. Illud quod *Damascus* interpretatur *sanguis cilicii*, et *sanguis osculi*, præsenti non convenit loco. Frequenter enim Hebræa nomina pro diversitate accentuum, et mutatione litterarum vocaliumque, vel maxime quæ apud illos habent proprietates suas, varie interpretantur.

(Vers. 19.) *Dan et Græcia et Mozel in nundinis tuis posuerunt* [Vulg. *proposuerunt*] *ferrum fabrefactum : stacte* **317** *et calamus in negotiatione tua.* LXX : ⁘ *Dan et Javan et Mozel in nundinis tuis* ⁘ quæ in editione eorum de Theodotione addita sunt. *Ferrum factum opere, et rota in commixtione tua est.* Ex nomine patriarchæ Dan et tribus, et locus in quo habitavit tribus, nomen accepit, ubi hodie Paneas, quæ quondam Cæsarea Philippi vocabatur. Unde et Jordanis fluvius sortitus est vocabulum, [b] *Jor*, rivus videlicet, *Dan*, qui fluit de Libano. *Javan* autem Græciam sonat, quæ interpretatur, ut diximus, *est, et non est.* Pro Mozel quoque Symmachus transtulit *deferens*, ut sit sensus : Dan et Græcia detulerunt in nundinis tuis ferrum fabrefactum, et cætera. Aquila vero pro *Mozel*, posuit *de Uzal.* De quibus credendum est regionibus, ferrum et stacten et calamum ad Tyri nundinas deportata. Dicamusque quod Græcia, id est, Javan, ferrum habeat fabrefactum, et ad bella promptissimum, dialecticaque arte constructum jactans se cuncta judicio et ratione proferre : vocalemque sonum, qui interpretatur in calamo, et stacten odoris optimi repromittat, sive ferrum fabrefactum, et rotam quæ verborum compositione volvatur, et cursum habeat orationis.

(Vers. 20.) *Dadan institores tui, in tapetibus ad sedendum.* LXX : *Dedan negotiatores tui, cum jumentis electis ad currus.* Multum Hebraicum et Septuaginta in præsenti loco discrepant, præter nomen regionis quod vicinum est *Dedan*, et *Dadan.* Infinita quippe distantia in tapetibus ad sedendum, et jumentis electis ad currus : nec dubium quin quadrigæ currus et equi, in malam partem accipiantur, si terreni sint. Alioquin et Elias ad cœlestia curru rapitur, appellaturque ab Elisæo *pater, pater, auriga et currus Israel* (IV *Reg.* II, 12). Et Giezi aperiuntur oculi, ut currus in monte, et equos videat sine ascensoribus, sessioni Domini præparatos (*Ibid.* 6). In tapetibus autem, sermonum pulchritudo monstratur ; in quibus vehuntur et requiescunt institores Dedan sessione composita, venientes ad nundinas Tyri.

(Vers. 21.) *Arabia et universi principes Cedar, ipsi* **318** *negotiatores manus tuæ, cum agnis, et arietibus et hædis venerunt ad te* [c]. Pro agnis, arietibus et hædis, Septuaginta camelos et arietes, et agnos interpretati sunt. Arabia autem et principes Cedar (quæ hodie Sarracenorum regio est, sicut in Jeremiæ ser-

[a] Concinnior hæc est, quam reposuit Victorius, lectio, cui et Rabanus ex parte consentit. Martian. post Erasmum, *vinum pingue, sive lanæ splendentes. Vinum de Chelbon interpretatur*, etc.

[b] In hanc sententiam Josephus Antiquitt. III, 11, laudatur, haud scio tamen, quam vere. Concinunt quidem recentiores aliquot Græci, Philostorgius, et Joannes Antiochenus περὶ Ἀρχαιολογίας ; sed confer quæ ad epist. 78, de Mansionibus, mans. 41 in fine observamus.

[c] Supplet Victor. ad Vulgatæ versionis fidem, *negotiatores tui.* Pro *venerunt* autem, Hebraice est בם, et Græce, ἐν οἷς.

mone, qui adversum Cedar scribitur, [a] plenissime demonstratum est) abundant his animantibus, agnis videlicet, et arietibus, et hædis, et Tyri nundinas hac illatione multiplicant (*Jerem.* XLIX). Sed et camelorum fertilissima regio est ob pascuorum [*Al.* pascuarum] eremi latitudinem, aerisque temperiem, quibus hoc animal delectatur. *Arabia* autem interpretatur *vespera*: et *Cedar*, *tenebræ*. De qua et in Psalmis dicitur: *Habitavi cum habitantibus Cedar* (*Ps.* CXIX, 5). Quæ regiones deferunt Tyro camelos, gravissimis peccatorum oneribus prægravatos, sive agnos, et arietes, et hædos, quos immolant in altaribus suis, quæ de iniquo ac rebelli corde simularunt. Sed et in hoc eodem propheta in visione pastorum, arietes aquas purissimas conturbantes, et impingentes lateribus oves, et cornibus dimicantes legimus (*Infra* XXXIV): hædos quoque, qui ad sinistram stare consueverunt, et agnos qui mentiuntur agnum (*Mat.* XXV): de quo scriptum est: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). In bonam autem partem camelos scribit Isaias (*Isa.* LX), de Madian, quod interpretatur *Domini judicium*, venire Jerusalem, et Epha, et arietes de Nabajoth, et Saba deferentes aurum et thus: quorum duo ultima etiam a Magis offeruntur Domino (*Matth.* II). Istique cameli, depositio onere peccatorum, possunt intrare arctam et angustam viam, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII *et* XIX).

(Vers. 22.) *Venditores Saba et Reama* [Al. *Rema*], *ipsi negotiatores tui cum universis primis aromatibus, et lapide pretiosissimo* [Vulg. *pretioso*], *et auro quod proposuerunt in mercatu tuo.* In Psalmis ubi scriptum est: *Reges Arabum, et Saba munera offerent tibi* (*Ps.* LXXI, 10), in Hebræo habet, *reges Saba et Saba munera offerent tibi*: quorum unum Saba per SIN litteram scribitur, alterum per SAMECH, quæ nostræ litteræ similis est. Quia igitur *Saba* interpretatur *conversio*, hoc dicendum est, quod in præsenti loco non conversionem significet, sed aversionem, **319** de qua Tyro munera deferuntur cum universis aromatibus, et odoribus optimis, et lapide pretioso, et auro quæ omnia in Tyri nundinis proponuntur. Et ipsi enim mentiuntur odorem optimum, lapidemque pretiosum, quo exstruere perversitatis suæ nituntur Ecclesias, et aurum quod pollicetur in sensu, omniaque perversa sunt. Nihil enim gratuito accipiunt, nec gratis tribuunt, sed universa mercantur, cum reges Arabum, et Saba gratis Christo munera offerant. Hi sunt qui omnia turpis lucri causa faciunt: et ab eo hæc munera susceperunt, qui dicit in Evangelio: *Hæc enim tradita sunt mihi: quæ dabo tibi, si procidens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Reama, sive juxta Septuaginta *Rhegma*, in nullo alio Scripturarum A loco invenire potui, nec quæ regio sit, quidve significet; nisi quod manifestum est, et ex eo quod jungitur, Saba vicinam huic provinciæ esse regionem.

(Vers. 23, 24.) *Aran, et Channe, et Eden, negotiatores tui Saba, Assur, Chelmad, venditores tui: ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, et polymitorum gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus.* LXX: *Charran, et Chana, et Edne, isti negotiatores tui: Sabba, Assur, et Chalman, institores tui, deferentes negotiationem ✕ in Machalim, et in Galima: hyacinthum, et ✕ polymita: thesauros electos funibus colligatos.* Et istæ gentes diversorum locorum nomina continentes. Quod autem de Theodotione in Septuaginta additum est, *in Machalim, et in Galima*, Symmachus interpretatus est *pretiosis involucris.* Polymita quoque, quæ Theodotio *varia* interpretatus est, de Aquila et Symmacho addidimus. Tam pretiosæ autem vestes negotiatorum involucris ferebantur, ut funibus hyacinthinis stringerentur. Aran, sive, ut Septuaginta dixere, *Charran*, in nostra lingua sonat *foramina*: Channe, *præparationem*: Eden, *delicias*: pro quo apud Septuaginta *Edne*, quod in Hebraico non habetur, qui sonet ignoramus: et ficti nominis etymologiam quærere non debemus. In negotiatione ergo Tyri per carneos sensus qui indicantur in foraminibus, tota sæculi hominum præparatio est qui solas delicias putant si augeant Tyriæ urbis commercia. **320** De Saba supra diximus. *Assur* interpretatur, *dirigens*: Chelmad, sive ut in quibusdam exemplaribus continetur, *Cherma*, transfertur in *vineas*: haud dubium quin Sodomorum, qui veniunt in mercatu Tyri, ut prava dirigant, immo arguant pœnis, et corrigant quæ fuerant depravata, juxta illud quod in Psalmis dicitur: *Ut destruas inimicum et ultorem* (*Ps.* VIII, 3). Habentque multifariam supellectilem, et incredibili varietate distinctam, quæ involucris hyacinthi astricta est; sive thesauri eorum funibus constringuntur, quos thesaurizaverunt sibi in terra, juxta illud quod scriptum est: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Nec habuerunt negotiationem liberam, sed cuncta peccatorum vinculis innexuerunt. Involucra hyacinthina, propter coloris similitudinem, referamus ad aereas potestates, quæ thesauros suos sæculi nundinis largiuntur.

*Cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. Naves maris* (sive ut in Hebraico continetur, *Tharsis*), *principes tui in negotiatione tua.* Pro cedris, Septuaginta *cyparissos* transtulerunt. Et quia supra de utroque diximus, superfluum est lectoris augere fastidium.

(Vers. 25.) *Et repleta es, et glorificata* (sive *aggravata*) *nimis in corde maris.* Nihil, inquit, tibi defuit

[a] Legendum *demonstratur*, vel *demonstrabitur*, non *demonstratum est*, cum Hieronymus scripserit in Jeremiam post absolutos omnes commentarios in Isaiam, Ezechielem et Danielem, ut ipse nos docuit præfatione commentariorum in Jeremiam, quos neque ad sermonem adversum Cedar, qui legitur cap. XLIX, vers. 28, morte præoccupatus complere potuit. MARTIAN.—Puta ab ipso Jeremia, non in Hieronymi in eum Prophetam Commentariis, quos diu post elucubravit; immo nec ad eum usque sermonem adversus Cedar, cap. XLIX, vers. 28, morte intercedente, perduxit.

quod ad divitias pertinet insularum. Quæ tamen glorificatio, fuit aggravatio possidentis, dum non potes moderate ferre divitias, quamquam et [a] paupertatis sæpe tentatio sit (*Prov.* xxx). Unde et Salomon necessaria tantum postulat; et divitias, et paupertatem pariter detestatur, ne in altero superbia, in altero subrepat impatientia atque mendacium.

(Vers. 26.) *In aquis multis adduxerunt te remiges tui.* Supra remiges Tyriæ civitatis Sidonios legimus, et Aradios, quorum alteri venatores, alteri interpretantur deponentes. Venantur enim eorum animas, quos inter sæculi hujus fluctus suo ducunt arbitrio, et non ad excelsa sublevant, sed in profunda demergunt: nec imitantur eos qui usque ad matutinam vigiliam navigantes, fregerunt insanos maris fluctus, et Dominum Salvatorem suscipere meruerunt, statimque tali vectore et comite pervenerunt ad portum quietis. De quo in Evangelio plenius scribitur.

*Ventus Auster contrivit te in corde maris* (*Matth.* xiv). **321** Omnes divitiæ Tyri, Austro flante dispereunt, qui significantius [b] CADIM (קדים), Græce καύσων interpretatur; quem nos in *ventum urentem* transferre possumus. De quo dicebat sanctus David: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Ps.* cxx, 6). Hoc vento Jacob exustus erat, et tamen non contritus, dum loquitur: *Fui per diem exustus æstu, et gelu noctis* (*Genes.* xxxi, 40). Illi quoque qui ab hora prima conducti sunt, totius diei calorem et æstus tulerunt, et tamen accipiunt denarium, quia exusti sunt, et non contriti. Unde et sponsa dicit in Cantico: *Nigra sum, sed formosa, quia despexit me sol* (*Cant.* i, 4): sive, ut melius in Hebraico continetur, *decoloravit me sol.*

*Divitiæ tuæ et thesauri tui, et multiplex instrumentum tuum.* Multi ita legunt: *In corde maris divitiæ tuæ et thesauri tui, et mulliplex instrumentum tuum;* ut omnes Tyri divitiæ et thesauri, universaque substantia in corde maris sit posita, et sæculi fluctibus obruatur, nihilque habeant stabile habitatores ejus atque perpetuum, impleto illo Evangelico: *Stulte, hac nocte auferent animam tuam a te, quæ autem præparasti cujus erunt* (*Luc.* xii, 20)? Et illo apostolico: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulas multas, et trahuntur in profundum* (*I Tim.* vi, 9). Manifesta est historia; et propterea singulis pene versiculis breves sententiolas coaptamus. Jam enim ad finem libri festinat oratio.

(Vers. 27). *Nautæ* (sive *remiges*) *tui, et gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo præerant: viriique bellatores tui qui erant in te, cum universa multitudine tua quæ est in medio tui, cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.* Remiges sive nautas urbis Tyriæ, Sidonios legimus et Aradios, de quibus jam dictum est; et juxta editionem Septuaginta *consiliarios Bybli*, quæ Hebraice appellatur GEBAL (גבל): viros quoque bellatores ejus Persas, Lydos, et Libyas, qui omnes cadent, et esse nihili monstrabuntur, cum ceciderit Tyrus, et universa gloria ejus finem habuerit ruinarum. Multitudinem autem quam *commixtionem* Septuaginta transtulerunt, exceptis principibus, vulgus significat; qui absque nomine dignitatum, **322** simili judicio conterentur. Mixtaque prophetia est inter urbem et navem, ut ex altero alterum intelligas: et tamen utrumque ad consummationem sæculi pertineat, atque in naufragium.

(Vers. 28, 29.) A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes, et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum. Nautæ, et universi gubernatores maris [c] vectoresque et proretæ] in terra stabunt, et ejulabunt super te voce magna, et clamabunt amare: et superjacient pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur (*sive* cinerem sternent sibi). [d] Quod autem sequitur: Et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis: et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo, et assument super te carmen lugubre, et plangent te, in Septuaginta non habetur, sed de Theodotionis Editione additum est. Quando Tyrus ceciderit, gubernatores illius turbabuntur, descendentque de classibus, et remiges vectoresque ac proretæ sive nautæ, et universi gubernatores maris jactati fluctibus, stabili aliquando consistent gradu; et ejulabunt super ea voce magna, quam prius suis locupletabant mercibus, et mentis amaritudinem clamore signabunt: pulverem quoque sive terram facient super capita sua, pro terrenis operibus agentes pœnitentiam. Et cinere conspergentur vel vitulæ, juxta Legem (*Num.* xx), ut purificentur: vel certe substernent cinerem sibi, juxta illud quod dicitur ad Jerusalem: Sparge terram super caput tuum, et cinerem substerne tibi; et fac planctum (*Jerem.* vi, 16). Et in Evangelio scriptum est: Si in Tyro et Sidone facta essent signa hæc, olim in sacco et cinere egissent pœnitentiam (*Luc.* x, 13). Et Psalmista dicit: Cinerem quasi panem manducavi (*Psal.* ci, 10). Radentque super Tyro caput, et facient calvitium, quod in luctu fieri solet, eo tempore quo magnitudo doloris omnem excluserit lætitiam. Apostolorum vero capilli numerati erant, quia crinem suum instar Nazarænorum Domino consecrarant (*Matth.* x; *Luc.* vi). Et Samson quamdiu crines habuit, possedit fortitudinem, ablata vero cæsarie, captus est ab Allophylis (*Judic.* xvi). Quando autem dicitur, *et accingentur ciliciis*, vetus lumborum libido **323** damnatur, ut qui vixerant in deliciis, postea pœni-

[a] In Vatic. mss., *quantquam et paupertas, sæpe*, etc.

[b] Penes Rabanum, *significantius Hebraice Cadim*, etc.

[c] Voces *vectoresque et proretæ*, quas uncinis inclusimus, in Hebraico, aut Hieronymiana versione non sunt: videnturque ex LXX interpretatione ἐπιβάται καὶ οἱ πρωρεῖς, annotatæ: quibus adeo præponas de more disjunctivam particulam *sive*.

[d] Qui subsequitur versiculus, *Et tradent*, etc., hic quoque incommoda serie orationis contra mss. fidem ponebatur.

tentes vivant in austeritate atque duritia. Ninivitæ habuere saccos (*Jon.* III). Et iterum ad Jerusalem dicitur : Plange ad me quasi sponsa accincta cilicio super virum suum virginalem (*Joel* I, 8). Et plorabunt te, inquit, in amaritudine animæ ploratu amarissimo. Melius est enim ingredi in domum luctus, quam in domum convivii (*Eccli.* VII) : ut plangant Tyrum, et carmen lugubre congeminent, quod sequens Scripturâ subjungit. Ut autem sciamus profectum esse eorum, qui plangunt ruentem, et qui prius in maris corde, et in medio illius versabantur, prophetæ nos doceat exemplum : qui et ipse plangere jubetur Tyrum, ut, expleto tempore pœnitentiæ, restituatur in antiquum statum, et, assumpta cithara, Domino personet. Lege Isaiam. Quidam ridicule (sed tamen quod legimus est dicendum) gubernatores episcopos hæreticorum, consiliatores presbyteros, proretas archidiaconos, remiges atque nautas diaconos interpretantur, vectores vero ad cunctum populum referunt, quod si addidissent nauclerum diabolum, implessent tragœdiam. Qui omnes ejulabunt pariter, et flebunt amarissime, et agent pœnitentiam, postquam naufragium senserint navis suæ, et in terra steterint, omnemque decorem falsi nominis scientiæ amiserint ; et pro gaudio atque lætitia, in cordis amaritudine pœnitentiam mœrore signaverint.

(Vers. 33 seqq.) Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit (sive conticuit) in medio maris ? (Quod in LXX non habetur.) Quæ in exitu negotiationum tuarum (*sive* quam invenisti mercedem) de mari, implesti populos multos. In multitudine divitiarum tuarum, et populorum [a] ditasti reges multos. Nunc contrita es a mari (*sive* in mari) in profundis aquarum opes tuæ (*sive* negotiatio tua[a]) et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui ceciderunt. Universi habitatores insularum obstupuerunt (*sive* contriti sunt) super te, et reges earum omnes tempestate perculsi (sive versi in amentiam) mutavérunt vultus (*vel* fleverunt). Negotiatores [b] gentium (*sive* populorum) sibilaverunt super te, ad nihilum deducta es (*sive* facta perditio es : et non eris **324** ultra [Vulg. tacet *ultra*] usque in sæculum (*sive* in perpetuum). Gubernatores, remiges, proretæ, atque vectores, in planctu Tyri ista memorabunt, quæ alia civitatum ita conticuit, ut loquendi fiduciam non haberet ; et audiret illud Evangelicum, Tace, et obmutesce (*Marc.* IV, 39). Et de Psalmis : Peccatori autem dixit Deus, *Quare* tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (*Ps.* XLVI, 16)? Quantis mercibus, o Tyre, ditata es? Et quid tanto labore quæsisti, ut diebus ac noctibus peritura naufragio congregares? Implesti quidem populos multos, et opibus tuis locupletasti reges, de quibus scriptum est : Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversum Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 2). Sed nunc contrita es in mari, et in aquarum profundis, juxta illud quod de Pharaone scriptum est : Currus Pharaonis, et fortitudinem ejus projecit in mare (*Exod.* XV, 4). Qui demersus est in profundum quasi lapis, et dicere poterat : Veni in profundum maris, et tempestas demersit me (*Ps.* XIV, 4). Omnes insulæ, vel habitatores insularum, quæ sæculi hujus fluctibus verberantur, stupebunt super te, et reges earum, tempestate perculsi, sentient interitum suum, imitantesque vocem colubri, sibilabunt et dicent : Ad nihilum deducta es, sive facta perditio es ; ut non naturam perditionis habueris, sed voluntatem. Et non eris. Quod si hucusque dixisset, magna quæstio nasceretur, quomodo non esset, quam nunc videmus exstructam. Sed ex eo quod sequitur : Usque in sæculum, unius sæculi tempus ostendit, quod juxta ætatem hominis annorum septuaginta circulo supputatur. Sive non eris Deo, dicente Apostolo : Qui vocavit ea quæ non erant (*Rom.* IV, 17). Et Isaias propheta : Ecce confundentur, et erubescent omnes adversarii tui. Erunt enim quasi non sint (*Isa.* XLI, 11) : Et Esther juxta Septuaginta Interpretes : Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt (*Esther* XIV, 11). Et in psalmo : Dimitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero (*Ps.* XXXV, 14). Quæ testimonia quo sensu accipienda sint, supra diximus. Omnia autem hæc ad hæreticorum possumus referre personam, qui in contritione Tyri atque naufragio, **325** sentient errorem suum, et in medio maris positi, liberare suas animas concupiscent, plangentque male divitias congregatas, quibus multos ditaverant reges, patriarchas videlicet suos, et vulgus ignobile, quorum opes in medio corruent mari. Habitatores quoque omnium insularum [si tamen volucrimus ad bonam partem referre quæ dicta sunt] obstupescent super contritione Tyri, et reges insularum **326** omnium, vel ipsi quasi tempestate perculsi, mutabunt vultus, vel certe cordis mœrorem fletu, et lacrymis indicabunt, stuporisque magnitudinem, admiratione et sibilo testabuntur quomodo nihili facta sit, et perierit quæ salutem multis gentibus promittebat. Et ultra non erit, nequaquam certo tempore, ut αἰῶνα interpretemur in sæculo ; sed in perpetuum : quia idem sermo utrumque significat.

[a] Addit Rabanus et Victorius *tuorum*. Tum hic pro voce *multos*, legit *terræ*, ex Vulgata, Hebraico, Græcoque textu : quibus et codices aliquot mss. et subnexam Hieronymi expositionem ait consentire.

[b] Ordine inverso, Victor, *negotiatores populorum*, vel *gentium*. Nam, inquit, Hebræum בעמים, Hieronymus vertit, *populorum*, LXX vero ἐθνῶν *gentium* ; debetque adeo illa, quæ Hieronymi est versio, præcedere.

# LIBER NONUS.

**325-326** Consequens erat, filia Eustochium, ut prophetiam Tyri, et principis Tyri, uno volumine comprehenderem, et tam locis quam vaticinatione conjunctos, nequaquam librorum ordine separarem. Sed quia plura sunt quæ dicuntur, et modum prolixitatis excedunt: ideo in nonum librum dilata est explanatio, quam orationibus tuis omniumque sanctorum ad calcem credimus perventuram: ut contra Pharaonem quoque, et universam Ægyptum, quæ in Ezechiel scripta sunt, disseramus. Quæ et ipsa nobis longitudine, sui, in librum decimum dividenda sunt: quo et voluminum inter se mensura servetur; et divisus dictantis, scribentisque, et legentis labor respiret in partibus.

(Cap. XXVIII. — Vers. 1 seqq.) « Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi (*Vulg.* sedeo) in corde maris: cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei: ecce sapientior es tu Daniele? Omne secretum non est absconditum a te. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis. In multitudine sapientiæ tuæ, et in negociatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, et elevatum est cor tuum in robore tuo. Propterea hæc dicit Dominus (*Vulg. addit* Deus): Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei: idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum. Interficient et [a] tradent te, et morieris in interitu occisorum in corde maris. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te, cum sis homo et non Deus, in manu occidentium te? Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. LXX: Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Et tu, fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod exaltatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, habitationem Dei habitavi in corde maris: tu autem es homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei, numquid sapientior es Daniele? Sapientes non erudierunt te disciplina sua: numquid in eruditione tua, aut prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, et fecisti aurum et argentum in thesauris tuis, aut in multa eruditione tua, **327** et negotiatione tua multiplicasti fortitudinem tuam? Elatum est cor tuum in fortitudine tua, propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia dedisti cor tuum quasi cor Dei, propter hoc ecce ego adducam super te alienos pestilentes de gentibus, et evaginabunt gladios suos in te super pulchritudine doctrinæ tuæ, et humiliabunt pulchritudinem tuam in perditione, et deducent te, et disponent te, et morieris morte vulneratorum in corde maris. Numquid loquens dices, Deus ego sum, in conspectu interficientium te? Tu autem es homo, et non Deus, in multitudine vulnerantium te. Mortibus incircumcisorum morieris in manibus alienorum, quia ego locutus sum, dicit Adonai Dominus.» Ubicumque juxta Septuaginta secundo ponitur, *Dominus*, *Dominus*, primum [b] nomen tetragrammaton est (יהוה), quod proprie ad Deum pertinet, et ineffabile dicitur: secundum commune (אל), quod sæpe in hominibus invenitur. Quomodo autem Tyriæ urbis sub figura navis primum divitiæ, deinde ruina planctusque descriptus est: sic ad principem Tyri primum sermo fit prophetalis, quod erectus sit per superbiam, nec bene abusus opibus quas habebat: deinde luctus et lamentatio, de quantis bonis ad mala quanta pervenerit. Primum igitur prima dicenda sunt. Scriptum est in Isaia (*Isa.* XIV) ad regem Babylonis Nabuchodonosor, quod se Dei potentiæ coæquarit, et in tantam elatus sit arrogantiam, ut auderet dicere: *Super sidera cœli exaltabo, et ero similis Altissimo*. Præcipitatusque de sublimi meruit audire: *Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur?* Et de Pharaone in hoc eodem propheta: *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (*Infra* XXIX, 9). Et de principe Tyri, quod elato corde dixerit arroganter: *Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi*, sive *in habitaculo Dei habitavi*, cum sit homo, et non Deus. Quæ quamquam videantur vires humanæ fragilitatis excedere, et non tam hominum verba esse quam insanientium dæmonum, tamen hyperbolen debemus accipere, quod intantum intumuerint, et nescierint mensuram

[a] Victor. et *detrahent*, nam et Vulg. edit. ita legit, et sonat Hebræum יורדוך, et Græc καταβιβάσουσί σε.

[b] Immo alterum, sive secundum tetragrammaton est, primum vero commune: nec porro dubito, quin sit mendum hocce veterum librariorum incuriæ ascribendum, qui numericas notas temere commutarunt. Suæ enim rectæ scriptionis ipse fide jussor Hieronymos est in hoc ipso Commentario paulo superius sub init. cap. VI: *Quando*, inquit, *duo Domini Domini juncta sunt nomina: prius commune est, secundum proprie Dei, quod appellatur ἄῤῥητον, id est, ineffabile, et quod scriptum fuit in lamina aurea, quæ erat in fronte pontificis.* Atque hæc certe in Ezechielis prophetia perpetua obtinet consuetudo; sed non ignoramus, in aliis interdum libris, præcipue autem in Psalmis passim tetragrammaton præponi τῷ *Adonai*: quæ causa est, cur in proposito Hieronymiano textu nihil mutemus. Vide quæ infra in Homilias 4 et 12 Origenis in hunc ipsum prophetam annotamus.

suam, **328** ut elati felicitate sæculi, et regni potentia, dum præsentia bona putant esse perpetua, homines se esse nescierint, et æternum sibi imperium vendicarint. Licet sub typo principum, regum, et singularum (*Al.* singularium) urbium, vel provinciarum, potestates adversariæ demonstrentur, de quibus scribit et apostolus Paulus: *Non est nobis pugna adversum carnem, et sanguinem, sed contra principes, et potestates rectoresquè tenebrarum istarum, et spiritualia nequitiæ in cælestibus* (*Ephes.* VI, 12). Et in alio loco; *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam vero non mundi hujus, neque principum sæculi istius, qui destruuntur* (I *Cor.* II, 6). Et iterum de sapientia disputans, ait, *quam nullus de principibus hujus mundi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). In Danielis quoque prophetia perspicue legitur, Princeps Israelitici populi Michael, et princeps Græciæ, princepsque Persarum (*Dan.* X). Et Moyses apertius scribit in Deuteronomii Cantico: *Quando dividebat Altissimus gentes, et disseminabat filios Adam, constituit terminos nationum, juxta numerum angelorum Dei* (*Deut.* XXXII, 8); sive ut melius habetur in Hebraico: *juxta numerum filiorum Israel.* Et facta est pars Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus in Israel. Nec mirabimur in parte contraria pessimos reges in typo prævaricatorum præcedere principum, cum optimos reges David, et Salomonem, et Josiam, et patriarchas, ac prophetas, in figura Domini Salvatoris præcessisse doceamus. Igitur juxta utramque intelligentiam, regum pariter superborum et apostatarum principum, quæ scripta sunt, disseramus. Ait ergo (*Al.* Cum sit, ait): Licet in medio maris, et insulæ tenearis angustiis, plus dicam, cum sis homo, et humanæ carnis fragilitate circumdatus, tumore cordis elatus, in solio Dei, in cœlis te habitare arbitratus es. Simulque quia jactas sapientiam, in tantum ut regni tui homines, Salomonem ænigmatibus provocarent: numquid sapientior es Danielo, qui Dei gratia vicit omnes magos et hariolos, **329** et nunc in Babylone sapientissimus est? Sive ita intelligendum: Etiam si sapientior sis Daniele, qui omnium confessione sapientissimus est, et divitiarum ac potentiæ magnitudine Dei te cupias potentiæ coæquare: tamen capieris ab adversariis, et urbe perdita, multis confodieris vulneribus: et ultra non dices, Deus ego sum: sed doctus interitu, hominem te esse cognosces, non Deum. Sin autem voluerimus principem Tyri eamdem dicere potestatem, cui a Deo tradita est ipsa civitas, sive provincia, illud assumamus testimonium. *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI, 7). Traditæ enim illis sunt ad regendum provinciæ quasi judicibus ab Imperatore. Qui obliti honorem suum ex alterius jussione pendere, qualis nuper Heraclianus (*Al.* Heradianus) in Africa fuit, erecti sunt mente tyrannica contra regem et Dominum suum: ut in toto orbe dispersi, sub nominibus idololatriæ, deorum sibi nomina assumerent, et inflati superbia, in judicium diaboli inciderent et laqueum. De quo et Salvator locutus in Evangelio est: *Vidi Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo* (*Luc.* X, 18).

(Vers. 11 seqq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiæ, et perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus, operimentum tuum: sardius, topazius, et jaspis, chrysolythus, onyx, et berillus, sapphirus, carbunculus, et smaragdus. Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in viis tuis, a die conditionis tuæ: donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum. Et levatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam in pulchritudine tua* [Vulg. *tuam in decore tuo*], *in terram projeci te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum et iniquitate* **330** *negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram, in conspectu omnium videntium tē. Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescent super te. Nihili factus es, et non eris in perpetuum.* LXX: *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, sume planctum super principem Tyri, et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et corona decoris: in deliciis paradisi Dei fuisti. Omni lapide bono circumdatus ès: sardio et topazio, et smaragdo, et carbunculo, et sapphiro, et jaspide, et argento, et auro, et ligurio, et achate, et amethysto, et chrysolitho, et berillo, et onychino, et auro replesti thesauros tuos, et horrea tua in te, a die qua conditus es, paraverunt cum Cherub uncto* [a] *a Deo, et habitante in tabernaculo, dedi te in monte sancto Dei: factus es in medio lapidum ignitorum. Fuisti immaculatus in diebus tuis, a die qua creatus es: donec inventæ sunt iniquitates in te, a multitudine negotiationis tuæ replesti cellaria tua iniquitate, et peccasti, et vulneratus es a monte Dei, et adduxit te Cherub obumbrans de medio lapidum ignitorum: Elatum est cor tuum in decore tuo: corrupta est disciplina tua cum decore tuo. Propter multitudinem peccatorum tuorum in terram projeci te: in conspectu regum dedi te, ut dehonestareris. Propter multitudinem peccatorum tuorum, et iniquitates negotiationis tuæ contaminavi sancta tua. Et educam ignem* [b] *in medio tui, hic devorabit te. Et dabo te in cinerem super terram in*

[a] Voces *a Deo*, inquit Victorius, superfluæ sunt, quæ nec Hebraice habentur, nec Græce. Tum illæ, *uncto, et habitante in tabernaculo*, desunt hodie in Græco; verum exstitisse olim, conjici ex Hebraico potest, et Hieronymi Commentario.

[b] Victor. *de medio tui*, et Græco ἐκ μέσου σου.

*conspectu omnium videntium te, et omnes qui noverunt te in gentibus, contristabuntur super te. Perditio factus es : et non eris ultra in sæculum.* Quia diximus, qui sit princeps Tyri, et quomodo corruerit per superbiam, lamentationes ejus super pristina gloria cognoscamus. Primum commonetur quid fuerit, ut doleat se perdidisse quod habuit. Tu, inquit, signaculum similitudinis ; juxta illud, quod proprie de Salvatore dicit Joannes Evangelista : Hunc enim Deus signavit Pater (*Joan.* VI, 27). Et de hominibus : Signavit, quoniam Deus verax est (*Joan.* III, 33). Et in Psalmis : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV, 7). Et in alio loco : Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nec dum **331** apparuit quid futuri sumus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus (I *Joan.* III, 2). Unde et ad Deum dicitur : Quis similis erit tibi ? (*Ps.* XXXIV, 10). Aliud est enim similitudo, aliud æqualitas. Unde sævissima hæresis est, quæ in Christo tantum Patris similitudinem confitetur, aufert naturam. Nos autem in Filio non solum similitudinem dicimus, sed æqualitatem. Propterea enim eum persequebantur Judæi : quia non solum solvebat sabbatum, sed et æqualem se faciebat Deo (*Joan.* V). Ubi autem æqualitas est, ibi eadem natura unaque substantia. Hoc est illud quod de similitudine loquitur et Apostolus : Filioli mei, quos iterum parturio : donec Christus formetur in vobis (*Galat.* IV, 19), ut recipiatis, videlicet similitudinem ejus, quam vestro vitio perdidistis. Et quia in Latinis codicibus pro signaculo, resignaculum legitur, dum *κακοζήλως* verbum e verbo exprimens, qui interpretatus est juxta Septuaginta translationem *ἀποσφράγισμα*, id est, resignaculum posuit. Unde quidam sic intelligunt, quod signaculum Dei et figuram quæ velut in cera mollissima expressa sit, rex Tyri resignaverit atque perdiderit, ut pro signaculo fecerit resignaculum, nequaquam habens imaginem et similitudinem Dei, juxta quam et primus homo conditus est, dicente Deo : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Genes.* I, 26). Et notandum, quod imago tunc facta sit tantum, similitudo in Christi baptismate compleatur. Et consequenter ei cui dictum est : Tu signaculum similitudinis, jungitur, plenus sapientia, perfectus decore, sive, corona decoris. Ubi enim similitudo Dei est, ibi et plenitudo sapientiæ, et perfectus decor, sive quasi diversis floribus ornata, atque composita corona virtutum, quam proprio studio auget diligens, dum naturæ bonum nutrit industria, et negligens minuit, juxta illud quod in Proverbiis sub figura mulieris pulchræ, et male moratæ dicitur : Sicut inauris in naribus porcæ, sic mulieri male moratæ pulchritudo (*Prov.* XI, 22). Sequitur : In deliciis paradisi Dei fuisti : pro quo in Hebraico habetur EDEN (עֵדֶן) quod et Geneseos narrat historia. Eden autem vertitur in delicias. Et pulchre ad distinctionem paradisum Dei nominat ; ut ostendat esse et contrarium paradisum non Dei, apud eos qui veritatem mutant mendacio (*Rom.* I), et paradisum

A **332** habere se jactant. Quo sermone demonstrat, nequaquam hominem esse de quo scribitur, sed contrariam fortitudinem, quæ quondam in Dei paradiso commorata sit : licet Judæi hoc per *τρόπον*, quæ appellatur *ὑπερβολή*, de Hiram rege Tyri æstiment prophetari. Cui autem dicitur : In deliciis paradisi Dei fuisti, sive factus es, quid habuerit, ostendit, quidve perdiderit. Porro quod habitationi paradisi copulatur, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sive colligatio tua, et circumdatio, sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus, sive, ut in LXX, diverso ordine nominibusque aliis, duodecim lapides continentur, hoc observandum est, non omni lapide pretioso regem Tyri fuisse circumdatum, sive opertum, et ut Symmachus transtulit, vinctum atque B constrictum : sed omnem lapidem quem habuit princeps Tyri, fuisse pretiosum. Alioquin multi sunt pretiosi lapides quos in præsenti loco Scriptura non nominat, chalcedonius, sardonyx, chrysoprasus, hyacinthus, crystallus quoque, et pretiosissimum margaritum. Sed et Aquila et Symmachus ac Theodotio in præsenti loco multum inter se, et LXX Interpretes non solum ordine, sed et numero discrepant atque nominibus. In Apocalypsi quoque Joannis, ubi de vivis lapidibus Jerusalem exstructa memoratur, paululum in extremis partibus ordine commutato, iidem in fundamentis ejus ponuntur lapides, ita ut portæ illius crystalli lumine scribantur ædificatæ (*Apoc.* XXI). Sed et in pectore pontificis, per qua- C tuor ordines in Rationali (*Exod.* XXVIII), iidem lapides describuntur, et in humeris ejus duo lapides onychini, in quibus duodecim patriarcharum scripta sunt nomina, quos verus pontifex, de quo scriptum est : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (*Ps.* CIX, 4), portat in pectore, portat in humeris, ut in duodecim lapidibus apostolorum numerum ; et in duobus utriusque Testamenti sacramenta demonstret, quorum unus Joannes Evangelista recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ, et posset dicere : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I, 1, 2). Isti sunt vivi lapides, de quibus ædificatur Ecclesia, et **333** de quibus scribit Apostolus Petrus : Si credi- D distis, quia suavis est Dominus : ad quem accedentes lapidem viventem, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum honorabilem, et ipsi sicut lapides viventes, ædificamini domus spirituales in Sacerdotium sanctum, offerre spirituales victimas placentes Deo per Jesum Christum : quoniam dicit Scriptura (*Isa.* XXVIII, 16) : Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum, et qui credit in eo, non confundetur (I *Petr.* II, 3 *et seqq.*). Super quo et vas electionis pari voce consentit, dicens : super ædificati in fundamento apostolorum et prophetarum, ipso angulari lapide Christo Jesu Domino nostro, in quo omnis ædificatio constructa, crescit

in templum sanctum [a] Dei (*Ephes.* II, 10). Hi sunt lapides, de quibus et in alio loco legimus : Lapides sancti volvuntur super terram instar rotarum (*Zach.* IX, 16), paululum tangentes humum, et volubilitate sua ad cœlestia festinantes. De quibus et Scriptura commemorat : Ecce ego præparo carbunculum lapidem tuum : et fundamenta tua sapphirum, et ponam propugnacula tua jaspidem, et portas tuas [b] lapide crystallo, et murum tuum lapidibus electis : et omnes filios tuos doctos a Deo, et in multa pace filios tuos, et in justitia ædificaberis (*Isa.* LIV, 11-13). Super quo quid nobis videretur, in ejusdem prophetæ explanationibus diximus. De hujuscemodi lapidibus et vigesimus psalmus canit : Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exultavit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso (*Psal.* XX. 1 *seqq.*). Istæ sunt margaritæ prophetarum et apostolorum quæ comparatione Christi, omnes venundantur in Evangelio (*Matth.* XIV), ut ematur pretiosissimum margaritum, et lapis de quo Zacharias scribit, quod septem habeat oculos, id est, septem gratias Spiritus sancti (*Zach.* III *et* IV). Lege Isaiam. Et ponitur per apostolum Paulum in fundamento Ecclesiæ, super quo ædificentur aurum, argentum, et lapides pretiosi (I *Cor.* III) : quorum colores atque naturas et efficientias singulorum, non est hujus temporis disserere ; sed proprium volumen desiderant : ita ut in Ezechiel, et in Exodo, et in Apocalypsi et in Isaia, **334** sibi omnes lapides, et lapidum ordines comparati, magnam et legenti, et disserenti faciant quæstionem. Super quibus et vir sanctus Epiphanius episcopus proprium volumen mihi præsens tradidit. Et XXXVII liber Plinii Secundi, Naturalis Historiæ, post multiplicem omnium rerum scientiam, de gemmis et lapidibus disputat. Ad quorum notitiam diligens à nobis mittendus est lector. Porro Symmachi interpretatio, istum principem Tyri, quasi pretiosissimum monile lapidibus scribit esse distinctum. Denique auri tympanum vocat, in quo infixi sint lapides. Unde et juxta Hebraicum sequitur : Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Pro quo posuere Septuaginta : Auro replesti thesauros tuos et apothecas tuas, ad sensum mentemque referentes, quod cogitatio ejus divinis patuerit sacramentis, et congregaverit sibi divitias spirituales, de quibus Dominus præcepit : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo : ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt et furantur. Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (*Matth.* VI, 21). Iste est thesaurus absconditus, de quo et in Evangelio loquitur : Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenerit, abscondit, et præ gaudio suo vadit ; et vendit omnia quæ habet, et emit agrum illum (*Ibid.*, 13). Apothecæ autem sunt, sive horrea, de quibus in alio loco scriptum est : Benedictæ apothecæ tuæ, et reliquiæ tuæ (*Deut.* XXVIII, 5). [c] Post hæc dicitur, juxta Hebraicum : Tu Cherub extentus et protegens, subauditur arcam Dei et propitiatorium, vel juxta Septuaginta, quod ipse cum Cherub unctus sit et creatus. Ex quo ostenditur ad hominem urbis Tyriæ principem hoc pertinere non posse : sed ad sanctam quondam et præcipuam fortitudinem, quæ urbis Tyriæ princeps posita sit. Et posui [*Al. additur* te], inquit in monte sancto Dei ; haud dubium quin paradisum significet, ad quem post cœlum tertium Paulus apostolus raptum esse se dicit (I *Cor.* XII). Cherub autem genere masculino, numero singulari : et plurali dicuntur Cherubim, qui interpretantur scientiæ multitudo : super quibus requiescit, et sedet Deus, et hoc curru utitur, dicente propheta **335** ad eum : Qui sedes super Cherubim, manifestare (*Ps.* LXXIX, 2.). Et in alio loco : Ascendit super Cherubim, et volavit : volavit super pennas ventorum, (*Ps.* XVII, 11). Iste autem Cherub, sive creatus cum Cherub, extentus et protegens sacramenta, positus est in monte sancto Dei, de quo crebro diximus. Et Paulus apostolus loquitur, si quis tamen ad Hebræos Epistolam suscipit : Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et millia angelorum (*Hebr.* XII, 22). Vel certe mons sanctus Dei, paradisus (ut diximus) intelligendus est. Ambulavit quoque in medio ignitorum lapidum, de quibus scriptum est : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (*Ps.* CIII, 4). Et non solum Deus qui vocatur ignis consumens, fenum, ligna, stipulamque consumat (*Deut.* IV) : sed et angeli qui vocantur igniti lapides, spirituque ferventes. Unde et Dominus : Ignem, inquit, veni mittere super terram, et quam volo ut ardeat (*Luc.* XII). Quodque sequitur : Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ (pro quo posuere LXX : Fuisti immaculatus in diebus tuis, a die qua conditus es), donec inventa est iniquitas in te, ostendit omnem creaturam bonam a Deo conditam, et perfectam habuisse virtutem, et per hoc principem quoque Tyri fuisse immaculatum, ut deinceps macula non naturæ sit, sed voluntatis. Donec inventa est iniquitas in te. Inventa a Deo, quæ in thesauris pectoris tui per superbiam et abusionem potestatis quam acceperas, tenebatur inclusa. In multitudine quoque negotiationis ejus repleta sunt interiora illius, sive cellaria, iniquitate. Dum enim multa conquirit, et non est contentus scientia quam acceperat, nec potestate qui præpositus erat, replevit cellaria, et interiora pectoris sui : ut saturatus, et incrassatus calcitraret contra Creatorem suum. Manducavit enim Jacob, et saturatus est, et recalcitravit dilectus, incrassatus et impinguatus, et dilatacutio sit.

[a] Victorius, *sanctum in Domino.*

[b] Idem, *lapides crystalli* et *muros tuos lapides electos* : ad textum LXX, utque concinnior Latina lo-

[c] In Vatic. ms., *pôrro quod dicitur.*

tus, et dereliquit Deum qui fecerat eum (*Deut.* XXXII, 15). Et de corde procedunt cogitationes pessimæ (*Matth.* XV, 19) : propter quas dicit Deus : Peccasti, et ejeci te de monte Dei, sive vulneratus es a monte Dei, quod legentes, timere compellimur. Si enim Cherub extentus et protegens, positus in monte sancto Dei, et in medio **336** ignitorum lapidum perfectus, et immaculatus, propter multitudinem negotiationis replevit interioria sua iniquitate, et peccavit, et ejectus est de monte Dei, hoc est, de habitatione paradisi, sive vulneratus a monte Dei, qui perspicue Christus intelligitur, aut certe in monte Dei constitutus et habitans, a semetipso vulneratus est, et conscientiæ compunctus malo, dum se intelligit habitatione montis indignum : quid de nobis æstimandum est? Propter quod dicitur ei : Et perdidi te, Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum : ut nequaquam inter ignitos lapides consisteres, sed perires. O ipse Cherub, sive Cherubim [a] qui te protegebat, eduxi te de medio lapidum ignitorum : juxta illud quod et de Adam scriptum est : Ejecit Adam, et constituit eum (*Al.* Cherubim) contra paradisum deliciarum (*Genes.* III, 24). Causasque reddit, cur eductus sit, sive projectus de medio lapidum ignitorum. Elevatum est enim cor tuum in decore tuo : dum tuum putas esse quod Dei est. Unde et apostolus, stimulum carnis et angelum Satanæ accepisse se dicit, qui eum colaphizaret, ne revelationum magnitudine superbiret, et in judicium incideret diaboli (II *Cor.* XII). Et idcirco corrupta est, inquit, doctrina tua cum decore tuo, sive, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo : ut dum plus vis esse quam conditus es, et magis sapere quam a Deo acceperas, etiam id perderes quod habebas, et pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te et stultitia possideret : unde in terram projectus es, qui ante habitabas in monte Dei. De quo et Isaias scribit : Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur (*Isa.* XIV, 12)? Et Salvator in Evangelio : Videbam, inquit, Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). Quod et Jeremias loquitur ad Jerusalem. Quomodo obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion : projecit de cœlo in terram gloriam Israel (*Thren.* II, 1)? Projectus es autem in conspectu omnium regum, ut tuo terrerentur exemplo, vel bonorum regum, quorum cor in manu Dei est (*Prov.* XXI), vel malorum, quorum regna ostendit diabolus Salvatori (*Matth.* IV) : qui occurrerunt regi Babylonio, dicentes : Et tu captus es sicut nos, atque inter nos reputatus es. Quamobrem et polluit sanctificationem **337** suam quam habuerat, quando habitabat in monte, et conversabatur in medio ignitorum lapidum. Sequitur : *Producam ignem in medio tui qui devoret te.* Istum ignem in Tyri regis corde succenderat ille cujus ignita sunt jacula, et de quo A scriptum est : *Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum* (*Osee*). De quo igne loquitur et Isaias : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis* (*Isai.* L), ut foras egrediens, devoret possidentem, juxta illud quod in eodem Isaia scriptum est : [b] *Devoravit sicut fenum materiam* (*Isai.* V). In die illa exstinguentur montes, et colles, et saltus, et devorabit ab anima usque ad carnes. Hunc ignem qui alienus appellatur, Nadab et Abiu ad altare Domini obtulerant, et idcirco divino igne consumpti sunt (*Levit.* X). Unde et Moyses ait : *Hoc est verbum quod dixit Dominus : In his, qui appropinquant mihi sanctificabor.* Sanctificatio autem Dei est pœna peccantium. Post hæc dicitur : *Et dabo te in cinerem,* ut omnia quæ superædificasti, malæ con- B scientiæ tuæ ignis absumat. Qui cum debueras requiescere in sabbato, et nequaquam opus facere servile, ligna in sabbato collegisti : ut haberet quod in pectore tuo devoraret incendium. [c] Perdet quoque omnia mala opera, convertens in cinerem, ut ignis noxius penitus exstinguatur, ut omnes conspiciant et obstupescant perisse regem Tyrium, et nihili factum esse, non in multis sæculis, sed in uno, vel certe in perpetuum, ut impleatur illud quod scriptum est : *Non parcam tibi, et non miserebor.* Solent Hebræi inter cæteras fabulas suas et genealogias atque interminabiles quæstiones, hæc contra Hiram regem Tyri dicta intelligere, cum a Salomone usque ad Ezechielem anni sint plurimi, quos eo tempore homines non vixisse perspicuum C est : et sic pronuntiare, quasi per ironiam propheta ad eum loquatur : Numquid tu es signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, et perfectus decore : tu cunctis ornatus lapidibus, tu Cherub, vel creatus cum Cherub : cum econtrario peccaveris, et in cinerem dissolvendus sis? Adduntque fabulæ suæ miraculum, ut **338** contra Scripturam, immo sine Scripturæ auctoritate, dicant, Hiram mille vixisse annis. Verum hæc quam violenta sit interpretatio, absque nostro judicio prudens lector intelligit.

(Vers. 20 seq.) *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone* (sive *obfirma*) *faciem tuam contra Sidonem, et prophetabis de ea, et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, Sidon,* [d] *et glorificabor in te* (sive *in medio tui*) : *et scient quia ego* D *Dominus, cum fecero in ea* (sive *in te*) *judicia, et sanctificatus fuero in te* (sive *in ea*). *Et immittam in eam* (sive *in te*) *pestilentiam, et sanguinem in plateis ejus* (sive *tuis*) : *et corruent interfecti* (sive *vulnerati*) *in medio ejus in gladio* (sive *in gladiis*) *per circuitum, et scient quiâ ego Dominus. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum qui adversantur eis* (sive *qui fecerint contumeliam*) : *et scient quia ego*

[a] Rescribit Victorius *qui protegebas*, arcam enim et propitiatorium Cherubim protegebant.

[b] Idem mavult *devorabit :* cum tamen in Græco sit in instanti φάγεται, *devorat.*

[c] Penes Rabanum : *Prodest quoque omnia mala opera converti in cinerem*, etc.

[d] Victorius *glorificabor in medio tui* (sive *in te*) *et scient*, etc. Et mox, *sanctificatus fuero in ea* (sive *in te*). Nam *in te* LXX interpretatio est, ἐν σοὶ, eamque adeo Hieronymianæ subjicit

*Dominus Deus : Hæc dicit Dominus Deus : Quando congregavero domum Israel, de populis* (sive *de gentibus*), *in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus. Et habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob, et habitabunt in ea securi* (sive *in spe*) : *et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter* (sive *in spe*) *cum fecero judicia in omnibus qui adversantur* [Vulg. addit *eis*] *per circuitum* (sive *fecerint eis contumeliam*) : *et scient quia ego Dominus Deus eorum.* Quodque sequitur juxta LXX : *Et tu Deus patrum eorum*, in Hebraico non habetur. Consequenter autem post Tyrum, sermo fit ad Sidonem; unius enim utraque urbs provinciæ est. Et in Evangelio Tyrus et Sidon pariter nominantur : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt* [Al. *fuerunt*] *in te* (*Matth.* XI, 21). Unde et Chananæa, cujus filia a dæmonio vexabatur quia egressa est de finibus Tyri et Sidonis, quod postulaverat, impetravit (*Ibid.*,15). Prædicit autem sermo divinus quod a Babyloniis, et ipsa capienda sit, et malorum cognoscat pondere, quod ipse sit Dominus : cum judicaverit eam, et sanctificatus fuerit in illa, et fame eam ac pestilentia, gladioque consumpserit : ita ut corruat in plateis illius, et nequaquam ultra sit in offendiculum populo Dei, **339** nec eos frequenter impugnet. Cum autem hoc factum fuerit, revertatur populus Israel, quos in diversas disperserat nationes, in terram suam, et sanctificetur in eis, nequaquam ut in Sidone in malam partem, sed in bonam, cum eis misertus fuerit, et habitaverint in terra, quam dedit patri eorum Jacob, et habitaverint securi, et in Domino confidentes, et ædificaverint domos, et plantaverint vineas, cum sua promissa compleverit : et tunc cognoscant quod ipse sit Dominus, cujus promissa firmissima sunt. Quod multi ad tempus referunt Zorobabel, Ezræ, et Neemiæ, quando reversus est populus Israel, et habitavit in terra Judæa. Alii vero in ultimo tempore et in mille annis sperant esse complendum. Porro secundum intelligentiam spiritualem, hic nobis sensus videtur. Sidoni interpretantur *venatores,* de quibus et in Psalmis scriptum est : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (*Psal.* CXXIII, 7). Et in Proverbiis : *Oculus meretricis laqueus est peccatoris* (*Prov.* XXIII, 27). Sunt autem et in bonam partem his contrarii venatores, de quibus scribit et Jeremias : *Ecce ego mittam piscatores et venatores, qui venentur vos de omni colle et monte* (*Jerem.* XVI, 16) : quos et Dominus mittit ad piscandum, et facit eos de piscatoribus piscium, piscatores hominum (*Matth.* IV). Unde et viculus Petri et Andreæ hoc appellatur vocabulo : Bethsaida enim in lingua nostra interpretatur, *domus venatorum.* Adversum hos igitur pessimos venatores, Dei sermo dirigitur, et imperatur prophetæ, ut ponat, sive obfirmet faciem suam contra Sidonem, et nequaquam fluctuet omni vento doctrinæ : sed in veritate consistent, interficiat suos venatores. Quæ sunt ergo quæ Sidoni Dominus comminatur? Ecce ego ad te ipse veniam, et glorificabor in te, cum te interfecero, et scient omnes qui vixerint, quod ego sum Dominus, cum tibi reddidero quæ mereris : mittamque pestilentiam, et sanguinem in plateas tuas. Recteque plateæ dicuntur Sidonis : *Lata enim et spatiosa via est quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII). Et corruent interfecti qui male steterant, gladio per circuitum : illo gladio quem venit Dominus mittere super terram, ut male juncta dissociet, et sciant qui remanserint, quod ipse sit Dominus. Cumque **340** illi cessaverint, nequaquam ultra erit offendiculum amaritudinis, et spina doloris compungens et vulnerans populum Dei. Omnia autem hæc dicuntur contra adversarias potestates, quod in extremo tempore deleantur, et sit æterna securitas, quando congregaverit Dominus domum Israel, eos qui sensu cernunt Deum : et sanctificatus fuerit in eis, et complebitur illud quod scriptum est : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XIX, 2). Et habitaverint in terra sua, de qua et alibi legimus : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* XVI, 13). Quam dederat Jacob, qui priorem supplantaverat fratrem, et primitiva ejus meruerat accipere. Et habitabunt in ea securi, sive in spe, et ædificabunt domos, plantabuntque vineas, et habitabunt secundo in spe, juxta illud quod legitur in Isaia : *Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, et spem super spem* (*Isa.* LX). Ædificabunt autem domos, quas et in Evangelio ædificat, qui non super arenam, sed super petram fundamenta constituit (*Matth.* VII). De quibus scriptum est : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Ps.* CXXVI, 1). Et in Exodo, juxta Septuaginta : *Quia timebant obstetrices Dominum, fecerunt sibi domos* (*Exod.* I, 21), et multa hujusmodi. Cum autem fecerit Dominus judicium contra eos qui adversantur, sive contumeliis afficiunt Israel in circuitu : tunc omnis creatura cognoscet quod ipse sit Dominus, cujus vera judicia sunt, et justificata in semetipsis.

(Cap. XXIX.—Vers. 1, 2.) *In anno decimo* (sive juxta LXX, *duodecimo*), *in decimo mense* (sive, juxta Hebraicum, [a] *duodecimo*), *in prima* (sive *una*) *mensis die, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, pone* (sive *obfirma faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, et de Ægypto universa loqueris, et dices : Hæc dicit Dominus Deus.* Post Sidonem, quæ et ipsa in Phœnicis littore constituta est, sermo fit ad prophetam decimo anno captivitatis regis Joacim, et duodecimo mense, et una die mensis, ut ponat faciem suam, sive obfirmet contra Pharaonem regem Ægypti, et loquatur de eo, et de universa Ægypto, sive ad omnem Ægyptum : ex alia enim parte Judææ in eodem littore constituta Ægypti provincia est, **341** et quæ illi ventura sint, prophetet. Sin autem oportet de numeris aliquid dicere, quem

[a] Hebræus, בעשרי בשנים עשר לחדש, *in decimo, in duodecima die mensis.* Confer comment., infra, cap. 30.

locum habeat inter decem dies una : unde et in principio Geneseos non est dictum : *Factum est vespere et mane dies prima*, sed *una* (*Gen.* I), ut eamdem diem revolvi semper doceat : eumdem ordinem inter decem decadas, hoc est, centenarium numerum decimus numerus possidebit, quod ad victimam agnus assumitur, ut immoletur die quartadecima, atque hoc modo usque ad mille et decem millia, et centum millia, et ultra per decadas suas numerorum ordo procedit. Post decimum autem annum, mensis duodecimus ponitur, ut perfectus duodecim apostolorum ac prophetarum (qui in uno volumine continentur) numerus demonstretur. Porro juxta LXX, decimus mensis qui Hebraice appellatur TEBETH (טבת), et apud Ægyptios τυβί, apud Romanos *Januarius* dicitur, eo quod apud illos anni sit janua : omni calore sublato, hiberni frigoris continet principatum. Hoc de numeris dixisse sufficiat. Cæterum illud vel maxime requirendum est, utrum ipse sit Pharao qui in Exodo, et Isaia, et Jeremia, et Ezechiel, multisque aliis in locis, et in Cantico Canticorum nominatur : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te proxima mea* (*Cant.* I) : an alius atque alius? Videturque mihi non esse unus, sed apud Ægyptios hoc vocabulo demonstrari regiam dignitatem, sicut apud Romanos, cæsares et augusti reges eorum appellantur a primo Caio Cæsare, et secundo adoptivo ejus Octaviano, qui postea Augustus est nominatus : et apud Syros, Antiochi, apud Persas, Arsacidæ, apud Philisthiim, Abimelech, et post Alexandrum in Ægypto Ptolemæi usque ad Cleopatram, qua victa apud Actium, Ægyptus Romana est facta provincia. Ergo in præsentiarum adversum unumquemlibet regem Ægypti sermo fit Domini, qui interpretatur διασχεδαστής, *interfector* videlicet et *lacerator*, et gladio cuncta concidens et dividens. Quod juxta mysticos intellectus referendum est ad eam potestatem, cui subjecta est Ægyptus. Numquam enim homo auderet dicere : mea sunt **342** flumina, et ego feci illa, nec draco appellaretur magnus, et sedens in medio fluminum suorum ; Ægyptus autem Hebraice appellatur MESRAIM (מצרים), et in linguam nostram vertitur ἐχθλίβουσα, *coangustans* videlicet et *tribulans* eos, qui sibi subditi sunt : et non dimittens oculos ad cœlum levare ; sed juxta Evangelium et exemplum mulieris illius, quam decem et octo annis diabolus incurvaverat, semper ad terrena demergens (*Luc.* XIII). Videamus igitur quæ sit comminatio contra Pharaonem et omnem Ægyptum.

(Vers. 3 seq.) *Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas* (sive *sedes*) *in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum* (sive *eos*). *Et ponam frenum* (sive *laqueum*) *in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum* A *tuorum squamis* (sive *pennis*) *tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum : et universi pisces tui, squamis tuis adhærebunt. Et projiciam* (sive *deponam*) [a] *te velociter* (sive *in desertum*) : *et omnes pisces fluminis tui, super faciem terræ* (sive *campi tui*) *cades. Nec colligeris, neque congregaberis : bestiis terræ et volatilibus cœli dedi te ad devorandum. Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego sum Dominus : pro eo quod factus es* (sive *fuisti*) *baculus* (sive *virga arundinea*) *domui Israel, quando apprehenderunt* (sive *apprehendit*) *te manu sua* [Vulg. tacet *sua*], *et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum, et innitentibus eis super te, comminutus es, et dissolvisti* (sive *confregisti*) *omnes renes eorum.* Studio brevitatis editionem utramque miscemus, ubi non multum inter se discrepant. Alioquin ubi magna diversitas est, utramque proponimus. Dicit autem contra Pharaonem principem Ægypti, et sub figura ejus ad magnam loquitur potestatem, cui Ægyptus tradita est ad regendum, et nihilominus superbit contra Creatorem suum, sibi dominationem terræ vendicans, et se colendam Ægyptiis gentibus tradens. Loquiturque juxta situm provinciæ, quasi ad regem, quod in Nili inundatione confidat, et pluvias de cœlo non magnopere desideret, auctoremque sui seipsum putet, vel fluvios, hoc est, διωρυχὰς, et rivos Nili a se factos jactitet. **343** Non, inquit, Angelum mittam, sed, o draco magne, qui cubas et resides in medio fluminum tuorum, ipse ad te veniam puniendum. Ausus es enim dicere : Meus est Nilus fluvius, et ego mei conditor sum : vel, ipse feci flumen, quo omnis Ægyptus irrigatur. Cumque venero, ponam frenum in maxillis tuis : sive constringam laqueis os tuum, quo magnifice loquebaris, et omnes socios ac duces tuos, quos pisces vocat, adhærere faciam pennis, vel squamis tuis, ut extractus e flumine, projiciaris, sive deponaris. Nimium enim te extuleras in deserto. Et cades super faciem campi, vel terræ tuæ, eo quod Ægyptus campestris provincia sit. Nec colligetur cadaver tuum, nec congregaberis, id est, nequaquam sepelieris, sed bestiis et volatilibus cœli dabo te devorandum, ut cum hæc viderint in te [b] mea judicia perpetrata habitatores Ægypti, cognoscant quod ipse sim Dominus. Hæc autem tibi evenient, quoniam populum meum Israel tuo auxilio decepisti, ut nequaquam in Deo creatore suo, sed in te confiderent. Fuisti eis baculus arundineus juxta Isaiam (*Isai.* XXX), vel virga vacua, et calamus fragilissimus, cui innitentes cassum deprehendere præsidium, ita ut incumbentibus illis frangereris, et lacerares humerum, et manum qua tenebaris, et dum in te securi sunt, comminuerentur omnes lumbi eorum cadentium in terram, et pro auxilio accipientium vulnera. Hæc autem per metaphoram dicuntur quasi ad regem Ægypti, eo quod et ipsa provincia

[a] Victor. *te in desertum* (sive *velociter*) *et omnes pisces*, etc. ; ex eo scilicet quod *velociter* τῶν LXX versio sit, qui reddiderunt, ἐν τάχει. *In desertum* vero Hieronymi ex Hebr. המדברה, hæcque adeo illi præponenda. Eadem ratione mox legit : *Pro eo quod fuisti* (sive *factus es*) *baculus arundineus* (sive *virga arundinea*) *domui*, etc.

[b] Apud Raban., *meo judicio perpetrata.*

nequaquam adversaria fuerit Israeli, sed dum magna promittit, a Dei eos auxilio separaret. Draconem autem juxta anagogen, contrariam potestatem sæpe legimus. Unde et Pharao dicitur διασκεδαστὴς, quod a Deo separet atque sejungat, et Ægyptus, id est, MESRAIM (מצרים), in *tribulantes* et *affligentes* vertitur, eos videlicet quos sibi potuerit subjugare. Iste draco est prævaricator, de quo Job plenissime loquitur (*Job.* XL, 41). Et in Psalmis scriptum est : *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum in escam populis Æthiopum* (*Ps.* LXXIII, 14). Et draco magnus ad comparationem minorum draconum dicitur, de quibus canitur in psalmo : *Tu confregisti capita draconum in aquis* (*Ibid.*). Et in alio loco : **344** *Hoc mare magnum et spatiosum manibus. Illic reptilia quorum non est numerus : animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt : Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Ibid.*, CIII, 25 *seqq.*). De quo et in alio loco dicitur : *Ipse est rex omnium qui in aquis sunt, et principium figurationis Domini, qui factus est, ut illuderetur ab Angelis ejus* (*Job.* XLI, 24, *sec.* LXX). Sedet autem, sive cubat, in medio fluminum suorum, non unius fluminis, sed multorum, quæ in diversis hæresibus accipimus, per quas fluxit in Ægyptum sæculi istius, et irrigavit animas seductorum, non pluviis de cœlo venientibus, sed de terra aquis turbidis, quas bibere non prohibet Jeremias dicens : *Quid tibi et viæ Ægypti, ut bibas aquam Geon* (*Jerem.* XI, 18)? Pro quo in Hebraico SIOR (שחור) scriptum est, quod verbum in *aquas turbidas* transfertur atque *cœnosas*. Ut autem intelligamus quæ sint Ægyptii draconis flumina, ex contrariis scire poterimus. Dominus loquitur de fluminibus suis : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37). Et ad Samaritanam : *Qui biberit de aqua quam ego dedero ei, non sitiet in æternum : sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Ib.* IV, 13, 14). Ista sunt flumina de cœlo venientia, de quibus David canit : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 4) : haud dubium quin Ecclesiam significet. Consideremus ergo, quæ draconis pœna, quodve supplicium sit. Sequitur : *Et ponam frenum*, vel *laqueum in maxillis tuis*. Cui simile est illud Job : *Adduces autem draconem in hamo, et pones capistrum circa nares ejus. Confidit quod introeat Jordanis in os ejus : in oculo suo suscipiet illum. Perforabit autem nares ejus armilla, et labia illius* (*Job.* XL, 19). Ponit autem Dominus in maxillis draconis istius frenum, et perforat labia ejus atque constringit armillæ circulo, quando per Ecclesiasticos viros, qui in Scripturis sanctis eruditi sunt, imponit ei silentium, et universa perversitatis dogmata dissolvuntur. Agglutinatque pisces fluminum ejus pennis ipsius, vel squamis, quibus hæretici per superbiam ad alta festinant, ut et ipsi vincti cum dracone, unum cum eo corpus efficiant, et copulentur ei vel in erroris consortio, vel in pœnæ similitudine : quomodo *qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17). Neque vero unum A **345** habet flumen draco Ægyptius, sed multa flumina, quibus irrigat Ægyptum humilem atque dejectam nihil in se habentem montium : nec aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, sed turbidas et cœnosas (*Isa.* VIII). Unde et extrahit eum Dominus de medio fluminum suorum, ut nequaquam eis incubet, nec sedeat in eis : et omnes pisces squamis illius adhæreant, pro qualitate vitiorum per totum corpus draconis, vel capiti, vel ventri, vel caudæ, et extremis partibus adhærentes : ut extracto dracone, pisces quoque, qui adhærent ei, pariter extrahantur. Et : Projiciam te, inquit, in desertum, ut nequaquam reperias quos decipias. Vel certe deponam te de culmine superbiæ tuæ, et deponam velociter, juxta illud Apostoli : *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI, 20); B ut dracone contrito atque deposito, pisces quoque fluminis illius deponantur, et cadat auctor criminum, qui prius stare se arbitrabatur, et in toto orbe discurrere. Cadat autem super faciem terræ suæ, ad quam de cœlo præcipitatus est, ut nequaquam ultra in hæreticorum Ecclesiis colligatur, neque congregetur, sive sepeliatur in his qui crediderint ei, cum ab eo fuerint liberati, sed detur ad devorandum bestiis terræ, et volatilibus cœli. Bestiis, de quibus scriptum est : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Ps.* LXXIII, 19). Et volatilibus cœli, quæ juxta viam sementem comedunt, et a Salvatore interpretantur esse diaboli (*Matth.* XIII). Non solum enim princeps malitiæ, sed et discipuli C ejus, diaboli nominantur, juxta illud quod de Juda dicitur : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus de vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Cœli autem vocantur volatilia, quia sibi sublimia repromittunt, ut postquam draco cum piscibus suis depositus fuerit atque projectus, et traditus ad devorandum bestiis terræ, quæ nihil in se habent mansuetudinis, et his qui circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV), tunc intelligant omnes habitatores istius sæculi, quod ipse sit Dominus. Omnis autem causa pœnarum est, quod frustra domui Israel promisit auxilium, et fuit ei virga, vel baculus arundineus, vacuus et inanis, nihilque in se habens plenitudinis, quia non poterat dicere : *Nos autem omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I, 16); cum Scriptura D præceperit : **346** *Non apparebis in conspectu Domini Dei tui vacuus*, aut *inanis* (*Exod.* XXIII, 15). Quod autem non debeamus ab Ægypto auxilium postulare, et alibi Scriptura testatur : *Væ eis qui descendunt in Ægyptum ad auxilium* (*Isa.* XXXI, 1). De istiusmodi baculo arundineo et *Rabsaces* frustra exprobrat Ezechiæ regi Judæ dicens : *Ecce confidis in virga arundinea atque confracta ista, super Ægypto : cui : qui innixus fuerit, ingreditur in manum ejus. Sic est Pharao rex Ægypti omnibus* [Al. *et omnes*] *qui confidunt in eo* (*Isa.* XXXVI, 6). Et ille quidem de justo rege mentiebatur ista commemorans, qui interpretatur *multus poculo*. Inebriatus enim erat de aureo calice Babylonis, et idcirco quæ sua erant,

ingerebat populo Dominum confitenti. Hic vero exprobratur Pharaoni, quod fueruit domui Israel, virga, sive baculus arundineus, vanum eis et fragile et cito comminuendum auxilium repromittens. Ut autem scire valeamus, qui sit baculus arundineus, super quo domus Israel confidere non debeat, ex contrario baculo et virga Domini intelligere poterimus, de qua ad Dominum dicitur : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Hanc virgam habuit et Aaron, quæ dracones Ægyptios devoravit, et quando percussit aggeres Nili, et Cyniphes in tota Ægypto generatæ sunt (*Exod.* VII, VIII). Moyses quoque, juxta LXX, extendit hanc virgam, et levavit in cœlum, et Dominus induxit ventum austrum super terram toto illo die et tota nocte, et mane levavit ventus, et adduxit locustas super omnem terram Ægypti. De hac puto virga scribi et in Numerorum libro, quod floruerit, et nuces sive amygdalas germinarit (*Num.* XVII). Hanc habebat et Apostolus cum dicebat : *Quid vultis, in virga veniam ad vos* (I *Cor.* IV, 21)? Et qui Pascha celebrabant, baculos tenebant manibus, sine quibus imbecillitatem humani corporis sustentantibus, carnes agni comedere non poterant. Hæc est virga de radice Jesse, super quam septem spiritus requieverunt. Sed non talis Pharao, nec baculus Ægypti et virga arundinea quæ decipit apprehendentes se, et lacerat humeros corum, id est, fortitudinem. Et quicumque super eam fuerit innixus, dissolvuntur lumbi ejus et stare non potest : nec accinctus renibus Pascha celebrare. Quod his congruit, quorum scrutatur corda et renes Deus.

(Vers. 8 seqq.) **347** *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. Et erit terra Ægypti in desertum* (sive *perditio*) *et* [a] *solitudo : et scient quia ego sum Dominus : eo quod dixerit* (sive *dixeris*) *fluvius meus est, et ego feci eum* (sive *fluvii mei sunt, et ego feci illos*). *Idcirco ecce ego ad te et ad flumina tua : daboque terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam* (sive *disperditam*) *a turre Syenes* (sive *a Magdalo et Syene*) *usque ad terminum Æthiopiæ. Non transibit per eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea, et non habitabitur quadraginta annis. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates ejus in medio urbium subversarum erunt* [Vulg. *et erunt*] *desolatæ quadraginta annis. Et dispergam* (sive *disseminabo*) *Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in terras. Quia hæc dicit Dominus Deus : Post finem quadraginta annorum, congregabo Ægyptum* (sive *Ægyptios*) *de populis* (vel *gentibus*) *in quibus dispersi fuerant. Et reducam captivitatem Ægypti, et collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis suæ* (sive *in terra de qua assumpti sunt*). *Et erunt ibi in regnum* (sive *principatum*) *humile, inter regna cætera erit humillima* [Al. *humillimum*]. *Et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos, ne imperent gentibus* (sive *ne plures sint inter gentes*). *Neque erunt ultra domui Israel in confidentia* (sive *in spe*) *docentes iniquitatem, ut fugiant, et sequantur eos* (sive *reducant eos in memoriam iniquitatis ut sequantur illos*) *et scient quia ego sum Dominus Deus.* Junge prioribus quæ sequuntur. Quia fuisti baculus arundineus domui Israel, et non solum confractus es in manu ejus, sed juxta Isaiam (*Isa.* XXXVI), perforasti manum ejus, et nunc lacerasti humerum, et ipse comminutus es, et innitentium super te dissolvisti lumbos : idcirco ego inducam super te hostium gladium, et cum hominibus jumenta vastabo, et redigetur terra Ægypti in solitudines, et secundo scient Ægyptii quod ego sum Dominus. Nec hoc ero fine contentus; sed quia in tantam prorupit blasphemiam, ut suos esse diceret fluvios, et omnem abundantiam Ægypti : ideo et ipsum auferam **348** qui se dixerat Creatorem, et flumina quæ a se creata jactaverat, et redigam terram Ægypti in longissimam solitudinem, et gladio dissipatam, a turre Syene usque ad terminos Æthiopiæ. Pro turre quæ Hebraice MAGDAL (מגדל) dicitur, LXX loci nomen posuerunt, ut [b] Μαγδαλὸν scriberent. Turris autem Syene usque hodie permanet, castrum ditioni Romanæ subditum, ubi sunt Nili cataractæ, et usque ad quem locum de nostro mari Nisus navigabilis est. Totam igitur Ægyptum dicit esse depopulandam usque ad terminos Æthiopiæ, quibus extrema Ægypti regio jungitur, ita ut pes hominis in Ægypto non pertranseat, nec jumenta reperiantur in ea, et non habitetur per quadraginta annos. Parcitur enim Ægyptiis, et quia hospites quondam fuere Israel, brevior temporis condemnatio est. Tyrus sabbatizavit sabbata sua per annos septuaginta, et sic in antiquum statum restituta est. Captivitas quoque Judææ, templique subversio, usque ad Cyrum regem Persarum septuaginta complevit annos. *Potentes enim potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Quod autem dicit : *Dabo terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum*, Palæstinos significat, Idumæos et Moabitas, omnesque alias regiones, adversum quas supra Prophetæ vaticinium est. Tunc dispergel, sive disseminabit Ægyptios in nationes, et ventilabit eos in terras. Et quia clemens et miserator est Dominus, patiens, et multarum miserationum, post quadraginta annos Ægypti restitutio est, et reducetur in antiquum solum universa captivitas, et collocabitur in urbe metropoli, quæ appellatur Phatures, ubi orta est, et unde profecta est : ita dumtaxat ut pro utilitate sua amittat antiquam superbiam, et sit in regnum humile, immo humillima omnium nationum : ut non elevetur ultra gentes, nec in eas habeat imperium; sed redacta in paucitatem, nequaquam decipiat domum Israel sui confidentia, nec doceat eos ini-

[a] Victor., *in solitudinem*, ad Hebr. Vulgat. edit. ipsumque Hieronymum in commentario.

[b] Alibi, *μαγδωλὸν*. Et forte, inquit Drusius, Hieronymus scripsit *magdol*, pro *magdal*. Nam et hæc vox appellative sumitur pro turri.

quitatem ; sive redigat eos in memoriam iniquitatis, quod deserto Dei auxilio, Ægypti quæsierunt adminiculum. Et hæc omnia fient, ut tertio cognoscant **349** Ægyptii, quod ipse sit Dominus. Hæc brevi sermone perstrinximus, historiæ fundamenta jacientes. Nunc allegoriæ nubilum disserendum est, et eadem brevitate vitare conabimur et hujus explanationis longitudinem. Ad draconem sermo est, qui dixerat: *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (*Supra, eod.*): quod inducat super eum ipse Dominus gladium, de quo in Isaia scriptum est: *Inebriatus est gladius meus in cœlo : nunc descendet in terram, ut perdat ex ea hominem et jumentum* (*Isa.* XXXIV, 5), quidquid vel rationis videtur habere, vel simplicitatis: et perdat, non absolute, sed draconi, ut draconi pereant, et vivant Deo, et fiat Ægypti terra perditio, secundum superiorem sensum, quod [*Al.* quo, *aut* quid] draconi pereat, et post perditionem redigatur in solitudinem, pessimum hospitem habere desistens. Et tunc cognoscent homines et jumenta, et terra disperdita quod ipse sit Dominus: illo sensu quo in septuagesimo septimo Psalmo scriptum est: *Cum interficeret illos, tunc quærebant eum* (*Ps.* LXXVII, 34). Omnis enim qui quærit, inveniet. Dei quidem misericordiæ est, ut mundi hujus pereat abundantia, et Ægypti fluenta siccentur, immo terra eorum sit in solitudines, et sententia Domini dissipetur a turre *Syene*, quæ interpretatur *gyrus :* ut nihil in se recti habeat, usque ad terram Æthiopum, qui humiles appellantur: ut videlicet omnis superbia quæ se contra Dei scientiam erexerat, destruatur, et humilietur in salutem suam. Nec pes hominis, hoc est, rationale quippiam transeat per Ægyptum, neque pes jumenti gradiatur in ea: ut simplices quosque non teneat, quos dimissis hominibus, Pharao in Ægypto tenere cupiebat, Moyse contradicente, et volente jumenta quoque de Ægypti captivitate liberari. *Et non,* inquit, *habitabitur quadraginta annis,* qui numerus semper afflictionis et pœnæ est. Unde et Moyses, et Elias, et ipse Salvator, quadraginta diebus jejunaverunt et noctibus, et per quadraginta annos populus erat in solitudine, ut postea circumcisus in Galgalis, opprobrio et ignominia Ægypti liberaretur (*Exod.* XXXIV; III *Reg.* IX; *Matth.* IV; *Num.* XIV). In cujus numeri sacramento, et hic idem propheta pro tribu Juda quadraginta diebus dormit in dextro latere, et quadringintis annis populus serviturus in Ægypto nuntiatur (*Gen.* VII): qui faciunt quadraginta **350** decadas, sive quatuor ἑκατοντάδας. Pluviæ quoque diluvii quadraginta diebus inferunt orbi naufragium. Justum enim erat, ut qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia constare dicuntur, dum ea diligit et fovet, Deum offendat, in ipso numero puniretur: et Israel qui peccaverat in sabbatum, septem decadarum, hoc est, septuaginta annorum supplicium sustineret. Daturque terra Ægypti deserta, et civitates ejus in medio terrarum et urbium subversarum, quæ non sunt exstructæ de lapidibus, sed latere et paleis, ut dispergatur Ægyptus quæ male sibi fuerat copulata, et ventiletur in terras, quo scilicet frumentum a paleis separetur, et quadraginta annorum fine completo, sit restitutio Ægypti, et reducatur captivitas ejus, et collocetur in terra *Phatures*, quæ interpretatur *panis conculcatus;* ubi panis ille qui dixerat: *Ego sum panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 5), pravitate hæretica conculcatus est: ut cum venerint ad Ecclesiam, habitent in pane conculcato, et nequaquam eleventur in superbiam, sed sint in regnum humile. Et ut etiam cum restituti fuerint in pristinum statum, se per humilitatem dejiciant, quod in Ægypto vixerint, et latericias exstruxerint civitates, et inter multa regna Ecclesiæ sint humiles, et sciant in quem peccaverint, et ultra non elevetur Ægyptus super Ecclesias in toto orbe divisas, sed redigatur in paucitatem, et pauci in ea remancant inter gentes, juxta illud quod scriptum est: *Da illis, Domine. Quid dabis illis? Da illis vulvam sterilem, et ubera arentia* (*Osee* IX, 4): ut nequaquam gaudeant et extollant se in multitudinem deceptorum, sed rediguntur in paucos: *Multi enim vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX). Et ultra non decipiant domum Israel, id est, Ecclesiam; nec vanam eis spem confidentiamque repromittant, docentes iniquitatem, ut fugiant Ecclesiasticam disciplinam, et sequantur Ægyptias voluptates. Hæc autem fient, ut tertio cognoscant Ægyptii, quod ipse sit Dominus. Quod mihi propterea videtur dici, ut cognitio prima Ægyptiorum in carne sit, secunda in anima, tertia in spiritu. Primo, super terram, secundo, mundi hujus conversatione finita, tertio, post resurrectionem.

(Vers. 17 seq.) **351** *Et factum est in vicesimo et septimo anno, in primo, et una die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversum Tyrum : omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est, et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus* [a] *super Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversum eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti, et auferet* [Vulg. *accipiet*] *multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus, et erit* [b] *in mercedem exercitui illius et operi, pro quo servivit mihi adversum eam : dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverunt* [Vulg. *laboraverit*] *mihi, ait Dominus Deus. In die illo pullulabit cornu domus Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum, et scient, quia ego Dominus.* Quæritur quomodo post decimum annum superioris sermonis, statim vicesimus et septimus ponatur annus, et in consequentibus decimus duodecimusque, et in extrema descriptione templi, vicesi-

[a] Victor., *de Tyro*, ex Vulg. editione, et Hebraico, מצור, nam ἐπὶ Τύρου dixerunt LXX.

[b] Idem, *et erit merces exercitui illius, et operi quo servivit adversum eam, dedi ei terram Ægypti.* Ad Vulgatam editionem et Hebraicum: et quod præterea voces, *pro* et *mihi*, in Græco quoque desint.

nus quintus. Sed facilis solutio est. Quia enim de Ægypto et superior, et hæc quæ nunc dicitur, prophetia contexitur, licet diversis sit facta temporibus : tamen quia de una provincia prophetatur, junctæ sibi sunt. Quod et in Jeremia crebro legimus, ut præpostero ordine tempora describantur. Prius enim Sedeciæ in quibusdam gesta referuntur, et postea Joachim qui ante eum fuit. In Psalmis autem quia carmen est lyricum, historiæ ordo non quæritur. Dicamus ergo prius juxta litteram. Nabuchodonosor cum oppugnaret Tyrum, et arietes, machinas, vineasque eo quod cincta esset mari, muris non posset adjungere, infinitam exercitus multitudinem jussit saxa et aggeres comportare, et expleto medio mari, immo freto angustissimo, vicinum littus insulæ fecit continuum [Al. *contiguum*]. Quod cum viderent Tyrii jam jamque perfectum, et percussione arietum, murorum fundamenta quaterentur, quidquid pretiosum in auro, argento, vestibusque, et varia supellectili nobilitas habuit, impositum navibus, [a] ad insulas **352** asportavit: ita ut capta urbe, nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodonosor. Et quia Dei in hac parte obedierat voluntati, post aliquot annos captivitatis Tyriæ, datur ei Ægyptus ; multoque [b] sævior Tyrus Ægypto. Illa enim oppugnabat Jerusalem ; hæc vanum pollicebatur auxilium. Aliud est enim spe imbecillitatem decipere : aliud adversum populum Dei dimicare. Hoc est ergo quod dicit Nabuchodonosor rex Babylonis, in oppugnatione Tyri suum mihi servire fecit exercitum, ut implerem voluntatem meam : Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est, gestantium cophinos terræ, et lapides quibus raduntur humeri, et decalvatur caput ; et tamen nec ipse, nec exercitus ejus aliquid dignum invenit in Tyro. Et cum in hoc mihi servierit, et meam contra Tyrum impleverit voluntatem, idcirco dabo ei terram Ægypti. Quod quidam dicunt sub Nabuchodonosor esse completum : alii sub Cambyse filio Cyri, qui Ægyptum usque ad Æthiopiam vastavit, ita ut Apim interficeret, et omnia illorum simulacra deleret. Quam ob causam putant eum versum in amentiam casu equi, et proprio pugione confossum. Plenissime hanc historiam narrat Herodotus : ubi et omnis Ægyptus per pagos et castella et vicos describitur, et Nili origo gentisque illius populi, et mensura terræ per circuitum usque ad desertum Æthiopiæ et littora Magni maris, Libiæque et Arabiæ confinia demonstrantur. Causa autem iræ Domini contra Ægyptum, illa est, quod populum Dei suo deceperit auxilio, ne speraret in Deum, et illum ad iracundiam provocaret. In illo, inquit, die quo Ægyptus capta fuerit, pullulabit cornu domus Israel : haud dubium quin regium genus significet. Quod quidam [Al. quidem] ad Zorobabel filium Salathiel, qui per Jechoniam de David stirpe generatus est, alii ad ultimum tempus referunt, quando putat et Eliam esse venturum. Nos autem cornu Domini super [*Al.* pro] Christo intelligentes, præsentem carpimus historiam. Cumque, ait, o Propheta, hoc prius fuerit expletum, **353** tunc aperietur os tuum, et vaticinium tuum nequaquam dubia promissione pendebit, sed cernetur opere perpetratum : ut sciant omnes qui audierint, me esse Dominum, cujus dixisse, fecisse est. Hæc secundum litteram, immo juxta veritatem dicta sint prophetiæ. Cæterum ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati. *Et adducam*, inquit, *servum meum Nabuchodonosor* (*Jerem.* xxv). Ex quo perspicuum est condemnari nos comparatione gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus. De quo plenissime ad Romanos Paulus apostolus disputat. Ac ne aliquid præterire videamur secundum intelligentiam spiritualem, quærimus ubi hunc numerum, hoc est, vicesimum septimum legerimus. In Geneseos libro Scriptura testatur (*Genes.* vii), sexcentesimo anno vitæ Noe, secundo mense, vicesima septima die mensis secundi, super faciem terræ aquas inductas esse diluvii, et postea septimo mense ejusdem anni, qui vicinus est sabbato, et vicesima septima die ejusdem mensis septimi, aquas cessasse diluvii, et sedisse arcam Noe super montes Ararat, qui interpretantur Armeniæ. Ex quo intelligimus, medium esse numerum et ad utrumque posse conferri, quando in hoc et ira Dei incipit a diluvio, et clementia ejus septimo mense in eodem dierum numero demonstratur. Et quia apud Hebræos mensis, qui apud nos Kalendis et Nonis Idibusque devolvitur, secundum lunæ cursum supputatur : unde et Græco vocabulo μήνη, id est, *luna*, a mense nomen accepit, hoc dictum est in vicesimo septimo lunæ die parum quid luminis remansisse, ne penitus ira ejus absque misericordia sit. Quando autem totus lunæ orbis impletur, tunc et pascha celebratur, et omnes maximæ solemnitates. Quod strictim posuimus, ut sciamus in hoc numero, et bona et mala pariter contineri. Bona Nabuchodonosor, cujus labori merces redditur ; mala **354** Ægyptiis, quorum vastitas nuntiatur.

(Cap. XXX. — Vers. 1 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, propheta, et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Ululate, væ, væ diei : quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus gentium erit. Et veniet gladius in Ægyptum, et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta ejus. Æthiopia et Libya, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis cum eis gladio cadent. Hæc dicit Dominus*

[a] Marshamus, in Can. Ægypt. legendum contendit minori numero, *ad insulam*. Impressam vero lectionem mss. editique libri omnes, atque ipsa demum historiæ veritas asserunt.

[b] In uno Vatic. ms. *senior*, pro *sævior*, et paulo post, *spei imbecillitate decipere*.

*Deus : Et corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii ejus, a turre Syenes* [Al. *Soenes*] *gladio cadent in ea, ait Dominus* [a] *exercituum. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt. Et scient quoniam ego Dominus, cum dedero ignem in Ægypto, et attriti fuerint omnes auxiliatores ejus. In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam, et erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. Hæc dicit Dominus Deus : Et cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis : ipse et populus ejus cum eo fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram. Et evaginabunt gladios suos super Ægyptum, et implebunt terram interfectis. Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manu pessimorum, et dissipabo terram et plenitudinem ejus in manu alienorum : ego Dominus locutus sum. Hæc dicit Dominus Deus : Et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis, et dux* [b] *in terra Ægypti non erit amplius, et dabo terrorem in terra Ægypti. Et disperdam terram Phatures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam judicia in Alexandria, et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti, et interficiam multitudinem Alexandriæ, et dabo ignem in Ægypto. Quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ quotidianæ. Juvenes Heliopoleos et Bubasti* [Al. *Bugasti*] *gladio cadent, et ipsæ captivæ ducentur. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, et defecerit in ea superbia potentiæ ejus:* **355** *ipsam nubes operiet, filiæ autem ejus in captivitatem ducentur. Et faciam judicia in Ægypto, et scient quia ego Dominus.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, vaticinare, et dic : Hæc dicit Adonai Dominus : O o dies : quoniam juxta est dies, et juxta via Domini : dies nubis, finis gentium erit. Et veniet gladius super Ægyptios, et erit conturbatio in Æthiopia. Et cadent vulnerati in Ægypto, et auferent multitudinem ejus, et concidentur fundamenta illius. Persæ, et Cretenses, et Lydi, et Libyes et omnes commixti, et de filiis Testamenti mei gladio cadent. Hæc dicit Adonai Dominus. Et concident sustentacula Ægypti, et descendent contumelia fortitudinis ejus a Magdalo usque ad Syenem gladio cadent in ea dicit Adonai Dominus. Et desolabitur in medio regionum desolatarum, et civitates ejus in medio urbium desertarum erunt, et scient quoniam ego sum Dominus, quando dedero ignem super Ægyptum, et contriti fuerint omnes qui auxiliantur ei. In die illa egredientur nuntii a facie mea, festinantes disperdere Æthiopiæ spem, et erit conturbatio in eis in die Ægypti, quia ecce veniet. Hæc dicit Dominus Deus. Et disperdam multitudinem Ægyptiorum per manum Nabuchodonosor regis Babylonis ipsius, et populi ejus cum eo, pestilentes qui de gentibus missi sunt ad perdendam terram. Et evaginabunt omnes gladios suos super Ægyptum, et replebitur terra vulneratorum. Et dabo fluvios eorum desertos, et tradam terram in manu pessimorum, et disperdam terram, et plenitudinem ejus in manibus alienigenarum : ego Dominus locutus sum. Quia hæc dicit Dominus Deus : Et perdam abominationes, et deficere faciam optimates de Memphis, et principes de terra Ægypti, et non erunt ultra. Et dabo terrorem in terra Ægypti, et disperdam terram Phatures, et dabo ignem super Taphnim, et faciam ultionem in Diospoli, et effundam furorem meum super Sain, robur Ægypti, et disperdam multitudinem Mempheos. Et dabo ignem super Ægyptum, et conturbatione conturbabitur Sais, et in Diospoli erit scissura, et diffundentur aquæ. Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, et mulieres captivæ ducentur, et in Taphnis tenebrescet dies, quando* **356** *contrivero ibi sceptra Ægypti, et peribit ibi contumelia fortitudinis ejus, et ipsam nubes operiet, et filiæ ejus ducentur, et faciam judicia in Ægypto, et scient quoniam ego sum Dominus.* Post vicesimum et septimum annum captivitatis regis Joacim, revertitur ad præsens tempus, quando contra Ægyptum cœperat prophetare, id est, ad annum decimum, et decimum mensem, undecima mensis die, et dicit sibi præceptum a Domino, ut loquatur ad omnes nationes, et cum omnibus speciliter ad Ægyptum. Quæ sunt ergo quæ loquitur? *Ululate, væ, væ diei, quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini :* non claro sole rutilans, sed operta nubibus, et Babyloniam afferens tempestatem. Cumque cœperit gladius vastare Ægyptum, pavor erit in Æthiopia, quæ vicina est Ægypto, ne ad se usque Babylonius mucro perveniat. Cadent enim in Ægypto vulnerati, et auferetur multitudo illius, et usque ad fundamenta omnia destruentur : ita ut si quis in Ægypto reperiatur de Æthiopia, et Libya, et Lydia, et in commune de variis populis et *Chub,* quod [c] Symmachus vertit in *Arabiam,* et de filiis terræ fœderis, hoc est, de populo Judæorum, cum illis gladio cadat. Pro quibus gentibus LXX posuerunt, *Persæ, et Cretenses, et Lydi, et Libyes, et omnes commixti, et filii Testamenti mei gladio cum ipsa cadent.* Et ut sciremus has omnes gentes fuisse in auxilio Ægypti, sequens sermo demonstrat : Et corruent fulcientes Ægyptum, sive sustentacula Ægypti, id est, socii, et omnis superbia imperii, sive contumelia fortitudinis illius destruetur ac deponetur a turre Syene, quam in extremis finibus Ægypti sitam dixi-

[a] Victor. *Deus* pro *exercituum* legit, ex Hebræo, אדני יהוה. Ipsa autem Hieronymi versio utrumque præfert *Deus exercituum.*

[b] Idem, *de terra*, ex Hebr. מארץ, consentiente Græco ἐκ γῆς, et Vulgata.

[c] Sunt qui ipsum hic falli Hieronymum putent, cum vocem *Chub* dicit a Symmacho versam in *Arabiam*, cum longe credibilius sit, ejus interpretationem, καὶ πᾶσα ἡ Ἀραβία, respicere duo proxime præcedentia verba, וכל הערב, quæ proprie *et omne vulgus* interpretantur, sed radicem nominis Arabiæ non spectat. Nihilominus et paulo inferius idem repetit Hieron., *et Chub, id est, Arabes.*

mus, sive Magdalo usque ad Syenem, sicut LXX transtulerunt: omnes civitates Ægypti desertæ erunt, ut cognoscant Dominum, quando ignis Chaldæorum universa vastaverit, et attriti fuerint universi auxiliatores ejus, et pervenerint nuntii juxta Aquilam et Theodotionem SIIM (צִיִּים), quos Symmachus transtulit, *festinantes* : nos in *trieres* vertimus; ita enim ab Hebræis accepimus : ut omnis Æthiopiæ fiducia conteratur, et quando fuerit vicina provincia **357** desolata, pavor teneat proximam. Ut autem sciremus quis esset iste gladius, qui vastaret Ægyptum et terreret Æthiopiam, sequitur manifestius : Et cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, qui non solum veniet, sed veniet multis comitatus nationibus, ita ut omnis Ægyptus interfectorum sanguine compleatur, tantaque erit ira Domini, ut siccentur alvei fluminum, hoc est, Nili διώρυχες, usque ad solum, et in manu pestilentium, sive hominum pessimorum plenitudo Ægypti desoletur. Mea enim verba irrita esse non possunt, illucque proficiet indignatio, ut simulacra Ægypti disperdantur, et cessent idola de Memphis, quæ usque hodie metropolis est superstitionis Ægyptiæ, sive optimates et principes de Memphis, et de terra Ægypti. Tantus autem terror cunctam Ægyptum possidebit, ut terra Phatures omnis pereat, et ignis vastet Taphnis, sive ut Septuaginta transtulerunt, *Tanin*. Faciamque, ait, judicia in Alexandria, quæ hodie sic vocatur. Cæterum pristinum nomen habet NO, quod Aquila, Symmachus, et Theodotio, sicut in Hebræo positum est, transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta dixere *Diospolim*, quæ Ægypti parva civitas est. Nos autem pro *No*, *Alexandriam* posuimus, per anticipationem, quæ Græce πρόληψις appellatur, juxta illud Virgilianum (*Æneid*. lib. IV) :

Lavinaque venit
Littora;

non quo eo tempore quando venit Æneas in Latium, Lavinia dicerentur; sed quæ postea Lavinia nuncupata sunt, ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiæ. Et effundam, inquit, indignationem meam super *Sain*, quam nos in *Pelusium* vertimus, et robur appellatur Ægypti, eo quod portum habeat tutissimum, et negotiationes maris ibi vel maxime exerceantur. Unde et poeta Pelusiacam appellat lentem (*Virgil*. I *Georg*.), non quod ibi genus hoc leguminis gignatur, vel maxime; sed quod e Thebaida et omni Ægypto per rivum Nili illuc plurimum deferatur. Et interficiam, ait, multitudinem Alexandriæ, quæ rursum in Hebræo posita est NO, pro qua nequaquam *Diospolim*, ut supra, sed *Memphim* LXX transtulerunt. Et ut ostendat populosam jam illo tempore fuisse **358** urbem, *Perdam*, ait, *multitudinem* NO (נֹא) ; *et dabo ignem*, hoc est, regem Babylonis in Ægypto, qui instar ignis cuncta depopuletur. *Quasi parturiens dolebit Sain*, id est, *Pelusium* : sive conturbatione turbabitur ; et in Alexandria, id est, in *No*, erit scissura, et diffundentur aquæ, pro qua rursum LXX *Diospolim* transtulerunt. Moris autem Ægyptiorum est, propter inundationem Nili, excelsos aggeres construere ad ripas Nili. Qui si custodum negligentia, vel nimia aquarum magnitudine rupti fuerint, subjacentes campos nequaquam rigant aquæ, sed opprimunt atque populantur. Per quod significatur, sic Chaldæorum exercitu occupandam Ægyptum, quomodo inundantibus Nili aquis, et super modum crescentibus operiri solet atque corrumpi. Pro inundatione aquarum, et irruptione atque scisura aggerum, in Hebræo positum est : *Et erunt in Memphis angustiæ quotidianæ*, ut unde Nilus dividitur, et ubi Apis templum est, et consulta respondent oracula, ibi quotidianæ angustiæ fiant. Juvenes quoque Heliopoleos, quæ Hebraice appellantur ON (אִין) [*Al*. Aven.], et Bubasti alterius civitatis, gladio corruent : ita ut ipsæ urbes, hoc est, habitatores, sive mulieres earum ducantur in captivitatem, qui sexus injuriæ subjacet. In Taphnis vero quæ est regia civitas, conterentur sceptra Ægypti, id est, omne regium genus. Cumque potentia ejus, interfectis principibus, defecerit, tunc nigrescet dies, et caligine ac tenebris omnia complebuntur, ita ut ipsa urbs operiatur nube mœroris ac luctus, et filiæ ejus, id est, oppida reliqua ducantur in captivitatem; ut postquam fecero judicia in Ægypto, et me cunctis judicem demonstravero, tunc sciant Ægyptii quod ego sum Dominus. Hæc quasi parvulis elementa descripsimus, ut per litteras, syllabas, nomina, verborumque contextum, possint ad lectionem prosæ vel carminis pervenire. Nunc aggrediamur tropologiam, et latissimum disputationis pelagus, brevi quasi picturæ tabula, demonstremus. Sermo Domini qui erat semper in Patre, factus est ad prophetam, et vocat eum nequaquam nomine suo, sed filium hominis. Quod in Scripturis sanctis in bonam partem semper accipitur, dumtaxat numero singulari, ut in hoc eodem propheta, **359** et in Daniele, et in Evangelio. Alioquin plurali numero in contrarium legitur, ut est illud : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ : et lingua eorum gladius acutus* (*Ps*. LVI, 5). Et rursum : *Filii hominum usquequo gravi corde* (*Ps*. IV, 3)? *Leo enim rugiet et quis non timebit? Dominus locutus est, et quis non prophetabit?* (*Amos*. III, 8). Ulula, inquit, væ, væ diei quia juxta est dies, et appropinquat, dicit Dominus, dies nubis, tempus sive finis gentium erit. Duplex consummatio est, aut generaliter omnium, quando finis advenerit, aut specialiter singulorum, quando tempus mortis institerit. Juxta autem dicitur, quia æternitati comparatum, omne tempus breve est. Unde et Jacob centum et triginta annos quibus dixerat : *pauci*, inquit, *et pessimi sunt dies mei* (*Gen*. XLVII, 9). Et Psalmista de universi generis humani fragilitate disputans, ait : *Dies nostri quasi umbra pertransierunt* (*Ps*. CXLIII, 4). Quod reputantes, nec potentia erigemur, nec divitiis incubabimus, nec felicitate lætabimur, cito omnia auferenda noscentes. Pulchreque dies dicitur Domini, quando omnis sæculi conversatio destruetur, et errore sublato, una

veritas apparebit, diesque nubis et nebulæ. Nullus enim intrepidus incertusque de sententia, absque pavore judicem præstolatur. Et tempus sive finis gentium erit, non unius gentis Ægyptiæ, sed universarum, ut manifestum fiat de cunctis gentibus prophetari. Sequitur, veniet in Ægyptum gladius, gladius versatilis flammeus, sermo divinus, qui bonos a malis dividat, et pessimos suo igne consumat. In Ægyptum autem hujus sæculi, ita ut pavor sit in Æthiopia, qui trans Ægyptum in nocte erroris, et tenebris commorantur, et quorum nigredo in candorem, aut difficulter, aut nequaquam convertitur. Cadentque vulnerati in Ægypto, qui male steterant in nequitia. Et auferetur multitudo Ægypti. *Lata enim et spatiosa est via quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13). Et fundamenta illius destruentur : ut nihil in Ægypto pristinæ resideat firmitatis : sed desertis fundamentis pessimis, ponatur fundamentum Christi, super quo ædificetur Ecclesia. Omnis quippe plantatio, quam non plantavit cœlestis Pater, eradicabitur (*Matth.* VII). **360** Unde et Jeremias destruere jubetur quæ constructa erant, ut ædificet meliora (*Jerem.* I). Peribunt quoque in Ægypto Æthiopes, Libyes, et Lydi, sive juxta Septuaginta, Persæ, Cretenses, et Lydi, et Libyes, et Chub, id est, Arabes, et omne reliquum vulgus, quos Hybridas atque mixticios Septuaginta transtulerunt. Quos omnes pro diversitate vitiorum et interpretatione nominum, quæ in visione Tyri posuimus, diversas possumus intelligere nationes. Unde et Apostolus : *Vos*, inquit, *gentes in carne, qui dicimini Præputium* (*Ephes.* II, 11). Numquam enim dixisset in carne gentes, nisi essent aliæ in spiritu, ut in alio loco : *Videte Israel secundum carnem.* Unde magnopere providendum est, ne corde revertamur in Ægyptum, de qua semel exivimus, et inter cæteras gentes inveniamur ; et pereamus gladio, de quo in consequentibus dicitur : *Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent*, maxime cum jungatur, *et filii terræ fœderis*, sive *Testamenti mei simul mucrone ferientur*, de quibus scriptum est : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis et curribus confidentes* (*Isa.* XXXI, 1). Sin autem cæterarum gentium homines trucidantur in Ægypto, quanto magis filii terræ fœderis et Testamenti Dei, qui contemnentes Angelorum panem, Ægypti peponum, et ceparum, et alliorum et cucumerum recordati sunt (*Num.* XI). Tunc corruent sustentacula et fulcra Ægypti, quæ eam in nequitia sustentabant, dialecticorum argutiæ, et philosophorum strophæ. Contumeliosum quoque ac superbum imperium destruetur, qui omnia loquuntur per arrogantiam, et Ecclesiasticam simplicitatem ducunt pro nihili. A turre enim Syenes cadent in ea quæ in extremis terminis Ægypti, Æthiopiæ Blemmyarumque confinis est : ubi Nilus innavigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia plenaque serpentum, et venenatorum animantium. Sin autem (ut supra diximus) Magdalus, magnificentiam, et Syene, gyrum sonat, perspicuum est quod Ægyptiæ opes, et contumeliosa fortitudo et magnificentia, id est, jactantia, et exaltationes [a] vi pereant, usque ad gyrum Ægypti, ubi nihil stabile est ; sed incerto **361** volvitur lapsu, et pervenit ad ruinam. Tunc dissipabuntur Ægyptiæ civitates, et terra deserta erit, et nulla congregatio remanebit, habens aliquid firmitatis, ut rerum fine cognoscant quod ipse sit Dominus, quando miserit ignem in Ægypto, quem Dominus ardere, desiderat, ut fenum, ligna, stipulæ, quæ supra fundamentum Christi ædificata sunt, concrementur, et omnes auxiliatores perversorum dogmatum conterantur. Ex quo intelligendum, falsi nominis scientiam, et eos de quibus scriptum est : *Dissipa gentes quæ bella volunt* (*Ps.* LXVII, 32), socios et auxiliatores Ægypti nuncupari. In die, inquit, illa egredientur nuntii a facie Dei, de quibus scriptum est in Evangelio : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 20). Et in sementis parabola, messores Angeli, id est, qui nuntii sunt, mittuntur, ut universa scandala congregent, et mittant ea in caminum ignis, ubi est fletus oculorum, et stridor dentium (*Ibid.* XIII). Festinabuntque implere præceptum, ut deterreant, sive conterant Æthiopiæ confidentiam, qui ad summum malitiæ verticem pervenerunt ut in eversione Ægypti Æthiopia conteratur, et paveat, eo quod dies Domini sit ultionis atque vindictæ, qua fugentur tenebræ peccatorum, et lux virtutum remaneat. Et cessare, inquit, faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, cui traditi sunt ad puniendum. Ipse est enim inimicus et vindex qui etiam mercedem accepit, eo quod servierit in expugnatione Tyri, Ægypti multitudinem : ut multi in Ægypto esse desistant, qui semper in ea sunt. Sin autem aliquis opposuerit, quomodo illud dicatur in Deuteronomio : *In septuaginta animabus descenderunt patres vestri in Ægyptum : nunc autem facti estis ut stellæ cœli in multitudine* (*Deut.* X, 22) : facile solvitur. Neque enim exemplum terrenæ multitudinis posuit, sed cœlestis, quæ virtutibus fulgeat, et plena sit luminum, super quam multitudinem Ægypti, adducuntur fortissimi gentium, ut disperdant terram, pro quibus Septuaginta *pestilentes*, interpretati sunt. Quod nescio quomodo conveniat iis qui adducuntur a Domino, nisi forte juxta illud exemplum, *immissionem per Angelos pessimos* (*Psal.* LXXVII, 19) : qui evaginabunt gladios suos super Ægyptum, et implebunt terram **362** interfectis, sive vulneratis, ut occisos vulneratosque esse se sentiant, et in tantum Ægyptum esse destructam, et ad nihili pervenisse, ut omnia flumina eloquentiæ quibus errores Ægyptii, juncus et calamus rigabantur, arefiant, et tradantur in manu pessimorum, qui eos torqueant, et plenitudo terræ Ægypti, quæ male creverat, deleatur in manu alie-

[a] Legit Rabanus, cui ferme consentit Vatican. ms. *exaltationes vituperentur, qui ad gyrum Ægypti pertinent, ubi*, etc.

norum a Deo. Neque enim boni, sed mali Angeli tormentis præpositi sunt. Hæc necesse est ut sciant, quia locutus est Dominus. Quod frequenter assumitur, ut sciant qui audiunt non prophetæ verba esse, sed Domini, cujus præcepta irrita esse non possunt. Sequitur : *Et disperdam simulacra*, quæ *abominationes*. Septuaginta transtulerunt : Et cessare faciam idola vel optimates de Memphis, et dux, sive princeps in terra Ægypti, non erunt amplius. Clementissimi enim Domini est, male ficta subvertere, ut nulla similitudo quæ mentitur imaginem veritatis, remaneat in Ægypto : optimates quoque pereant de *Memphis*, quæ interpretatur *ex ore;* de quo omnia idola confixerunt, ut truncatis capitibus et magistris idolorum, non sit princeps in Ægypto, et terrore ac perditione omnis Ægyptus compleatur. De cujus urbibus dicitur : *Et disperdam terram Phatures, et dabo ignem in Taphnis*, sive *in Tanin, et faciam judicia in* NO, quam Septuaginta *Diospolim* transtulerunt : *et effundam indignationem meam super Sain, robur Ægypti.* Phatures interpretatur, *panis conculcatio :* Taphnis, *mandatum humile :* Diospolis, pro qua in Hebræo posita est NO, *requies.* Sain, *tentatio :* quibus nominibus diversa hæreticorum et omnium mendaciorum conciliabula demonstrantur : qui conculcant panem ecclesiasticum atque contemnunt, et sequuntur mandatum humile, et ad cœlestia non perducens, et deliciis vacant, et sunt in requie; qualem in Evangelio legimus divitem purpuratum (*Luc.* XVI); et tentatoribus [*Al.* tentationibus] inserviunt : quorum unus expetit a Domino, ut tentandi Job haberet potestatem. Hæc omnia Dominus disperdet atque succendet, et effundet super ea indignationem suam, et robur Ægypti dissipabit, ut redacti ad nihilum, nequaquam populum Dei sollicitent, et in suo sperare faciant auxilio; ut deserta veritate, quærant mendacium, et quasi a baculo arundineo sic suo **363** præsidio vulnerentur. Post hæc dicitur : *Et interficiam* sive *disperdam multitudinem Mempheos*, pro qua in Hebræo habet NO, quam supra iidem Septuaginta *Diospolim* transtulerunt, quæ interpretatur, *requies.* Multi enim sunt qui quærunt requiem, et jacere volunt super lectos eburneos, et comedere agnos lactentes. Sive juxta Septuaginta, qui interpretati sunt *Mempheos*, multi sunt qui loquuntur aliis : *Dimitte ut auferam festucam de oculo tuo*, cum ipsi trabes habeant in suo. Daturque ignis in Ægypto, qui verbositates atque delicias suo ardore consumat. Dolebit universa tentatio, et in Diospoli, quæ rursum in Hebræo NO ponitur, erit scissura; ut effundantur aquæ omnisque pessima congregatio dissipetur, et huc illucque dispereat. Vel juxta Hebraicum in Memphis erunt angustiæ quotidianæ, ut pro omni verbo otioso reddant rationem, ut intelligant nihil dictorum suorum Domini judicium præterire.

Juvenes quoque Heliopoleos, et Bubasti gladio cadent. Heliopolis Hebraice ON dicitur, quod interpretatur *dolor*. Bubastus autem juxta linguam Ægyptiacam, *oris experimentum*. Omnes isti qui dolorem sæculi ferre non poterant, sed delicias Diospoleos sectabantur, et confidebant sibi in volubilitate sermonum et adversum cætera dogmata disputantes, habuerant experimenta victoriæ, gladio sermonis Dei concident : et qui nequaquam juvenes, sed imbecillitate mentis mulieres appellantur, captivi ducentur. Sive ipsæ urbes, dolore et oris jactantia, ducentur in captivitatem. Et in Taphnis, inquit, nigrescet dies. *Taphnæ* interpretantur, *cedentes ori*, subauditur diaboli : cui qui cesserint, amittent lumen veritatis, et diem in noctem mutabunt, et sceptra Ægypti, atque omne imperium sentient in Taphnis esse contritum, ita ut deficiat in ea contumeliosa fortitudo, sive superbia potentiæ ejus, et solis justitiæ radii in nube cæcentur, et nequaquam mulieres, sed filiæ ducantur in captivitatem; faciatque Dominus non unum judicium, sed multa judicia in Ægypto. Sicut enim bonorum apud Patrem **364** diversæ sunt mansiones : ita et Ægypti suppliciorum diversa judicia; ut cum hæc omnia facta fuerint; cognoscant Ægyptii, quod ipse sit Dominus, cujus judicia vera justificata in semetipsis.

(Vers. 20 seq.) *Et factum est in undecimo anno, in primo* [Vulg. addit *mense*], *in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti confregi, et ecce non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas, et ligaretur pannis, et* [a] *sarciretur linteolis* (sive *ut acciperet malagma*) : *et accepto robore, posset tenere gladium. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, et comminuam brachium ejus forte, sed confractum* (sive *brachia fortia, et disposita*) : *et dejiciam gladium de manu ejus, et dispergam* (sive *disseminabo*) *Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terras* [Vulg. *terris*]. *Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus, et confringam brachia Pharaonis, et gement gemitibus interfecti coram facie ejus* (sive ut in LXX continetur : *Et inducet gladium super Ægyptum, et populabitur prædas ejus, et spoliabit spolia illius.* Sequitur) : *Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis cadent : et scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Ægypti, et dispersam* [Vulg. *dispergam*] *Ægyptum in nationes, et ventilabo eos in terras, et scient quia ego Dominus.* Revertitur ad ordinem prophetiæ; post vicesimum enim et septimum annum nunc ponit undecimum. Quæ quæstio etiam in superioribus continetur. Cum enim sermo Domini contra Tyrum factus sit in anno undecimo, qui prius positus est, in consequentibus loquitur ad Pha-

[a] Rescribit Victorius, *sarciretur*, quod propius ad Vulgatæ lectionem est, *fasciaretur*, eique satis bene respondet, quod est in Hebraico verbum לחבשת. Nam חבש significat *alligare*, Exod. XXVII, Isai. XXX. Sic in expositione subnexa Hieronymus *Brachium*, inquit, *ejus confregisse se dicit, et non esse obvolutum, neque ligatum, nec sartum linteolis.* Mox pro *accepto*, idem Victor. *recepto* ex Vulgata posuit.

raonem anno decimo : rursumque ponit vicesimum septimum, ut diximus, et nunc undecimum. Ut cætera prætermittam quæ in psalmorum ordine continentur : quæritur, quomodo tertius psalmus præponatur his psalmis in quibus mutavit faciem suam David coram Abimelech, et de Doec Idumæo, et quando inventus est in spelunca, et quinquagesimus pœnitentiæ, in cujus titulo demonstratur, quod introierit ad Bethsabee uxorem Uriæ, **365** cum priores sint isti psalmi tertio, in quo fugere notatur a facie filii sui Abessalon. Sed in Psalmis facilis responsio est, carmen esse lyricum, et in hujuscemodi opere non quæri ordinem historiæ ; sed factorum carmina singulorum. In historia vero illud dicendum est, ea quæ de una re diversis sunt dicta temporibus, non debere oratione dividi, sed unius loci narratione concludi. Verbi gratia, ut quæ de Ægypto dicta sunt alio atque alio tempore, uno lectionis ordine cognoscantur. Cum hæc dixerimus, manet nihilominus quæstio : Cur in hoc eodem loco primum factus sit sermo Domini ad Pharaonem anno undecimo, et postea vicesimo septimo, et deinceps anno decimo, cum utique juxta ordinem, primo decimus, secundo undecimus, tertio vicesimus septimus annus, singulis prophetiis debuerint prænotari. Ad quod illud possumus respondere : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia judicio ejus et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* II, 33). Et in alio loco : *Abyssum et sapientiam quis investigabit* (*Eccli.* I, 2, 3). Possumus autem hoc dicere, quod et in Prophetis nequaquam historiæ ordo servetur, dumtaxat non in omnibus, sed in quibusdam locis, neque enim narrant præterita, sed futura prænuntiant, prout voluntas Spiritu sancti fuerit. In historia vero, ut sunt Moysi quinque libri, et Jesu, et Judicum volumina, Ruth quoque et Esther, Samuel et Malachim, Paralipomenon liber et Ezræ, juncto sibi pariter Nehemia, præposteram narrationem nequaquam reperiri. Hæc de annorum ordine dixisse sufficiat. Nunc videamus quæ contra Pharaonem, **366** sive de Pharaone prophetia sit. Brachium ejus confregisse se dicit, et non esse obvolutum neque ligatum, nec sartum inteolis, nec accepisse malagma, juxta illud quod scriptum est : *Non est malagma imponere, nec oleum, nec alligaturas* (*Isa.* I, *sec.* LXX). Quod si factum fuisset, utique recepta fortitudine, posset tenere gladium, et ad bella procedere. Idcirco clemens et misericors Deus rursum comminuit brachium ejus, sive brachia, ut penitus cadat gladius de manu ejus, et in gentes Ægyptus dispergatur, et ventiletur in terras. In brachio autem robur [a] accipe et fortitudinem, dicente Scriptura : *Contere brachium peccatoris et maligni* (*Psal.* IX, 15). Quod conteritur in adversariis nostris, quando nos persequuntur quidem, sed opprimere nequeunt. Et pro salute servorum Dei adversus Pharaonem rex Babylonis sæpe consurgit, ut potentem opprimat potentior, et mali tradantur pejoribus, confortante Deo brachia pessimorum, ut sciat qui liberatus est, quod ipse sit Dominus : profectum autem esse virtutis, scire quod ipse sit Dominus. Econtrario possumus dicere : *Filii Heli, filii pestilentiæ, nescientes Deum* (I *Reg*, II, 22). Et in bonam partem de regibus qui rectum fecerunt in conspectu Dei scriptum est, quod noverint Dominum. Illud autem quod in LXX dicitur : *Et conteram brachia ejus fortia et disposita*, quod Græce dicitur τεταγμένα, scriptorum vitio depravatum est Illi enim interpretati sunt non τεταγμένα, [b] sed τετα-μένα, hoc est, non *disposita*, sed *extenta*. Pro quo juxta consuetudinem suam alii interpretes *excelsa* posuerunt.

[a] Vatic., *robur accipi, et fortitudo potest, dicente Scriptura*, etc.

[b] Editi legunt confictam vocem τετειμένα, cum mss. codices hic retineant Latino charactere *tetamena*, id est, *porrecta*, a verbo τείνω. MART.

# *LIBER DECIMUS.*

Vellem, ut ante jam dixi, prophetias contra unam provinciam, aut unum regem, iisdem explanare libris, et nequaquam sensum lectoris dividere. Sed quid faciam longitudini, quæ nisi dividatur in partes, modum voluminis egreditur; et infinita congeries, tam dictanti, quam legenti **367-368** molesta est? Itaque post sermonem contra Ægyptum et planctum ejus, regemque Ægypti, de cujus brachio nequaquam obvoluto, neque restituto pristinæ sanitati, in ultima parte noni libri diximus, transimus ad principium decimi libri contra eumdem Pharaonem regem Ægypti, qui comparatur regi Assyrio, et post longissimam prophetiam, lamentatio super eodem assumitur, et deinceps contra omnem Ægyptum. In quibus disserendis, o virgo Christi, Eustochium, eleva cum Moyse manus ut nostra victoria tuarum orationum fructus sit. Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis (*Rom.* IX, 16), Dei qui loquitur ad prophetam : Aperi os tuum et adimplebo illud (*Ps.* LXXX, 11); propheta ad Dominum respondente : Aperui os meum, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII, 331); qui ubi vult spirat. Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas (*Joan*, III, 8; II *Cor.* III, 17), qua libertate donavit nos Dominus. Quam frustra se Judæi habere jactabant dicentes : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus umquam (*Joan.* VIII, 33), multis vitiis peccatisque subjecti, et ignorantes illam sententiam : a quo quis vincitur, ejus et servus est (II *Petr.*, II, 19).

(Cap. XXXI.) *Et factum est in undecimo anno, tertio, mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti et populo ejus : Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur quasi Cedrus* (sive *Cyparissus*) *in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes* (sive *in medio nubium*) *elevatum est cacumen ejus. Aquæ nutrierunt illum : Abyssus elevavit* [Vulg. *exaltavit*] *eum : flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis. Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis* (sive *campi*) *: et multiplicata sunt arbusta* (sive *rami*), *et* [a] *elevati sunt rami ejus præ aquis multis. Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli, et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, et sub umbra* [Vulg. *umbraculo*] *illius habitabat cœtus gentium* [b] *universarum. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatione* (sive *multitudine*) *arbustorum* (vel *ramorum*) *suorum :* [c] *erant enim radices illius juxta aquas. Cedri* (sive *Cyparissi*) *non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, et abietes* (sive *pini*) *non adæquaverunt summitatem ejus, et platani* (vel *abietes*) *non fuerunt æquæ* (vel *similes*) *frondibus* (sive *ramis*) *illius. Omne lignum paradisi Dei* (sive *in paradiso Dei*) *non est assimilatum ei et pulchritudini ejus, quoniam speciosam* [Vulg. *speciosum*] *feci eam* [Vulg. *eum*], *et multis condensisque frondibus, et æmulata sunt eam omnia ligna voluptatis* (sive *deliciarum*) *quæ erant in paradiso* [Vulg. addit *Dei*]. *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod sublimata* [al. *sublimatus*] *est in altitudinem, et dedit summitatem suam virentem atque condensam* (sive *in medio nubium*), *et elevatum est cor ejus in altitudine sua : tradidi eam* (sive *eum*) *in manu fortissimi* (sive *principis*) *gentium : faciens faciet ei :* (sive *et faciam perditionem ejus*) *: juxta impietatem ejus ejeci eam.* [d] *Et succident eam alieni et crudelissimi nationum* (sive *pestilentes gentium*), *et projicient eam super montes, et in cunctis convallibus corruent rami ejus, et confringentur arbusta ejus in universis rupibus* (sive *campis*) *terræ, et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ, et relinquent eam. In ruina ejus habitaverunt* (sive *requieverunt*) *omnia volatilia cœli, et in ramis ejus fuerunt universæ bestiæ regionis. Quamobrem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum : neque ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa* (sive *in nubibus*) *: nec stabunt in sublimitate* [Vulg. *eorum*] *sua omnia quæ irrigantur aquis : quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum ad eos qui descendunt in lacum. Hæc dicit* **369** *Dominus Deus : in die quando descendit ad inferos, indixi* [Al. *induxi*] *luctum* (sive *luxit eum abyssus*) *: operui eum abysso, et prohibui flumina ejus et coercui aquas multas.* [e] *Contritus est* (sive *contenebratus*) *super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt* (sive *defecerunt*). *A sonitu ruinæ ejus commovi* (sive *commotæ sunt*) *gentes, cum* [f] *deducerem eum* (sive *eam*) *ad infernum cum his qui descendebant* (sive *descendunt*) *in lacum; et consolata sunt in terra infirma omnia ligna voluptatis* (sive *deliciarum*) *egregia atque præclara in Libano : universaque irrigabantur aquis. Nam et ipsi cum ea* (sive *cum eo*) *descendent* (sive *descenderunt*) *ad infernum ad interfectos* (sive *vulneratos*) *gladio, et brachium* (sive *semen*) *uniuscujusque* [g] *habitantium sub umbraculo ejus, in medio nationum* (sive *vitæ suæ*) *perierunt. Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis! Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies, cum his qui interfecti sunt gladio.* [h] *Sic Pharao et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.* Utramque editionem ex more commiscui, ubi tamen plurimum discrepabant, ne duplex propositio augeret librorum magnitudinem. Ac primum sciendum, quod quæcumque dicuntur de rege Assyriorum futuro tempore, in LXX quasi transacta memorantur, et sic vel ad arborem, vel ad principem loquitur Assyriorum, ut tam, masculino quam feminino genere de una persona intelligatur, dum et arbor refertur ad Assyrium, et Assyrius in arbore nominatur. Nec de rege Babylonio in præsenti sermone ulla fit mentio; ne videatur contra captivum populum positum [*Al.* positus] in Chaldæa, dominorum atque regnantium iracundiam provocare, sed dicitur de rege Assyriorum, qui eo jam tempore captus fuerat a Chaldæis, et omne robur Assyriorum Babylonio subjacebat

[a] Hæc verba, *et elevati sunt rami*, ex Vatic. ms. et Rabano suffecimus post Victorium, qui ad Scripturæ dumtaxat testimonium suppleverat : Martianæus cum Erasmo prætermisit.

[b] Victor. *gentium plurimarum*, ad Vulgatæ instar, Hebræo, ipsaque subnexa Hieronymi expositione assentientibus. Nam *universarum* proprie est LXX, πᾶν πλῆθος ἐθνῶν : nisi si Hieronymus utramque posuit lectionem, *gentium plurimarum* (sive *universarum*).

[c] Idem ad Vulgatæ rursum atque Hebræi textus fidem, *erat enim radix illius juxta aquas multas.* Sed et Rabanus consentit in ea quam supplet voce *multas.*

[d] Rescribimus post Victorium *succident.* Manifesto enim, inquit, fœdoque errore *succedent* legebatur antea : nam *succident* habent Hebr., Græc., Vulg. et commentarius ipse Hieronymianus.

[e] Victorius *Contristatus est*, etc., pro *contritus*, ex Vulgata reponit, atque Hebræo ואקדר, quod aut *obtenebrari* significat, aut *contristari*. Alterum, quod est *contritum*, verterunt LXX.

[f] Antea erat *deducerent*. Nos Victorio hic assentimur præter Scripturæ textus, Brixianos mss. codices proferenti.

[g] Pro *habitantium*, Rabanus, et Victorius ad Vulgatæ exemplar *sedebit*. Legitque mox (*sive in medio vitæ suæ perierunt*) ipso verbo *perierunt*, utpote τῶν LXX intra lineas recepto, suffectisque vocibus, *in medio*, ex eorumdem interpretatione; nihil enim in Hebræo est cui verbum Græcum ἀπώλοντο, *perierunt*, respondeat.

[h] Iterum cum Rabano Victorius, *Ipse est Pharao*. Cui lectioni subnexa cumprimis Hieronymiana expositio suffragatur, ubi S. Pater cum Septuagintaviral propriam versionem componit.

imperio. Unde et decem tribus, hoc est, Israel, Assyrii capiunt; duas autem, hoc est, Judam et Benjamin, **370** Chaldæi superant, et urbem subvertunt Jerusalem. Dicturus igitur contra Pharaonem regem Ægypti, et populum ejus sermo divinus, tali adversum illum est usus exordio : Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur quasi Cedrus in Libano, et reliqua. Et est sensus : Non mireris si a Babyloniis sis vincendus atque periturus, et tuum perditurus imperium, omnesque opes Ægyptiæ destruendæ sint, cum Assur multo te fortior, eodem Chaldæo superante, deletus sit. Describitque potentiam regis Assyrii sub figura arboris Cedri, juxta Hebraicum, juxta LXX, Cyparissi, in monte Libano constitutæ, quæ sit pulchra ramis et condensa frondibus, et ad nubes usque subrecta, quæ idcirco tantum crevit, quod non aquis, sed abyssis, hoc est, aquis abundantissimis irrigetur. Abyssus enim multitudo sonitus aquarum : ita ut omnes aves nidos fecerint in ramis ejus, et sub frondibus illius genuerint omnes bestiæ saltuum. Et ne dubitaremus quæ essent cœli volatilia, quæ silvarum bestiæ, apertius posuit : Et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. Cedri, inquit, [a] et cyparissi, abietes, sive pinus et platani, sive cyparissi, non fuerunt æquæ ramis illius. Et ne sigillatim de cunctis arboribus diceret, et omnia, inquit, ligna paradisi Dei non sunt assimilata illi, et pulchritudini ejus. Per quæ nonnulli intelligunt non de rege dici Assyrio, sed de contraria fortitudine, quæ in sermone Tyri inter Cherubim dicitur esse generata, et pretiosis distincta lapidibus, et postea ad terrena suo vitio concidisse, qui et in Isaia cadens, Lucifer appellatur (*Isa.* XIV), et in Evangelio signatur a Domino : Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X, 12). Sed nos hæc omnia ut interim sequamur historiam hyperbolicōs dicta intelligamus, quod tantæ Assyrius fuerit potentiæ, et sic cunctas oppresserit nationes, ut se Angelorum fortitudini compararit. Omnia autem metaphorice sub altissima cedro, sive **371** cyparisso dicuntur ad Assyrium, interfectioque illius appellatur succisio. Quodque sequitur : Tradidi eam in manu fortissimi gentium, regem Babylonium vocat, ut quod vicit Assyrium, non propriæ fortitudinis, sed divinæ intelligat potestatis. Juxta impietatem, inquit, ejus ejeci eam, ut occulte Babylonium moneat, non debere esse crudelem, nec opprimere populum Dei, qui sibi traditus sit, ne similia patiatur ab Assyrio, qui crudelis et impius fuit. Et succident illam alieni, et crudelissimi nationum; sive, juxta LXX, pestilentes : quod numquam diceret [*Al.* voluit dicere) positus in Chaldæa, ne illum adversum gentem suam commoveret. Projicitur quoque super montes, et in cunctis convallibus corruunt rami ejus, et confringuntur in rupibus, et a cunctis derelinquitur populis, hoc est, volatilibus cœli et bestiis campi, et in tantam veniet perditionem, ut omnes arbores quæ putabantur excelsæ comparatione Assyriæ arboris, suo exemplo elevari, et in sublime erigi ultra desistant, nec stent in altitudine sua, sed illa succisa, omnes metu pariter succidantur. Quodque per translationem dictum erat, fit manifestius. Omnes, ait, traditi sunt (subauditur reges in mortem) ad terram ultimam (hoc est, ad infernum), in medio filiorum hominum (nequaquam inter arbores) ad eos qui descendunt in lacum. Haud dubium quin inferna significet. Post succisionem arboris Assyriæ, sive in die quando descendit ad inferos Assyrius, et induxit [*Al.* indixit] Dominus luctum, rursum per translationem de eo loquitur, quod opertus sit abysso, juxta illud quod scriptum est : Veni in profundum maris, et tempestas demersit me (*Ps.* LXVIII, 3); et omnia flumina, omnes videlicet nationes, eum ultra rigare cessaverint, et contristatus sit, sive contenebratus super eam, id est, arborem, vel eum, id est, Assyrium, Libanus. Ac ne putaremus de arbore esse sermonem, sequitur : A sonitu ruinæ ejus commovi gentes. Quæ enim tanta ruina esse unius arboris potest, ut ad sonitum ejus universæ commoveantur gentes? Cum deducerem [*Al.* deducerent], inquit, eam ad infernum, juxta litteram, arbor ad inferos deduci non potest cum aliis qui in lacum, id est, ad **372** inferos descendebant. Et consolata sunt in terra infima, in corde videlicet terræ, omnia ligna voluptatis, sive deliciarum, quod Hebraice appellatur EDEN (עֵדֶן), ut nemorosos saltus, silvasque significet egregias atque præclaras, quæ fuerunt in Libano, et irrigabantur aquis. Nam et ipsæ arbores cum eo, hoc est, Assyrio descendent in infernum, ad interfectos, sive vulneratos gladio. Ligna gladiis non vulnerantur, sed cæduntur, nec descendunt ad infernum. Et brachium, inquit, sive semen (quoniam apud Hebræos sermo ZARA (זרע), [b] utrumque significat), requiescet in umbraculo ejus in medio nationum, nequaquam silvarum, sed gentium. Ad extremum fit apostropha ad ipsum Assyrium, sive ad Pharaonem. Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? Nullus tibi, inquit, par fuit, sed omnes reges potentia superasti, et tamen cum cæteris regibus, qui erant in comitatu tuo ad terras ultimas, id est, ad inferos deductus es, dicente Scriptura : Ingredientur ad extrema terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Ps.* LXII, 10, 11). In medio, ait, incircumcisorum dormies cum his, qui interfecti sunt gladio. Ostendit quæ essent ligna, quæ cedrus, sive cyparissus gladiis vulnerata, et jacens cum incircumcisis. Et

[a] Contendit Victor. legendum, *seu cyparissi :* nam vocem Hebraicam Hieron. *cedros* semper vertit, LXX vero *cyparissos*.

[b] Nimirum diversitate lectionis; nam vocalium quæ olim aberant, nulla est hic ratio. Videsis infra Commentar. in Daniel. XI, 31, ubi et varia ejus vocis apud Veteres interpretatio annotatur : quod enim vulgo habetur, *Et brachia ex eo stabunt*, alius interpretatus est, *Et semina ex eo stabunt*.

ut extrema anterioribus jungeret, quia supra dixerat : Cui similis factus es in magnitudine tua : ecce Assur quasi Cedrus in Libano, pulcher in ramis et frondibus, et reliqua, nunc infert : Sic est Pharao, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus. Quomodo, inquit, Assyrius, cedrus et cyparissus, Babylonio succidente, dejecta est : sic Pharao et populus ejus, hoc est ipsa arbor et rami illius a Babylonio succidentur. Hæc interim juxta historiam dicta sint, quæ plerique in consummatione mundi futura intelligunt et regem Pharaonem, hoc est eam potestatem cui Ægyptus subjecta sit, comparari regi Assyriorum potentissimo, id est, antichristo : quod si ille corruerit, utique et alii rectores tenebrarum istarum et principes mundi facilius corruant. Dicamus ergo de singulis, breviter omnia perstringentes, ut non tam disseramus **373** et explanemus obscura, quam explanare cupientibus materiam dedisse videamur. Primumque discutiendum, cur undecimo anno, tertio mense, una die mensis, factum est verbum Domini ad Ezechielem, dicens : Fili hominis, dic Pharaoni Ægypti et multitudini ejus. Locuturo ad Pharaonem, undecimo anno sermo fit Domini : necdum enim venerat ad duodecimum, qui numerus plenæ consummatæque virtutis est. Unde et duodecim sunt filii Jacob (*Genes.* xxxv), a quibus postea duodecim nomina Prophetarum uno volumine continentur. Et Apostoli duodecim sunt (*Luc.* vi), quorum quia unus Judas proditor fuit, in locum ejus Matthias eligitur. Et archisynagogi [*Al.* archisynagogæ] filia annorum duodecim a Domino suscitatur (*Marc.* v). Hemorrhousa quoque anno duodecimo recipit sanitatem. Sed quia corripitur Pharao, et postea plangitur, propterea tertius mensis et unus dies undecim annorum numero copulantur. Unde et in consequentibus duodecimo anno, mense duodecimo, una mensis, fit verbum Domini ad Ezechiel, dicens : Fili hominis, assume planctum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum. Qui enim plangitur, ideo plangitur ut intelligat quanta bona perdiderit ; et tamen quia Pharao erat, et brachium ejus necdum fuerat colligatum, nec pristinam receperat fortitudinem : propterea in anno et in mense duodecimo, viginti novem dies adhuc remanent, ut duodecim annorum numerus compleatur. Uno igitur mensis die, sermo fit Domini ad Prophetam, et præcipitur ei ut loquatur regi Ægypti et multitudini ejus. In quo mirandum quod quatuor interpretes non populum dixerint, sed multitudinem. Multi enim vocati, et pauci electi (*Matth.* xxii, 14). Et in lege scriptum est : Non eris cum multitudine in malo. Diciturque ad regem Ægypti : Cui similis factus es in magnitudine, sive in altitudine tua ? Quod et ipse se exaltaverit, et subjaceat illi sententiæ : Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* xiv, 11) : sed tamen non sit ejus altitudini similis, qui quasi cedrus, sive cyparissus in Libano fuerit, pulcher ramis et frondibus nemorosus ; excelsusque altitudine et ad nubes usque erexerit caput, ad quas secundum David (*Psal.* xxxv) veritas Dei pervenit, et quibus mandatur ne pluant **374** super Israel imbrem. Pulchritudo quoque illius prædicatur, quæ in turpitudine prava voluntate mutata est (*Ps.* lxxvii) ; ita ut dicatur de eo : Confringet Dominus cedros Libani (*Ps.* xxviii, 5) : et excelsus ipse in altissimo montium Libano constitutus, quanto sublimior fuerat, tanto fortius caderet. Cujus Scriptura sancta volens altitudinem demonstrare, appellat cedrum magnam, quam nutrierunt aquæ, non aquæ Siloe quæ vadunt cum silentio (*Is.* viii), sed aquæ Rasin, et aquæ Ægypti, de quibus scriptum est : Quid tibi ut bibas aquas Geon (*Jerem.* ii, 18), sive Sior ? quod aquas turbidas sonat. Abyssus quoque exaltavit eum super quam in principio mundi tenebræ ferebantur (*Genes.* i), et ad quam in Evangelio dæmones ne mittantur, rogant (*Luc.* viii). Flumina ejusdem abyssi in circuitu radicum ejus erant, de quibus dicitur : Quid tibi et viæ Assyriorum, ut bibas aquas fluminum (*Jerem.* ii, 18) ? Et in alio loco : Ecce Dominus inducet super vos aquam fluminis fortem et multam, regem Assyriorum et omnem gloriam ejus (*Isa.* viii, 7). Rivos quoque suos emisit abyssus ad universa ligna regionis, ut non solum principem mundi hujus, sed et socios illius irrigaret. Propterea elevatus est, et super omnia ligna altissima succrevit, et multiplicata sunt arbusta ejus, et totius orbis possedit imperium dicens : Hæc omnia mihi tradita sunt (*Matth.* iv, 9). Et elevati sunt rami ejus, qui aquis abyssi fuerant irrigati. Qui extendit, sive dilatavit umbraculum suum, ut omnes subjiceret suæ ditioni. In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli. Omnis enim qui facit peccatum (*Joan.* viii, 34), de diabolo natus est, et de ramorum ejus numero computatur. Illa autem volatilia fecerunt nidos in ramis ejus, quæ juxta viam Evangelicam comedere sementem (*Matth.* xiii), sive quia omnes peccaverunt, et indigent misericordia Dei (*Rom.* iii), de quibus dictum est : Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Ps.* xiii, 3) : Idcirco in ramis ejus fecerunt nidos. Sequitur : Et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, quæ Christi mansuetudinem perdiderunt, et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum, ut nullus esset, qui non ejus [a] tegeretur umbraculo, præter eum qui dixit : Ecce venit princeps mundi istius : et inveniet in me nihil (*Joan.* xiv, 30). Per unum enim hominem peccatum intravit in mundum, et **375** per peccatum mors (*Rom.* v, 12) ; et sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccavimus, et in Adam omnes morimur, cunctique peccavimus, et indigemus gloria Dei (I *Cor.* xv). Et tamen in ipsa habitatione diversa conditio est. Alii habitant in ramis ejus quasi volatilia, scientiam sibi in philosophia, et in hæreticorum dogmatibus pollicentes. Alii quasi bestiæ feræ, immites atque crudeles : alii

[a] Cum Victorio *regeretur*, ex mss. Brixianis, legimus. Martian. cum Erasmo, *tangeretur*.

quasi multitudo gentium plurimarum ; ut commixtos diversis vitiis significet atque peccatis. Erat autem Assur pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum, quia aquis multis radix ejus fuerat irrigata, in tantum ut in paradiso Dei nulla cedrorum et cyparissorum esset altior , nec abietes pinique adæquarent sublimitatem ejus; sive platani non essent æquæ frondibus illius. Idcirco nulla arborum in paradiso plantarum ei fuerat adæquata, quia omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus. Nequaquam enim erectæ sunt per superbiam, sed scierunt humilitatem suam, neque similitudinem Dei sacrilego sibi animo vindicare conatæ sunt. Quodque sequitur : Et æmulata sunt eam omnia ligna deliciarum quæ erant in paradiso, sic edisserimus : Æmulata sunt ligna paradisi multitudinem ramorum ejus : Multi enim vocati, et pauci electi (*Matth.* xx, 16). Et; Lata et spatiosa via quæ ducit ad mortem (*Ibid.* vii, 13). Cupit enim tantos habere in salutem, quantos Assur habuit in perditionem. Unde quia Assur sublimatus est in altitudine ; et dedit sublimitatem suam virentem atque condensam, sive usque ad nubes cacumen erexit, et elevatum est cor ejus ut diceret : Ero similis Altissimo (*Isa.* xiv, 14), propterea traditus est in manu fortissimi gentium : quam intelligimus aliam detestabilem potestatem, cui traditur ad puniendum : ipse est enim inimicus et ultor ; ut Assur intelligatur Antichristus, et fortissimus gentium cui traditus est, Satanas, juxta illud Apostoli : Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare (I *Tim.* ii, 20) : Qui faciens faciet ei quæcumque ei a Domino fuerint imperata. Ista autem cyparissus ejecta est de paradiso Dei propter impietatem suam ; et succident illam alieni et crudeles, sive pestilentes in gentibus, ut **376** impleatur illud quod scriptum est : Pestilente flagellato, stultus astutior fiet (*Prov.* xix, 25). Et iterum : Jam securis ad radices arboris posita est (*Matth.* iii, 10) : qui [a] præcident eam super montes, ut corruat in superbia sua. In cunctis autem convallibus corruent rami ejus : ut ad tartarum deducantur omnes, qui in ejus fuere comitatu, et recedant de umbraculo illius, et relinquant eam : ut volatilia cœli et bestiæ terræ, quæ prius sub illa fuerant, et illius umbraculo tegebantur, postea pœnæ ejus participes sint. Cumque viderint cætera ligna silvarum , sive paradisi, Assur cyparissum sententia Dei corruisse, non elevabuntur in superbiam, nec se esse aliquid æstimabunt, nec irrigationem aquarum suarum proprias arbitrabuntur divitias : eo quod omnes rami et volatilia cœli, et bestiæ terræ, quæ erant sub imperio Assur, deducantur in morte ad terram ultimam. De quibus scriptum est : In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram (*Ps.* xxi , 30). Et in alio loco : Ingredientur ad extrema terræ (*Ps.* lxii , 10) : et erunt nequaquam cum Angelis, sed cum filiis hominum, qui descendunt in lacum, sive in foveam sempiternam. Cum autem ille descenderit ad extrema terræ, et pars vulpium fuerit a quibus lacerandus est : tunc luctus erit vel omnium sociorum ejus, vel sanctarum fortitudinum, quæ illum dolebunt ad inferos descendisse. Unde dicit Dominus : Operui eum abysso, cujus aquis fuerat ante nutritus ; et prohibui flumina ejus, id est abyssi, et coercui aquas multas, ne eum irrigarent, sed magis opprimerent. Contristatus est super eum Libanus, in quo fuerant exaltatus, et omnia agri ligna concussa sunt, succisionem similem formidantia. A sonitu ruinæ ejus commovi gentes, ut nullus perditionem illius ignoraret, et deductionem ad inferos cum cæteris sociis ejus. Acceperuntque consolationem omnia ligna voluptatis, id est, paradisi : dum vident et mala malis, et bona bonis restitui. Hæc autem ligna Libani sunt, aquis irrigata fluminum Domini, in quibus et illa arbor fuerat irrigata quæ corruit. Sive omnia ligna, quæ quondam fuerunt bona, et irrigabantur aquis, et in Libani altitudine morabantur, accipient consolationem, **377** quando principem suum similia viderint sustinere tormenta. Et ipsa enim descendent ad infernum ad interfectos gladio Domini, et omnis fortitudo lignorum habitabit sub umbraculo ejus, id est, in pœna, in medio omnium nationum quæ claustris inferni tenebuntur. Post hæc ad ipsum Pharaonem sermo convertitur, cui dictum fuerat in principio, cui similis factus es in magnitudine tua? et dicitur ad eum : Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? Nempe Assyrio qui corruit. Et tu eras inclytus atque sublimis inter ligna Eden, hoc est, deliciarum et paradisi, et ecce deductus es sicut Assyrius, cum omnibus lignis, quæ quondam fuerant in deliciis, ad terram ultimam et ad inferos, et dormies non in requie, sed in pœnis in medio incircumcisorum, hoc est, immundorum, et cum his qui in gladio Domini conciderunt. Et ut sciamus qui sit ille cui dixerit : O inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis, ponit manifestius : Ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus. Sive juxta Septuaginta, sic est Pharao, et omnis multitudo ejus, ut quomodo supra Assyrius succisus est, et corruit, sic et Ægyptius subruatur.

(Cap. XXXII. — Vers. 1 seq.) *Et factum est duodecimo anno, in mense duodecimo* (sive *decimo*), *in una die* [Vulg. tacet *die*] *mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti , et dices ad eum : Leoni gentium assimilatus es , et draconi qui est in mari, et ventilabas cornu in fluminibus tuis , et conturbabas aquas pedibus tuis , et conculcabas flumina earum* [Vulg. *eorum*] (sive *tua*). *Propterea hæc dicit Dominus Deus : Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extràham te in sagena mea* (sive *extraham te in hamo*). *Et projiciam* (sive *extraham*) *in terram : super faciem agri*

[a] Maluit Victor. *projicient eam*, ex superiori inferiorique, ut sibi videtur, contextu.

*abjiciam te* (sive *campi replebuntur tui*) : *et habitare* (sive *sedere*) *faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias universæ terræ, et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles* [Vulg. addit *tuos*] (sive *valles*) *sanie tua* (vel *sanguine tuo*) *et irrigabo terram* (sive *irrigabitur terra*) *putore* [Vulg. *fetore*; al. *pœdore*] *sanguinis tui* (sive *stercoribus tuis*) *super montes, et* **378** *valles implebuntur ex te. Et operiam cum extinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : Solem nube tegam, et lunam non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam* (sive *contenebrescent*) *super te : et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. Et irritabo cor populorum multorum cum induxero contritionem* (sive *captivitatem*) *tuam in gentibus super terras* (sive *in terra*) *quam nescis. Et stupescere faciam* (sive *contristabuntur*) *super te* [a] *populi :* (vel *gentes multæ*) *et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum, et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ* (sive *exspectantes ruinam suam a die ruinæ*) *tuæ. Quia hæc dicit Dominus Deus : Gladius regis Babylonis veniet tibi. In gladiis fortium* (sive *gigantium*) *dejiciam multitudinem* (sive *fortitudinem*) *tuam : inexpugnabiles gentes omnes hæ* (sive *pestilentes de gentibus cunctis*) : *et vastabunt* (sive *perdent*) *superbiam* (vel *injuriam*) *Ægypti, et dissipabitur multitudo ejus* (sive *conteretur omnis fortitudo illius*). *Et perdam omnia jumenta ejus quæ erant super aquas plurimas* (sive *ab aquis multis*) : *et non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit* (sive *calcabit*) *eas. Tunc purissimas reddam aquas eorum* (sive *ut aliquando quiescant aquæ eorum*), *et flumina eorum quasi oleum adducam* (sive *ut oleum fluent*), *ait Dominus Deus, cum dedero terram Ægypti desolatam* (sive *perditam*). *Deseretur autem terra a plenitudine sua* (sive *cum plenitudine*) *quando percussero* (sive *disseminavero*) *omnes habitatores ejus : et scient quia ego sum Dominus. Planctus est, et plangent eum filiæ gentium* [b] *super Ægyptum et super multitudinem ejus* (sive *omni fortitudine illius*) *plangent eum, ait Dominus Deus.* Editionem utramque miscemus, in his dumtaxat in quibus discrepant. Alioquin ubi unus sensus est, Hebraicum sequimur. In multis autem exemplaribus, juxta LXX, duodecimus annus et mensis decimus ponitur; juxta cæteros autem interpretes, decimus annus et duodecimus mensis, ut vel jam capta sit Jerusalem, et gaudium Pharaonis, malis **379** sibi imminentibus, auferatur : vel certe capienda, et suis magis miseriis doleat, quam aliorum captivitate lætetur. Et interim breviter quædam historiæ fundamenta jacientes, quid Hebræi super hoc loco intelligant percurramus. Leoni comparatur Pharao, non unius gentis, sed multarum gentium; sive draconi in mari, ut terram aquasque possideat qui irrigatione fluminum erigebatur in superbiam, quæ cornu vocatur, et multitudine exercitus sui, omnes aquas transiens poterat conturbare : idcirco expandere se dicit rete suum super multitudinem ejus, et extrahere eum sagena sua vel hamo, et projicere, sive extendere eum super terram, qui quasi coluber multis spiris fuerat involutus, ut a cunctis cœli volatilibus devoretur. Cumque non solum aves, sed omnes bestiæ terræ eum laceraverint, reliquæ carnes ejus, montes et valles camposque complebunt, ita ut cuncta vermibus scateant. Hæc autem loquitur per metaphoram, ut postquam volatilia cœli et bestiæ carnibus ejus fuerint saturatæ, id est, exercitus ejus, et universa multitudo reliqua pars in vermes et saniem convertatur. Tunc inquit, cœli tenebris obvolventur : sol, et luna, et cætera luminaria non dabunt lumen suum, sed super te cuncta nigrescent : nihilque tibi lætum erit, et ad tuum interitum omnes populi et cuncti reges eorum horrore nimio formidabunt conspicientes gladium meum huc illucque volitare et nulli parcere, et in tua ruina, ruinam similem pertimescent. Ut autem scias quis iste sit gladius, audi manifestius : Gladius regis Babylonis veniet tibi : in gladiis fortium, sive gigantium dejiciam omnem multitudinem tuam. Qui gigantes, inexpugnabiles gentes sunt, quæ Babylonii regis tenebantur exercitu. Isti vastabunt sive disperdent superbiam Egypti, et omnem multitudinem ejus : nihilque in Ægypto remanebit, sed cum hominibus, et jumenta brutaque animalia pariter auferentur. Et tanta erit solitudo in Ægypto, ut nec pede hominis, nec ungula jumenti aquæ illius conturbentur, sed quieta sint omnia : et aquæ fluminum ejus quasi oleum fluant purissimæ ac nitentes, nullo per eas transeunte, nec earum fluenta turbante. Hoc autem fiet propter Ægypti solitudinem, quæ redigetur in desertum ab omni multitudine sua : quando habitatores ejus Dominus **380** percusserit, ut intelligant qui remanserint quod ipse sit Dominus. Idcirco planctus est Pharaonis, et plangent eum filiæ gentium in circuitu. Non solum autem super illo, sed et super multitudine ejus, quæ, Domino vastante, deleta est. Hæc super simplici littera cursim dixisse sufficiat, veniamus ad intelligentiam spiritualem. Nec puto magnopere laborandum nosse qui sit Pharao rex Ægypti, cum supra plenius dixerimus, eam videlicet potestatem, cui Ægyptus credita est; vel una provincia, vel Ægyptus totius mundi, quæ non est leo condita, sed proprio vitio assimilata leoni gentium. Homo enim cum in honore esset, non intelligit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13). De hoc leone et Petrus loquitur : Adversarius noster diabolus quasi leo rugiens circuit, quærens quem devoret (I *Petr.* v, 8). Et in nono psalmo (*Vers.* 9) scriptum est : Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua; insidiatur ut rapiat pauperem. Et in Je-

[a] Victor., *populos multos, vel gentes multæ*, ad Vulgatæ præcipue textus fidem : vixque uno verbo *multas* pro *multæ* Rabanus abludit.

[b] Idem repetit voces, *plangent eum*, quæ bis in Hebræo, et Vulgata quoque editione sunt, quin etiam penes LXX.

remia Spiritus sanctus ait : Leo de silva percussit eos (*Jer.* v, 6). Draconem autem dici diabolum (pro quo Aquila interpretatus est Leviathan, nomen draconis exponens) juxta superiorem explanationem multis testimoniis docui, qui dixerat : Mea sunt flumina et ego feci ea. Iste igitur draco fluminibus suis quasi cornibus ventilabat plurimas nationes : quæ super Marcione, Valentino, Ario, Eunomio, cæterisque hæreseon principibus intelligere possumus, qui imitantur ecclesiasticos viros, dicentes ad Dominum Salvatorem : In te inimicos nostros ventilabimus cornu (*Ps.* XLIII, 6) : et non ventilant ad salutem, ut de terra ad cœlum levent, sed ut in profondum abjiciant. Denique sequitur : Et conturbabas aquas pedibus tuis ; juxta illud Apostoli : Qui autem conturbat vos, portabit judicium (*Gal.* v, 10). Non vult enim aquas Siloe bibere, quæ vadunt cum silentio (*Isa.* VIII), sed aquas Ægypti turbidas atque cœnosas, quæ antequam pedibus conculcarentur draconis, puræ erant, et suo fluentes ordine : postquam autem pedibus illius conturbatæ sunt, cursus sui ordinem perdiderunt. Neque enim utuntur hæretici testimoniis Scripturarum sibi cohærentibus, sed conturbant omnia. Et quia ipse est inimicus et ultor, non solum aquas alienas draco Ægyptius conturbat pedibus suis, sed conculcat flumina sua, ne parcat eis, quos semel in suam redegerit potestatem. **381** Quod devitare cupiens justus, precatur : Non veniat mihi pes superbiæ (*Ps.* XXXV, 12). Et in alio loco, conculcatus petit ne iterum conculcetur : Miserere, inquit, mei, Domine, quoniam conculcavit me homo (*Ps.* LV, 1). Inimicus autem homo diabolus est, de quo et alter psalmus loquitur : Ut non magnificetur ultra homo super terram. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Expandam super te rete meum, in multitudinem populorum multorum (*Ps.* IX, 18). Rete Domini veteris et novi Testamenti ratione contextum, mittitur super draconem, qui habitat in populorum multitudine, et semper turbis et populorum multitudine delectatur : ut extrahat eum in sagena sua, sive in hamo suo. Ista est sagena, quæ in mare hujus sæculi mittitur, et extrahit pisces multos alios eligendos, et alios abjiciendos (*Matth.* XIII). Sive iste est hamus, de quo in Job scriptum est : Adduces autem draconem in hamo, et circumdabis capistrum circa nares ejus (*Job* XL, 19); pro quo interpretatus est Aquila : Extrahes Leviathan in hamo, et funibus colligabis linguam ejus. Extrahitur autem draco, sive Leviathan de mari hamo, vel sagena Domini, ut projiciatur, sive extendatur super terram, et omnes spiræ ejus, quibus suas insidias occultabat, aperiantur et proferantur in publicum, et in terram abjiciantur, et jaceat qui in cœlo posuerat os suum, et se Altissimo similem esse jactabat. Unde sequitur : Et habitare, sive sedere faciam super te omnia volatilia cœli et saturabo de te bestias universæ terræ, secundum illud quod scriptum est : Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Ps.* LXXIII, 14). Qui vel volatilia vocantur, vel bestiæ terræ (*Matth.* XIII ; *Luc.* VIII). Volatilia, quæ sementem, ut diximus, juxta viam rapiunt. Bestiæ terræ, vitiis efferatæ, quod ad hæreticos atque gentiles referri potest. Quod autem sequitur : Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles tuos sanie tua ; sive, implebo valles sanguine tuo, hunc habet sensum : ut volatilia cœli, et bestias terræ, deceptorum populos intelligamus, crudelitatemque gentilium, montes autem ad principes referamus hæreseon, qualis fuit Valentinus et Marcion, collesque successores eorum qui saturantur sanie draconis ; sive valles, quæ implentur draconis sanguine, inferiores quosque credentium. Aut certe montes adversarias potestates, quæ in aere **382** discurrunt, et valles, quæ inferna penetrant, et æternis suppliciis mancipatæ sunt. Porro quod dicitur : Et irrigabo terram putore [*Al.* pædore] sanguinis tui super montes, sive, irrigabitur terra de stercoribus tuis super montes, et valles implebuntur ex te, illud significat quod omnis superbia et arrogans hæreticorum tumor, non tam vitali et puro, quam putrido atque fetenti sanguine compleatur, juxta illud quod scriptum est : Pone eos sicut stercus terræ (*Ps.* LXXXII, 11). De quo sanctus a Domino liberatur : Qui suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (*Ps.* CXII, 7, 8). Valles autem in ima depressæ, ut supra diximus, aut inferna significant, aut humilem hæreticorum sensum propter voluptatem et terrenas opes cuncta faciens. Quod autem jungitur : Et operiam cum exstinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : solem nube tegam et luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrere, vel tenebrescere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, ait Dominus Deus, si sequamur litteram, penitus intelligi non potest. Quando enim interfecto Pharaone, sive dracone sol, et luna, et stellæ non dederunt lumen suum, et cœlum opertum est tenebris, juxta illud poeticum (*Virgil.*, I *Georg.*) :

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Ergo hoc dicendum est, quod exstincto Pharaone, qui transfigurabat se in Angelum lucis, de quo in alio loco scriptum est : Lux impiorum exstinguetur (*Job* XVIII), cœlum sive cœli operientur tenebris. De quibus et Paulus loquitur : Et spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). Et nigrescere faciet Dominus stellas ejus, vel draconis, vel cœli. Super quo et Judas Apostolus scribit : Sidera errantia, quibus caligo tenebrarum in æternum reservatur (*Judæ* XIII). Sol quoque nube tegetur, sol iniquitatis, qui contrarius est soli justitiæ, nube autem, vel ipso Domino Salvatore, qui descendit in Ægyptum super nubem levem (*Isa.* XIX), nullo peccatorum pondere prægravatam, vel prophetis et apostolis, de quibus legimus : Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem (*Isa.* V, 6). Et in Psalmis : Veritas tua usque ad nubes (*Ps.* XXXV, 6). Cum autem sol iniquitatis

fuerit obscuratus, luna quam hæreticorum sentimus Ecclesiam, et quæ a sole **383** iniquitatis lumen putabatur accipere, non dabit lumen suum, nec decipiet credentes falsi nominis scientia. Omnia quoque luminaria et quidquid videtur in hæreticis esse doctrinæ, exstincto dracone, siccabitur, sive mœrebunt, principe perdito, ita ut ipse Dominus terram hæreticorum operiat tenebris, ignorantia scilicet veritatis, ut cæci cæcos ducant in foveam, et habitatores terræ mittantur in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium. Post hæc dicitur: Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem, sive captivitatem tuam in gentibus super terram quam nescis, ut qui prius Pharaoni servierant, irascantur contra eum, videntes captivitatem ejus ad aliam terram, quam draco nesciebat esse, perductam. Nec debemus ambigere bonas esse terras, quas Pharao nesciat, scilicet quando captivitas Pharaonis alia captivitate mutatur, de qua dicitur ad Salvatorem: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: accepit (sive, juxta Apostolum (*Ephes.* IV, 8), dedit) dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19). Et stupescere, inquit, faciam super te populos multos, ut qui prius Pharaonis admirabantur potentiam, postea eum admirentur de suo culmine cecidisse. Reges quoque populorum horrore nimio formidabunt super eum, quorum regna Domino diabolus ostendit, et de quibus in psalmo dicitur: Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum (*Ps.* II, 2). Hoc autem fiet cum volare cœperit gladius Domini super facies eorum, subauditur regum, sive populorum. Gladius autem Domini intelligendus est vivens sermo Dei, et efficax, et acutus super omnem gladium ex utraque parte acutum, qui volat atque discurrit et perstringit cernentium oculos vultusque deterret, ut obstupescentes super ruina Pharaonis, se in illo videant esse dejectos. Et Domini quidem gladius, de quo scriptum est: Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum (*Luc.* II, 34), jacentes elevat, et male erectos, humilitate commutat. Gladius autem regis Babylonis veniet super draconem Ægyptium, ut in gladiis fortium, sive gigantium dejiciat Dominus multitudinem ejus, qui regem Ægypti sectabatur. Inexpugnabiles, inquit, sive pestilentes de gentibus omnes isti, ut **384** mali ad puniendum dantur pejoribus, de quibus scriptum est: Immissionem per Angelos pessimos (*Ps.* LXXVII, 49). Et Apostolus: Quos tradidi, inquit, Satanæ, ut discant non blasphemare, vel in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (I *Tim.* I, 20). Cum autem per hujuscemodi ministros dejecta fuerit superbia Ægypti, et multitudo illius dissipata, perdentur omnia jumenta illius, quæ erant super aquas plurimas, et non conturbabit eas pes hominis ultra. Si enim beatus qui seminat super aquas, ubi bos et asinus calcat (*Isa.* XXXII): e contrario infelix qui simplices quidem suo ultra poterit errore retinere, ita ut pes hominis non calcet in eis, quo ne signum quidem sapientiæ atque rationis aquæ Ægyptiæ in se habere videantur. Ungula quoque jumentorum non turbabit eas, ut de limpidissimis atque nitentibus faciat turbidas atque cœnosas. Tunc reddentur non ab alio, sed ab ipso Domino, aquæ purissimæ, quæ draconis fuerant dominatione turbatæ: ita ut flumina earum labantur quasi oleum, et sint veri luminis nutrimentum. Hæc autem fient, cum dederit Dominus terram Ægypti desolatam, et perdiderit multitudinem ejus, et percussi fuerint omnes habitatores illius, ut isto profectu scire possint quod ipse sit Dominus. Quod autem jungitur: Planctus est, et plangent eum filiæ gentium super Ægyptum, et super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus, perspicuum est animas omnium gentium, quæ prius oppressæ fuerant sive earum gentium quæ nequaquam in Ægypto morabantur, sed in regione viventium, interfectum draconem plangere, et omnem multitudinem ejus: non spe salutis, sed quod de tanta potentia suo vitio et superbia dejectus sit in æterna supplicia.

(Vers. 17, seq.) « Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis, factum est verbum « Domini ad me, dicens: Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti, et detrahe eam « ipsam, et filias gentium robustarum ad terram « ultimam, cum his qui descendunt in lacum. Quo « pulchrior es, descende, et dormi cum incircumcisis. In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est: attraxerunt eam, et omnes populos ejus. Loquentur ei potentissimi robustorum de « medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus [*al.* « suis] descenderunt, et dormierunt **385** [a] cum « incircumcisis, interfectisque gladio. Ibi Assur et « omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepulcra « illius, omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio, « quorum data sunt sepulcra in novissimis laci: et « facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus, « universi interfecti cadentesque gladio qui dederant quondam formidinem in terra viventium. Ibi « Ælam et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri « illius [*Vulg.* sui]: omnes hi interfecti ruentesque « gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram « ultimam: qui posuerunt terrorem suum in terra « viventium: et portaverunt ignominiam suam cum « his qui descendunt in lacum. In medio interfe« ctorum posuerunt cubile ejus in universis populis

[a] De more Victorius cum Vulgata et Hebraico, *dormierunt incircumcisi interfecti gladio*. Et sensus, inquit, ipsos potentissimos robustorum descendisse et dormisse incircumcisos, interfectosque, non cum incircumcisis interfectisque. Hoc enim cum supra dixerit illis verbis, *Dormi cum incircumcisis*, repetere amplius opus non erat; immo magis conveniebat ut exponeret postea, quinam essent incircumcisi isti, cum quibus dormire debebat, potentissimi, inquiens, robustorum, qui incircumcisi dormierunt, interfectique sunt. Impressa autem lectio magis LXX quam Hieronymi est.

« ejus : in circuitu ejus sepulcrum illius. Omnes hi « incircumcisi, interfectique gladio. Dederant [*Vulg.* « Dederunt] enim terrorem [*Vulg.* *addit* suum] in « terra viventium, et portaverunt ignominiam suam « cum his qui descendunt in lacum : in medio inter- « fectorum positi sunt. Ibi Mosoch et Thubal, et « omnis multitudo ejus in circuitu illius sepulcra « ejus. Omnes hi incircumcisi, interfectique caden- « tes gladio, [a] qui dederunt formidinem suam in « terra viventium. Et non dormient cum fortibus, « cadentibusque, et incircumcisis, qui descende- « runt ad infernum cum armis suis, et posuerunt « gladios suos sub capitibus suis : et fuerunt iniqui- « tates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium « facti sunt in terra viventium. Et tu ergo in medio « incircumcisorum contereris, et dormies cum in- « terfectis gladio. Ibi Idumæa, et reges ejus, et om- « nes duces ejus qui dati sunt cum exercitu suo cum « interfectis gladio, et qui cum incircumcisis dor- « mierunt, et cum his qui descenderunt [*Vulg.* de- « scendunt] in lacum. Ibi principes Aquilonis omnes : « et universi Sidonii (*sive* venatores) qui deducti « sunt cum interfectis paventes, et in sua fortitu- « dine [b] confusi, quia [*Vulg.* qui] dormierunt incir- « cumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt « confusionem suam cum his qui descendunt in la- « cum. Vidit eos Pharao, et consolatus est super « universa multitudine sua, quæ interfecta est gla- « dio, Pharao, et omnis exercitus ejus, ait Domi- « nus Deus. Quia dedi [*al.* dedit] terrorem [c] meum « in terra viventium, et dormivit in medio incir- « cumcisorum cum interfectis **386** gladio, Pharao « et omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus. »

Multum in hoc loco Septuaginta interpretum editio, et ordine et translatione discordat, et quædam in ea de Theodotione addita sunt. Unde necesse habuimus et ipsam ponere, nequaquam parcentes longitudini, et studiosi lectoris diligentiæ servientes.

LXX. *Et factum est in duodecimo anno in quinta decima mensis : factus est sermo Domini ad me : dicens : Fili hominis, plange super multitudinem Ægypti, et deducent filias ejus gentes mortuas in profundum terræ, ad eos qui descendunt in foveam* (Porro sub asteriscis additum est : ⁂ *De aqua pulcherrima descende ;* ⁂ *et dormi cum incircumcisis* : Rursum ordo sequitur) : *In medio vulneratorum gladio cadent cum eo, et dormiet omnis fortitudo ejus, et dicent tibi gigantes, in profundo foveæ, descende, quo melior es, descende, et dormi cum incircumcisis in medio vulneratorum gladio. Ibi Assur, et omnis congregatio ejus.* (Quodque sequitur : ÷ *Omnes vulnerati ibi dati sunt,* ÷ *et sepulcrum ejus in profundo foveæ,* ÷ *et facta est congregatio ejus* : in Hebraico non habetur, sed a Septuaginta additum est. Rursum dicitur) : *In circuitu sepulcri ejus omnes vulnerati qui ceciderant gladio.* (Et iterum de Theodotionis Editione sub asteriscis additum est : ⁂ *Qui dederunt sepulcra ejus in lateribus laci ;* ⁂ *et facta est congregatio in circuitu sepulcri ejus.* ⁂ *Omnes isti vulnerati, cadentesque gladio.* Post quæ posuere Septuaginta) : *Qui dederunt timorem suum in terra vitæ. Ibi Ælam, et omnis fortitudo ejus in circuitu sepulcri ejus, omnes vulnerati, et cadentes gladio : et qui descendunt incircumcisi in terræ profundum, qui dederunt terrorem suum in terra vitæ, et acceperunt tormentum suum cum his qui descendunt in foveam in medio vulneratorum. Ibi dati sunt Mosoch, et Thubal, et omnis fortitudo eorum in circuitu sepulcri ejus, omnes* **387** *vulnerati ejus, universi incircumcisi, et vulnerati gladio, qui dederunt terrorem suum super terram vitæ, et non dormierunt cum gigantibus qui ceciderunt ab æterno : qui descenderunt in infernum cum armis quibus utebantur ad bella, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et factæ sunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terruerunt gigantes in vita sua. Et tu in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum vulneratis gladio. Ibi Edom, et reges ejus, et omnes principes Assur, qui dederunt fortitudinem ejus in vulnere gladii : isti cum vulneratis dormierunt cum his qui descenderunt in foveam. Ibi principes Aquilonis omnes universi magistratus Assur, qui descenderunt vulnerati cum terrore suo, et in fortitudine sua confusi dormierunt incircumcisi cum vulneratis gladio, et abstulerunt tormentum suum cum descendentibus in foveam. Videbit eos Pharao, et consolationem accipiet super omni fortitudine eorum : vulnerati gladio Pharao, et omnis fortitudo ejus, dicit Dominus Deus. Quia dedi formidinem ejus super terram vitæ, et dormiet in medio incircumcisorum cum vulneratis gladio, Pharao et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus.* Non ignoro, fastidiosam fore delicato lectori tantam inter duas editiones discrepantiam. Sed quid faciam calumniatoribus meis, qui si aliquid de LXX interpretum translatione subtraxero, me sacrilegum et absque timore Domini vociferantur, maxime qui cum in fidei veritate discordent, et Manichæorum sequantur errores, in eo imperitorum animas commovent, si de veteri quidpiam monstrare potuerint mutatum consuetudine, libentius errare cupientes, quam aliquid ab æmulo verum discere. Et interim juxta historiam manifestus est sensus. In eodem enim anno duodecimo, et in eodem, ut putamus, mense, sed non in una, ut supra, mensis, verum in quinta decima die, nequaquam super Pharaone, sed super fortitudine, sive multitudine Ægypti planctus assumitur, qui detrahitur de superbia sua cum universis filiabus suis, sive gentium robustarum ad terram ultimam, id est, in profundum inferni, diciturque ad regem Ægypti : Quo melior es, ut mortem merearis evadere? Cum enim Assur, et Ælam, id est, Persæ, et Mosoch, qui interpretantur Cappatum testatur in subnexa expositione Hieronymus.

[a] Idem *quia* pro *qui* maluit ex Hebræo. כִּי.

[b] Rescripsimus, post Victorium, *fortitudine*, pro quo erat *formidine ;* nam præter Vulgat. et Hebræum textum, sic olim et Rabanus legit, sicque a se posi-

[c] Tametsi ambigua in Hebræo vox est, Vulgata autem *meum* præfert ; Victor., *suum*, ex Græco αὐτοῦ, maluit.

doces, et Thubal, quos alii Iberos, alii Italos intelligi volunt : **388** Idumæi quoque et principes Aquilonis, ac Sidonii cum universis exercitibus suis, quorum auxilio horrorem cunctis gentibus præbuerunt, mortui sint, et interfecti gladio, et posuerint gladios suos sub capitibus suis, quod dictum ἐμφατικώτερον accipiendum est, tu solus poteris non eadem sustinere? Quin potius cum videris tantam tecum apud inferos multitudinem dormientium, et sepulcrum tuum fortissimorum quondam principum circumdari memoriis, habebis consolationem, leviora tormenta æstimans consortio plurimorum. Hæc interim juxta simplicem sensum strictim dixisse sufficiat. Nunc eadem brevitate, quantum explanationis patitur difficultas, spiritualis intelligentiæ summa quæque carpamus. Supra una mensis die factus est sermo Domini ad Prophetam : hic quinta decima. In prima autem eis, hoc est, in kalendis, mensis exordium est : in quinta decima, quando totus lunæ orbis impletur, et siquidem primus mensis fuerit, azymorum est prima dies; sin autem septimus, scenopegiarum, quando figuntur tabernacula ( quæ solemnitates apud Hebræos, vel maxime sunt). Fit autem planctus super fortitudinem Ægypti, ut fortis in malo esse desistat : et recipiat infirmitatem, et quando infirmior fuerit, tunc fortior. Pro *fortitudine* Ægypti, in Hebraico habet *multitudinem*. Lata enim et spatiosa via est quæ ducit ad mortem, et multi ingrediuntur per eam (*Matth.* VII, 13) : sicut e contrario dicitur ad Israel : Vos autem estis pauci inter omnes gentes (*Deut.* XXVIII) : semper enim virtus rara est, et arcta et angusta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur per eam. Quod autem Ægyptus plangitur, et mortuæ filiæ ejus, juxta LXX, sive gentium robustarum deducuntur ad terram ultimam in lacum, sive in foveam profundissimam, significantur animæ in Ægypto hujus sæculi commorantes quæ perdiderunt eum qui dicit : Ego sum vita (*Joan.* XIV, 6) : et peccatis mortuæ, pondere eorum ad inferos detrahuntur, dicente peccatore : Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Ps.* XXXVII, 5). Istæ sunt de quibus scriptum est in alio loco : Ingredientur in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Ps.* LXII, 10). Qui enim fodit foveam, incidet in eam (*Eccli.* XXVII, 29; *Ps.* VII, 16). Unde **389** et legimus : Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Quodque sequitur : Quo pulchrior es descende, et dormi cum incircumcisis, proprie ad Pharaonem regem Ægypti sermo dirigitur, sive ut in LXX de Theodotione additum est, ad ipsam Ægyptum : De aqua pulcherrima descende, et dormi cum incircumcisis. Quod specialiter ad eum pertinet, qui in baptismate Christi renatus, et audiens cum Ecclesia : Quæ est ista quæ ascendit dealbata, inniteus super fratruelem suum (*Cant.* VIII, 5)? postea vel fornicatione, vel aliis vitiis sordidatus, ejicitur de Ecclesia, et dicitur ad eum : De aqua pulcherrima descende, et dormi cum incircumcisis, id est, cum immundis, juxta illum sensum quem ponit Apostolus : Nos sumus circumcisio (*Philipp.* III, 3), qui in spiritu Deo servientes, et gloriantes in Domino, et non in carne confidentes. Hi omnes in medio vulneratorum, sive interfectorum cadent cum Pharaone, illo gladio quem venit mittere Dominus super terram. Sicut enim Christi gladius bonos a malis separat, dicens : Non veni pacem mittere super terram, sed gladium (*Matth.* X, 34) : sic hæreticorum gladius omnes truncat [*Al.* trucidat] populos, et vulneratos ad infernum deducit. Isti sunt gigantes potentissimi, et rebelles, et ponentes in excelsum os suum, et quanto per superbiam se ad excelsa sustollunt, tanto ad profundum foveæ, et inferni novissima detrahuntur, qui omnes interfecti sunt gladio. Et ut sciret vel Pharao, vel omnis Ægypti fortitudo, quæ ad inferna detracta est, quos haberet in pœnis socios, sequens sermo demonstrat : Ibi Assur, et omnis multitudo ejus, vel synagoga ejus. Princeps enim hæreticorum diabolus, cujus vere congregatio synagoga est, de qua in Apocalypsi dicitur : Qui sunt synagogæ Satanæ ( *Apoc.* II, 9 ). Sequentes autem versiculos, qui [a] obelo prænotantur, prætereundos puto, dicendumque quod habetur in Hebraico : In circuitu illius, sepulcra eorum, videlicet deceptorum ab eo. Qui omnes vulnerati, vel interfecti sunt gladio, et ideo corruerunt, quorum sepulcra data sunt in novissimis laci. Quod autem lacus vocetur infernus, perspicue psalmus ille demonstrat, in quo pœnitens loquitur : Assimilatus sum cum his qui descendunt in lacum **390** (*Psal.* XXVII, 1). Quem nequaquam debemus juxta Latini sermonis proprietatem eum intelligere qui Græce λίμνη dicitur, ut est lacus Tyberiadis, et lacus Larius, et Benachus, multique alii, sed quas non solemus appellare cisternas. Quos lacus, quia aquas refrigerant, et omnem ab eis calorem spiritus auferunt peccatores cunctique hæretici fodiunt, et quantum in mea memoria est, nullum sanctorum lacum, id est, cisternam fodisse, Scriptura testatur; sed omnes peccatores, quorum fuit Ozias rex leprosus et qui per suam superbiam corruit, de quo scribitur quod homo fuerit terræ operibus incubans, et multas superbiæ turres ædificarit in angulis, et lacus foderit (II *Par.* XXVI). E contrario ad justum dicitur : Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus ( *Prov.* V, 15). Et rursum : Fons aquæ tuæ sit proprius. Unde loquitur et Dominus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus, id est, cisternas, quæ aquas continere non possunt (*Jer.* III, 13). Sequitur : Et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus. Illi omnes cingunt Assyrium, et est eorum plurima multitudo, qui universi vulnerati sunt et interfecti, et cadentes gladio. Nemo enim eorum stare potest cum Moyse, nec audire : Qui statis in domo Domini ( *Psal.* CXXXIV, 2);

[a] Legit Rabanus *qui apud* LXX *obelo*, etc.

sed omnes vulnerati interfectique sunt, et cadentes qui quondam dederant formidinem in terra viventium, formidinem autem his qui erant Ecclesiis præpositi, ne in terra viventium facerent populos mortuorum, et simplices quosque deciperent. Unde et Paulus aiebat : Timeo autem, ne forte sicut serpens decepit Evam malitia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo (II *Cor.* XI, 3). Sed hic timor spe Domini mitigatur, dicente Ecclesiastico viro : Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo (*Ps.* XXVI, 1, 2)? Post hæc dicitur : Ibi Ælam [*Al.* Assur], et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus, haud dubium quin Assyrii. Ælam in linguam nostram vertitur, ascensus eorum. Omnes enim qui Christi humilitate contempta, diaboli ascendere superbiam, et se in falsi nominis scientia esse aliquid æstimaverunt, Ælamitæ sunt nuncupandi, qui Assyriis regis sepulcrum ambiunt, **391** et interfecti sunt vulneratique gladio. Et licet in excelso posuerint os suum, tamen descenderunt immundi, et incircumcisi ad terram ultimam, ut quanto sublimius fuerant elevati, tanto fortius caderent. Isti posuerunt terrorem suum non semel, sed secundo in terra viventium. Quis enim Ecclesiasticorum ab hujuscemodi Ælamitarum terrore securus est, et non aliquem sui perdidit gregis ? Pulchreque Ecclesia Christi appellatur terra viventium, ut e contrario hæreticorum conciliabula mortuorum terra esse credantur. Et portaverunt, inquit, ignominiam, sive tormentum suum cum his, quos secum detraxerunt in lacum, et in profundum inferni : quorum cubile in medio interfectorum est : eorum videlicet quos suo mucrone jugularunt, et circumdantur hujuscemodi populis. Hi populi, Assyrii regis populi sunt, et licet circumcisos esse se jactent : tamen incircumcisi interfectique sunt gladio, et tertio dederunt terrorem atque formidinem in terra viventium. Unde portaverunt tormentum suum atque supplicium in medio eorum, quos suis fraudibus deceperunt. Ibi quoque est, id est, juxta Assyrium Mosoch, et Thubal, et omnis multitudo ejus in circuitu sepulcri ejus : omnes incircumcisi interfectique, et cadentes gladio, qui dederant formidinem suam in terra viventium. Pro Mosoch et Thubal, Symmachus et Theodotio interpretati sunt [a] cubile eorum, ut ostenderent cubilia hæreticorum, immo foveas sempiternas, Assyrii regis esse supplicia. Mosoch interpretatur insania : Thubal, conversio, non in bonum a malo, sed de bono in malum ; sive universa, ut offendat omnes hæreticos insanire, et pari studio ad pejora converti (*Rom.* XII). Nec mirum si insanientes, et coacervati in malum habent multitudinem, cum Egyptii regis socii sint, qui gaudet multitudine. Omnes hi interfecti gladio qui dederant formidinem suam, non semel, nec secundo, sed tertio in terra viventium, de quibus supra plenius diximus. Sequitur : Et non dormient cum fortibus, sive gigantibus cadentibusque, et non circumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis : et posuerunt gladios suos sub capitibus suis; et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum ; quia terror fortium **392** facti sunt in terra viventium. Hi, inquit, qui hæreticorum principes exstiterant, ad tantum malitiæ pervenere culmen atque cruciatum, ut nec cum fortibus atque gigantibus, qui a principio corruerunt, similia mereantur ferre supplicia. Qui, nequaquam erroris sui acta pœnitentia, descenderunt ad inferos cum armis suis, rebelles contra Deum, et Ecclesiam ejus ; secum arma deferentes, de quibus scriptum est : Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ (*Psal.* LVI, 5) ; et posuerunt, ait, gladios suos sub capitibus suis, requiescentes in animo perduelli ; et pro summa victoria, sententiarum suarum jacula complexantes : in tantum ut iniquitates eorum fuerint in ossibus eorum, hoc est, fortissima figmenta, et erroris sui dogmata possidentes. Quia terror fortium facti sunt in vita sua, sive in terra viventium. Quod quarto dicitur, ut fortissimos quosque, et habentes scientiam Scripturarum, et qui essent de regione viventium, sua perversitate terrerent, dum descendunt ad infernum cum armis suis, et ponunt gladios suos sub capitibus suis, et iniquitates eorum usque ad ossa perveniunt. Post hæc scriptum est : Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris (*Rom.* XVI, 20), quod vel ad Pharaonem, vel ad fortitudinem, sive multitudinem Ægypti dicitur, et quod ipsa conteratur, juxta illud quod scriptum est : Deus autem conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Et dormies, inquit, cum interfectis gladio, somno perpetuo. Ibi cum Assyrio, et cum Ægyptia multitudine erit Idumæa, et reges ejus, omnes qui terrenis operibus servierunt, sive sanguine delectati sunt. Etenim Idumæa, et terrenam, et sanguinariam sonat. Omnes reges et universi principes de quibus crebro et Apostolus loquitur (*Phil.* III), terrenis operibus incubantes, et effundentes quotidie sanguinem eorum quos sua fraude deceperint, cum incircumcisis et immundis dormierunt, et cum his qui descenderunt in lacum, de quibus supra diximus. In ipso comitatu erunt, et principes Aquilonis, a quo exardescunt mala super terram. Et a quo vel in Jeremia (*Jer.* I), vel in hoc eodem propheta (*Supra* XXII), olla illa plena carnium ossiumque succenditur. Et non solum principes Aquilonis, verum omnes **393** magistratus Assur, pro quo in Hebraico verius positum est, *universi Sidonii*, quos nos in *venatores* vertimus, juxta illud quod scriptum est : Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (*Ps.* CXXIII, 7), pro quo in Hebraico positum est, *Sidoniorum*. Qui Sidonii, sive venatores, deducentur ad inferos paventes, in sua quondam [b] confisi fortitudine, et dormient immundi, et portabunt confusionem sive tormentum suum, habentes malæ conscientiæ pœnitudinem sempiternam : ita ut ignis

[a] Legerint vero pro משך תבל, uno verbo משכבהם.

[b] Ad sacri textus fidem legendum videatur *confusi*, quod Victorius reponit. Confer superiorem annotationem in hunc locum.

eorum non exstinguatur (*Isai.* LXVI), et vermis eorum non moriatur (*Marc.* IX). Quos omnes cum viderit Pharao, consolabitur, vel habens adhuc malitiam pristinam, et multos pœnæ suæ socios habere se cernens, vel certe consolatus est, videns et illos confundi in suppliciis et terroribus suis super universa multitudine sua quæ interfecta est gladio, Pharaonis scilicet, vel omnium sociorum ejus, præcipueque Assyrii regis, et Mosoch et Thubal et Idumæorum, et principum Aquilonis, et Sidoniorum. Hi enim dederant terrorem suum in terra viventium. Quod quinto dicitur, ut omnes istiusmodi nationes cavere, et fugere debeamus, quæ cunctis nos sensibus deceperunt, et scire esse horribiles, nec facile posse vitari, nisi omni custodia servaverimus cor nostrum. Dormivit, inquit, et ipse Pharao cum sociis suis interfectis gladio, qui socii, multitudo ejus sunt, per latam, et spatiosam viam pergentes ad supplicia sempiterna.

(Cap. XXXIII. —Vers. 1 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos : Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis* (sive *hominem unum de suis*), *et constituerit eum super se speculatorem ; et ille viderit gladium venientem super terram ; et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo. Audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, et non se observaverit : veneritque gladius, et tulerit* (sive *comprehenderit*) *eum : sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonitum* (vel *vocem*) *buccinæ audivit, et non se observavit, sanguis ejus in ipso erit : si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium* **394** *venientem, et non insonuerit buccina ; et populus non se custodierit, veneritque gladius, et tulerit de his* [Vulg. *eis*] *animam : ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur : sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti.* Rursum ad prophetam sermo fit Domini, qui aliquanto siluerat tempore, eo quod non possit propheta, nec humana fragilitas juge ad se atque continuum sustinere vaticinium ; et loquitur eadem quæ in superioribus continentur. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies ex ore meo verbum, et comminaberis eis ex me, in eo quod dicam iniquo, morte morieris, et non annuntiasti ei, nec locutus es ut annuntiares iniquo, et converteretur a viis suis et viveret, iniquus ille in iniquitate sua morietur, et sanguinem ejus de manu tua requiram. Et tu si annuntiaveris iniquo, et non conversus fuerit ab iniquitate sua, et a via sua, iniquus ille in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberasti [*Al.* liberabis]. Quæ si diligenter inspicias, intelligis similia quidem esse : sed non eadem, dum in plerisque discordant. Et hoc in omnibus Scripturis sanctis observare debemus, ubi videtur aliqua similitudo esse sententiæ, non in omnibus eadem dici : sed vel subtrahi pleraque, vel addi, et singulorum inter se verborum discrepantium habere rationem. Et interim priusquam ad altiora veniamus, brevis est explicanda sententia. Si speculator fuerit constitutus in populis, ut annuntiet gladium Domini iramque venientem, et, annuntiante eo populus audire noluerit, speculator liber erit, et ille qui oppressus est gladio, ipse sanguinis sui sustinebit reatum : quod si audierit, salvabit animam suam. Si autem speculator non sonuerit buccina, et populus ignorans venturum gladium nequaquam **395** se observaverit, populus quidem in sua morietur iniquitate, attamen sanguinem morientis de speculatoris requiram manu. Et ut sciret propheta Ezechiel generalem disputationem ad se potissimum pertinere. Et tu, inquit, fili hominis, non a terra et a populo terræ, ut supra dixi, sed a me constitutus es speculator domui Israel. Si ergo me dicente ad impium : Impie, morte morieris, non fueris locutus ad eum, ut se custodiat, et de interitu liberetur : et ille quidem in sua iniquitate morietur, quam prius commiserat, de qua si annuntiasses, potuit liberari ; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Quod si tu annuntiaveris atque præceperis impio ut convertatur a viis suis pessimis, et ille hoc facere noluerit : ille quidem in sua iniquitate morietur ; tu autem liberasti de interitu negligentiæ animam tuam. Ex quibus verbis discimus, posse hominem quamvis iniquum, et impium, si magistri verba audierit, et egerit pœnitentiam, a sua impietate salvari : nec minus magistrum subire discrimen, si docere noluerit, vel timore discriminis, vel desperatione peccantis : dum reus est sanguinis ejus qui liberari potuit, et de morte erui, nisi magistri silentio concidisset, et in utroque liberum servari arbitrium, dum et in magistri voluntate est vel tacere, vel loqui, et in auditoris arbitrio vel audire, et facere atque salvari, vel contemnere, et proprio perire contemptu. Nec statim sequitur : ut quia propheta prædicit, veniat quod prædixit. Non enim prædicit ut veniat, sed ne veniat : nec quia Deus loquitur, necesse est fieri quod minatur, sed ideo comminatur, ut convertatur ad pœnitentiam cui minatur, et non fiat quod futurum est si verba Domini contemnantur. Possumus autem tripliciter locum istum disserere : ut terra quæ sibi speculatorem constituit, vel juxta litteram, terra Judæa sit, vel juxta spiritualem intelligentiam, Ecclesia, quæ sæpe de novissimis populi sui speculatorem eligit, illum videlicet, quem et Apostolus scribens ad Corinthios assumit judicem (I *Cor.* XV), vel certe anima credentis, quæ mentem atque rationem præponit populo ac turbæ cogitationum **396** suarum : ut non omnia cogitationum incentiva suscipiat, sed judicet atque discernat quæ sectanda sibi, quæve fugienda sint. Speculator terræ Judææ, vel rex potest intelligi, vel propheta : spe-

culator autem Ecclesiæ, vel episcopus, vel presbyter, quia a populo electus est, et Scripturarum lectione cognoscens, et prævidens quæ futura sint, annuntiet populo, et corrigat delinquentem. Unde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni et assumpti a populo, negligentiæ nos demus atque desidiæ : et quod his pejus est, deliciis ventrique et otio servientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium. Siquidem Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx, 28) : et pedes discipulorum lavit (*Joan.* xiii), ut ostenderet omnes sordes et vitia a magistris in discipulis debere dilui atque purgari. Nec statim respondeamus, quid prodest docere, si nolit auditor facere quod docueris? Unusquisquè enim ex suo animo atque officio judicatur. Tu si locutus non fueris, ille si audire contempserit. De magistris negligentibus Salomon loquitur : Sapientia abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque (*Eccli.* xx, 32)? Tale quid significatur et in Evangelio (*Marc.* ix), quod qui scandalizaverit unum de minimis Ecclesiæ, expediat ei ut alligetur ad collum ejus mola asinaria, et abjiciatur in profundum, quam in specula constitutus, plurimis noceat.

(Vers. 10 seqq.) *Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel, sic locuti estis dicentes : Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus : Nolo mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini* [a] *a viis vestris pessimis : Et quare moriemini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit; et impietas impio non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat; et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa* **397** *morietur. Sin autem dixero impio, morte morieris; et egerit pœnitentiam de peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit* [Vulg. addit *ille impius*], *rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, et non morietur. Omnia peccata* [Vulg. addit *ejus*], *quæ peccavit, non imputabuntur ei : judicium et justitiam fecit, vita vivet : Et dixerunt filii populi tui : Non est æqui ponderis via Domini, et ipsorum via injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. Et dicitis : Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israel.* Si negligenter legamus, videtur nobis eadem prophetia esse, quæ supra in qua dicitur : Numquid volens cupio mortem iniqui, dicit Dominus, nisi converti eum a via sua mala et vivere (*Supra* xviii, 23)? Et in fine ejusdem prophetiæ : Convertimini et redite ab universis impietatibus vestris, et non erunt vobis in tormentum [b] iniquitates (*Ibid.*, 8). Ibi enim ad eos sermo fit, qui volunt agere pœnitentiam, et justitia peccata delere, ut cum fiducia convertantur, et pleno animo agant pœnitentiam. Hic autem ad eos loquitur qui magnitudine peccatorum, immo impietatum suarum, desperant salutem et dicunt : Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus : quomodo ergo vivere poterimus? Et est sensus : Cum semel nobis mors proposita sit, et vulneribus nostris nulla medicina possit restituere sanitatem, quid necesse est laborare, et frustra consumi, et præsentem vitam non cum desperatione transigere, ut saltem hac fruamur, quia futuram perdidimus? Quibus respondet Deus, non velle se mortem impii, sed ut revertatur et vivat. Et apostropham facit ad impios desperantes : Convertimini a viis vestris pessimis. Atque ut sciamus qui sint impii ad quos loquitur, sequens sermo demonstrat : Quare moriemini, domus Israel? Vita autem et mors in hoc loco non hæc significatur, qua omnes communi cum bestiis lege naturæ vel vivimus, vel morte dissolvimur; sed illa de qua scriptum est, Placebo Domino in regione viventium (*Psal.* cxiv, 9); et, **398** Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Et a speciali commonitione quia Israel domui loquebatur, ad generalem transit disputationem : quod et justum præteritæ non salvent justitiæ, si novis sceleribus fuerit occupatus, et peccatorem vel impium antiqua peccata non perdant, si operibus justitiæ veteres emendarit errores : Deumque non præterita in utroque judicare, sed præsentia. Si dixero, inquit, justo, vita vives, et ei præmia justitiæ pollicitus fuero, confisusque ille peccaverit, omnes justitiæ ejus pristinæ oblivioni tradentur, et præsenti iniquitate morietur : nec mea est mutata sententia, cum non possim in [c] eodem homine peccatore reddere quod justo promiseram. E contrario si peccatori, et impio fuero comminatus et dixero : Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur; et ille egerit pœnitentiam, bonisque operibus veterem emendarit errorem, ita ut judicium faciat, et justitiam, pignus restituat, rapinamque reddat, in mandatis vitæ ambulet, nec faciat quidquam injustum : nonne debet vita, quæ Christus est vivere, et nequaquam mori, cum comminatio peccatoris justum punire non debeat? Tale quid loquitur sermo divinus ad Jeremiam quando descendit in domum figuli, et audit vel promissa, vel comminationem Dei id agere, ut vel homines provocent ad salutem, vel deterreant a peccato (*Jerem.* xviii). Unde qui dicunt : Non est æqua

[a] Repetit Victorius verbum *convertimini*, quod et in Hebræo bis legitur, *conversione convertimini*.

[b] Præferrem cum Victorio *iniquitatis* in gignendi casu ex Græco textu ἀδικίας.

[c] Ita habent et nostri, et quos Victor. consuluit codices Florentini. Martian. post Erasm. retinuit *eidem homini*.

via Domini, arguuntur quod ipsorum sit iniqua sententia, habentium oculum pessimum, et nequaquam nova, sed vetera judicantium. Quibus omnibus demonstratur, nec peccatorem salutem desperare debere, si agat pœnitentiam : nec justum in sua confidere justitia, si perdiderit negligenter quod magno labore quæsierat. Manifesta transcurrimus, ut in obscurioribus immoremur, in quibus autem præsens prophetia discrepet a præterita, et in quibus loquatur similia, collatio utriusque poterit indicare. Porro quid sit judicium facere et justitiam, pignus restituere, rapinam reddere, in mandatis vitæ ambulare et cætera, in hoc eodem propheta supra diximus.

(Vers. 21, 22.) *Et factum est in duodecimo anno, in* **399** *decimo mense* [Vulg. tacet *mense*], *quinta mensis transmigrationis* (sive *captivitatis*) *nostræ : venit ad* B *me qui fugerat* (sive *qui salvatus fuerat*) *de Jerusalem, dicens. Vastata* (sive *capta*) *est civitas. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere antequam veniret qui fugerat : aperuitque os meum donec veniret ad me mane et aperto ore meo non silui amplius.* Undecimo anno regni Sedeciæ, quinto mense, capta est civitas Jerusalem. Hæc autem prophetia, duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis captivitatis, sive transmigrationis, quando captus est Jechonias [*Al.* cum Jechonia]. Ex quo ostenditur, post unum annum et quatuor menses, et viginti quinque dies, capta Jerusalem, venisse Babylonem unum civium Jerusalem, qui nuntiaret captam urbem atque vastatam. Ante unum autem diem quam veniret qui ista narraret, vesperi facta est manus Domini ad Ezechielem prophetam, quæ aperuit os ejus quod diu clausum fuerat, et quidquid erat ille dicturus, hic factum ante replicavit : nec siluit amplius, videns prophetiam suam opere completam, et nequaquam dubitare populum qui erat in Babylone, vel eos qui capti erant de vaticinio prophetali. Tunc enim aperitur os prophetæ, quando quod prius nuntiaverat, opere monstrarit effectum : et tota libertate proclamat, qui nequaquam futura, sed vel præsentia, vel transacta demonstrat. Hoc secundum litteram. Cæterum juxta anagogen, si *Ezechiel* interpretatur *fortitudo Dei :* Christus autem est Dei virtus, et sapientia (I *Cor.* I, 24), hoc intelligendum, quod capta Jerusalem et subversa, quicumque perfidiam Judæorum potuerit evadere, quales fuerunt D apostoli, et reliquiæ quæ salvæ factæ sunt, ipse Christo nuntiat omnes cæremonias Judæorum esse subversas, quas quidam usque hodie observandas putant, non audientes illud Apostoli : A gratia excidistis qui in Lege justificamini (*Galat.* v, 4). Mirorque hominum pertinaciam, id velle sermone defendere, quod opere implere non audeant, nisi forte sub pelle ovium, id est, Christianorum, lupi celantur Judaici. Quid defensor [*Al.* defensores *et* personant] synagogæ in Christi Ecclesiis personat? Capta ergo Jerusalem atque subversa, aperitur os Domini **400** per apostolos, et apostolicos viros, qui possunt dicere : Os meum apertum est ad vos, o Corinthii ; et : Apertum est mihi ostium magnum et efficax (II *Cor.* VI, 11). Et illud : Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII, 131), quod numquam tacere poterit, nec audire cum Israel : Audi, Israel, et tace : sed in toto orbe resonabit, et Christi Evangelium pandet [*Al.* pandetur] gentibus. Unde juxta hunc sensum et duodecimus annus ad duodecim refertur tribus, et decimus mensis ad tempus propitiationis Judaicæ, quæ Græce dicitur ἱλασμός : et quinta dies mensis ad sensus carneos, quæ omnia, capta Jerusalem, et Evangelio succedente, deleta esse, et transisse monstravimus : et vespere, hoc est, in consummatione mundi factam manum Domini ad verum Ezechiel, qui futuras ruinas urbis cecinerat per prophetas, et mane impletas esse monstravit.

(Vers. 23 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel loquentes, aiunt : Unus erat Abraham, et* [a] *possedit terram : nos autem multi sumus* [Vulg. tacet *sumus*], *nobis data est terra in possessionem. Idcirco dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis, numquid* [Al. *numquam*] *terram hæreditate possidebitis? Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluistis, et terram hæreditate possidebitis? Hæc dices ad eos : Sic dicit Dominus Deus : Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant gladio cadent, et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum : qui autem in præsidiis et in speluncis sunt, peste morientur. Et dabo terram in solitudinem, et in desertum, et deficiet superba fortitudo ejus, et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat. Et scient quia ego sum Dominus, cum dedero terram eorum* [Vulg. tacet *eorum*] *desolatam et desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt. Et tu, fili hominis, filii populi tui* [Vulg. addit. *qui*] *loquuntur de te juxta muros, et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes : Venite, et audiamus qui sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus* (vel *quomodo populus congregari solet*) ; *et sedent coram te populus meus, et audiunt* **401** *sermones tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos ; et avaritiam suam sequitur cor eorum* (sive ut in LXX continetur : *Quoniam mendacium in ore eorum ipsi faciunt, et post abominationes suas cor eorum graditur.* Sequitur) : *Et es eis quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur, et audient verba tua, et non facient ea, et cum venerit quod prædictum est, ecce enim venit : tunc scient quod propheta* [b] *sit in medio eorum.* Primum

[a] Supplet Victor., *hæreditate* ex Hebræo textu : quam quidem vocem et Rabanus olim hic legit et Hieron. in subnexa expositione innuit posuisse.

[b] Penes Rabanum, et Vulgat. *Prophetes*, vel *Prophèta fuerit inter eos.* Fallitur porro Drusius dum pro *octo*, quot versiculos Hieron. tradit penes LXX

sciendum, [a] quod octo plus vel minus versus ab eo loco quem posuimus : *Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras*, usque ad eum locum ubi scriptum est : *Hæc dices ad eos, sic dicit Dominus Deus*, in LXX non habetur, qui cum multis aliis, et hæc prætermiserunt, sive interpretata ab eis, scriptorum paulatim sublata sunt vitio. Et Latini nostri, immo invidi Christiani, et ut apertius dicam, [b] Grunnianæ factionis hæredes, adversum nos latrant, cur juxta Hebraicum disseramus : quasi nolentibus ingerendi sint cibi, et non his epulæ præparentur qui eas cum gratiarum actione suscipiunt. Certe si nobis non habent fidem, legant alias editiones, Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis ; interrogent Hebræos non unius loci, ne eos a me redemptos jactitent, sed diversarum provinciarum ; et cum errori meo vel imperitiæ cunctos viderint consonare, tunc se intelligant nimium esse prudentes, et magis cupere dormire quam discere ; habitentque in septuaginta cellulis Alexandrini Phari, ne vela perdant de navibus et funium detrimenta suspirent. Hæc contra invidos : nunc quod proposuimus disseramus. Capta, ut diximus, Jerusalem temploque subverso, pauperes terræ, de quibus scribit Jeremias (*Jerem.* XXXIX), soli relicti fuerant in Jerusalem, qui vineas et agros colerent, et in ruinis incensæ urbis habitarent. Cumque deberent agere pœnitentiam super his propter quæ captivitas venerat, seipsos cassa spe decipientes loquebantur : Unus fuit pater noster Abraham, et tamen hanc terram hæreditate possedit, non quod ipse possederit, sed quod semen ejus terram repromissionis **402** acceperit. Si igitur ille unus in tantos multiplicatus est populos, nos multo plures qui relicti sumus in terra Judæa, et habitamus in urbibus desertis ac ruinosis, utique multo amplius multiplicabimur, ut possideamus plures quod unus ille possedit. Quibus respondit Dominus : Abraham unum fide possedisse terram repromissionis. Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Genes.* XV, 8). Istos autem incredulitate, et sceleribus occupatos, etiam si plures sint, possidere non posse. Simulque enumerat quid facientes offendant Deum, sex videlicet genera peccatorum. Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias, hoc est, ad idola vestra, et sanguinem funditis, hoc est ; homicidium perpetratis : numquid ista facientes poteritis terram hæreditate retinere ? Nec hoc estis scelerum fine contenti, sed statis in gladiis vestris quotidie, parati ad occidendum, et imitantes Esau, qui stetit, et vixit in gladio suo, facitis abominationes incredibiles, videlicet libidinum turpitudines, et unusquisque uxorem proximi sui polluit ; ut in eo sit sceleratior, quod amici, et proximi polluerit uxorem. Et cum hæc, inquit, faciatis, arbitramini vos terram hæreditate retenturos ? Responde igitur eis, o propheta, et hanc super eos ex meo sermone prome sententiam. Juro per memetipsum, quod qui habitant in ruinosis, et parietinis, gladio cadant : et qui in agris sunt, sive in campo, a bestiis devorentur : et qui in muratis, sive in præsidiis ac speluncis, Dei iram vitare non possint, sed fame moriantur, et pestilentia. Et dabo, inquit, terram Judæam in solitudinem, et deficiet superba fortitudo ejus, quæ quondam fuerat fortitudo. Superbis autem resistit Deus, et humilibus dat gratiam (*Jacob.* IV, 6). Montes quoque, et omnia deserentur, et in tantam venient solitudinem, ut nullus per eos transeat, et tunc nequaquam confident in multitudine sua pauci qui remanserant ; sed cognoscent solitudinis magnitudine quod ego sim Dominus, qui dedi terram in desertum propter omnes abominationes quas operati sint. Hæc dicta sint adversus eos qui, capta **403** Jerusalem omnique Judæorum regione vastata, pauci habitabant in ruinosis, et in desertis urbibus villulisque. Nunc veniamus ad tropologiam, et juxta consuetudinem nostram, latam disputationem stringamus potius quam disseramus. Omnis hæreticus in parietinis habitat, et desertis, et possidere se putat terram Israel, dicitque : Si Abraham fide sua unus homo in tantam venit beatitudinem, ut semen ejus multiplicaretur sicut arena maris, et sicut astra cœli : quanto magis nos plures terram Israel, hoc est, cernentium Deum, et Judæam confessionis Dominicæ possidebimus ? Quibus respondit Dominus : Ille possedit terram fidei merito ; vestra autem infidelitas, immo blasphemia terram Israel, id est Ecclesiam possidere non poterit. Primum enim comeditis in sanguine, effundentes eorum sanguinem, quos scandalizatis. Deinde oculos vestros levatis ad immunditias vel abominationes vestras, quas de vestro animo confixistis : cum debueritis imitari ecclesiasticum virum, et dicere : Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo (*Ps.* CXXII, 1). Tertio sanguinem funditis, non vivificantes eos quos seduxistis, sed interficientes. Nec vobis sufficit tria ista fecisse, sed statis in gladiis vestris, hoc est, perseveratis in pravitate sententiæ, et parati estis ad cædes, et fecistis abominationes, ea agentes in cubilibus quæ turpe est loqui, et uxorem proximi vestri polluistis, ecclesiasticam videlicet conversationem, quotidie de complexu Christi deceptos rapere festinantes. Et cum hæc feceritis, putatis vos terram Israel hæreditate tenturos ? Quibus loquitur Deus, quod quicumque in ruinosis hæreticorum habitaverit conciliabulis, gladio cadat Ecclesiastico, de

desiderari, rescribendum contendit *duos* ad partitionis hodiernæ instar, non animadvertens, fuisse olim apud sæculum Hieronymianum versiculos perquam brevissimos, ut ferme ex illis octo, duobus Vulgatæ divisionis respondeant.

[a] Consule Bibliothecam divinam S. Hieronymi, hoc est, tom. I, editionis nostræ, ubi leguntur octo versus, quorum hic numerum indicat doctor egregius. In Vulgata nostra duo tantum numerantur. MART.

[b] Discipuli Rufini notantur.

quo scriptum est : Gladii ancipites in manibus eorum (*Ps.* CXLIX, 6). Et in Evangelio : Non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* X). Et servus, qui se luxuriæ tradit ; et otio, dividetur, id est, mucrone ferietur, et pars ejus ponetur cum infidelibus (*Luc.* XII). Et qui in agro sive in campo est, bestiis tradetur ad devorandum, quas propheta vitare desiderans, deprecatur : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Ps.* LXXIII, 19). Qui autem in præsidiis et in muratis est, de quibus scriptum est : Civitates firmas ascendit justus, et destruxit munitiones earum, in quibus confidebant impii (*Prov.* XXI, 22) ; **404** et versatur in speluncis, de quibus dicitur : Scriptum est, Domus Patris mei domus orationis vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum (*Matth.* XXI, 33) : iste fame sermonis Domini, et peste morietur, et dabitur omnis terra hæreticorum in solitudinem, ita ut frangatur eorum superbia, et redigantur montes in solitudinem, qui sibi altitudinem scientiæ promittebant. Qui montes vocantur Israel, quia sub Christi nomine deceptos quosque supplantant : nullusque per eos transibit, nec dicere poterit quod Moyses : Transiens videbo visionem hanc magnam (*Exod.* III, 1) ; habitatores enim sunt perversorum montium, non peregrini, et accolæ : ut cum hæc passi fuerint, tunc cognoscant, quod ipse sit Dominus, qui dederit terram eorum in solitudinem propter abominationes quas operati sunt. Sequitur : Eadem quidem die, et eodem tempore, hoc est, duodecimo anno, decimo mense, in quinta mensis, quando venit qui fugerat de Jerusalem, et quando locutus est propheta ad eos qui erant in terra Judæa, et æternæ possessionis sibi spem pollicebantur, et jubet prophetæ ut dicat populo qui in Babylone versatur, et habitat cum eo, et arguat eos super insidiis blandientibus, qui prophetæ verba audire desiderant, non ad animæ salutem, sed ad aurium voluptatem. Isti juxta muros sedebant, et in ostiis domorum : nequaquam in sensum prophetæ intrare cupientes ; sed mutuo se hortantur et dicunt : Venite et audiamus qui sit sermo egrediens a Domino ; et sic veniunt quasi populus qui ingrediatur Ecclesiam Dei, et sedent coram te, populus meus, qui meum esse se dicit, et nolunt facere quod audierunt. Istiusmodi mihi videntur eorum similes, qui theatralibus luduntur carminibus : et vel tragœdos audiunt, vel comœdos, et ibi cum voluptate palpantur : ita ut cum egressi fuerint a te, replicent ea, et decantent, et dulci sono se decipiant. Et audient, inquit, verba tua et non facient ea. Tales sunt usque hodie multi in Ecclesiis, qui aiunt : Venite audiamus illum et illum, mira eloquentia prædicationis suæ verba volventem : plaususque commovent, et vociferantur, et jactant manus, et quæ operibus neglexerant, postquam advenisse cognoverint (necesse est enim evenire quod propheta Dei sermone pronuntiat), tunc incipient approbare, et nosse, quod cuncta quæ audierant, non fuerint hominis verba, sed Domini, qui per prophetam, et virum ecclesiasticum locutus est.

# *LIBER UNDECIMUS.*

**405-406** Undecimus in Ezechielem explanationum liber in extrema sui parte contra Gog et Magog vaticinium continebit, et usque ad exordium civitatis in monte positæ, et templi in ea siti veniet[a]. Quem si, adjuvante Domino, et sua mysteria disserente, potuero ad calcem usque perducere, diu mihi erit multumque dubitandum, utrum ad spiritale templum debeam mittere manus, an aperte ignorantiam confiteri : præsertim cum et apud Judæos, et apud nos super interpretatione ejus grande silentium sit : aliis in futuro tempore exstruendum esse censentibus : aliis bono quidem animo, sed imperito, scientibus spiritualia esse quæ dicuntur, et tamen ipsa spiritualia, quomodo disseri debeant, nescientibus. Et interim, ut præsentis operis cura nos teneat, scias, o virgo Christi Eustochium, orandum tibi esse pro nobis. In prophetia difficillima illud breviter admoneo, quod[b] vir nostræ ætatis haud ignobilis, ad Imperatorem scribens, super hac natione dixerit : Gog iste, Gothus est ; cui qua ratione possint omnia quæ in ea scripta sunt coaptari, non est meum, sed eorum qui hoc putant, disserere.

(Cap. XXXIV.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, propheta de pastoribus* (sive *ad pastores*) *Israel, propheta, et dices pastoribus : Hæc dicit Dominus Deus : Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos.* (Sive : *O pastores Israel, numquid pascunt pastores semetipsos?*) *Nonne greges pascuntur a pastoribus?* (Sive *nonne oves pascunt pastores?*) *Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non solidastis* (sive *confortastis*) : *et quod ægrotum, non sanastis : quod fractum, non alligastis, et quod abjectum erat* (sive *errabat*) *non reduxistis ; quod perierat, non quæsistis : sed cum*

[a] Addit Martianæus, post Erasmum, *Jerusalem*, quam vocem jure Victorius, duobus Brixiæ mss. codicibus, tertioque typis excuso suffragantibus, delevit. Nam, inquit, præter quod infra, cap. XL, describitur tantum, non autem de terrena Jerusalem illud interpretatur, si ponendum erat nomen, non hic, sed supra ponendum erat, hoc modo : *Et usque ad exordium civitatis Jerusalem in monte positæ, et templi in ea siti veniet.*

[b] S. Ambrosius, lib. II de Fide ad Gratianum Augustum, c. 16.

*austeritate imperabatis eis, et cum potentia* (sive *quod forte erat, afflixistis labore*). *Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor* (sive *pastores*), *et factæ sunt in devorationem omnibus bestiis agri, et dispersæ sunt. Erraverant greges mei* (sive *oves*) *in cunctis montibus, et in universo colle excelso, et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei* (sive *oves*) *et non erat qui requireret : non erat, inquam, qui requireret* (sive *qui reduceret*). *Propterea, o pastores, audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei* (sive *oves*) *in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor* (sive *pastores*) : *neque enim quæsierunt pastores* [Vulg. addit *mei*] *gregem meum, sed pascebant* **407** *pastores semetipsos, et greges meos non pascebant. Propterea, pastores, audite verbum Domini : hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum* [Vulg. tacet *meum*]; *nec pascant amplius pastores semetipsos* (sive *oves*), *et liberabo gregem meum* (sive *oves*) *de ore eorum, et non erunt ultra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum* (sive *quando fuerit caligo, et nubes in medio ovium suarum separatarum*) : *sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. Et educam eas* (sive *eos*) *de populis* (sive *de gentibus*), *et congregabo eas* (sive *eos*) *de terris* (sive *regionibus*), *et inducam eas* (sive *eos*) *in terram suam, et pascam eas* (sive *eos*) *in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas* (sive *eos*), *et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum* (sive *ovilia eorum*) : *ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam* (sive *requiescere*), *dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, et quod abjectum erat* (sive *erraverat*) *reducam : et quod confractum fuerat, alligabo, et quod infirmum erat, consolidabo* (sive *confortabo*) : *et quod pingue et forte, custodiam, et pascam illas in judicio* (sive *cum judicio*). *Vos autem, greges mei* (sive *oves meæ*), *hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego judico inter pecus, et pecus, arietum et hircorum. Nonne satis vobis erat pascua bona* [Vulg. *pascuam bonam*] *depasci? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcabatis* [Vulg. *conculcastis*] *pedibus vestris, et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis* [Al. *turbastis*]. *Et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos* [Vulg. *vos*] : *Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, et macilentum* (sive *inter pecus forte et infirmum*) : *pro eo quod lateribus, et humeris* [a] *vestris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. Salvabo gregem meum,* **408** *et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus* (sive *inter arietem et arietem*). *Et suscitabo super eas* [Vulg. *ea* hic atque infra] (sive *eos*) *pastorem unum qui pascat eas* (sive *eos*), *servum meum David : ipse pascet eas* (sive *eos*) : *et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum. Ego Dominus locutus sum. Et faciam cum eis pactum* (sive *testamentum*) *pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra, et qui habitabant* [Vulg. *habitant*] *in deserto securi dormient in saltibus. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam* (sive *dabo*) *imbrem in tempore suo, pluviæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri* (sive *dabunt ligna camporum*) *fructum suum, et terra dabit germen suum* (sive *fortitudinem*) : *et erunt* (sive *habitabunt*) *in terra sua absque timore* (sive *in spe pacis*) : *et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas* (sive *torquem*) *jugi eorum, et cruero eos de manu imperantium sibi* (sive *servire eos facientium*). *Et non erunt ultra in rapinam gentibus : neque bestiæ terræ devorabunt eos : sed habitabunt confidenter* (sive *in spe*) *absque ullo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum* (sive *plantationem pacis : et non erunt ultra imminuti* (sive *pereuntes*) *fame in terra, neque portabunt amplius opprobria gentium. Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israel, dicit Dominus Deus. Vos autem greges mei, grex* [Vulg. *greges*] *pascuæ meæ* (sive *oves*) *homines estis, et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* Sæpe commonui editionem me utramque miscere, ut librorum vitem magnitudinem, in his dumtaxat, quæ non multum a se in translatione discordant. Post captam Jerusalem, postquam annuntiavit in Babylone qui fugerat, locutus est de his qui habitabant in ruinosis Jerusalem, et deinde ad eos qui in captivitate positi, nihilominus perseverabant in malitia, prophetæ verba audire nolentes : nunc ad pastores, id est, ad principes sermonem dirigit, quorum vitio oves, id est, populi dissipati sunt. Et hoc notandum, quod a duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis transmigrationis, sive captivitatis Jechoniæ, et qui cum eo capti fuerant, usque ad vicesimum et quintum annum, quando **409** super montem urbis ædificatæ templum exstruitur, et incredibilia Ecclesiæ sacramenta panduntur, nullus in medio annus, nullumque tempus est positum; sed simpliciter dicitur : Factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, loquere ad illas et ad illos, ut intelligere debeamus omnia quæ leguntur tredecim annis, diversis dicta temporibus; et tamen certa inter se spatia temporum non habere. Ad pastores autem Israel sermo dirigitur, quos vel reges, vel principes, Scribas et Pharisæos, ac magistros Judaici populi debemus accipere. Vel certe in Evangelico populo, episcopos, presbyteros,

[a] Additum *vestris*, quod tantum sit penes LXX, Victorius expunxit.

et diaconos : aut juxta mysticos intellectus, Angelos singularum Ecclesiarum, ad quos scripsit Joannes in Apocalypsi sua (*Apocal.* I), et quorum Angeli quotidie vident faciem Dei (*Matth.* XVIII). Primumque dicitur : Væ pastoribus Israel, qui cum gregem Domini pascere debeant, et saluti illius providere, pro sua festinant luxuria. Unde magnopere cavendum est, et observanda illa præcepta : Ne quæras judex fieri, ne forte non possis auferre iniquitates (*Eccli.* VII, 6). Et iterum : Quanto major es, tanto magis te humilia, et in conspectu Domini invenies gratiam (*Ibid.* III, 29). Et rursum : Ducem te constituerunt, ne elevcris : sed esto inter eos quasi unus ex illis (*Eccli.* XXXII, 1). Unde et Apostolus, quàsi parvulum atque lactentem inter discipulos esse se dicit (I *Cor.* III). Quodque sequitur : Lac comedebatis, et lanis operiebamini, per metaphoram pastorum ad principes loquitur, de quibus et in alio loco scriptum est : Qui devorant plebem meam sicut escam panis (*Ps.* LII, 5). In lacte omnes escas intellige : in lanis, multiplicem vestium varietatem. Quod autem dicitur : Et quod crassum erat, occidebatis, de divitibus populi loquitur, quos mali principes in Ecclesiis jugulare narrantur, dum eos [*Al.* eis] prædicant, et vitia eorum increpare non audent. De quibus et propheta dicit : Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitam pedum vestrorum supplantant (*Isa.* III, 12). De quibus et Jacobus loquitur (*Jacob.* II, 3), quod cum ingressi fuerint ad eos pretiosis circumdati vestibus, et annulo aureo, honorantur ab eis, et sanctis pauperibus dicitur : Tu vero sede in scabello, sive in terra, aut sta. Isti quod infirmum est, non confortant, sive consolidant. Unde et Paulus loquitur : Suscipite infirmos (*Rom.* XIV, 1). Et : infirmum **410** in fide assumite. Et : Multi inter vos infirmi, et ægrotantas. Ad quos mittitur sermo divinus, de quo scriptum est in Psalmis : Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de corruptionibus eorum (*Ps.* CV, 10). Et quod fractum est, ait, non alligant : nequaquam mortalia in populis considerantes vulnera, qualis est adulter, homicida, sacrilegus. Et quod abjectum est, sive quod errare viderint, non reducunt, permittentes eos ab hæreticis decipi. Et quod perierit, non requirunt, non tam perditos salvare cupientes, quam eos, qui sunt in Ecclesiis devorare : sed cum austeritate imperantes eis, et cum potentia, quod proprie ad supercilium episcoporum pertinet, eorum videlicet, qui operibus dedecorant nominis dignitatem, et pro humilitate assumunt superbiam, ut honorem se putent consecutos, non onus : et quoscumque in Ecclesia viderint præpotentes, et Dei habere sermonem, opprimere nituntur. Unde juxta Septuaginta scriptum est : Et quod forte erat, affligebatis labore. Et dispersus est populus Dei, vel vitiis, vel errore hæreticorum : eo quod non esset pastor bonus, qui poneret animam suam pro ovibus : sed omnes mercenarii, qui lucra tantum de gregibus considerant, et cum lupum viderint, fugiunt. Quorum negligentia, grex Domini devoratur a bestiis agri, de quibus scriptum est : Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri, catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi (*Ps.* CIII, 20, 21). Et disperguntur, et errant in cunctis montibus, qui elevantur contra scientiam Dei, et universo colle excelso, qui per hæreticam superbiam, Ecclesiasticam despiciunt simplicitatem. Et super omnem faciem terræ disperguntur; terrena, non cœlestia requirentes. Et non erat qui requireret, nec qui reduceret : quia deliciis occupati, gregis Domini [*Al.* dominici] damna non curant. Unde ad malos pastores sermo fit Domini, quia ista, et ista fecistis, quæ supra exposui, et quæ secundo enumerat : Ecce ego ipse ad pastores veniam, et requiram gregem meum de manu eorum, quibus expedit, ut mola asinaria alligetur ad collum (*Matth.* XVIII), quam ut minimum scandalizent de populo meo. Et hæc erit eorum pœna vel maxima, ut ultra non pascant gregem meum : ne sub occasione **411** ovium seipsos pascant, et opes congregent : Et liberabo populum meum de ore eorum. Requiram, inquit, de manu, et liberabo de ore, quod avidis faucibus devoratur. Cum autem requisierit oves, visitat eas quasi ægrotantes atque macilentas, et pastorum negligentia dissipatas : et liberabit de omnibus locis in die nubis, et caliginis, de qua loquitur et Joel : Adest dies Domini, et prope est dies tenebrarum et caliginis, et dies nubis, et nebulæ (*Joel.* II, 1, 2). Tunc educentur de terris, ut inducantur in terram suam, quæ est terra viventium : et ipse eas pascet in montibus Israel, de quibus loquitur David : Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Ps.* CXX, 1). Et non solum in montibus, sed in rivis, et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis, et in monte excelso, de quo Isaias, et Michæas plenius vaticinantur (*Isa.* II; *Mich.* IV, VII) : sive in montibus excelsis Israel. Ibi requiescent in herbis virentibus, et dicent : Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit : Super aquas refectionis educavit me (*Ps.* XXII, 1, 2). Et pascentur in pascuis pinguissimis super montes Israel. Est infinita promissio, spesque beatitudinis, quando ipse Dominus pollicetur dicens : Ego pascam oves meas; et nequaquam eas committam malis pastoribus, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus, ut requiescant in sinu Abraham, Isaac et Jacob. Tunc quod perierat in gentium populis, requiretur : et quod erraverat in hæreticorum persuasione, reducetur : et quod confractum fuerat, alligabitur : et quod contritum, atque infirmum, consolidabitur; ut impleatur quod scriptum est : Qui sanat infirmitates eorum, et alligat contritiones eorum (*Ps.* CII, 3). Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). Unde et sanctus loquitur : Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (*Psal.* VI, 2). Et in tricesimo septimo Psalmo (*Vers.* 4) pœnitens : Non est, inquit, pax ossibus meis a facie peccatorum meorum : et quod pingue, ait, et forte, custodiam : ne voretur a bestiis. Et pascet oves suas in judicio,

sciens cui ovi quæ pascua debeantur. Diversæ enim sunt mansiones apud Patrem (*Joan.* XIV). Et: Non judicat Pater quemquam : sed omne judicium dedit Filio (*Ibid.*, V). Hæc autem adversum pastores locutus est : nunc loquitur ad oves, id est, ad populum : et ad utriusque pecoris gregem, id est, ovium **412** et caprarum : et non solum ad oves et capras, sed et ad arietes et hircos, qui sunt in gregibus principes, quibus ait : Nonne vobis satis erat, quod bonis Scripturarum pascuis vescebamini? sed insuper reliquias pascuarum vestrarum conculcabatis [conculcabitis] pedibus. Et cum aquam eloquiorum Dei purissimam biberetis, reliquas aquas pedibus turbabatis, ut populus meus conculcata a vobis pascua, et turbidas aquas manducaret et biberet, et vestro vitio, quod per se bonum erat, corruptum violatumque susciperent. Quod et omnes quidem hæretici faciunt, ut carpant eloquia Scripturarum, et quantum in se est, maculent. Sed et ecclesiastici viri qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistramque habent præsumptionem suam, simili errore retinentur. Qui cum populo persuaserint vera esse quæ fingunt, et in theatralem modum plausus concitaverint et clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, et adducto supercilio, libratisque sermonibus, atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem. Videamus igitur, quod sit judicium inter pecus et pecus: et quo judicio judicet eos bonus pastor et verus, qui accepit omne judicium a Patre. Ecce, inquit, ipse ego judico inter pecus pingue et macilentum, sive inter forte et infirmum. Fortes enim lateribus, et humeris suis impingunt atque collidunt infirma pecora, et cornibus ventilant, nescientes in lege taurum cornupetam debere puniri (*Exod.* XXI). Impingebant autem lateribus, et cornibus ventilabant, donec dispergerent, et ejicerent oves foras. Superbia enim majorum, et præpositorum iniquitate, frequenter pelluntur de Ecclesia : ut dispergantur a Domino, quos ipse salvavit. Sed non dimittet eos ultra Dominus in rapinam, et judicabit inter pecus et pecus : non inter nomina dignitatum, quibus tument præpositi; sed inter hominem et hominem, juxta id quod uterque servus est Domini. Tunc suscitabit pastorem unum, qui dicit in Evangelio : Ego sum pastor bonus (*Joan.* X, 11); servum suum David secundum id quod formam servi dignatus est assumere (*Philip.* II); qui David interpretatur, manu fortis. Ipse pascet eos, et Dominus erit eis in Deum, vel Filius et Pater, vel certe pastor juxta assumptam carnem : **413** Dominus autem, et Deus, juxta Verbum quod erat in principio apud Deum. Qui David, proficientibus pecudibus in rationale animal, nequaquam pastor vocabitur, sed princeps in medio eorum, de quo scriptum est : Medius autem vestrum stat, quem vos ignoratis (*Joan.* I, 26). Tunc ponet cum eis pactum pacis, nequaquam bellorum, atque discordiæ, quia factus est in pace locus ejus (*Psalm.* LXXV), sed pacis Christi, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV), qui dicit : Pacem meam do vobis : pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV, 27). Et cessare faciet bestias pessimas de terra, vitia, vel perturbationes, quibus animæ vexantur humanæ : vel adversarias potestates, a quibus impugnantur. Et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Dominus enim revelabit condensa silvarum, et in templo ejus omnes dicent gloriam (*Psal.* XXVIII, 9). Ejectis autem bestiis, et redacta terra in solitudinem, ab istiusmodi animantibus securi dormient, et dicent : Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo (*Psal.* XXVI, 1)? Et ponet eos, qui securi dormient in circuitu montis, vel collis sui, et erunt benedictio. Tunc dabit imbrem in tempore suo, et pluviæ benedictionis erunt, quas in Deuteronomii benedictionibus pollicetur (*Deut.* XXVIII). Et dabit, inquit, lignum vitæ, de quo in Genesi scriptum est (*Genes.* II) : lignumque sapientiæ, de quo dicitur, Lignum vitæ est omnibus qui assumunt eam (*Prov.* III, 18). Dabit autem fructum suum, quando et terra dederit fructum suum : sive ligna regionum, sanctorum plurima multitudo. Et terra dabit germen suum : Veritas enim de terra orta est (*Ps.* LXXXIV, 12). Et erunt in terra sua absque timore, sive in spe pacis, in terra viventium, in terra mansuetorum, de qua scriptum est : Beati mites ; quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V, 4) : ut rerum omnium felicitate cognoscant quod ipse sit Dominus : quando contriverit catenas, vel circulum ferreum jugi eorum, quo quasi gravissimo premebantur imperio, et eruerit eos de manu imperantium, sive servitute affligentium eos. Servus est enim unusquisque ejus a quo vincitur. Et nequaquam erunt ultra in rapinam dæmoniacis gentibus; nec bestiæ terræ devorabunt eos de quibus diximus : sed habitabunt confidenter absque ullo terrore, juxta superiorem expositionem. Et suscitabo, inquit, eis germen nominatum, sive plantationem pacis, **414** quæ loquitur in Evangelio : Ego sum vitis vera (*Joan.* XV, 1). Et non erunt ultra imminuti fame in terra. Ergo fames in terrenis est : fames autem audiendi sermonem Dei, quæ sub pastore bono, et germine nominato, atque omnium sermone celebrato, et plantatione pacis, nequaquam erit in terra; neque amplius opprobriis gentium subjacebunt, ut dicant : Ubi est Dominus Deus eorum (*Psal.* CXIII, 10)? Et scient post hæc omnia, quod non solum ipse sit Dominus, quod et supra quoque dixerat ; sed cum additamento, quod Dominus omnium proprie Deus eorum sit cum eis, qui dicit in Evangelio ad Apostolos : Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). Cum autem fuerit ipse Dominus Deus eorum, tunc et ipsi erunt populus ejus, non quilibet, sed qui meruerint appellari domus Israel. Ac ne putaremus universa quæ dicta sunt, ad pastores, et oves hircosque et arietes pertinere, solvit ænigma, immo metaphoram, et ponit manifestius : Vos autem oves meæ, et oves pascuæ meæ homines estis. Omnis igitur sermo di-

vinus de hominibus est, ad quos dicit : Ego sum Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

( Cap. XXXV. ) *Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, pone* (sive *converte* ) *faciem tuam adversum montem Seir, et prophetabis de eo* ( sive *ad eum* ) *et dices illi, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum, atque desertum. Urbes tuas demoliar* (sive *in urbibus tuis faciam solitudinem*) *: et tu desertus eris, et scies, quia ego sim* [Vulg. tacet *sim*] *Dominus : eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manu* [ Al. *manus* ] *gladii* ( sive *et assederis domui Israel fraudulenter in manu gladii* ), *in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te* ( sive *quoniam in sanguine peccasti* ) *et sanguis te persequetur : et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. Et dabo montem Seir desolatum et desertum, et auferam de eo euntem et redeuntem* ( sive *homines et jumenta*). *Et implebo montes ejus occisorum suorum* ( sive *vulneratorum* ) : *in collibus tuis, et in vallibus tuis, atque torrentibus interfecti gladio cadent. In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur : et scietis* ( sive *scies* ) **415** *quoniam ego sum Dominus* [Vulg. addit *Deus*]: *eo quod dixeris : duæ gentes et duæ terræ* ( sive *regiones* ) *meæ erunt, et hæreditate possidebo eas, cum Dominus esset ibi. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus : quia faciam juxta iram* ( sive *inimicitiam*) *tuam : et secundum zelum tuum, quem fecisti, odio habens eos, et notus efficiar tibi* [ Vulg. *per eos* ] *cum judicavero te, et scies quia ego sum Dominus. Audivi universa opprobria tua* ( sive *vocem blasphemiarum tuarum*) *quæ locutus es*, (sive *quia locutus es* ) *de montibus Israel, dicens, deserti nobis dati sunt ad devorandum, et insurrexistis* [ Vulg. *surrexistis* ] *super me ore vestro* ( *sive magnifice locutus es super me ore tuo* ) : *et derogastis adversum me* ( sive *vociferati estis contra me* ) *verba vestra : ego audivi. Hæc dicit Dominus Deus : Lætante universa terra, in solitudinem te redigam : sicuti gavisus es super hæreditate domus Israel, eo quod fuerit dissipata ; sic faciam tibi : Dissipatus* (sive *desertus*) *eris, mons Seir : et omnis Idumæa, et scient, quia ego sum Dominus.* Illud autem quod in LXX additum est, *et consumentur*, in Hebraico non habetur. Si semper in prophetis esset sermo Dei, et juge in pectore eorum haberet hospitium, numquam tam crebro Ezechiel poneret : Et factus est sermo Domini ad me dicens. Sed quia ob humanam fragilitatem, et vitæ hujus necessitates, interdum recedebat ab eis, propterea Joannes Baptista loquitur : Qui misit me baptizare, ipse dixit mihi : Super quem videris Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem et manentem in eo, ipse est (*Joan.* I, 33). Numquam enim proprium esset in Christo A quod additur, et manentem in eo, nisi ab aliis nonnumquam recederet. Alioquin et ad Moysen loquitur Deus : Auferam de spiritu qui est in te (*Num.* XI, 17) : quem utique non haberet, nisi ad eum a Domino descendisset. Omnis autem istius capituli prophetia est contra montem Seir, filiorum videlicet Esau et Edom, qui Græca et nostra lingua appellantur Idumæi, eo quod tempore necessitatis et angustiæ, quando Judas capiebatur à Babyloniis, insultaverint eis, et ejecto populo Judæorum, sibi putaverint terram traditam ad possidendum, et non solum non susceperint **416** fratres [a] suos, filios videlicet Jacob ; sed persecuti sint, et concluserint in manus gladii. Unde manifestius interpretatus est Symmachus, *Sanguinem tuum odisti, et sanguis persequetur te.* B Prophetatur autem quod et ipse capiendus sit, et redigendus in solitudines sempiternas, et rerum fine cognoscat esse judicem Deum, eo quod dixerit : Duæ gentes, et duæ regiones meæ sunt ; vel Idumæorum et Judæorum, vel certe Judæ et Israel, duarum videlicet et decem tribuum. Et locutus es de montibus Israel, dicens : Deserti nobis dati sunt ad devorandum, non considerans quod hæc contra Deum blasphemia redundaret. Unde sequitur : *Lætante universa terra, in solitudinem te redigam.* Et est sensus : cum omnis terra Judæa receperit pristinum statum, tu permanebis in solitudine sempiterna : Quodque infertur : *Sicuti gavisus es super hæreditate domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi*, in LXX non habetur, sed sub asteriscis de Theodotionis edi- C tione additum est. Omnis autem ira Dei illuc proficit contra montem Seir, ut cum fuerit dissipatus, et ipse, et universa Idumæa cognoscant, quia ipse sit Dominus. Hæc juxta historiam, et sensum magis quam verba cursim dixerim. Transibo ad anagogen, et studio brevitatis pauca perstringam. Pone, inquit, sive converte faciem tuam adversum montem Seir. Et significanter ait, *converte*, ab alia prophetia ad aliam prophetiam. Faciem autem non corporis, sed animi, de qua dicit et Apostolus : Nos autem omnes revelata facie, gloriam Domini contemplantes (II *Cor.* III, 18). Mons autem *Seir*, qui interpretatur *hispidus* et *pilosus*, contraria fortitudo accipienda est, quæ præsidebat genti filiorum Esau, et se contra populum Juda, id est, confessionis et veræ fidei erexerat. D Quod si prudens lector opposuerit, quomodo in isto loco Seir, hoc est, hispidus et pilosus, intelligatur in malam partem, cum Elias quoque vir pilosus dictus sit (IV *Reg.* I) : breviter respondebo, de Esau scriptum esse, quod rufus fuerit, et quasi pellis hispidus ( *Genes.* XXV) : de Elia vero quod vir tantum pilosus. In Esau qui sanguinarius et cruentus, pelli hispidæ **417** comparatur, mortalium operum, et ipsius mortis indicium est, in Elia virilitatis argumentum. Quamobrem et habitatio ejus in solitudine et con-

[a] Legimus cum Victorio, ad mss. codicum vetustiorumque editionum fidem. Martianæus cum Erasmo incommodo sensu, *susceperint filios, videlicet Jacob fratris sui, sed*, etc. Nam, inquit laudatus Victor., de filiis Esau, non de ipso Esau, cujus frater erat Jacob, sermo fit. Erant autem illi fratres filii Jacob, utpote ex duobus orti germanis.

versationis austeritas, non solum virum, sed et virum fortissimum demonstrabat. Porro Jacob qui supplantaverat Esau, et primogenita ejus acceperat (*Genes.*, x), quia simpliciter habitabat domi, et non erat venator, sicut gigas Nemrod : idcirco levis appellatur et nitidus. Videamus ergo quid dici præcipiat Deus ad montem, sive contra montem Seir. Ecce ego ad te, mons Seir, non mittam Angelos, nec aliis utar ministris, sed ipse ad te veniam, et extendam manum meam super te, et habitum percutientis assumam, et dabo te desolatum atque desertum, ut qui male habitabaris, et plurimos habebas impietatis tuæ socios, intantum ut et urbes exstrueres, imperiumque tibi proprium vendicares : nunc desolatus cum urbibus tuis, quas et Jeremias destruere jubetur atque suffodere (*Jerem.* I, LI), ut bonas pro eis exstruat civitates, in eo proficies, ut scias quod ego sim Dominus, quem ante solitudinem tui nosse non poteras. Omnis autem causa peccati est, quod fueris inimicus sempiternus. Unde dicit et psalmus : Irascimini, et nolite peccare (*Psal.* IV, 5), ut cito conciliemur inimicis, et odia charitate mutemus. Sed non talis mons Seir, qui super inimicitias sempiternas conclusit, sive obsedit filios Israel dolo in manu gladii. Ex quo intelligimus, quod quicumque gladium arripuerit contra filios Dei, et dolose aliquid egerit, et obsederit eos, tradatur in manus gladii, sicut mons Seir in tempore iniquitatis extremæ, quando dies pessimi sunt, et mundus in maligno positus est (I *Joan.* V), et multiplicata iniquitate, refrigescit charitas multorum. Est autem et aliud peccatum montis Seir : ut quoniam oderat sanguinem justorum, quem singulis persecutionibus cupiebat effundere, ab ipso sanguine sustineat persecutionem. Unde et sub altari sanctorum animæ clamitant, et ultionem a Domino sui sanguinis deprecantur (*Apoc.* VI). Et auferuntur de monte Seir, euntes et redeuntes, id est, omnis habitator, sive homines et jumenta quæ salvantur in Ecclesia, de quibus scriptum est : Homines et jumenta salvos facies, Domine (*Psal.* XXXV, 5). Quod in monte Seir utrumque deletur, **418** ut et hi qui videntur aliquid habere rationis; et illi qui simplici fide contenti sunt, Deo jubente, dispereant. Et implentur montes ejus vulneratorum et occisorum. Et non solum montes, qui ad impietatis verticem pervenerunt : sed colles quoque, hoc est, inferiores discipuli montis Seir, et valles quæ in ima depressæ sunt, sive torrentes, qui turbidas habent aquas, et hinc inde collectas, venientesque de superbia, vel, juxta LXX, campi [*Al.* campos], qui medii inter colles et valles sunt. Hi omnes interfecti cadent gladio Domini, et extentæ manus ejus, atque percutientis, ut redigantur in solitudines sempiternas ; et si quæ erant civitates, hoc est, conciliabula malæ habitationis, et ipsæ dispereant, et desinant in malam partem habere consensum, et dividantur linguæ eorum (*Genes.* XI), ne turrem blasphemiæ contra Deum possint exstruere ; et redactæ in solitudinem atque desertum, cognoscant quod ipse sit Dominus. Nec sufficit monti Seir tanta dixisse, quæ præteritus sermo narravit : sed hoc quoque per superbiam locutus est : Duæ gentes, et duæ terræ, sive regiones meæ sunt, Idumea videlicet et Judæa, et hæreticos, et Ecclesiasticos possidebo pariter. Et hoc, inquit, dixisti, cum Dominus esset ibi, qui suo populo præsidebat. Propterea jurat Dominus, et dicit : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quod juxta iram tuam, qua sæviebas in populum Dei, et zelum tuum quo persequebaris Christi familiam, odio habens eos quos possidere cupiebas, cum te percussero et judicavero, tunc tibi notus efficiar, et scies quod opprobria tua et blasphemias non alio referente, cognoverim : sed ipse audierim quæ locutus es contra montes Israel, dicens : Deserti nobis dati sunt ad devorandum. Montes Israel, Moysen, prophetas et apostolos debemus accipere, quos hæretici et hæreticorum princeps diabolus sibi putant traditos ad devorandum : quando aut rarus, aut nullus in Ecclesia reperitur, qui possit pugnare pro montibus Domini, et eorum lacerationem sua voce defendere. Et insurrexistis, inquit, super me ore vestro, sive magnifice locuti estis, non ut putatis contra montes, sed per illos adversum me, et rogastis [*Al.* derogastis], sive clamastis adversum me. **419** Omnes enim preces vestræ, o mons Seir, et socii montis Seir, de quibus supra dictum est (*Supra*, eod.) : Implebo montes ejus, et colles, et valles, et campos, sive torrentes, fuerunt adversum me : nequaquam preces, et orationes, ut putatis ad Deum, sed clamores, vociferationes, atque blasphemiæ. Unde et Dominus comminatur, et dicit : Sicuti gavisus es super hæreditate domus Israel, quando tuis persecutionibus dissipata est, atque lacerata et in toto orbe dispersa : sic faciam tibi. Lætante enim universa terra viventium, terraque sanctorum, et omnibus conversis ad servitutem Dei, tu dissipatus eris, mons hispide, mons pilose, et omnis Idumæa, opera videlicet terrena, et cruori et sanguini dedita, ut tunc cognoscas quod ipse sim Dominus, qui alibi sum locutus : Ego sum Dominus Deus vester.

(Cap. XXXVI. — Vers. 1 seqq.) « Tu autem, fili « hominis, propheta super montes Israel, et dices : « Montes Israel, audite verbum Domini : hæc dicit « Dominus Deus, eo quod dixerit inimicus de vobis, « euge, altitudines (*sive* solitudines) sempiternæ « in possessionem [*Vulg.* hæreditatem] datæ sunt « nobis, propterea vaticinare, et dic : hæc dicit Do- « minus Deus : Pro eo quod desolati estis, et con- « culcati per circuitum (*sive* pro eo quod dispersi « estis ab his qui in circuitu vestro sunt), et facti « in hæreditatem (*sive* in possessionem) reliquis « gentibus, et ascendistis super labium linguæ, et « opprobrium populis [*Vulg.* populi] (sive genti- « bus). Propterea, montes Israel, audite verbum « Domini Dei : Hæc dicit Dominus Deus montibus « et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis « parietinis (*sive* dissipatis) et urbibus derelict

« quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ (*sive* con-
« culcatæ) a [*Al.* et] reliquis gentibus per circuitum.
« Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quoniam in
« igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus, et
« de Idumæa universa, qui [*Vulg.* quæ] dederunt
« terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio
« [*Al.* gladio], et toto corde, et ex animo, et ejece-
« runt eam ut vastarent ( *sive* cum odio despicien-
« tes animas, ut subverterent eas in vastatione).
« Idcirco ait [*Vulg.* *tacet* ait], vaticinare super ter-
« ram Israel, et dices montibus et collibus, jugis et
« vallibus, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego in
« zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod
« confusionem (*sive* opprobria) gentium sustinue-
« ritis. Idcirco hæc dicit **420** Dominus Deus (*sive*
« Adonai Dominus) : Ego levavi (*sive* levabo) ma-
« num meam : ut gentes quæ in circuitu vestro sunt,
« ipsæ confusionem (*sive* ignominiam) suam por-
« tent. Vos autem, montes Israel, ramos vestros
« (*sive* uvas vestras) germinetis, et fructum ves-
« trum afferatis populo meo Israel : prope est enim
« ut veniat. Quoniam ecce ego ad vos, et convertar
« ad vos (*sive* respiciam vos), et arabimini, et acci-
« pietis sementem, et multiplicabo in vobis homi-
« nes, omnemque domum Israel, et habitabuntur
« civitates, et ruinosa instaurabuntur (*sive* deser-
« ta ædificabuntur). Et replebo vos hominibus et
« jumentis, et multiplicabuntur, et crescent, et ha-
« bitare vos faciam sicut a principio, bonisque do-
« nabo majoribus quam habuistis ab initio : et scie-
« tis quia ego sum Dominus. Et adducam (*sive* ge-
« nerabo) super vos homines, populum meum
« Israel, et hæreditate possidebunt te ( *sive* vos), et
« eris (*sive* eritis) in possessionem [*Vulg.* hæredita-
« tem], et non addes ultra, ut absque eis sis (*sive* et
« non addetis ultra, ut absque liberis vos faciant).
« Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod [a] dixerunt
« de vobis (*sive* tibi), devoratrix hominum es, et
« suffocans gentem tuam : propterea homines non
« comedes amplius, et gentem tuam non necabis
« ultra, ait Dominus Deus : nec auditam faciam in
« te (*sive* in vobis) amplius confusionem ( *vel* igno-
« miniam) gentium, et opprobria populorum ne-
« quaquam portabis ( *sive* portabitis ), et gentem
« tuam non amittes amplius (*sive* gens tua absque
« liberis ultra non erit), dicit Dominus Deus. » Su-
pra ponitur prophetæ facies, sive convertitur ad-
versum montem Seir : hic filius hominis loquitur ad
montes, sive super montes Israel, qui jubentur Dei
audire sermonem. Et ut parumper differam tropo-
logiam, totius ad montes Israel prophetiæ breviter
hic sensus est : Quia insultavit vobis inimicus, hoc
est, mons Seir, et putavit quod in perpetuum ipse
vos possideret, et altitudines quondam Domini nunc
desertas cessisse sibi in hæreditatem, et non solum
dixit, sed et aliquanto tempore vos possedit : intan-
tum ut superbe loqueretur contra vos, quod oppro-

A brium essetis cunctis gentibus : propterea hæc dicit Dominus Deus, non solum monti Seir, sed et montibus ejus et collibus, torrentibus, vallibusque, **421** et desertis atque vastatis, et urbibus derelictis : quoniam igne zeli sui, et adversum omnes quidem gentes, sed præcipue contra Idumæam locutus sit, quæ cum cæteris, inquit, gentibus tenuit terram meam in possessionem, et possedit gladio, et toto corde possedit, ut ejiceret habitatores de ea, terramque vastaret. Propterea loquere, ait, propheta, super terram Israel, et dices montibus, et collibus, et jugis (pro quibus Septuaginta *ταῖς νάπαις* interpretati sunt, quæ nos *nemorosa* intelligimus *loca*) et valli-

B bus. Hæc dicit Dominus Deus : in zelo, et in furore meo, opprobrii vestri ultor existam, et levabo manum meam, ut gentes quæ in circuitu vestro sunt, ignominiam et confusionem suam portent : vos autem, o montes Israel, secundum pristinum statum germinetis virgulta, ramosque mittatis, sive, juxta LXX, *afferatis uvas*, quibus populus meus saturetur Israel. Quod non putetis post longum tempus futurum, prope est, instat, et veniet tempus. Ac ne vobis videatur hoc esse difficile, ipse ego veniam ad vos, et qui a vobis recesseram, convertar ad vos, ut pristinam culturam recipiatis, et semente omnia compleantur, ita ut multi in vobis sint homines, et habitentur civitates, quæ prius destructæ fuerant. Et non solum homines multiplicabo : sed et jumenta æque multiplicabuntur et crescent, et habitare [ *Al.* habitari ] vos faciam sicut a principio, quando Moyse

C duce, trans Jordanem duæ et semis tribus acceperunt possessionem, trans Jordanem ( *Num.* XXXII ), et sub Jesu filio Nave, aliæ novem et semis tribus terram Judæam possederunt (*Jos.* I, *et* XIII) : bonisque vos donabo multo majoribus, quam habuistis ab initio priusquam captivitates varias sentiretis. Et cum hoc vobis fecero, tunc cognoscetis quod ego sim Dominus. Et impleberis, inquit, o terra Israel, populo meo, qui te hæreditate tenturus est, et eris eis possessio, et non addes ultra, ut absque filiis sis. Cum autem multiplicatus fuerit vester habitator, o montes Israel, tunc nequaquam dicent inimici vestri, contra vos, quod homines devoretis, et absque liberis sit vestra possessio ; sed e contrario multiplicetis

D **422** homines : et largissimam prolem vestra posteritas germinet. Nec audies, inquit, amplius, nec sustinebis confusionem gentium, sed nec amittes gentem tuam, ut aliquando sustineas captivitatem, quia Dominus locutus est. Hæc *παραφραστικῶς* more Judaico dixerimus, quæ illi exspectant in mille annorum regno, quando civitatem Jerusalem asserunt exstruendam, et templum, quod in fine hujus voluminis describitur, et rerum omnium felicitatem, quorum nonnulli arbitrantur sub Zorobabel hæc fuisse completa. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur : Et habitare [ *Al.* habitari ] vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam ha-

[a] In instanti *dicunt* cum Vulgata Hebræoque textu legendum Victor. constituit; nam *dixerunt* ex LXX *εἶπαν* esse arbitratur.

buistis ab initio ? Sub Zorobabel enim, Ezra, et Nehemia pauci de populo sunt reducti, et ipsi obedientes Medis ac Persis, et deinceps Macedonibus et Ægyptiis atque Romanis, usque ad Titum et Vespasianum diversarum gentium regibus servierunt, et usque hodie serviunt : ut stare omnino non possit hoc quod in extrema dicitur prophetia : Et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius. Et quia longum est nunc adversum dogma Judaicum, et beatitudinem ventri, et gutturi Judaico servientem, qui omnia terrena desiderant, et dicunt : Manducemus et bibamus, de quibus et Apostolus loquitur : Esca ventri et venter escis : Deus autem et hunc et illam destruet (I *Cor.* VI, 13), in brevi explanatione dicere : nunc ad spiritualem intelligentiam transeamus, juxta quam et Isaiæ extremas partes interpretati sumus. Neque enim juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam, et auream de cœlo exspectamus Jerusalem : nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus. Quod et multi nostrorum, et præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur, *de Spe fidelium*, et Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini [a] Petabionensis episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in dialogo cui *Gallo* nomen imposuit. Et ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinarius. **423** Nos ergo montes Israel, prophetas et apostolos esse dicemus, qui audiunt verbum Dei, et quibus diabolus insultavit inimicus dicens : Euge, excelsi quondam montes, de quibus scriptum est : Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (*Ps.* CXXIV, 2), mihi dati sunt in possessionem, quando persecutionis angustiis desolati sunt, et conculcati per circuitum, et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ab omnibus blasphemati. Propterea loquitur Dominus conculcatis montibus et desolatis, et non solum montibus, sed et inferioribus ac per singulos gradus in terra Judæa, hoc est, in monte Ecclesiæ constitutis, de qua scriptum est : Non potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* V, 14) ; et collibus atque torrentibus, quorum hyeme persecutionum, et tempestate pressuræ augetur fides. Vallibus quoque his qui in humilitate depressi sunt, et desertis Ecclesiis, et parietinis, atque in toto orbe Ecclesiarum conciliabulis derelictis : qualis sub Diocletiano et Maximiano in toto orbe persecutio fuit, per quam proscriptæ sunt Ecclesiæ atque vastatæ : quando subsannaverunt Ecclesiam omnes gentilium, et hæreticorum gentes per circuitum, quod in igne zeli furoris sui locutus sit, et proprie adversum Idumæam quæ terrenis operibus volebat omnes, deposita imagine cœlestis, portare imaginem terreni (I *Cor.* XV). Illi enim dederunt terram Dei sibi in hæreditatem, et ex toto corde atque ex animo Ecclesiam Domini persecuti sunt, et ejecerunt eam de sedibus suis, et vastaverunt. Sed quid profuit nationibus, quid juvit hæreticorum gentes insultasse terræ Domini ; cum Dominus loquatur ad eam, et montibus illius collibusque ac jugis, sive nemorosis locis, quæ amœnitate virebant paradisi : et collibus, de quibus supra diximus, in zelo et in furore suo locutus sit : et pro opprobrio gentium levet manum suam contra adversarios, qui Ecclesiam persecuti sunt, ut portent confusionem et ignominiam suam ? Tunc persecutoribus interfectis, et pace Ecclesiæ reddita, montes Israel, Apostoli videlicet et Apostolici viri, germinabunt arbores suas, et extendent ramos, uvasque afferent calcandas in prælo Domini, de quibus musta funduntur, quæ inebrient credentium **424** populos, et exprimitur vinum quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII) : ut omnis fructus montium, de quibus conficitur panis de cœlo descendens, comedatur a populo Dei Israel. Et ne forsitan desperemus in persecutionibus, additur : Prope est tempus ut veniat. Veniens enim veniet, et non tardabit (*Abac.* II, 3). Unde suum ad montes, et ad eos qui in tribulationibus perduraverunt, pollicetur adventum, atque promittit quod post persecutionis ardorem exerceatur terra prius decerpta Christi vomere, et omnem virtutum sementem recipiat, de qua nascantur et multiplicentur homines, et omnis domus Israel. Cumque civitates, hoc est, Ecclesiæ credentium fuerint inhabitatæ redeuntibus turbis, tunc nequaquam solum homines qui pollebant [*Al.* pollebunt] scientia Scripturarum : sed et jumenta, simplices quique credentium, multiplicabuntur atque succrescent, et habitabuntur Ecclesiæ sicut a principio, hoc est, priusquam esset persecutio : bonisque florebunt majoribus, quam habuerunt ab initio, martyrum victoriis coronatæ. Et tunc scient quod ipse sit Dominus, qui restituit plebem suam pristino statui, quæ possideat Ecclesias, et ipsa sit Ecclesiarum hæreditas, et nequaquam ultra absque liberis sit, quos in persecutione perdiderat. Unde jubetur prophetæ, ut loquatur ad terram mansuetorum, terramque viventium, sive ad montes Israel, et dicat : Persecutorum ultra non patieris opprobrium, nec insultabunt jugulatum populum tuum, sicut oves occisionis. Pace enim reddita, opprobria universa cessabunt, nec sustinebis confusionem, et ignominiam inter diversas in circuitu nationes, sed gentem tuam habebis et populum, quia veritas promissionis, Domino loquente, firmata est.

(Vers. 16 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, domus Israel habitaverunt* (sive *habitavit*) *in terra sua, et polluerunt eam in viis suis, et in studiis* (sive *idolis*) *suis : juxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me. Et effudi indignationem meam* (sive *furorem meum*) *super eos, pro sanguine quem fuderunt super terram : in idolis suis polluerunt eam, et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt* (sive *ventilavi eos*) *in terras* (sive *regiones*) *juxta vias eorum, et adinventiones* (sive *peccata*) *eorum judica-*

[a] Confer librum de Viris Illustribus cap. 74. Tertulliani autem liber *de spe Fidelium* intercidit. Vide quæ ad Præfationem libri XVIII in Isaiam annotamus.

*vi* **425** *eos, et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum; cum diceretur de eis, Populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt. Et peperci nomini meo sancto* (sive *peperci eis propter nomen meum sanctum*) *quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. Idcirco dices domui Israel, hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israel: sed propter nomen meum sanctum, quod polluistis in gentibus ad quas intrastis. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum, ut sciant* [Vulg. addit. *gentes*], *quia ego sum Dominus, dicit Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo* [Vulg. addit *vos*] *de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam* (sive *aspergam*) *super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri* (sive *dabo vobis*) *et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri* (sive *dabo vobis*) *et faciam ut in præceptis meis* (sive *justificationibus meis*) *ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini* (sive *faciatis*) *ea* [Vulg. tacet *ea*]. *Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. Et salvos vos* [Al. *salvabo vos*] *faciam ex universis inquinamentis* (sive *immunditiis*) *vestris, et vocabo frumentum, et multiplicabo* [a] *illud, et non imponam* (sive *dabo*) *vobis famem, et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. Non propter vos faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis. Confundimini et erubescite super viis vestris, domus Israel. Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et habitari fecero urbes, et instauravero ruinosa, et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, dicent: Terra illa inculta* (sive *deserta*) *facta est ut hortus voluptatis, et civitates desertæ,* **426** *et destitutæ atque* [Vulg. *quæcumque*] *suffossæ, munitæ sederunt. Et scient gentes quæ derelictæ fuerunt in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, et plantavi inculta: ego Dominus locutus sim, et fecerim. Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc inveniet me domus Israel* (sive *quærar domui Israel*) *ut faciam eis* [Vulg. *in eis*]. *Multiplicabo eos sicut gregem hominum* (sive *ut oves homines*) *ut gregem sanctum* (sive *ut oves sanctas*) *ut gregem* (sive *oves*) *Jerusalem in solemnitatibus ejus: sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus* (sive *ovibus*) *hominum, et scient quia ego Dominus.*

[a] Reposuimus *frumentum*, ne dum a Victorio, qui Vulgata Hebræoque textu nitebatur, sed a Vatic. quoque ms. et Rabano admoniti. Erat præterea manifestum ex S. Patris expositione illud ab eo positum. *Multiplicabitur*, inquit, *eis frumentum, de quo efficitur cœlestis panis, et non patientur ultra famem sermonis Dei.* Nihilosecius Martian. cum Erasmo retinuit *fructum*.

A Perspicua sunt quæ dicuntur, et omnis sensus montium Israel, qui prius deserti fuerant, et postea restituti, nunc manifestius ponitur. Redditque causas Deus quare populum Israel captivitati tradiderit, et propter suam clementiam pollicetur reducturum se eos in terram Judæam, et multo ampliora tributurum, quam abstulerat. Quod quidam Judæorum referunt ad Zorobabel tempora, quando, Cyro rege Persarum laxante captivitatem eorum, de tribu Juda, et Benjamin plurimi reducti sunt in Judæam. Alii vero ad mille annorum regnum referunt, quando sub Christo, quem putant esse venturum, ut civitas exstruatur Jerusalem, et ædificetur templum, de quo in ultima parte hujus prophetiæ dicturi sumus. Et interim, ut Judaicas fabulas relinquamus, et B interminabiles genealogias, juxta consuetudinem nostram, breviter περιχοπὴν hujus capituli percurramus, et quid nobis videatur, juxta ecclesiasticam intelligentiam disseramus. Domus Israel, hoc est, populus Judæorum habitavit quondam in terra sua, hoc est, in terra Judææ, quando educta est de Ægypto; sed polluerunt eam in viis et in studiis, sive idolis suis, et intantum exstitere polluti, ut immunditiæ mulieris menstruatæ comparati sint. Propter quod Deus effudit indignationem suam super eos, pro sanguine prophetarum atque justorum, quem fuderant super terram, dicente in Evangelio Salvatore: Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt (*Matth.* XXIII, 37). Et iterum (*Vers.* 35): Amen, amen dico vobis: requiretur sanguis C qui **427** effusus est a generatione hac a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem effuderunt inter altare et templum. Non solum autem effuderunt sanguinem, sed et polluerunt terram sceleribus suis (II *Paral.* XXIV). Quamobrem dispersit eos, vel sub Babylonia captivitate, vel sub Romana: quando vere effuderunt sanguinem Christi, et ventilati sunt in terras, quomodo paleæ ventilantur, et juxta vias suas, et inventiones pessimas judicati, ita ut in gentibus quoque ad quas captivi ducti fuerant, polluerent nomen sanctum Dei: eo quod per irrisionem dicerent universæ nationes: Ecce populus Dei iste est, qui se jactabat proprie nosse cultum Dei. Quod cum vidissem, ait, non propter eos, sed propter nomen D meum sanctum (Creator enim omnium sum) peperci eis, et sanctificavi illos, et gloriæ pristinæ restitui, ita ut super credentes, et ab errore conversos, effunderem aquam mundam Baptismi salutaris, et mundarem eos ab abominationibus suis, et ab universis erroribus, quibus fuerant occupati, et darem eis cor novum, ut crederent in Filium Dei, et spiritum novum, de quibus David loquitur: Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L, 21). Et conside-

randum, quod cor novum, et spiritus novus detur per effusionem et aspersionem aquæ. Quando autem cor novum datum fuerit et spiritus novus, tunc auferetur de corde Judaico omnis duritia, quæ lapidi comparatur, ut pro lapideo corde sit cor carneum, molle et tenerum, quod spiritum Dei in se possit recipere, et inscribi litteris salutaribus. Tunc ambulabunt in præceptis Domini, et custodient judicia ejus, et habitabunt in terra confessionis, quam dederat patribus eorum Abraham, Isaac, et Jacob, et cunctis sanctis ac prophetis, et erunt in populum Dei, et Dominus erit eis in Deum, quod præsenti tempore comprobatur. Cumque salvati fuerint, vocabit Dominus frumentum, et multiplicabit illud. Nisi enim granum tritici cadens in terra, mertuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII, 24). Et nequaquam patientur famem (*Amos.* VIII, 11): non famem panis et sitim aquæ, sed famem audiendi sermonem Dei, quam passus est ille qui a Patre profectus, omnem quam acceperat substantiam, dissipavit : quando **428** famis necessitate cogente, porcorum pastus est siliquis ( *Luc.* XV ). Tunc multiplicabitur fructus ligni, hoc est, sapientiæ, de quo scriptum est : Lignum vitæ est omnibus qui requirunt eam (*Prov.* III, 18) : et genimina agri in similitudinem Jacob, cujus odor erat quasi odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Genes.* XXVII, 27). Nec ultra portabunt opprobrium famis in gentibus, quod hodieque Judæorum patitur incredulitas : sed postquam beatitudinem fuerint consecuti, imitabuntur Apostolum qui dicit : Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I *Cor.* XV, 9). Et recordabuntur viarum suarum pessimarum, et studiorum non bonorum, quibus offenderant Deum : et displicebunt eis iniquitates suæ, et scelera sua quibus prius erraverant. Hæc autem omnia tributurus est Dominus, non propter eos qui proprio errore perierunt; sed propter nomen sanctum suum. Unde provocat domum Israel, ut confundatur et erubescat super prioribus vitiis, et suum intelligat Creatorem. Postquam autem mundaverit credentium ex Judæis populum ab iniquitatibus suis, et habitari fecerit urbes Ecclesiæ, et instauraverit ruinosa quæ in synagogis conciderant, et terra confessionis fuerit exculta cæremoniis Dei, quæ quondam visa est desolata omnibus sanctis, qui terrenæ conversationis opera prætereunt : tunc omnes dicent : Quomodo terra Judæa quæ quondam fuerat inculta, nunc habet similitudinem paradisi Dei; et civitates Judææ, quæ desertæ fuerant et destitutæ, et sua incredulitate suffossæ, nunc erectæ et munitæ sunt in confessione, et nomine Domini Salvatoris? ita ut omnis creatura cognoscat, et multitudines Angelorum, quæ terram ambiunt Israel, quod Dominus dissipatas ædificaverit civitates, et incultas plantaverit regiones, et quod pollicitus fuerat per prophetas, opere compleverit. Nec hoc erit liberalitatis suæ in populum quem salvaverit contentus munere; sed multo majora præstabit. Invenietur enim a domo Israel, qui multo tempore quæsitus fuerat, et non inventus. Et postquam invenerit eum, multiplicabit eos sicut oves : non brutorum animantium, sed oves hominum, quæ rationis confessionisque sunt plenæ, sicut oves sanctas et greges Jerusalem, in qua proprie Dei cultus, et visio pacis est, in solemnitatibus ejus **429** quando comedimus azyma sinceritatis et veritatis (1 *Cor.* V), et Agni carnibus vescimur et cruore potamur, et in septem hebdomadibus, et in tabernaculis hujus sæculi Dominica festa celebramus, ut civitates quondam desertæ plenæ fiant gregibus hominum, et hac ratione cognoscant, quod ipse sit Dominus, qui cuncta præstiterit. Hæc juxta historiæ veritatem, immo juxta prophetiæ fidem : quomodo populus Israel restituatur in integrum statum, et reliquiæ populi Judæorum, Apostolo Paulo docente (*Rom.* IX, 11), salvæ sint in Apostolo, et in omnibus qui ex Judæis in principio crediderunt, et usque hodie redeunt ad Ecclesiam, breviter dixisse sufficiat. Nunc tropologiæ eadem brevitate aperiendus est sensus. Quicumque de domo est Israel, et cernit pacem Christi, quæ exsuperat omnem sensum, habitat in terra sua, hoc est, Ecclesia, vel in carnis hospitio, quod ei a Deo traditum est. Sin autem polluerit utramque terram in viis suis pessimis, et immunditiæ mulieris menstruatæ fuerit comparatus : effundit Deus indignationem suam super eum, pro sanguine, vel suo, vel eorum, quos scandalizaverit, et effuderit super terram, et perversis cogitationibus quibus polluit eam. Tunc dispergetur in gentes, ut incredulis coæquetur, et ventilabitur in terra instar palearum, ut a frumento Ecclesiæ separetur, et judicetur secundum vias suas. Quod si nec sic senserit peccatum suum, sed polluerit nomen sanctum ejus, dicent omnes inter quos habitarit : Ecce populus Dei, ecce qui egressus est de terra ejus, immo projectus. Sin autem egerint pœnitentiam, et sanctificatus fuero in medio eorum, tunc omnis gentilium turba cognoscet, quod ego eos tollam de terris, in quas dispersi erant, et reducam in terram Ecclesiæ, et effundam super illos nequaquam aquas Baptismi salutaris, sed aquas doctrinæ et sermonis Dei : et mundabo illos ab omnibus inquinamentis suis, et ab universis idolis atque erroribus quæ in suo corde simulaverant. Et dabo, inquit, eis cor novum, quod per peccatum perdiderant, et spiritum rectum innovabo in cordibus eorum. Et auferam cor lapideum, cor videlicet incredulum; et dabo cor carneum, molle, et tenerum; quod Dei præcepta suscipiat; **430** ita ut ambulent in præceptis meis, et faciant judicia; quæ prius neglexerant, et habitent in terra quam dederam patribus eorum, magistris videlicet atque doctoribus : et rursum sit populus Dei, et Dominus eis vertatur in Deum, quem prius offenderant. Tunc salvabuntur ab universis inquinamentis suis, et multiplicabitur eis frumentum, de quo efficitur cœlestis panis; et non patientur ultra famem sermonis Dei; et multiplicabitur

in eis lignum sapientiæ, et genimina in eorum pectore complebuntur. Nec erunt ultra opprobrium in gentibus; sed postquam misertus fuerit eorum Deus, recordabuntur viarum suarum pessimarum, et scient ubi fuerint, et displicebunt sibi in inquitatibus suis. Quod dicit Dominus, non propter illos, sed propter suam se facere clementiam. Unde et cohortatur errantes, ut confundantur, et erubescant in viis suis, et restituantur in urbes Ecclesiæ, quæ rursum habitentur ab eis, et omnia quæ in eis corruerant, ædificentur : et ad pristinas redeant cæremonias, et terra quondam deserta, quæ accolis et peregrinis, et mundi hujus conversationem transeuntibus visa fuerat desolata, revertatur in pristinum statum; omnesque mirentur, et dicant : Terra illa inculta, terra deserta, in qua omnes quondam periere virtutes, nunc facta est quasi hortus voluptatis et paradisus Dei; et civitates quondam desertæ, quæ Deum hospitem non habebant, et destitutæ erant a Spiritu sancto, et suffossæ credulitate, munitæ erunt fide Christi : ut sciant omnes in circuitu, quod Dominus ædificaverit animas dissipatas, et plantaverit in eis, atque conseverit cunctarum virtutum arbores; et ipse rebus præstiterit, quæ sermone promisit. Rursumque cohortatur sermo propheticus pœnitentes, ut etiam cum regressi fuerint in Ecclesia, semper requirant Dominum, et inveniant eum : ut multiplicentur redeuntium turbis greges Domini : non jumentorum et brutorum animantium, sed greges hominum, qui fidei rationisque sint pleni, greges sancti, greges urbis Jerusalem, in cunctis solemnitatibus, quas Dei clementia receperunt; ut postquam civitates Domini hujuscemodi gregum multitudo compleverit, tunc sciant omnes, quod ipse sit Dominus.

(Cap. XXXVII.—Vers. 1 seqq.) **431** *Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini: et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, et circumduxit me per ea in gyrum* [Vulg. *in gyro*]. *Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me : Fili hominis, putasne, vivent ossa ista ? Et dixi, Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis, et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini : hæc dicit Dominus Deus ossibus his : Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis : et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis et scietis quia ego Dominus. Et prophetavi sicut præceperat mihi : factusque est* [Vulg. *factus est autem*] *sonitus, prophetante me, et ecce commotio, et accesserunt ossa ad ossa : unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper et spiritum non habebant. Et dixit ad me : Vaticinare ad spiritum : Vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum : hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. Et prophetavi sicut præceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus et vixerunt : steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. Et dixit ad me : Fili hominis, ossa hæc universa domus Israel est. Ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. Propterea vaticinare, et dices ad eos : hæc dicit Dominus Deus : Ecce aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel : et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, populus meus, et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis, et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis quia ego Dominus locutus sum, et feci, ait Dominus Deus.* LXX : *Et facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini, et posuit me in medio campi, et hic erat plenus ossium hominum, et circumduxit me super ea per gyrum in circuitu, et ecce multa nimis super faciem campi et arida vehementer, et dixit ad me : Fili hominis, si vivent ossa hæc ? Et dixi : Unde, Domine, Domine, tu nosti hæc. Et dixit ad me : Fili hominis, propheta super ossa ista et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini : hæc dicit Dominus Deus ossibus istis :* **432** *Ecce ego adducam super vos spiritum vitæ : et dabo super vos nervos, et inducam super vos carnes, et extendam super vos pellem, et dabo spiritum meum super vos, et vivetis : et cognoscetis quoniam ego sum Dominus. Et prophetavi sicut præcepit mihi : et facta est vox cum ego prophetarem, et ecce commotio, et accedebant ossa ad ossa ad juncturam suam. Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes oriebantur, et ascendebant super ea pelles desuper, et spiritus non erat in eis. Et dixit ad me : Propheta, fili hominis, propheta super spiritum, et dic spiritui : hæc dicit Dominus Deus : A quatuor spiritibus veni, spiritus, et insuffla super mortuos istos et vivant. Et prophetavi sicut præceperat mihi, et ingressus est in eos spiritus, et vixerunt, et steterunt in pedibus suis : congregatio multa vehementer nimis. Et locutus est Dominus ad me, dicens : Fili hominis, ossa hæc omnis domus Israel est. Ipsi dicunt : Arida facta sunt ossa nostra : periit spes nostra, desperavimus : propterea vaticinare, et dic ad eos : hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam memorias vestras, et reducam vos de sepulcris vestris, populus meus, et introducam vos in terram Israel, et cognoscetis quoniam ego sum Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, ut educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis, et ponam vos super terram vestram, et cognoscetis quia ego sum Dominus : locutus sum et faciam, dicit Dominus Deus.* Famosa est visio, et omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata : ob quam vel maxime causam utramque editionem ex integro posui; ne qua nobis ab Hebræis calumnia fieret, si saltem in verbis aliquid discreparent. Solent enim ridere de nobis, et attollere supercilium et inflatis buccis ructare scientiam Scripturarum, si non dicam sensuum discrepantiam (quæ si fuerit, jure reprehenditur), si verborum dissonantiam in nostris codicibus potuerint demonstrare. Qui ergo putant de resurrectione, quæ ab omnibus et Judæis, et

Christianis creditur, Dei esse sermonem, hæc solent dicere : Facta est super prophetam manus Domini, hoc est, Dominus, atque Salvator, per quem Pater cuncta operatus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est [a]. Et eduxit me, **433** inquit, in spiritu Domini, subauditur, manus Domini. Eduxit autem eum in spiritu : non in corpore, sed extra corpus, et posuit illum, sive dimisit in medio campi, qui plenus erat humanis ossibus : nec eum est passa requiescere, sed fecit ossa omnia circuire, quæ non erant operta humo, sed super campum jacentia : nec solum multa, sed multa nimis, et propter temporis vetustatem arida siccaque vehementer, et nihil in se humoris habentia. Cumque interrogasset eum sermo divinus, utrum æstimaret hæc ossa posse vivere? respondit : Domine Deus, tu nosti, qui plenam habes scientiam futurorum. Dixitque ad eum Dominus : Vaticinare de ossibus, sive super ossa hæc, et dices ad ea : Ossa arida, audite verbum Domini. In quo mirandum quomodo ad ossa arida sit locutus, quæ ante nervos, carnes, et cutem, et spiritum vivificantem, Dei possent audire sermonem. Primumque ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur : deinde implentur carnibus, et desuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quæ nudarum carnium operiat fœditatem ; et tunc accipiunt spiritum, qui vivere ea faciat, et postquam vixerint, tunc cognoscant, quod ipse sit Dominus. Dicente itaque propheta quod ei fuerat imperatum, statim est facta commotio, ossaque in suam sunt applicata compagem, astricta nervis, plena carnibus, pelle cooperta : jacebantque humana corpora spiritum non habentia. Idcirco propheta vaticinatur ad spiritum, et ait : Hæc dicit Dominus Deus : A quatuor ventis veni, spiritus : a quatuor videlicet mundi plagis, ut quomodo in prima conditione hominis, insufflavit Deus in faciem ejus, et factus est in animam viventem (*Genes.* II, 7) : sic et secunda conditio, id est, resurrectio mortuorum, insufflante spiritu, vivificetur : qui ingressus est humana **434** corpora, statimque vixerunt, steteruntque super pedes suos. Unde et resurrectio dicitur mortuorum, congregatio, sive Ecclesia multa (*Psal.* CIII, 30), et ut in Hebræo habetur, grandis exercitus ; eoque completur tempore : Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Quod autem sequitur : Et dixit ad me : Fili hominis, ossa hæc universa domus est Israel, videtur facere quæstionem, eo quod non de generali resurrectione, sed proprie de resurrectione dicatur domus Israel, quæ dicat : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus a terra nostra, sive omnino desperavimus : quibus ista dicentibus, tertio Ezechiel prophetare compellitur, et dicere ossibus aridis : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros. In quo quæritur : Si aperit tumulos, quomodo supra dixerit : Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et educam, inquit, vos de sepulcris vestris, populus meus, secundum illud, quod scriptum est in Evangelio : Venit hora ; quando qui in sepulcris sunt, audient vocem Filii Dei, et exibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ (*Joann.* v, 2). Et iterum : Qui audierint vivent (*Ibid.*). Et si, sicut (*Al.* ut) nonnulli arbitrantur, de generali resurrectione dicit sermo divinus, quid necesse fuit specialiter dici : Et indueam vos in terram Israel, cum in omni orbe terrarum resurgere debeant mortui ex his locis in quibus sepulti sunt? Cumque, ait, eduxero vos de tumulis vestris, et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis, tunc requiescere vos faciam super humum vestram ; ut postquam requieveritis in terra Israel, tunc cognoscatis, quod ipse sim Dominus, qui promissa mea opere compleverim. Qui ergo de generali resurrectione hæc dicta intelligunt, illud quod videtur facere quæstionem : Ossa hæc universa domus est Israel, ad sanctorum resurrectionem referunt, de qua **435** et Apostolus Joannes in Apocalypsi loquitur : Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, super eum secunda mors non habet potestatem (*Apoc.* XX, 6) : quod videlicet alia sanctorum, alia peccatorum sit resurrectio. Unde et in psalmo primo dicitur : Non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Terram autem Israel quam resurgentibus Dominus pollicetur, illam esse confirmant, de qua scriptum est : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. (*Matth.* V, 4). Et : Placebo Domino in regione vi-

[a] Constanter Hieronymus hunc Joannis locum sub hac legit interpunctione ac sensu, quoties eum laudat, laudat vero sæpius, tametsi lectorem hac de re antea non admonuimus. Vetus autem est quæstio jam ab ipso S. Patris ævo agitata, utrum verbis, *quod factum est*, subjungenda sint una serie, *in ipso vita erat* : an alius ex his sensus inchoandus. Hieronymus, ut vides, hanc alteram lectionem continuo prætulit, quam ex antiqua Vulgata interpretatione expressisse, non dubium est. Cum eo faciunt veteres alii Patres, et cum primis Græci ; dissentiunt vero alii, Latini pariter et Græci, quibus legi placet, *Quod factum est, in ipso vita erat.* Verum hanc lectionem Ariani ac Macedoniani in hæreticum sensum detorquebant, ut cum hæc verba, *Quod factum est in ipso vita erat*, a præcedentibus distincta, propriam sententiam redderent, de Verbo ac Spiritu sancto essent intelligenda, quas divinas personas, nefarie ex hoc textu iis quæ facta sunt, annumerabant. Orthodoxi una omnes, quod par erat, sese impie huic expositioni objecerunt, ea tamen, quam quisque antea usurpaverat, lectione retenta. Hoc unum Fideles monet Augustinus, ne cum Manichæis ita distinguerent, *quod factum est in ipso, vita erat*, sed cum Ecclesia legerent, *quod factum est, in ipso vita erat.* Cæterum quamcumque præferrent hæretici στίξιν, sive orationis distinctionem, falso eam ac temere suo sensui accommodare, ostendit S. Ambrosius lib. III *de Fide* : « Unde, inquiens, nec illud verendum, quod solent Ariani sæva interpretatione componere, dicentes factum esse Dei Verbum : quia scriptum est, inquiunt, quod factum est in ipso vita est, etc..... Deinde unde possunt docere, sic pronuntiasse evangelistam : plerique enim docti et Fideles sic pronuntiant : Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. »

ventium (*Ps.* CXIV, 9). Hæc loquuntur, qui de generali, ut diximus, resurrectione Ezechielem scripsisse autumant. Qui autem taliter interpretantur ista, non debent nobis facere invidiam, quod istum locum aliter exponentes, resurrectionem negare videamur. Scimus enim multo robustiora testimonia, et in quibus nulla sit dubitatio, in Scripturis sanctis reperiri, ut est illud Job : Suscitabit (*Al.* suscitabis) pellem meam, quæ ista sustinet (*Job.* XIX). Et in Daniel : Multi qui dormiunt in terræ pulvere, resurgent ; isti in vitam æternam, et isti in opprobrium, et in confusionem æternam (*Dan.* XII, 2). Et in Evangelio : Nolite timere eos, qui corpus interficiunt, animam autem non possunt occidere ; timete autem eum magis, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* X, 28). Et apostolus Paulus: Qui[a] vivificabit mortalia vestra corpora propter inhabitantem spiritum ejus in vobis (*Rom.* VIII, 11), et multa alia. Ex quo perspicuum est, non nos resurrectionem negare, sed hæc non scripta de resurrectione contendere, et per resurrectionis parabolam, de restitutione Israel prophetari qui eo tempore captivus erat in Babylone. Nec statim hæreticis occasionem dabimus, si hæc de resurrectione communi intelligi denegemus. Numquam enim[b] poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur : quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat. Totaque nostra illo tendit assertio, quod quomodo videtur incredulum, quod ossibus aridis, et multa vetustate confectis, futura resurrectio promittatur : et tamen futurum est quod promittitur ; sic et restitutio populi Israel, qui ductus est in captivitatem, **436** et in toto orbe dispersus, videtur quidem incredibilis his qui Dei non norunt potentiam, sed tamen futura est : quia ego, inquit, Dominus locutus sum, et faciam sicut pollicitus sum. Denique et in anteriori prophetia, in qua montibus Israel antiquus repromittitur status, dicit ad eos Dominus : Et convertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem, et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel (*Supra* XXXVI, 9, 10) : et rursum, quod domus Israel habitatura sit in terra sua, quæ quondam inculta, postea futura sit quasi hortus voluntatis, et civitates desertæ, et destitutæ muniantur ; et multiplicetur in eis domus Israel, sicut grex ovium, et cætera quæ sequuntur ad eumdem sensum pertinere, qui nunc sub tropologia et parabola dicitur aridorum ossium, et penitus nullum humorem vitæ habentium, impleto illo quod in Evangelio scriptum est : Quæ apud homines impossibilia videntur, apud Deum possibilia sunt (*Matth.* XIX, 26). Ejecti sunt autem de sepulcris suis, de sepulcris captivitatis, et vinculis quibus servitute Babylonia tenebantur astricti. Sed hæc omnia Judæi, vel sub Zorobabel, ut prius dixi, expleta confirmant, quando magna est facta commotio ; et regnum Chaldæorum in Medos, Persasque translatum : vel in præsentia Christi sui, quem putant esse venturum. Nos autem spiritaliter post crucem Domini Salvatoris completa memoramus ; et quotidie fieri in his vel maxime, qui instar Lazari peccatorum suorum fasciis colligati, ad vocem Domini suscitantur (*Joan.* XI) ; et vere sunt domus Israel, arens quondam, et nullam spem habens salutis : sed intrante in se spiritu gratiæ, et porrigente Domino manum, de profundo inferi liberentur : et qui prius dixerant : Domine Deus, tu nosti hæc, postea audiant liberati : Modicæ fidei, quare dubitastis (*Matth.* XIV, 31) ?

(Vers. 15, seq.) « Et factus est sermo Domini ad
« me, dicens : Et tu, fili hominis, sume tibi li-
« gnum unum, et scribe super illud Judæ, et filiorum
« Israel sociorum ejus, et tolle lignum alterum, et
« scribe super illud Joseph lignum Ephraim, et
« omnis domus Israel, sociorum ejus. Et adjunge illa
« unum ad alterum tibi in lignum unum ; **437**
« et erunt in unione in manu tua. Cum autem di-
« xerint ad te filii populi tui, loquentes : Nonne indi-
« cas nobis quid in his tibi velis ? Loqueris ad eos :
« hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assumam lignum
« Joseph, quod est in manu Ephraim ; et tribus
« Israel, quæ junctæ sunt ei : et dabo eas pariter
« cum ligno Juda, et faciam eas [*Vulg. addit* in] li-
« gnum unum, et erunt unum in manus ejus. Erunt
« autem ligna super quæ scripseris in manu tua in
« oculis eorum : et dices ad eos : Hæc dicit Domi-
« nus Deus : Ecce ego assumam filios Israel de me-
« dio nationum, ad quas abierunt : et congregabo
« eos undique, et adducam eos ad humum suam,
« et faciam eos gentem unam in terra in montibus
« Israel, et rex unus erit omnibus imperans. Et non
« erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in
« duo regna ; neque polluentur ultra in idolis suis,
« et in abominationibus [*Vulg. addit* suis], et in
« cunctis iniquitatibus suis, et salvos eos faciam de
« universis sedibus suis, in quibus peccaverunt, et
« mundabo eos, et erunt mihi populus [*Vulg.* in
« populum], et ego ero eis Deus [ Vulg. *in Deum* ].
« Et servus meus David rex super eos, et pastor
« unus erit omnium eorum : in judiciis meis ambu-
« labunt, et mandata mea custodient, et facient ea.
« Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo
« Jacob : in qua habitaverunt patres vestri, et ha-
« bitabunt super eam ipsi et filii eorum, et filii fi-
« liorum eorum usque in sempiternum : et David
« servus meus, princeps eorum in perpetuum. Et
« percutiam illis fœdus pacis : pactum sempiternum
« erit eis, et fundabo eos, et multiplicabo eos [*Vulg.*
« *tacet* eos], et dabo sanctificationem meam in medio
« eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum

[a] Supplet Victor. integrum testimonium hoc modo : Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit mortalia, etc., ex Florentinis codd.

[b] Confer Tertulliani lib. de Resurrectione Carnis, cap. 30, ubi hæc præcipue ratio Hieronymiana est gemina : Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui, necesse est esse prius sibi, quo alii configuretur, etc.

« in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. « Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator « Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eo- « rum in perpetuum. LXX : Et factus est sermo « Domini ad me, dicens : Et tu, fili hominis, assume « tibi virgam unam, et scribe super eam Judam, et « filios Israel qui appositi sunt ei, et virgam secun- « dam assumes tibi, et scribes super eam Joseph, « virgam Ephraim, et omnes filios Israel qui appo- « siti sunt ei, et conjunges eas invicem tibi in vir- « gam unam, ut copules eas, et erunt in manu tua. « Et erit quando dixerint tibi filii Israel loquentes : « Non indicas nobis quid sint ista tibi ? Et dices ad « eos : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assu- « mam [a] in tribum **438** Joseph per manum « Ephraim tribus Israel, quæ adjunctæ sunt ei, et B « dabo eos omnes super tribum Juda, et erunt in « virgam unam, et erunt una in manu Juda. Et erunt « virgæ quas inscripsisti sic in manu tua coram eis : « et dices eis, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego « assumam omnem domum Israel de medio gentium, « ad quas ingressi sunt : et congregabo eos ex om- « nibus qui in circuitu ejus sunt, et inducam eos in « terram Israel, et dabo eos in gentem unam in « terra mea in montibus Israel, et princeps unus « erit omnium istorum in regem. Et non erunt ul- « tra in duas gentes : nec dividentur ultra in duo « regna, ut non polluantur ultra in idolis suis et in « offendiculis suis, et in omnibus impietatibus suis. « Et eruam eos ex omnibus iniquitatibus eorum, in « quibus peccaverunt, et mundabo eos et erunt mihi « in populum, et ego ero eis in Deum. Et servus C « meus David princeps in medio eorum, et pastor « unus erit omnium istorum, quia in præceptis meis « ambulabunt, et judicia mea custodient, et facient « ea. Et habitabunt in terra sua quam dedi servo « meo Jacob, ubi habitaverunt patres eorum, et ha- « bitabunt in ea ipsi et filii eorum, et filii filiorum « eorum usque in sempiternum. Et David servus « meus, princeps eorum erit in perpetuum. Et dis- « ponam eis testamentum pacis, testamentum sem- « piternum erit cum eis : et dabo eos, et multipli- « cabo eos, et ponam sancta mea in medio eorum « in perpetuum, et erit tabernaculum meum in eis, « et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. Et « scient gentes quia ego sum Dominus qui sanctifico « eos, cum fuerint sancta mea in medio eorum in D « perpetuum. » Regum narrat historia (III *Reg.* XII), sub Roboam filio Salomonis duodecim tribus fuisse divisas, et duas, hoc est, Judam et Benjamin cum Levitis ac sacerdotibus secutas esse Roboam, qui regnavit in Jerusalem, et regnum ejus appellatum est Juda. Alias vero decem tribus quæ dixerunt : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Sai [ *Al.* Jesse ], Jeroboam filio Nabath de tribu Ephraim, qui fuit filius Joseph, submisisse cervices, et servisse ei : appellatasque ex magna parte populi antiquo nomine Israel ; et multo tempore regnum

A Juda et Israel adversum se habuisse certamina, propriisque paruisse regibus ( IV *Reg.* XXV ) : primasque decem tribus captas ab Assyriis, **439** et post aliquantum temporis eas quæ appellabantur Juda, a Chaldæis in Babylonem ductas esse captivas, et tribum Juda post annos septuaginta, antiquæ terræ redditam : decem autem tribus quæ vocabantur Israel, usque hodie in montibus, urbibusque Medorum servire captivas (IV *Reg.* XXV ). Præsens igitur prophetia hæc ex ore Domini pollicetur, quod utrumque sibi jungatur imperium, hoc est, regnum Judæ, et regnum Israel ; tollaturque virga Ephraim, qui de Joseph stirpe generatus est, cum reliquis tribubus, quæ ei sociatæ sunt, et jungatur virgæ Juda, ut nequaquam vocetur Juda, et Israel, sed uno nomine appellentur Juda : et sub figura prophetæ, qui præcedit in typo Domini Salvatoris, nequaquam duabus manibus, sed una Christi teneantur manu. Dicit enim se assumere filios Israel de medio nationum, ad quas captivi ducti sunt, et reducturum eos in terram et in montes Israel, de quibus supra legimus : et appellandam unam gentem, uniusque regis regendam imperio : ut ultra non polluantur in idolis, et abominationibus suis ; sed cum fuerint de captivitatis sedibus liberati, in quibus peccaverunt, omnibus vitiis esse mundandos, et futuros populum Dei, ita ut Dominus sit Deus eorum. Et servus, inquit, meus David rex super eos ( *Luc.* I ). De quo et Angelus loquitur in Evangelio, quod regnaturus sit super domum Jacob, et regni ejus non sit finis : tantæque erit clementiæ, ut non solum rex, sed et pastor appelletur, eo quod superbum nomen [*Al.* vocabulum] imperii, pastoris vocabulo mitiget. Qui postquam fuerint in gentem unam, et in terra Israel, ac montibus habitaverint, ambulaturi sint in omnibus judiciis Domini, et præcepta illius custodituri ; habitaturi autem non in alia terra, sed in ea quam dedit servo suo Jacob, in qua habitaverunt patres eorum, Abraham, Isaac, et Jacob, et reliqui sancti, et non solum ipsi habitaturi sint, sed et filii eorum ac nepotes juxta illud Virgilianum ( *Æneid.* lib. IV) :

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis :

habitentque non ad breve tempus, sed in perpetuum. Vultis autem, ait, scire quis sit iste rex et pastor ? Ipse est de quo supra dixi, servus meus David. Qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo ; sed se exinanivit, formam servi **440** accipiens, et factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis ( *Philip.* II, 6 *seq.*). Cumque sub tali rege fuerint, percutiam illis fœdus pacis : nequaquam ut in veteri Testamento certaminum atque bellorum, sed pactum pacis, quæ exsuperat omnem sensum, de qua Salvator loquitur ad Apostolos : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis ( *Joan.* XIV, 27). Et propheta dicit : Factus est in pace locus ejus ( *Ps.* LXXV, 2). Quos cum in Ecclesia fundaverit, et stabilierit, ita ut pos-

[a] Delet Victorius ad Græci textus fidem vocalem *in*, cui Vulg. quoque et Hebraic. suffragantur.

sint dicere : Statuit supra petram pedes meos (*Ps.* xxxix,3) : tunc multiplicabuntur vel credentium numero, vel multiplicatione virtutum. Et dabo, inquit, sanctificationem meam, sive sanctuarium in medio eorum in perpetuum, quod Judæi de templo interpretantur, quod sub Zorobabel exstructum est. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur, *in perpetuum* : cum templum illud quod a Zorobabel exstructum est et postea a multis instauratum, Romano igne succensum sit ? Quæ omnia referenda sunt ad Ecclesiam, et ad tempora Salvatoris, quando tabernaculum ejus positum est in Ecclesia : ubi factus est Deus noster, et nos populus ejus. Profectusque omnium est, ut sciant quod ipse sit Dominus, et ipse sanctificet Israel, non juxta carnem, sed juxta spiritum : quando sanctificatio ejus in medio credentium facta est in perpetuum. Quo autem Dominus abjecerit tribum Ephraim, et elegerit tribum Juda, et in Psalmis legimus, in quibus scriptum est : Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit; sed elegit tribum Juda (*Ps.* LXXVII,67,68),de qua scriptum est : Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX,10). Vere enim in adventu Domini Salvatoris, *duæ virgæ*, et ut in Hebraico positum est, *duo ligna* in unum juncta sunt sceptrum, et in baptismate Christi dudum separata sociantur : ut fiant in unum novum hominem, et in unam gentem, neque polluantur ultra in idolis et abominationibus; sed mundi lavacro, sint populus Dei, et imperet eis Christus, et habitent super terram mitium, terram viventium, quam dederat servo suo Jacob, qui populum Israel in matris utero supplantavit. Sin autem voluerimus juxta prophetiam Osee, **441** quæ pene omnis ad decem tribus dirigitur, id est, ad Joseph et Ephraim, et Samariam, et Israel, intelligere falsi nominis scientiam, et diversas turbas hæreticorum, hoc dicemus, quod in ultimo tempore quando subintraverit plenitudo gentium, et omnis Israel salvus fuerit (*Rom.* XI), tunc etiam adversarii populi, qui contra domum Judæ et confessionem Ecclesiæ pugnaverunt, tradant se ecclesiasticæ fidei, et universis erroribus derelictis, et principibus mundi istius qui destruuntur [*Al.* destruantur], et patriarchis suis, qui eos in blasphemiarum barathrum deduxerunt, consurgant, et relinquant idola sua, et abominationes suas, quas de suo corde confinxerant, et de cunctis sedibus suis, in quibus peccaverunt, transeant ad ecclesiasticam fidem, et mundentur, et sint populus Christi, et ipse sit Deus eorum : quæ plenius in Osee propheta dictasse me novi. Quod si Judæi et Christiani Judaizantes, hæc ad mille annorum voluerint referre regnum, necessitate coguntur, ut suscipiant omnes qui salvi fuerint habitaturos in terra Israel, ædificandam Jerusalem, exstruendum templum, cunctas Legis cæremonias exercendas, observandum sabbatum, accipiendam circumcisionis injuriam, manducandum et bibendum, et divitiarum abundantiam pro summa beatitudine et cunctis opibus æstimandam, cum Apostolus dicat : Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et illas destruet (I *Cor.* VI, 13). Quomodo autem in typo resurrectionis superior sermo propheticus resurrectionem Judaici populi demonstravit, non carnalem, sed spiritualem : sic et ista prophetia nequaquam ad carnis, sed ad animæ pertinet felicitatem, et ad Christi fidem, qua mundamur in baptismate, cujus regnum in perpetuum est, ut non exspectemus ventura quæ transacta sunt, et quotidie transigi novimus.

(Cap. XXXVIII.) « Et factus est sermo Domini ad « me, dicens : Fili hominis, pone faciem tuam con- « tra Gog, terram Magog, principem capitis (*sive* ros) « Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo. Et dices ad « eum : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad te Gog « principem capitis (*sive* ros) Mosoch, **442** et Thu- « bal, et circumagam te, et ponam frenum in maxil- « lis tuis, et educam (*sive* congregabo) te, et omnem « exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis « universos, multitudinem magnam, hastam et cly- « peum arripientium, et gladium (*sive* peltas et ga- « leas, et gladios) : Persæ, Æthiopes, et Libyes, cum « eis omnes scutati et galeati : Gomer, et universa « agmina ejus : domus Thogorma, latera Aquilonis « (*sive* ab extremis Aquilonis), et totum robur ejus, « populique [a] (*sive* gentes) multæ tecum. Præpara et « instrue te, et omnem multitudinem tuam quæ « coacervata est ad te, et esto eis in præce- « ptum (*sive* et eris mihi in custodiam). Post dies « multos visitaberis : in novissimo [*Al.* novissimis] « annorum venies ad terram quæ reversa (*sive* [b] per- « versa) est a gladio : et congregata est de populis « multis ad montem [*Al.* montes] (*sive* terram) « Israel, qui fuerunt deserti jugiter : hæc de popu- « lis educta est et habitabunt [*Al.* habitaverunt in « ea confidenter universi. Ascendens autem quas « tempestas venies, et quasi nubes, ut operias ter- « ram tu et omnia agmina tua, et populi (*sive* gen- « tes) multi tecum. Hæc dicit Dominus Deus : In « die illa ascendent sermones super cor tuum, et « cogitabis cogitationem pessimam, et dices : Ascendam ad terram (*sive* super terram) absque « muro (*sive* abjectam) : veniam ad quiescentes « habitantesque secure (*sive* in pace) : omnes [*Vulg.* « *addit* hi] habitant sine muro, vectes et portæ « non sunt eis : ut diripias spolia, et invadas præ- « dam : ut inferas manum tuam super eos qui « deserti fuerant, et postea restituti, et super po- « pulum qui est congregatus ex gentibus, qui pos- « sidere cœpit, et esse habitator umbilici terræ. Saba

[a] Vict., *populique multi, sive gentes*, etc., quod supplet. ex Vulg. et Hebr.

[b] Idem, *aversa* pro *perversa*, ex subnexa Hieronymi expositione, ubi : Ad quorum terram..... venit Gog expugnandam, quæ reversa est, sive averso a gladio. In Hebraic. quoque משובבת. Mox etiam *projectam* pro *abjectam* ex eadem expositione præfert.

« et Dedan, et negotiatores Tharsis (*sive* Carthaginen-
« ses et omnes leones villæ) ejus dicent tibi : Numquid
« ad sumenda spolia tu venis ? Ecce ad diripiendam
« prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas
« argentum et aurum, et auferas supellectilem atque
« substantiam, et diripias manubias infinitas. Pro-
« pterea vaticinare, fili hominis, et dices ad Gog : Hæc
« dicit Dominus Deus : Numquid non in die illo
« cum habitaverit populus meus Israel confidenter
« (*sive* in pace) scies (*sive* consurges) ? Et venies
« de loco tuo a lateribus (*sive* a novissimis) Aquilonis,
« tu et populi multi tecum, ascensores equorum uni-
« versi, **443** cœtus magnus, et exercitus vehe-
« mens. Et ascendens super populum meum Israel
« quasi nubes, ut operias terram. In novissimis
« diebus eris (*sive* erit) et adducam te super terram
« meam : ut sciant omnes [*Vulg. tacet* omnes] gen-
« tes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis
« eorum, o Gog. Hæc dicit Dominus Deus : Tu ergo
« ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in
« manu servorum meorum prophetarum Israel, qui
« prophetaverunt in diebus illis atque temporibus
« [*Vulg.* illorum temporum] (*sive* annis) : ut addu-
« cerem te super eos ? Et erit in die illa, in die ad-
« ventus Gog super terram Israel, ait Dominus
« Deus : ascendet indignatio mea in furore meo. Et
« in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum, quia
« in die illa erit commotio magna super terram Is-
« rael, et commovebuntur a facie mea pisces maris,
« et volucres cœli, et bestiæ agri (*sive* campi), et
« omne reptile quod movetur super humum : cun-
« ctique homines qui sunt super faciem terræ, et
« subvertentur (*sive* scindentur montes, et cadent
« [a] sepes (*sive* valles) : et omnis murus in terram
« corruet. Et convocabo adversum eum in cunctis
« montibus meis gladium (*sive* omnem formidinem
« gladii) : dicit Dominus Deus. Gladius uniuscujus-
« que (*sive* hominis) in fratrem suum dirigetur. Et
« judicabo eum peste (*sive* morte) et sanguine, et
« imbre vehementi et lapidibus immensis (*sive*
« grandinis). Ignem et sulphur pluam super eum, et
« per exercitum ejus (*sive* super omnes qui cum eo
« sunt), et super populos multos qui sunt cum eo.
« Et magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in
« conspectu [*Vulg.* oculis] gentium multarum, et
« scient quia ego sum Dominus. » Primum hi-
storiæ fundamenta jacienda sunt, sciendumque quod ad Ezechielem prophetam iste extremus sermo sit Domini. Neque enim post hunc simile quid possumus invenire, præter illud quod in vicesimo quinto anno scriptum est transmigrationis Jechoniæ : Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc, hoc est

A in terram Israel, quando ædificatio templi describitur, et cæremoniarum ejus ordo narratur. Deinde observandum est, quod ponitur, sive obfirmatur facies prophetæ contra Gog terram, sive terram Magog. Obfirmatione enim **444** et multa consideratione vultus opus est, ut quæ dicuntur, nosse possimus secundum illud Apostolicum : Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem reformamur, a gloria in gloriam quasi a Domini spiritu (1 *Cor.* III, 18) Igitur Judæi et nostri Judaizantes putant Gog gentes [b] esse Scythicas, immanes et innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, et Mæotidem paludem, et prope Caspium mare ad Indiam usque tendantur ; et has post mille annorum regnum esse diabolo commovendas, quæ B veniant in terram Israel, ut pugnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis. Primum, Mosoch, quos Josephus interpretatur Cappadocas, deinde Thubal, quos idem Iberos, vel Hispanos, Hebræi Italos suspicantur, habentes secum in exercitu Persas, Æthiopas, et Libyas : Gomer quoque et Thogorma, quos Galatas et Phrygas interpretantur : Sabæos quoque et Dedan, et Carthaginenses, sive Tharsis, et hoc est, quod Joannes quoque in sua ponit Apocalypsi : « Et cum finiti fuerint mille anni, solvetur
« Satanas de custodia sua, et egredietur ut seducat
« gentes in quatuor angulis terræ, Gog, et Magog,
« ut congreget eos ad bellum, quorum numerus est
« sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudi-
« nem terræ, et circumdederunt castra sanctorum,
C « et civitatem dilectam. Et descendit ignis a Deo de
« cœlo, et devoravit eos : et diabolus qui seducebat
« eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi
« erat bestia et pseudopropheta : et cruciabuntur
« diebus et noctibus in sæcula sæculorum (*Apoc.* x,
« 7 *seqq.*). » non intelligentes totum volumen Joannis, quod Revelationis titulo prænotatur, esse mysticum, et revelatione nos indigere, ut possimus cum propheta dicere : Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (*Ps.* CXVIII, 18). Alii vero terrenum sensum relinquentes, et judaicas atque aniles fabulas quæ noxiæ sunt (I *Tim.* IV), et acquiescentes sibi, detrahunt in profundum, nimium ad alta conscendunt, et multo pejores fingunt, ut in cœlesti Jerusalem, diaboli et omnis D exercitus ejus bella describant, et sub τοπολογίαις [*Al.* etymologiis] gentium singularum interpretantur spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Quæ nos **445** omnia lectoris arbitrio concedentes, non tam aliena damnare, quam ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur. A Gog [c] Græco sermone δόμα, Latino *tectum* dicitur. Porro Magog interpretatur, *de*

[a] Ex mss. ex Rabano *sepes* substituimus ; pro quo antea, tametsi eodem sensu, erat *maceriæ*.

[b] Sanctus quoque Augustinus l. XX de Civit. Dei c. 11 : « Gentes, inquit, istæ, quas appellat Gog, et Magog, non sic sunt accipiendæ, tamquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Getas, et Massagetas, propter litteras horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas, et a Romano jure sejunctos. » Recole Præfationem hujusmet libri, et Quæstiones Hebraicas in Genesim.

[c] Idem laudato libro de Civitate Dei : *Horum*, ait, *interpretationem nominum esse comperimus, Gog* tectum ; *Magog* de tecto, *tamquam domus, et ipse qui procedit de domo*.

*tecto*. Omnis igitur superbia et falsi nominis scientia, quæ erigit se contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur. Ista sunt tecta, de quibus et Isaias loquitur in visione contra vallem Sion : Quid tibi factum est nunc, quoniam ascendistis omnes in tecta vana (*Isa.* XXII, 1) ? Tectumque interpretabimur hæreticorum principes : et de tecto eos, qui illorum suscepere doctrinas. Et pulchre post multas et mysticas in hoc volumine prophetias, extremum vaticinium est contra Gog et Magog. Si enim tempus judicii est, juxta Petrum, ut incipiat a domo Dei, et juxta hunc eumdem Ezechielem, qui ait : Et a sanctis meis incipite (*Supra* IX, 6), et novissimus inimicus destruetur mors (I *Petr.* IV) : in Isaia quoque primus sermo fit contra Judæam, in qua confessio Domini est, et extremus contra quadrupedes, quæ in deserto sunt (*Isa.* II) : recte et hic novissimus sermo fit contra Gog et Magog, qui oppugnant civitatem Dei, quam fluminis impetus lætificat (*Psal.* XLV). Et quæ in Isaia dicit : Ego civitas [a] prima, quæ oppugnatur (*Isa.* XXVII, 10). Et de qua in Evangelio scriptum est : Non potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* V, 14). Et plenius in psalmo : Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI, 3). Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (*Psal.* CXXIV, 1). Porro quod in exercitu Gog, sive Magog, qui juxta Septuaginta, Symmachum, et Theodotionem, princeps est Ros, Mosoch, et Thubal : primam gentem *Ros*, Aquila interpretatur *caput*, quem et nos secuti sumus, ut sit sensus : Principem capitis Mosoch, et Thubal. Et revera, nec in Genesi, nec in alio Scripturæ loco, nec in Josepho quidem, qui omnia Hebraicarum [b] gentium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hanc gentem potuimus invenire. Ex quo manifestum est, *Ros* non *gentem* significare, sed *caput*. Illud quoque breviter annotandum, **446** quod in Ezechiel Gog, princeps terræ Magog esse dicatur. Apocalypsis vero et Gog et Magog nationes esse commemoret (*Apoc.* X), quæ egrediuntur de quatuor angulis terræ. Et quomodo a Jacob qui postea appellatus est Israel, omnis populus Hebræorum Israel sortitus est nomen (*Genes.* XXXII), et ab Aram Syria, a Mesraim Ægyptus, quorum in Genesi scripta sunt nomina (*Ibid.*, X) : sic et a principe Gog omnes qui ei subditi sunt, Magog appellantur. *Mosoch* autem interpretatur, *amentia* : et *Thubal*, *tota* vel *omnia*. Princeps igitur et caput superbientis amentiæ, et omnium malorum, juxta illud quod scriptum est : Mundus in maligno positus est (I *Joan.* V, 19), Gog et Magog appellantur. Quæ gentes inimicæ adversariæque sanctorum, egrediuntur ab angulis terræ, rectam lineam relinquentes, et dispositionem castrorum Dei ; quæ narratur in Numeris, et illud testimonium nescientes : Multi de Oriente, et Occidente, et Septentrione, et Meridie venient, et discumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno Dei (*Matth.* VIII, 11). Et in alio [c] loco : Dicam Aquiloni, affer ; et Africo, noli prohibere. Adduc filios meos de terra longinqua, et filias meas ab extremo terræ, omnes qui vocati sunt nomine meo (*Isa.* XLIII, 6). Sed non tales anguli terræ, de quibus egrediuntur Gog et Magog : juxta quos angulos stat meretrix in Proverbiis (*Prov.* XXIII), quæ præteruntes stultos juvenes per plateas, per latam videlicet et spatiosam viam quæ ducit ad mortem, decipere festinat. Scribæ quoque et Pharisæi orant in angulis platearum, ut ab hominibus videantur, qui receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). Quæ est igitur contra Gog comminatio ? Circumagam te sive convertam, et ponam frenum in maxillis tuis. Primum, a sententia tua fluctuare te faciam atque converti. Et ponam frenum in maxillis tuis, de quo scriptum est : In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te (*Ps.* XXXI, 9) ; ut indomitus equus atque lasciviens et corruens per præcipitia, freno Domini subjugetur : ad quem propheta dicit : **447** Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus (*Abac.* III, 8). Et ad Job per nubem et turbinem dicitur : Tu circumdedisti equo fortitudinem (*Job.* XXXIX, 19) ? Tales erant equi et equites ; quorum multitudinem Joannes vidit in cœlo (*Apoc.* VI). Dicit ergo ad Gog : Educam, sive congregabo te, et omnem exercitum, vel fortitudinem tuam. Qui educitur, et de dispersione congregatur, retrahitur ad salutem, juxta illud quod in lege promittitur : Si fuerit dispersio tua a summitate cœli usque ad summitatem ejus, inde congregabo te (*Deut.* XXX, 3). Equos quoque [d] ejus et equites vestitos loricis, qui imitantur armaturam Apostoli, et loricas justitiæ habere se jactant (*Ephes.* VI) : multitudo nimia est, omnesque arripiunt contra Ecclesiam clypeum et gladium, et sunt gentes sævissimæ et inimicæ Israel, Persæ, Æthiopes, et Libyes : quorum adversum populum Dei in Scripturis sanctis bella narrantur. Gomer quoque et domus Thogorma, qui veniunt de lateribus Aquilonis, qui est ventus frigidissimus, et nomine Dexter vocatur, totumque robur Magog, et omnes qui subjecti sunt ei populi, venient cum illo ad prælium. Cui dicitur per ironiam : præpara te, instrue, et omnem multitudinem tuam quæ tuis paret imperiis coacerva ad te ; et scito quod post dies multos visitaberis, juxta

[a] Restituit Victorius *firma* ex Græco ὀχυρά quod est *munita*.

[b] Mallet Bochartus *Hebraica*. Cui nec satis firmum Hieronymi argumentum videtur ad negandum Regionis, aut populi *Rhos* nomen esse. Multa enim alia sunt in Ezechiele locorum nomina, quæ alibi nusquam invenias : *Chebar*, *Gammadim*, *Chelmad*, *Chub*, *Cheton*, *Sibraim*, atque his similia. Quin proprie *Rhos* putat Araxen fluvium esse ; pro gentis autem nomine præter LXX ἄρχοντα Ῥῶς, Symmachus, Theodotion, et Proculus episcopus apud Socratem, hist. l. VII, c. 43, accipiunt.

[c] Vocem *loco*, quæ deerat, ex mss. post Victorium suffecimus.

[d] Victorius expuncta hic voce *ejus*, quæ in Bibliis non habetur, mox supplet *quorum*, id est, *quorum multitudo*, etc.

illud quod scriptum est : Visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum (*Ps.* LXXXVIII, 33). In novissimo, inquit, annorum venies. Unde et Joannes loquitur : Filioli mei, novissima hora est (I *Joan.* II, 18). Et populus gentium hora undecima ad operandam conducitur vineam (*Matth.* XX), ad quorum terram, id est, terram mitium, terramque sanctorum, quæ affert centenos, et sexagenos, et tricenos fructus, venit Gog expugnandam, quæ reversa est, sive aversa a gladio. Scit enim scriptum : Dissipa, Domine, gentes quæ bella volunt (*Ps.* LXVII, 32). Et in pace consistit, et congregata est de populis et gentibus multis ; ut nationum errore contempto, veniret ad montes Israel, patriarchas videlicet et prophetas, qui fuerunt quondam deserti jugiter sine lege et præceptis Dei : cui postea dicitur : Plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV, 1). Ista sunt deserta et inaquosa, in quibus diabolus locum **448** invenire non poterat, quia vocati fuerant ad salutem, et postea assumptis aliis septem dæmonibus nequioribus se, reversus est in domum suam (*Matth.* XI), ad gentem videlicet Israel. Hæc, inquit, de populis educta est, subauditur terra ; sive hic de gentibus eductus est, ut intelligatur credentium populus qui habitavit in pace, et confidit in Domino. Ascendens autem Gog cum omni exercitu suo, quasi tempestas veniet, et quasi nubes, ut operiat terram credentium. Quis enim hæreticorum, quorum princeps diabolus est, non quasi tempestas venit contra Ecclesiam, et nube verborum suorum, simplices quosque credentium opprimere et operire festinat? Unde dicitur ad eum : Quantum in te est, cuncta operies tu et omnia agmina tua, et populi multi tecum. Pulchreque ascendens Gog non habet pluviam voluntariam, non imbrem temporaneum et serotinum, qui arentia arva lætificet, sed tempestatem et caliginem, ut cuncta tenebris et errore confundat. Propterea hæc ei loquitur Dominus Deus : In illo tempore, hoc est, in diebus novissimis, ascendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam, Scriptura dicente : Si spiritus potestatem habentis ascendere voluerit super te, locum tuum ne derelinquas (*Eccle.* X, 4). E contrario autem in sancti cor ascendit Deus, de quo scriptum est : Ascensiones in corde suo disposuit (*Ps.* LXXXIII, 6). Dicitque Gog : Ascendam ad terram absque muro, sive projectam, hoc est, quæ Dei auxilio destituta est, nec dialecticorum argumentatione munita ; veniam ad quiescentes, habitantesque secure, sive in pace. Rex enim noster pacificus est, et in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). Omnes, inquit, habitant sine muro, vectes et portæ non sunt eis. Hoc diabolus princeps hæreticorum loquitur, quod nulla habeat munimenta Ecclesia ; nec sapientiam sæcularem, quæ apud Deum stultitia est, ut diripiat spolia, et invadat prædam Ecclesiæ, et inferat manum suam super eos qui deserti fuerant, quando Dei notitiam non habebant : et postea restituti per Christum, veniant ad Patrem, cui loquitur in Evangelio : Pater, revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII, 6). **449** Et ut sciamus populum qui desertus fuerat, et postea restitutus, significare populum Christianum, sequitur : Et super populum qui est congregatus ex gentibus (*Ps.* LXXIII, 12). Qui populus possidere cœpit hæreditatem Christi, et esse habitator umbilici terræ, de qua scriptum est : Operatus est salutem in medio terræ. Veritas enim de terra orta est (*Ibid.* LXXXIV, 1) ; quæ dicit in Evangelio : Ego sum via et vita, et veritas (*Jean.* XIV, 6). Hæc illo cogitante, atque dicente, et possessionem Ecclesiæ rapere festinante, gentes quæ ab errore pristino conversæ fuerant ad salutem, Saba et Dedan, et negotiatores Tharsis, Carthaginis, sive maris qui inter sæculi hujus fluctus bonis operibus quærunt mercimonia, et omnes villæ earum, sive leones, aut catuli leonum ut in Hebraico continetur, loquentur ei quæ sequuntur. Ut autem pro catulis leonum, qui Hebraice dicuntur CAPHIR (כפיר), Septuaginta et Theodotio ponerent villas, error perspicuus est. Si enim per *chi* litteram scribas, appellatur catulus leonis : sin autem per *ce*, quæ Hebraice dicitur COPH, ager appellatur et villa. Unde et Capharnaum, ager pulcherrimus dicitur. Dicent ergo Saba et Dedan, et negotiatores Tharsis, et omnes sancti, qui leonum

[a] Hunc locum Erasmus hac conjectura sequenti mutandum voluit : Forsitan, inquit, legendum est : *Si enim* כפיר *per* כ *litteram in prima et* י *in ultima syllaba scribas, appellatur catulus leonis. Sin autem sine* י, כפר, *ager appellatur et villa.* Quam notam marginalem Erasmi in ipsum Hieronymi contextum Marianus perperam derivare ausus est, ut sic lector simplex illusus putet, Hieronymum scripsisse quod post eum tanta sæculorum intercapedine Erasmus, vel quis alius pro eo, excogitavit. Error itaque horum editorum perspicuus est, qui non intellexerunt nomen *Chaphir*, scriptum per *chi*, significare *catulum leonis* ; scriptum autem per *c*, *caphir*, vel *capher*, significare *agrum*, aut *villam*, ut *Capharnaum* scriptum per K Græcum ; quod Græcum K, et C Latinum æquivalent *coph* litteræ Hebræorum. MART. — Sciunt vero, Hebraice periti, per eamdem litteram כ *chaph*, sive *ce* Latinum, nomen utrumque incipere, nec aliud esse inter ea discrimen, nisi *iod*, quæ in *Chaphir*, *id est leonculo*, sonat, non est autem in *Chaphar*, id est *villa*. Atque hæc quidem diversitas, quæ una est, causanda videbatur : unde Erasmus ad libri marginem, quemadmodum esset emendandus locus, ascripsit : *Si enim* כפיר *per* כ *litteram in prima, et in ultima syllaba scribas, appellatur catulus leonis. Sin autem sine* י, כפר, *ager appellatur et villa.* Quam lectionem nedum calculo suo Victorius probavit, sed et textui inseruit, rejecta vetere impressa. Verum obstat codicum mss. fides, quorum ingens copia ad hunc locum est in consilium adhibita, mirusque omnium repertus in hac lectione consensus : quam proinde Martianeus jure censuit retinendam. Nec inficiar, vocem illam per *coph* numquam scribi, nihilque fere esse in Hebraica lingua. Hoc opinor sibi voluisse Hieronymum, non litterarum diversitatem, sed soni, sive pronuntiationis annotare, quæ tum temporis esse aliqua potuit, ut alterum nomen, tametsi per idem כ scriptum, efferretur per K, vel *ce* Latinum, ut hoc ipsum est Καπερναούν, alterum per X, sive *chi*, ut est Χερουβίμ, Χαναάν atque his similia.

catuli nuncupantur, vel certe villæ habitationesque credentium : O Gog, numquid idcirco venis ut spolia rapias Ecclesiæ, et ideo multitudinem congregasti, ut Christi possessio tua fiat hæreditas? Aut putas te argentum et aurum, quod in eloquio sensuque intelligitur, Ecclesiæ possessurum, ut auferas supellectilem omnemque substantiam, et diripias manubias infinitas, Christi victoriis congregatas? Propterea, o Propheta Ezechiel, qui in typo Christi appellaris filius hominis, loquere ad Gog, et dic ei : Hæc dicit Dominus Deus, quando totius mundi errore sublato, populus meus Israel qui mente cernit Deum, habitaverit **450** in Ecclesia confidenter, sive in pace : tunc scies, sive consurges, et venies de loco tuo. Qui sit autem locus hæreticæ pravitatis, sequens sermo demonstrat : A lateribus Aquilonis, qui omnem calorem credentium refrigerare conatur. Venientque cum eo populi multi, omnes ascensores equorum, de quibus scriptum est : Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv, 1) : cœtus magnus et exercitus vehemens, cum quibus ascendens, ait, super populum meum Israel quasi nubes et caligo, ut operias terram meam, de qua supra dictum est : In novissimis diebus eris, quando Evangelica prædicatio : et adducam te super terram meam. Oportet enim hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant (I *Cor.* xi, 19), et Dei voluntate [a] ἀγωνιστὴς diabolus et omnia perversitatis dogmata derelicta sunt : ut sciant omnes gentes, et intelligant me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog, hoc est, cum pœnis tuis me intellexerint judicem. Et facit apostropham adipsum Gog; Nonne tu ille es de quo locutus sum in diebus antiquis, in manibus servorum meorum prophetarum Israel? Moysi videlicet, qui ait in Numerorum libro, dumtaxat juxta LXX : Egredietur homo de semine ejus, et dominabitur gentium plurimarum, et elevabitur Gog regnum ejus, et crescet regnum illius (*Num.* xxiv, 7). Cæterum juxta Hebraicum ita scriptum reperi : Tolletur [b] propterea Agag [*Vulg.* Gog] rex ejus, et auferetur regnum illius : eo quod regnum Israel in Saule propter Agag regem Amalech destructum sit. Et in alio loco : Mundabit terram populi sui (*Joel.* iii). Joel quoque in valle Josaphat, hoc est, judicii Dei, describit populos congregandos. Et Isaias omnesque prophetæ, in quorum manibus, et bonis operibus sermo fit Domini. Cum igitur veneris super terram Israel, ascendet indignatio mea in furore meo contra te, et in zelo meo pro populo **451** meo. In igne iræ meæ locutus sum, qui omnia vitiorum tuorum ligna consumat. Illo, inquit, tempore erit magna commotio super terram Israel. Immittente enim diabolo, crebra contra Ecclesiam persecutio fiet : quæ quando sopita fuerit, et Dei victa præsidio, tunc commovebuntur a facie ejus pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ agri, et omne reptile, quod movetur super terram, cunctique homines qui sunt super faciem terræ. Quod manifeste de habitatoribus Ecclesiæ demonstratur : quorum alii, ut pisces maris; alii, ut volucres cœli; alii, ut bestiæ agri, et omnia reptilia, quæ moventur super terram; alii, ut retinentes hominis dignitatem, habitant super faciem terræ. Quod autem morum diversitas, variis signetur nominibus, et Apostolus scribit ad Corinthios, qui alia corpora post resurrectionem dicit esse cœlestia, alia terrena (I *Cor.* xv); et aliud corpus piscis, aliud volucris, aliud bestiarum, aliud reptilium, et aliud hominum, qui nomen pristinum servaverunt. In actibus quoque apostolorum linteum illud, quod quatuor principiis tertio Petro apostolo demonstratur (*Act.* x), varietatem credentium significat, quæ in Arca quoque diluvii continetur. Tunc autem a facie Domini, et a conspectu majestatis ejus subvertentur montes, qui se elevabant contra scientiam Dei : et cadent sepes sive valles, quæ vel humilitate sensus ad ima demersæ sunt; vel certe munitiones, quæ aliquid pollicentur, ut imitentur Ecclesiam Dei, de cujus sepibus dicitur : Qui destruit sepem, mordebit eum coluber (*Eccli.* x, 8). Et omnes muri in terram corruent. Cum enim Ecclesiastici sermonis apparuerit fortitudo, omnia hæreticorum corruent munimenta. Et vocabo, inquit, eum adversum illum, hoc est, hæreticorum principem Gog, in cunctis montibus ejus gladium, ut principes exercitus ejus gladio Domini conficiantur. Tunc hæresis dimicabit adversum hæresim, quarum inter se compugnatio, nostra victoria est. Et judicabo, inquit, eum morte, vel peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis, sive grandinis [*Al.* grandinibus]. Judicatur autem **452** Gog morte sua, et sanguine quem effudit, et imbre vehementi, sermonibus eruditi et perfecti viri, et lapidibus immensis, qui eum obruant testimoniis Scripturarum, sive grandinis, qui calorem illius faciant refrigescere : Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum (*Osee* vii, 4). Ignem, inquit, et sulphur pluam super eum : per quæ demonstratur pœna judicii sempiterni. Et non solum super eum, qui auctor perversitatis fuit, sed et super omnem exercitum et multitudinem ejus, et super populos multos, qui sunt cum eo. Plures enim habent hæretici socios, immo diabolus princeps eorum infinita multitudine circumdatur. Omnique errore sublato, et punitis atque destructis hæreticorum principibus, magnificatur Dominus, et sanctificatur in credentibus, et notus fit in oculis gentium multarum, quæ illius fidei crediderunt : et tam ex beatitudine sui, quam ex adversariorum pœnis scient, atque cognoscent, quod ipse sit Dominus. Hæc ut potuimus interpretati sumus, obedientes illi præcepto : Neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabis, sed via regia ingredieris (*Deut.* xxviii, 14). Si quis autem nostra reprehendit : aut meliora proferat, quæ sequamur, aut si nihil voluerit dicere, perfectam Deo scientiam derelinquat;

[a] In Vatic. ἀναγωνιστὴς : fortasse autem ἀνταγωνιστὴς est rescribendum.

[b] Rectius fere Victor., ex Vulgata Versione, *propter*, pro *propterea*, legit.

dum tamen sciat nequaquam in nobis vires, sed animum judicandum.

(CAP. XXXIX.— Vers. 1 seq.) « Tu autem, fili « hominis, vaticinare adversum Gog, et dices : « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego super te Gog « principem capitis (sive Ros), Mosoch et Thu- « bal ; et circumagam (sive congregabo) te ; et [a] re- « ducam (sive deducam) te ; et ascendere [*Vulg.* « *addit* te] faciam de lateribus (sive de novissimis) « Aquilonis ; et adducam te super montes Israel. Et « percutiam (sive perdam) arcum tuum in manu « (sive de manu) sinistra tua, et sagittas tuas de « manu dextera [b] tua ; et dejiciam te super montes « Israel, et cades tu et omnia agmina tua, et populi « (sive gentes) quæ tecum sunt. Feris, avibus, om- « nique volatili, et bestiis terræ dedi te devoran- « dum. Super faciem agri (sive campi) cades : quia « ego locutus sum, dicit Dominus Deus. Et emit- « tam ignem in Magog, et in his qui habitant « in insulis confidenter (sive et habitabuntur **453** « insulæ in pace) : et scient quia ego Dominus. « Et nomen sanctum meum notum faciam in medio « populi mei Israel, et non polluam (sive non pol- « luetur) nomen sanctum meum amplius ; et scient « gentes quoniam ego sum Dominus sanctus Israel. « Ecce venit, et factum est (sive et scies quoniam « erit), dicit Dominus [*Vulg.* *addit* Deus] : hæc est « dies de qua locutus sum. Et egredientur habitato- « res urbium [*Vulg.* de civitatibus] Israel, et suc- « cendent et comburent arma, clypeum et hastas « (sive peltas et contos), arcum et sagittas, baculos « manuum [*Vulg.* manus] : et contos (sive lanceas) : « et succendent ea igni septem annis. Et non por- « tabunt (sive non assument) ligna de regionibus « (sive de campis), neque succident de saltibus : quo- « niam arma succendent igni, et deprædabuntur « eos quibus prædæ fuerant ; et diripient vastatores « suos, ait Dominus Deus. Et erit in die illa, dabo « Gog locum nominatum sepulcrum in Israel ; val- « lem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupe- « scere facit [*Vulg.* faciet] prætereuntes (sive πολυάν- « δριον eorum qui venerint ad mare, et ædificabunt « per circuitum os vallis ; et sepelient ibi Gog et « omnem multitudinem ejus ; et vocabitur vallis « (sive GE הֲמוֹן) multitudinis Gog. Et sepelient eos « domus Israel, ut mundent terram (sive ut munde- « tur terra) septem mensibus. Sepeliet autem eos « [*Vulg.* *tacet* eos] omnis populus terræ, et erit eis « nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Domi- « nus Deus. Et viros jugiter constituent, lustrantes « (sive circumeuntes) terram, qui sepeliant, et re- « quirant eos, qui remanserint [*Vulg.* remanserant] « super faciem terræ, ut emundent eam : post men- « ses autem septem quærere incipient. Et circui- « bunt peragrantes terram : cumque viderint os ho- « minis, statuent juxta illud titulum, donec sepe- « liant illud pollinctores in valle (sive GE הֲמוֹן) mul- « titudinis Gog. Nomen autem civitatis Amona (sive « Polyandrion) : et mundabunt terram (sive munda- « bitur terra). » Et hæc Judaicæ traditionis hæredes, et discipuli interminabilium fabularum, post mille annorum regnum futura contendunt : interficiendumque Gog principem Ros, Mosoch, et Thubal in finibus Israel ; et ab omnibus volatilibus, et bestiis devorandum : et habitatores urbium Israel septem annis lignorum usum nequaquam habituros de succisione silvarum, sed de armis Gog, scutis videlicet et hastis, sagittisque et baculis sive contis : ipsum autem Gog sepeliendum in valle, quæ Hebraice dicitur GE(הֲמוֹן), et nomen sepulcri illius appellandum **454** *polyandrion* ; ubi scilicet multitudo hominum sit sepulta. Septem autem mensibus eum sepeliendum a domo Israel, ut terra mundetur : et inclytam futuram diem, quando interfectus sit Gog, constituendosque qui ossa diligenter inquirant et sepeliant, quo scilicet nihil in terra remaneat insepultum. Post menses autem, sive in mensibus septem peragrandam terram ; et sicubi os hominis jacere perspexerint, titulo prope posito demonstrandum, ut postea sepeliant illud, qui huic operi præpositi sunt : nomen autem civitatis appellari *Amona*, quæ Græce dicitur πολυάνδριον, hoc est, *multitudo hominum sepultorum* ; et sic terram esse mundam. Hoc illi dixerint. Nos autem cœptæ explanationis sensum tenentes, singula quæ proposuimus, disseramus. Habet Gog et ipse trinitatem suam : *Ros*, *Mosoch*, et *Thubal* ; *caput*, videlicet, et *insaniam*, et *universa* ; ut nullum sit vitium, quod non in Gog possessione consistat. Iste educetur, sive circumagetur, et palpabitur, sive lactabitur : ut sperans victoriam, occidendus ducatur ad prælium. Et ascendet de lateribus, sive de novissimis Aquilonis, ex quo exardescunt mala super omnem terram (*Jerem.* I). Et ab eo ipso adducetur super montes Israel : quos apostolos et apostolicos viros, atque ecclesiasticos intelligere debemus, ut postquam adductus fuerit ad montes Israel, tunc percutiatur arcus, qui est in manu sinistra ejus, et sagittæ, quæ manu tenentur dextera. Et ipse enim imitatur ad interficiendos eos quos deceperit, habere arma a sinistris et dextris, per bonam et malam famam. Istæ sagittæ sunt, et hæc jacula, de quibus et Psalmista loquitur : Ecce enim peccatores intenderunt arcum : paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Ps.* x, 2). Quæ ignita diaboli jacula scuto fidei restinguenda sunt (*Ephes.* VI). Dejicietur autem, sive cadet Gog, qui ascenderat super montes Israel, in ipsis montibus cum omni exercitu suo cunctisque agminibus ; et erit in escam feris, avibus, omnibusque volatilibus

[a] Penes Rabanum *educam* : Victorius *seducam*, ad Vulgatæ exemplum prætulit.

[b] Iterum Victor. ad Vulgatam refixit, *de manu dextra tua dejiciam. Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui* (sive *gentes*) *qui tecum sunt*. Et paulo post, *immittam* pro *emittam*. Suffragatur vero et subnexa S. doctoris expositio.

et bestiis terræ: adversariis videlicet potestatibus, quæ juxta viam comedere sementem, et sanguinariis bestiis. Quomodo enim scriptum est de dracone : Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Ps.* LXXIII, 14); sic decepti quique ab hæreticis, dæmonum cibi sunt. Cadet autem Gog, vel in campi latitudine, **455** vel in agro, qui cultus est a Dei agricolis. Neque enim fieri potest, ut Domini verba sint irrita. Tunc mittetur ignis in Magog, in eos videlicet qui Gog suscepere doctrinam, et in eos qui ad similitudinem insularum sæculi fluctibus verberantur, et putant se debere esse securos : ille ignis de quo Dominus loquitur : Ignem veni mittere super terram ; et quam [*Al.* quem] volo ut ardeat (*Luc.* XII, 49) ; ut sciant omnes et intelligant quod ego sim Dominus, et nomen sanctum meum notum fiat in medio populi mei, qui nequaquam Gog auctoritate seductus est : neque ultra per occasionem falsi nominis scientiæ polluatur nomen meum in hæreticis ; et sciant gentes, quæ in circuitu sunt, quod ego sim Dominus. Quod autem sequitur : Ecce venit, et factum est, de judicio Christi dicitur : Qui veniens veniet, et non tardabit (*Abac.* II, 3). Et ipsa est dies pœnarum atque vindictæ, de qua per omnes prophetas locutus est Dominus. Et egredientur habitatores urbium Israel, credentium populi : urbes autem Israel intelligimus Ecclesias rectæ fidei. Et succendent, et comburent arma, de quibus et in alio loco scriptum est : Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni (*Ps.* XLIII, 10), clypeos et hastas, arcum et sagittas, baculos manus, in quibus perversum Pascha celebrabant : lanceas, sive contos, quibus lata et insanabilia inferebant vulnera doctrinarum : clypeosque, arcus et sagittas, de quibus supra dictum est. Quodque sequitur : Et succendent ea igni septem annis, de Exodo et Levitico exponendum est (*Exod.* XXI ; *Levit.* XXV), in quibus Lege præcipitur, ut septimo anno remissionis, quando servis Hebræis libertas redditur, et debita cuncta solvuntur, et ad dominos redit antiqua possessio, et quies terræ tribuitur, et omnes fruges pauperibus condonantur, quo scilicet in septem annis numero sacrato atque perfecto hæreticorum armatura dispereat, et ecclesiastici viri nequaquam ligna succidant de campis et regionibus, silvisque et saltibus gentium, quos magis salvare cupiunt quam perdere ; sed de hæreticorum, quos vicerint, clypeis, hastis, sagittis, baculis, contisque et lanceis. Habent enim et ipsi ad impugnandam Ecclesiam Christi tela diversa, quæ ab eruditis hominibus igne sancti Spiritus succendenda sunt ; sermone **456** videlicet ecclesiastico, quem qui habuerit, poterit dicere : Nonne cor nostrum erat ardens in via, cum aperiret nobis Jesus Scripturas (*Luc.* XXIV, 12) ? Nec possumus plenam habere pacem, et habitationis confidentiam, nisi cunctam adversariorum supellectilem deprædemur : ut pereant omnia, et in cinerem concrementur ; et deprædemur eos qui nos fuerant ante prædati, et vastemus illos qui vastaverunt prius Ecclesiam. In die illa, in claro prædicationis lumine : *Dabo*, inquit, *Gog locum nominatum sepulcrum in Israel ;* juxta Hebraicum, *vallem viatorum ad Orientem maris*, quæ obstupescere facit prætereuntes. Cujus sermonis hic sensus est : Sepulcrum Gog non erit in montibus, sed in depressis vallibus, et in confragosis locis, quæ Hebraice appellantur GE (גּא), quæ hæretici, cum in Occidente sint, Orientis loca esse confingunt ; ut decipiant viatores, eos videlicet qui sæculum istud pertranseunt, et non sunt habitatores, sed peregrini, dicentes illud propheticum : Advena sum ego, et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Ps.* XXXVIII, 12). Quis enim prætereuntium, de quibus scriptum est : Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos (*Ps.* CXXVIII, 8), non admiratur et obstupescit cum vallem viderit viatorum, quæ viatoribus vallis, habitatoribus mons videtur? Hoc juxta Hebraicum. Cæterum Septuaginta transtulerunt, *polyandrion eorum qui venerint ad mare ; et ædificabunt in circuitu introitum vallis.* Labor enim est eorum qui egrediuntur de urbibus Israel, ut omnem introitum et exitum hæreticæ pravitatis qui venerant ad mare, et amaritudine illius delectabantur, undarumque molibus et crudelitate naufragii, claudant et circumædificent, et in voraginibus terræ sepeliant, ne ultra exire valeant, et aliquos sua fraude decipere. Ibi ergo sepelient Gog, et omnem multitudinem ejus, qua semper hæretici delectantur. Et vocabitur nomen vallis illius, in qua Gog sepultus est, *multitudinis ge*, sive πολυάνδριον, hoc est, *sepulcrum plurimæ multitudinis.* Et quomodo supra diximus, per septem annos adversariorum arma succendi : sic per septem menses sordibus hæreticorum terra mundabitur. A primo enim mense, quando pascha Domini celebramus, et exterminatorem Ægypti, agni in postibus nostris cruore, **457** vitamus, usque ad exitum anni, hoc est, usque ad septimum mensem, quando tabernacula figimus, et inter cæteras frondes palmarum quoque ramis protegimur : ut perfecta contra hostes victoria demonstretur : festivitates omnes complemus in populis : nec solum magistri, sed et omnis populus hoc certatim faciet, ut sepeliat Gog, et terra operiat ; et nequaquam aerem liberum capere permittat. Post necem autem et interfectionem, sive sepulcrum Gog, eligentur viri Ecclesiastici, qui hoc habeant studii, ne quid in terra Israel maneat sordium pristinarum, ne quid morticinum ; qui lustrent terram, et requirant mortuos, et sepeliant, ut videlicet mundetur terra Ecclesiæ. Sin autem post septem menses, quando debent esse cuncta purgata, hi qui terram peragrant atque circumeunt, in aliquo os hominis, hoc est, duritiam hæreticæ pravitatis, sive morticinum quid doctrinæ pristinæ viderint remansisse, ponent juxta illud, sive ædificabunt, titulum : ut postquam notati fuerint, qui hujuscemodi sunt : tunc vel emundentur, vel sepeliantur cum Gog, et in tumba [*Al.* turba] sepulturæ illius retrudantur. Nomen autem civitatis, ubi ser-

vorum Domini victoria est, et jacent adversarii, et omnis inimicorum ejus multitudo prostrata est, appellabitur *amona*, sive *polyandrion :* ut finis omnium, restitutio puritatis sit. Denique sequitur : *Et mundabunt terram ;* haud dubium quin hi de quibus supra scriptum est : *Quærere incipient, et circuibunt peragrantes terram.*

(Vers. 17 seqq.) « Tu ergo, fili hominis, hæc « dicit Dominus Deus : dic omni volucri, et univer- « sis avibus, cunctisque bestiis agri (sive campi) : « Convenite et properate : concurrite undique « (sive per circuitum) ad victimam meam quam ego « immolavi [*Vulg.* immolo] vobis, victimam grandem « super montes [*Vulg.* montem] Israel, ut comedatis « carnem, et bibatis sanguinem. Carnes fortium « (sive gigantium) comedetis, et sanguinem princi- « pum terræ bibetis : arietum, agnorum, et hirco- « rum, taurorumque altilium et pinguium omnium. « Et comedetis adipem in saturitate, et bibetis san- « guinem in ebrietate, de victima quam ego immo- « lavi [*Vulg.* immolabo] vobis. Et saturabimini su- « per mensam meam de equo, et de equite forti « (sive gigante) : et de universis viris **458** bellato- « ribus, ait Dominus Deus. Et ponam (sive dabo) « gloriam meam in gentibus (sive in vobis) : et vi- « debunt omnes gentes judicium meum quod fece- « rim, et manum meam quam posuerim (sive in- « duxerim) super eos. Et scient domus Israel, quia « ego sum Dominus Deus eorum a die illa et dein- « ceps. Et scient omnes [*Vulg. tacet* omnes] gentes « quoniam [a] propter iniquitates suas capta sit do- « mus Israel, eo quod reliquerint me, et absconde- « rim (sive averterim) faciem meam ab eis, et tra- « diderim eos in manus hostium (sive inimicorum « eorum) et ceciderint in gladio universi. Juxta im- « munditias eorum et scelera (sive iniquitates) eo- « rum feci eis, et abscondi (sive averti) faciem « meam ab illis. Propterea hæc dicit Dominus « Deus : Nunc reducam captivitatem Jacob, et mise- « rebor omni domui Israel : et assumam zelum pro « nomine meo sancto, et portabunt confusionem « (sive ignominiam) suam, et omnem prævaricatio- « nem, qua prævaricati sunt in me, cum habitave- « rint in terra sua confidenter (sive in pace), nemi- « nem formidantes, et reduxero eos de populis (sive « gentibus) ; et congregavero de terris inimicorum « suorum (sive de regionibus gentium), et sanctifi- « catus fuero in eis in oculis (sive in conspectu) gen- « tium plurimarum. Et scient, quia ego sum Domi- « nus Deus eorum, cum [*Vulg.* eo quod] transtulerim « eos in nationes (sive cum apparuero eis in genti- « bus) : et congregavero [*Vulg.* congregaverim] eos « super terram suam, et non dereliquerim quem- « quam ex eis ibi. Et non abscondam (sive avertam) « ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spi- « ritum (sive furorem) meum super omnem domum « Israel, ait Dominus Deus. » Hoc quod transtuli- mus juxta Hebræos, *et congregabo eos super terram suam, et non derelinquam quemquam ex eis ibi,* in LXX non habetur. Rursumque, quod juxta Hebræos pro benedictione in ultimo ponitur, *eo quod effuderim spiritum meum*, LXX transtulerunt, *furorem*, qui ad iram pertinet, præsertim cum in Hebræo RUHI (רוּחִי) positum sit : quod proprie sonat, *spiritum meum*, et nequaquam *furorem meum.* Omnia autem usque ad eum locum, in quo succedit templi ædificatio, hi quos supra diximus Judæos, et nostros judaizantes ad ultimum tempus referunt : quod carnibus Gog cunctique ejus exercitus, quasi pinguissimis hostiis volucres bestiæque **459** saturandæ sint : et restituatur Israel in pristinum statum, et nequaquam ultra a gentibus expugnetur, sed effundat spiritum suum super eos Deus, ut habitent in terra sua : non omnes gentes, sed proprie domus Israel. Nos autem cœptam tropologiam sequentes, hoc dicemus, quod omnes volucres et universas bestias convocet Dominus, ut tradat eis hæreticorum principes, quasi pinguissimas hostias, devorandos. Volucres autem et bestiæ, vel propter celeritatem in omnia discurrendi, vel propter feritatem et crudelitatem appellantur, quibus traduntur adversarii in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, et discant non blasphemare (I *Tim.* I). Comedent autem grandem et pinguissimam victimam ; non alibi, sed super montes Israel, quos prophetas et apostolos, et sanctos viros intelligere debemus. In illis enim contrariorum dogmatum magistri corruunt, et ab ipsis pereunt vulnerati, super quos ædificatur Ecclesia : et ut verius dicam, super montium montem, de quo Isaias loquitur et Michæas : Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis vias suas ( *Isa.* II, 3 ; *Mich.* IV, 2). Istæ autem aves et istæ bestiæ celeres atque crudeles comedent carnes et bibent sanguinem, quæ regnum Dei possidere non possunt : carnes fortium, sive gigantium, qui contra Dei scientiam rebellabant, et sanguinem principum, non cœli, sed terræ bibent, qui cuncta terrena sapuerunt : sanguinem arietum, et agnorum, et hircorum, sive juxta Septuaginta, arietum, vitulorum, et hircorum, ut tria significent animantia, quæ in Dei victimis immolantur. Imitantur enim et hæretici ecclesiasticam mansuetudinem, sed oblatio eorum non in Dei cultum, sed in dæmonum cibum proficit, quæ est pinguissima hostia eorum, et quasi adipe saturantur, et bibunt sanguinem deceptorum usque in ebrietatem. Hanc autem victimam Deus immolat per ecclesiasticos viros, ut multitudine deceptorum saturentur convivæ pessimi, et bibant usque ad vomitum et ebrietatem. Quando videris sanctos viros, et Scripturis divinis eruditos truncare equos hæreticorum et ascensores, de quibus scriptum est : Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* XV, 1), et omnes rebelles et gigantes suo mucrone concidere, et cunc-

[a] Isthæc LXX lectio est, διὰ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. Hebræus vero *in iniquitate sua* habet : quare hac in textum recepta, illam de more Victorius eliminat.

torum **460** bellatorum falsi nominis scientiæ sanguinem fundere : tunc scito mensam Domini præparatam, ut ponat gloriam suam in cunctis gentibus, quæ illius credunt nomini, et intelligant Ecclesiæ sanctorum illius judicium, quod fecerint super adversarios, et manum fortem qua eos percusserit : et sciant domus Israel atque cognoscant, quod ipse sit Dominus Deus eorum, qui locutus est : Ego sum Dominus Deus vester, a die victoriæ Domini usque in perpetuum : et recogitent idcirco captam esse quondam ab hæreticis domum Israel, et in toto perversorum dogmatum orbe dispersam, quod reliquerint eum, qui parumper abscondit, sive avertit faciem suam ab eis, et tradiderit eos in manu hæreticorum, et ceciderunt illorum mucrone confossi, propter immunditias et iniquitates suas : quæ causa exstitit, ut absconderet et averteret faciem suam ab eis. Expositis autem rationibus, secundum illud quod scriptum est : Oportet et hæreses esse, ut probati quique manisfesti fiant (I *Cor.* XI, 19), captivitatis Israel, videlicet Ecclesiæ, in qua habitant cernentes Deum : nunc pollicetur, quod reducat in Ecclesiam captivitatem Jacob, qui Judaicum populum supplantarat, et postea hæreticorum fraudibus supplantatus est : et misereatur omni domui Israel, non juxta carnem, sed juxta spiritum. Et assumam, inquit, zelum meum pro nomine sancto meo, quod blasphemabatur in gentibus propter hæreticos : ut postquam eos liberaverim, erubescant et confundantur, quare fide Ecclesiastica derelicta, prævaricati sint in me. Confundantur autem et erubescant valde velociter, cum habitaverint in terra sua, terra mitium, terraque sanctorum, et habitaverint confidenter, sive in pace, nequaquam hæreticorum insidias formidantes (*Psal.* VI). Tunc reducentur de populis, et congregabuntur de terris inimicorum suorum in terram suam, et sanctificabitur Dominus in eis in conspectu gentium plurimarum, quæ et ipsæ credituræ sunt Domino : finisque sit beatitudinis, scire atque cognoscere, quod ipse sit Dominus Deus eorum : eo quod apparuerit eis in gentibus, sive transtulerit eos de nationibus, et congregaverit super terram suam, terram Judæam, terram confessionis, terram mitium, terramque **461** viventium, et ne unum quidem reliquerit hæreticæ pravitati : et ultra non abscondat faciem suam ab eis, nec aversetur illos, eo quod effuderit spiritum gratiæ suæ, de quo et Joel propheta loquitur : In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem (*Joel.* II, 28) : effuderit autem super omnem domum Israel. Sin autem pro *spiritu*, juxta LXX, *furorem* legerimus, qui in Hebraico non habetur, sic sentiendum est, quod ultra non abscondat faciem suam ab eis, in quos furorem suum ante effuderat. Hucusque in Ezechiel prophetam, Deo, ut optamus et credimus, auxiliante et **462** aperiente os nostrum, locuti sumus : non aliorum, si qui scripserunt, vel deinceps, si scripturi sunt, sententiam destruentes; sed asserentes qualiacumque sunt nostra. In ædificatione autem templi, et ordine sacerdotum, terræque sanctæ divisione et flumine egrediente de templo, et de arboribus ex utraque ripa semper virentibus, et per singulos menses afferentibus fructum, et reliquis quæ usque ad finem prophetico volumine continentur, aperte imperitiam confitemur : melius arbitrantes interim nihil, quam parum dicere.

# *LIBER DUODECIMUS.*

Trepidationem meam in explanatione templi Ezechiel, immo tacendi perseverantiam, tuæ, filia Eustochium, preces et Domini promissa superarunt, dicentis : Petite, et accipietis : quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis (*Matt.* VII, 7). Et qua nos excusatione usi sumus, ut in calce anterioris voluminis diceremus, melius est nihil, quam parum dicere; tu eam vertisti in contrarium, ut referre putes saltem parum, quam nihil dicere : quia in altero voluntas prompta, in altero totius operis desperatio est : naturamque hujuscemodi hominum esse commemoras, ut non tantam gratiam habeant pro his quæ tribueris, quantum dolorem super his, quæ negaveris. Minore enim studio virtutes laudamus, quam vitia reprehendimus : et quamvis pulchra sint corpora, unius pravitate ac deformitate membri insigniora fiunt. Obsequar igitur voluntati tuæ, et flante Spiritu sancto, vela suspendam, ignorans ad quæ sim littora perventurus, et cum hoc eodem propheta clamitans, A quatuor ventis veni, spiritus; fastidiosoque lectori, immo animo perduelli nostra lecturo, illud in explanatione templi tota libertate denuntio, ut si veritatem desiderat, quærat eam ab aliis. Nos autem ea, quæ in opere difficillimo possumus suspicari, simpliciter confitemur atque dictamus, gratias acturi Domino, si non in omnibus, quod impossibile est, sed in plerisque nobis aperuerit fores scientiæ. Prima enim, ut ait sublimis orator, « Quæque sectanti, honestum est etiam in secundis tertiisve consistere. »

(CAP. XL. — Vers. 1 seq.) « In vicesimo et « quinto anno transmigrationis nostræ (sive captivi- « tatis) in exordio anni (sive in primo mense) decima « mensis, quarto decimo anno postquam percussa « (sive capta) est civitas : in ipsa hac die (sive in die « illa) facta est super me manus Domini, et adduxit « me illuc. In visionibus (sive in visione) Dei, ad- « duxit **463** me in terram Israel, et dimisit (sive « posuit) me super montem excelsum nimis, super « quem erat quasi ædificium civitatis, vergentis ad « Austrum (sive e regione). Et introduxit me illuc :

« et ecce vir, cujus erat species quasi species æris A
« (sive æris splendentis); et funiculus lineus (sive
« cæmentariorum) in manu ejus, et calamus men-
« suræ in manu ejus. Stabat autem in porta : et
« locutus est ad me idem vir : Fili hominis, vide
« oculis tuis, et auribus tuis audi : et pone cor tuum
« in omnia, quæ ego ostendam tibi (sive pone in cor
« tuum omnia, quæ ostendero tibi) : quia ut osten-
« dantur tibi adductus (sive ingressus) es huc : et
« annuntia (sive monstrabis) omnia, quæ tu vides
« domui Israel. » Si quinto anno captivitatis, sive transmigrationis regis *Joachin*, in quarto mense, in quinta mensis aperti sunt cœli Ezechiel prophetæ, juxta fluvium Chobar, et vidit visiones Dei, nunc autem dicitur, quod in vicesimo et quinto anno transmigrationis ejusdem [a] *Jechoniæ* in exordio anni, B decima mensis facta sit super eum manus Domini, adductusque in terram Israel, et positus super montem excelsum nimis, ut videret ædificium civitatis vergentis ad Austrum, nulli dubium est, quin decem et novem annis, novemque mensibus et quinque diebus anni vicesimi completis, omnis illius prophetia contexta sit. Quod si juxta Theodotionem, qui in eo loco ubi nos posuimus, *in exordio anni*, interpretatus est, *in novo anno*, *decima mensis* (novus autem annus apud Hebræos vocatur mensis septimus, qui apud eos habet vocabulum THESRI (תשרי), ut Kalendis mensis septimi, sit tubarum clangor, et decima dies ejusdem mensis, dies jejunii et placationis; quinta decima vero quando totus lunæ orbis expletur, dies scenopegiarum) datur intelligi, quod decima die C placationis Dominicæ monstratum ferat Ezechieli ædificium civitatis. Et quomodo restitutionem populi, immo vivificationem in ossibus campi sub resurrectionis imagine demonstravit : sic nunc instaurationem urbis quæ Babylonio fuerat ante annos quatuordecim igne deleta, sub descriptione ejus Dominus pollicetur, ut sicut captivitatem et eversionem, ollæ succensæ a facie Aquilonis monstraverat typus, et prophetiæ veritas opere comprobata est : ita ex præteritorum fide, futuræ ædificationis veritas vaticinio probaretur. **464** Nec hoc de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Judæorum volunt, quando sub Zorobabel et sub Jesu, filio Josedec, sacerdote magno, templum exstructum est, prophetantibus Aggæo et Zacharia. Iloc enim templum D quod nunc describitur, et ordo sacerdotii, terræque divisio et fertilitas, multo augustius est, quam fuit quod Salomon exstruxerat. Illud autem quod ædificatum est sub Zorobabel, in tantum parvum erat, et prioris comparatione nihili : ut qui prius templum viderant, et postea hoc aspiciebant, ejularent, doloremque suum lacrymis testarentur, et multo major esset clamor ululantium, quam clangor tubarum. Lege Ezræ librum. Porro quod additur, quarto decimo anno postquam percussa (sive *capta*) est civitas (III *Esdr.* v), juxta mysticos intellectus quatuordecim significat generationes : quibus completis a David usque ad nativitatem Christi, urbis restitutio promittitur ab eo, de quo scriptum est : Ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei reducet (*Isa.* XLV, 13). Et iterum : Venit ut prædicaret captivis remissionem, et cæcis visum : dicens his qui erant in vinculis, exite, et qui erant in tenebris, revelamini (*Ibid.*, LXI, 1). Fit autem super eum manus Domini, ut juxta carnem in Babylone positus, in spiritu ad terram veniret Israel : et nequaquam in visione, sed in visionibus Dei poneretur super montem excelsum nimis, de quo Isaias et Michæas vaticinantur : Venite, ascendamus in montem Domini, ad domum Dei Jacob (*Isa.* II, 3; *Mich.* IV, 2). Qui mons excelsus est nimis, ad comparationem montium cæterorum, de quibus propheta testatur, dicens : Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Ps.* CXX, 1). Et in alio loco : Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (*Ps.* CXXIV, 2). De quo et Isaiæ dicitur : In montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* XL, 9). Super hunc montem ostenditur ædificium civitatis, juxta LXX et Aquilam, e regione, et ex adverso Aquilonis, unde ad terram Israel propheta veniebat; juxta Theodotionem vero et Symmachum, vergentis ad Austrum, ubi plenum lumen est, et sol justitiæ in summo cœli vertice positus. Unde et in Cantico dicitur Canticorum : Exsurge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius (*Cant.* IV, 16). Fugatur enim de horto Domini Aquilo ventus durissimus, ne refrigeretur **465** dilectionis calor, floresque marcescant. Quando autem dicitur : Quasi ædificium civitatis, non vere civitas, sed civitatis similitudo monstratur, de qua scriptum est : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Ps.* LXXXVI, 2) : quæ est Jerusalem ædificata ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, et in qua magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (*Ps.* XLVII). Et in turribus civitatis istius Deus cognoscitur, quando suscipiet eam. De qua et alibi : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Ps.* XLV, 4). Et : Non potest abscondi civitas super montem posita (*Matt.* V, 14), quæ loquitur in Isaia : Ego civitas firma, civitas quæ oppugnatur (*Isa.* XXIII). Non dixit quæ expugnatur, sed oppugnatur : quæ ædificata est super petram, et nulla tempestate concutitur. Sequitur : Et introduxit me illuc, subanditur, manus Dei. Illuc autem, hoc est, quasi ad ædificium civitatis, ut mihi cuncta quæ erant intrinsecus demonstraret. Et ecce, inquit, vir, cujus erat species sive visio, quasi species æris fulgentis, ille videlicet, de quo scriptum est : Ecce vir, Oriens nomen ejus (*Zach.* VI, 12). Habebat autem speciem nequaquam electri, ut in principio hujus voluminis dicitur, neque accinctus erat zona aurea, ut in Joannis Apocalypsi continetur (*Apoc.* I) : sed

[a] Editi pro nomine *Jechoniæ*, retinent *Joachim*; sed binomius fuit iste *Joachim*, quem principes Nabuchodonosor captivum duxerunt in Babylonem. Caveant ergo lectores vitia scriptorum, qui pro *Jechonia*, sæpius scribunt *Joachim*, et editi *Joakim*. MART.

habebat speciem juxta Hebraicum quasi æris. Hæc enim materia cunctis metallis vocalior est, et tinnitu longe resonat. Unde et in Daniel, in imagine quæ erat ex auro, argento, ære, ferroque compacta, regnum Alexandri atque Græcorum in æris similitudine demonstratur (*Daniel.* II); ut Græcæ linguæ eloquentia signaretur : per quam manifestum est, adhuc eos indigere doctrina, qui templi spiritualiter ædificandi necdum plene novere mysteria. Funiculus quoque erat lineus, sive cæmentariorum in manu ejus, de quo in Zacharia scriptum est (*Zach.* II), quod funiculum habuerit geometricum, ut latitudinem et longitudinem urbis metiretur. Cæmentariorum autem, vel angelorum qui Dei imperio ministrabant, vel Moysi, et omnium prophetarum, atque apostolorum, qui ædificant civitatem Dei, et adjutores vel ministri sunt Dominicæ voluntatis. Unde et Paulus apostolus loquebatur : Dei agricultura, Dei ædificatio sumus (I *Cor.* III, 9). Quodque sequitur : **466** Et calamus mensuræ in manu ejus, designat gratiam prophetalem, de qua scriptum est in quadragesimo quarto psalmo : Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis (*Psal.* XLIV, 2). Et de Joanne propheta atque baptista : Quid existis in desertum videre, calamum vento [a] agitari (*Matt.* XI, 7)? Quem calamum imitari cupiunt, qui scribentes scribunt iniquitatem, et quibus imprecatur propheta : Increpa feras calami (*Ps.* LXVII, 31). Stabat autem in porta; quia per ipsum ad Patrem ingredimur, et sine ipso civitatem Dei intrare non possumus, ut dignos suscipiat, indignos abjiciat. In porta quoque judicium est. Unde et propheta dicit : Oderunt arguentes in porta (*Isa.* XXIX, 21). Et in alio loco : Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta (*Ps.* CXXVI, 5). Hic vir locutus est ad prophetam, in cujus manu erat funiculus, et cujus erat species quasi æris, et qui calamum tenebat manu. Locutus est ad Ezechielem verus architectus, quem imitabatur et Paulus apostolus, dicens : Quasi sapiens architectus fundamentum posui (I *Cor.* III, 10). Sapientem autem vocat architectum, ad distinctionem illius qui stultus est, et in Zacharia pastor insipiens appellatur; locutus est autem quæ sequuntur : Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi (*Zach.* XI) : non oculis carnis, sed spiritus; nec auribus corporis, sed animæ. Levate, inquit, oculos vestros, et videte, quia messes jam albæ sunt ad metendum (*Joan.* IV, 35). Et : Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII, 8). Videtur autem ædificatio civitatis, et auditur ordo cæremoniarum et sacerdotum, terræque descriptio. Nec sufficit præcepisse ut cerneret oculis, et audiret auribus; sed adjecit : Et pone cor tuum in omnia; sive, et pone in corde tuo omnia quæ ego ostendam tibi. Nihil enim prodest vidisse et audisse, nisi ea quæ videris et audieris, in memoriæ reposueris thesauro. Quando autem dicit, omnia quæ ego ostendam tibi, intentum facit auditorem, facit et cordis oculis præparatum, ut memoriter teneat quæ sibi ostendenda sunt, quia ut omnia ostendantur tibi, adductus es huc. Quo dicto ostendit specialiter nihil theoria et scientia dulcius, quam propheta desiderat, dicens : Unam petivi a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Ut videam voluptatem Domini, et visitem **467** templum ejus (*Psal.* XXVI, 4, 5). Unde jungit, et loquitur : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Annuntia, inquit, omnia quæ tu vides domui Israel, ut qui per se videre non possunt, per te discant, quæ tibi a Domino demonstrantur. Domui autem Israel his, qui mente conspiciunt Deum, de quibus erat et Nathanael, qui Christum studiosissime requirebat, et meruit audire : Ecce verus Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I, 47).

(Vers. 5 seqq.) « Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus « mensuræ sex cubitorum et palmo, et mensus est « latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quo- « que calamo uno. Et venit ad portam quæ respicie- « bat viam Orientalem, et ascendit per gradus ejus, « et mensus est limen portæ calamo uno latitudi- « nem, id est, limen unum calamo uno in latitudine, « et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo « in latum, et inter thalamos quinque cubitos, et « limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus « calamo uno. Et mensus est vestibulum portæ octo « cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis : vestibulum autem portæ erat intrinsecus. Porro thalami « portæ ad viam Orientalem, tres hinc et tres inde, « mensura una trium, et mensura una frontium ex « utraque parte. Et mensus est latitudinem liminis « portæ decem cubitorum, et longitudinem portæ « tredecim cubitorum. Et marginem ante thalamos « cubiti unius, et cubitus unus finis utrinque : tha- « lami autem sex cubitorum erant hinc, et inde. Et « mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum « ejus, latitudinem viginti et quinque cubitorum, « ostium contra ostium. LXX : Et ecce murus « extra domum per gyrum, et in manu viri « calamus mensuræ cubitorum sex, et palæstes, « et murum mensus est, latitudinem æqualem « calamo, et altitudinem ejus mensuræ. Et in- « gressus est portam, quæ respiciebat Orientem, « septem gradibus, et mensus est *thee* ÷ sex hinc, et « sex inde ⁝ ælam portæ æqualem calamo longitu- « dine, et æqualem calamo in latitudine, et ælam in « medio theelath cubitorum sex, et *thee* secundum « æqualem calamo in latitudine, et æqualem calamo in « longitudine, et ælam cubitorum quinque. Et *thee* ter- « tium æqualem calamo in latitudine trium, et æqua- « lem calamo in longitudine trium, et ælam portæ qui « juxta ælam portæ octo cubitorum, et ælam duorum « cubitorum, et ælam portæ intrinsecus, et *thee* portæ e « **468** regione, tres hinc, et tres inde, et mensura una

[a] Victorius *agitatum* ex Græco præsertim textu, σαλευόμενον.

« trium : mensura una ælam hinc et inde. Mensus est la-
« titudinem introitus portæ decem cubitorum, et la-
« titudinem portæ cubitorum tredecim, et cubitus
« unus redigebatur in conspectu *theeri* cubiti unius,
« et cubiti unius terminus hinc inde, et *thee* cubito-
« rum sex hinc, et cubitorum sex inde. Et mensus est
« portam a muro *thee*, usque ad parietem *thee*, latitu-
« dinem viginti quinque cubitorum. Hæc porta contra
« portam. » Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi, diebus Dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire; crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur : Descendant ad infernum viventes (*Ps.* LIV, 16) : et raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes : rursumque pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur (*Æneid. lib.* II) :

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hoc mihi dictum sit, ut prudens lector intelligat, quam habeam sententiam super explanatione templi Dei in Ezechiel, de quo scriptum est : Nubes et caligo sub pedibus ejus (*Ps.* XCVI, 2). Et rursum : Tenebræ latibulum ejus (*Ps.* XVII, 12) : Unde et Moyses nubem ingressus est et caliginem, ut posset Domini mysteria contemplari, quæ populus longe positus, et deorsum manens, videre non poterat (*Exod.* XXIV et XXXIV). Denique post quadraginta dies, vultum Moysi vulgus ignobile, caligantibus oculis, non videbat, quia *glorificata erat*, sive ut in Hebraico continetur, *cornuta* facies Moysi. Ita et mihi legenti descriptionem templi mystici (quod Judæi secundum litteram in adventu Christi sui, quem nos esse Antichristum comprobamus, putant ædificandum, et nos ad Christi referimus Ecclesiam, et quotidie in sanctis ejus ædificari cernimus) accidit, ubicumque oculus cordis aperitur, et me aliquid videre æstimavero et tenere sponsum, et gaudens dixero : Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam eum (*Cant.* III, 4); rursum me deserit sermo divinus, fugitque sponsus e manibus, et **469** claudantur oculi cæcitate, ita ut cogar dicere : O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius (*Rom.* XI, 33) ! Et quod alibi scriptum est : Judicia Domini abyssus multa (*Ps.* XXXV, 7). Et : De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam (*Ps.* CXXIX, 1) : et illud Elisæi, qui raptum a se magistrum cordis oculis sequebatur, dicens : Pater, pater: currus Israel et auriga ejus (IV *Reg.* II, 12). Simpliciter igitur est fatendum me templum beati Ezechielis, quod sæcula cuncta tacuerunt, non temeritate velle disserere, sed fide et timore Dei, conjecturam animi mei cupere legentibus demonstrare; ut si ego in tabernaculum Dei pelles caprarum pilosque obtulero, unde peccatorum spinæ et aculei protegantur, et arceantur pluviæ et tempestates : alius qui dives est, pro qualitate meritorum, vel ferrum, vel æs, vel argentum, aurumque et pretiosissimos lapides offerat, et non nostra, quia sunt minora, contemnat; sed propriis gaudeat opibus. Nisi enim ima fuerint, summa esse non poterunt : et ut majora laudentur, minorum comparatione succrescunt. Videamus igitur, quid ingressus Ezechiel ædificium civitatis vergentis ad Austrum primum viderit, deinde audierit : *Et ecce*, inquit, *murus forinsecus in circuitu domus undique.* Pro *muro*, quem Aquila et Theodotio interpretati sunt, Symmachus et Septuaginta posuere περίβολον. Murus ergo, sive περίβολος, ex omni parte domum, hoc est, templum Domini circumdabat, habebatque vir, cujus erat species quasi species æris, non solum funiculum geometricum et cæmentariorum, sed et calamum tenebat in manu, cujus supra mensura tacita est, et nunc ponitur cubitorum sex et palmo, qui rectius Græce dicitur παλαιστή, et est sexta pars cubiti. Alioquin *palmus* [a] σπιθαμὴν sonat, quam nonnulli pro distinctione *palmam :* porro παλαιστὴν, *palmum* appellare consueverunt. Hoc igitur calamo mensus est latitudinem et altitudinem muri, et utrumque, hoc est, latitudo et altitudo uno fuere calamo, hoc est, senis cubitis et palmo uno. Cumque essent portæ plurimæ, noluit per alias intrare portas, sed per eam, **470** quæ respiciebat ad Orientalem plagam. Et quia non erat æqualis locus, et murus enim per circuitum, et ipsa ædes Dei in excelsioribus locis ædificata erat, propterea per gradus ingreditur, immo conscendit : quos soli LXX *septem* nominant, cum et in Hebræo, et in cæteris translatoribus gradus tantum absque numero legerimus. Ingressusque portam, statim mensus est limen portæ, quod LXX θεὲ nominant : pro quo in Hebræo scriptum est SEPH. Et diligentem et studiosum lectorem admonendum puto : si tamen scientia Scripturarum, et non vanis oratorum declamationibus ducitur, ut sciat omnia prope verba Hebraica, et nomina, quæ in Græca et Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, immo nullius gentis, dum et Hebræa esse desierint, et aliena esse non cœperint. Limen igitur portæ, sive θεὲ, immo *seph*, quod Symmachus οὐδὸν : Aquila et Theodotio πρόθυρον interpretati sunt, habebat calamum unum, hoc est, sex cubitos et palmum in latitudine : pro quo nescio quid volentes LXX addidere de suo, *sex hinc et sex inde.* Post limen autem

[a] Martianæus σπιθαμὴν hic atque alibi. Nominis originem derivat Eustathius παρὰ τὸ θαμὰ σπίζεσθαι τοὺς δακτύλους, τουτέστιν ἐκτείνεσθαι. Tradunt porro et Hebræi in aliquot templi rebus cubitos adhibitos fuisse palmorum quinque, in aliis sex.

portæ, juxta Hebraicum, mensus est thalamum sive cubiculum, ut Symmachus transtulit, παραστάδας, id est, *postes* ex utraque parte calamo uno, tam in longum, quam in latum. Quod et ipsum LXX *ælam* (αἰλὰμ) transtulerunt, quod in consequentibus Symmachus *anteliminare* interpretatus est. Inter thalamos autem duos, sive cubicula, et παραστάδας erant quinque cubiti, et aliud prolimen portæ juxta vestibulum intrinsecus calamo uno. Tertium quoque vestibulum portæ octo habebat cubitos, et in fronte ejusdem, sive in marginibus duos cubitos. Quod vestibulum ne quis putet idem esse quod supra, addidit : Vestibulum autem erat portæ interioris : pro quibus LXX primum, et secundum, et tertium vestibulum transtulerunt. Thalami autem, id est, cubicula, quæ post portam Orientalem erant ædificata in vestibulis, respiciebant ad viam Orientalem. Et ut sciamus quot fuerint **471** thalami, jungitur, tres hinc, et tres inde : ad Septentrionem videlicet et ad Meridiem respicientes, et ad Orientalem viam : unaque mensura frontium erat ex utraque parte. Mensus est quoque mensuram in latum liminis portæ, et reperit decem cubita, et in longum tredecim cubita, et in unum cubitum aretabantur extrema thalamorum, vel ut Symmachus transtulit, παραστάδων, et utraque frons singulos habebat cubitos. Thalami autem, sive παραστάδες, et ut LXX de suo posuere θεηλὰθ, ex utraque parte sena habebant cubita. Mensusque est portam a tecto thalami, sive παραστάδος, usque ad tectum sive ad parietem ejus, et invenit inter tectum et tectum, latitudinis viginti et quinque cubita. Tantum enim erat spatii inter ostium et ostium, sive inter portam et portam. Hæc breviter divinantis magis, quam explanantis animo dixerimus, volentes juxta litteram obscuram, et pene non apparentem adumbrare picturam. Cæterum pauca, quæ possumus suspicari, strictim, dubitantesque [*Vulg.* dubitanterque] ponemus. Apostolus Paulus volens Ephesios (*Cap.* III) sacratiora cognoscere, imprecatur eis, ut repleantur sapientia et charitate Domini, ut radicati atque fundati, scire valeant, et comprehendere quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum divitiarum ejus, et ad eosdem loquitur : Ergo nequaquam estis peregrini, sed cives sanctorum, et domestici Dei, ædificati supra fundamentum apostolorum, et prophetarum, ipso angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio compacta crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos superædificati estis [*Al.* coædificamini] in habitaculum Dei et in Spiritu sancto (*Ephes.* III, 2). Petrus quoque apostolus eisdem pene verbis, quia eodem spiritu, in Epistola loquitur : Si quidem credidistis quoniam bonus Dominus, ad quem accedentes lapidem viventem, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honoratum, et ipsi ut lapides viventes ædificamini domus spiritualis in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales victimas acceptabiles Deo per Jesum Christum (I *Petr.* II, 3 *seqq.*). Ex quo perspicuum est, Dominum Salvatorem, qui verus architectus est, probare lapides qui possint poni in templi fundamentis, qui in medio, qui in superioribus locis, et inferioris **472** mensuræ, vel non tam solidæ firmitatis in muro, et extra templum in circuitu τοῦ περιβόλου collocari. Non est enim parvi roboris nec minimæ firmitatis, impositos desuper lapides sustinere. Unde scribit Apostolus ad credentes : Invicem onera vestra portantes (*Galat.* VI, 2). Et in alio loco scriptum est : non debere nos pondus assumere, quod ferre non possumus. Calamus autem mensuræ, qui habebat sex cubita, et palmum unum, illud significat, notam esse Deo conversationem nostram, quæ in sex diebus in quibus mundus factus est continetur, et notam esse rationem operum singulorum, ut aliud ad opera pertineat, aliud ad mentem. Unde et latitudo æqua est altitudini : quorum latitudo ad opera, ut diximus ; altitudo refertur ad animum, qui ad alta festinat. Illud autem semel monuisse sufficiat : nosse me cubitum, et cubita neutrali appellari genere, sed pro simplicitate, et facilitate intelligentiæ, vulgique consuetudine, ponere et genere masculino. Non enim curæ nobis est vitare sermonum vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem quibuscumque verbis disserere. Ingreditur igitur vir, cui Oriens nomen est, per portam Orientalem, ut illuminet eos, quos in prima vestibuli fronte repererit, sive in ipso introitu portæ : non per unum, sed per plures gradus, quorum siletur numerus, ut ascensionis appareat difficultas, et quotcumque gradus tibi proposueris, scias minus esse ab eo, quod dubium derelinquitur. Istam arbitror portam, de qua et in Psalmis canitur : Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam (*Ps.* CXVII, 20). Mensusque est limen portæ, ut scire valeamus omnia patere notitiæ Dei. Quod limen in latitudine unius dicitur calami, et de altitudine siletur ac longitudine. Via enim est et introitus, et per eam ad interiora pergendum est (licet in hoc loco Septuaginta superflue *longitudinem*, vel, ut in plerisque codicibus continetur, *altitudinem* dixerint) ; cubicula autem [a], id est, thalami et παραστάδες tam in longum, quam in latum singulos habeant calamos, sed inter thalamum et thalamum, quinque tantum sunt cubita, ut interiora cubiculorum plenam habeant mensuram calami, id est, sex cubitorum, et palmi unius, dum opera **473** pariter ratioque consentiunt. Ea vero quæ extrinsecus sunt, hoc est, inter thalamum et thalamum, quinque cubita ; necdum enim Christi secreta penetrarunt, nec possunt dicere : Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* I, 3). Et alibi : Omnis gloria filiæ regis intrinsecus (*Ps.* XLIV, 14). Sed discipulis cum Christo domi commorantibus, mysteria ejus audire non possunt, et foras ad se cupiunt Dei exire sermonem, et propterea quinque cubitorum mensura in eis ponitur, ut ad sensus

[a] Apud Rabanum, *cubicula autem dixerint thalamum ;* et mox, *quinque sint cubita.*

quinque omnia referre doceantur. Limen quoque alterius portæ, sive ut in Septuaginta continetur, secundi vestibuli et tertii, ejusdem calami unius mensuræ est. Post quod vestibulum ejus, hoc est, limen portæ, in introitu octo ponuntur cubita, ut interiora vestibuli nequaquam septenarium numerum, et sex cubita, et palmum unum, sed octonarium teneant, qui ad resurrectionis et diei Dominicæ pertinent sacramentum. Et in fronte, inquit, ejusdem vestibuli duo erant cubita, quæ vel ad utrumque pertinent Instrumentum, vel ad litteram, et spiritum, vel ad mysterium forcipis, qua in Isaia de altari carbo comprehenditur, et defertur ad prophetæ labia purganda. Et ut sciamus, quod sit hoc vestibulum, quod octo et duobus cubitis terminatur, ponit manifestius: *Vestibulum autem portæ erat* B *intrinsecus*, per quod pervenimus ad templum Dei. Thalami quoque, et cubicula quæ erant ad viam portæ Orientalis, pro quibus Septuaginta *Elau* [a] scribunt, tres erant hinc, et tres inde, mensuræ unius, id est, calamo uno, qui sex cubita, et unum palmum habebat, de quibus supra dictum est: Et αἰλὰμ uno calamo in longum, et uno calamo in latum, et inter thalamos quinque cubitos. Ne igitur putaremus duos tantum esse thalamos, ternos ex utraque parte posuit: ut senarium numerum demonstraret, qui et in hydriis Evangelii indicatur (*Joan.* VIII), in quibus aquæ in vina mutatæ sunt, et quotidie Judaici latices vertuntur in vinum, quod lætificat cor hominis: et Christi cruore fit dulcius. Mensus est quoque latitudinem liminis [*Al.* limitis] C portæ decem cubitorum, qui perfectus est **474** numerus, et vel Decalogo continetur, vel Evangeliorum quatuor sacramento. Qui ab uno incipiens, ita ad quatuor pervenit, ut denarium [b] impleat numerum. Cujus longitudo habebat tredecim cubitos: pro qua in Septuaginta rursum ponitur latitudo, quod mihi videtur scriptorum negligentia depravatum. Neque enim in uno loco latitudinem, et rursum latitudinem decem, vel tredecim cubitorum Scriptura dixisset. Potest autem porta liminis, in quo sacratus est numerus veteris et novi Testamenti, vel ipse Dominus intelligi, qui dicit: Ego sum ostium (*Joan.* X, 9); vel certe omnes sancti, per quos ingredimur ad notitiam Dei, quorum apostolus Paulus loquebatur: Os meum patet ad vos, o Corinthii; et: Dilatamini D et vos (II *Cor.* VI, 11). Tredecim autem cubiti post octonarium numerum, librorum Moysi continent sacramentum, qui et in quinque monstrantur panibus (*Matth.* XIV), et in Samaritana Evangelii (*Joan.* IV), quæ arguitur quod quinque habuerit viros, et sextum quem se putabat habere, non habebat: et tamen octonarius, et quinarius numerus, uno cubito, id est, quarto [*Al.* tertio] decimo consummatur: quia in Christo recapitulantur omnia. Unde dicitur: *Et cubitus unus finis utrinque*: dum et vetus et novum Testamentum una Christi mensura complectitur, et altitudinem triginta cubitorum arcæ Noe unus cubitus includit. *Thalami autem*, inquit, sive ut Septuaginta posuere *thau*, vel *thee*, vertentes atque mutantes per singula loca, ut voluerunt Hebraica nomina, sex cubitorum erant ex utraque parte, quod dicitur, *hinc et inde*, et nequaquam habebant palmum nec rationem desuper additam, quæ præsentem conversationem ad futuram beatitudinem provocaret, sed tantum sex cubita. Unde sequitur: Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum, sive parietem ejus: et invenit latitudinis vigiuti et quinque cubita; qui et ipse numerus, licet quadrus sit, tamen refertur ad sensus. Si enim quinos cubitos contra se quinquies ordinaveris, vicesimum et quintum numerum efficies: qui est inter tectum thalamorum et tectum; et tamen utrumque e regione sui positum, **475** a summis partibus habet ostium contra ostium. Hæc non frivola videantur esse lectori, licet et mihi ipsi qui dico displiceant, sentiens me clausam pulsare januam; sed legenda cum venia sunt: alioquin potui simpliciter ignorantiam confiteri, et omne studiosorum amputare desiderium. Sicut enim a perfecta scientia procul sumus, levioris culpæ arbitramur saltem parum, quam omnino nihil dicere.

(Vers. 14 seqq.) « Et fecit frontes per sexaginta « cubitos, et ad frontem atrium portæ undique per « circuitum. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat « usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quin- « quaginta cubitos, et fenestras obliquas in thala- « mis, et in frontibus eorum quæ erant intra por- « tam undique per circuitum. Similiter autem erant « et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus: « et ante frontes pictura palmarum. LXX: Et sub « divo ælam portæ sexaginta cubitis, et theim atrii « portæ per circuitum. Et sub divo atrii extrinsecus « ælam portæ interioris quinquaginta cubitis: et fe- « nestræ absconditæ super theim, et super ælam « intra portam atrii per circuitum. Et similiter ela- « moth, et fenestræ in circuitu intrinsecus, et su- « per ælam palmæ hinc et inde. » Symmachus hunc locum ita interpretatus est: *Et fecit* περιστάσεις, quas nos *circumstantias* possumus dicere: pro quibus in Hebraico habet ELIM (אילים), quæ Aquila interpretatus est, χρίωμα, et nos in *frontes* vertimus. Rursum ubi Septuaginta posuere *theim atrii*, in Hebraico habet EI. (איל), numero singulari, quod Symmachus *prope atrium*, Aquila χρίωμα, id est *frontem atrii*, transtulerunt. *Sub divo* quoque *ælam portæ*, Aquila, *ante faciem postium portæ*; Symmachus, *contra faciem vestibuli portæ*, interpretati sunt. Fenes-

[a] Antea Græcis litteris ἐλεῦ; sed et ἐλεοῦ invenias in Græcis exemplaribus. Latine autem hic præferunt mss. *Elau*. Sic paulo post pro αἰλὰμ erat ἐλὰμ; sæpius autem scriptionis vitia emendamus, lectore inconsulto.

[b] Exponit Victorius, quod ex quatuor singillatim numeratis decem gignantur: nam cum in quatuor sint 1, 2, 3, 4, si in unum hos redigas numeros, decem prodibunt.

tras *absconditas* quæ Hebraice appellantur ATEMOTH (אבמות), Symmachus, τοξικὰς transtulit. Et ubi dixere Septuaginta, *super theim*, et *super ælam*, idem Symmachus *postes* posuit, et *circumstantias;* Aquila, *thalamos*, et *frontes eorum:* pro quibus in Hebraico scriptum est THEIM (תאים) et ELE (אלי). Porro ELAMOTH, quod Septuaginta et Theodotio similiter transtulerunt; Symmachus *circumstantias*, Aquila *frontes*, interpretati sunt. *Ælam* autem, pro quo in Hebræo scriptum est EL [*Mss.* UL], *ostium* vel *porticus* appellatur. Pro palmis quoque in Hebraico scriptum est THAMARIM (תמרים), numero plurali: quia singularis numerus, *palmam*, THAMAR (תמר) vocat. **476** Hæc fastidioso lectori scio molesta fore: sed volui breviter ostendere, quantum temporis longitudine, immo scriptorum vitio, et ut apertius loquar, imperitia, ab Hebraica veritate discrepet antiqua translatio: præcipueque in Hebraicis nominibus, quæ nos de aliorum editionibus in Latinum sermonem expressimus, non tam explanationem dictionum, quam suspicionem nostram simpliciter indicantes. Puto autem inter murum templi extrinsecus per circuitum, et ipsam ædem in atrio, hoc est, in medio, quædam fuisse propter ornatum posita, quæ Symmachus interpretatur *circumstantias*, id est, *stantia quædam*, et de terræ solo erecta in sublime, et hæc sexaginta cubitorum obtinere spatium. Rursumque egredientibus de porta interiori ad faciem vestibuli, quod respiciebat portam exteriorem, quinquaginta cubitos obtinuisse locum, in quibus fenestræ erant obliquæ, quas Septuaginta *absconditas*, Symmachus τοξικὰς vocat. Et hæ fenestræ erant in thalamis, hoc est, in cubiculis singulis, et porticibus quæ ante cubicula tendebantur, obtinentes cubitos quinquaginta. Quæ fenestræ obliquæ sive τοξικαί, idcirco a sagittis vocabulum perceperunt, quod instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, et intrinsecus dilatentur: omniaque per circuitum plena erant hujuscemodi fenestris. Et ante frontes, inquit, porticuum, pictura sive cælatura palmarum: per quæ ostenditur in introitu portæ, statimque ingredientibus murum, sexaginta occurrere cubita cum variis ornamentis, quæ referuntur ad conditionem mundi, ut ex creaturis Creator intelligatur: et omnia ordine, et ratione currentia, ostendant mundi varietatem, qui apud Græcos κόσμος, ab *ornatu* nomen accepit: et in sex diebus factus est, ut per singulos dies, decades singulæ supputentur, quem perfectum numerum supra diximus. Post hæc ingredientibus nobis atrium interius, occurrunt ante ipsum vestibulum portæ interioris thalami cum obliquis fenestris, quinquaginta cubitorum tenentes spatium, qui et ipse sacratus est numerus. Et post septem hebdomadas plenas festivitatis et gaudii, Ogdoadis prima incipit dies, quæ est resurrectionis, et introducit nos ad viciniam templi. Cum enim omnia fecerimus, **477** agentes prioris erroris pœnitentiam: tunc vicini et proximi efficimur Deo, ut in exteriori atrio, notitiam Creatoris creaturarum ordo nos doceat atque constantia, et in interiori verus jubilæus, in quo omnia nobis debita dimittuntur, instruat θεολογίαν, et introducat ad Sancta sanctorum. Notandum quoque quod interius atrium plures fenestras habeat, non directas et æquales, sed obliquas, et angustas exterius, et se intrinsecus dilatantes, ut per parva quædam foramina possimus ad interiora penetrare, et ad clarissimi luminis, quod versatur in templo, plenitudinem pervenire. Denique post sexaginta et quinquaginta cubitos, et thalamos, et porticus, et frontes porticuum, et fenestras plurimas per circuitum, palmarum nobis cælatura vel pictura monstratur, ut de mundo victoriam possidentes, digni efficiamur palmas videre virtutum.

(Vers. 17 seqq.) « Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum « lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. Et pavimentum in fronte « portarum secundum longitudinem portarum erat « inferius. Et mensus est latitudinem a facie portæ « inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, et ad Aquilonem. LXX: Et introduxit me in atrium interius, « et ecce thalami, et intercolumnia atrii per circuitum, triginta thalami per columnas, et porticus « post januas in longitudinem januarum ante columnas inferius. Et mensus est latitudinem atrii ab « eo loco qui erat sub divo portæ exterioris usque « ad interius: sub divo portæ interioris quæ respiciebat exteriora, cubitos centum, et vergebat ad « Orientem. » Pro thalamis triginta, quos vertere Septuaginta, sive gazophylaciis atque cellariis, ut interpretatus est Aquila, Symmachus posuit ἐξέδρας. Et pro centum cubitis exterioris spatii, qui tendebant usque ad portam Orientalem, in Hebraico idem cubitorum numerus, et ad Aquilonem tendere dicitur: in Septuaginta vero nomen *Aquilonis* ablatum est. Vir ergo ille qui habebat funiculum cæmentariorum in manu, et calamum mensuræ, et stabat in porta, inter cætera quæ prophetæ monstrabat aspectui, post atrium sexaginta cubitorum, et aliud vestibulum portæ interioris quod tenebat quinquaginta cubitos, eduxit **478** prophetam ad atrium exterius, sive ut in Septuaginta continetur, introduxit ad atrium interius. Satisque miror juxta litteram et Septuaginta, quomodo post exteriora atrii, sexaginta et quinquaginta cubitos tenentia, interius sit atrium, quod in latitudine centum cubitorum tendatur spatiis: nisi forte juxta mysticos intellectus, et profectus ingredientium, quæ interiora in doctrinis fuerint, latiora sint. Introductus autem in atrium interius, sive ductus ad exterius atrium, ut in Hebraico continetur, statim intuitus est triginta thalamos vel gazophylacia, sive ut Symmachus interpretatus est, *exedras*, quæ habitationi Levitarum atque sacerdotum fuerant præparatæ, et pavimentum vivis stratum lapidibus sive intercolumnia [*Al.* intercolumnas], ut ostendatur interius atrium vel exterius habere ante fores ordinem columnarum, et pavi-

mentum in fronte portarum, sive porticus post tergum portarum. In quibus porticibus puto columnas ordine fuisse dispositas, ut ante gazophylacia essent porticus, et in frontibus porticuum columnæ porticus sustinentes. Pavimentum autem quod stratum erat lapidibus, et ante porticus atrii tendebatur, inferius erat in ascensione porticuum, et eamdem habebat longitudinem quam thalamorum ædificatio possidebat. Mensusque est idem vir, in cujus manu erat funiculus et calamus, a facie portæ inferioris, sive ut Septuaginta volunt, exterioris, usque ad frontem atrii vel portæ interioris, centum cubitos ad Orientem, et ut in Hebraico dicitur, et ad Aquilonem. Ex quibus intelligimus illud Evangelicum quod a Salvatore narratur (*Matth.* xv), missæ in agrum sementis in terram bonam, quæ multiplicet fruges pro varietate virtutum in tricenarium, et in sexagenarium, et centenarium numerum, hujus loci vaticinio convenire. Et hic enim tricesimus, et sexagesimus, et centesimus numerus ponitur, ut his quasi gradibus ad perfectam scientiam pervenire valeamus; ita dumtaxat ut ad interiora Ecclesiæ quinquagenarius nos perducat numerus, qui finito septem hebdomadarum sabbato, in diem resurrectionis erupit. Gazophylacia autem appellantur quæ plena sunt spiritualibus divitiis, de quibus scriptum est: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ* (*Prov.* xiii, 8). Super quibus et Paulus apostolus gratulatur **479** discipulis suis, quod pleni sint omni verbo et omni scientia (*Philipp.* i). [a] Gaza autem lingua Persarum divitiæ nuncupantur. Vel certe thalami, qui Græce dicuntur παστοφόρια, ostendunt sponsi adventui cubicula præparata, quæ fuere triginta numero, ut perfectam ætatem habitantium demonstrarent. Et pavimentum stratum erat lapide: ne luto, et terra, et pulvere peccatorum habitantium polluerentur vestigia; sed ut super vivos incederent lapides, quibus ædificatur templum Dei: Sive intercolumnia erant ante thalamorum fores, quæ impositum desuper ædificium sustentarent. Istæ sunt columnæ, de quibus et Paulus apostolus scribit: Dexteras dederunt mihi et Barnabæ, Petrus et Joannes qui videbantur columnæ esse (*Gal.* ii, 9). Et in alio loco: Columna et firmamentum veritatis (1 *Tim.* iii, 15). Et in Joannis Apocalypsi legimus: Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius (*Apoc.* iii, 12). Pavimentum ergo quod erat in fronte portarum, de quo jam diximus, sive porticus post tergum portarum, quæ habitatores thalamorum ab imbribus defendebant, erat inferius. Semper enim quæ inferiora sunt in altioribus collocantur, ut ad mystica atque secreta, et plena divitiis spiritualibus, ascensu et gradibus pervenire possimus. Plenusque numerus atque perfectus in decem decadarum numero est, qui et sementem Isaac centena fruge multiplicat (*Gen.* xxvi). Sed quia in terra erat, et adhuc dicere poterat: Advena ego sum, et peregrinus sicut omnes patres mei (*Psal.* xxxviii, 13), hordeum sevisse, et centesimam frugem messuisse narratur. Necdum enim granum tritici mortuum fuerat in terra, quod multas fruges faceret (*Matth.* xiii, *Joan.* xii), et famem Judaici populi audiendi sermonis Dei, saturaret eo pane qui de cœlo descendit (*Amos* viii, *Joan.* vi). Quomodo autem centum cubiti non solum ad portam Orientalem fuerint, sed et ad portam Aquilonis, sequens testimonium demonstrabit.

(Vers. 20, 21.) « Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris mensus est, « tam in longitudine quam in latitudine, et thalamos ejus tres hinc, et tres inde, et frontem ejus, « et vestibulum ejus, secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum **480** longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ, secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad Orientem. Septem graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam. Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, et Orientalem. Et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. « LXX: Et introduxit me ad Aquilonem, et ecce « porta respiciens atrium exterius. Et mensus est « eam in longitudine, et in latitudine, et thee ejus « tres hinc, et tres inde, et elau, et elamoth (quod « in Hebraico non habetur, et palma ejus): et factum est secundum mensuram portæ, quæ respicit « Orientem: quinquaginta cubitorum longitudo ejus, « et latitudo ejus viginti quinque cubitorum. Et fenestræ ejus, et elamoth et palmæ ejus sicut in « porta quæ respiciebat Orientem; et in gradibus « septem ascendebatur ad eam, et elamoth intrinsecus, et porta atrii interioris respiciens ad portam Aquilonis (et quod in Hebraico non habetur, « sicut porta quæ respicit ad Orientem). Et mensus est atrium a porta usque ad portam centum « cubitorum: » Quid significent verba Hebraica *thee* (תאה), et *elau* (אלו) et *elamoth* (אלמות), supra plenius diximus: sed et in præsentiarum collatione sui docebit nostra translatio. Mensus est autem vir cujus funiculus in manu erat, portam quoque Aquilonis atrii exterioris, sive introduxit prophetam per portam Aquilonis ad atrium exterius. In quo considerandum, quod primum introducatur per portam Aquilonis; secundo, per portam Austri; tertio, per portam Orientalem. Ab Aquilone enim exardescunt mala super habitatores terræ (*Jerem.* i, 14). Pulchreque qui habitator terræ est, et non advena atque peregrinus, patet jaculis ejus qui venit ab Aquilone, cujus ignita sunt jacula, quæ juxta Apostolum scuto fidei restinguuntur (*Ephes.* vi). Et ad Aquilonem exterius atrium nominatur: ad meridiem vero, hoc est, ad Austrum, non exterius, sed interius. Dicit enim Scriptura: *Et introduxit me ad atrium interius ad portam Australem*, quod et in Orientali atrio

[a] Hesychius Persis hanc vocem significare scribit, Βασίλειον ἢ τοὺς ἐκ τῶν πολλῶν φερομένους φόρους; Eustathius ad vers. 910 Dionysii Perieg.: Γάζαν ἢ Ἄζαν, Καλοῦσι δέ οὕτως οἱ Πέρσαι τὰ χρήματα.

scriptum similiter invenitur. Primus enim ad virtutem ingressus est, Aquilonem calcare pedibus, et per quinquagenarium, **481** et vicesimum et quintum numerum, ad summitatem centenarii pervenire : deinde introduci ad Australem plagam, et Aquilonis frigus expellere : et tunc ad perfectam venire virtutem, id est, ad portam Orientalem, in qua oritur sol justitiæ, et per quam solus ingreditur pontifex. Et hoc observandum, quod cum quatuor plagæ sint, de Occidentali porta taceatur de qua in principio sexagesimi septimi psalmi scriptum est : Iter facite ei qui ascendit super Occidentem, Dominus nomen ejus (*Psal.* VII, 5); ut postquam nobis præparantibus iter Domino, et illud implentibus quod Joannes Baptista clamat in eremo : Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus (*Matth.* III, 3), possimus audire quod in extrema parte ejusdem psalmi dicitur : Cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem (*Ps.* LXVII, 33). Quod autem dicuntur thalami tres hinc, et tres inde, hoc docet, quod tam littera quam spiritus, et utraque intelligentia, et historiæ et tropologiæ, ad Trinitatis sacramenta pertineant. Illudque quod dicitur : *Et frontem ejus, et vestibulum secundum mensuram portæ prioris*, Orientalem portam significat, quæ prior non ordine, sed merito nuncupatur. Et habebat, inquit, quinquaginta cubitos in longitudine, et viginti quinque in latitudine; ut [a] in quinquaginta post septem hebdomadas æterna requies demonstretur : tendens per diem resurrectionis ad regna cœlorum, in quibus vera requies est. In viginti quinque autem, de quo numero ante jam diximus, quinque sensuum per quinque ordines quadranguli mensura servetur, quorum alterum longitudini, alterum latitudini coaptatur; ut in longitudine requies, et delectatio sacratioris scientiæ : in latitudine præsentium quæ ad sensus pertinet, ratio demonstretur. Quodque infertur : *Et fenestræ ejus, et vestibula, et sculpturæ*, sive ut Septuaginta addidere, *palmæ erant juxta mensuram portæ quæ respiciebat ad Orientem*, hoc subtiliter indicatur, quod quicumque in introitu virtutum positus, tres et tres thalamos fuerit ingressus, frontemque et vestibulum mensuræ portæ prioris agnoverit, ad ea perveniat, illaque **482** conspiciat, quæ et in porta Orientali plenissime susceptus est. Porro quod sequitur : *Et septem graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam*, sive *interius*, hunc habet sensum, quod per septem gradus hebdomadis, et ollæ quæ a facie Aquilonis accenditur, et cæremonias Judæorum quibus dedit Deus præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivant in eis, scandamus ad altiora et ad vestibulum ejus, id est, portæ, pro quo Septuaginta *elamoth* transtulerunt. Quod vestibulum ante portam est, sive interius. Nec solum una porta est Aquilonis, quæ supra porta appellatur exterior : sed et altera interior, quæ habet similitudinem portæ Orientalis, ut manifestius dixere Septuaginta. Et porta atrii interior respiciens portam Aquilonis, sicut erat porta quæ respiciebat ad Orientem. Mensusque est a porta exteriori Aquilonis usque ad portam ejusdem Aquilonis interiorem centum cubitos : ut his quasi gradibus atque mensuris, recedentes a porta exteriori, ad interiorem pervenire valeamus, de cujus numeri sacramento supra dictum est.

(Vers 24 seqq.) « Et eduxit me ad viam Austra-
« lem, et ecce porta quæ respiciebat ad Austrum.
« Et mensus est frontem ejus et vestibulum ejus,
« juxta mensuras superiores, et fenestras ejus, et
« vestibula in circuitu, sicut fenestras cæteras : [b] in
« qua erat quinquaginta cubitorum longitudo, et la-
« titudo viginti quinque, et in gradibus septem
« ascendebatur ad eam, et vestibulum ante fores ejus,
« et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde
« in fronte ejus. Et porta atrii interioris in via Au
« strali, et mensus est a porta usque ad portam in
« via Australi, centum cubitos. Et introduxit me in
« atrium interius ad portam Australem, et mensus
« est portam juxta mensuras superiores, thalamum
« ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, eisdem
« mensuris, et fenestras [c] vestibulorum in circuitu,
« quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis
« viginti quinque cubitos. Et vestibulum per gyrum
« longitudine viginti quinque cubitorum, et latitu-
« dine quinque cubitorum. Et vestibulum ejus ad
« atrium exterius, et palmas ejus in fronte, et octo
« gradus ejus erant, quibus ascendebatur ad eam. »

**483** Septuaginta in eadem verba consentiunt, præter *thee* (תאה), et [d] *elau* (אלו), et *elamoth* (אלמות), et *elam* (אולם), pro quo in Hebræo positum est *ulam*. *Thee* autem interpretatur *limen*, sive *frons*; *elau*, *circa eum*, sive *sustentacula*; *elamoth*, *propyla*, sive *vestibula*; *ulam* πρόπυλον, id est, *ante fores*. Illud autem quod juxta Hebraicum posuimus : *Et vestibulum*, sive, πρόπυλον, *in circuitu per gyrum longitudinis viginti quinque cubitorum, et latitudinis per quinque cubitos*, in Septuaginta non habetur. Sed et hoc notandum, quod in Australi porta juxta Septuaginta non dicatur via, sed simpliciter : *et eduxit me ad Austrum, et ecce porta quæ respiciebat ad Austrum*. Per singulos igitur introitus Ezechiel, quem confortavit Deus, hoc enim nomen ejus sonat, ducitur, et de porta Aquilonis transit ad portam Australem, cujus frontes, et limina τροπύλαια, sive vestibula fenestræque per circuitum similes habebant mensuras, quinquaginta cubitorum longitudinem, et viginti quinque cubitorum latitudinem, et per gradus septem ascendebatur ad eam, id est, ad portam Australem, et ve-

[a] Rabanus, *in quinquagesima*, scilicet die.

[b] Victorius, *fenestras cæteras quinquaginta cubitorum longitudine et latitudine viginti quinque cubitorum.*

[c] Idem, *fenestras ejus et vestibulum ejus in circuitu*, etc., juxta vulgatam editionem.

[d] Hoc nomen apud Septuaginta in diversis Exemplaribus diverse legitur, ἐλεοῦ scilicet, et ἐλεῦ, cum in Hebraico scriptum sit אלו, vel אילו. Id est, *elau*, ut hic legit Hieronymus. MART.

stibulum ejus, hoc est, elamoth, ante fores ejus : duæ quoque palmæ cælatæ, de quibus in Septentrionalis plagæ porta diximus. Et hoc tantum admonuisse sufficiat, quod quæcumque ibi ponuntur, juxta intelligentiam viliorem, hoc est, juxta litteram, in meridiana porta intelligimus juxta spiritualem sensum. Eisdem enim lineis, et historia currit et tropologia : sed illa humilior est, ista sublimior : illa hæret terræ, ista ad cœlestia subvolat. Et in circuitu per fenestras cuncta plena erant luminis. Singula enim προβλήματα habent terminos suos, et proprium per illa ad animam credentis lumen ingreditur : præsertim si longitudo vitæ ejus quinquagenarii anni, hoc est, jubilæi mysterio fuerit protelata, et ad divinioris sensus latitudinem potuerit pervenire. In qua latitudine et plateis agit sapientia confidenter, et cum sublimi voce clamitat : septemque gradibus ingreditur, ut perveniat ad vestibulum, et per palmas propositi sui atque conatus, victoriam teneat sempiternam. Et ne putaremus unum esse ad Australem partem atrium, de secundo dicitur atrio : *Et porta atrii interioris in via* **484** *Australi : et mensus est a porta usque ad portam in via Australi centum cubitos;* ut post hebdomadis et Instrumenti veteris sacramenta, ad terram bonam et Evangelii gratiam perveniret. Nec solum in porta Australi secundum atrium est ; sed tertium, de quo nunc dicitur : *Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem, et mensus est portam juxta mensuras superiores,* etc. Singula enim atria habent mensuras, et ordines suos, et in eisdem mensuris diversa gratia est, dum easdem res aliter in principio, aliter in profectu, aliter in fine cognoscimus. Iloc vero quod in Septuaginta non habetur, *et vestibulum,* sive πρόπυλον, *per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum,* videtur facere quæstionem, propter quod in veteri interpretatione non positum est, quomodo post profectum tertii gradus viginti quinque cubiti, et quinque ponantur. Sed tollit ambiguitatem illud quod sequitur : *Et vestibulum ejus ad atrium exterius : et palmas ejus in fronte ;* ut scilicet hoc atrium quod habebat in longitudine viginti quinque cubitos, et in latitudine quinque, non interioris, sed exterioris atrii sit, ut prioris atrii latitudinem, hoc est, viginti quinque cubitos, exterioris atrii possideat longitudo, et in latitudine quinque cubitos teneat. Quas mensuras, id est, viginti quinque et quinque, ad eosdem sensus referimus, visum videlicet, et auditum, gustum, et odoratum, et tactum, quas si ad altiora conscendimus, quinquies duplicamus, et de carnalibus sensibus facimus spirituales, ut est illud : Levate oculos vestros, et videte, quoniam jam messes albæ sunt ad metendum (*Joan.* IV, 35). Et : Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII, 8). Et : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 8). Et : Christi bonus odor sumus Deo in his qui credunt (II *Cor.* II, 15). Et in Joannis Epistola dicitur : Quod audivimus et vidimus, et manus nostræ palpaverunt de Verbo vitæ (I *Joan.* I, 1). Et ad extremum nequaquam ut in septentrionali plaga septem tantum gradus sufficiunt : sed post septem octonarius ponitur numerus, ut de Synagoga ad Ecclesiam, de veteri instrumento ad novum, de terrenis ad cœlestia transeamus.

(Vers. 28 seqq.) Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem : et mensus est portam secundum mensuras superiores ; thalamum « ejus, **485** et frontem ejus, et vestibulum « ejus [a] sicut supra, et fenestras ejus et vestibula « ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubito- « rum, et latitudine viginti quinque cubitorum. Et « vestibulum ejus, id est, atrii exterioris » (pro quo Septuaginta et Symmachus, *interiorem,* posuerunt); « et palmæ cælatæ in frontem illius hinc et inde, « et in octo gradibus ascensus ejus. » De Septentrionali plaga, in cujus atrium septem tantum ascendebatur gradibus, transit ad Australem portam et atrium ejusdem plagæ, ad quod non solum septem, ut supra, sed octo gradibus ascenditur : videlicet ut per vetera transeamus ad nova ; et ut loquar manifestius, per patriarchas et prophetas, veniamus ad apostolos : ut in altero hebdomas, in altero ogdoas sit. Nunc autem venit ad ultimum, immo ad summum, et introducit prophetam per viam portæ interioris, sive per atrium, ad quod itur per viam Orientalem. Via juxta Septuaginta in hoc tantum habetur loco; in Septentrionali, et Australi plaga omnino tacita est, ut possimus intelligere in Orientali tantum porta illam intelligendam viam, quæ dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Per ipsum enim venimus ad Patrem, et de ipso scriptum est : *Beati immaculati in via* (*Psal.* CXVIII, 1), qui nihil de Christo sinistrum sapiunt, sed fides eorum pura est, et nequaquam hæreticorum sorde polluta. Idemque numerus thalamorum, frontium et vestibulorum, et fenestrarum, et luminis earum, et eadem mensura longitudinis, et latitudinis : quinquaginta videlicet, et viginti quinque cubitorum sacramenta conservans, et vestibulum ejus portæ sive atrii interioris, quod juxta Hebraicum exterius ponitur, ut Orientali lumine omnia teneantur inclusa, secundum illud quod scriptum est : *Nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Sin autem et exterius, et interius accipimus atrium : sic intelligendum est, quod Deus et circumfusus sit et infusus, dicens per prophetam : *Qui tenet cœlum palmo, et terram pugillo* (*Isa.* XL, 12) : ut omnia ab illo videantur includi. Et rursum : *Cœlum mihi thronus est : terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI, 1), ut intra omnia esse credendus sit : juxta illud Virgilianum (*Æneid. lib.* VI) :

**486** Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque Astra,

[a] De more Vict. ad Vulgatæ lectionem *et vestibulum ejus in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis,* et paulo post *in fronte* pro *in frontem.*

Spiritus intus alit : totamque infusa per artus,
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Cumque per arma justitiæ a dextris et sinistris, per gloriam et ignominiam, per bonam et malam famam, per laudes et vituperationes, victoriam de isto sæculo ceperimus (II *Cor.* VI) : tunc palmæ nobis dantur ex utroque latere, quos nec gaudia mutavere, nec mœror, nec prospera, nec adversa superarunt : et nequaquam per septem [*Al.* octo] gradus, sicut in Aquilonis plaga, nec per septem et octo, sicut in meridie continetur : sed per octo (*Al.* septem) tantum gradus ad summa conscendimus : eo quod sufficiat nobis octonarii numeri, id est, Evangelicum sacramentum ; ut possimus juxta Apostolum dicere : *Et si noveramus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus eum* (II *Cor.* V, 16), subauditur juxta carnem.

(Vers. 35 seqq.) « Et introduxit me ad portam « quæ respiciebat ad Aquilonem, et mensus est se- « cundum mensuras superiores, thalamum ejus, « frontem ejus, vestibulum ejus, et fenestras ejus « per circuitum : longitudine quinquaginta cubito- « rum, et latitudine viginti quinque cubitorum. Ve- « stibulum ejus respiciebat in atrium exterius, et « cælatura palmarum in fronte illius hinc et inde, « et in octo gradibus ascensus ejus. Et per sin- « gula gazophylacia ostium in foribus (*Vulg.* fron- « tibus) portarum ; ibi lavabunt holocaustum. Et « in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ « inde, immoletur super eas holocaustum, et pro « peccato, et pro delicto. Et ad latus exterius, « quod ascendit ad ostium portæ quæ pergit ad « Aquilonem, duæ mensæ, et ad latus alterum « ante vestibulum portæ, duæ mensæ. Quatuor « mensæ hinc, et quatuor mensæ inde : per latera « portæ, octo mensæ erant, super quas immola- « bunt (*Vulg.* immolabant) : quatuor autem mensæ « ad holocaustum de lapidibus quadris exstructæ, « longitudine cubiti unius et dimidii, et latitudine « cubiti unius et dimidii, et altitudine cubiti unius, « super quas ponent (*Vulg.* ponant) vasa in quibus « immolatur holocaustum et victimæ. Et labia eorum « palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum : « super mensas **487** autem carnes oblationis. » Multum in hoc testimonio Hebraica Veritas a Septuaginta Interpretum editione discordat. Hoc enim quod diximus : *Ibi lavabunt holocaustum, et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc*, et rursum : *Ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato*, in Septuaginta non habetur : sed in plerisque codicibus de Theodotione additum est. Rursum ubi nos diximus : *Et labia earum palmi unius reflexa intrinsecus per circuitum*, Septuaginta transtulerunt, [a] *et gisum palmi habentes dolatum intrinsecus per circuitum*. Quod verbum, utrum Hebræum, [b] an Græcum sit, scire non possumus, nisi hoc tantum quod pro *giso*, Symmachus et Theodotio, *labia*, Aquilæ prima editio ἐπιστάσεις, numero plurali ; secunda, *labia* transtulerunt : pro quo in Hebræo habetur [c] ASEPHATHAIM (השפתים). Et ubi nos diximus, *super mensas autem carnes oblationis*, Septuaginta posuere de suo, *et in mensis desuper tecta, ut operiantur a pluvia et siccitate*. Illud autem quod Hebræis nominibus ediderunt, *Thee, et Elau, et Elalamoth, et Ælam*, quid significet, et supra admonuimus, et e regione ostendere potest nostra translatio : nec necesse est super hoc sæpe admonere lectorem, et prudentiæ ejus studioque diffidere. Introducitur ergo rursum ad portam quæ respiciebat ad Aquilonem : sed nequaquam ut supra ad atrium exterius, sed interius. In eo enim quod in consequentibus dicitur : *Vestibulum ejus respiciebat in atrium exterius*, ostenditur hoc atrium fuisse intrinsecus. Per quæ profectus ingredientis ostenditur ; dum in singulis locis nomina mensuræque sunt propriæ, et fenestræ per circuitum luminis plena scientiæ universa monstrantes, et per quinquaginta, et viginti quinque cubita remissionis divinorumque sensuum sacramenta sunt posita, ut in vestibulo atrii interioris positi, exteriora **488** videamus : præteritorum et præsentium notitiam contemplantes, per quam veniamus ad duplices palmas atque victorias, et octo graduum mysteria cognoscamus, introgressi gazophylacia, in quibus templi divitiæ continentur, et lavantur orationes nostræ ab omni sorde peccati : mensæque ex utraque parte binæ sunt positæ, ut primum immoletur holocaustum,

[a] De nomine γεῖσος, id est, *giso*, pauca diximus in libro Hebraicorum Nominum, sed ibi scribitur γησσὸς, sive γαισὸς, et significat *clypeum*, aut *organum bellicum*, non *labium* mensæ, ut LXX voluerunt. Quamquam γεισίον sit quoque *septum* et *lorica*; γεῖσος porro *agricola* dicitur ; et γεῖσα, sive γεῖσοι sunt partes tecti prominentes, quibus stillicidia a parietibus arcentur. Mirum quod hanc operam nostram non anteverterit Criticus, sive Clericus sycophanta adversus Hieronymum : sed sufficit ei exsultare in locis communibus, et prætermittere ea quæ possunt facere quæstionem. MART.

[b] Quin potius Gallicum vetus est, sic enim Galli jaculum appellabant, a quibus Græcos et Romanos vocabulum accepisse, pronum est opinari. Statius Thebaid. IV Græcis vetustissimis per prolepsin tribuit;

Armenti vigilem patrio de more sequuntur,
Gesaque, latratorque Sydon, etc.

Nonnius, *Gessa*, *tela Galliarum* : qui etiam ex Varrone Gallos cum binis gessis describit. Paria habent et Servius ad Æneid. VII, ubi *alpina gessa* dicuntur, et Cæsar de Bell. Gall. III, et Propertius de Virdomaro Gallorum Rege lib. IV. Denique et Claudianus lib. II in Eutropium, itemque secundo in Stilichonem. Sed jam audi S. Augustinum in Josue : « Quid, inquit, dicat Gessa, non facile intelligitur. Hoc interpres Symmachus scutum appellasse perhibetur. Septuaginta autem interpretes, secundum quos ista tractamus, qui posuerunt gesson, miror si in Græca lingua hastam, vel lanceam (Gallicanam) intelligi voluerunt : ea quippe dicuntur gessa. » De vocabuli orthographia parum convenit inter Græcos, qui et γαισὸς, et γαῖσος, γεσὸς, et γαῖσον scribunt, atque inter Latinos quibus æque probatur *gæsum*, *gæssum*, *gesum*, *gessum*.

[c] Omittunt editi libri articulum ה, sive A, quam litteram retinent omnes mss. codices. MART.

quod totum sacer ignis assumat, deinde pro peccato, et ad extremum pro ignorantia: quod vel scientes commisimus, vel ignorantes. Ad latus quoque exterius juxta Septuaginta erat rivus fabrefactus, qui holocaustorum cineres, et carnium virulentias (*Al.* jurulentias) efferebat exterius: sive erant duæ mensæ, et ad latus alterum vestibuli ejusdem portæ duæ mensæ, id est, ex utraque parte quaternæ, quatuor hinc, et quatuor inde, et post tergum, sive ad latus earum aliæ octo mensæ: ut simul faciant mensas sedecim: quo numero prophetarum mysteria demonstrantur: ut quidquid per Evangelicam offerimus dignationem, prædictum eorum vaticinationibus approbemus. Quodque inferuntur quatuor mensæ de lapidibus quadris exstructæ, et hæ ipsæ ad sacrificium et holocaustum (*Al.* holocaustorum), isti sunt vivi lapides qui volvuntur super terram, et habent secum angularem lapidem, quo veteris, et novi Instrumenti parietes continentur. Quatuor autem numerus Evangelica sacramenta demonstrat, longitudine et latitudine habens unum cubitum et dimidium, id est, per quadrum, quæ simul juncta tres cubitos faciunt, qui tres cubiti habent in altitudine cubitum unum; ut mysteria Trinitatis unius cubiti, hoc est divinæ majestatis mensura conservet, dicente Domino ad discipulos: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). Nomen autem Dei, quasi unius (*Al.* unus) altitudinis cubitus est, qui **489** tres complectitur proprietates, et holocausta oblationum nostrarum semper assumit. Super ipsas autem quatuor mensas holocaustorum vivis lapidibus exstructas, quarum longitudo, et latitudo, et altitudo descripta est, ponuntur vasa in quibus immolatur holocaustum martyrum, de quibus dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Ps.* CXV, 5); et eorum victimæ, qui continentia, et corporis sanctitate, animas suas immolant Domino. Mensarumque istarum nomine, puto in Matthæo, et Luca, Marco et Joanne apostolis contineri: quarum corona desuper flexa intrinsecus, per circuitum margines ambiebat, ut holocausta contineret intrinsecus, et non passim fluere permitteret, teneretque carnes oblationis, sive ut LXX transtulerunt: *Et ipsæ mensæ tectæ erant desuper*, propter imbrium violentiam, et æstivi solis nimiam siccitatem: ut carnes desuper positæ, possint dicere cum propheta: Per diem sol non uret nos, neque luna per noctem (*Ps.* CXX, 6). Quorum alterum, nimiis pluviis, et tempestatibus tribulationum dissolvit oblationes; alterum vehementi æstu persecutionum arefacit quidquid oblatum est. Ignosce, lector, difficultati locorum: aut si melius quid invenire potes, doce: libenter discimus quod nescimus.

(Vers. 44 seqq.) « Et extra portam anteriorem « gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod « erat in latere portæ respicientis Aquilonem, et fa- « cies eorum contra viam Australem: una ex latere « portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aqui- « lonis. Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium « quod respicit viam meridianam sacerdotum « [*Vulg. addit* erit], qui excubant in custodiis tem- « pli. Porro gazophylacium quod respicit ad viam « Aquilonis, sacerdotum erit qui excubant ad mi- « nisterium altaris: Isti sunt filii Sadoc qui acce- « dunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei. « Et mensus est atrium longitudine centum cubito- « rum, et latitudine centum cubitorum per qua- « drum, et altare ante faciem templi. Et introduxit « me in vestibulum templi: et mensus est vestibu- « lum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis « inde, et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, « et trium cubitorum inde. Longitudinem autem « vestibuli viginti cubitorum, et latitudinem unde- « cim cubitorum, et octo gradibus ascendebatur ad « eam, et columnæ earum [Sic. mss. Vulg. *erant*], in « frontibus, una hinc, et altera inde. » **490** Pro *gazophylaciis*, Septuaginta *exedras* transtulerunt. Illudque quod nos diximus *exedræ*, sive *gazophylacia* cantorum, ab eis prætermissum est. Rursumque post mensuram vestibuli quinque cubitorum hinc, et quinque cubitorum inde, addidere de suo, *et latitudo portæ cubitorum quatuordecim*, cum in Hebræo tantum positum sit, *et latitudo portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde.* Hæc lectorem admonui, ne translationum diversitate turbetur, sed ut in præsenti loco, et maxime in mensuris templi, Hebraica veritate contentus sit. Igitur post murum, quem περίβολον Septuaginta transtulerunt, qui totum templum per quadrum ambiebat in circuitu, introductum prophetam legimus in atrium interius, et deinde ad Aquilonem, et ad Austrum, et ad portam Orientalem, et rursum ad Aquilonem: de quibus, ut potuimus, diximus, et in quorum diversitatibus, vel nominum, vel mensurarum, quid nobis videretur, præteritus sermo monstravit: quorum sensum testimonium Salvatoris breviter ostendit dicentis: In domo Patris mei multæ sunt mansiones (*Joan.* XIV, 2). Quibus expletis, ingreditur templum, hoc est, Sancta sanctorum, de quibus nunc dicitur, et intra portam interiorem, gazophylacia, sive exedræ cantorum. Ad quos illud imperium est: Cantate Domino canticum novum (*Ps.* XCV, 1). Qui cum Angelis clamitant: Gloria in excelsis Deo, et super terram pax in hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). Quod atrium interius erat situm in latere portæ, quæ respiciebat ad Aquilonem, et ad Austrum, et ad Orientem; ut semper meminerint cantores Domini, et qui angelorum officio detinentur, per quos gradus ad summa pervenerint; et mysteria singulorum locorum diligenter agnoscant. Denique vir ille cujus calamus, et funiculus erat in manu, introducto propheta in atrium interius quod respiciebat viam meridianam, hæc locutus est, *Hoc est gazophylacium* sive *exedra*; et ut Theodotio posuit, *thalamus*, qui habitationi sacerdotum separatus est, observantium in excubiis templi. Porro gazophylacium quod respicit ad viam Aqui-

lonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris. In quo notandum, quod sacerdotes quibus custodiæ templi delegatæ sunt, habitant **491** in gazophylacio, quod respicit ad viam meridianam, in qua lux plenissima est. Hi autem qui excubant ad ministerium altaris, in quo offeruntur victimæ pro peccato, in gazophylacio sint quod respicit viam Aquilonis, eos qui ab Aquilone veniunt, et offerunt victimas pro peccatis, suscipere et salvare cupientes. Qui utrique pro officiis suis Domino servientes, appellantur filii Sadoc, qui interpretatur *justus*, sive *justificans*, omnipotens videlicet Deus, de quo scriptum est : Justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus (*Ps.* x, 8). Isti autem filii Sadoc de filiis Levi, qui interpretatur *assumptus* : et ipsi assumuntur a Domino, ut accedant ad eum, et nequaquam de solo dicatur Moyse : Moyses accedebat ad Dominum ; alii vero non accedebant (*Exod.* xix) ; sed et omnes qui serviunt ei, et ministrant, Domino appropinquare dicuntur. Iste autem vir qui introduxit Ezechielem in atrium interius, et ut ita loquar, ad Sancta sanctorum, mensus est ipsum atrium, in quo erant duæ exedræ sive gazophylacia custodum templi, sive altaris habitaculis delegata, et reperit longitudinis, et latitudinis per quadrum centenos cubitos : ut Sacerdotes Dei ministerio servientes, qui per arctam, et angustam viam intraverant, habeant deambulacra latissima, et in perfecto consummatoque virtutum numero commorentur. Et in ipso atrio erat altare ante faciem templi : ut numquam sanctorum ad Deum cesset oratio. Supradictus quoque vir introduxit Ezechielem in vestibulum, sive πρόπυλον templi, quod mensus est quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde : quoniam qui introductus est, divinis sensibus fuerat eruditus, et nec dexteram noverant, nec sinistram, sed via regia ingrediebatur. Latitudo autem ipsius portæ, per quam introitus erat ad vestibulum templi, habebat ternos cubitos hinc et inde. In quo Scripturæ sanctæ observanda elegantia : quod non dixerit a dextera et sinistra, ne videretur in Sanctis sanctorum sinistrum aliquid **492** nominare ; sed hinc et inde, id est, ex utraque parte. Statimque prudens lector intelligit, trinum numerum ad Trinitatis mysterium pertinere, quæ porta est ingredientium ad Deum, dum et Pater in Filio est, et Filius in Patre, et in utroque Spiritus sanctus. Qui ternus numerus, una porta est eorum qui post baptismum Trinitatis perveniunt ad salutem. Quod autem sequitur : *Longitudo vestibuli viginti cubitorum, et latitudo undecim cubitorum*, videtur facere questionem, quomodo dualis numerus qui refertur ad duas decadas, et undecimus qui unum videtur habere minus, ut sacrum numerum expleat duodecimum, in vestibulo templi esse dicatur. Quod plerique sic solvunt : Quamvis sancti sint sacerdotes et in templi ministeriis collocati, et quotidie victimas offerant Christo : tamen quia in hoc mortali fragilique corpusculo, et ægrotationibus vitiisque subjecto commorantur, vicenarium habent numerum et undecimum. Unde dicebat et Apostolus : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* vii, 24) ? Non quod juxta sævissimam hæresim, abolenda corpora esse credamus ; sed quod voti nostri sit supervestiri, non spoliari, et mortale hoc accipere immortalitatem, et corruptivum induere incorruptionem. Illud autem quod sequitur : Et octo gradibus ascendebatur ad eam (I *Cor.* xv), id est, ad portam interiorem, scientibus Hebræam linguam, facit magnam difficultatem. Denique Symmachus, quem in hoc loco secuti sumus, *octo* gradus posuit : Septuaginta, *decem* ; Theodotio et Aquilæ secunda editio, *undecim* ; prima autem nullum numerum posuit, sed absolute ait, *et gradibus in quibus ascendebatur ad eam* : ut vel juxta consuetudinem priorum portarum, octo intelligamus gradus, sicut intellexit et Symmachus, vel certe quos habebat porta interior, quorum numerum Scriptura non dixit (pro [a] quo in Hebræo positum est, UROB (ורחב), id est *et latitudo*, ASTE (עשתי), ESRE (עשרה). Quod si ita legatur, *undecim* significat : **493** sin autem pro ESRE, hoc est, *decem*, legamus ESER (אשר), non significat *decem*, sed pronomen *qui*). Hæc Hebræi sermonis expertibus deliramenta videantur : sed nunc non controversias scribimus, aut orationes, in quibus ludi solet compositione verborum, sed explanationes, et commentarios Hebræorum voluminum. Verum redeamus ad cœptum. Octo sive decem gradibus qui perfectus est numerus, aut undecim, de quo jam diximus, ascenditur ad portam sanctorum, in cujus frontibus columnæ erant, una hinc, et altera inde. Non dixit, duæ, ne in dualem incurreret numerum, sed una et una, qui perfectus est numerus, et

[a] Falso legunt hic libri ante nos editi, *positum est verohab*, etc., cum Hieronymus legat in mss. codicibus UROB juxta morem antiquorum, et non juxta punctationem hodiernam. Consequenter in manuscriptis exemplaribus scriptum reperio, *sed pro nomen sermonis*, etc. ; vel, *sed pro nomen quibus Hebræi*, etc. Quæ depravationes sunt veterum librariorum, qui et ipsi expertes fuerunt Hebræi sermonis. MART. — Quatuor hos versus uncinis inclusos Victorius delet, eruditiorum, ut ait, judicio fretus, quod nec sensum sanctissimi viri assequerentur, nec interpretationis diversitatem, qualisnam vera esset, attingerent. Equidem verba *Urob*, *Aste*, *Esre* in Hebræo non pro graduum numero quibus ascendebatur, et quos Hieron. exponit, sed pro ejusmet versiculi priori parte posita sunt, et cubiculi ipsius latitudo cubitorum undecim dicitur : quæ ad propositam difficultatem nihil faciunt. Non adeo tamen hæc temere intrusa pericope suppositaque textui Hieronymiano putanda est, sed manca potius ac deformata veterum scribarum mendis ; siquidem et verba ipsa S. Doctoris ingenium probe referunt, et maxime subnexa orationis series, id genus aliquid ex Hebræo observatum antea, persuadet. Facile quidam excidit versus quem supplere quidem ex ingenio possim, nolim vero cum mss. suffragiis caream.

unione sui imitatur Deum. Istæ autem erant columnæ duæ, de quibus et in Apocalypsi dicitur : Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur (*Apoc.* III, 12). Et Petrus ac Joannes columnæ appellantur Ecclesiæ (*Galat.* II), per quos ingredimur ad Sancta sanctorum, et quorum doctrina, ad Christum noster introitus est.

(Cap. XLI. — Vers. 1 seqq.) « Et introduxit me « in templum, et mensus est frontes sex cubitos « latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, la- « titudinem tabernaculi. Et latitudo portæ decem « cubitorum erat, et latera (*sive* humeri) portæ « quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde. Et « mensus est longitudinem ejus quadraginta cubito- « rum, et latitudinem viginti cubitorum. » Post multa mysteria, variosque introitus, et locorum singulorum proprietates, tandem aliquando vir, cujus funiculus cæmentariorum, et mensuræ calamus in manu erat, Ezechielem prophetam introducit in templum, et mensus est frontem templi : pro quo *ælam*, Septuaginta ; et *ælim* Theodotio ; et *in circuitu* Symmachus transtulerunt. Et ex utraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat, sacramentum creaturarum omnium continens : in sex enim diebus mundus est consummatus. Per quorum notitiam causasque conditionis atque rationem intramus ad templum Dei, et ex creaturarum ordine atque constantia cognoscimus Creatorem. Latitudo autem portæ templi erat decem cubitorum, qui sacratus et perfectus est numerus, et in quo mense septimo, die decima mensis, jejunium et propitiatio est. Decima autem die mensis primi, qui appellatur *Nisan*, ad immolationem, **494** et præparationem Paschæ agnus assumitur. Septimo igitur mense, decimæ offeruntur in Dei horrea, sive, ut Scriptura appellare consuevit, torcularia. Unde dicit et Apostolus : Dilatamini et vos (II *Cor.* VI) ; ut postquam per decem portæ cubitos templum quis fuerit [ *Al.* qui fuerat ] ingressus, ex utraque parte portæ ipsius latera, sive ut proprie in Hebraico dicitur, humeri mensurentur qui semper referuntur ad opera. Unde et Isachar desideravit bonum (*Gen.* XLIX), requiescens inter medios cleros, vidensque requiem, quia bona est, et terram, quia pinguis, supposuit humerum ad laborandum, et factus est vir agricola. Et in veste pontificis, humerale cum rationale stringitur, ut rationi opera copulentur, et possit dicere vir Ecclesiasticus : A mandatis tuis intellexi (*Ps.* CXVIII, 104). Qui humeri portæ, ex utraque parte, quinas habebant porticus, ut per terrenos sensus atque divinos, super quorum differentia sæpe scripsimus, ingrediamur adyta templi, cujus mensus est vir ille, qui ductor prophetæ erat, longitudinem quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum, sive ut melius est, portæ longitudinem ac latitudinem : quia supra tantum de latitudine, et humeris ejus dixerat. Quod autem vicies quadraginta octingentesimum numerum faciat, qui vicinus est octonario, nulli dubium est. Unde in Ecclesiaste præcipitur : Da partes septem : da et octo (*Eccl.* XI, 2). De cujus numeri sacramento crebro disputasse me novi, sive quia per tribulationes, et angustias hujus sæculi intramus ad sanctuarium [*Al.* sanctum atrium] Domini : idcirco longitudo portæ habebat cubitos quadraginta, qui numerus semper in labore positus est. Unde et Moyses, et Elias quadraginta diebus non comedunt panem, et aquam non bibunt (*Deut.* IX ; III *Reg.* XIX ; *Deut.* XXIX) : et annis quadraginta populus Israel vexatur et probatur in solitudine, et per multos labores terram repromissionis ingreditur : et Dominus atque Salvator secundum assumpti corporis fragilitatem quadraginta diebus tentatur in solitudine, ut post victoriam accedant angeli, et ministrent ei (*Matth.* IV) : Cum autem per tribulationes, et angustias poterimus dicere illud Apostolicum : In omnibus tribulati, sed non coangustati (II *Cor.* IV, 8), atque illud propheticum : In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV, 1), tunc nobis latissimus aperitur introitus, qui viginti cubitorum habet **495** latitudinem, ut superatis mundi certaminibus atque terrenis, qui et ipse dualis est numerus, ingrediamur templi penetralia, et audiamus imperantem discipulis Dominum : *Confidite : ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 34).

(Vers. 3, 4.) « Et ingressus intrinsecus (*sive* in « atrium interius) mensus est in [a] fronte (*sive* ælam) « portæ duos cubitos, et portam sex [*Al.* decem] cu- « bitorum, et latitudinem portæ septem cubitorum « ( *sive* et humeros portæ septem cubitis hinc, et « septem cubitis inde ). Et mensus est longitudinem « ejus (*sive* ostiorum ) viginti cubitorum et latitudi- « nem viginti cubitorum ante faciem templi. Et dixit « ad me : Hoc est Sanctum sanctorum. » Quantumvis proficiamus, semper nobis major profectus aperitur. Unde post introitum templi rursum ingredimur intrinsecus, sive ut Septuaginta transtulerunt, interius atrium, in cujus *fronte*, sive ÆL, pro quo Symmachus, *circa portam*, Theodotio ÆLAM, Hebraicum UL (אול), Aquila *ostium*, nos *frontem* interpretati sumus, duo erant cubiti : ut juxta superiorem sensum per dualem numerum ingrediamur ad eum locum, ubi sunt Sancta sanctorum. Unde et ipsa porta sex cubitorum erat, per quam ingressi, æternam requiem possidemus, quæ in septenario numero demonstratur. Pro quo Septuaginta transtulerunt, *et latitudinem portæ septem cubitorum hinc*, *et septem cubitorum inde*, in Hebræo et cæteris editionibus semel tantum *septem cubiti*, in latitudine portæ, po-

[a] Locus depravatissime editus apud Erasmum et Marianum : qui hoc modo legunt : *In cujus fronte sive αἰλὰμ ( Er. elau) pro quo Symmachus περὶ τὴν θύραν, id est, circa portam: Theodotio Hebraicum* אול, *el; Aquila ostium, nos frontem interpretati sumus.* Ubi nihil reperio Hieronymianum, cum pro ÆL posuerint *αἰλὰμ*, vel *elau;* Græca verba Symmachi addiderint de suo ; et pro lectione Theodotionis *ælam*, et Hebraico *ul*, אול, substituerint Hebraicum hodiernum אול, *ail*, sive *el*. MART.

sti sunt. Quod autem sequitur : *Et mensus est longitudinem ejus*, sive ut Septuaginta transtulerunt, *ostiorum viginti cubitorum*, pro quo in plerisque codicibus juxta Septuaginta *quadraginta* continentur, latitudinem quoque viginti cubitorum ante faciem templi, illud significat, quod ante templi faciem, et introitum ejus, præteriti laboris atque certaminis nobis mensura semper occurrat. Quam enim rationem in singulis numeris duplex numerus possidet, eamdem duæ habent decades. Et hoc considerandum, quod ingressus intrinsecus per portam duorum in fronte cubitorum, et sex habentem cubitos, septemque in latitudine ex utraque parte, et viginti cubitos in longitudine, **496** totidemque in ipsis templi foribus, doceatur propheta qui sit ille locus, vel quo appelletur vocabulo. Dixit enim, inquit, mihi : *Hoc est Sanctum sanctorum*. Sin autem ante templum, sive ut Scriptura cognominat, ante faciem templi Sanctum sanctorum est, quantam beatitudinem in templi adytis, et in interioribus ejus existimare debemus! De qua propheta loquitur : *Hoc labor est in conspectu meo, donec ingrediar in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum* (*Ps.* LXXVII, 16, 17). Sed et hoc notandum, quod in descriptione tabernaculi dicuntur Sancta sanctorum, plurali numero ; hic autem Sanctum sanctorum, numero singulari, ut post sancta veniamus ad sanctum : quomodo post multa cantica pervenimus ad Canticum canticorum, quod omnium carminum carmen est, et quod canentes, sponsi copulamur amplexibus.

(Vers. 5 seqq. ) « Et mensus est parietem domus « sex cubitorum, et latitudinem lateris quatuor cu- « bitorum undique per circuitum domus. Latera autem latus ad latus, bis triginta trium [*Vulg.* tria ], « et erant eminentia quæ ingrederentur per parie- « tem domus in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi. Et platea « erat in rotundum ascendens : sursum per cochleam « et in cœnaculum templi deferebat per gyrum. « Idcirco latius erat templum in superioribus, et sic « de inferioribus ascendebatur ad superiora in me- « dium ·⁂· et de mediis ad tristega et Thrael ; » Quod autem in LXX ponitur, *Et de mediis ad tristega*, id est, *ad tria cœnacula, et Thrael*, in Hebraico non habetur. Pro *Thrael* quoque ( quod nescio quid significet ; [a] neque enim habetur in Hebræo ) legitur apud illos URAITHI (וראיתי) , quod et nos, et cæteri transtulerunt, *et vidi*, ut sequatur ordo testimonii.

(Vers. 8 seqq. ) « Et vidi in domo altitudinem per « circuitum fundata latera ad mensuram calami, sex « cubitorum spatio, et latitudinem per parietem la- « teris forinsecus, quinque cubitorum, et interior « domus in lateribus domus, et inter gazophylacia « latitudine viginti cubitorum in circuitu domus « undique. Et ostium lateris ad orationem ( quod « in Septuaginta non habetur ), ostium unum ad « viam Aquilonis, et ostium unum ad viam Au- « stralem, **497** et latitudinem loci ad orationem » (quod et ipsum Septuaginta non transtulerunt), « quin- « que cubitorum in circuitu. Et ædificium quod erat « separatum versumque ad viam respicientem ad « mare, latitudinis septuaginta cubitorum : paries « autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per « circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitis ». Postquam pervenit ad Sanctum sanctorum, de quo supra diximus, vir ille venerabilis mensus est Sancti sanctorum parietem, qui propter fabricam mundi, et omnem visibilem creaturam, quæ in sex diebus condita est, sex habebat cubita, et latitudinem unius lateris quatuor cubitorum : non ex uno latere, sed per circuitum. Quatuor autem cubita tenebat per circuitum domus latitudo, ut quatuor elementa monstraret, ex quibus universa compacta sunt, et maxime humana corpora, contra quæ sancti dimicantes, et subjicientes se animæ potestati, interiora merentur intrare, et Domini arcana cognoscere. Ipsa autem latera quæ in circuitu domus erant, et quatuor cubitorum spatio a templi parietibus separabantur, juncta sibi erant : ita ut unum latus aliud latus contingeret, et haberet in longitudine non triginta et tres cubitos, sed bis triginta tres, hoc est, sexaginta sex. Vetus in Levitico loquitur Testamentum, in ortu maris post unam hebdomadam, et illam quæ genuit, et illum qui genitus est, triginta tres explere dies, ut veniant ad purificationem ( *Levit.* XII). Porro si genuerit feminam, duplicem observari numerum, id est, sexaginta sex. Et quia, ut veniamus ad sancta sanctorum, non solum prima indigemus nativitate, sed et secunda, ut nati in carne, renascamur in spiritu : idcirco non sexaginta sex, sed bis triginta, et trium ponitur numerus : ut utraque nativitas Deo auctori debeatur illiusque clementiæ, et duplici muro circumeant latera domus quæ templi fulciunt ædificium. Quodque sequitur juxta Hebraicum : « Et erant « quædam eminentia, quæ egrederentur per parie- « tem domus per latera in circuitu, ut continerent, « et non attingerent parietem templi, » illud significat : quod sancti viri in multitudine credentium erumpant per parietem templi, per omnia videlicet latera in circuitu, et contineant Ecclesiæ fundamenta, et tamen non tangant parietem templi : **498** tantum vidisse contenti, et de longe ineffabilia adorasse mysteria. Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, et plenissimam tangere atque comprehendere non possumus veritatem. Quod autem platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum : et idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de in-

[a] Victorio autem ishæc lectio impressa adeo visa est intellectu difficilis et corrupta, ut de suo rescribere non dubitarit, *nescio quid significet apud illos ; in Hebræo legitur Uraithi, quod*, etc. Hoc vero planissime ex Hieronymo constat, quod litterarum Hebraicarum similitudine decepti LXX pro verbis וראיתי ותראיל לבית legerint, junxerintque aliter ותראיל בית *Vethrael*, sive *et Thrael, domus*, quæ vox neque Hebraica est, neque in Hebræo habetur, sed pro ea legitur *Uraithi, Et vidi*, etc.

ferioribus ascendebatur ad superiora, et medium : puto perspicuum esse lectori, semper angustiora esse quæ deorsum sunt in jejuniis, χαμευνίαις, et victus continentia, paulatimque dum ad summa conscendimus, latiorem nobis aperiri viam, et impleri quod scriptum est: in tribulatione dilatasti mihi (*Ps.* IV, 1). Per rotundum autem et per cochleam ascendimus templi cœnaculum, quæ figura inter omnia σχήματα a philosophis quoque hujus sæculi pulchrior approbatur : dum et cœlum, et sol, et luna, et astra cætera, et punctum terræ, in corporibus quoque humanis, oculi, quasi altera sidera, et figura capitis, quod omnium sensuum receptaculum est, teretesque digiti, et femina, et brachia hanc præferunt rotunditatem. Porro cœnaculum templi, ad quod de angustioribus ad altiora conscendimus, illud puto esse, quod in regum volumine Elias habuit, et Elisæus, et in apostolorum Actibus, *Tabitha*, id est, δόρκας et damula nostra possedit, quæ bonis operibus ad summa conscenderat (III *Reg.* XVII; IV *Reg.* IV; *Act.* IX; *Act.* X). Apostolus autem Petrus, super quem Dominus Ecclesiæ fundamenta solidavit, transcendit cœnaculum, et venit ad tectum, quod significantius Græce δῶμα dicitur, id est, tecti solarium : et incognita prius sæculo Ecclesiæ sacramenta cognovit. Salvator quoque generis humani pascha fecit in cœnaculo, et magno latoque cœnaculo, atque omni sorde purgato stratoque, et ad spirituale convivium præparato, ubi mysterium corporis et sanguinis suis tradidit discipulis, et æternam nobis agni immaculati reliquit festivitatem. Quodque addidit: *Et de mediis ad tristega*, id est, *tertia cœnacula et Thrael*, videtur mihi obelo prænotandum. Quid enim necesse est dubia, et non scripta disserere : cum in ea quæ Hebræorum tenentur libris debeamus incumbere? Sequitur : « Et vidi in domo « altitudinem per circuitum fundata **499** latera « ad mensuram calami, sex cubitorum spatio : et « latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque « cubitorum, et inter gazophylacia » (quæ Symmachus ἐξέδρας vocat) « *latitudinem* | *cubitorum viginti* « *per circuitum domus*. Quibus numeris ostenditur, quod de mundo hoc, et de terrenis sensibus, et de duali duarum decadarum numero, qui refertur ad viginti, non solum in sancta sanctorum, sed et in cœnacula eorum mereamur ascendere, et semper habere in memoria, quod per sex dies conditionis nostræ, et per quinque sensus, et per viginti cubita latitudinis ascenderimus ad cœnaculum templi, et terrenam humilitatem, sensumque litteræ relinquentes, transierimus ad summitatem Ecclesiæ, Spiritusque Sancti consortio gaudeamus. Et ostium, inquit, lateris ad orationem contra viam Aquilonis (*Jer.* I, 14), a quo exardescunt mala super omnem terram, et quem Dominus abacturum se a nobis pollicetur, dicens : Et eum qui ab Aquilone est, abigam a vobis (I *Joel.* II, 20). Pulchreque in ostio contra Aquilonem locus orationis est, ut secundum Apostolum (I *Thess.* V), oremus sine cessatione, et dicamus cum Jeremia : Non sileat pupilla oculi mei (*Thren.* II, 18), vel præsentia mala vitare cupientes, vel agentes gratias pro præteritis. Quamdiu enim in tabernaculo corporis hujus sumus, ingemiscimus, dicimusque : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII, 24)? Sed et ad viam Australem erat ostium, et ipsum juxta Hebraicum habens locum orationis et quinque tendens cubitis per circuitum. Post frigus enim Aquilonis ad Australem transimus calorem, et tamen rursum orationis quærimus locum, in Aquilonis ostio, ut evadamus pericula : in Australi, ut agamus gratias pro præteritis, et sit nobis victoriæ secura possessio. Quinque autem cubiti, et in hoc loco divinos indicant sensus, per quos de terrenis ad altiora conscendimus. Et ædificium, inquit, quod erat separatum versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum : ut post labores, et pericula, et sæculi istius fluctus atque naufragia, et annos septuaginta, de quibus Jeremias scribit, et Daniel, et Zacharias (*Jer.* XXV *et* XXIX; *Dan.* IX, *Zach.* IX); verum et legitimum septem decadarum sabbatum **500** consequamur : ut sit nobis æterna requies, et per quinque cubitorum latitudinem veniamus ad longitudinem nonaginta cubitorum : in qua ætate de repromissione filium Sara generavit, quæ nonaginta annorum, id est, novem decadarum, peperit Isaac, juncta Abraham centenario (*Gen.* XXI), id est, decem decadarum habenti mysterium. Qui numerus quid significet, sequens Scriptura monstrabit.

« (Vers. 13 seqq.) Et mensus est domus longitu-
« dinem centum cubitorum. Et quod separatum erat
« ædificium, et parietes ejus longitudinis centum
« cubitorum. Latitudo autem ante faciem domus, et
« ejus quod erat separatum contra Orientem, centum
« cubitorum. Et mensus est longitudinem ædificii
« contra faciem ejus, quod erat separatum ad dor-
« sum. [a] ΕΚΘΕΤΑC (*id est*, eminentia) ex utraque
« parte centum cubitorum : Et templum interius, et
« vestibula atrii. Limina et fenestras obliquas ΕΚΘΕ-
« ΤΑC, in circuitu per tres partes contra uniuscujus-
« que limen, stratumque ligno per gyrum in cir-
« cuitu : terra autem erat usque ad fenestras : Et
« fenestræ clausæ. Super ostia, et usque ad domum
« interiorem : Et forinsecus per omnem parietem in
« circuitu intrinsecus : Et forinsecus ad mensuram.
« Et fabrefacta Cherubim et palmæ : Et palma inter
« Cherub et Cherub : duasque facies habebat Cherub :
« faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et fa-
« ciem leonis juxta palmam ex alia parte; expressam
« per omnem domum in circuitu. De terra usque ad
« superiora portæ Cherubim et palmæ cælatæ erant
« in pariete templi. Limen quadrangulum erat : Et
« facies sanctuarii aspectus contra aspectum altaris
« lignei, trium cubitorum altitudo ejus : Et longi-

[a] In Lat. Hier vers. *ecthetas* : in aliis libris *ethecas*, quod idem est derivatum vocabulum ex Hebraico אתיקאהר.

« tudo ejus duorum cubitorum : Et anguli ejus, et « longitudo ejus, et parietes ejus lignei. LXX : Et « mensus est ÷ contra *, domum longitudinem cu- « bitorum centum : et reliqua et separantia et pari- « tes ejus, in longitudinem cubitorum centum ; Et « latitudinem contra faciem templi, et reliqua econ- « tra cubitorum centum. Et mensus est longitudinem « separantis contra faciem reliquorum, quæ erant « post tergum domus illius, et reliqua hinc et inde cu- « bitorum centum longitudinem. Et templum et an- « guli, et Ælam exterius strata ligno, et fenestræ in « modum retis factæ tres, ad lucendum, ut prospice- « retur per eas. Et domus, et ea quæ proxima erant, « strata ligno per circuitum : Et pavimentum, « **501** et de pavimento usque ad fenestras. Et fene- « stræ aperiebantur tripliciter, ut prospiceretur per « eas : et usque ad domum interiorem, et exteriorem, « et per omnem parietem in circuitu intrinsecus et « extrinsecus mensura, et cælata Cherubim, et « palmæ inter Cherub et Cherub. Duæ facies Che- « rub : facies hominis ad palmam hinc, et facies « leonis ad palmam inde : cælatus omnis paries per « circuitum a pavimento usque ad laquearia Cheru- « bim, et palmæ cælatæ. Et sanctuarium et tem- « plum aperiebatur per quatuor angulos contra fa- « ciem sanctorum : visio quasi species altaris lignei : « trium cubitorum altitudo ejus, et longitudo cubi- « torum duorum : et latitudo cubitorum duorum : et « cornua habebat, bases quoque et parietes ejus « lignei. » Verbum *contra*, quod LXX transtulerunt in principio testimonii, ubi scriptum est : *Et mensus est contra domum*, in Hebraico non habetur, et idcirco obelo prænotandum est : ut sit rectius et verius, *et mensus est domum longitudine cubitorum centum*, et reliqua. Describuntur autem Sancta sanctorum et templum interius, quod post nonaginta cubitos, ex tribus partibus centenos cubitos habere dicatur, [a] perfectum videlicet numerum decadarum decem : ut et mente, et sermone, et operibus Domino serviamus, recordantes illius Apostolici exempli in quo ait : Ut scire possimus quæ sit latitudo, et longitudo, et profundum, et altitudo (*Ephes.* III, 18). Quod autem in Hebraico dicitur, ædificium separatum et parietes ejus, LXX *reliqua* interpretantur et *separantia*, quæ non hæreant parietibus templi, sed propinquos et suos habeant parietes. Ipsum quoque templum et anguli ejus, et *Ælam*, id est, πρόπυλον, sive *vestibulum*, exterius erant strata ligno, sapientia videlicet, quod lignum vitæ situm in paradiso Scriptura commemorat (*Genes.* II). Fenestræ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum : ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur : pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet, quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet et sinistram, et post tergum, id est, ad Meridiem, et ad Aquilonem, et ad Occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi, januarum lumine **502** complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere. Et non solum exteriora erant strata ligno, sed tanta erat lignorum copia per circuitum, ut et pavimentum et de pavimento usque ad fenestras, lignis omnia jungerentur. Quæ fenestræ juxta Septuaginta aperiebantur tripliciter : ut apertis eis, triplex in templo Dei intelligentia monstraretur, juxta illud quod alibi dicitur : Tu autem describe ea tripliciter (*Prov.* XXII, 20). Prospicitur autem per eas non solum interius, sed et exterius : ut quæ interiora sunt, invisibilia ; quæ exteriora, visibilia cognoscamus : ut aliud mentem, aliud carnem, aliud spiritualem intelligentiam, aliud simplicem monstret historiam, et per omnes parietes in circuitu, tam intrinsecus, quam extrinsecus, erant mensuræ suæ. Nihil enim absque ratione et mensura in templo Dei, et maxime in sancto [*Al.* sancta] sanctorum a Deo factum est. Cælata quoque erant Cherubim, haud dubium quin in lignis, de pavimento usque ad fenestras pertingentibus, et tam fabrefactæ erant cælaturæ, ut non sculptæ, sed appositæ viderentur. *Cherubim* interpretantur *scientiæ multitudo*. Igitur intrinsecus in interioribus templi post scientiæ multitudinem cælantur et palmæ, in quibus signum victoriæ est, dicente Apostolo : Persequor autem ad statutum bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu (*Philip.* III, 14). Quæ palmæ erant inter Cherub et Cherub, ut unum Cherub duarum palmarum lateribus vallaretur : quod Cherub nequaquam, ut in principio hujus prophetæ legimus, quatuor habebat facies, hominis scilicet, et leonis, et vituli, et aquilæ ; sed tantum duas, hoc est, hominis et leonis, quorum primum ad rationem pertinet, sequens ad furorem, qui significantius Græce θυμὸς appellatur. Furorem autem dicimus, non eum qui perturbationi, et vitio proximus est : sed qui mentis consolidat mollitiem, et fortiorem facit animum dimicantis. In principio enim subjacemus concupiscentiæ, quæ refertur ad vitulum, propter terrena opera ; et alia sunt carnalia, alia spiritualia, quorum extremum aquilæ deputatur. Cum autem intraverimus sancta sanctorum, et interiora templi possederimus, nequaquam alia re indigemus, nisi ratione atque fortitudine, **503** quorum alterum ad sensum atque prudentiam, alterum refertur ad animi perseverantiam. Omnis igitur paries per circuitum templi a pavimento usque ad laquearia, Cherubim habebat, et palmas mira arte cælatas : post quæ aperiebatur sanctuarium et templum per quatuor angulos contra faciem sanctorum. Prius enim habemus scientiæ multitudinem, per quam victoriam de hoste consequimur, et postea nobis sanctuarium aperitur et templum, quod habet quatuor angulos, et stationem firmissimam,

[a] De hac depravatione jam dixi in annotationibus ad caput istud Ezechielis tom. I, col. 713 et 714. Consule locum, et videsis falsam Mariani restitutionem. MART.

et quæ in nullam partem declivior sit. Hanc enim habet naturam mensura quadranguli, ut stabili consistat basi, et in mystico numero, qui prudenti lectori perspicuus est, elementa quatuor, ex quibus constant omnia, solida perpetuaque possideat. Et cuncta contra faciem sanctuarii aspiciebant : ante quod sanctuarium, sive in quo sanctuario erat species altaris lignei trium cubitorum altitudine, et longitudine cubitorum duorum, latitudine cubitorum duorum, qui juncti faciunt septem cubitos. Quod altare habebat cornua ; et tam bases quam parietes ejus, hoc est, latera erant lignea, in quo Scripturæ sanctæ mysteria, humanus sermo non potest explicare : quomodo altare, in quo ignis succendendus erat, mensa videlicet thymiamatis nihil ab igne patiatur, sed ut ita dicam, igne purius fiat. Sicut enim sanctorum opera, de quibus scribit Apostolus : Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit (I *Cor.* III, 13); non pereunt, sed per ignem puriora monstrantur, ita et altaris ligna quæ de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora reddantur. Nec mirum hoc de sanctuario, et de interioribus templi et altari thymiamatis credere, cum etiam [a] ἀμίαντον, quod lini genus est, vel lini habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inveniatur. Ignosce, lector, difficultati, et veniam tribue pauperi intelligentiæ. Per fenestras enim obliquas et in modum retis factas, et quæ semiper clausæ sunt, vix usque ad interiorem domum cordis nostri oculum possumus intromittere, ut omnia quæ cernimus, in umbra videamus et in imagine; et cum **504** Apostolo clamemus : O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius (*Rom.* XI, 15)! Et : Quis cognovit sensum Dei (*Isai.* XL, 13), nisi ille qui est magni consilii angelus, et sua potest dignis aperire mysteria? [b] ἐχθέτας autem Romæ appellant *solaria* de cœnaculorum parietibus eminentia, sive *Meniana* ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum [c] ἐξώστρας vocant.

(Vers. 23 seqq.) *Et locutus est ad me : Hæc est mensa coram Domino, et duo ostia erant in templo et in sanctuario, et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur. Bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum, et cælata erant in ipsis ostiis templi Cherubim et sculpturæ palmarum,* A *sicut in parietibus quoque expressæ erant. Quamobrem et crassiora* [Vulg. *grossiora*] *erant ligna in vestibuli fronte forinsecus : super quæ fenestræ erant obliquæ, et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundum latera domus latitudinemque parietum.* Multum in hoc loco Septuaginta editio ab Hebraica veritate discordat. Unde hoc solum admonebo quod pro crassioribus lignis, σπουδαῖα, hoc est, *necessaria*, sive *cura digna* transtulerint, et pro *obliquis* fenestris, *absconditas*, et quod in fine testimonii positum est : *et mensus est hinc et inde laquearia superliminaris*, sive *vestibuli*, *et* [Al. *per*] *latera domus compacta*, sive *conjuncta*, quæ illi dixerunt, ἐζυγωμένα, pro quibus possumus *æqui ponderis* vertere. Vir ergo ille qui prophetam in abdita templi introduxerat, et inter cætera ostenderat ei altare ligneum, quod et angulos et cornua juxta LXX, et parietes habebat ligneos, dixit ei : Hoc altare quod respicis, ipsa est mensa coram Domino, quæ in similitudine rubi ardet, et non comburitur; de qua sanctus loquitur ad Deum : Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Ps.* XXII, 5). Duo quoque ostia erant in templo et in ipso sanctuario, per quæ utriusque instrumenti sacramenta monstrantur, et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur : ut et in historia spiritualem habeas intelligentiam, et in tropologia historiæ veritatem, quorum utrumque altero indiget, **505** et si unum defuerit, perfecta caret scientia. Quod autem sequitur : *Bina erant ostia ex utraque parte ostiorum*, juxta litteram perspicuum est. Solent enim in majoribus tricliniis bina sibi hærere atque conjungi : ut major introitus nequaquam duobus et ingentibus, sed quatuor minoribus claudatur, vel aperiatur foribus. In quibus ostiis templi, sive sancti sanctorum cælata erant Cherubim, de quibus supra diximus, et sculpturæ palmarum, ut post scientiæ multitudinem, victoria intrantibus præberetur. Quæ sculptura palmarum in omnibus quoque parietibus Templi erat. Redditque causas quare cælatæ [*Al.* cælata] fuerint Cherubim in ipsis ostiis, et palmarum expressæ similitudines. Unde et crassiora [*Al.* grossiora] erant ligna in vestibulo portæ forinsecus : ut et firmitatem haberent, et cælaturam possent recipere. Pulchreque juxta intelligentiam spiritualem, firmiora et cælata reperiet, quæ nos carpere noluimus, nomini ejus parcentes et fastidioso lectori. Quid sint porro *meniana* non ab alio discere debuit Marianus, quam ab ipso Hieronymo dicente in epistola ad Summiam et Fretellam : Δῶμα *in Orientalibus provinciis ipsum dicitur quod apud nos* tectum : *in Palæstina enim et Ægypto.... non habent in tectis culmina, sed* Δώματα, *quæ Romæ vel* solaria, *vel* meniana *vocant, id est, plana tecta quæ transversis trabibus sustentantur.... Et quando præcipitur nobis ut faciamus* domâti *nostro coronam, hoc præcipitur, ut in tecto faciamus per circuitum quasdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus sit.* Meniana itaque a Menio censore dicta, erant ἐχθέται et ἐξῶστραι, de cœnaculorum parietibus eminentia solaria. Non legas *Mediana* in epistola ad Sun. et Fretel. sed *meniana*. MART.

B

C

D

[a] Amiantus lapis in Cypro nascitur, scissili alumini similis, quo, utpote lento, telas conficiunt, quæ in ignem conjectæ accenduntur quidem aguntque flammas, sed nulla amissa parte nitidiores evadunt. Hæc R. Constantinus ex Dioscor. lib. V, cap. 148; Plin. lib. XXXVI, cap. 19. Hujusmodi partem lapidis, sive lini asservavi ob curiositatem, cuin e Pyrenæis montibus ad nos delati essent lapides amianti. MART.

[b] Alibi *Ethecas* : ἐχθέτας, quod ipsum ex voce Hebraica אחוקיהא, quæ hic habetur (significatque *angulos ejus*) videtur expressum. De Menianis recole quæ in epist. 106, ad Summiam et Fretellam, observamus pag. 661. Denique Victorius Ἐξώστοας pro ἐξώστρας legit.

[c] Qui Mariani notas in hunc, et superiorem locum legere voluerit, multa falsa nec satis erudita

sunt ostia, ut et firmitatem habeant et pulchritudinem, ne quis in sancta sanctorum similis Oziæ possit irrumpere, et sibi sacerdotium vendicare (II *Par.* XXVI). Super quæ ostia erant fenestræ obliquæ, sive absconditæ, ut ipsum quoque lumen quod præbebatur intrinsecus, non haberet perfectam scientiam, nec clarum lumen et cunctis patens : sed plerisque **506** ex parte esset absconditum. Nunc enim videmus in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12) ; et nec dum novimus sicut oportet nos scire : cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte fuerat, destruetur. Et erat similitudo palmarum hinc atque inde. Eleganter in interioribus Templi, et in sanctis sanctorum non posuit dexteram et sinistram : ne quid sinistrum in his quæ magna sunt et arcana dicere videretur ; sed hinc atque inde, juxta illud quod A in Evangelio scriptum est : Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram (*Matth.* V, 39). Numquid dicere non potuit, et sinistram ? Sed quando percutitur dextra, præbetur altera dextra : quia in sancto viro utrumque dextrum, utrumque perfectum est. Et in humerulis vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum : pro quo LXX transtulerunt, in laquearibus Ælam, *hoc est*, propyli [*Al.* πρόπύλου], et latera domus, æqualis ponderis, sive *mensuræ* : per quæ latenter ostenditur, et postes superliminaris, sive vestibuli (hoc enim humeruli videntur significare) et latera domus, et latitudinem parietum, cuncta rationis plena esse atque mensuræ, et nihil in templo Domini reperiri quod absque mensura et sapientia constitutum sit.

# *LIBER DECIMUS TERTIUS.*

**505-506** Tertius decimus Explanationum in B Ezechielem liber, secundus est expositionis templi, quem et quartum decimum, opitulante Salvatore nostro, ad finem usque dictare cupio, illud ejusdem numeri cum David in quarto decimo psalmo canens : Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo : aut quis requiescet in monte sancto tuo (*Psal.* XIV, 1)? Quod et pro difficili et pro impossibili debemus accipere. Unde et in alio loco quasi vir desideriorum enixius deprecatur ac dicit : Unum petivi a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam jucunditatem Domini, et visitem templum sanctum ejus (*Psal.* XXVI, 4, 5). Et rursum : Quam dilecta, inquit, tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit et deficit anima mea in [a] atriis Domini (*Psal.* LXXXIII, 1). Æmulorum maledicta prævenio, **507-508** qui non quid ipsi possint, sed quid ego non possim, considerant : et cum nostra dijudicent, sua judicanda non præbent : numquam in agone pugnantes, sed de pugnantibus otioso, immo superbo animo judicantes. Facile est dare dictata de populo, et singulos ictus calumniari, ac de alieno ridere sanguine, et ubi vulnus infigi debuerit, imperiti lanistæ more dissererе. Ego in explanatione templi Ezechielis, et cæterorum quæ ad finem ipsius voluminis pertinent, fateor me pro rei magnitudine nihil dignum scribere, et in paucis, si qua tamen accipere meruero, gratias agere Salvatori. Scriptum est enim : Nisi credideritis, non intelligetis (*Isai.* VI). Et in alio loco : Si habueritis fidem ut granum sinapis, et dixeritis monti huic, transmigra et transplantare in mari, fiet (*Matth.* XVII, 19). Et quomodo Apostolus granum sinapis non modicam fidei portionem, sed totam fidem esse commemorat dicens : Et si totam fidem habuero, ita ut montes transferam (I *Cor.* XIII, 2)? Igitur granum hoc sinapis, etiam si modicum fuerit, in magnam succrescit arborem, et volatilia cœli habitant in ramis ejus (*Luc.* XIII). Quamobrem tibi, filia Eustochium, quæ nostra qualiacumque fuerint libenter accipis, contestatum volo, et illud rhetoris Victorini breviter admoneo, ut obscuritatem voluminum ex tribus rebus fieri scias, vel rei magnitudine, vel doctoris imperitia, vel audientis duritia : quorum primum et secundum liquido in hoc opere confitebor ; tertium, acumen ingenii tui et desiderium Scripturarum facile renuit : quæ privilegio virginali, et victus continentia, non dicam frequentem, sed jugem hospitem possides Deum. Igitur tertium decimum in Ezechiel arripiamus librum, cujus hoc principium est :

(Cap. XLII. — Vers. 1 seqq.) « Et eduxit me in « atrium exterius per viam ducentem ad Aquilo- « nem, et induxit me in gazophylacium quod erat « contra separatum ædificium, et contra ædem ver- « gentem ad Aquilonem. In facie longitudinis cen- « tum cubitos ostii Aquilonis : et latitudinis quin- « quaginta cubitos, contra viginti cubitos atrii in- « terioris : et contra pavimentum stratum lapide « atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui « triplici. Et ante gazophylacia deambulatio decem « cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ « cubiti unius : et ostia eorum ad Aquilonem, ubi « erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia « superportabant [*Vulg.* supportabant] porticus quæ « ex illis eminebant de inferioribus et de mediis « ædificii. Tristega enim erant, et non habebant « columnas, sicut erant columnæ atriorum : pro- « pterea eminebant de inferioribus et de mediis [*Al.* « *additur* atriis] a terra cubitis quinquaginta. Et pe- « ribolus exterior secundum gazophylacia, quæ

[a] Maluit Victor, *in atria*, ex Græco τῶν LXX et Hieronymianis aliquot mss.

« erant in via atrii exterioris ante gazophylacia : « longitudo ejus quinquaginta cubitorum. Quia lon- « gitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quin- « quaginta cubitorum et longitudo ante faciem tem- « pli centum cubitorum. Et erat subter gazophyla- « cia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea « de atrio exteriori : in latitudine periboli atrii quod « erat contra viam Orientalem in faciem ædificii se- « parati. Et erant ante ædificium gazophylacia, et « via ante faciem eorum juxta similitudinem gazo- « phylaciorum, quæ erant in via Aquilonis, secun- « dum longitudinem eorum, et sic latitudo eorum. « Et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia « eorum, secundum ostia gazophylaciorum, quæ « erant in via respiciente ad Austrum [*Vulg.* Notum], « ostium in capite viæ, quæ [*Vulg. addit* via] erat ante « vestibulum separatum per viam Orientalem ingre- « dientibus. LXX : Et eduxit me in atrium exterius ÷ « ad Orientem ; contra portam Aquilonis, et intro- « duxit me, et ecce exedræ quinque [a] juxta partem « ædificii, et prope ædificium separatum ad A- « quilonem : **509** et contra cubitis centum longitu- « dinis ad Aquilonem, et latitudinis quinquaginta cu- « bitis descriptæ sicut portæ atrii interioris, et « sicut columnæ atrii exterioris, per ordinem contra « faciem porticus ternæ, et contra exedras deambu- « latio cubitorum decem latitudinis, per cubitos « centum longitudinis in interiorem viam cubiti « unius, et hostia earum ad Aquilonem. Et deam- « bulationes cœnaculorum similiter, quoniam emi- « nebant columnæ a columnis inferioribus, et spa- « tium simile erat. Et porticus triplices erant, et « columnas non habebant sicut columnæ in exte- « rioribus : propterea eminebant ab his quæ erant « inferius, et in medio de terra quinquaginta cubi- « torum, et lumen exterius sicut exedrarum atrii « exterioris, quæ respiciebant contra exedras Aqui- « lonis, longitudine cubitorum quinquaginta. « Longitudo enim exedrarum respicientium in « atrium exterius, erat cubitorum quinquaginta. « Et hæc sunt contra faciem suam, omnes cubitorum « centum et hostia exedrarum istarum ad introitum « Orientalem, ut ingrediatur per eadem in atrio ex- « teriori, secundum lumen quod erat in principio « deambulationis ad Austrum contra meridiem et « faciem reliqui ædificii, et separati. Et exedræ et « deambulatio contra faciem suam, juxta mensuras « exedrarum et viam ad Aquilonem, et longitudinem « earum, et latitudinem earum et omnis exitus earum, « et introitus, et luminaria, et ostia exedrarum « contra Meridiem, et introitus ab initio deambu- « lacri ad luminare spatio calami : et ut ad Orien- « tem iretur per ea. » Hoc quod LXX transtulerunt *ad Orientem*, in Hebraico non habetur, et super- fluum esse manifestum est. Quomodo enim educitur ad portam exteriorem ad Orientem, cum sequatur, *contra portam Aquilonis ?* Illud quod et supra, et in hoc loco posuimus : *Et* [b] *eduxit me in gazophyla- cium, quod erit contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad Aquilonem* pro quo habetur in LXX : *Et eduxit me : et ecce exedræ quinque de reliquo ædificio et juxta separatum ad Aqui- lonem :* pro *separato*, quod Aquilæ et Symma- chus transtulerunt, secunda Aquilæ editio, et Theodotio ipsum verbum posuere, GAZERA (גזרה), in omnibus locis similiter exprimentes : multaque alia quæ in præsenti loco posita sunt inter Hebrai- cum et LXX non **510** solum ordine, sed et numero, et verborum interpretatione discordant, ut si vo- luerimus hærere in singulis, et diversitate eorum quærere, et explanare rationem, multum aberre- mus a proposito. Volueramque desperatione et ma- gnitudine rei præsens testimonium silentio præterire : sed melius arbitratus sum quodcumque dicere, quam omnino nihil dicere, Socraticum illud assumens: Scio quod nescio [*Al.* nesciam]. Pars enim scientiæ est, scire quod nescias. Postquam igitur ea quæ erant intus, propheta diligentius contemplatus est, eduxit eum vir, cujus funiculus et calamus erat in manu, ad atrium exterius, per viam ducentem ad Aquilonem, quod et supra jam viderat, antequam interiora penetraret. Sed aliter videmus perfectam habentes scientiam, aliter in principio disciplinæ. Et necesse est, ut qui interiora conspexerit, secun- dum eamdem formam atque mensuras et recondita sacramenta, etiam quæ exteriora sunt, videat. Eductus autem est in gazophylacium, sive ut Sym- machus et LXX transtulerunt, *exedram*, vel ut Theo- dotio, παστοφόριον, quod in *thalamum* vertitur : quod erat contra separatum ædificium. Quod autem LXX addidere pro gazophylacio, *exedras quinque*, in Hebraico non habetur. Quod gazophylacium erat contra separatum ædificium, de quo supra jam di- ximus, GAZERA. Separatum autem erat, eos susci- piens qui ab Aquilone veniebant, et erat contra ædem vergentem ad Aquilonem, id est, respi- cientem quidem Aquilonis partes, sed non in Aqui- lone positum, ut facilior esset transitus his, qui Aquilonis frigora relinquebant, a quo exardescunt mala super terram (*Jer.* 1). Legimus in Numerorum libro, tribus Dan et Nephtalim, et Aser filiorum Balæ et Zelphæ ancillarum Rachelis et Liæ, ad Aquilonis plagas castra tenuisse. Nunc quoque in facie longitudinis ostii Aquilonis centum fuisse cu- bitos, et latitudinis quinquaginta : ut ex decem de- cadis, quadrangulus numerus atque perfectus, et ex septem hebdomadibus, qui remissionis est numerus, et in principium unionis, id est, ogdoadis erumpit, sacerdotalia in templo Dei spatia monstrarentur. Illudque quod **511** juxta Hebraicum jungitur, *con- tra viginti cubitos atrii interioris*, pro quo LXX trans- tulerunt, *descripta erant sicuti portæ atrii inte- rioris*, hunc habet sensum : quod exterioris atrii centenarius et quinquagenarius numerus, eamdem

[a] Rescribit Victorius, *quinque de reliquo ædificio et prope*, etc., ad Græcum textum, non dissentiente in Comment. Hieronymo.

[b] Idem *introduxit* ad Græc. εἰσήγαγε.

vim habeat, quam vicenarius atrii interioris. Si enim quatuor quinquies supputes, in numero vicenario, utrumque reperies Testamentum : ut et Lex teneatur in Evangelio et Evangelium de Legis radice nascatur. Pro quo numero LXX, *simulitudinem atrii interioris*, interpretati sunt, forsitan formidantes vicenarium numerum, in quo offeruntur Esau munera, in atrio interiori ponere. Sequitur : *Et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris : ubi erat porticus, juncta porticuli triplici ;* pro quo LXX transtulerunt : *Et sicut columnæ atrii exterioris per ordinem positæ, contra faciem porticuum triplicium.* Significat autem, quod pavimentum atrii exterioris, vivo fuerit stratum lapide : ut nec æstatis pulvere, nec luto hyemis, sacerdotum vestigia polluantur. Unde et Dominus ascensurus ad Patrem, Apostolorum lavat pedes (*Joan.* XIII), ut mundatis purgatisque vestigiis scandant regna cœlorum : et imperat apostolis, ut in quamcumque ingressi fuerint civitatem, et non susceperint eos, excutiant pedum suorum pulverem (*Matth.* X; *et Marc.* VI) : quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur. Non solum autem pavimentum stratum erat lapide : sed et porticus erat juncta porticui triplici. Una Porticus ab imbre et æstu protegens sacerdotes, et juncta porticui triplici demonstrat mysterium Trinitatis, quod cum Patris et Filii, et Spiritus sancti dividatur nominibus, tamen una sibi divinitate conjungitur. Erat quoque ante gazophylacia, sive exedras, vel thalamos, deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Quodque a LXX additum est : *Per cubitos longitudinis centum*, superfluum est : quia in Hebraico non habetur, quod ponentes, tulerunt id quod habetur in Hebræo, *ad interiora respiciens viæ cubiti unius*, quod nos de Hebraica veritate transtulimus. Significat autem, quod ante fores gazophylaciorum omnium, sive exedrarum, et thalamorum fuerit deambulatio, latitudinem habens cubitorum decem, **512** qui et ipse perfectus est numerus, vel propter Decalogum, vel propter Evangelii sacramentum. Si enim ab uno per duos et tres ad quartum numerum venias, decenarius [*Al.* denarius] Evangeliorum numerus efficitur : in cujus latitudine deambulant sacerdotes, ante singula gazophylacia gradientes : ita dumtaxat ut semper ad interiora respiciant viæ ejus, quæ ducit ad cubitum unum, ad cultum videlicet unius divinitatis, dicente Filio ad Patrem : Revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII, 6). Ipsa est enim via, interiora respiciens, quæ dicit in Evangelio : Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV, 6) : quia nemo venit ad notitiam Patris, nisi per Filium. Sequitur : *Et ostia earum ad Aquilonem, ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora : quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus et mediis ædificii.* Tristega enim erant, et non habebant columnas sicut erant columnæ atriorum : propterea eminebant de inferioribus et de mediis a terra cubitis quinquaginta. Quod jungitur : *ostia earum*, subauditur, *exedrarum*, sive *gazophylaciorum* de quibus sermo supra fuit. Quæ gazophylacia erant in superioribus, id est, in cœnaculis humiliora. Quæ cœnacula ascendit Elias et Elisæus (*Reg.* III, 17; IV, 14) : et Dominus cum discipulis Pascha facturus (*Marc.* XIV), et Thabita quæ et fide Apostoli et virtutum suarum merito suscitata est (*Act.* IX). Ista sunt cœnacula, de quibus in psalmo scriptum est : Qui rigat montes de cœnaculis [*Al.* superioribus] suis (*Psal.* CIII, 13). Nisi enim quis mons fuerit effectus, et ad altiora surrexerit, pluviis Domini non irrigabitur, qui pro diversitate meritorum de primo, secundo, et tertio irrigatur cœnaculo. Ipsa quoque gazophylacia, hoc est, thesauri gazarum Domini in superioribus humiliora sunt (*Ephes.* III). Quanto enim quis excelsior fuerit, tanto cum Apostolo humilitate dejicitur, dicens : Qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I *Cor.* I, 95). Erant autem ipsa gazophylacia in cœnaculis humiliora, quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus et de mediis ædificii. Redditque causas cur gazophylacia in cœnaculis posita, humiliora fuerint. Quia supportabant, inquit, porticus, quæ libertate aeris fruebantur, et eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii : ut secundum cœnaculum pavimento inferioris **513** domus esset eminentius, et tertium cœnaculum secundo esset excelsius, et quanto quis ad superiora conscenderet, tanto altiori uteretur cœnaculo, quod humilitate crescebat, dicente Domino : Qui vult inter vos major esse, fiat omnium minimus (*Marc.* IX, 34). Neque enim columnis aliis portabantur, sicut in atriorum columnis legimus ; sed eminebant de inferioribus et de mediis a terra cubitis quinquaginta, numero remissionis omnium debitorum. Hæc sunt autem tristega, de quibus præcipitur : Describe ea tripliciter, consilio et scientia, ut respondeas sermonibus veritatis his quæ proponuntur tibi (*Prov.* XXII, 20, 21). Inferiora igitur et exteriora, columnis indigent ; quæ autem altiora sunt et interiora, columnarum, id est, alieni auxilii usu non egent. Post hæc dicitur : *Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo ejus quinquaginta cubitorum : quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.* Peribolus, *murum* significat qui erat exterior, et cingebat gazophylacia in via atrii exterioris, habens in longitudine quinquaginta cubitos : de cujus numeri sacramento crebro diximus. Porro longitudo ante faciem templi, nequaquam quinquaginta cubitorum erat, ut ante gazophylacia ; sed centum cubitorum : ut post remissionem omnium peccatorum, perfecta præmia in centenario numero præstolemur (*Levit.* XII). Pro *peribolo*, sive *muro*, quod Hebraice dicitur GADER (גדר), LXX *lumen* interpretati sunt, quod venit extrinsecus, et illuminat cordis nostri oculos : non sufficiente natura nostri luminis, quod versatur

in sensu, perfectum scientiæ habere fulgorem, nisi extrinsecus per Dei gratiam introeat. Quod primum oculos nostri cordis illuminat, et omne atrium exterius, quod quinquaginta cubitorum latitudine tenditur, facit clarescere. Postea vero cum venerimus ante faciem templi, perfecta in centenario numero reciplemus præmia. Erat autem subter gazophylacia introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. Oportet enim Dei nos possidere divitias, et de atrio exteriori subter gazophylacia Orientis introitum reperire, et per latitudinem periboli, qui respicit viam Orientis, venire **514** ad ædificium quod sanctis est separatum, ante quod sunt gazophylacia, et in ipsa via similitudo gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis. Licet enim ad Orientis perveniamus introitum, tamen similitudo majorum est in minoribus, et non possumus ad Orientis pervenire lumen, nisi per viam Aquilonis, id est, per minora et humiliora ad majora et altiora tendamus. In ipso autem introitu longitudo erat similis latitudinis, id est, eadem mensura per quadrum: omnisque ingressus et similitudines, et ostia eamdem habebant mensuram et similitudinem quam gazophylacia quæ erant in via respiciente ad Austrum. Per Orientem quippe Aquilonis frigora restinguentes, pervenimus ad Austrum, in quo sponsus recubat in meridie, et in pleno versatur lumine. In capite autem ejusdem viæ, hoc est, Orientalis, quæ patet ingredientibus, ostium est, quod nisi apertum fuerit ab eo qui dicit: *Ego sum ostium* (*Joan.* x, 9) et qui habet clavem David, ad vestibulum sanctorum virtutibus separatum, et quod ab Aquilone venientes suscipit, non possumus pervenire (*Isa.* xxii). Superfluum est juxta LXX singula loci hujus verba disserere: cum et hæc quæ dicta sunt, obscuritate non careant, et illa quæ reticemus, similia prope sint his quæ diximus.

(Vers. 13, 14.) *Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, et gazophylacia Austri quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum. Ibi ponent sancta sanctorum, et oblationem pro peccato et pro delicto: locus enim sanctus est. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius, et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestientur que vestimentis aliis, et sic procedent ad populum.* Vir ille qui ductor prophetæ fuit, postquam eum duxit in atrium exterius, et monstravit omnia quæ præteritus sermo narravit, gazophylacia quoque, sive exedras, in quibus diutissime commoratus est, dixit ad eum: Hæc sunt gazophylacia, vel exedræ, thalamique ad Aquilonem et ad Austrum, quæ sunt ante ædificium separatum, et appellantur sancta gazophylacia, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum **515** in sancta sanctorum. Ex quibus discimus, multas ciborum esse diversitates, quibus vesci sacerdotibus licet, vel non licet, et de his ipsis quos licet in cibos sumere, non in omnibus sumuntur locis, nec ab omnibus, nec omni tempore. Gazophylacia Aquilonis Austri puto esse, quæ vel historiæ contineant simplicitatem, vel spiritualis intelligentiæ sacramenta, ut per Aquilonem veniamus ad Meridiem. Neque enim sic legenda est littera, et historiæ fundamenta jacienda, ut non veniamus ad culmina; nec ita pulcherrimo ædificio tecta ponenda ut nequaquam fundamenta sint solida. Sacerdotes autem qui vescuntur in cellariis, in quibus multæ divitiæ continentur, ipsi sunt qui appropinquant ad Dominum: de quibus Scriptura testatur (*Exod.* xxiv), quod Moyses appropinquaverit ad Dominum, et cæteri accedere non potuerint. In ædificatione templi mystici, et in Ecclesiæ sacramento multi sunt sacerdotes et apostolici viri qui accedunt ad Dominum, et non in quolibet loco, sed in sancto sanctorum. Quodque juxta LXX dicitur: *Filii Sadoc*, qui interpretatur *justus*, in Hebraico non habetur. Ibi, inquit, sacerdotes ponent sancta sanctorum, et oblationem, hoc est, victimam holocausti, et pro peccato, et pro ignorantia: ut non solum juge offerant sacrificium, sed pro diversitate temporum, et qualitate peccati, atque ignorantiæ, sciant placare Dominum, quia ipse locus sanctus est, et sacerdotalis in eo dignitas commoratur, quæ possit rogare pro cæteris. Quando autem procedendum est ad eos, qui non possunt templi adyta penetrare, nec divinæ scientiæ arcana cognoscere: egredientur, inquit, foras ad eos sacerdotes in atrium exterius: nequaquam cum his vestimentis quibus intrinsecus indúti erant, viscera videlicet misericordiæ, et Dominum Salvatorem, de quibus scriptum est: Induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* xiii, 14); nec his utantur sermonibus, de quibus loquitur Deus: Mysterium meum mihi et meis: ne incurrant in illud quod Salvator prohibet, dicens: Nolite dare sanctum canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos (*Matth.* vii, 6). Sed ponent vestimenta **516** sua intrinsecus, quibus induuntur, quando ministrant in templi adytis; sancta enim sunt, et ad eos qui perfectam non habent sanctitatem, non debent proferri: accipientque alia vestimenta, et sic procedent ad populum. Sic, inquit, loquentur ad populum, quomodo potest audire populus. Unde et Apostolus Corinthiis loquebatur (I *Cor.* v), in quibus audiebatur fornicatio, et talis fornicatio, quæ nec inter gentes quidem: Lac vobis potum dedi, non escam, id est, solidum cibum: necdum enim capere poteratis (I *Cor.* iii, 2). Ad quos rursum dicit: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* iv, 19). Parvulis enim atque lactentibus non solum non prodest solidus cibus, sed interficit eos, qui perfectæ ætatis hominibus congruit. Illud autem quod a Septuaginta additum est: *Propterea non egredientur in atrium exterius sacerdotes, ut semper sancti sint qui offerunt*, obelo prænotemus, quia in Hebraico non habetur.

(Vers. 15 seqq.) *Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem; et mensus est eam undique per circuitum* (sive *similitudinem domus per circuitum in ordine*) *Mensus est autem contra ventum Orientalem* (sive *et steti post tergum portæ respicientis ad Orientem*) *calamo mensuræ* [a] *per circuitum quingentos calamos, in calamo mensuræ per gyrum* [Vulg. *circuitum*]. *Et mensus est contra ventum Aquilonis quingentos calamos, in calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum Australem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est* [Vulg. addit *illud*] *murum ejus undique per circuitum, longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium et vulgi locum.* Sciendum quod post ventum Orientalem et Aquilonem, in vento Australi et Occidentali apud Septuaginta ordo præposterus sit. Illi enim primum posuerunt, Occidentalem, id est mare; et postea Australem, cum apud Hebræos primum ponatur ventus Australis, et postea Occidentalis. Quodque Scriptura hunc dicit: *cumque complesset mensuras domus* **517** *interioris, eduxit me per viam portæ quæ respicit ad viam Orientalem*, ostendit cuncta quæ supra dicta sunt, et forinsecus, et intrinsecus et in interioribus templi, hoc est, sancti sanctorum, proprie ad templi ædificium pertinere, et templi interioris. Unde nunc sequitur: Eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem, et mensus est eam undique per circuitum, sive similitudinem domus. Per quod demonstratur, non ipsam domum, sed similitudinem domus esse quæ cernitur: quia nunc per speculum videmus in ænigmate: cum autem venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur (1 *Cor.* XIII). Unde et Moyses in tabernaculo, et Salomon in ædificio, non veritatem tentorii templi, sed similitudinem figuramque fecerunt: ut per hæc quæ minora sunt et terrena, ea quæ in cœlestibus, et in spirituali ædificio sunt, intelligere possimus. Vir autem qui prophetam eduxerat, nequaquam in atrium exterius, sed per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem, primum mensus est contra ventum Orientalem, id est, ad Orientalem plagam quingentos calamos per gyrum; secundo, ad Aquilonem; tertio, ad Austrum; quarto, ad mare, id est, ad Occidentem, per quatuor videlicet ventos, murus in circuitu, tam in longitudine, quam in latitudine, hoc est: per quadruin, qui murus simul habebat duo millia calamos. Sin autem calamus sex cubitorum erat, et [b] *παλαιστῇ* uno, qui *παλαιστὴ* sexta pars cubiti est, perspicuum est murum exteriorem habuisse per circuitum calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta tres, et trientem de duobus millibus. Prudens lector et diligens legat librum Jesu Nave, et inveniet quomodo in suburbanis hæc mensura servetur. Unde et legio dæmonum, hunc numerum elegit in suffocatione porcorum (*Luc.* VIII), ut qui servientibus Deo, præcepto Domini separatus est, in contrariam partem referatur ad perditionem eorum qui vitam cœno dignam, et sordibus consectantur. Omnis autem murus qui est exterior, et habet spatiosissimam longitudinem et latitudinem per quadrum, apostolorum continet numerum, id est, duodecim **518** millium: ut singulis apostolis millenus numerus deputetur, et tamen ad mensuram plenitudinis Christi et perfecti viri non veniat, nisi jungantur ei et *παλαιστή*, qui trecenti triginta et tres cubiti sunt, et cubiti tertia pars: per quæ sanctæ et venerabilis Trinitatis mysterium demonstratur, quæ cingit et vallat omnia, et habitatores templi sui præstat tutissimos. Unde trecentorum cubitorum arca Noe habet longitudinem, et triginta cubitorum altitudinem, quæ consummatur in uno cubito (*Gen.* V). Quod autem ibi adduntur quinquaginta cubiti in latitudine, remissionis (ut sæpe diximus) significat sacramentum. Unde et Dominus triginta annorum venit ad baptismum, et hic ipse propheta in principio voluminis sui annum ponit tricesimum: qui trecentesimus, et tricesimus numerus, tribus additis et tertia parte completur. Illud autem quod per simplicitatem interpretationis, dum parum attendimus celeritate dictandi, et Septuaginta habent et nostra translatio, *murum ejus undique per circuitum, longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum*, Hebraeus sermo non continet: sed simpliciter, longitudinem quingentorum, et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur, calamorum: sicuti quarto supra dictum est, ad Orientalem ventum, et ad Aquilonem, et ad Austrum et ad mare quingentis calamis, murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum. Quingentesimus autem numerus qui vicinus est quinquagenario, quod ad remissionem pertineat omnium peccatorum, non solum vetus Scriptura (*Levit.* XXV), sed et Salvatoris in Evangelio verba demonstrant, dicentis: Duo debitores erant feneratori cuidam: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta (*Luc.* VII, 41). Et murus dividit inter sanctuarium et vulgi locum. Ex quo intelligimus, omnem supra templi descriptionem, Sacerdotum, qui sunt filii Sadoc, fuisse ministeriis delegatam. Hunc autem murum, qui tanto spatio dilatetur, et universa circumeat, separare sanctuarium et vulgi locum.

(Cap. XLIII. — Vers. 1 seqq.) « Et eduxit [*Vulg.* « duxit] me ad portam quæ respiciebat ad viam « Orientalem: et ecce gloria **519** Dei Israel ingre- « diebatur per viam Orientalem: et vox erat ei quasi « vox aquarum multarum: et terra splendebat a « majestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem

[a] Delet Victorius Vulgatæ edit. et Hebraici codicis auctoritate hæc verba *per circuitum*, quæ ex eo etiam, ait, constat superflua esse, quod statim additur *per gyrum*.

[b] Victorius sequiori genere, *παλαιστῆς unius*, *quæ παλαιστὴ*, etc.

« quam videram, quando venit ut disperderet civita-
« tem : et species secundum aspectum quem vide-
« ram juxta fluvium Chobar, et cecidi super faciem
« meam. Et majestas Domini ingressa est templum
« per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. Et
« elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium
« interius : et ecce repleta erat gloria Domini do-
« mus. Et audivi loquentem ad me de domo. Et vir
« qui stabat juxta me, dixit ad me : Fili hominis,
« locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meo-
« rum, ubi habito in medio filiorum Israel in æter-
« num. Et non polluent ultra domus Israel nomen
« sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicatio-
« nibus suis, et in ruinis regum suorum, et in ex-
« celsis : qui fabricati sunt limen suum juxta limen
« meum, et postes suos juxta postes meos : et mu-
« rus erat inter me et eos : et polluerunt nomen
« sanctum meum in abominationibus quas fecerunt :
« propter quod consumpsi eos in ira mea. Nunc ergo
« repellant procul fornicationem suam, et ruinas
« regum suorum a me : et habitabo in medio eorum
« semper. LXX : Et adduxit me ad portam, quæ
« respiciebat contra Orientem ÷ et eduxit me ⁝ et
« ecce gloria Dei Israel veniebat per viam Orientis :
« et vox castrorum quasi vox geminantium multo-
« rum : et terra resplendebat quasi [a] fulgur a glo-
« ria per circuitum. Et visio quam vidi secun-
« dum visionem quam videram quando ingrediebar
« ut ungerem civitatem ÷ Et visio currus quam vidi
« ⁝ secundum visionem quam videram super fluvium
« Chobar : cecidique in faciem meam. Et gloria
« Domini ingressa est domum per viam portæ, quæ
« respiciebat ad Orientem. Et assumpsit me spiritus,
« et introduxit me in atrium interius : et ecce plena
« gloria Domini domus. Et steti, et ecce vox de do-
« mo loquentis ad me : et vir stabat juxta me, et di-
« xit ad me : vidisti, fili hominis, locum solii mei,
« et locum vestigii pedum meorum, in quibus habi-
« tabit nomen meum in medio domus Israel in sem-
« piternum. Et non contaminabunt ultra domus
« Israel nomen sanctum meum, ipsi et duces eorum
« in fornicatione sua et in homicidiis ducum in me-
« dio sui, cum ponerent limen meum in liminibus
« suis, et postes meos juxta postes suos. Et dede-
« runt parietem meum **520** quasi connexum inter
« me et se : et contaminaverunt nomen sanctum
« meum in iniquitatibus suis quas faciebant. Et
« contrivi eos in furore meo et in occisione. Et
« nunc abjiciant fornicationem suam, et homicidia
« ducum suorum a me : et habitabo in medio eorum
« in sempiternum. » Primum de translationis va-
rietate dicendum est. Hoc quod ponunt Septuaginta : *Et eduxit me*, in Hebraico non habetur. Si enim ad-
ductus fuerat ad portam, quæ respiciebat Orientem, quid necesse fuit ut educeretur, cum ideo inductus sit, ut videret quid in porta fieret Orientali? Deinde ubi dicitur : *Vox erat ei*, haud dubium quin Dei, A *quasi vox aquarum multarum*, quod et Joannes in sua confirmat Apocalypsi, Septuaginta posuerunt : Et vox castrorum quasi vox geminantium multorum (*Apoc.* XIV). Tertio in Hebraico habetur : *Vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit, ut disperderet civitatem.* Venit autem ille qui in principio hujus prophetæ vestitus erat lineis, et atramentarium habebat ad lumbos, cum aliis sex, ut disperderet civitatem, non ut ungeret, quod Septuaginta transtulerunt, qui quarto dixere : *Et visio currus quam videram*, quod in Hebraico non habetur. Dicamus strictim de singulis, quantum explanationis patitur difficultas : ne dum studemus brevitati, velamentum non solum Moysi, sed et prophetæ Ezechielis remaneat in nobis, qui cupimus revelata facie veritatem Domini contemplari (*Exod.* XXXIV; II *Cor.* III). Gloria ergo Dei Israel ingreditur per viam Orientalem, per quam et egressa fuerat, quando civitas Domini furore percussa est. Ingreditur autem, immo regreditur ad eam quia templum Domini ædificatum in monte monstraverat. Et tamen multo plus est quod in consequentibus dicitur : Levavit me spiritus, et introduxit me in atrium exterius : et ecce repleta erat gloria Domini domus. Hic enim gloria tantum Dei Israel ingreditur : ibi autem dicitur, quod plenitudo gloriæ Domini fuerit in Templo : de qua et Isaias scribit : Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum : et plena erat domus gloria ejus (*Isai.* VI, 1); quando revelata facie gloriam Domini contemplantes, reformamur in imaginem Creatoris. Vox quoque erat Dei, quasi vox aquarum multarum, omnium **521** scilicet in toto orbe populorum, ut Joannes Evangelista interpretatur (*Apoc.* XIV) : sive quasi vox castrorum, et sicut vox geminantium multorum, ut exercitus Dei sacramenta cognosceret. Quod intelligens Jacob, vocavit nomen illius loci, *castra* (*Genes.* XXXII). De quibus et alibi scriptum est : Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium (*Ps.* LXVII, 18). Una autem vox dicitur castrorum et multitudinis, propter unum in Dei laude consensum. Geminaturque vox canentium Patri, et Filio, et Spiritui sancto : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est terra gloria ejus (*Isai.* VI, 3). Sequitur : Et terra splendebat a majestate ejus (*Psal.* XVIII). Quod proprie in adventu Christi factum est; quando in omnem terram exiit sonus apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Rom.* XVIII) : quotidieque impletur in credentibus, et ad perfectum complebitur, quando corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale istud fuerit immortalitate vestitum (I *Cor.* XV). Quod autem infertur : *Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem;* pro quo Septuaginta transtulerunt : *quando ingressus sum, ut ungerem civitatem*, cum juxta Hebraicum perspicuum sit; juxta Sep-

[a] Victor., *fulgor* pro *fulgur*, ex Græco φέγγος.

tuaginta plurimam obscuritatem habet : quomodo Ezechiel ingressus sit ut ungeret civitatem ; ad cujus prophetiam comminationemque ceciderit : nisi forte illud dicamus, quod correptio prophetæ, sit unctio civitatis, et unctio olei exsultationis sacerdotalis, et regii, quod qui libenter receperint, et audire voluerint, efficiuntur uncti Domini, de quibus scriptum est : Nolite tangere Christos meos : et in prophetis meis nolite malignari (*Ps.* CIV, 15). Ille autem potest juxta anagogen ungere civitatem, de qua scriptum est : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Ps.* LXXXVI, 2) ; qui vidit visionem currus et mysteriorum Dei, quam intuitus est Ezechiel super fluvium *Chobar*, qui *onus pondusque* significat. Quid enim gravius fluminibus Babyloniis, super quæ David sedit et flevit cum recordaretur Sion ? De quibus scriptum est : Præterit enim figura hujus mundi (*Psal.* CXXXVI). Nihilque puto in sæculi hujus confusione esse perpetuum : sed omnia præterire et fluere (I *Cor.* VII, 31). Quæ qui consideraverit, cadet super faciem suam intelligens quam procul sit a majestate Dei, et flectet genua ad Patrem in nomine Jesu Christi. **522** Cumque, ait, ego corruissem, majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem, statimque me elevavit spiritus (ipse enim jacens pergere non valebam), et introduxit me in atrium interitus, foris enim cecideram; et ecce, qui prius conspexeram gloriam Dei Israel venientem per viam Orientalem, vidi repletam gloria Domini domum ejus, et vocem ad me de domo interiori loquentem audivi. Quæ quid sit locuta, Scriptura non narrat, nisi forte illud Apostoli : Et audivi verba ineffabilia quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 4). Vir autem, inquit, qui stabat juxta prophetam, dixit ad eum : quem perspicue Dominum intelligimus. Cui enim alii poterit convenire quod sequitur : *Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum,* nisi illi qui habitat in Ecclesia in medio filiorum Israel cernentium Deum, et habitat in perpetuum, non secundum templum Salomonis ad tempus ? Et locus ejus est ille de quo scriptum est : Et factus est in pace locus ejus (*Ps.* LXXV, 2), quæ exsuperat omnem sensum : Et locus vestigiorum pedum illius, Apostolis dicentibus : Adoremus in loco ubi steterunt pedes ejus (*Ps.* XXXI, 7). Et pulchre dixit, *steterunt :* in Ecclesia enim stant pedes Domini, in synagoga ambulant et prætereunt. Ut autem sciamus hoc dici de Ecclesia, jungitur : *Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum :* quod proprie ad eos pertinet, qui sanctæ conversationis in Ecclesia commorantur. Qui sint autem qui polluerint prius nomen sanctum Dei, ponit manifestius : *Ipsi et reges eorum,* tam populus quam sacerdotes, in fornicationibus suis quibus a Deo fornicati sunt : et in ruinis regum suorum, qui frustra sibi per superbiam, regium nomen assumunt. Denique sequitur : *Et in excelsis.* Arrogans enim mens offendit Deum : humilis ad misericordiam provocat. Qui post superbiam, immo per superbiam, fabricati sunt limen suum juxta limen Dei, et postes suos juxta postes illius. Audiant hæc juxta litteram mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes ; mentem junctam Deo, non vicinitatem Ecclesiarum, et habitationem **523** proximam, Dei in se provocare clementiam ; quin potius indignationem Domini commoveri, quando in consecratis Deo locis, indignus habitator est. Fabricati sunt, inquit, limen suum juxta limen meum, ut nihil interesset inter sacrum et prophanum, et postes suos juxta postes meos, ut unus laicorum et sacerdotum esset introitus. Unde et Apostolus dicit : Probet autem se homo, et sic accedat ad corpus et sanguinem Domini (I *Cor.* XI, 28). Et ut gravius faceret quod dicebat, sequentem jungit versiculum : *Et murus erat inter me et eos ;* ut sacerdotalia sacrificia et loca sacramentorum corporis et sanguinis Christi, brevissimus murus divideret. Et polluerunt, inquit, nomen sanctum meum, in abominationibus quas fecerunt. Quid prodest habitationis vicinia, et medius inter cellulam nostram et altare Domini paries, cum in his quæ secreto facimus, et quæ turpe est etiam dicere, contaminetur et polluatur nomen Domini ? Ego hoc arbitror, quod non polluat nomen Domini, nisi ille qui visus est nomini ejus credere, et illius censeri vocabulo. Et quomodo tollit membra Christi, et facit membra meretricis, qui prius Christo credidit : sic ille polluit nomen Dei, qui prius nominis ejus fidem susceperit. Alioquin ethnicus, et Judæus cum sint polluti, et contaminati, immo contaminatio ipsa atque pollutio, nomen Dei polluere et contaminare non possunt : quod illi polluunt, ad quos dicitur : Nomen meum per vos blasphematur in gentibus (*Rom.* II, 24). Propter has igitur causas consumpsi eos in ira mea, quia hæc fecere quæ diximus. Et tamen clemens Dominus rursum prophetæ præcipit, ut jubeat eis procul a se removere fornicationes pristinas, et ruinas regum suorum ac principum derelinquere, et repellere non tam a se, quam a Deo : et boni operis statim præmia pollicetur dicens : *Et habitabo in medio corum,* de quo in Evangelio dicitur : *Medius inter vos stat quem vos nescitis* (*Joan.* I, 26) : et habitabit non parvo tempore, ut in Synagoga ; sed in perpetuum, quod in Christi Ecclesia comprobatur.

(Vers. 10 seqq.) *Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum : et confundantur ab iniquitatibus* **524** *suis, et metiantur* [Al. *meditentur*] *fabricam, et erubescant ex omnibus quæ fecerunt. Figuram domus et fabricæ ejus, exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus : cunctumque ordinem* [Vulg. addit *ejus*], *et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in oculis eorum, ut custodiant omnes distributiones* [Vulg. *descriptiones*] *ejus, et præcepta illius, et faciant ea. Ista est lex domus in*

*summitate montis : Omnès fines* [Vulg. *Omnis finis*] *ejus in circuitu, Sanctum sanctorum erit* [Vulg. *est*]. *Hæc est ergo lex domus.* LXX : *Et tu, fili hominis, ostende domui Israel domum, et cessabunt a peccatis suis, et visionem ejus, et dispositionem illius : et ipsi sustinebunt tormentum suum pro omnibus quæ fecerunt. Et describes domum et præparationem ejus, et exitus atque introitus ejus, et substantiam ejus et omnia præcepta illius, et omnia legitima ejus, et omnes leges ejus ostendet illis, et describes coram eis : et custodient omnes justificationes et omnia præcepta mea, et facient ea, et descriptionem domus in vertice montis, omnes termini ejus in circuitu Sancta sanctorum sunt. Ista est lex domus.* Non parvi operis est, quod oculis carnis, vel mente conspexeris audientibus demonstrare, ut et ipsi tecum vidisse videantur. Quamobrem scribit et Josephus, eos qui ad describendam terram missi sunt ab [a] Jesu filio Nave, fuisse γεομέτρας, et artem quæ nunc philosophorum propria est, habuisse Geometriæ. Domui igitur Israel, eorum qui animo conspiciunt Deum, ostenditur domus, hoc est templum quod Ezechiel situm in monte conspexit, et non solum in monte, sed sicut nunc dicitur, in summitate montis : quam nequaquam illam putemus, quæ a Salomone constructa narratur in Regum et in Paralipomenon libris. Illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, et in singulis magnam habens diversitatem : tantumque inferior templo, quod nunc ostenditur Ezechieli, ut non solum cultores ejus, et æditui; sed et ipse fabricator ejus Salomon peccaverit, et offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam, scribens Proverbia, in quibus ait : Novissime ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam (*Prov.* XXIV, 2). Ista autem quæ Ezechieli, et per Ezechielem domui Israel ostenditur, talis est : ut qui eam **525** mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis : non quibusdam, sed omnibus : sive ut in Hebraico continetur, confundatur et sustineat tormentum suum pro omnibus quæ fecerit. Sustinet autem tormentum iniquitatum suarum, qui cessat præterita facere peccata : multumque prodest ei, qui ante peccaverit, videre domum Dei, et omnis fabricæ ejus nosse rationem; ut peccare desistat, et habens illius desiderium, dicat ad Dominum : *Domine, dilexi decorem domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Ps.* XXV, 8). Et iterum : *Unum petivi a Domino, hoc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Ps.* XXVI, 4), cum cœpero vivere et esse cum Christo, qui est vita credentium. Sequitur : *Exitus ejus et introitus*, subauditur, *domus.* Exitus autem eorum qui egrediuntur ad eos qui foris sunt, et introitus eorum qui per magistrorum disciplinam ad interiora penetrant. Et omnem, inquit, descriptionem ejus, sive substantiam ejus, ut Septuaginta transtulerunt, quæ non tam ad naturam domus, quam ad supellectilem pertinet atque divitias. Et universa præcepta, cunctumque ordinem, et omnes leges templi ostendes eis, qui portaverunt tormentum iniquitatum suarum, et cessaverunt, sive confusi sunt super his quæ ante gesserant. Idcirco autem ostende ei, ut custodiant omnia quæ præcepta sunt. Nihil enim prodest scire descriptionem domus et omnes distributiones ejus, de quibus scriptum est : *Multæ mansiones apud Patrem meum* (*Joan.* XIV, 2). Et iterum : *Statuit terminos gentium secundum numerum filiorum Israel*, sive *angelorum Dei* (*Deut.* XXXII), nisi feceris quæ præcepta sunt. Domus autem et lex omnium præceptorum Dei, et urbs quæ in summitate montis est constituta, illa credenda est, de qua scriptum est : *Non potest civitas abscondi super montem posita* (*Matth.* I, 14). Et : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 4) : quæ perspicue refertur ad Ecclesiam, et sita est in eo monte, qui in vertice omnium montium est, et a quo vulneratus est princeps Tyri : omnesque fines et termini domus hujus, sancta sanctorum sunt. In illa domo, hoc est, in tabernaculo quod fabricatus est Moyses, et in templo quod a Salomone constructum est, interiora tantum, ubi erant **526** Cherubim, et propitiatorium, et arca testamenti, et mensa thymiamatis, appellabantur sancta sanctorum. In hac autem domo quæ monstratur Ezechieli, et quæ in summitate montis est constituta, omnes termini ejus reputantur in sancta sanctorum. Quodque infertur : *Hæc est lex domus,* vel ad præterita pertinet, de quibus jam dictum est, vel ad ea quæ dicenda sunt postea.

(Vers. 13 seqq.) « Istæ mensuræ altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum et palmum (*sive* παλαιστὴν) in sinu ejus erat cubitus : et cubitus in latitudine : et definitio [*Vulg. addit* ejus] usque ab labium ejus in circuitu palmi unius [*Vulg.* palmus unus]. Hæc quoque erat fossa altaris. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo cubiti unius, et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo unius cubiti. Ipse autem ariel quatuor cubitorum, et ab ariel usque sursum [*Vulg.* ad sursum] cornua quatuor. Et ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum [*Vulg.* quadrangulatum] æquis lateribus. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim [b] latitudinis in quatuor angulis ejus, et corona in circuitu illius dimidii cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum. Gradus autem ejus versi ad Orientem. LXX : Et hæc mensura altaris in cubito perfecto cubitus et παλαιστῆς, sinus illius altitudo per circuitum et cubitus lati-

[a] Ad terram utique Jericho, non Sanctam, ut alii notant, describendam; hi enim a Moyse, non a Josue exploratores missi sunt, e quibus unus ipse Josue fuit. Num. XIII. Sed neque eo in loco Josephus Antiquitt. lib. V, cap. 1, eos, quos Josue miserat, geometricæ artis peritos tradit.

[b] Victor. supplet hic quoque vocem *cubitos* ex Hebræo et Vulgata.

« tudinis : et gisus per labium ejus in circuitu palmi « unius. Et hæc est altaris altitudo a profundo « exordii in sinu ejus usque ad propitiatorium « magnum, quod erat subter cubitorum duorum, et « latitudo cubiti. Et a propitiatorio minori usque « ad propitiatorium majus cubiti quatuor : et la- « titudo cubiti et ariel cubitorum quatuor : et ab « ariel usque ad superiora cornuum cubitus. Ipsum « autem ariel duodecim cubitos habebat in longi- « tudine : et duodecim cubitos in latitudine quatuor « angulorum per singulas partes ejus : et propitia- « torium quatuordecim cubitorum in latitudine per « quatuor partes ejus : et gisus ejus per circuitum « gyrans illud dimidio cubito : et circuitus ejus « cubito : per gyrum et gradus ejus respicientes ad « Orientem. *Scriptum est :* Abyssum et sapientiam « quis investigabit (*Eccl.* I, 2)? *Et :* O profundum « sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* XI, 33) : » cujus alta profunditas, et quis inveniet eam? Multum est si voluerimus templum Salomonis huic templo, **527** et omnes partes ejus et tabernacula comparare. Quod quia difficillimum est, interim in præsentiarum altare, quod Ezechieli ostensum est, altari quod in Exodo legimus, ex parte modica conferamus (*Exod.* XXXVIII). Ibi altare quinque cubitorum in longitudine et quinque cubitorum in latitudine, id est, quadrangulum, et trium cubitorum in altitudine describitur : hic vero recedens a sensibus quinque, tendit ad unionem, in qua cubitus perfectus, sive verissimus ponitur, cui jungitur palmus, id est, παλαιστή, sextam, ut supra diximus, habens partem cubiti. In sinu autem ejus, hoc est, altaris, erat cubitus, qui scilicet ea quæ igne consumebantur suscipiebat, et in latitudine ejus alius cubitus : ut interiora, hoc est, secreta, et spatia altaris quæ in latitudine demonstrantur, uno cubito finirentur. Quod autem sequitur : *Et definitio usque ad labium ejus*, pro quo Aquila, Symmachus et Theodotio posuerunt *terminum*, Septuaginta rursum *gisum* interpretati sunt. Cujus verbi, [a] ut ante jam dixi, non possum scire rationem ; nec cujus linguæ sit dicere confidenter : nisi hoc admonere lectorem, quod ubi nunc *definitionem* interpretatus sum [b] supra *coronam* transtulerim. Illudque breviter demonstratur, quod in circuitu ipsius altaris, id est, in margine, et circulo repandum fuerit labium, et quasi corona in modum lilii, habens in aspectu plurimam venustatem. Quæ *definitio*, sive *gisus* per circuitum palmi unius, sive παλαιστῆς latitudine tendebatur. Fovea autem altaris, sive profundum et altitudo, pro qua in Hebraico ponitur GAB (גב), de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam, vel usque ad propitiatorium maximum, duobus cubitis erat, et latitudo ejus cubiti unius. Inferiora enim et profunda, et terræ cohærentia, duali numero, qui et in immundis animalibus positus est, continentur (*Genes.* VII) : superiora autem et ad crepidinem, sive propitiatorium pervenientia, quod Theodotio ipso Hebraico nomine appellavit [c] AZARA (עזרה), unius cubiti habent latitudinem, ut dualis numerus transeat ad solitarium ; et bonum nuptiarum, quod inferius est, ad unionis perveniat beatitudinem. **528** Quodque sequitur : *Et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem, quatuor cubitorum, et latitudo unius cubiti,* pro quo in Septuaginta positum est : *Et a propitiatorio minori usque ad propitiatorium majus ;* et Theodotio in utroque AZARA transtulit, illud est intelligendum, quod propitiatorium minus, lapis sit excisus de monte sine manibus, et propitiatorium majus, ipse lapis qui crevit in montem magnum, et implevit universum orbem (*Dan.* II). Sive juxta alterum sensum, propitiatorium minus est, quando exinanivit se formam servi accipiens (*Philipp.* II), et propitiatorium majus, quando recepit gloriam, quam habuit apud Patrem antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). Prius enim Christi humiliora cognoscimus, et sic ad divinitatis ejus altitudinem pervenimus : et tamen utriusque naturæ propitiatorium, hoc est, minoris atque majoris, ad unius altaris pertinet sacramentum. Inter duo autem propitiatoria, minus atque majus, quatuor erant cubita, quatuor mundi elementa significantia, quæ et ipsa perveniunt ad unius cubiti altitudinem. Et hoc animadvertendum quod in mensura altaris primus cubitus in latitudine nulli copulatur, sed sua unione perfectus est : secundus autem latitudinis cubitus, post duos cubitos crescit ad summum, et tertius cubitus, post propitiatorium minus et majus per quatuor elementa ad unius cubiti mysterium tendit ; et unus et alter, et tertius cubitus in altare Domini, nequaquam primus, secundus, et tertius ; sed unus et unus, et unus esse dicatur. Ipse autem ariel quatuor cubitorum erat, et ab ariel usque sursum cornua quatuor ; sive ut in Septuaginta dicitur, ab ariel usque ad superiora cornuum cubitus unus. *Ariel* (אריאל) ut plerique æstimant interpretatur, *lux mea Deus.* De quo et in Isaia propheta, ubi scriptum est : Væ tibi, civitas Ariel, quam expugnavit David, sive circumdedit, plenius diximus (*Isai.* XXIX, 2). Ut autem ego arbitror, *leo* vel *fortis Dei :* quod nomen refertur proprie ad altare, in quo vel illuminatio Dei est, vel leo et fortitudo ejus, dicente Jacob ad Judam : Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi **529** leæna, quis suscitabit eum (*Gen.* XLIX, 9) ? Cubitorum autem quatuor est, et cornua habet quatuor ; sive superiora quatuor cornuum, uno cubito finiuntur ; ut Evangeliorum mensura et in totum orbem fortitudo discurrens, sub illuminatione Dei, et leonis fortitudine demonstretur, ad unumque cubitum perveniant divinæ confessionis. Et ut paulatim obscuritas præsentis loci manifestior fiat, sequitur : *Et Ariel duo-*

[a] Recole quæ paulo superius annotamus col. 497.

[b] Immo *infra*, inquit Victor. ; est enim paulo post ubi verbum ipsum Hebraicum גבולה, quod hic *definitionem*, postea vertit *coronam*.

[c] Alias, *azera*. Græc. Theodotionis, ἀζαρά.

*decim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus.* Quod nemo dubitat ad duodecim tribus pertinere, quæ in Joannis Apocalypsi scriptæ sunt, et ad Apostolorum numerum, de cujus sacramento supra dixisse me memini (*Apoc.* VII). Per quatuor autem latera mundi, duodeni cubiti simul efficiunt quadraginta octo cubitos sacerdotalium civitatum, ut istis quasi fundamentis in toto orbe divisis, Ecclesiæ fortitudo solidetur. Porro *crepido*, pro qua Septuaginta *propitiatorium*, Theodotio ut supra AZARA; Symmachus περιδρομήν, hoc est *circuitum* interpretati sunt, quatuordecim cubitorum erat longitudinis per quatuordecim latitudinis, in quatuor angulis ejus, et corona in circuitu ejus dimidii cubiti; pro qua rursum Septuaginta *gisim* interpretati sunt, et *sinus*, sive juxta Symmachum *consummatio* ejus atque *perfectio*, cubiti unius per circuitum, illud latenter ostendit, quod Dominus noster, qui vere propitiatorium dicitur non solum pro peccatis nostris, sed pro omni mundo, per quatuordecim generationes venerit ab Abraham usque ad David; et rursum per alias quatuordecim usque ad captivitatem Jechoniæ, et ejusdem numeri sacramento ad terrena descenderit: ut in tertia τεσσαρακαιδεκάδι, et divini numeri (*Al.* muneris) sacramento salvaret quatuor angulos mundi, de quibus scriptum est: Multi ab Oriente et Occidente, et ab Aquilone et Meridie venient, et accubabunt cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11). Quodque sequitur, *et corona*, sive *gisus per circuitum ejus*, **530** subauditur propitiatorii, habebat dimidium cubitum, et sinus ipsius propitiatorii, sive consummatio atque perfectio, quam Symmachus interpretatus est περιδρομήν, habebat unum cubitum, illud significat quod et peccatores et justi Domini propitiatione salventur, dicente apostolo Paulo: Reconciliati sumus Deo in sanguine Filii ejus (*Rom.* V, 10). Et de peccatoribus dicitur, quod dimidii cubiti mensuram habeant per circuitum; qui tamen salvantur misericordia Creatoris, juxta illud quod in Psalmo scriptum est: Pro nihili salvos facies eos (*Ps.* LV, 8). De justis: quod in uno salventur numero solitario atque perfecto, et imitentur unam divinitatem, dicente eodem Apostolo: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19). Quod autem in fine hujus testimonii ponitur, *et gradus ejus versi ad Orientem*, gradus hujus propitiatorii [a] vel viginti quatuor libris veteris Instrumenti debent accipi: qui habebant citharas in Apocalypsi Joannis (*Cap.* V), et coronas in capitibus suis: vel sacramentum Patris et Filii et Spiritus sancti, in quo vera nobis datur propitiatio. Et ut dicamus apertius, propterea graduum numerus incertus relinquitur, ut quantocumque studio ad altiora scandere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos, et cogitemus illud Psalmistæ: Ibunt de virtute in virtutem (*Ps.* LXXXIII, 8).

(Vers. 18 seqq.) *Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum, ut offeratur super illud holocaustum, et effundatur sanguis. Et dabis sacerdotibus, Levitis qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus: ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumes de sanguine ejus, pones super quatuor cornua* [Vulg. *addit ejus*], *et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu: et mundabis illud et expiabis. Et tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato, et combures illum in separato loco domus extra sanctuarium. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato, et expiabunt altare sicut expiaverunt in vitulo.* LXX: **531** *Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hæc sunt præcepta altaris in die qua factum fuerit, ut offerantur super eo holocautomata, et effundatur super illud sanguis. Et dabis Sacerdotibus Levitis qui sunt ex semine Sadduc, et appropinquant ad me, dicit Dominus Deus, ut ministrent mihi vitulum de bobus pro peccato: et tollent de sanguine ejus, et ponent super quatuor cornua altaris, et super basim ejus in circuitu, et mundabunt et expiabunt illud. Et tollent vitulum pro peccato, et comburetur in loco separato domus extra sancta. Et die secunda tollent hædos duos de capris immaculatos pro peccato, et expiabunt altare sicut expiaverunt in vitulo.* Postquam prophetæ monstravit altare, et cubitum ejus, cubitosque duos; et rursum cubitum et quatuor cubitos, et tertio cubitum, duodecim quoque cubitos per alios duodecim, et quatuor altaris cornua: Ariel quoque duodecim cubitorum, per duodecim cubitos, et crepidinem, hoc est, propitiatorium quatuordecim cubitorum, per quatuordecim cubitos: coronam quoque illius, et sinum dimidio cubito [b] et uno cubito per circuitum: gradusque ad Orientem, quorum incertus est numerus, locutus est vir, cujus calamus et funiculus erat in manu, et docet eum quomodo, altaris opere perfecto, altare debeat expiari et consecrari. Primumque offertur victima, et datur sacerdotibus de genere Levi, qui sunt de semine *Sadoc*, quem cur Septuaginta *Sadduc* nominent, scire non valeo. *Sadoc* autem interpretatur *justus*: offerturque juxta Septuaginta et Theodotionem *vitulus*; juxta Symmachum *taurus*, qui Hebraice dicitur PHAR.

[a] Hunc quoque locum, quem vitiatum olim a sciolis criticis opinor, præstat immutatum relinquere, quando nullas mss. codices suppetias ferunt. Nam quod legit Rabanus, *septuaginta quatuor libros .... debemus accipere*, nec satis restituendæ lectioni juvat, et graviore cubat in mendo. Liquet vero Hieronymum senioribus Apocalypsis viginti quatuor veteris Instrumenti libros conferre; quemadmodum et in prologo libri Ezræ Necmiæque, ait, *quæ non habentur apud Hebræos, nec de viginti quatuor senibus sunt, procul abjicienda.* Sed quid æque est dissonum, ut libros habere citharas, et coronas in capitibus suis? Omnino igitur senum ingerenda est mentio, ad quos ista referantur; quodque habet Rabanus, *septuaginta quatuor*, legerim *senes viginti quatuor*: atque ita conjicio restituendum, *vel senes viginti quatuor in libris veteris Instrumenti*, etc.

[b] Cod. Vatic. voces *et uno cubito* ignorat.

Vitulum autem qui pro nobis immolatus est, et multa Scripturarum loca, et præcipuæ Barnabæ Epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat. Et hircus caprarum secundo offertur die. Unde et Pascha facturi assumunt de grege agnum et hædum, et qui primum pascha facere non potuerunt, in secundo mense faciunt : quorum alterum ad justos pertinet, alterum ad pœnitentes. Sin autem Septuaginta nobis interpretatio placet qui dixerunt : *die autem secundo tollent hædos duos immaculatos* **532** *pro peccato*, audax quidem est quod dicturi sumus, sed tamen aliorum simpliciter ponenda sententia est, qui aiunt duos hædos immaculatos post passionem Domini oblatos esse ad altare Domini, Jacobum et Stephanum : quorum alter de apostolorum numero, alter de septem electis in ministerium Domini princeps fuit (*Actor.* XXII). Iste est Jacobus qui transformatum Salvatorem vidit in monte (*Ibid.*, VII), qui resurgentem filiam archisynagogi cum Domino Petroque et Joanne intuitus est (*Matth.* XVII), qui in catalogo apostolorum, in quo bina junguntur nomina, prior fratre ponitur (*Marc.* IX). Hunc interfecit Herodes (*Matth.* IX), et quasi hædum immaculatum post passionem Salvatoris in die immolavit secunda (*Marc.* III). Stephanum quoque (cujus sapientiæ et doctrinæ nullus poterat resistere (*Actor.* XIV), et qui stantem vidit Filium ad dexteram Patris, et dixit (*Act.* XIV, 7) : *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*) lapidibus obruere Judæi. Et quomodo quosdam credentium primitias Achaiæ et Asiæ Apostolus nominat : sic et isti primitiæ fuere martyrum (I *Cor.* XVI), quos Christi postea confessio coronavit. Et hoc notandum quod vitulus totus offertur in holocaustum, et crassitudo corporis ejus divino igne consumitur. *Etsi enim noveramus Christum* [a] *secundum carnem : sed jam nunc non novimus eum secundum carnem* (II *Cor.* V, 16). Jacobus autem et Stephanus qui secunda die oblati sunt, sive hircus, qui juxta Hebraicum narratur oblatus, offertur quidem in victima, sed holocaustum præsentiæ Domini reservatur. Quod autem tollitur sanguis, de quo loquitur Petrus : *Redempti* [b] *sumus de vana nostra conversatione paternæ traditionis pretioso sanguine Christi* (I *Petr.* I) ; et Paulus apostolus docet : *Pretio redempti estis* (I *Cor.* VII, 23) ; et in alio loco : *Pacem faciens per sanguinem crucis suæ, sive in terra, sive super cœlos* (*Coloss.* I, 20), illud significat, quod sanguine Salvatoris, quatuor cornua purificentur altaris, id est, quatuor mundi plagæ : aspergiturque corona propitiatorii, sive bases per circuitum, ut universa purgentur, et firma sit propitiatio. Propterea autem in secunda die, vel duo hædi, de quibus supra diximus, vel hircus assumitur ; quia animal est semper ad excelsa festinans, et nihil periculi sustinens in **533** præcipitiis, et ibi invenit viam, ubi cæteris animantibus interitus est. Unde et Græco sermone caprarum et hircorum grex, sublimium conversatio dicitur, hoc est, αἰπόλιον quasi αἰποπόλιον, siquidem αἶπος, *excelsum*, πόλιον [Mss. πολεῖν], *conversationem* significat. Porro altare Christi expiatur sanguine, ut orationes sanctorum mundæ permeent ad Deum. Hoc quoque notandum, quod juxta Hebraicum ipse Ezechiel, quasi sacerdos vitulum jubetur assumere, et holocaustum facere, et sanguinem ejus in circuitu aspergere, tam altaris quam angulorum et coronæ, sive basis. Septuaginta autem interpretes alios sacerdotes hoc facere demonstrant, de quibus dictum est : *Dabis sacerdotibus Levitis, qui sunt ex semine Sadoc, qui accedunt ad me.*

(Vers. 23 seqq.) « Cumque compleveris expians « illud, offeres vitulum de armento immaculatum, et « arietem de grege immaculatum. Et offeres eos in « conspectu Domini, et mittent sacerdotes super eos « sal ; et offerent eos holocaustum Domino. Septem « diebus facies hircum pro peccato quotidie, et vitu- « lum de armento et arietem de pecoribus imma- « culatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, « et mundabunt illud : et implebunt manum ejus. « Expletis diebus in die octavo et ultra facient Sa- « cerdotes super altare holocausta vestra, et quæ « pro pace offerunt, et placatus ero vobis, ait Domi- « nus Deus. LXX : Et cum compleveris expiationem, « offerent vitulum de bobus immaculatum, et arie- « tem de ovibus immaculatum, et offeretis coram Do- « mino, et aspergent sacerdotes super ea sal ; et of- « ferent ea holocausta Domino. Septem diebus facies « hædum pro peccato quotidie, et vitulum ex bobus, « et arietem de ovibus immaculatum facient septem « diebus. Et expiabunt altare, et mundabunt illud, « et implebunt manus eorum, et consummabunt « dies. Et erit a die octavo et ultra, facient sacerdo- « tes super altare holocausta vestra, et pro salute « vestra, et suscipiam vos, dicit Dominus Deus. » Postquam altare et mensuræ ejus in montis vertice demonstratæ sunt ; rursumque expiatio, et consecratio illius prophetæ ostensa est, per unum vitulum immaculatum et hircum, sive duos hædos, quorum primum ad Dominum Salvatorem, duo sequentia ad apostolos ministrosque retulimus, ne in consecratione spiritalis altaris et proprie ad Ecclesiam pertinentis, **534** lex et prophetæ viderentur exclusi, propterea consecrato altari, vitulus immaculatus assumitur et aries, et offertur in conspectu Domini ; et filii Sadoc, hoc est, justorum sacerdotes aspergunt super capita eorum sal, ut et Lex et Prophetæ sapore Evangelii condiantur. Nec ullum est sacrificium (juxta legis imperium et interpretationem Apostoli, qui ait (*Col.* IV, 6) : Sermo vester sit sale conditus) quod sale careat. Utrumque autem offertur holocaustum Domino, ut corpus pinguis litteræ, quod significatur in Lege, et prophetiæ nubilum, igne Domini, hoc est, Spiritu sancto, de quo dicit Paulus, *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11), in spiritualem et tenuem substantiam convertantur. Volu-

[a] In cod. vatic. verba *secundum carnem* desiderantur.

[b] Victorius *estis* et *vestra* ad Græcum textum.

mus scire apertius qui sit vitulus de armento immaculatus, et aries de ovibus purissimo vellere, intelligamus Moysen et Eliam (*Num.* XII, III *Reg.* XIX) ; quorum prior mansuetissimus fuit inter omnes homines qui versabantur in terra ; alter ardore fidei similis Moysi. Unde et audebat dicere : Ego relictus sum solus. Quod autem in Hebraico scriptum est : *Offéres vitulum*, in Septuaginta, *offerent sacerdotes*, nulla sit quæstio. Et ipse enim Ezechiel cui hæc dicuntur, de numero sacerdotum est, plenæ ætatis atque perfectæ ; et sacerdotalem gradum prophetiæ auxit gratia. Et Moyses et Elias videntur in monte cum Domino, id est, lex et prophetæ, qui ei nuntiabant quæ Jerosolymis passurus esset. Expiato autem altari, septem diebus offertur hircus, sive hædus pro peccato quotidie, et vitulus de armento, et aries de pecoribus immaculatus, ut per hæc sacrificia septem dierum ad perfectum expietur altare. In septem diebus sabbatismus ostenditur qui juxta Apostolum (*Hebr.* IV) populo Dei reservatur : in quibus æternam veramque speramus requiem, et nequaquam servile opus faciamus [*Al.* faciemus] peccatorum. In hirco autem, et vitulo, et ariete tria generalia delicta demonstrantur, quibus omne mortalium subjacet genus. Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus. Cogitatio refertur ad arietem, quæ prima est omnium peccatorum, et ex qua alia duo peccata nascuntur. Hædus autem, sive hircus, ad eloquium sive sermonem, qui semper de excelsioribus disputat. Opera vero proprie vitulo deputantur : quoniam vomeri **535** et labori et terrenis operibus mancipatus est. Hæc igitur immaculata per septem dies veri sabbati atque perfecti Deo offerre debemus, et expiare altare, ut oratio nostra munda perveniat ad Deum. Quod autem infertur : *Et mundabunt illud, et implebunt manum ejus*, quod et Hebraicum et cæteri interpretes transtulerunt, illud significat, quod ipsius quoque altaris, pro cujus expiatione offertur sacrificium, dona complenda sint, sicut offertur pro sacerdotibus et populo atque pontifice; ne quid vacuum stetisse videatur in conspectu Domini. Pro quo posuere Septuaginta : *et mundabunt illud, et implebunt manus suas*, ut subaudiatur *sacerdotes*, qui cum pleni fuerint bonis operibus, hoc enim plenæ significant manus, transacto sabbato, veniant ad diem resurrectionis octavam, et dicant cum Apostolo: Resurreximus cum Christo (*Rom.* VI, *Coloss.* III) ; et ultra octavam tendant ad cœlestia, et offerant pro nobis holocausta, sive quæ pro pace peccatorum nostrorum et salute sunt nostra ; ut per ignem Spiritus sancti, omnia quæ cogitamus, loquimur, et facimus, in spiritualem substantiam convertantur : et hujuscemodi Dominus delectatus sacrificiis, nobis placabilis fiat.

(Cap. XLIV. — Vers. 1 seqq.) *Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est* (sive *ingredietur*) *per eam ; eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat* panem *coram Domino. Per viam vestibuli* (id est, *Ælam*), *porta egredietur, et per viam ejus egredietur.* Pro eo quod in Hebraico scriptum est : *erit clausa principi*, LXX transtulerunt, *erit clausa ; quia dux ipse sedebit in ea.* Multæ sunt portæ quas in descriptione templi Ezechielis Scriptura commemorat, tam intus quam foris. Altaris quoque figuram, et consecrationem et sacrificia sermo præteritus percurrit. Quo finito, venit ad portam sanctuarii exteriorem, quæ respiciebat ad Orientem, et erat clausa : statimque vir ille qui erat ductor prophetæ, et ei omnia demonstrabat, locutus est ad eum : Porta hæc quam respicis clausam, semper clausa erit, et non aperietur, **536** nullusque virorum transibit per eam. Et reddit causam cur clausa sit semper : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est, vel ingredietur per eam : eritque clausa juxta Hebraicum, *principi*, quem *ducem* LXX transtulerunt. Qui princeps et dux, id est, NASI (נשיא), sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino : et per viam vestibuli portæ ingredietur, et per ipsam egredietur. Quænam ista porta est, quæ semper clausa est, et solus Dominus Deus Israel ingreditur per eam ? Nempe illa de qua Salvator loquitur in Evangelio : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, et væ vobis doctoribus legis, qui tollitis clavem scientiæ : ipsi non ingredimini, et intrantes prohibetis (*Matth.* XXIII, 23). De hac sub nomine libri scribit et Isaias : Erunt verba libri istius, sicut verba libri signati : quem cum dederis homini nescienti litteras, et dixeris ei, Lege : et respondebit tibi, nescio litteras. Et dabunt illum homini scienti litteras, dicentes : Lege ; et dicet : Non possum legere, quia signatus est (*Isai.* XXIX, 11). Iste autem liber est, cujus nemo potest solvere et aperire signacula, neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra, nisi ille de quo in Apocalypsi Joannis dicitur : Ecce vicit leo de tribu Juda, radix et genus David : ut aperiat librum et solvat signacula ejus (*Apoc.* V, 5). Prius enim quam Salvator humanum corpus assumeret, et humiliaret se, formam servi accipiens (*Phil.* II), clausa erat Lex et Prophetæ, et omnis scientia Scripturarum, clausus erat paradisus. Postquam autem ille pependit in cruce, et locutus est ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43), statim velum templi scissum est, et aperta sunt omnia ; ablatoque velamine dicimus : Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam (II *Cor.* III, 18). Sin autem revelata sunt omnia, in Christo enim juxta sermonem Pauli omnia revelantur (*Ibid.*, XII), quomodo porta clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam? Ex quibus discimus, quamvis ad summam scientiam venerimus, comparatione divinæ scientiæ, nunc ex parte nos scire et ex parte cognoscere; quando autem venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur. Unde et in alio loco ipse Apostolus imperfec-

tum se esse loquitur, rursumque perfectum. Quod si interpretatione caret, videtur esse contrarium. Dicit enim : **537** Non quia jam accepi, aut quia jam perfectus sum [a]. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse : Unum vero, posteriora obliviscens et ad priora me extendens, statutum persequor ad bravium supernæ vocationis Dei (*Philipp.* III, 12, 14). Cumque putaremus eum secundum professionem suam non esse jam perfectum, et magis quærere quam invenisse quod verum, non solum se, sed et alios dicit esse perfectos : *Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus*. Est autem sensus hujus loci : Ad comparationem cæterorum hominum, qui curam non habent notitiæ Scripturarum nec mysteriorum Dei, perfectum esse me fateor ; quantum autem ad scientiam divinæ majestatis, nunc in ænigmate video et per nubilum et caliginem, et dico cum propheta : Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam (*Ps.* CXXXVIII, 6). Hæc igitur porta, quæ omnibus clausa est (vir enim non transibit per eam), erit clausa principi, sive duci, et illius adventu reserabitur, qui sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino : de quo ipse in Evangelio profitetur, dicens : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et compleam opus ejus (*Joan.* IV, 34). Ipse est princeps, et pontifex secundum ordinem Melchisedech, et hostia et sacerdos, qui in conspectu Patris nobiscum cœlestem comedit panem, et vinum bibit, de quo loquitur in Evangelio : Non bibam de genimine vitis hujus, nisi cum bibero illud novum in regno Patris mei (*Matth.* XXVI, 29) : in illo videlicet regno, de quo et ipse et alibi ait : Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII, 21). Clausaque erit porta. Nemo enim potest passionis Domini, corporisque ejus et sanguinis pro majestate rei sacramenta cognoscere. Tantæque bonitatis est, et clementiæ princeps noster, ut cum solus sedeat in porta, quæ clausa est, et panem coram Domino comedat, velit mensæ suæ atque conviviji plures habere consortes, et dicat : Ecce ego sto ad ostium et pulso ; si quis aperuerit mihi, ingrediar ad eum et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). Solus autem panem comedit coram Domino, quia substantia ejus divinaque natura a cunctis creaturarum substantiis separata est. Ipse per eamdem vestibuli portam ingreditur **538** et egreditur : quia [b] et intus et foris, hoc est, infusus et circumfusus omnibus ; ingrediensque per portam, ut secum introducat eos, qui absque doctrina et ejus auxilio intrare non possunt ; et egrediens, ut rursum alios introducat ; et loquatur eis qui difficiliora non capiunt. Quod autem porta Orientalis extra terminos mundi semper clausa sit, et humano nequaquam pateat aspectui, Joannis Evangelium probat dicentis : Deum nemo vidit umquam : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit (*Joan.* I, 18). Quasi aliis verbis dixerit : Eritque clausa principi. Princeps solus sedebit in ea, ut comedat panem perfectæ et consummatæ scientiæ. Nemo enim novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI, 27). Pulchre quidam portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, et dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum, et post partum virgo permansit. Etenim tempore quo angelus loquebatur : Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te, quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35), et quando natus est, virgo permansit æterna ; ad confundendos eos, qui arbitrantur eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus qui vocantur in Evangelio (*Marc.* III). Super qua quæstiuncula, Romæ adversum Helvidium illius temporis hæreticum, in adolescentia non grandem librum scripsisse me novi.

( Vers. 4 seqq. ) *Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus, et vidi, et ecce implevera*t [Vulg. *implevit*] *gloria Domini domum Domini, et cecidi* [c] *ante faciem meam. Et dixit ad me Dominus : Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquar ad te de universis ceremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus, et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii.* Vir qui ductor prophetæ est, et quo cuncta in templo monstrante cognoscit, postquam clausam ei ostenderat portam numquam reserandam, et tamen apertam ei qui clausis ingressus est ostiis, ducit prophetam ad viam portæ **539** Aquilonis, quæ tamen et ipsa esset in conspectu domus, haud dubium quin templum significet. Cumque propheta e regione vidisset plenam domum Domini gloria Domini, eamdem videlicet quam in Aquilonis plaga positus contra cernebat, statim cecidit in faciem suam, majestatem gloriæ Domini ferre non sustinens. Unde quia fuerat humilitate dejectus, dicit ad eum, nequaquam vir, sed Dominus : *Fili hominis, pone cor tuum*, et reliqua. In consummatione tabernaculi et ædificii templi quod a Salomone constructum est, apparuit gloria Domini, quæ postea evangelicæ gloriæ comparatione destructa est, dicente Apostolo : Etenim non est glorificatum, quod glorificatum est, in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod destruitur, per gloriam est : multo magis quod manet in gloria est (II *Cor.* III, 10). Cavendumque ne destructionem prioris gloriæ abolitionem putemus ; sed sic sentiendum, quod postquam venerit quod perfectum est, id quod ex parte fuerat, destruetur : velut si solis radiis lampadem compares, aut lampadis lumen lucernæ [*Al.* lucernulæ.] Quamobrem et de Joanne Baptista dicitur : Ille erat

[a] Supplet Victor. reliquum versum, *sequor autem si comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu*, quod commodius ad probandum quod Hieron. intendit, videatur.

[b] Victor. *est* reposuit pro *et*.

[c] Idem pro *ante*, ad Hebræum, Græcum, Latinumque codicem *in* restituit.

lucerna lucens in domo (*Joan.* v, 35). Postquam autem venit sol justitiæ, lucernæ lumen absconditum est, dicente ipso propheta atque Baptista : Illum oportet crescere, me autem minui (*Joan.* III, 30). Cecidit autem in faciem suam propheta, ne dum plus cernere cupit quam potest humana fragilitas intueri, etiam ipsum oculorum lumen amitteret. Unde familiarius eum vocat Dominus, filium hominis ; præcipitque ut ponat cor suum, et videat oculis, et auribus audiat. Primum enim ad intelligendum quod dicitur aperiendus est animus ; secundo, cordis intelligendum oculis, de quibus dicitur ad Abraham : Leva oculos tuos, et vide stellas cœli (*Gen.* XV, 5) ; tertio, his auribus audiendum, de quibus Salvator ait : Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII, 8) ; ut possit cunctas templi cæremonias et legitima ejus intelligere, et ad extremum ponere cor suum in viis templi ; quia diversi ad [a] Deum introitus sunt. Sive per vias templi, ceremoniarum ordinem significat, et exitus sanctuarii. Procœmium igitur est, et **540** præparatio prophetæ, ad intelligenda quæ postea super templi ordine cogniturus est. Et hoc notandum, quod in mundi hujus plaga qui in maligno positus est, et in Aquilonis frigore constitutus, cœlestis nobis ceremoniarum ordo monstratur.

(V. 6 seqq.) *Et dices ad exasperantem me domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel, eo quod inducitis filios alienos* (sive *alienigenas*) *incircumcisos corde et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam, et offertis panes meos, adipem et sanguinem, et dissolvistis* (sive *præteristis*) *pactum meum in omnibus sceleribus vestris ; et non servastis præcepta sanctuarii mei et posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis.* Quando dicit, sufficiant vobis omnia scelera, sive iniquitates vestræ, ad priorum peccatorum hortatur pœnitentiam, ne augeamus peccata peccatis, et materiam futuro paremus incendio ; sed audiamus illud quod Isaias loquitur : Væ his qui attrahunt peccata sicut funiculo longo, et sicut jugo corrigiæ vituli iniquitates (*Isai.* V, 18). Primumque peccatum est, quod inducunt filios alienos, sive alienigenas incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario Dei, et polluant domum Dei. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit (I *Cor.* V, 6) ; et in quibusdam exemplaribus fertur Proverbiorum : Ne introducas impium in tabernacula justorum. Urgent nos in hoc loco Judæi et Ebionitæ, qui circumcisionem carnis accipiunt : quomodo possumus præsentem locum exponere incircumcisos corde et incircumcisos carne ? quo videlicet post spiritualem intelligentiam, etiam carnis circumcisionem suscipere debeamus. Sed qui legimus Paulum dicentem : Contestor autem omnem hominem qui circumciditur : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* V, 2). Et illud Jeremiæ : Ecce incircumcisæ aures vestræ, et [b] noluistis audire (*Jer.* VI, 10). Et in Exodo locutus est Moyses in conspectu Domini dicens : Ecce filii Israel non audierunt me ; et quomodo audiet me Pharao ? Ego autem sum tardi sermonis (*Exod.* VI, 12), pro quo Septuaginta dixere : ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι ; quod melius habetur in Hebræo : Ego autem **541** incircumcisus sum labiis, interrogemus eos, immo cogamus circumcidere aures, et labia desecare, ut Scripturam implere videantur. Sin autem cœperint circumcisionem aurium interpretari, quando nihil turpe et inhonestum audire nos patimur, et circumcisionem labiorum, quando nihil indecens loquimur : dicamus eis, eamdem expositionem etiam in corde et in carne servare debetis. Cor circumcidimus cultello Dei, et aufertur de corde nostro præputium, quando turpes cogitationes nequaquam exeunt de corde nostro, nec de nobis dicitur : Impinguatum est cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt (*Actor.* XXVIII, 27). Ergo et caro similiter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus : quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias, et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus. Qui bibit vinum modicum propter stomachum et frequentes infirmitates, et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam (I *Tim.* V). Qui dormit quantum natura patitur, audiet a Salomone : Si sederis, absque timore eris : Si dormieris, suaviter dormies, et non timebis pavorem supervenientem tibi : neque impetus impiorum supervenientes (*Prov.* III, 24). Et qui fugit fornicationem, et uxori debitum reddit revertens ad id ipsum ne tentet eum Satanas (I *Cor.* VII), audiet cum populo Israel : *In hac die abstuli opprobrium Ægypti a vobis.* Vestibus quoque utetur, quæ frigus repellant ; non quæ tenuitate sui, corpora nuda demonstrent. Attenuata jejuniis caro et circumcisa continentia (*Jos.* V), fugit opprobrium Ægyptiorum qui sunt magnis carnibus, et illud potest dicere quod in plerisque juxta editionem Septuaginta legitur : Quomodo contabuit caro mea, in terra deserta, invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi (*Ps.* LXII, 3). Si quando ergo alienigenas introducere voluerimus in templum Dei, circumcidamus aures eorum, et labia, et cor, et omnem carnem, oculosque, gustum et odoratum, ut omnia cum Dei timore et ratione faciamus. Audiant hoc episcopi atque presbyteri et omnis ordo ecclesiasticus, ut non inducant filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ne sint **542** in sanctuario Dei, et polluant domum ejus. Si enim hoc fecerint, aptabitur illis quod sequitur : *Et offertis panes meos*, panes videlicet propositionis in cunctis Ecclesiis et orbe terrarum, de uno pane pullulantes, et non solum panes, sed adipem quoque de quo scriptum

[a] Antea erat *ad eum.*
[b] Maluit Vict., *et non possunt audire*, juxta receptam lectionem.

est : Ex adipe frumenti saturavit eos (*Ps.* LXXX, 17), et sanguinem qui in Christi passione effusus est. Legendumque ita, et sic lectionis ordo reddendus : Cum filios alienigenas incircumcisos corde et corpore inducatis in sanctuarium meum, et polluatis domum meam, audetis offerre panes et adipem et sanguinem, mystica sacramenta, et non intelligitis quod solveritis, et prætergressi sitis pactum meum in omnibus sceleribus et impietatibus vestris, et non servaveritis præcepta sanctuarii mei, neque posueritis custodes ceremoniarum mearum in sanctuario meo. Omnis autem adversus eos est comminatio, qui non audierunt Apostolum prænonentem : Manus cito nemini imposueris : neque communices peccatis alienis (I *Tim.* v, 22). Vel certe sic intelligendum : Dissolvistis pactum meum in omnibus sceleribus vestris, et non servastis præcepta sanctuarii mei, et audetis indignos alienosque custodes ponere in observatione sanctuarii mei vobismetipsis, ut subaudiatur, non mihi. Et est sensus : Qui vobis in carnalibus serviant ac ministrent : et ob vestra refrigeria meum polluant sanctuarium.

(Vers. 9, seqq.) *Hæc dicit Dominus Deus : Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum : omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel. Sed et Levitæ qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, portabunt iniquitatem suam, qui erant in* [Vulg. *et portaverunt iniquitatem suam, erunt in*, etc.] *sanctuario meo œditui et janitores portarum domus, et ministri domus; ipsique mactabant holocausta et victimas populi, et ibi stabant ante eos, ut ministrarent pro illis. Pro eo ergo, quod ministraverunt pro eis in* [Vulg. *ipsi mactabunt, stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis pro eo quod ministraverunt illis in*, etc.] *conspectu idolorum suorum, et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis : idcirco levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus, et portaverunt* [Vulg. *portabunt*] *iniquitatem suam. Et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi : neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum : sed portabunt confusionem suam et scelera sua quæ fecerunt. Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus,* **543** *et universis, quæ fiunt* [Vulg. *fient*] *in ea. Sacerdotes autem Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi : et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur in sanctuarium meum : et ipsi accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, et custodiant ceremonias meas.* LXX : *Propterea hæc dicit Dominus : Omnis filius alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur in sancta mea in omnibus filiis alienigenarum qui sunt in medio domus Israel, sed et Levitæ qui longe recesserunt a me cum erraret Israel a me post cogitationes suas, et açcipient iniquitatem suam, et erunt in sanctis meis ministrantes, ostiarii in portis domus, et ministri domus. Isti immolabunt holocausta et victimas populo, et isti stabunt ante populum ut ministrent eis. Pro eo quod ministraverunt eis ante faciem idolorum suorum, et factum est domui Israel in tormentum iniquitatis : propterea levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus, et accipient iniquitatem suam : et non accedent ad me, ut sacerdotio fungantur mihi : neque ut offerant ad omnia sancta filiorum Israel : nec ad sancta sanctorum meorum : et suscipient ignominiam suam in errore, quo erraverunt. Et ponent eos ut servent custodias domus in omnia opera ejus : et in universa quæ fecerunt in ea. Sacerdotes Levitæ filii Sadduc, qui custodierunt custodias sanctorum meorum cum erraret domus Israel a me, isti accedent ad me ut ministrent mihi, et stabunt ante faciem meam ut offerant mihi hostiam, adipem et sanguinem, dicit Dominus Deus. Isti ingredientur in sancta mea, et isti accedent ad mensam meam, ut ministrent mihi, et observent custodias meas.* Juxta utramque editionem posui testimonium, ut ex comparatione earum quid LXX senserint, quid Hebraicum teneat, scire valeamus. Septuaginta hoc significant, quod alienigenæ incircumcisi corde, et carne qui habitant in medio filiorum Israel, ingredi non debeant sanctuarium Dei : Levitæ autem, hoc est, sacerdotalis gradus, qui longe recesserunt a Domino in errore filiorum Israel, et erraverunt post idola sua, postquam receperint iniquitatem suam, stent in sanctuario Domini æditui et janitores, ministrique domus, et mactent holocausta **544** et victimas populi : et isti sint in conspectu eorum ut ministrent eis quod ministraverint illis in conspectu idolorum suorum, et facti sunt domui Israel in tormentum iniquitatis : et idcirco manum levasse se dicit super eos Dominus Deus : ut non accedant ad eum, et sacerdotio fungantur illi, neque offerant illi in sancta sanctorum, portentque ignominiam suam in errore quo erraverunt : ut scilicet ponantur in observatione custodiarum domus in omnia opera ejus, et in universa quæ fiunt in domo. Quod si ita est, quomodo stare poterit, ut Levitæ qui longe recesserunt a Deo in errore filiorum Israel, et erraverunt ab eo post idola sua, ipsi ministrent in domo et mactent holocausta et victimas populi, et ipsi stent in conspectu eorum, ut ministrent eis? Quid enim amplius facturi sunt sacerdotes filii Sadoc, qui custodierunt ceremonias sanctuarii Dei, de quibus dicit : *Ipsi accedent ad me ut ministrent mihi, et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem*, et reliqua? Hebraicum autem hunc habet sensum : Omnis alienigena incircumcisus corde et carne, non ingredietur sanctuarium meum, licet cum populo Israel esse videatur. Levitæ autem, hoc est, sacerdotalis gradus, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et secuti sunt idola, portabunt iniquitatem suam, eo quod fuerint in sanctuario meo ministrantes in officio portarum domus, et ministri ejus. Ipsi enim offerebant holocaustum, et victimas populi, et ipsi stabant in conspectu eorum, ut mini-

stárent pro eis. Quia ergo ministraverunt pro illis in conspectu idolorum suorum, et fuerunt domui Israel in offendiculum iniquitatis, propterea levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus : et portáverunt iniquitatem suam, et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi : neque accedent ad omne sanctuárium meum juxta sancta sanctorum : sed portabunt confusionem suam, et scelera sua quæ fecerunt. Pro sacerdotali enim officio, qui holocaustum et victimas omneque sacrificium offerre consueverant, redigentur in ultimum gradum, et erunt janitores domus, in ignominiam sempiternam, ut ab universo populo videantur intrante et exeunte, de qua sublimi dignitate ad quem ultimum gradum **545** pervenerint. Sacerdotes autem, inquit, id est, Levitæ, qui sunt filii Sadoc, hoc est, justorum, sive justi Dei, et qui tempore erroris universi Israelis, custodierunt ceremonias sanctuarii mei, ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi, et stent in conspectu meo, et offerant mihi adipem, hoc est, pinguissimam hostiam et sanguinem, vivam scilicet et placentem hostiam Deo, et ipsi ingredientur sanctuarium meum, et accedent ad mensam meam, ut accendant thymiama mihi, et omnem ritum sacrificii custodiant. Si autem hoc ita est, ut qui in tempore erroris et persecutionis idola sunt secuti, quæ de suo corde confixerant, et non solum voce, sed et subscriptione manus asseruerunt Dei Filium creaturam, et servierunt creaturæ magis quam Creatori, qui est benedictus in sæcula, quomodo sibi sacerdotale et pontificale assumunt fastigium, et audent offerre victimas Deo, cultores quondam idolorum? Sed, ut ardentissimus poeta testatur,

Quidquid a multis peccatur, inultum est :

Multitudo peccantium impetrabiliorem fecit impiis veniam, ut qui redacti in laicos pristina sacrilegii sui debuerant [*Al.* debuerunt] scelera deplorare, nunc resupini in pontificali solio sedeant, et ructent nobis simulatæ fidei nauseas, immo [a] opertæ perfidiæ aperta compendia. Audiant igitur saltem sero, et observent præcepta omnipotentis Dei. Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum. Licet ille sit filius, licet cognatione sociatus, licet antiqua nobis hæreat necessitudine : si incircumcisus corde vel carne est, non introducatur in sanctuarium Dei : ne ministros Christi, nostros faciamus ministros, et pro carnalibus refrigeriis, altaria Domini polluamus. Pro eo quod nos posuimus : *Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, et universis quæ fiunt in ea :* eos videlicet Levitarum qui longe recesserunt a Deo in errore filiorum Israel, et secuti sunt idola quibus victimas immolaverunt. Symmachus ordinem lectionis sensumque considerans, rectius interpretatus est, dicens : *Posueram enim eos custodes januarum domus universi ministerii ejus et cunctorum quæ fiunt in ea*, ut non ad eos pertineat qui **546** futuri sunt in templo, sed ad eos qui fuerunt.

(Vers. 17 seqq.) *Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus* (sive *stolis*) *lineis induentur : nec ascendet super eos quidquam laneum* (sive *et non inducentur lanificiis*) *quando ministrant in portis* (sive *a portis*) *atrii interioris et intrinsecus. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum* (sive *cidares lineas habebunt super capita sua*) *et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore* (sive *violenter*). *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis* (sive *stolis*) *suis, in quibus ministraverant, et reponent ea* (sive *eas*) *in gazophylaciis* [Vulg. *gazophylacio*] (sive *exedris*) *sanctuarii* (vel *sanctorum*) *et vestient se vestimentis* (sive *stolis*) *aliis, et non sanctificabunt populum in vestimentis* (sive *stolis*) *suis. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua* (sive *capita sua non radent, et comas non ad pressum tondebunt : operientes operient capita sua*). *Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius.* Primum historiæ verba pandenda sunt. Inter cætera quæ sacerdotibus præcipit sermo Dominicus, hoc quoque observandum jubet, ut in ipsis portis interioris atrii, vestibus, id est, stolis lineis induantur : nec utantur laneis indumentis tam in portis atrii interioris, quam intrinsecus, hoc est, in adytis sanctisque sanctorum : vittæque sive cidares lineæ sint in capitibus eorum, et feminalia linea in lumbis. Quodque sequitur juxta Septuaginta : *Et non accingentur violenter*, pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt, *in sudore :* Theodotio ipsum verbum Hebraicum exprimens, posuit in JEZE (יזע) : Aquilæ secunda editio, BUSA [*Al.* BUZA] (בוזע) : per quod significat, non eos violenter, arcte atque constricte instar vinctorum esse cingendos, ne in ministeriis sacerdotalibus atque Leviticis inhabiles fiant, et tenere et cædere victimas, attrahere quoque nequeant atque discurrere. Et quia semel præceperat quibus vestibus uti deberent sacerdotes, quando intrinsecus in ministeriis essent, rursus jubet ut egredientes in gazophylaciis, sive in exedris sanctorum, exuant se pristinis vestibus, et induantur aliis : ne si sanctas vestes habuerint, sanctificent **547** populum foris positum, qui necdum fuerit sanctificatus, nec se præparaverit in sanctificationem templi, ut sit Domini Nazaræus. Per quæ discimus, non quotidianis et quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia, et mundis vestibus tenere Domini sacramenta. [b] Quod

[a] Rescripsimus post Victorium *opertæ perfidiæ*, quod alteri isocolo, *simulata fidei*, concinnius respondet. Martianæus nihilosecius retinuit *apertæ*.

[b] Interpolatus est, si quid video, luxatusque per ferme quinquaginta versus subsequentes contextus, ab hinc scilicet, ad Pauli testimonium I Tim. v. Movet enimvero me interrupta atque hiulca explanationis series, quæ, repente intermissa oratione de vestibus, nonnulla de comarum cultu ingerit, quæ ad sequentem versiculum spectant, tum pauca quæ-

autem sequitur : *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua*, perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis atque [a] Serapidis nos esse debere : nec rursum [b] comam demittere, quod proprie luxuriosum est, barbarorumque et militantium ; sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur. Pro quo dixere LXX, *Capita sua non radent, et comas suas ad pressum non tondebunt : sed operientes operient capita sua*, juxta quod discimus, nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos dimittendos, ut operta sit cutis. Vel certe sacerdotes semper operire capita sua debent, juxta illud Virgilianum (*Æneid. lib.* III) :

Purpureo velare comas, adopertus amictu.

Sed hæc violenta interpretatio est. Vinum autem non solum in ministerio sacerdotes non libent atque Levitæ : sed ne ingressuri quidem sancta sanctorum, ne opprimatur mens, et sensus crassior fiat. Unde et Apostolus : Bonum est, inquit, vinum non bibere, et carnem non manducare (*Rom.* XIV, 21). Et in alio loco : Et vinum, in quo est luxuria (*Ephes.* V, 18). **548** Manducavit enim populus et bibit, et surrexerunt ludere. Quodque concedit Timotheo, ut vini paululum bibat, perspicue demonstrabat [*Al.* demonstrat] cur hoc concesserit : propter stomachum, inquit, et frequentes infirmitates (I *Tim.* V). Vestibus lineis utuntur Ægyptii sacerdotes non solum intrinsecus, sed et extrinsecus. Porro religio divina alterum habitum habet in ministerio, [c] alterum in usu vitaque communi. Feminalia recte assumuntur, ut honestas decorque servetur : ne scilicet ascendentes altaris gradus, et in ministerio discurrentes, revelent turpitudinem. Rasa capita habet superstitio gentilis. Vino autem quantum ad meam scientiam [*Al.* notitiam] pertinet, non reor aliquem se abstinere gentilium. Quæ universa quid juxta sensum indicent spiritualem, sequentia verba monstrabunt. Esse indumenta sancta et spiritualia, docet et Apostolus, dicens : Induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 14). Et in alio loco : Induite vos viscera misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, et patientiæ (*Coloss.* III, 12). Et iterum : Exspoliati vetere homine cum operibus ejus, et induti novo qui renovatur in scientiam, juxta imaginem Creatoris (I *Cor.* XV, 54) ; quod et illud significare puto : Oportet enim corruptivum hoc indui incorruptionem, et mortale hoc indui immortalitatem. Cum autem corruptivum hoc indutum fuerit incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, et reliqua. De sacerdotalibus vestibus in Exodo plenius scriptum est (*Exod.* XXVIII) : et nos olim edidimus librum (*Epist.* 64, *ad Fabiolam*), ad cujus interpretationem diligens mittendus est lector. Neque enim possumus latam materiam brevi sermone comprehendere. Hæc vestimenta proprio nobis labore conficimus, quæ texta sunt desuper, qualem et Dominus habebat tunicam **549** quæ scindi non potuit (*Joan.* XVIII) ; quibus induimur, quando secreta Domini et arcana cognoscimus, et habemus spiritum qui scrutatur etiam alta et profunda Dei, quæ non sunt monstranda vulgo, nec proferenda ad populum, qui non est sanctificatus, nec Domini sanctitudini præparatus : ne si majora se audierint, majestatem scientiæ ferre non possint, et quasi solido suffocentur cibo, qui adhuc lacte infantiæ nutriendi sunt. Esse autem econtrario pessima vestimenta, docet Scriptura divina, ut est illud quod in Psalmis de Juda proditore cantatur : Indutus est maledictione sicut vestimento (*Ps.* CVIII, 29). Et post paululum : Fiat ei sicut vestimentum, quo circumdatur, et sicut zona qua semper accingitur. Unde et Dominus qui pro nobis doluit, et nostra peccata portavit, in Zacharia sordida dicitur habere vestimenta, de quibus scriptum est : Et Jesus erat indutus vestibus sordidis (*Zach.* III, 4) : quæ postea deposuit, Scriptura dicente : Auferte ab eo vestimenta sordida, et induite eum podere, et reliqua. Quod autem sequitur : *Vittæ*, sive *cidares lineæ erunt in capitibus eorum*, puto coronam ostendere gratiarum, de qua scriptum est : Coronam enim gratiarum suscipiet tuus vertex (*Prov.* IV, 9). Nec illud nobis de operto et nudo capite faciet quæstionem, quod Apostolus de abstinentia a vino, tandemque abrupte in priorem recidit sermonem de vestibus, post quarum sane luculentam enarrationem, rursum de fugienda capillorum luxuria, atque ebrietate disserit. Nec fore dubito, quin ita sentiat, quicumque totam hujusce capituli expositionem sedulo expenderit. Quo autem pacto ad pristinum rectumque ordinem restitui queat, non obscure docet Rabanus. Amovenda primum hinc sit tota subsequens lacinia triginta novem versuum, ut pro illis e vestigio, atque una serie continuet : *Vestibus lineis utuntur Ægyptii sacerdotes*, etc., ad fere medium col. 550, post alterum locum e Proverbiis XX, 25. Tunc ipsa lacinia secunda in duas veluti partes, quarum prima quæ de capillorum cultu agit, ibi inserenda usque ad ea verba post Virgilii versum : *sed hæc violenta interpretatio est.* Altera quæ temperantiam a vino laudat, fini capitis subjungenda. Atque hoc quidem ordine Rabanus legit. Sed quando non etiam mss. præsto est auctoritas, impressa lectione nequaquam immutata, lectorem de luxatione monuisse satis abunde sit.

[a] Antea erat *Serapis*. S. Ambrosius epist. ad Sabinum : *Ipsi capita et supercilia sua radunt, si quando Isidis suscipiunt sacra.*

[b] Mos hodiernus comas dimittendi, Barbarorum fuit et luxuriosorum et militantium ; non honestiorum virorum et Christianorum, quibus præcipitur, ne comam nutriant. MART.

[c] Erant nempe laicorum vestes et clericorum primis Ecclesiæ sæculis communes, at clerici iis, quibus in vita communi, vestibus utebantur in sacris operandis, mundioribus atque optimis. Paria his habet S. doctor lib. I contra Pelagium, vestium ornamenta improbantem : *Quæ sunt rogo*, inquit, *inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si episcopus, presbyter, et diaconus, et reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candida veste processerint?* Vide quæ in hunc locum annotavimus tom. II, col. 713.

stolus loquitur : Mulier debet velamen habere super caput, propter angelos. Si enim non velatur mulier, attondeatur. Sin autem, turpe est mulieri tonderi aut radi, operiatur. Vir enim non debet operire caput, cum sit imago et gloria Dei : mulier autem gloria viri est (II *Cor.* XI, 10). Si enim virorum est non operire caput, videtur esse contrarium, quomodo nunc sacerdotes capita vittis, vel cidare operire jubeantur. Sed si legamus diligentius, ex prioribus solventur præsentia. Supra enim dicitur : *Quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus.* Si enim ingrediamur ad sancta et stemus in conspectu Domini, capita nostra operire debemus : Quia non justificabitur in conspectu Domini omnis vivens (*Ps.* CXLII, 2). Et : Ab infantia cor hominis appositum est ad malitiam. Denique et feminalibus intrinsecus utimur, ne ulla in conspectu Dei pollutæ conscientiæ et operis nuptialis appareat turpitudo. Quibus feminalibus accingi vult Salvator apostolos, dicens : Sint lumbi vestri accincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* XII, 35). Et Apostolus credentibus **550** loquitur : State ergo accincti lumbos vestros in veritate (*Ephes.* VI, 1). Et imitatores Christi audiunt illud, quod de eo scriptum est : Erit justitia accinctus lumbos, et veritate circumdatus latera (*Isa.* XI, 5). Et hac ipsa zona, qui sanctus est et ad virtutum culmen ascenderit, nequaquam violenter astringitur : ne invitus bonum continentiæ observare videatur, et in sudore vultus sui comedere panem, sed præceptum Domini facere voluntate. Denique quando foras egredietur, et miscet se populo, sacerdotalia vestimenta deponit in gazophylacio, in quo dominicæ divitiæ conservantur : et aliis utuntur vestibus sacerdotes, aliaque doctrina ad vulgus ignobile, ne sanctificetur populus in stolis eorum. Grave est multitudini onus ultra vires suscipere, dicente Salomone : Laqueus est viri, cito quid de suis sanctificare : cum enim votum fecerit, surrepit pœnitentia (*Prov.* XX, 25, *sec.* LXX). Denique et Nazaræi sponte se offerunt : et quicumque aliquid voverit, et non impleverit, voti reus est. Unde et de viduis dicitur : Cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt (I *Tim.* V, 11, 12). Melius est enim non promittere, quam promittere et non facere. Anna obtulit Samuelem, qui in æterna sanctitate permansit (I *Reg.* I). et Manue obtulit Samson filium, sed sanctificationem capillorum ejus Dalilæ libido turpavit (*Judic.* XIII). Denique Dominus recessit ab eo, et cæcitate damnatus est, nisi quod postea crescentibus capillis, pristinum robur accepit, et in typo Christi multo plures alienigenarum mortuus quam vivus occidit. Vult autem Dominus sacerdotes suos capillos sanctificationis habere perpetuos, et operiri capita eorum, non aliquo extrinsecus velamento, sed sua naturalique cæsarie, non ad ornatum atque luxuriam, sed ad honestatem. Unde et capilli capitis apostolorum numerati sunt, dicente Salvatore : Vestri autem capilli capitis numerati sunt (*Mat.* X, 30). Illius capitis, de quo in Ecclesiaste scriptum est : Sapientis oculi in capite ejus (*Eccl.* II, 14). Caput autem viri Christus est, quod peccator conculcat et despicit, et ut ita loquar, radit novacula, et aufert ejus pulchritudinem. Quod et filii Ammon fecerunt his quos David legatos miserat (II *Reg.* X). Sin autem legis prævaricatio inhonorat Deum, consequenter qui legis præcepta conservat, honorat **551** eum : ut impleatur quod scriptum est: Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem (*Joan.* V, 13). Porro quod sequitur : Ut omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius, vinum non bibat, perspicuum est, in ebrietate et sicera statum mentis everti : et non plene nos sapere, quando vini satietate [*Al.* vino et satietate] animus occupatur. Ebrietas autem non solum in potione vini, sed in omnibus rebus ostenditur, quibus et in contractibus et in negotiis sæculi, et damnis ac lucris, amore et odio mens inebriatur et fluctuat, et statum suum tenere non potest. Et quia fragili carne circumdamur, et cogimur pro victu atque vestitu et necessariis, quæ ad corpus pertinent, aliqua facere, quæ facere non debemus, saltem hoc a nobis exigitur, ut quando in nos revertimur, et scimus cur nati sumus, et interiora atque adyta templi ingredimur, recedamus a vitiis sæculi, et ne minima quidem peccata faciamus. Per quæ ostenditur et peccare nos pro necessitatibus carnis peccata levia : et rursum esse tempus quando atrium ingredientes interius, ab omni ebrietate mundi atque alieni esse debemus.

(Vers. 22 seqq.) *Viduam et repudiatam* (sive *ejectam*) *non accipient uxores, sed virginem* [Vulg. *virgines*] *de semine domus Israel. Sed et viduam quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient : et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. Et cum fuerit controversia* (ut in LXX additum est, *sanguinis*) *stabunt in judiciis meis, et judicabunt leges meas, et præcepta* [Vulg addit *mea*] *in omnibus solemnitatibus meis custodient.* Omnis hic locus præcepta continet sacerdotum, qui post multa quæ supra exposuimus, jubentur viduam, et repudiatam, sive ejectam, non accipere uxores. Vidua et repudiata est synagoga, id est congregatio Judæorum, quæ Dominum non recepit. Unde ejecta recte dicitur, sive vidua synagoga. Ejecta vero hæreticorum frequentia, qui exierunt a nobis, quia non erant ex nobis. Sed virginem, inquit, de semine domus Israel, quæ nutrita est in domo Dei, in lege et prophetis, de qua et Apostolus loquitur : Volo omnes vos virginem sanctam exhibere Christo (II *Cor.* XI, 2). Ista est virgo de qua et alibi dicit sermo divinus : Ama illam, et servabit te : circumda **552** illam, et exaltabit te : honora eam, ut te amplexetur (*Prov.* IV, 8). Quæ sit autem virgo quæ amanda sit, et suum custodiat amatorem, sciet qui illud legerit : Hanc dilexi et quæsivi ab adolescentia mea, et quæsivi sponsam ducere mihi, et amator fui decoris ejus (*Sapien.* VIII, 2). Et iterum : Et omnium Dominus dilexit eam. Non solum autem virginem, sed et vi-

duam debent sacerdotes ducere, quæ tamen alterius sacerdotis uxor fuerit; scientiam videlicet, quam alius Dei cultor invenerit. Neque enim nova tantum contenti debemus esse doctrina, sed et veterem excolere, et nostro jungere comitatui, si tamen in sacro cultu fuerit erudita. Sacerdotis quoque officium est docere populum quid inter sanctum et pollutum, inter mundum et immundum sit; ut prius referamus ad dogmata, secundum ad opera quæ per carnem efficiuntur. Delicta enim quis intelligit (*Ps.* VIII, 13)? Et cum fuerit controversia de omni re, sive ut Septuaginta transtulerant, *sanguinis*, hoc est quod ad mortale pertinet crimen, stabunt sacerdotes in judiciis meis, ut non judicent secundum honorem, nec accipiant personam pauperis, sive divitis in judicio: sed stent in judiciis Dei, et recordentur illius psalmi: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat (*Ps.* LXXXI, 1), deos appellans qui habent judicandi de hominibus potestatem: qui in quo judicio judicaverint, judicabitur de eis (*Mat.* VII). Leges, inquit, meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, ut sciant quomodo nobis Christus Pascha sit immolatus; quomodo septem hebdomadas implere debeamus gaudii atque lætitiæ, et humiliare animas nostras in jejunio; claugoremque tubarum intelligere et scenopegias spirituales, in quibus dicimus: Advena sum ego et peregrinus sicut omnes patres mei (*Ps.* XXXVIII, 15). Hæ sunt veræ solemnitates Dei, quas consequentius quis Pentateuchum disserens interpretabitur. Prima virtus est sacerdotis, non tantum docere quæ noverit, sed omnes Dei festivitates custodire, ut possit aliis custodienda præcipere quæ et ipse observaverit. Sacerdotum autem officium esse legis habere notitiam, et in Malachia discimus, qui ait: Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* II, 7).

(Vers. 25 seqq.) *Et sabbata mea sanctificabunt, et ad* **553** *mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur* (pro quo Septuaginta transtulerunt, *et super animam hominis non ingredientur, ne polluantur*): *nisi ad patrem*, inquit, *et matrem, filium et filiam, fratrem et sororem quæ virum non habuit,* [a] *contaminabuntur. Et postquam fuerit mundatus, septem dies numerabuntur ei, et in die introitus sui in sanctuarium et ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo Domino Deo* (sive *offeret placationem*). *Non erit autem eis hæreditas: ego hæreditas eorum, et possessiones non dabitis eis in Israel: ego possessio eorum.* Adhuc sacerdotibus præcipitur; in quibus observandum, quod non dixerit absolute: *et sabbata sanctificabunt;* vel juxta Isaiam: Neomenias et sabbata vestra odit anima mea (*Isai.* I, 13): sed cum distinctione, *sabbata mea.* Unde et in Evangelio scriptum est: Sacerdotes in templo sabbatum violant, et absque culpa sunt (*Matt.* XII, 5): non sabbatum Dei, sed sabbatum litteræ, sabbatum Judæorum, quod recte violant qui sunt genus electum, regale, sacerdotale. Porro sabbatum quod sanctificatum est, illud intelligamus, quod et Apostolus docet, relictum esse populo Dei, de quo dicitur: Si intrabunt in requiem meam (*Ps.* XCIV, 11): quod Hebraice [b] *sabbatum* nominatur. Sanctificat autem sabbatum Dei, qui non portat onus peccati in sabbato, nec dicit: Sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Ps.* XXXVII, 5). Qui talis est, non colligit ligna in sabbato; nec superædificat fundamento Jesu Christi, ligna, fenum, stipulam (I *Cor.* III): nec accendit ignem qui inutilem consumat materiam, et die sabbati in uno permanet loco: nec foras egreditur, sed quasi columna in templo Dei positus permanet, super quo Joannes scribit in Apocalypsi: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius (*Apoc.* III, 12). Quodque sequitur: Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur: proprie sacerdotalis officii est, morticina non tangere, ut qui pro aliorum vitiis deprecatur, ipse ad altare mundus accedat. De quibus mortuis et Salvator loquitur in Evangelio: Dimitte mortuos ut sepeliant mortuos **554** suos (*Matth.* VIII, 22). Isti contaminantur in patre mortuo, quando relinquunt Creatorem suum: et in matre mortua, de Ecclesia recedentes: in filio quoque et filia, quod aliud ad cogitationes, aliud ad opera pertinet, quod significantius Græce dicitur τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητά. Fratrem quoque et sororem, qui eodem renatus est spiritu, si putaverit mortuum, contaminatur in eo: ita dumtaxat si soror virgo permanserit, nec ullius viri fuerit maculata complexu. Ex quibus intelligimus privilegium virginale, quod cujuslibet viri contactus, perfectam auferat puritatem, quæ utrum recte, perperam ne dicta sint, lectoris arbitrio reliquamus. Naturæ quoque super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis juxta quod scriptum est: Ordinate in me charitatem (*Cant.* II, 4), post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur et mater; filius et filia; frater et soror; ita dumtaxat si de domo non exierit, nec in alterius transierit potestatem. Postquam autem sacerdos fuerit emundatus purificationis ordine, quæ in Mosaica lege conscripta est, septem dies numerabuntur ei, vel perfectus numerus pœnitudinis, vel post consummationem mundi, quando ad veram transimus ogdoadem, ut introeat sancta sanctorum (hoc est enim interius atrium) et possit ministrare in sanctuario et semper offerre pro peccato conscientiæ victimam: nec ullum tempus sit quo non recordetur maculatum se fuisse super patre et matre, filio et filia, fratre et

[a] Vulg., *quæ alterum virum non habuerit:* attamen Hier. in subnexa expositione, *si soror*, inquit, *virgo permanserit, nec ullius viri fuerit maculata complexu.* Tum Raban. quoque, *in quibus contaminabatur.* Paulo post Victor. ad Vulgatam lectionem, *pro peccato suo ait Dominus Deus.*

[b] In Hebraico, inquit Victor., est מנוחתי, non sabbatum. Verum Hieron. ad vocem quietis, quæ sabbatum quoque significat, alludit, non vocem sabbati.

sorore. Multa quippe facere compellimur in sæculi hujus angustiis constituti, vel conditione carnis, vel fragilitate naturæ. Qui autem talis exstiterit, ut ministret in sanctuario, et atrium ingrediatur interius, et offerat semper Deo sacrificium, ita ut verus sacerdos sit, immo imitator ejus, de quo scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Ps.* CIX, 4), iste nullam habebit hæreditatem, nisi Deum qui est hæreditas ejus : nec accipiet possessionem in Israel, hoc est, inter vulgus ignobile; sed sacerdotalem, ut dicat de eo Dominus : Ego sum hæreditas, **555** et ego possessio eorum. Quem cum invenerint, loquentur ac dicent : Tenebo eum, et non dimittam illum; et psallent cum propheta : Pars mea Dominus (*Ps.* II, 26).

(Vers. 29, 30.) *Victimam et pro peccato et pro delicto* (sive *pro ignorantia*) *ipsi comedent, et omne votum* (sive *separatio*) *in Israel ipsorum erit. Et primitiva omnium primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt, et primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui suæ* [Vulg. *tuæ*] (sive *ut ponat benedictiones super domos vestras*). Pro victima et sacrificio, quod Hebraice dicitur MANAA (מנחה), Aquila et Symmachus interpretati sunt, *donum*. Rursum pro voto quod Septuaginta ἀφόρισμα, hoc est *separationem* transtulerunt, Aquila et Symmachus et Theodotio ἀνάθημα interpretati sunt, quod Hebraice dicitur HEREM (הרם). Et considerandum quod omnia quæ nunc per prophetam Dominus loquitur, per Moysen ante jam dixerit. Quærendumque cur eadem quæ dicta sunt repetat : Ut videlicet quæ in mentibus hominum sunt, vel legendi negligentia, vel audiendi contemptu et oblivione deleta, viva voce innoventur, quæ non sit scripta calamo et atramento, sed spiritu et verbo Dei. Unde et Salvator nullum volumen doctrinæ suæ proprium dereliquit, quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt : sed Patris et suo Spiritu quotidie loquitur in corde credentium. Et hæc erit responsio adversum eos qui calumniantur prophetas, cur quæ in Pentateucho continentur in suis voluminibus replicent. Victimam igitur, et pro peccato, et pro delicto, sive ignorantia, comedant sacerdotes, de quibus scriptum est : Peccata populi mei comedent (*Osee* IV, 8). Nec tantum gaudendum est ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutamur indigne. Primitiva juxta litteram sunt animantium, et inanimantium quæ prima nascuntur, et quæ primum terra gignit. Primitiæ quoque ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus novarum frugum, nisi sacerdos ante gustaverit. Hoc autem facimus, ut reponat sacerdos benedictionem, et oblationem nostram in domo sua : sive ut ad imprecationem suam Dominus benedicat domibus nostris. **556** Grandis dignitas sacerdotum : sed grandis ruina eorum si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Neque enim solum pro nostris delictis reddemus rationem : sed pro omnium, quorum abutimur donis, et nequaquam sumus de eorum salute solliciti.

(Vers. 31.) *Omne morticinum et captum a bestia de avibus, et de pecoribus, non comedent sacerdotes.* Et juxta litteram, omni generi electo, regali et sacerdotali, quod proprie ad Christianos refertur, qui uncti sunt oleo spirituali, de quo scriptum est : Unxit te Deus Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis (*Ps.* XLIV, 8), hæc præcepta conveniunt, ut *morticinum* non comedat tam de avibus quam de pecoribus, cujus nequaquam sanguis effusus est, quod in Actibus apostolorum dicitur *suffocatum;* et quæ [a] necessario observanda, apostolorum de Jerusalem Epistola monet (*Actor.* XV) : et captum a bestia; quia et ipsum similiter suffocatum est : et condemnat sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gliribus, et cæteris hujuscemodi, hæc aviditate gulæ non custodiunt. Possumus autem juxta anagogen morticinum dicere, in quo animæ sanguis emortuus est, et imitatur *Nabal* Carmelium, qui interpretatur *stultus :* et audita ira David pavore contremuit, et mortuum est cor ejus in eo (I *Reg.* XXV). Captus autem a bestiis, quarum ne morsibus lanietur, propheta suspirat, dicens : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Ps.* LXXIII, 19), ille dicendus est qui adversarii leonis morsibus devoratur et pardi qui non mutat varietatem suam, et ursæ quæ raptis sævit catulis, et luporum Arabiæ [*Al.* rabie], et reliquarum bestiarum, [b] quas in varietate dæmonum accipimus. Aves autem illas esse dicimus, quæ ponunt in cœlum os suum, et illa pecora, quæ prona in terramque vergentia, ventri tantum, et his quæ sub ventre sunt serviunt.

(Cap. XLV. — Vers. 1 seqq.) *Cumque cæperitis terram dividere in possessionem* [Vulg. *sortito*], *separate primitias Domino sanctificatum de terra longitudinis* [Vulg. *longitudine*] *viginti quinque millia : et latitudinis* [Vulg. *latitudine*] *decem millia : sanctificatum erit in omni termino ejus per circuitum. Et erit ex hoc* [Vulg. *omni parte*] *sanctificatum, quingentos per quingentos quadrifariam per circuitum, et quinquaginta cubitis* **557** [Vulg. addit. *in*] *suburbana ejus per gyrum. Et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum* (sive *sanctificatio*) *sanctumque sanctorum. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini, et erit eis locus in domos, et in sanctuarium sanctitatis. Viginti quinque millia longitudinis, et decem millia latitudinis. Leviæ autem qui* [Vulg. *erunt Levitis, qui* etc.] *ministrant domui : ipsi possidebunt viginti gazophylacia* (pro quibus Septuaginta transtulerunt : *ipsi tenebunt civitatem ut habitent*). *Et possessionem civitatis dabitis quinque millibus latitudinis, et longitudinis viginti quinque milli-*

[a] Adito hujus loci interpretes, quorum recoquere notissimas doctrinas non libet.

[b] In Vatic. ms., *quarum varietate dæmones accipimus.*

*bus , secundum separationem sanctuarii omni domui Israel. Principi quoque hinc et inde* [a] *de separatione* (vel *primitiis*) *sanctuarii in possessionem civitatis contra faciem separationis sanctuarii , et contra faciem possessionis urbis a latere maris usque ad mare, et a latere Orientis usque ad Orientem, longitudinis autem juxta unamquamque partem a termino Occidentali usque ad terminum Orientalem, terræ* [Vulg. *de terra*] *erit ei possessio in Israel : et non copulabuntur* (sive *vastabunt*) *ultra principes populum meum : et* [Vulg. *sed*] *terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum.* Post ceremonias sacerdotum, cultumque eorum et cibum, quæ debeant sumere, quæ vitare : nunc terræ sanctæ facit descriptionem , et antequam omnem in tribus dividat, de cunctis tribubus jubet eligi locum, qui in longitudine habeat viginti quinque millia, et in latitudine decem millia. Et quia non est positum cubitorum sive pedum aut ulnarum, subintelligi datur significare calamum qui erat in manu viri, et habebat mensuræ sex cubitos , et sextam partem unius cubiti, id est, παλαιστήν. Diligens supputet lector, quot calami mille passus faciant, et quam multa millia in longitudine fuerint , et latitudine. Post quam descriptionem, rursus præcipit, ut de sanctificata terra, quæ electa est ex omnibus tribubus Israel, id est, viginti quinque millium calamorum in longitudine, et decem millium in latitudine, eligatur ad ædificandum sanctuarium, id est templum Domini, alia intrinsecus terra quingentorum calamorum per circuitum, **558** hoc est, duum millium. Et ne forsitan ædificio templi ædes aliæ jungerentur, præcipit ut quinquaginta cubitis per circuitum terra sit vacua in suburbana : vel ut Symmachus et Theodotio et LXX transtulerunt, in terminum, et separationem et spatium. Hac descriptione finita, alia ex integro separandæ sanctificationis mensura præcipitur, ut viginti quinque millium calamorum in longitudine, et latitudine decem millium, post superiorem mensuram terra alia metiatur , in qua nequaquam sit templum, id est sanctum, sed sanctum sanctumque sanctorum, et habitent in ea sacerdotes, qui accedunt ad ministerium Domini. Habitent autem eo tempore, quando sacerdotali funguntur officio , et sit ipsa, ut diximus, possessio viginti quinque millium calamorum in longitudine, et decem millium in latitudine. Porro Levitæ, qui sacerdotibus serviunt , et habent propria ministeria, accipient locum ad ædificanda viginti *gazophylacia ;* juxta Aquilam , *exedras;* juxta Symmachum, *thalamos;* juxta Theodotionem , *gazeras*, sive ut LXX transtulerunt, *civitatem.* Per quod intelligimus , separatum quemdam locum ad habitationem Levitarum, urbis vocabulo nuncupari, qui locus quinque millia habeat calamorum in latitudine, et viginti quinque millia in longitudine. Hæc autem omnia, id est, sanctuarium, et alterum sanctuarium, sanctumque sanctorum, et habitacula sacerdotum, et domus Levitarum, qui ministrant sacerdotibus , appellantur loca separata et consecrata in ministerium, et in sanctificationem domui Israel. Post quadruplicem terræ sanctæ descriptionem, ponitur quinta divisio. Princeps, sive dux populi accipiat hinc et inde, hoc est, ex utraque parte sanctuarii in possessionem suam, et in urbe versetur : respiciatque ejus possessio ad separatum templo locum, et faciem urbis : sitque a latere maris, hoc est, ab Occidente, usque ad alterum latus maris, latitudinem habens, quam inferius in descriptionem tribuum singularum propheta describit. Denique sequitur : *In longitudine autem juxta unamquamque* **559** *partem, quam singulæ tribus accipiunt, a termino Occidentali,* id est, maris, usque ad terminum Orientalem, qui ubi finiatur , in tribuum descriptione noscemus. Et hæc erit possessio ducis, sive principis in terra Israel. Hæc interim dicta sint, ut simplex historiæ sermo noscatur. Cæterum si voluerimus comparare spiritualibus spiritualia, et juxta quosdam interpretes ad altiora conscendere, qui asserunt figuram futurorum esse præsentia, et omnia quæ dicuntur pertinere ad cœlestem Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, et Ecclesiam primitivorum, non quidem difficile erit dicere quæ dicta sunt ab aliis : sed veremur ne hujusmodi expositionem prudens lector nequaquam recipiat. Unde ad præsens tempus, et ad Ecclesiam quæ nunc laborat in mundo, et ad cœlestia ire festinat, referenda sunt omnia, ut de universo mundo eligantur alii in possessionem Dei, qui sanctum possideant; alii, qui ad majora profecerint , teneant sancta sanctorum. In ministris quoque ordo diversus est sacerdotum et Levitarum quorum alii orationibus suis atque virtutibus quotidie sacrificia offerunt Deo ; alii in secundo, et minori gradu sunt, ut eis ministrent, et per eos qui ad virtutum culmina conscenderunt, et ad extremum sit dux sive princeps, qui tantum possit, ut contra unam tribum possessionem accipiat; uniusque meritum compenset merita plurimorum, et primum dum versatur in sæculo, de mari usque ad mare latitudinem possideat ; deinde ab Occidente, sive a mari usque ad Orientem, ut præsentia derelinquens , ad futura festinet, et habeat certam possessionem suam, et nequaquam principes aliena desiderent, et unaquæque tribus suam partem teneat : quod proprie ad episcopos et Presbyteros, referri potest, quibus dicitur, ut non vastent atque depopulentur ultra populum Dei, nec terram Israel hæreditate possideant : sed unusquisque habeat possessionem suam quæ gradui illius constituta est. Viginti quinque autem millia referuntur ad sensus, quæ quater posita sunt. Porro decem millia ad perfectam scientiam, ut in altero simplex tantum teneatur historia, in altero etiam de theologia, et supernis virtutibus disputetur : **560** quia decenarius perfectus est numerus. Illud quoque considerandum, quod sacerdotes, qui in majori gradu sunt constituti , viginti quinque millia possideant

[a] Victorius, *hinc et inde in separationem, vel primitias sanctuarii, et in possessionem*, etc., juxta Vulgatam atque Hebræum textum, et Græcum.

in longitudine, et decem millia in latitudine. Levitæ autem, id est inferior gradus, eumdem quidem numerum habeat in longitudine, hoc est, viginti quinque millia: sed latitudo ipsorum quinario numero finiatur. Unde et viginti tantum tenent gazophylacia: in quo numero offeruntur munera Esau. Princeps vero qui vere princeps in populo est, et meretur ducis nomen accipere, hinc inde accipit possessionem sanctuarii: ex omnibus videlicet qui ei voluntate subjecti sunt, et urbis habitator est, multorumque salutem, suam mercedem facit. In priori templo, quod dicitur sanctuarium, quingenti per singula latera calami describuntur: et rursum quinquaginta cubiti, quibus omnis sacerdotum possessio separatur. In secundo autem sanctuario, ubi sunt sancta sanctorum, latitudo templi et spatium non describitur, sed incertus numerus est. Quod quidem et in possessione principis invenimus, qui absque ullo numero habet possessionem in populo Israel, dum profectus universorum redundat ad principem: et discipulorum salus, præmium magistrorum est.

(Vers. 9.) *Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis, principes Israel: iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium, et justitiam facite, et separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus.* Pro *rapinis* LXX *miseriam* transtulerunt: pro *confiniis*, *oppressionem*. Est autem sensus: Quia accepistis partem vestram, o principes, Scriptura dicente: Principi quoque hinc inde in separationem sanctuarii possessionem civitatis, subauditur dabitis; et tanta est vestra potentia, ut unius tribus partem acceperit vestra possessio: idcirco præcipio atque commoneo, ut sufficiat huc usque iniquitatem fecisse et rapinas, dum aliena invaditis atque diripitis. Et quia scriptum est: Dimitte malum, et fac bonum; econtrario, judicium facite atque justitiam (*Ps.* xxxvi, 27), judicantes pupillo, et justificantes viduam: separate vestra confinia a populo meo, ne videlicet terminos transferatis. Et quia ipsa vicinia lædit humiliorem, qui supercilium **561** majoris et potentioris non potest sustinere, [a] hinc per Isaiam dicitur: Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Hoc interim dictum sit ad illius temporis populum. Cæterum et nostris principibus præceptum poterit coaptari, qui in morem Pharaonis, et Ægyptiorum opprimunt filios Israel per potentiam, nec meminerunt scriptum: Ducem te constituerunt, ne eleveris: sed esto inter eos quasi unus ex ipsis (*Eccl.* xxxii, 1). Et illud quod in Evangelio κατὰ Λουκᾶν Dominus loquitur: Si autem dixerit servus ille in corde suo, moratur dominus meus venire, et cœperit percutere servos et ancillas, comedere et bibere, et inebriari, veniet **562** dominus servi illius in die qua non putat, et hora qua nescit, et dividet eum, et partem ejus ponet cum infidelibus (*Luc.* xii, 45, 46). Discipulos quoque suos in Evangelio secundum Matthæum his præceptis erudit: Scitis quoniam principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non sic erit inter vos: sed qui voluerit [b] esse primus, sit omnium servus. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro pluribus (*Matth.* xx, 25). Multa sunt si voluero de sacris Scripturis revolvere, ubi majorum superbia coercetur, et ad humilitatem omnes Domini provocantur dicentis: Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29).

[a] Verba istæc, *Hinc per Isaiam dicitur, Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci*, nos primum suffecimus integrando sensui, qui antea absque illis hiabat; manifesto enim (quod mirum est, neminem hactenus Hieronymianorum interpretum animadvertisse) quæ causali *quia* conjunctioni responderet, collectiva altera deerat. Supplevimus autem non ex ingenio, sed Rabanicæ lectionis auctoritate: quamquam ille longam præterea laciniam ex commentariis in laudatum Isaiæ locum subdit, quæ minime erat ad rem nostram. Pronum quoque fuit opinari, vocum similitudine *Hinc* et *Hoc*, quarum altera reposita a nobis pericope, altera subsequens periodus inchoatur, deceptum veterem scribam, priora verba, qui solemnis est lapsus, properantibus oculis prætermisisse.

[b] Videtur juxta Raban., quemadmodum et in sacro est textu, supplendum, *qui voluerit in vobis magnus esse, fiat minister; et qui voluerit esse*, etc.

# *LIBER DECIMUS QUARTUS.*

**561-562** Quod in principio templi Ezechielis debui dicere, nunc præpostero ordine in fine dicturus sum, illius versiculi memor (*Virgil. lib.* VI *Æneid.*):

Hic labor ille domus, et inextricabilis error.

De quo et in alio loco idem poeta decantat (*Æneid.* V):

Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta:
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus, et irremeabilis error.

Ita et ego istarum Scripturarum ingressus Oceanum, et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum, de quo scriptum est: *Posuit tenebras latibulum suum;* Et: *Nubes in circuitu ejus* (*Ps.* xvii, 12): perfectam quidem scientiam veritatis mihi vindicare non audeo, sed nosse cupientibus aliqua doctrinæ indicia præbuisse, non meis viribus, sed Christi misericordia, qui errantibus nobis ipse dolos tecti ambagesque resolvit, cæca regens Spiritu sancto vestigia; quem sequentes, ad portum explanationum

prophetæ Ezechielis pervenire poterimus, in quem extremus, id est, quartus decimus liber est. Quem si, orante te, virgo Christi Eustochium, ad finem usque perduxero, et Dominus vitæ hujus concesserit spatium, transibo ad Jeremiam, qui unus nobis remanet prophetarum; cujus interpretatio, mei quidem laboris, et tuarum orationum, sed proprie Christi erit clementiæ.

**563** (Cap. XLV.—. Vers. 10, seqq.) « Statera justa « et ephi justum et batus justus erit vobis. Ephi « et batus æqualis [*Vulg.* æqualia], et unius mensuræ « erunt, ut capiat decimam partem cori batus, et de- « cimam partem cori, ephi: juxta mensuram cori erit « æqua libratio eorum. Siclus autem viginti obolos « habet [*Vulg.* habeat]. Porro viginti sicli, et viginti « quinque sicli, et quindecim sicli minam faciunt « [Vulg. *faciènt*]. LXX : Statera justa, et mensura « justa, et chœnix justus erit vobis ad mensuram, et « chœnix similiter unus erit ad accipiendum. Decima « pars gomor chœnix, et decima pars gomor, ephi. « Gomor erit æquum [a] ad pondus viginti oboli. Vi- « ginti sicli : quinque et viginti sicli, et quindecim « sicli mina erit vobis. » Hic locus juxta LXX non cohæret, et pœnitus intelligi non potest, dum non solum numeros mensurarum, sed etiam nomina commutarunt. Pro *ephi* enim interpretati sunt *mensuram*, generale nomen pro speciali, et pro *bato chœnica* : pro *homer* quoque Hebraico, qui Græce dicitur χόρος, transtulerunt *gomor* : rursumque pro *bato chœnica*. Dicamus ergo juxta Hebraicum et litteram, et quid nobis videatur, in singulis apertius explicemus. Statera quæ Hebraice dicitur MOZENE (מאזני), in his intelligitur quæ appenduntur. *Epha* autem, quæ in Græco sermone corrupte dicitur Ἔφι, ad mensuram pertinet variarum frugum, verbi gratia, tritici, hordei, leguminum. Porro *batus*, qui Hebraice BATH (בת), eadem mensura est quæ et *ephi*, et in speciebus tantum liquidis, vini et olei, et istiusmodi. *Corus* triginta habet modios, et in utraque mensura, hoc est, tam aridarum quam liquentium tenet principium. Decima pars cori in his, quæ modio mensurantur, appellatur *epha*, id est, tres modii : et decima pars cori in speciebus liquidis, vocatur *Batus* sive *Vadus* : ut ejusdem mensuræ sit *epha* et *batus*. Porro *siclus*, qui Græce dicitur στατὴρ, viginti habet obolos. *Mina* vero quæ appellatur *mna*, habet siclos sexaginta : qui faciunt obolos mille ducentos. Quod autem dicitur, viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli minam faciunt, lectorem turbare non debet. Idcirco enim difficultas in numeris ponitur, ut **564** intentum animum faciat auditoris. Unde et multa dicuntur in parabolis et ænigmatibus, ut qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII). Omnisque prophetia in obscuritate continet veritatem, ut discipuli intrinsecus audiant : vulgus ignobile, et foris positum, nesciat quid dicatur. Præcipit ergo Scriptura divina, ut justa sint pondera, [dicens : Non erit in marsupio tuo mensura grandis et minor : statera vera et justa erit vobis, et mensura vera, et justa erit vobis [Al. *sibi*] (*Levit.* XIX, 36). Et in Proverbiis dicitur : Statera grandis et minor, abominabile est utrumque in conspectu Dei (*Prov.* XI, 1). Quod quidem non solum in commerciis, et in usu quotidianæ vitæ nobis est observandum, sed in omnibus custodienda justitia, dicente Scriptura : Sermonibus tuis facies stateram, et appendiculum (*Eccl.* XXVIII, 23), ut et in verbis, et in opere, et cogitationibus, omnia pondere et ratione faciamus. Obolum autem, hoc est, vicesimam partem sicli, sive stateris, esse minimam portiunculam, in alio loco legimus : [b] Ejus qui fidelis est, totus mundus divitiarum : illius autem qui infidelis est, neque obolus (*Prov.* XVII, 6 *sec. LXX*). Quasi aliis verbis dixerit : Infidelis nihil in mundo possidet : sed etiam minima indiget portione. De quo aliis verbis in Evangelio dicitur : Non egredietur inde, nisi reddat novissimum quadrantem (*Matth.* V, 26), hoc est, etiam extremum nummum et minutum. Legimus decem mnas singulis servis ad negotiandum traditas (*Luc.* XIX) : et in alia parabola inter servos talenta divisa : et debitorem quingentorum denariorum, et quinquaginta (*Matth.* XXV) : et operarios vineæ qui singulos accipiunt denarios (*Luc.* VII) : et mulierem viduam, quæ drachmam perdiderat, et vix eam lucernæ accensione reperit (*Matth.* XX, *Luc.* XV). Quæ omnia quem sensum habeant, non est hujus temporis disserere.

(Vers. 13, 14). « Et hæ sunt primitiæ quas tolle- « tis : sextam partem ephi de coro frumenti, et « sextam partem ephi de coro hordei. Mensura « quoque olei : batus olei, decima pars cori est : « et decem bati corum faciunt : quia decem bati « implent corum. LXX : Et hæ sunt primitiæ « quas separabitis. Sextam partem mensuræ de « gomor tritici, et sextam partem Ephi de coro « hordei, et præceptum olei [c] cotylem, id est, cya- « thum, olei decem cotyles, quia decem cotyles sunt « gomor. » **565** Et hic mutatis nominibus mensurarum in LXX editione confusa sunt omnia, ut quid dicatur non possit intelligi. Qui enim supra pro ephi, mensuram, et pro bato, chœnica dixerant, et pro coro, gomor, pro siclo, appendiculum, et hic pro *ephi* posuere *mensuram* : pro *coro*, nunc *gomor* : nunc ipsum *corum* : et in mensura olei pro *bato* κοτύλην, id est, *cyathum*. Dicamus igitur primum juxta litteram, δεκάδα [*Al.* δεκάδας], hoc est decimam partem omnium frugum, Leviticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis, Levitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabat sacerdotibus : et hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάδη. Erant quosub finem.

[a] Pro *ad pondus* Victorius juxta Græcum substituit, *et appendiculum*, nam et Hieron. pro siclo LXX vertisse *appendiculum* tradit.

[b] Videsis quæ de hac sententia diximus ad ep. 53,

[c] Victorius, *cotylam, id est cyathum olei de decem cotylis, quia decem cotyla*, etc., ad Græcum exemplar.

que et aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas cum iret ad templum in urbe Jerusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes ac Levitas invitarent ad convivia. Erant autem et aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur πτωχοδέχαδαι. At vero primitiva quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebræorum non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam : qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam : inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerre quodcumque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum, quæ gignuntur e terra. Si enim *corus*, qui Hebraice appellatur HOMER (חמר), et a LXX dicitur *gomor*, triginta habet modios, tam in aridis speciebus, quam in liquentibus : epha quoque et batus juxta quod supra diximus, decima pars est cori, præcipiturque ut sexta pars tam ephi, quam bati detur sacerdotibus in primitiis offerendis, quæ de tribus modiis dimidium facit modium, perspicue supputatur, sexagesimam partem primitiarum sacerdotes accipere debere. Hæc interim juxta litteram, et juxta Hebraicam veritatem et sensisse, et audisse sufficiat. Nunc revertamur ad intelligentiam spiritualem, **566** in qua primum quærendum quomodo dicatur : Honora Dominum de tuis justis laboribus, et da ei de fructibus justitiæ tuæ : ut impleantur cellaria tua frumento, et vino torcularia tua redundent (*Prov.* III, 9) ; ut postquam obtuleris primitias laborum tuorum atque virtutum, et dixeris : Ecce nunc ego attuli tibi primitias frugum terræ, quas dedisti mihi, Domine : merearis audire : Benedictus tu in civitate, et benedictus tu in agro : benedicti filii uteri tui, et genimina terræ tuæ, et fructus jumentorum tuorum ( *Deut.* XXVIII, 3 ), et cætera, et possideas, juxta Apostolum ( *Ephes.* I), omnem benedictionem spiritualium in cœlestibus in Christo : dum quidquid habes, non tuæ putas esse virtutis, sed ejus misericordiæ, qui fruges dedit. Et siquidem tantum habuerimus scientiam Scripturarum, ut mystica quæque pandamus, et doceamus homines, id est, rationale animal, damus primitias frumenti nostri. Si autem post anagogen, puram tantum sequamur historiam, quæ simplices nutrire potest, juxta illud quod scriptum est : Homines et jumenta salvos facies, Domine (*Ps.* XXXV, 7), damus primitias hordei nostri, quod hordeum sevit Isaac, sed in terra alienigenarum, et ortum est ei centuplum ( *Gen.* XXVI). Qui hordei dat primitias, potest dicere : Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquas refectionis educavit me (*Ps.* XXII, 1, 2). Qui autem rationalia pascit animantia, vertit sententiam, et dicit : Præparasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Et postquam olei et vini obtulerit primitias, jungit et loquitur : Impinguasti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians quam præclarus est, illo oleo quod absque fæce mundissimum, ad lucernam Domini præparatur. Quod qui præparaverit, exhilaratur facies ejus in oleo ; oleo exsultationis, quo unctus est Christus præ participibus suis ; et effectus oliva, cum propheta cantabit ; Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei ( *Ps.* LI, 10). Et illo vino, quod de vera vite redundat in torcularibus Salvatoris, dicente Domino : Ego sum vitis, vos autem propagines, Pater meus agricola ( *Joan.* XV, 5). De his torcularibus tres psalmos legimus, octavum, et octogesimum, et octogesimum tertium, qui omnes ad Ecclesiæ sacramenta referuntur. Et in veteri quidem lege, absque mensura erant, et numero primitiæ : non enim ad mensuram Deus spiritum dabat. **567** In secunda autem ædificatione templi, quod Ezechielis prophetia continet, certa mensura est, id est, sexagenarius numerus, quo mundus expletur, ut dicitur nobis : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Matt.* VII, 2).

(Vers. 15 seqq.) *Et arietem unum de grege ducentorum, de his quæ nutrit* [Vulg. *nutriunt*] *Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus : Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel. Et super principe* [Vulg. *principem*] *erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in kalendis, et in sabbatis, et in universis solemnitatibus domus Israel. Ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica, ad expiandum pro domo Israel.* Supra dixit quota pars eorum quæ appenduntur, mensuræ quoque tam aridarum specierum quam liquentium, debeat offerri principi : nunc eumdem primitiarum in animantibus ordinem tenet : ut unum de grege ducentorum arietum jubeat offerri, quos nutrit Israel, in sacrificium et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro populo Israel, ait Dominus Deus. Quod nos interpretati sumus, *de his quæ nutrit Israel*, in Hebraico scriptum est MEMMASCE (ממשקה), quod Aquila et Symmachus interpretantur, [a] ἀπὸ τῶν ὑδάτων, Septuaginta et Theodotio, ἀπὸ τῶν ποτιστηρίων : quorum alterum de irriguis, alterum de canalibus sive piscinis sonat : ut videlicet primitiæ principis non alibi nisi in irriguis nutriantur. Et quomodo in superioribus legimus sexagesimam partem debere offerri principi de his quæ appenduntur et quæ mensuræ subjacent : sic nunc ducentesima pars animantium jubetur offerri, et hujusmodi legis præceptis omnem populum esse subjectum, ut

[a] Suffecimus hic præpositionem ἀπὸ, quæ deerat: tum lectionem alteram Græcam, quæ antea ferebat: ποτηρίων castigamus, substituentes ποτιστηρίων. Sic vero legendum, primum Drusii conjectura, tum Sangermanensis cod. a Montfaucon laudatus, demum quæ penes Rabanum est lectio, monuerunt.

offerat duci sive principi, quod videlicet per illum holocausta, et sacrificia, et libamina in singulis solemnitatibus offerantur pro populo, et expietur domus Dei. Ex quo animadvertendum, quod quomodo populus debitor est primitiarum offerendarum principi : sic princeps debitor est populi offerre pro eo victimas, quem juxta tropologiam non alium intelligere possumus, nisi Dominum Salvatorem. Iste est qui de ducentis **568** animantibus suscipit arietem, sive ut significantius Hebraicus sermo demonstrat, βόσκημα, quod ad cuncta animantia, et non proprie ad arietem referri potest, et suscipit animal vel arietem, qui nutritus est in locis irriguis, sanctarum, videlicet Scripturarum, et potest dicere : Dominus pascit me, et nihil mihi decrit : in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquas refectionis educavit me (*Psal.* xxii, 1, 2). Hæc erant irrigua, immo hi canales, ad quos et Jacob ducebat pecora sua, ut in ipsis biberent atque conciperent, et juxta virgarum colorem, fetus ederent Domino (*Genes.* xxx). Pro sacrificio, hoc est θυσία, Aquila et Symmachus *donum* interpretantur : quod in Hebraico dicitur MANAA (מנחה), et proprie non pertinet ad hostiam, sed ad ea quæ ex simila, et polenta et oleo offeruntur in sacrificio. *Holocaustum* vero est, quod totum offertur Deo, et sacro igne consumitur. *Pacifica*, quando reconciliamur Deo ; et pro nobis Apostolus loquitur : Precamur pro Christo, reconciliamini Deo (II *Cor.* v, 20). Et in alio [a] loco : Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (*Ibid.*, 19). Iste autem princeps, cui primitiæ de animantibus offeruntur, ipse est et rex : ut in crucis quoque titulo demonstratur Hebraicis et Græcis litteris ac Latinis. Nitentibusque Judæis, ut deponeretur titulus triumphalis, gentium in Pilato turba respondit : Quod scripsi, scripsi (*Joan.* x, 22). Sub principe, inquit, erunt. Pulchre sacerdotalis dignitas commonetur, cui subjecta sit officio ; ut sciat se sacrificium, et libamina quæ offeruntur ex vino [*Al.* humo], pro populo offerre debere in cunctis solemnitatibus : tam videlicet in kalendis, id est, neomeniis, quam in sabbatis : quando tenebris cuncta operientibus, lunaris exordium luminis est : et in requie sabbatorum : ut faciat videlicet pro peccato, ad expiandum pro domo Israel, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna, et firmamentatum veritatis. Ista est enim domus Dei viventis, et domus Israel, quæ expiatione suorum indiget peccatorum.

(Vers. 18 seqq.) *Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense, una mensis sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. Et tollet sacerdos de sanguine* **569** *quod erit pro peccato, et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris. Et sic facies in septima mensis pro unoquoque qui ignoraverit* [Al. *ignoravit*], *et errore deceptus est, et expiabitis* [Vulg. *expiabis*] *pro domo. In primo mense, quartadecima die mensis, erit vobis paschæ solemnitas : septem diebus azyma* [b] *comedent. Et faciet princeps in die illâ pro se, et pro universo populo terræ vitulum pro peccato. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino : septem vitulos, et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus, et pro peccato hircum caprarum quotidie, Et sacrificium ephi* [Mss. *Œphi*] *per vitulum, et ephi per arietem faciet : et olei hin per singula ephi. Septimo mense, quintadecima die mensis in solemnitate, faciet sicut supra dicta sunt per septem dies : tam pro peccato, quam pro holocausto, et in sacrificio et in oleo.* Totum capitulum posui, ne divisum per singula legentis animum conturbaret. Et primum de interpretationis varietate dicendum est. Ubi nos interpretati sumus, *in quatuor angulis crepidinis altaris*. LXX transtulerunt, *et super quatuor angulos templi, et super altare*. Et ubi nos diximus, *pro unoquoque qui ignoravit, et errore deceptus est :* illi posuerunt, *pro ignorante, et pro parvulo*. In eo quoque ubi nos diximus, *et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet : et olei hin per singula ephi :* illorum editio tenet : *et sacrificium, et coctionem vitulo, et coctionem arieti dabis, et olei hin coctionis.* In extremo quoque versiculo, ubi nos diximus : *in sacrificio et in oleo :* illi dixerunt, *sicut in manaa, sicut in oleo :* In primo, inquit, mense et prima die mensis (haud dubium, quin Nisan significet) sumes vitulum de armento : non qui domi nutritus sit, sed qui in armento, hoc est, de grege et numero plurimorum. In septima quoque ejusdem mensis die : quæ duæ solemnitates, hoc est, primi mensis prima dies, et ejusdem septima, in lege Mosaica non habentur. Quartumdecimum autem diem mensis, quo Pascha celebratur, et Moyses præcepit observandum, quando septem diebus azyma comedimus. Quartam vero solemnitatem, de qua dicit : septimo mense quintadecima die mensis in solemnitate (*Exod.* xii), et cætera, videtur mihi **570** significare scenopegiam, quam hic sine nomine posuit. Curramus ergo ad singula, et quid nobis videatur, breviter disseramus. Esse solemnitates spirituales, et Apostolus docet : Ne ergo quis vos judicet in cibo et potu, aut in parte solemnitatis, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum (*Coloss.* ii, 16). Et sic per Isaiam loquitur Deus : Neomenias vestras, et sabbata vestra, et diem magnum non suscipio : jejunium, et ferias, et neomenias, et solemnitates vestras odit anima mea (*Isai.* i, 13). Manifestum est quod qui solemnitates oderit Judæorum, suas diligat, sabbatum videlicet quod relictum est populo Dei : ut videamus quæ a Deo donata sunt nobis, et loquamur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. In præsenti enim sæculo quod in maligno positum est, dies bonos videre non possumus, sed in novo : de quibus diebus in carmine Mosaico Spiritus sanctus canit : Memento dierum antiquitatis : intellige annos generationis generationum

[a] Rescribit Victorius, *Et in eodem loco :* quod hæc ibi juncta sint testimonia.

[b] Idem maluit *comedentur*, ex Vulg. et mss. Brixiens. In Hebræo est יאכל.

(*Deut.* XXXII, 7). De quibus et Sanctus loquebatur in psalmo : Nocte in corde meo meditabar (*Ps.* LXXVI, 7). Et iterum : Et annos æternos in mente habui, et meditatus sum (*Ibid.*, 6). Qui istum non suscipit intellectum, respondeat quo possit illud exponere quod Isaias de futuro, et novo sæculo vaticinatur : Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato : et veniet omnis caro adorare Dominum (*Isai.* LXVI, 23) : quando veri adoratores nequaquam adorabunt in monte Garizim, nec in Jerusalem, sed in spiritu, et veritate (*Joan.* IV) ; quando erit cœlum novum, et terra nova, et liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei, et sol septies tantum lumen accipiet, et luna soli comparabitur (*Rom.* VIII, *Isai.* LXV). Accessimus enim ad montem *Sion*, qui interpretatur *specula*, et ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et ad millia angelorum solemnitates. De qua solemnitate loquitur et alius propheta : Quid facietis in diebus congregationis, et in diebus solemnitatis Domini (*Ose.* IX, 5) ? Hoc est illud quod et alibi dicitur, Celebra, Juda, festivitates tuas : redde vota tua (*Num.* I, 15). Si ergo didicimus solemnitates spirituales, consequenter docebimur et victimas spirituales. Assumitur vitulus de armento, sive *taurus*, ut interpretatus est **571** Symmachus, liber et nullo pressus jugo, hoc est, onere peccatorum, et immaculatus : qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, vitulus novellus, cornua efferens, et ungulas : ut in ipso mundetur, et expietur sanctuarium. Et tollet, inquit, sacerdos de sanguine ejus quod erit pro peccato omnium : qui aliis verbis agnus appellatur in Exodo, et in Evangelio, Baptista Joanne dicente : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). Sanguis autem ipse est pretiosus in quo redimimur in passione Domini Salvatoris ; cujus carnibus alimur, et cruore potamur ; quo tanguntur quatuor anguli crepidinis altaris, quod Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, AZARA (עזרה), sive templi, ut LXX transtulerunt : ut sanctificetur domus et altare. Universa enim mundi elementa hoc sanguine sanctificantur : ut cum quis expiatus fuerit atque mundatus, ingrediatur portam atrii interioris, et possit Domini arcana cognoscere, et consequenter venire ad septimam diem mensis primi, et consequi requiem, et Domino offerre sacrificium tam pro ignorantia, de qua David loquitur : Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris (*Ps.* XXIV, 7), quam pro parvulo, qui cum ad perfecti viri mensuram pervenerit, destruet ea quæ parvuli sunt, et loquetur confidenter : Dum essem parvulus, quasi parvulus loquebar, quasi parvulus sapiebam (II *Cor.* XIII, 11). Sive pro eo qui errore deceptus est, et non tam voluntate, quam boni opinione peccavit. Completis autem duabus solemnitatibus primi mensis, hoc est, primæ diei, et septimæ ejus, venit ad quartumdecimum diem mensis, in quo Paschæ solemnitas est : de qua scriptum est : Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (I *Cor.* V, 7). Tunc comedimus septem diebus azyma in requie et securitate rerum omnium, quando fermentum malitiæ, et nequitiæ destruentes, manducamus azyma sinceritatis et veritatis, principe nostro cuncta hæc pro nobis offerente, et primum pro seipso. Suscepit enim corpus humanum, et per peccatum destruxit peccatum, qui pro nobis dolet, et portat infirmitates nostras : deinde [*Vulg.* proinde] *pro domo sua*, quod in LXX scriptum est ; sed in Hebraico non habetur, id est, pro Ecclesia, et pro omni populo terræ, **572** universo videlicet humano genere. Salvator est enim omnium hominum, et maxime fidelium, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; et non solum pro nostris, sed pro omni mundo. Oblato autem vitulo pro universo populo terræ, in septem diebus reliquis Dominicæ passionis septem vituli, et septem arietes immaculati offeruntur quotidie, ut holocausto et igne Dominico concrementur. Septem autem vituli, et septem arietes sunt, qui configurantur Dominicæ passioni, ut imitentur verum vitulum, et verum arietem, sanguinem martyrum per septem dies totius mundi peccata purgentur. Hircus quoque caprarum offertur pro peccato quotidie, septem videlicet diebus. Attendendumque diligentius, quod in sacrificio ephi per vitulum, et ephi per arietem, et olei hin offeruntur quæ Lege præcepta sunt. In oblatione autem hirci, nec ephi, nec (ut Septuaginta transtulerunt) coctio ponitur, qui pro ephi πέμμα, hoc est, *coctionem* interpretati sunt. Hin vero quæ olei certa mensura est, de qua ante jam diximus, assumitur in sacrificio vituli et arietis : ut fomentum luminis sempiterni, et requiem laboris, et lassitudinis sanitatem, post placationem peccatorum accipere possimus. In septimo quoque mense, quintadecima mensis die, hoc est, scenopegiarum, [a] idem oblationis et sacrificiorum ordo servandus est, tam pro peccato quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo ; ut festivitatem Domini, fugatis tenebris et orto lumine olei, consequamur : clarioresque habeamus solemnitates, in quibus omnia peccata donantur.

(Cap. XLVI.—Vers. 1 seqq.). *Hæc dicit Dominus Deus : Porta atrii interioris quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit : die autem sabbati aperietur, sed et in die kalendarum aperietur. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ : et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus, et adorabit super limen portæ, et egredietur : porta autem non claudetur usque ad vesperam. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, et in kalendis coram Domino. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino in die sabbati : sex agnos immaculatos, et arietem* **573** *immaculatum, et sacrificium ephi per arietem : agnis* [Vulg. *in agnis*] *autem sacrificium quod dederit*

[a] Sic post Victorium emendamus : perperam cum Erasmo Martian. retinuit *id est*.

*manus ejus, et olei hin per singula ephi : In die autem kalendarum vitulum de armento immaculatum, et sex agni, et arietes immaculati erunt. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium : agnis* [Vulg. *de agnis*] *autem sicut invenerit manus ejus, et olei hin per singula ephi.* Ubi nos interpretati sumus *ephi*, quæ est decima pars cori, LXX transtulerunt πέμμα, quod in nostra lingua *coctionem* sonat. Et ubi nos diximus, *sacrificium*, illi ipsum Hebraicum posuere verbum MANAA (מנחה), quod Aquila, *donum*, vel *sacrificium*, Theodotio, *sacrificium* transtulit. Et interim priusquam quid ista significent, disseramus, ipsa Scripturæ παραφραστικῶς verba pandenda sunt. Porta, inquit, atrii interioris sex diebus, de quibus scriptum est: Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua (*Exod.* XXIII, 12), erit clausa; nec quælibet porta, sed quæ respicit ad Orientem, unde oritur sol justitiæ. Porro die sabbati, id est septimo, in quo requies est, aperietur per singulas hebdomadas, et rursum completis diebus triginta, quando alterius mensis finis, et alterius exordium est, id est, neomenia, die videlicet kalendarum, aperietur, ut quod privilegium habet septimus dies in hebdomada, hoc habeat privilegium mensis exordium. Cur autem aperiatur die septimo, et die kalendarum porta interioris atrii quæ respicit ad Orientem, sequens sermo monstrabit. Et intrabit, inquit, princeps per viam [a] vestibuli portæ deforis, atrii videlicet exterioris : et stabit in limine portæ interioris atrii, quæ respicit ad Orientem : nec ingredietur atrium interius, sed illo stante, alii sacerdotes facient pro ipso holocaustum, quam *oblationem* interpretatus est Symmachus : et pacifica, sive quæ ad salutem pertinent, ut postquam hostia principis, sacro igne fuerint concremata, et dux reconciliatus Deo, tunc adorare possit super limen portæ interioris atrii in quo steterit, et egrediatur. Quid igitur? Post egressionem principis statim porta claudetur? Nequaquam, sed aperta erit usque ad vesperam; ut post principem, omnis populus terræ adoret contra ostium portæ illius : adoret autem in sabbatis, et in kalendis **574** quando aperitur porta. Et quia supra dixerat : Facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus, nec significaverat holocaustorum numerum; nunc infert : *Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino in die sabbati.* Offeret autem non per se, sed per sacerdotes, de quibus scriptum est : *Et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus : sex*, inquit, *agnos immaculatos*, *et arietem immaculatum :* ita ut sacrificium arietis mensura ephi sit, quæ Hebraice appellatur EPHA (איפה). Sex autem agnis sit sacrificium quod offerre potuerit manus ejus qui offert; et per singula ephi, erit olei mensura quæ appellatur *hin*. Kalendarum autem, hoc est, neomeniarum dies, hoc habebit privilegium amplius a die sabbati, ut vitulus immoletur de armento, sive taurus immaculatus. Cætera autem, hoc est, sex agni immaculati, et aries immaculatus, et sacrificia eorum, ritum sabbati possidebunt : ita duntaxat, ut sicut in ariete ephi offertur sacrificii [*F. leg.* sacrificium], id est, similæ et hin olei, ita offeratur, et in vitulo. Hæc perspicuitatis causa sint posita : nunc spiritualem sensum, Domino donante, reseremus. Sex diebus quibus operamur in mundo, porta Orientalis atrii interioris clausa nobis est. Postquam autem venerimus ad diem septimum, id est, ad diem sabbati, in quo æterna requies est, sive ad diem kalendarum, quando post cæcam noctem et horribiles tenebras, lucis exordium est, aperitur nobis porta Orientalis : et si quis nostrum per merita virtutum, ducis nomen et dignitatem fuerit consecutus per viam vestibuli portæ deforis, hoc est, per mundi hujus labores : et portam Ecclesiæ, quæ adhuc in terrenis finibus posita est, ingredietur : non interius atrium, hoc enim in præsenti loco scribitur; sed ad limen portæ interioris, et stabit in ea. Sin autem princeps in præsenti Scriptura non ingreditur atrium interius, sed stat in limine ejus, nulli dubium est, nunc ex parte nos videre, et ex parte cognoscere; et necdum revelata facie gloriam Domini contemplari (I *Cor.* XIII). Denique stante principe in limine portæ atrii interioris, cæteri sacerdotes, quibus hoc officium delegatum est (quos possumus **575** intelligere virtutes angelicas), facient pro ipso holocaustum et pacifica. Indigemus enim misericordia Dei, et omnis creatura ad comparationem Creatoris immunda est, et divino igne purganda, quo et Isaiæ prophetæ purgata sunt labia : ut postquam per sacrificium pacem receperit, tunc in limine constitutus, adoret omnipotentiam Dei, et se atrii interioris ingressu fateatur indignum, et statim ingrediatur (*Isai.* VI). Postquam autem qui primus est, fuerit egressus, non claudetur usque ad vesperam hujus sæculi ipsa porta interioris atrii, sed aperta erit : ut populus quoque terræ sit ad ostium, et adoret ad eum : nequaquam omni tempore, sed quando requieverit a peccatis, et fugatis tenebris fidei, scientiæ lumen acceperit. Hoc autem ipsum holocaustum quod offert princeps per sacerdotes in die sabbati, sex agnorum immaculatorum numero terminatur; pro sex videlicet diebus in quibus operamur in mundo, et arietem immaculatum, qui princeps gregis est; ita ut per singulos arietes offeratur in sacrificio ephi, id est, decima pars cori. In agnorum autem sex sacrificio, certa mensura non ponitur : sed quantumcumque dederit manus ejus qui offert, hoc est, pro operum qualitate atque mensura (*Matth.* XXV). Olei autem hin offeret per singula ephi, hoc est, oleum quod sibi quinque virgines præparaverunt; ut ungat similam, sive commisceat, et omnis oblatio Dei plena sit lumine veritatis, et exhilaretur facies offerentis oleum. Die autem kalendarum, hoc est, die tricesimo, quando primogenita et Levitæ numerantur in Lege, præter omnem Israel, de quibus supra diximus, offertur vi-

[a] Iterum cum Victorio vocem *vestibuli* supplemus ex mss.

tulus immaculatus de armento, super quo plenius in priori capitulo disseruimus, et agni sex, et arietes immaculati, et cætera quæ offeruntur in sabbatis, ut æternam requiem consequamur, et mereamur audire : Euge, serve bone, quia in paucis fidelis fuisti, super multa te constituam, intra in requiem Domini tui (*Matth.* xxv, 21 ; *Luc.* xix, 17) ; et non solum ad portam interioris atrii pervenire, sed etiam penetralia ejus intrare possimus, et illud opere possidere : Plantati in domo Domini : in atriis Dei nostri florebunt (*Ps.* xci, 14).

**576** (Vers. 8 seqq.) *Cumque ingreditur* [Vulg. *ingressus est*] *princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eamdem viam exeat. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ, et qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis. Non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. Princeps autem in medio eorum, cum ingredientibus ingredietur, et cum egredientibus egredietur. Et in nundinis, et in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem.* [a] *Agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus ejus : et olei hin per singula ephi.* Princeps ille, de quo supra dictum est : Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et per eamdem portam ingrediatur, et per eamdem egrediatur (*Joan.* x), liberi enim arbitrii est, et potestatem habet ponendi animam suam, et rursum resumendi eam : tamque ad nos veniens, quam ad cœlestia conscendens, eadem majestatis suæ utitur libertate. Denique non quærit nundinas, nec solemnitates, nec differentiam ullam observat dierum : quia omne tempus ei festivitas est. Populus autem in nundinis tantum, et in solemnitatibus ingreditur et egreditur : et non per eamdem viam, sed per alteram atque alteram. Scriptum est enim : *Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus : qui ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ, et qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis : non revertetur per viam portæ per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur.* Quod non solum his præcipitur qui egrediuntur de Sodomis, et dicitur eis : Ne respicias retrorsum (*Gen.* xix, 17) ; neque illis qui manum mittunt ad aratrum, ut non respiciant ea quæ post tergum sunt : sed in domo quoque Domini constitutis, jubetur ne post terga respiciant, et revertantur ad egena et infirma elementa, et incipientes spiritu, carne consumantur [*Al.* consumentur] : sed ut de spiritualibus quoque ad majora proceedant, et dicant cum Apostolo : Præteritorum obliviscens, et in priora me extendens (*Phil.* iii, 13) : ut nequaquam ex parte cognoscant, et ex parte prophetent, **577** sed veniant ad perfectum juxta eam tamen perfectionem quam potest capere humana natura, ut intelligamus illud Evangelicum : Et vos cum omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* xvii, 10). Unde et Apostolus in eadem Epistola de duabus loquitur perfectionibus : quasi imperfectus enim scribit : Non quia jam accepi, aut quasi jam perfectus sim : persequor autem si apprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo (*Philipp.* iii, 13). Statimque quasi perfectus loquitur : Unum autem posteriorum obliviscens, ad ea quæ in priora sunt me extendens : juxta propositum persequor ad bravium supernæ vocationis. Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus [*Al.* sapimus] (*Ibid.* xiv). [b] Quomodo enim potest stare sententia, ut qui dixerat, Non quia jam accepi aut quia jam perfectus sum, audeat dicere : Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus? Ex quo perspicuum est omnem hominem, et universam creaturam, quamvis ad perfectionem venerit, [c] tamen indigere misericordia Dei, et plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidere. Præcipitur itaque populo terræ, ut si ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ. Quis est iste populus cui hoc præcipitur? Nempe gentilium ; ut qui derelinquens portam Aquilonis, a quo exardescunt mala super terram, ingressus fuerit templum, non egrediatur nisi per viam portæ meridianæ, ad portam luminis, ad portam caloris, ad portam in qua sponsus cubat in meridie (*Jer.* i). Denique dicitur in eodem Cantico canticorum : Surge, Aquilo, et veni, Auster (*Cant.* iv, 16). Qui vero ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis. Quisnam ille est populus? scilicet Judæorum, qui derelinquens portam viæ luminis, vadit ad portam Aquilonis, de quo dicitur : Aquilo ventus durissimus (*Jer.* i). Nam et olla Jeremiæ a facie Aquilonis accenditur. Dicamus et aliter : Per portam Aquilonis ingreditur, qui peccata dimittit, et egreditur per portam meridianam, qui virtutes sequitur. Et econtrario, si justus lapsus fuerit in peccatis, ingreditur quidem per portam meridianam, sed egreditur per viam portæ Aquilonis. **578** Princeps autem, inquit, in medio eorum erit, ingredientium scilicet, et egredientium, juxta illud quod scriptum est : Medius inter vos stat, quem vos ignoratis (*Joan.* i, 26). Et Apostolus : An ignoratis, quia Christus in vobis est (II *Cor.* xiii, 5)? Sin autem ignorantibus dicitur, quod medius inter eos stet Christus : quanto magis scientibus! Sed cum inter scientes Christus steterit : tunc corpus mortuum fiet propter peccatum, et spiritus vivens propter justitiam. Ingreditur autem princeps cum ingredientibus, et egreditur cum egredientibus, utrorumque virtutis atque peccati testis assistens. In nundinis ergo, et in solemnitatibus, sabbatorum videlicet, et kalendarum, et universæ festivitatis, de qua in anterioribus locuti sumus, tam in vitulo, quam in ariete per singula ephi offerentur in sacrificio. In agnis vero non erit certus numerus, nec voluntati

[a] Vulgata, Victorius, atque alii libri *In agnis*.
[b] Antea erat *quo* pro *quomodo*.
[c] Hic quoque vitiose erat *tunc* pro *tamen*. Utrumque locum ms. Vatic. castigat.

dimi-sum arbitrium; sed viribus quis utetur, et bono conscientiæ : ut quantum potest, non quantum vult offerat, et super omnia olei hin per ephi singula, ut ungatur simila, et lucerna accendatur in conspectu Domini; et qui eo utitur, possit dicere : Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*Ps.* LI, 10).

(Vers. 12 seqq.) *Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem, et faciet holocaustum suum, et pacifica sua, sicuti fieri solet in die sabbati : et egredietur claudeturque porta postquam exierit. Et agnum anniculum immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino* [Vulg. addit *semper*]*; mane et mane faciet illud. Et sacrificium* (sive *manaa*) *faciet super eo* [a] *mane, mane sextam partem ephi* (sive *mensuræ*)*; et de oleo tertiam partem hin, et* [Vulg. *ut*] *misceatur* (sive juxta Symmachum, *aspergatur*) *similæ sacrificium* (sive *manaa*), *Domino legitimum, juge atque perpetuum.* [b] *Facietis agnum et sacrificium, et oleum mane, mane, holocaustum sempiternum.* Ubi nos legimus, *immaculatum*, et in Hebraico scriptum est THAMIM (תמים): Aquila *perfectum* interpretatur. Et ubi LXX MANAA (מנחה) : Theodotio, *sacrificium*; Aquila et Symmachus, *donum* transferunt. Pro eo autem quod nos diximus, *spontaneum*, LXX ὁμολογίαν, id est, *confessionem*, verterunt : et **579** pro *principe*, *ducem*, hoc enim NASI (נשיא) significat. Adhuc autem sermo de principe est, de quo Isaias loquitur : Ecce testimonium in gentibus, dedi eum principem et præceptorem in gentibus (*Isa.* LV, 4). Et Ezechiel : Et ego Dominus ero eis in Deum : et David princeps in medio eorum (*Ezec.* XXXIV, 24). Cum igitur iste princeps fecerit spontaneum, et dixerit : Voluntaria, sive spontanea oris mei beneplacita fac, Domine (*Ps.* CXVIII, 108) : spontaneum autem holocaustum, ut totum se offerat Deo, et pacifica voluntaria, quod in prioribus non invenitur; scriptum est enim : Et facient sacerdotes holocaustum ejus, et pacifica ejus : et de spontaneis ac voluntariis, quibus nunc dicitur, omnino reticetur, ut non necessitate faciant, sed voluntate : post holocaustum offerat pacifica, et reconcilietur Deo. Unde et virginitas major est nuptiis (1 *Cor.* VII), quia [*Al.* qua] non exigitur, nec redditur, sed offertur. Pro pacificis, quæ Hebraice dicuntur SELAMIM (שלמים), LXX *salutaria* interpretantur : ut ipsa reconciliatio pacificorum, salus sit offerentis. Cum ergo hoc fecerit princeps, aperietur ei porta : vel juxta Septuaginta, aperiet sibi portam quæ respicit ad Orientem; illam videlicet portam, de qua scriptum est : Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam (*Ps.* CXVII, 20), et unde oritur sol justitiæ. Et faciet, inquit, holocaustum suum, et pacifica sua : de quibus nunc diximus. Faciet autem, quia spontaneum sacrificium est, et non alii pro eo facient sacerdotes, videlicet sicut fieri solet in die sabbati. Ergo omni tempore holocaustum, et pacificum, quod offertur voluntarie, reseratam habet portam Domini : nec observat sabbatum, sed omnes dies ei reputantur in requiem. Denique postquam obtulerit holocaustum et pacifica, statim egreditur, et clauditur post eum janua, sive claudit januam : ut servetur principi privilegium suum, nec sacrificia ejus populo misceantur. Et quia generaliter dixerat, spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, nec apposuerat taurum sive vitulum, et arietem vel ovem, hircumque pro peccato, docet quod sit ipsum holocaustum : Agnum, inquiens, anniculum immaculatum faciet holocaustum : et non certis diebus, sed quotidie, nec qualibet hora, sed mane, **580** mane faciet illum : per singula videlicet mane, quando, orto sole, lucis exordium est. De quo mane David loquitur in psalmo : Mane exaudies vocem meam : mane astabo tibi et videbo (*Ps.* V, 4). Et alio loco : Ad vesperum demorabitur fletus, et in matutino [Al. *ad matutinum*] lætitia (*Ps.* XXIX, 6). Et iterum : Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo (*Ps.* LXII, 1). Qui sit autem iste agnus immaculatus, sive perfectus et anniculus, Isaias plenius docet, dicens : Sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus in conspectu tondentis se sine voce et non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7). Et Jeremias : Ego autem sicut agnus innocens ductus ad victimam, non cognovi (*Jer.* XI, 19). Et Joannes Baptista : Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). Iste est agnus qui immolatur in Ægypto, de cujus sanguine armantur postes [c] fidei, et exterminator excluditur (*Exod.* XII). Anniculus autem, quia prædicavit annum Domini acceptabilem, et diem retributionis. Nec miretur lector, si idem et princeps est, et sacerdos, et vitulus, et aries, et agnus, cum in Scripturis sanctis pro varietate causarum legamus eum Dominum, et Deum, et hominem, et prophetam, et virgam, et radicem, et florem, et principem, et judicem, et regem, justum, et justitiam, apostolum, et episcopum, brachium, servum, unguentum, pastorem, filium, et puerum, unigenitum, et primogenitum, ostium, viam, angelum, sagittam et sapientiam, et multa alia, quorum omnium, si voluero testimonia dicere, proprio libro indigent. In holocausto itaque istius agni immaculati et anniculi, qui mane semper offertur, faciet ipse princeps sacrificium, sive MANAA : et similam, sive donum mane, mane sextam partem ephi, subauditur similæ. Sexta autem pars ephi, dimidius modius est. Si enim ephi, decima pars cori est, id est, tres modii : nulli dubium, quin sexta pars ephi, dimidium faciat modium. De oleo quoque mensuræ hin, tertia pars offertur : ut misceatur, sive aspergatur similæ sacrificium Deo, legitimum, juge atque perpetuum, quod nulla intermittitur die : sed omni tempore, orto sole, semper offertur, ut impleatur quod in fine capi-

[a] Vulg. et Rabanus cum hic, tum sequenti versiculo, ubi *mane* bis recurrit, prius efferunt *cata mane*.

[b] Idem *faciet*, quod et Victor. prætulit ex Vulgata.

[c] Ex aliquot mss. Victor. *fidelium* præfert.

uli hujus ponitur : *Faciet agnum* [*in sacrificium : et oleum mane, mane holocaustum sempiternum.*

**581** (Vers. 16, 17 et seqq.) *Hæc dicit Dominus Deus : Si dederit princeps* (sive *dux*) *donum alicui de filiis suis, hæreditas ejus filiorum suorum erit : possidebunt eam hæreditarie. Sin autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis* (pro quo Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, DEROR) *sed revertetur ad principem : hæreditas autem ejus filii ejus erit. Et non accipiet princeps* [*de hæreditate populi per violentiam, et de possessione eorum : sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis : ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua.* Huc usque sermo de principe, nunc de hæredibus ejus præcepta tribuuntur : immo de donis, hæreditate atque legatis, quibus dare debeat, et quorum sit vel ad tempus, vel æterna possessio. Si, inquit, filiis suis dederit vel donum, vel hæreditatem, ipsi possidebunt eam : quia eis successionis jure debetur, et de alio ad alium non potest transire possessio. Sin autem dederit uni servorum suorum legati nomine, tam diu habebit possessionem, quamdiu vel septimus annus remissionis, qui dicitur DEROR (דרור), vel jubilæus, hoc est quinquagesimus, adveniat : quando omnis emptio, atque donatio revertitur ad priores dominos : ita ut servus usum habeat pro tempore, et proprietatem possessionis filii principis. Quod autem sequitur : Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam (*Lev.* XXIII), sive ut Septuaginta transtulerunt, ut opprimat eos, vel ut Aquila et Symmachus, ut affligat eos atque contristet : sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis : suggillat non solum illius temporis sacerdotes, et principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt sacerdotii dignitate, et præter ea quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt a pauperibus per violentiam : vel sub honoris nomine divites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nil debeant derelinquere, nisi quod sibi a parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est sacerdos, quam venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, et sanctis fratribus, et domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum, ut reddat ea quæ Domini sunt, **582** Domino suo, qui loquitur in Evangelio : Quidquid uni istorum fecistis, mihi fecistis (*Mat.* XXV, 40). Ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio; visitatur in carcere : nudus tegitur : sitiens bibit : saturatur esuriens. Ut non dispergatur, inquit, populus meus a possessione sua. Si enim licentiam habuerit princeps, vel accipere, vel rapere, vel sub figura honoris tenere quæ non sunt sua, et liberis derelinquere, populus qui in nomine Dei fuerat congregatus, dispergetur in partes atque lacerabitur : sive juxta Legem, ne paulatim alterius hæreditas transeat ad alium, et pereat funiculus divisionis, per quem forte ad unumquemque venit hæreditas. Dispergit ergo populum Dei, et aufert ab eo possessionem fidei sempiternam, qui aliena dona vel bona, vel rapina, vel adulatione, vel blanditiis, vel prætextu religionis, filiis fratribusque, et consanguineis derelinquit.

(Vers. 19 seqq.) *Et introduxit me per ingressum qui erat in latere* (vel *post tergum*) *portæ in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes* (sive *in exedras et thalamos*) *qui respiciebant ad aquilonem : et ecce ibi erat locus vergens ad occidentem* (sive *ad mare : et ut* LXX transtulerunt, *separatus*). *Et dixit ad me : Iste est locus ubi coquent sacerdotes, pro delicto, et pro peccato* (sive *pro ignorantia et propterea*) *ubi coquent sacrificium* (sive *manaa et donum*) *ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus. Et eduxit me in atrium exterius, et circumduxit me per quatuor angulos atrii : et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii. In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, et triginta per latum. Mensuræ unius quatuor erant : et paries per circuitum ambiens quatuor atriola : et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum* (sive *propter accubita* quæ Aquila, στιβάδας interpretatus est : Symmachus περιφράγματα, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit [a] TUROTH). *Et dixit,* inquit, *ad me : Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus victimas populi* [Vulg. addit *Domino* (sive *victimam*) : Hoc enim Hebraice significat ZEBA (זבח) : Vir qui calamum tenebat manu et funiculum cæmentarii, quo ædificium **583** metiretur, introduxit, inquit, me per ingressum, qui erat ex latere portæ, vel post tergum portæ. Nec posuit cujus portæ, Orientalis, Australis, aut alterius plagæ : sed reliquit incertum, ut irem ad locum sanctuarii, et in gazophylacia, sive in cubicula sacerdotum, quæ respiciebant ad aquilonem et ad mare : ad septentrionem videlicet et ad occidentem : hanc habente Scriptura sacra consuetudinem, ut pro situ terræ Judææ, semper mare Occidentem vocet. Et considerandum quod locus sacerdotum, ubi pro delicto, sive ignorantia, et pro peccato coquuntur sacrificia, ne cruda offerantur, in atrium exterius ad Aquilonem et Occidentem positus sit : unde ventus frigidissimus oritur, et ubi solis lumen occumbit. Ex quo ostenditur, quidquid ad edulium pertinet, vel pro errore esse, vel pro peccato. Sin autem et pro ignorantia offertur sacrificium, quanto magis pro delicti conscientia! Unde et Job offerebat mane quotidie hostiam pro filiis suis (*Job.* I), timens ne per ignorantiam deliquissent. Quod autem sequitur :

[a] Non *Tiroth* cum Massorethis legebat Hieronymus in suo exemplari Hebraico, sed תורות, *Thuroth* cum schourec, id est, cum ו *vav*, vocali. MART. — Martianæus aspirat THUROTH, sicque retinendum contendit; sed præterquam quod secus habent mss. et præcipue antiquiss. Sangerm. apud Montfauc., in Hebræo non per ת scribitur, sed ט : tametsi altera *jod* sit, non *vau* littera : הטירות, et Theodotionis Græc. præferat τειρώθ.

*Ut non offerant in atrium exterius, et sanctificetur populus*, qui sanctificationi non fuerat præparatus, illud significat, ne facile non sanctificatis sancta tribuamus : nec mittamus, juxta Evangelium, margaritas ante porcos, nec demus sanctum canibus (*Mat.* VII). Denique Moyses tribus diebus ab omni immunditia, et ab uxorum complexu vult populum sanctificari, ut accedat ad montem Sina, et sanctificatus sancta suscipiat (*Exod.* XIX). Si autem accessuri ad audienda et suscipienda verba Dei, sanctificari jubentur ab uxoribus, manifestum est in Lege illud Apostolicum contineri : Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (I *Cor.* VII, 5) : et ex consensu abstinendum ab uxoribus, ut vacemus orationi. Post hæc scriptum est : *Et eduxit me in atrium exterius, et circumduxit me per quatuor angulos atrii : et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii, in quatuor angulis atrii atriola disposita.* Ille vir quem sæpe commemorat, eduxit eum de loco sacerdotum qui vergebat ad Aquilonem, [a] sive **584** qui erat separatus, ubi coquunt sacerdotes pro delicto, et pro peccato, vel ignorantia : eduxit autem in atrium exterius. Ex quo intelligimus illud atrium de quo egressus est, fuisse interius, et multa esse atria in Scripturis sanctis, de quibus legimus : Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (*Ps.* CXXXIV, 2). Et in Joanne : Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc atrio, et illas oportet me adducere : et vocem meam audient, et fiet unum atrium et unus pastor (*Joan.* X, 16) : hoc enim Græce αὐλὴ significat, quod [b] Latina simplicitas in *ovile* transtulit. Quando autem dicit, *ex hoc atrio*, ostendit esse et aliud : quod vel in gentium turba ad distinctionem Israel, vel in cœlis ad separationem terreni atrii demonstratur : et pro qualitate meritorum unicuique officio atrium delegatum, super quo in anterioribus plenius disputatum est. Iloc autem atrium de quo nunc sermo est, per singulos angulos quatuor habebat atriola, quæ LXX minora vocant, et nos pro facilitate sensus ὑποχοριστικῶς, *atriola* diximus. Quadraginta cubitorum erant per longum, et triginta per latum. De quibus numeris in hoc eodem Propheta disputasse me memini, quod aliud ad tribulationes et angustias, aliud ad perfectam referatur ætatem. Unde quadraginta diebus Moyses, et Elias, et Dominus atque Salvator in eremo jejunarunt (*Exod.* XXXIV; III *Reg.* XIX; *Mat.* IV; *Luc.* III) : et ad sacerdotale officium non post [c] vicesimum quintum ætatis annum, sed post tricesimum accedunt. Quamobrem et Dominus triginta annorum erat, cum venit ad baptismum : et in hoc eodem Propheta tricesimus annus ponitur in exordio. Ubi igitur cibi, ibi et angustia atque tentatio, per quæ parantur cibi. Et ubi in perfecti viri venerimus ætatem, ibi calcanda sunt omnia, et dicendum : Habentes victum et vestitum, his contenti simus (I *Tim.* VI, 8). Et : Si dederit mihi Dominus cibum ad vescendum, et vestem ad operiendum (*Gen.* XXVIII, 20). Vel certe illud : Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et illas destruet (I *Cor.* VI, 13). Neque enim in futuro manducabimus et bibemus, sed illo vescemur pane qui de cœlo descendit, de quo in Psalterio canitur : Panem angelorum **585** manducavit homo (*Ps.* LXXVI, 25). Et : Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV, 34). Quod autem mensura una atriolorum erat quatuor, quæ atrii majoris angulos possidebant, quatuor mundi significat plagas (*Genes.* III) : quod in sudore vultus nostri comedamus panem, et omnis labor ventri stercorique proficiat : quæ quatuor atriola, vel unus paries ambiebat, et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita : ut ubi cibi, ibi et mensurarum præparatio. Et ne forsitan ignoraret propheta quid essent quæ cerneret, dixit ad eum : *Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri Domini victimas populi.* Populi quidem victimæ, quæ offerentur pro delicto, [d] sive peccato, et ignorantia, sunt alimenta, et refrigeria sacerdotum : ut meminerint nihil se aliud debere appetere, cum etiam in templo carnes ad eorum refrigeria præparatæ sint.

(Cap. XLVII. — Vers. 1 seqq.) *Et converti* [Vulg. *convertit*] *me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. Facies enim domus respiciebat ad Orientem. Aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem, et ecce aquæ redundantes a latere dextro cum egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad talos* (sive *transivit in aqua aquam remissionis*). *Rursumque mensus est mille, et transduxit me per aquam usque ad genua* (sive *transivit in aqua aquam usque ad femora*). *Et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes* (sive *et transivit aquam usque ad lumbos*). *Et*

[a] Supplet Victorius, *ubi erat locus vergens ad occidentem* ex Sacro codice, junctis LXX; nam et verba, inquit, *sive qui erat separatus*, aliam interpretationem præcessisse denotant, eam scilicet Hieronymi, *vergens ad Occidentem.*

[b] Simplicitatem hujusmodi Latinam non mutavit S. Doctor, cum jussu Damasi novum Testamentum Græcæ fidei reddidit. MART.

[c] Hoc propter LXX interpretationem observat Hieronymus; nam Numerorum capite quarto ipsi legunt *a vicesimo quinto*, ubi juxta Hebraicam veritatem legendum est, *a tricesimo anno*. MART. — Nimirum ubi Num. 4 in Vulg. juxta Hebræum scribitur, a tricesimo anno sumi ministros in tabernaculo fœderis, a vicesimo quinto verterunt LXX, quod et Victorio notatum et Martianæo est.

[d] Inverti mavult Victorius verba hoc modo, *pro delicto, sive ignorantia, et pro peccato*, quomodo et supra scribitur : *Et considerandum, quod locus Sacerdotum, ubi pro delicto, sive ignorantia, et pro peccato coquuntur sacrificia*, etc. Præterea verbum Hebr. אשם, quod utique delictum significat, usurpari tamen pro delicto per ignorantiam commisso, et ignorantiam interdum appellari.

*mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundæ* [*Al.* profundi] *torrentis, qui non poterat* [Vulg. *potest*] *transvadari.* Pro quo LXX transtulerunt : *Et mensus est mille, et non poterat pertransire : quoniam ferebatur aqua instar præcipitis torrentis, qui transiri non potest.* Aquæ istæ quæ egrediebantur subter limen domus, id est templi, non ferebantur ad Aquilonem et ad **586** Occidentem : sed et ad Orientem, et in latere templi dextro, id est, ad Meridiem, ipsamque Meridiem non cujuslibet loci, sed altaris. Ex quo perspicuum fit, sacras esse aquas, et Salvatoris nostri significare doctrinam, juxta illud quod scriptum est : De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isai.* II, 3). Et in alio loco : Repleta sunt omnia scientia Domini, sicut aqua multa operiens mare (*Isai.* XI, 9). De his aquis et Zacharias Propheta vaticinatus est, dicens : In die illo egredietur aqua vivens de Jerusalem, et medium ejus in mare primum : medium autem illius in mare novissimum (*Zach.* XIV, 8). De his aquis et ad Samaritanam Dominus loquebatur : Si scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses eum, et dedisset tibi aquam viventem (*Joan.* IV, 10). Et iterum : Omnis qui bibit de aqua ista, sitiet denuo : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (*Ibid.*, 13). Et in templo clamabat atque dicebat : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII, 37, 38). Istæ sunt aquæ de quibus propheta loquebatur in psalmo : Super aquas refectionis educavit me (*Ps.* XXII, 2). Et Ezechiel : Assumam vos de gentibus [a] et de terris, et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ex omnibus immunditiis vestris (*Ezech.* XXXVI, 24, 25). Apparuerunt enim fontes aquarum. Et in nonagesimo secundo Psalmo canitur : Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas [b] a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris (*Ps.* XCII, 2, 3). Istæ sunt aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, de quibus loquitur Isaias : Haurietis aquas de fontibus Salvatoris (*Isai.* XII, 3). Et Psalmista : Benedicite Domino de fontibus Israel (*Ps.* LXVII). Et idem Isaias de Domino Salvatore : Iste, ait, habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ. Panis ei dabitur, et aqua illius fidelis (*Isai.* XXXIII, 16). Erupit enim in deserto aqua, et vallis in terra sitienti. Diciturque credentibus : Noli timere, quoniam redemi te ; meus es tu, et si transieris per aquam, tecum ego sum (*Isai.* XLIII, 1, 2). Et rursum : Qui sititis, ite ad aquam (*Isai.* LV, 1) : Et per Jeremiam loquitur Deus (*Isai* LV, 1) : Duo mala **587** fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus, qui aquam continere non possunt (*Jer.* II, 13). Sicut igitur legimus in bonam partem aquas quæ egrediuntur de limine templi, et referuntur ad doctrinam Ecclesiæ : sic sunt aquæ amaræ, et aquæ pessimæ ad quas Jeremias propheta nos prohibet accedere, dicens (*Ibid.* 18) : Quid vobis et viæ Ægypti, ut bibatis de aquis Geon? quæ Hebraice dicuntur SIHOR (שיחור), id est, turbidæ atque cœnosæ. De quibus iratus super hæreticis loquitur Deus : Ecce ego cibabo eos angustiis, et dabo eis potum aquam fellis (*Jerem.* IX, 15) ; in qua draco regnat Ægyptius, qui dicit : Mea sunt flumina, et ego feci ea ; qui omne excelsum videt, et ipse est rex eorum qui in aquis sunt. Unde vir Ecclesiasticus Dominum deprecatur, et dicit : Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, [c] et tempestas demersit me (*Ps.* LXVIII, 1, 2). Et iterum ; Libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum ; non me præcipitet tempestas aquæ, nec absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Ibid.* XV, 16). Et in alio psalmo : Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel : nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum super nos, forsitan aqua absorbuisset nos (*Psal.* CXXIII, 1-3). Et Sponsa in Cantico canticorum : Aqua multa non poterit restinguere charitatem, et flumina non demergent eam (*Cant.* VIII, 7). Ista est aqua, de qua dicit Osee : Contempsit me Galaad civitas, quæ operatur vanitates, conturbans aquam, et fortitudo ejus viri piratæ (*Osee* VI, 7, 8). Quæ aqua alio nomine vocatur MARA, hoc est, *amaritudo ;* in quam lignum Crucis mittitur, et amara vertuntur in dulcia. Considera legem Moysi, si intelligatur juxta sensum carneum Judæorum, quomodo amara sit, effodiens oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI) : [d] vide in Thamar fornicationem (II *Reg.* XIII), et Osee junctum fornicariæ, Jeremiæ περίζωμα (*Osee* I, *Jerem.* XIII), Moysi uxorem Æthiopissam, et interfectionem Ægyptii, et mille alia, quæ si intelligamus juxta occidentem litteram, et non juxta spiritum vivificantem, amara sunt, et lectorem suum non tam ædificant quam destruunt (*Num.* XII, *Exod.* II). **588** Istæ igitur aquæ quæ egrediuntur de templo Domini, et pergunt ad Orientem, et descendunt in latus Templi dextrum, ad altaris Meridiem, ubi sponsus convivas suos pascit, et accubat. Quod autem sequitur : *Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, et convertit ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem,* illud latenter ostendit, quod statim ad portam Orientalem pervenire non

[a] Integrando Victorius testimonio supplet, *et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et aspergam,* etc.

[b] Eadem ratione supplet hic quoque Victor. *elevaverunt flumina fluctus suos.*

[c] Iterum et tertio Victor. supplet, *veni in altitudinem maris.*

[d] Pro, *vide,* olim erat *Judam,* pro quo maluit Victor. *Judæ,* ut pendeat a superioribus locutio, a verbo scilicet *considera,* etc.

possumus, nisi per viam portæ Aquilonis longo circuitu perveniamus ad eam. Nisi enim ventum frigidissimum vicerimus calore fidei, et calcaverimus regiones ejus; ut impleatur illud in nobis Apostolicum: Deus autem conteret satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI, 20), portam per quam egrediuntur aquæ, et sunt a latere dextro, ingredi non valebimus. Et nota quod aquæ istæ quæ ingrediuntur per portam Orientis, intantum lævas partes fugiunt, ut a dextris altaris ad Meridiem pergere describantur. Vir autem, inquit, ille qui habebat funiculum in manu, cum me duxisset per portam Aquilonis forinsecus ad viam, quæ respiciebat Orientem, et ipse quoque esset in eodem loco, mensus est ejusdem aquæ mille cubitos; et transduxit me per aquam usque ad talos, quos Aquila et Symmachus, et Theodotio ἀστραγάλους interpretati sunt, pro quibus LXX transtulerunt: et transivit [Al. *sed transibit*] in aquam, aquam remissionis: quod intelligere possumus prima hominum significare peccata, quæ ingredientibus nobis aquas Domini dimittuntur, et baptismi ostendunt gratiam salutarem et initia sunt profectuum, tamen ipsa sublimia. Denique ad talos usque pertingunt, qui plantæ calcaneoque vicini sunt, [a] qui patet morsibus colubri, dicente Domino: Tu ejus observabis caput, et ipse observabit tuum calcaneum (*Gen.* III, 15, *sec.* LXX). Et in Psalterio de Juda dicitur proditore: Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*Ps.* XL, 10), sive calcaneum, hoc enim Græcum πτέρνη [Mss. πτέρνα] significat. Post mille autem cubitos qui perveniunt usque ad talum, mensus est alios mille cubitos in aqua, et transduxit me usque ad genua. Post remissionem siquidem peccatorum, et iter profectuum, quando paululum de terrenis ad altiora **589** conamur ascendere, flectimus Domino genua, dicente Apostolo: Ut omne genu flectatur [*Al.* flectat], cœlestium, terrestrium et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II, 10). Tertio mensus est mille alios cubitos, et transduxit, inquit, me per aquam usque ad renes. His enim gradibus ad sublimia pervenimus: quæ tamen ipsa sublimia usque ad lumbos et renes perveniunt, ut omnis in nobis ignobilis libido truncetur; et possideamus sanctificationem corporis, sine qua nemo videt Deum. Unde et in hoc eodem propheta (*Supra* VIII): a pedibus usque ad lumbos Deus igneus cernitur. Indigent enim igne, et purgatione opera lumborum, dicente justo: Quoniam lumbi mei repleti sunt illusionibus (*Ps.* XXXVII, 8), per quos nobis et in die, et in noctium phantasmate illudit inimicus. A lumbis vero usque ad caput et verticem, pretiosissimo metallo electri fulgore resplendet: ut nihil in se sordidum, nihil habeat vilitatis. Unde nunc quarto dicitur: *Et mensus est mille*, subauditur, cubitos, *torrentem* (quod LXX non transtulerunt) *quæ non potui pertransire*: multo melius quam Septuaginta qui dixerunt, *et non poterat* [Al. *quem non potuit*] *pertransire*. Propheta enim et omnis humana natura, post lumbos torrentem cogitationum, et incentiva in corde vitiorum, non potest pertransire. Vir autem ille qui indutus erat BADDIM, et ductor prophetæ, liquido pertransiit: qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*Isai.* LVI). Causasque reddit, cur propheta mille quartos [*Al.* quarto] cubitos non potuerit pertransire: quoniam, inquit, intumuerant aquæ profundæ torrentis, qui non potest [*Al.* poterat] transvadari. Et quomodo scriptum est, gloriante propheta: Torrentem pertransivit anima nostra (*Ps.* CXXIII, 5)? Sed facile solvitur, si sciamus pro hoc scriptum esse in Hebræo: Torrens pertransiit animam meam. De hoc torrente et Isaias loquitur: Ecce ego inclino super eos sicuti fluvium [b] pacis, et sicut torrentem inundantem gloriam (*Isai.* LXVI, 12). Et in tricesimo quinto psalmo de sanctis dicitur: In protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum **590** potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ (*Psal.* XXXV, 8, 9). Et in centesimo vicesimoquinto: Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro (*Psal.* CXXV, 5). Et super Salvatore: De torrente bibet in via (*Ps.* CIX, 7). Quis enim hominum gloriari potest castum se habere cor (*Prov.* XX)? vel ad cujus mentem per oculorum fenestras, mors concupiscentiæ non introibit [*Al.* introivit] (*Jerem.* IX), et (ut parum dicam) animi titillatio? Mundus enim in maligno positus est (I *Joan.* V, 19); et a pueritia appositum est cor hominis ad malum, ut ne unius quidem diei a nativitatis suæ exordio, sine peccato sit humana conditio (*Job.* XV). Unde et David confitetur in psalmo: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Ps.* L, 7). Non iniquitatibus matris meæ, vel certe meis, sed in iniquitatibus humanæ conditionis. Unde et Apostolus dicit: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam super eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* V, 14). Quod cubitos genere masculino, et non neutrali, cubita dicimus, juxta regulam grammaticorum, et in superioribus docui, non nos ignorantia hoc facere, sed consuetudine propter simplices quosque et indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ major est numerus.

(Vers. 6 seqq.) *Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis; et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis* (sive *fluminis*). *Cumque me convertissem* (sive *convertisset*), *ecce in ripa torrentis* (sive *fluminis*) *ligna multa nimis* (sive *arbores multæ nimis*) *ex utraque parte. Et ait ad me: Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientis* [Vulg. *Orientalis*], *et descendunt ad plana deserti* (sive *aqua ista quæ egreditur in Galilæam, quæ vergit ad Orientem, et descendit*

[a] Victorius *quod*: ut referat ad *calcaneum*.
[b] Victorius ad Græcum, *sicut fluvius pacis, et sicut torrens inundans*.

*ad Arabiam*), *intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens* (vel *animalium*) *quæ serpit* (sive *serpentium*), *quocumque venerit torrens* (sive *fluvius*), *vivet : et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ : et sanabuntur, et vivent omnia ad quæ venerit torrens* (sive *fluvius*). *Et stabunt super illas piscatores ab Engaddi usque ad Engallim, siccatio sagenarum erit. Plurimæ species erunt piscium ejus : sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.* [a] *In his autem quæ egrediuntur ripas et sunt palustria,* **591** *non sanabuntur, sed* [Vulg. *quia*] *in salinas dabuntur. Et super torrentem* (sive *fluvium*) *orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum* (sive *frugiferum*), *non defluet folium ex eo* (sive *non inveterascet ex eo*) : *et non deficiet fructus ejus. Per singulos menses afferet primitiva* (sive *innovabuntur omnia*) ; *quia aquæ ejus de sanctuario egredientur, et erit fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam* (sive *et ascensio ejus ad sanitatem*). Totum capitulum quamquam prolixum sit, simul ponere volui, ne sensum legentis interrumperem, et lectionis ordo divisus in partes, audientis intelligentiam conturbaret. Primumque dicendum, quod pro torrente in Hebraico dicitur NEHEL (נחל), et Græco sermone χειμάῤῥους appellatur, LXX *flumen* transtulerunt. Deinde pro Galilæa, quæ Hebraice dicitur GALILA (גלילה), Aquila [b] θίνας interpretatus sit, quod tumulos significat arenarum ; Symmachus μεθόριον, quod possumus transferre *confinium*. Pro Arabia quoque Symmachus, *inhabitabilem* ; Aquila, *humilia* vel *plana* ; Theodotio, [c] *Araba* transtulerunt. Dicamus ergo quid nobis videatur in singulis. Vir ille qui erat ductor Ezechielis, commonet prophetam, ut diligentius intueatur et videat, et occulta mysteria oculis mentis attendat. Vocat autem filium hominis, vel in figuram Domini Salvatoris ; et enim *Ezechiel* interpretatur, *fortitudo*, vel *imperium Dei :* vel certe ad commotionem fragilitatis humanæ ; ne obliviscatur conditionis suæ, dum ei magna monstrantur : et commonitum ducit, atque convertit ad ripam torrentis, ut quoniam mediam profunditatem transire non potuerat [*Al.* poterat], saltem ea quæ in ripis sunt recognoscat. Cumque, ait, me convertissem, sive ille me convertisset, qui ductor erat et monitor ; ecce in ripa torrentis, sive fluvii, ligna multa, vel arbores plurimæ nimis ex utraque parte. Torrens iste qui pro aquarum abundantia fertur more torrentis, et suscipit de cœlo pluvias, de quo in præterita diximus lectione, ipse a LXX **592** appellatur fluvius, eo quod perpetuas aquas habeat : nec de pluviis hinc inde collectas, sed de vivo et perpetuo fonte manantes. De quo fluvio multa in Scripturis sanctis legimus ; sed in præsentiarum pauca dicenda sunt, ac primum illud : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Ps.* XLV, 4). Et in alio loco : Flumen Dei repletum est aquis, præparasti cibum eorum, quia sic est præparatio [d] tua (*Ps.* LXIV, 10). Rursumque pluraliter : Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas, [e] a vocibus aquarum multarum : Mirabiles elationes maris (*Ps.* XCII, 2-4). Et in Isaia : Faciam in deserto viam, et in invio flumina (*Isai.* XLIII, 19). Et in alio ejusdem loco manifestius : Apparebit in Sion fluvius decurrens gloriosus in terra sitienti (*Isai.* XLIV, 3). Super hunc fluvium erant arbores plurimæ ex utraque parte ripæ ; ut inter duo scilicet Instrumenta, vetus et novum, clausus curreret fluvius. Ligna autem multa, vel arbores plurimas et multas nimis, illas arbitror quas in paradiso Scriptura commemorat pomis variis abundare ; docetque prophetam ductor prævius et magister, et dicit : Aquæ istæ quæ egrediuntur, vel in Galilæam gentium, juxta LXX, vel (ut verius in Hebræo continetur) ad tumulos sabuli Orientalis, et descendunt ad plana deserti, vel ad Arabiam, intrabunt mare, vel ad exitus maris, et sanabuntur aquæ. Aquas vel baptismi gratiam, vel Evangelicam significare doctrinam, dudum diximus. Quæ si egrediantur de limine templi Domini, et Apostolicam teneant disciplinam, tumulos sabuli, steriles prius, et infertiles faciunt esse frugiferos, et omnia plana atque deserta ita irrigantur, ut exprimant in se Jerichontini fluvii sacramentum (IV *Reg.* II) : quem Elisæus Evangelico et Apostolico curavit sale, intantum ut ubi prius sterilitas fuerat et mors, ibi ubertas esset et vita. Nec solum deserta sanarunt, sed intrant mare Orientale, mare videlicet mortuum in quo nihil poterat esse vitale, et mare amarissimum, quod Græce λίμνην [f] ἀσφαλτῖτιν, id est, *stagnum bituminis* vocant. **593** Mirumque in modum aquis Evangelicis aquæ sanantur mortuæ, quæ ab eo quod nihil in se vitale habeant, nomen mortis sortitæ sunt. Non enim noverant eum qui dicit : Ego sum vita et veritas (*Joan.* XIV, 6). Et revera juxta litteram huc usque

[a] Præponit huic versiculo Victor. alterum, quem Hieronymianum esse probat ex subnexa expositione. Sic vero legit : *In littoribus autem ejus, et in palustribus*, sive *In his autem*, etc. Quæ prior lectio et in Vulgata est ; utramque vero abs Hieronymo referri autumat, quippe cum utraque ejus sit, non altera LXX, illi enim aliter locum transtulerunt.

[b] Corrupte erat θεινὰς pro θίνας, et paulo post μετόριον, pro μεθόριον. Ms. Sangermanen. castigat. Confer Commentarios in Osee XII, 11.

[c] Hactenus vitiose lectum est, *Arabas*, pro *Araba*, sive ἀραβά, qua voce Theodotion planitiem, sive plana loca est interpretatus. Vide tom. III, librum de Locis, ad nomina *Araboth moab*, et *Araba*, etc.

[d] Victor. *ejus* pro *tua* ad Vulgatæ exemplar. In Græco neutrum legitur. Vid. epist. ad Sun. et Fretel.

[e] Supplet hic iterum Victorius integrando textui, *elevaverunt flumina fluctus suos.*

[f] Antea erat ἀσφάλιτην pro ἀσφαλτῖτιν. Jam vero huic αὐτόπτου Hieronymi testimonio de nimia lacus amaritudine adde luculentissimum Galeni lib. V de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 19. Atque ubi negat S. Doctor, ne cochleolas quidem inter ejus aquas vivere, scias Maundrelium a Relando laudatum aliquot tradere ad littus ejus reperiri.

nihil quod spiret, et possit incedere, præ amaritudine nimia, in hoc mari reperiri potest: nec cochleolæ quidem parvique vermiculi et anguillæ, et cætera animantium sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse quam nomina. Denique si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur, et pinguibus aquis supernatant. Cum hæc itaque nihil utilitatis habeant, ut simplex sermo testatur, etiam si facta fuerint, quod stulta Judæorum superstitio credit, juxta intelligentiam spiritalem Domini torrente curatæ, habebunt pisces plurimos, et vivent omnia ad quæ torrens iste pervenerit; ita ut piscatores stent super ripas ab *Engaddi*, usque ad *Engallim*: quorum prius *fontem*, sive *oculum hædi*: sequens *fontem oculumve vitulorum* sonat. Engallim enim in principio est maris Mortui, ubi Jordanis ingreditur. Engaddi vero, ubi finitur atque consumitur. Mare autem Mortuum illud puto esse, de quo Zacharias loquitur: In die illa egredietur aqua vivens de Jerusalem, et medium ejus in mare primum (*Zach.* XIV, 8). Daniel quoque in hæc verba consentit: Videbam, et ecce quatuor venti cœli innitebantur in mari magno (*Dan.* VII, 2). Et David: Mirabiles elationes maris (*Psal.* XCII, 4). Et ex persona Salvatoris in psalmo: Veni in profundum maris et tempestas demersit me (*Psal.* LXVIII, 2). Rex quoque Ægypti juxta eumdem Ezechielem draco appellatur (*Ezech.* XXXII), qui habitat in mari, et ventilat fluminibus quasi cornibus suis. Et iterum, Hoc mare magnum et spatiosum (*Psal.* CIII, 25). Quod quamdiu non susceperit in se aquas fluminis, sive torrentis, omne quod in se habet, mortificat; sed Dominus de quo dictum est, Percutiet, et curabit post duos dies, et in die tertio surgemus, et vivemus in conspectu ejus (*Osee* VI, 23), ipse loquitur in eodem Propheta Osee: Ego colligavi Ephraim, suscepi eum in brachio meo, et non cognoverunt, quia sanavi eos in [a] corruptione hominis (*Osee* XI, 9); qui vulneratus est propter peccata nostra, **594** et infirmatus pro iniquitatibus nostris. Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus (*Isai.* LIII, 5). Ipse istud mare quod est salsissimum, et nimia amaritudine mortuum, sua morte sanavit, qui dicit per Isaiam: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me; sanare eos qui contriti sunt corde (*Isai.* LXI, 1). Unde et per Jeremiam clamitat: Convertimini, filii convertentes, et sanabo contritiones vestras (*Jerem.* III, 22). Dixit enim populus impatiens, et dolorem vulnerum suorum diutius ferre non sustinens: Transivit æstas, pertransiit messis, et nos salvati non sumus. Unde respondit eis Dominus: Numquid resina non est in Galaad, aut medici non sunt ibi? Quare non ascendit sanatio filiæ populi mei (*Jerem.* VIII, 22)? Et ipse Jeremias vociferatur, et dicit: Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero (*Jerem.* XXVII, 14). Denique angeli qui præsides erant populi Judæorum eo tempore quando clamavit multitudo insipiens, et ait, Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25); et, Velum templi scissum est, et omnia Hebræorum sacramenta reserata, responderunt præcipienti Domino, atque dixerunt: Curavimus Babylonem, et non est sanata: relinquamus eam (*Jerem.* LI, 9), urbem videlicet confusionis atque vitiorum. Unde et Josephus in sua narrat Historia, quod postquam Dominus crucifixus est, et velum templi scissum est, sive liminare templi fractum corruit, audita sit [b] vox in adytis templi virtutum cœlestium, *Transeamus ex his sedibus*. Hoc totum non superfluo, sed necessario dictum sit, quia mare Mortuum, influente in se flumine Domini, dicitur esse curatum. Super hoc mare ab Engaddi, *oculo et fonte hædi*, qui pro peccato semper offertur ad Engallim, *fontem vitulorum*, qui mactantur Domino, et imitantur vitulum cornua efferentem et ungulas, qui in typo Salvatoris ad altare mactatur, erunt piscatores, quibus loquitur Dominus Jesus: Venite ad me, et faciam vos piscatores hominum (*Matth.* IV, 19): de quibus et Jeremias: Ecce ego, inquit, mittam piscatores (*Jer.* XVI, 16). Et plurimæ species, immo genera piscium erunt in mari quondam mortuo. Quos pisces ad dexteram partem jubente Domino extraxit Petrus, et erant **595** centum quinquaginta tres: ita ut præ multitudine eorum retia rumperentur (*Joan.* XXI). Aiunt autem qui de animantium scripsere naturis et proprietate, qui ἁλιευτικὰ tam Latino, quam Græco didicere sermone, de quibus [c] Oppianus Cilix est, poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium quæ omnia capta sunt ab apostolis, et nihil remansit incaptum, dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. Quod autem sequitur: *In littoribus ejus, et in palustribus*, sive in his quæ extra littora egrediuntur, *aquæ non sanabuntur*, illud latenter ostendit, quod qui in Noe arca non fuerit, pereat regnante diluvio: et quos

[a] Cum Rabano et Victorio legimus *corruptione*: pro quo antea erat *correptione*. In Græco autem textu est ἐν διαφθορᾷ, in *corruptione*, ubi et ἀνθρώπων pro ἀνθρώπου legitur.

[b] Josephus lib. VII de bello Judaico, cap. 12, narrat hanc vocem fuisse auditam: sed non loquitur de passione Domini, unde benigne intelligenda sunt verba Hieronymi, non ad vivum resecanda. MART.

[c] Codices mss. legunt hoc modo, *de quibus Oppianicus Cilix est poeta doctissimus*. Alii, *Appianicus*, etc. Fuit porro Oppianus genere a Zerbo Ciliciæ civitate, et scripsit ἁλιευτικὰ elegantissimis versibus, quæ Antonio Imperatori Severi filio obtulit, non sine doctrinæ suæ maxima commendatione. MART. — Mss. omnes *Oppianicum*, vel *Appianicum* vocant. Vulgo autem *Oppianus* audit Anazarbæus, Cilix, poeta notissimus. Id vero perquam erudite, quod piscium tot genera aptat Hieronymus historiæ Joannis XXI, 11, de centum quinquaginta tribus piscibus ab apostolis captis et a Petro tractis in terram; quo numero et S. Augustinus in eum locum significari docet, ex omni genere, sorte ac statu hominum electionem in cœlestem patriam.

iste fluvius non attigerit, non susciplant sanitatem ; sed in salinas, inquit, dabuntur, juxta illud quod scriptum est : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit (*Prov.* XIX, 25). Erudiunt enim bonos exempla pejorum. Sive in salinas dabuntur, juxta illud quod in Evangelio scriptum est : Bonum est sal : si autem sal infatuatum fuerit, in nihil est utile (*Matth.* V, 13) : ut in perpetuum frugibus careant et virore. Quod et urbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Super torrentem vero sive fluvium orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, sive ut omnes voce consona transtulerunt, *βρώσιμον* [Al. *βρῶμα*] quod cibum et escam tribuit, et quod mandi potest : appellaturque lingua Hebraica, [a] MACHAL (מאכל) et nihil juxta Septuaginta veterascet in eo, sed quotidie innovabuntur fruges ejus, sive non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus ; juxta illud quod in primo psalmo scriptum est : Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet (*Psal.* I, 3). Per singulos, inquit, menses afferet primitiva, sive ut in LXX scriptum est : *Fructus ejus in renovatione sui primitiva dabit ;* ut omnes credentium fructus primitiæ sint, et singuli menses singulis apostolis deputentur. Hoc autem eveniet, quoniam aquæ ejus de sanctuario egredientur : Ne putemus riparum esse, vel arborum, aut mensium, **596** tantarum frugum abundantiam, reddit causas ubertatis, et infert : Quia aquæ ejus de sanctuario egredientur. Non ergo volentis neque currentis, sed miserentis Dei est (*Rom.* IX, 16). Horum omnium lignorum principatum tenet lignum vitæ, quod intelligitur sapientia, de qua scriptum est : Lignum vitæ est omnibus credentibus in eam (*Prov.* III). Illudque quod dicitur : *Et erunt fructus ejus in cibum, et folium ejus ad medicinam*, divinorum librorum sacramenta demonstrat : quorum alterum pertinet ad litteram, alterum ad spiritum : ut verba simplicia intelligamus in foliis, in fructibus vero sensum latentem. Sicut enim scientia Scripturarum ducit ad regna cœlorum ; et præbet nobis panem qui dicit : Ego sum panis, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI, 41) : sic folia ejus moralem doctrinam continent, et tribuunt sanitatem, ut peccantium curent vulnera. Pro foliis quæ Hebraice dicuntur ALE (עלה), propter verbi et vocis similitudinem, LXX *ascensionem* transtulerunt, quod et ipsum sic edisseri potest, ut post cibos fructuum, verborum monitis ad cœlestia conscendamus.

(Vers. 13, 14.) *Hæc dicit Dominus Deus : Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel, quia Joseph duplicem funiculum habet. Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus,* [b] *in quam levavi manum meam, ut darem patribus vestris : et cadet terra hæc vobis in possessionem.* Pro eo quod nos diximus, *quia Joseph duplicem funiculum* A *habet*, LXX transtulerunt, *augmentum funiculi*. Etenim *Joseph* interpretatur *augmentum ;* rem intelligentes pro nomine, et lectoris animum confundentes. Subtracta enim Levitica tribu, et templi sacrificiis delegata, remanebant undecim tribus, quarum tribus Joseph divisa est in duas, Ephraim, et Manasse, qui dixerunt ad Josue filium Nun : Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, et benedixerit mihi Dominus ? Quibus respondit Josue : Si populus multus es, ascende in silvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim (*Jos.* XVII, 14, 15). Et iterum : Dixitque Josue ad domum Ephraim et Manasse : **597** Populus multus es, et magnæ fortitudinis : B non habebis sortem unam, sed transibis ad montem, et succides tibi atque purgabis ad habitandum spatia, et poteris ultra procedere, cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, et esse fortissimum (*Ibid.*, 27). Hoc propterea dixerim, quia nunc Scriptura commemorat Joseph, hoc est, Ephraim et Manasse duplicem habere funiculum. Singulæ autem tribus juxta multitudinem suam, æqualia accipiunt terræ spatia, nequaquam arbitrio dividentis, sed sorte quæ in Domini potestate consistit. Denique et ipse Josue qui divisor terræ fuit, non propriam sibi separavit terram, ne optimam elegisse videretur ; sed accepit a principibus omnium tribuum Thamnathsareth in monte Ephraim.

(Vers. 15 seqq.) *Hic est autem terminus terræ ad plagam Septentrionalem, a mari magno, via Ethalon venientibus Sadada, Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter* [c] *medium Damasci, et confinium Emath : atrium Thicon* [Vulg. *domus Atthicon*], *quæ est juxta terminos Auran* (sive *Auranitidis*). *Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon* (sive *Seraranan*) *terminus Damasci, et ab Aquilone ad Aquilonem terminus Emath plaga* [Vulg. *et terminus Emath ; plaga autem*] *Septentrionalis.* Inter descriptionem terræ sanctæ duodecim tribuum Josue filii Nun, et quæ nunc per Ezechielem fieri imperatur, hoc interest, quod ibi inter tribus sorte terra dividitur, hic Domini jubentis arbitrio delegatur. In Numerorum igitur libro (*Num.* XXXIV), in quo omnis terra repromissionis per quatuor plagas brevi sermone dividitur, ab Aquilone, id est, plaga Septentrionali ista descriptio est : *Porro ad Septentrionalem partem* [Vulg. *plagam*] *a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, a quo venies* [Vulg. *venient*] *in Emath, usque ad terminos Sadada, ibunt confinia usque Zephrona et villam Enam*, sive *Aser Enon*. Dicuntque Hebræi Septentrionalem plagam incipere a mari magno, quod Palæstinæ, Phœnicis, et Syriæ quæ appellatur Cœle, Ciliciæque prætenditur littoribus, et per Ægyptum tendit ad Libyam.

[a] In aliis libris et fortasse rectius MAACHAL.

[b] Ad Vulgatæ exemplar Victorius *super quam ;* nam *in quam* τῶν LXX lectionem vult esse.

[c] Victor. *inter terminum Damasci*, etc., ex Vulg. Hebraico, ipsoque Hieronymi Commentario.

Quod autem dicit : *Pervenient termini usque ad montem altissimum* (*Num.* XXXIV, 7), iidem Hebræi [a] autumant, vel Amanum montem significari, vel Taurum, quod nobis videtur **598** verius. *A quo*, inquit, *venies in Emath*, quæ nunc Epiphania nominatur, ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato : nam cognomentum habuit Ἐπιφανής. *Usque ad terminos*, inquit, *Sadada*, qui locus et in præsenti Ezechielis ponitur lectione, *ibunt confinia usque Zephrona*, quam urbem hodie Zephyrium oppidum Ciliciæ vocant. [b] Hoc autem quod sequitur : *Et villa Enam*, pro quo in Hebraico scriptum est, ASER ENON (השר עינן), sive *Enan*, et præsens continet locus. Et interim secundum historiam breviter strinxisse sufficiat, et tam Numerorum, quam Ezechielis descriptionem sibi ex latere copulasse : ut prudens lector intelligat, in quibus, vel eadem, vel vicina, vel diversa commemorarint. Nunc interpretatis nominibus singulorum, sequamur anagogen, et quid nobis videatur in singulis, præbente Domino, disseramus. *Ethalon* interpretatur, *incunabula mœroris : Sadada*, *latus ejus*, a latere, non a latitudine intellige : *Emath*, *furor*, qui Græce dicitur, χόλος : *Berotha*, *putei : Sabarim*, *circuitus montium : Damascus*, *sanguis sacci* et *osculi*, sive *poculi*. Domum autem, sive atrium *Thicon*, Symmachus interpretatur, *atrium medium*, quod pergit ad terminos Auran. Igitur *Thicon*, *medium* sonat : *Auran*, quam LXX in Græcum vertere sermonem, *Auranitidis*, *iracundiam*. *Aser*, autem *Enon*, quæ est terminus Damasci, in lingua nostra dicitur *atrium fontis*. Septentrionalis igitur plaga incipit a mari magno per viam *Ethalon*, quod interpretatur, *incunabula mœroris*, et per pœnitentiam venit ad Sadada, ubi est ex latere declinatio. Intelligimus enim impendentem nobis Emath, hoc est, indignationem Dei : sive Emath, veritate comperta, aperiuntur nobis putei Berotha, quos foderunt principes, Abraham, Isaac, et Jacob : longoque circuitu pervenimus ad montes Sabarim, qui positi sunt inter Damascum, hoc est, sanguinem cilicii, et confinium Emath, ut supra diximus, veritatis. Sicut enim per mœrorem declinamus mala impendentia, et ex latere devitamus : sic post sanguinem, et cilicium vitæ sanguinariæ, antequam veniamus ad confinia Emath, **599** circuimus et pervenimus ad montes, de quibus scriptum est : *Montes in circuitu ejus*, *Et Dominus in circuitu populi sui* (*Psal.* CXXIV, 2). Qui locus appellatur, atrium Thicon, hoc est, *atrium medium*, ut interpretatus est Symmachus, juxta terminos Auran, quod iracundiam sonat, et cum propheta dicamus : *Iram Domini sustinebo*, *quoniam peccavi ei* (*Mich.* IV, 9). Et a mari usque terminos Damasci; A in quo et apostolus Paulus (*Act.* IX) a furore Judaico et effusione Ecclesiastici sanguinis, lumen cæcitate conspexit, et assumpto cilicio persecutionis veteris, Evangelium prædicavit, ut perveniret ad atrium fontis æterni, et in Aquilone quondam positus, apprehenderet terminum veritatis.

(Vers. 18.) *Porro plaga Orientalis de medio Auran, et de medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio terræ Israel : Jordanis disterminans, ad mare orientale metiemini* [Vulg. addit *etiam*] *plagam Orientalem.* Pro quo in Numerorum libro ita scriptum reperi : *Inde metientur fines contra Orientalem plagam de villa Enan, hoc est, Aser Enon, usque Sephama : et de Sephama descendent termini Rebla contra fontem : inde pervenient contra Orientem in mare Chenereth, et tendent usque ad Jordanem, et ad ultimum claudentur mari.* Supra dixerat : *Et erit terminus a mari usque ad Aser Enon, terminus Damasci* (*Num.* XXXIV, 10, 11). A fine igitur Septentrionalis plagæ, hoc est, atrio Enan, tendunt fines juxta Numerorum librum usque Sephama, quam Hebræi Apamiam nominant : et de Apamia descendunt termini in Rebla, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et ut scias Reblam hanc significare urbem, quæ nunc in Syria Cœle nobilissima est, sequitur : *Contra fontem*, quem perspicuum est significari Daphnem : de quo fonte supradicta urbs aquis abundantissimis fruitur. Illic autem locus a Cneo Pompeio, qui primus Judæam Romano subegit imperio, militari manu [c] consitus est ; et ab eo juxta fabulam poetarum, Daphnes nomen accepit, ob lauros et cyparissos, quæ arbores in ipso loco frequentissimæ sunt. Inde, inquit, pervenient termini contra Orientalem plagam ad mare Chenereth, usque ad stagnum Tyberiadis. Mare autem dicitur, cum habeat dulces **600** aquas, juxta idioma Scripturarum, quo congregationes aquarum appellantur maria. Et tendent, inquit, termini usque Jordanem, et ad ultimum claudentur mari, vel mari mortuo, vel ut alii putant, lingua maris Rubri, in cujus littore Ahila posita est, ubi nunc moratur Legio, et præsidium Romanorum. Hoc juxta Numerorum librum dictum sit. Juxta Ezechielem vero de medio Auran : quod est oppidum Damasci in solitudine, et de medio Galaad, qui mons Libani collibus copulatus cecidit in sortem Ruben, et Gad, et dimidiæ tribus Manasse, et est a tergo Phœnicis et Arabiæ : ad quem montem pervenit de Charris profectus Jacob, et comprehensus est a Laban (*Gen.* XXXI), de quo et Jeremias loquitur : *Galaad, tu mihi initium Libani* (*Jerem.* XXII), quam cepit de Amorrhæorum regione Galaad filius Machir, filii Manasse : finisque hujus plagæ, Jordanis fluvius disterminans, et mare Orientale, quod in

[a] Prorogant enim Hebræi hujusce lateris terminos, vel Amanum, vel Taurum intelligentes sub altissimi montis vocabulo, quod verius plerique interpretantur de Libano, quamquam aliter hic sentit Hieronymus.

[b] Hunc locum depravatum legimus apud Marianum, qui imperite castigavit editionem Erasmianam hoc scholio sequenti : *pro quo in Hebraico scriptum est* השר עינן *Haser Enan, et præsens locus continet* olim, *sive Enan*. Certe nihil intelligit. MART.

[c] At neque primum a Pompeio consitum, neque ab eo, sed diu antea, Daphnem appellatum eum locum Veterum testimonia probare possunt.

hoc loco mare Mortuum, non linguam maris Rubri intelligunt. Dicamus juxta tropologiam : Post terminos Aquilonis longo circuitu per Ethalon, et Sadada, et Berotha, Sabarim quoque, Thicon, et Auran, et Damascum, et atrium Enon, ad Emath usque pervenit orientalis plaga : de medio iracundiæ Auran, et de medio Damasci sanguine videlicet pœnitentiæ, et de medio *Galaad*, quod interpretatur *revelatio*, vel *tumulus testimonii ;* ut post iram et pœnitentiam, spem salutis ostendat : et de medio terræ Israel, quæ visionem continet pacis, usque ad dulcissima Jordanis fluenta pertingat : quæ longe separato mari lumen Orientis consequitur, ita ut fluvio *Jordanis*, qui interpretatur *rivus judicii*, et Orientis termino finiatur. Quod autem in LXX ponitur φοινικῶνος, id est, *palmeti*, in Hebraico non habetur : pro quo nos, *metiemini* interpretati sumus : Errorque manifestus, quod pro THAMODDU (תמודו) litteræ decepti similitudine, daleth et res, legerunt [a] THAMORRU (תמורו).

(Vers. 19.) *Plaga autem Australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis* (sive *ad aquas Mariboth :* hoc enim *contradictio*, sive διαδικασμὸς, hoc est *jurgia* sonat). *Cades quoque et torrens, usque ad mare magnum* [Vulg. *plaga*] *hæc est plaga ad* **601** *meridiem Australis.* Pro quo in Numerorum libro ita scriptum est : *Incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom, et habebit terminos contra Orientem mare* [Al. additur *salsissimum*], *qui circuibunt Australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant Senna, et pervenient in Meridie usque ad Cadesbarne : unde egredientur confinia ad villam nomine Addar, et tendent usque ad Asemona : ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur* (*Num.* 34, 3, 4 *et* 5). Quod breviter hoc significat (ne per occasionem Ezechielis, ad expositionem videamur Numerorum transisse latissimam), a solitudine Sin, quæ est juxta Edom, et mari Rubro terminum circuire, et per ascensum Scorpionis, et per Senna et Cadesbarne, et atrium Addar, et ab Asemona pervenire usque ad torrentem Ægypti, qui juxta urbem Rhinocoruram mari influit. Hic vero terminus plagæ australis, hoc est meridianæ, incipit a Thamar, quæ urbs in solitudine est, quam et Salomon miris operibus exstruxit, et hodie Palmyra nuncupatur : Hebræoque sermone THAMAR (תמר) dicitur, quæ in lingua nostra, *palmam* sonat, usque ad aquas contradictionis Cades, quam in deserto esse non dubium est, et torrens ingrediens mare magnum, hoc quod Ægypti Palestinæque prætendit littoribus, et hæc est plaga Australis ad Meridiem. Post plagam ergo Aquilonis et Orientis, quando ortus nobis fuerit sol justitiæ, accipimus Meridianam plagam, quando eorum nobis desuper lumen infunditur, et cum Abraham inimus convivium (*Gen.* XIX), et inebriamur vino, quod lætificat cor hominis (*Ps.* CIII), cum Joseph et fratribus ejus (*Gen.* XLIII). Incipit autem ista possessio, et hi termini Thamar, a palma videlicet victoriaque vitiorum, usque ad aquas contradictionis. Semper enim virtutibus contradicitur. Unde et prædicationi Evangelicæ, Judæi contra Paulum disserentes, in toto orbe asserunt contradici (*Act.* XV). Et in Evangelio legimus, Simeone dicente : Hic erit in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum, cui contradicetur (*Luc.* II, 34). Omnis autem contradictio est sanctitatis, quod interpretatur Cades, dicente Psalmista : Concutiet Dominus desertum Cades (*Ps.* XXVIII, 8) ; quod videlicet primum non habebat Domini sanctitatem : sed concussum est atque commotum, ut reciperet hospitem Deum, qui dicit : *Super quem* **602** *requiescit* [*Al.* requiescet] *spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Isa.* LXVI, 2)? Post desertum Cades, usque ad mare magnum in meridie, plagæ Australis torrens est, de quo supra diximus ; qui non de terra, sed de cœlo pluvias habet diversarum virtutum varietate collectas :

(Vers. 20.) *Et plaga maris, mare magnum a confinio per directum, donec venias Emath, hæc est plaga maris.* De qua manifestius et brevius scribit Numerorum liber. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, et ipso fine concludetur, hoc est, de mari usque ad mare : ad torrentem [*Al.* a torrente] videlicet Rhinocoruræ, qui influit in mare, usque ad eum locum qui est contra Emath urbem Syriæ, de qua supra diximus. Occidens autem juxta leges tropologiæ semper in mari est : semper in salo et fluctibus, ubi quotidie naufragia suscitantur, et miserorum neces, et divitiarum et mercium amissio, et tamen quum hæc omnia patientia fregerimus, venimus per directum ad Emath, hoc est, ad Domini veritatem, qui victis persecutionibus, æterna nobis præmia repromisit.

(Vers. 21 seqq.) *Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel, et mittetis* [Al. *metietis*] *eam in hæreditatem vobis, et advenis qui accesserunt* [Vulg. *accesserint*] *ad vos, qui genuerint filios in medio vestri, et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel : vobiscum dividet possessionem in medio tribuum Israel. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.* Per hoc capitulum discimus (et decutitur supercilium Judæorum) nihil inter Israel et gentium populum esse divisum. Si enim advenis et alienigenis cum his qui sunt de populo Israel, hoc est indigenis, terra dividatur ; nulli dubium eamdem esse hæreditatem populi gentium et populi Judæorum : si tamen conversi fuerint ad cultum Dei Israel, quod proprie nomen possidet Christianum, habentibus Judæis Legis litteram, et nobis spiritum : illisque tenentibus membranas, et nobis eum qui scriptus est in membranis. Et apud Moysen sorte terra dividitur ; hic autem, ut diximus, Domini judicio delegatur : unaque possessio est ad-

[a] Editi falso legunt תמורות *Thamaroth*, pro *Thamorru* quod mss. codices retinent. Error enim non fuit in nomine, sed in mutatione elementi *Resch* pro *Daleth ;* unde *Thamorru*, pro *Thamoddu*. MART. In aliis libris *Thomurru*.

venæ et Israeli, et in singulis tribubus datur hæreditas, jubente Domino Deo.

(Cap. XLVIII. — Vers. 1 seqq.) *Et hæc nomina tribuum, a finibus Aquilonis juxta viam Ethalon pergentibus* **603** *Emath atrium Enon, terminus Damasci ad Aquilonem juxta* [a] *Emath, et erit ei a plaga Orientali* [Vulg. *plaga orientalis*] *mare, Dan una. Et a termino Dan a plaga Orientali usque ad plagam maris, Aser una. Et super terminum Aser a plaga Orientali usque ad plagam maris, Nephthali una. Et super terminum Nephthali a plaga Orientis usque ad plagam maris, Manasse una. Et super terminum Manasse a plaga Orientali usque ad plagam maris, Ephraim una. Et super terminum Ephraim a plaga Orientali usque ad plagam maris, Ruben una. Et super terminum Ruben a plaga Orientali usque ad plagam maris, Juda una.* Descripta terræ sanctæ possessione, tam juxta præsentem Ezechielis prophetiam, quam juxta Numerorum librum : nunc singularum tribuum a plaga Orientali, usque ad plagam Occidentis, id est, maris possessio describitur : et primum fines accipiunt ab Aquilone juxta viam Ethalon pergentibus Emath, atrium sive Aser-Énon terminum Damasci ad Aquilonem juxta Emath, de quibus ante jam diximus. Incipit autem primum tribus Dan : secunda Aser : tertia Nephthali : quarta Manasse : quinta Ephraim : sexta Ruben : septima Judæ, hoc est, a sinistra parte, et completur numerus septenarius. Deinde primitiæ sacerdotum, et Levitarum, et sanctuarium Domini in medio, sanctumque sanctorum. Urbs quoque ipsa describitur per singula latera in quadrum, quatuor millia et quingentos habens calamos. Suburbana quoque sacerdotum et Levitarum per ordinem describuntur, et possessio principis. Rursumque a parte dextera succedunt quinque tribus a plaga similiter Orientis, usque ad plagam Occidentis, quarum prima est Benjamin : secunda Simeon, suam specialiter habens possessionem, et nequaquam ut prius mixtam cum Juda : tertia Isachar : quarta Zabulon : quinta Gad : portæque civitatis ternæ per singulas plagas : et nomen ipsius civitatis, quod in fronte Pontificis auri lamina continetur. De quibus universis in suis disseremus locis. Hocque notandum, quod quadraginta octo civitatum, quæ in Numerorum volumine tribui Leviticæ dantur **604** ad habitandum cum suburbanis suis, hic silentur nomina, et civitates fugitivorum : quarum tres trans Jordanem, Bosor videlicet, et Ramoth, et Gaulon in duabus et dimidia tribu datæ sunt : et tres intra Jordanem, Cades videlicet, et Sichen, et Cariatharbe. Neque enim opus erat in descriptione mystica, et habitatione sanctorum, et conversatione perfecta, fugitivorum describi auxilia, quibus Israel indiguit adhuc in terra positus, et per multos labores atque discrimina ad hanc civitatem venire festinans, et in singulis sanctis loquens : Advena sum atque peregrinus sicut omnes patres mei (*Ps.* XXXVIII, 13). Et in alio loco : Habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea (*Ps.* CXIX, 5).

(Vers. 8, 9.) *Et super terminum Juda a plaga Orientali usque ad plagam maris, erunt primitiæ quas separabitis, viginti quinque millia latitudinis et longitudinis : sicut singulæ partes a plaga Orientali usque ad plagam maris, et erit sanctuarium in medio ejus. Primitiæ quas separabitis Domino, longitudo viginti quinque millibus, et latitudo decem millibus.* Superfluum est disserta disserere, et in quibus supra laboravimus, quasi non sint dicta, iterum laborare. Post septem tribuum terminos, ab Oriente usque ad Occidentem describuntur primitiæ; quarum latitudo teneat vigintiquinque millia calamorum : longitudo vero sicuti tenent singulæ tribus ab Oriente, usque ad mare, cujus longitudinis incertus est numerus. Neque enim in singularum descriptione tribuum, mensura descripta est. Sin autem latitudo habet vigintiquinque millium calamorum, conjici datur, multo majorem esse numerum longitudinis, quæ semper major est latitudine. In medio autem sanctuarium ponitur juxta primitias, quæ sunt Domino separatæ, longitudinis viginti quinque millium calamorum, et latitudinis decem millium : quæ legens nihil aliud possum dicere, nisi illud Apostoli : O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia judicia ejus et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 33)! Et in alio loco : Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut **605** impleamini in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 18) : Vigesimum quintum autem numerum referri ad sensus, de quibus dictum est : Sensum divinum possidebitis, et decem millium, ad perfectam consummatamque virtutem, quæ Decalogo veteris Instrumenti, ad Evangelicum perveniat sacramentum, et prius brevi sermone perstrinximus, et hic ex parte commonebimus. Si enim ab uno addens numero, ad quatuor pervenias, denarium implebis numerum; atque ita fiet, ut et vetus Testamentum constringatur in novo, et novum in veteri dilatetur.

(Vers. 10 seqq.) *Hæc autem erunt primitiæ sanctuarii Sacerdotum; ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millium, et ad mare latitudinis decem millia, sed et ad Orientem latitudinis decem millia, et ad Meridiem longitudinis viginti quinque millia : et erit sanctuarium Domini in medio ejus. Sacerdotibus erit sanctuarium de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, et non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt Levitæ. Et erunt* [Vulg. addit *eis*] *primitiæ de primitivis* [Vulg. *primitiis*] *terræ sanctum sanctorum, juxta terminum Levitarum.* Quatuor primitiarum sanctuarii describuntur plagæ, quæ non ad populum, nec ad vulgus ignobile, neque ad Levitas, inferiorem gradum, sed proprie ad cultum pertinent sacerdotum : Aquilonis videlicet, et Occidentis, et

[a] Victorius, *juxta viam Emath* : et paulo post, *et super terminum Dan*, ex Hebr. scilicet et Vulgata. Impressa autem lectio LXX est ἀπὸ ὁρίων τοῦ Δάν.

Orientis, et Austri : et per partes profectuum ordo narratur, ut Aquilonis frigora relinquentes, veniamus ad Occidentem : quod scilicet occidant nobis vitia atque intereant, et inde transeamus ad Orientem : ortoque nobis sole justitiæ, veniamus ad Meridiem, in quo clarissimum lumen, atque perfectum est : et tam ab Aquilone usque ad mare, quam ab Oriente usque ad Meridiem, viginti quinque millia longitudinis, et latitudinis decem millia sint : ut ubique eadem longitudinis, et latitudinis mensura servetur. Sanctuarium autem, id est, Templum Domini, in medio erit primitiarum Sacerdotalium, et æquo latere ex omni parte vallabitur. Et quod dixerat : *Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii Sacerdotum*, ne communi vocabulo omnes Sacerdotes vindicarent sibi hujus loci possessionem, et cæremonias observandas, ponit specialiter inferens : *Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc*, **606** qui interpretatur, *justus* ; de quo dicitur : Justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus ( *Ps.* x, 8 ). Pro quo *Sadoc*, LXX scribunt *Sadduc*. Iste Sadoc loquitur in Evangelio : Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ( *Joan.* v, 22 ). Et de hoc sub nomine Salomonis mystice Propheta decantat : Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis ( *Ps.* LXXI, 1 ). Illi autem sacerdotes Domini sanctuarium possidebunt, et custodient cæremonias ejus : qui non erraverunt cum errarent filii Israel atque Levitæ, de quibus in superioribus disputatum est : qui non offerunt victimas, sed privilegio nominis, et erroris sui humilitate contenti, semper loquuntur in corde : Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra [ Al. *coram* ] me est semper ( *Ps.* L, 4 ). Audiat hoc sacerdotalis gradus, et Arianæ persecutionis ardore superatus, ac veræ postea fidei, ne opibus careat, potentia colla submittens, sufficere sibi si non expellatur ex templo, si pristini nominis umbram quamdam et imaginem teneat, et non resupinus ructans delicias, quasi immaculatus et purus de excelso throno nobis imperitiæ suæ, et barbaræ garrulitatis ructet nauseam. *Erunt*, inquit, *eis primitiæ de primitiis terræ*, hoc est sacerdotibus : et qui non erraverunt, cum errarent filii Israel et Levitæ. Primitiæ autem de primitiis, sicut decimarum decimæ, sanctumque sanctorum, juxta terminum Levitarum : ut habent quidem Levitæ confinia sacerdotum, sed umbilicum, id est, medium ejus, et ipsam possessionem tenere non valeant.

( Vers. 13 seqq. ) *Sed et Levitis similiter juxta fines sacerdotum viginti quinque millia longitudinis, et latitudinis decem millia : omnis longitudo viginti quinque millium, et latitudo decem millium. Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt* ( sive *metientur* ) *nec transferentur primitiæ terræ* ( sive *auferentur* ), *qui sanctificatæ sunt Domino. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, et in suburbana : et erit civitas in medio ejus.* Quod nos vertimus in profanum, pro quo Aquila βέβηλον, Symmachus et Theodotio λαϊκὸν transtulerunt ; LXX dixere προτείχισμα quod *antemurale* possumus dicere. Profanum autem **607** est et laicum, id est, vulgare, quod omni populo habitare passim licet. Illud autem quod dixerunt LXX : Nec mensurabitur, nec auferetur, pro eo quod nos diximus, non mutabitur, nec transferetur, sensum non habere, perspicuum est. Describitur quoque Levitarum possessio, quæ vicina quidem est finibus sacerdotum, et eadem habet spatia in longitudine, [a] et in latitudine pro multitudine Levitarum, quæ habet paucitas Sacerdotum, sed tamen propriis utitur terminis, et intelligit se a Sacerdotali gradu esse disjunctam : ad decutiendam superbiam ministrorum, qui ignorantes humilitatem status sui, ultra Sacerdotes, hoc est presbyteros, intumescunt, et dignitatem non merito, sed divitiis [b] existimant. Certe qui primus fuerit ministrorum, quia ( *Al.* qui ) per singula concionatur in populos, et a Pontificis latere non recedit, injuriam putat, si presbyter ordinetur : et non meminit mensarum et viduarum minister, in obsequium se et ministerium non solum Sacerdotum, sed [c] et viduarum, et pauperum delegatum. *Et non venundabunt*, inquit, *ex eo, neque mutabunt*, ut permaneat Leviticæ distributionis æterna possessio, nec vincatur pretio meritum dignitatis, nec ab alio transferamus ad alium : quia quæ sanctificata sunt Domino, non eorum quibus data sunt, sed ejus cujus nomine possidentur. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine, per viginti quinque millia, subauditur longitudinis, profana erunt urbis : ut cunctis habitare liceat Israelitis, omnique de plebe : non quod immunda sint, aut aliquid in habitatione terræ sanctæ contaminatum, putridum putetur et sordidum ; sed quod præter Sacerdotes omnibus in eis habitare permissum sit. Per quæ intelligimus cuncta quæ referimus ad sensus, hoc est, ad corporis voluptates, quæ visu, et auditu, tactu, odore et sapore capimus, esse profana, et templi sanctimoniam non habere, nec sacerdotale esse privilegium [ *Al.* sacerdotalis *et* privilegii ], sed laicæ **608** vilitatis. Civitas autem erit in medio, de qua scriptum est : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei ( *Ps.* XLV, 4 ). Et : Non potest civitas abscondi super montem posita ( *Matth.* v, 14 ) : de qua dicemus in consequentibus. Προτείχισμα, hoc est, antemurale, et διάστημα, id est, spatium, quod LXX pro *suburbanis* interpretati sunt, quem sensum in hoc loco habeant, ignoramus.

[a] Voces *et in latitudine* Victor. respuit.

[b] Huc refer epistolam 146, ad Evangelum, atque illud cum primis, *si ex diacono ordinatur presbyter, noverit se lucris minorem, sacerdotio esse majorem.* Observandum quoque obiter, *Sacerdotum* vocabulo præter usitatum Antiquorum morem, presbyteros, non episcopos significari. Eo intellectu hac voce utitur Innocentius I, epistola ad Alexandrum Antiochenum episcopum, num. 1, ubi *sacerdotes ministrosque, qui in civitate sunt*, memorat. Qui tamen alibi presbyteros *secundos sacerdotes* vocat.

[c] Cur voces *et viduarum* hic Victor. expungat, non video.

( Vers. 16. ) *Et hæ mensuræ ejus, ad plagam Septentrionalem, quingenti et quatuor millia : et ad plagam Meridianam, quingenti et quatuor millia, et ad plagam Orientalem, quingenti et quatuor millia : et ad plagam Occidentalem, quingenti et quatuor millia.* Quod dicit : Et hæ mensuræ ejus, subaudiendum est, civitatis. In fine enim præteriti capituli positum est : Et erit civitas in medio ejus, id est, terræ. Primumque a plaga Septentrionali incipit, et e regione ponit plagam Meridianam. Rursumque par reddit pari : ut Orientali plagæ e contrario ponat Occidentalem, id est, mare : singulaque latera civitatis habeant quatuor millia et quingentos calamos ; qui faciunt supputatim [ *Al.* supputati ] undecim millia passuum et octoginta quinque, ut simul omnis urbs, sicut in fine hujus voluminis scribitur, per circuitum habeat decem et octo millia calamorum, qui faciunt quadraginta quatuor millia passuum, et trecentos quadraginta. Unde et quadragesimus quartus Psalmus, qui inscribitur, *In finem pro his qui commutabuntur*, et pertinet ad *Idida*, id est, ad *amabilem Domini*, sive ut interpretatus est Aquila, *pro liliis*, Symmachusque *pro floribus*, Ecclesiæ, quæ urbs Domini est, continet sacramenta, de qua scribitur in eodem psalmo : Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ( *Psal.* XLIV, 10 ). Et iterum : Omnis gloria filiæ regis intrinsecus ( *Ibid.*, 14 ) : ut non sit similis sepulcris forinsecus dealbatis, sed et intus et foris omnia lavet paropsidis ( *Matth.* XXIII ). Cumque recesserimus ab Aquilone, vento frigidissimo, transimus ad meridiem, et post ortum in nobis lumen scientiæ, occasum fortitudinum formidamus, nequaquam **609** præterita, sed futura considerantes, nec habentes certam virtutis possessionem, sed quotidie in oratione dicentes : *Ne inducas nos in tentationem, quam ferre non* [a] *possumus* ( *Matth.* LXXXVI, 13).

( Vers. 17. ) *Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem, ducenti quinquaginta : et ad meridiem, ducenti quinquaginta : et ad Orientem, ducenti quinquaginta : et ad mare, ducenti quinquaginta.* Pro suburbanis, quæ Hebraice dicuntur MAGRAS מגרש, rursum LXX διάστημα, id est, *spatium* transtulerunt. Quod autem dicitur, ducenti quinquaginta per singulas plagas, subauditur calami, qui sena cubita habent, et unum palmum ; et per singula latera faciunt passus sexcentos decem et septem paulominus, et in communi mille calamos, habentes passus duo millia quadringentos sexaginta octo : quæ spatia muros per circuitum ambiunt civitatis, ut inter urbem et ea quæ reliqua sunt, dividant. Ex hoc ostenditur nullum de his spatiis ad exercendum opera civitatis, capiendorumque fructuum habere licentiam, sed vacare ab usu et opere hominum : ut circummuralia urbis, sponte nascentium virgultorum atque herbarum, et cæterorum quæ terra gignit, habeant amœnitatem.

*Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii, decem millia in Orientem, et decem millia in Occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii : et erunt fruges ejus in cibum* ( vel *in panes* ) *his qui serviunt* ( vel *operantur* ) *civitati. Servientes autem* ( vel *operantes* ) *civitati, servient* (vel *operabuntur* ) *ex omnibus tribubus Israel. Omnes primitiæ viginti quinque millium per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, et possessionem civitatis.* Post urbis sanctæ descriptionem, et suburbana ejus, reliquam partem primitiarum sanctuarii decem millia calamorum in Orientem, et alia decem millia ad Occidentem tendentium, delegari vult his, qui opera civitatis exercent ad varios usus, quibuscumque urbs indiget : ut scilicet serantur, et ex frugibus quæ in hoc terræ nascuntur **610** spatio, vescantur operarii, qui vel mœnia urbis exstruunt, vel interrupta et ruinosa restituunt, ut habeat civitas cultum suum, et sarta tecta, cum poposcerit necessitas, instaurentur. Et hæc [*Al.* hoc] non solum in Israel, vel in possessione terræ sanctæ spiritaliter Ecclesiæ mysterio continetur : sed in Romano quoque fieri probamus imperio, ut quædam villæ sint pertinentes ad jura urbium, vel regia munificentia, vel hæreditatibus et donatione [*Al.* dona] multorum, ne scilicet paulatim ædificia collabantur, et ædes publicæ, quæ ornamento sunt civitati, longa vexentur incuria. Operarii autem, inquit, sive qui serviunt in operibus civitatis, erunt ex omnibus tribubus Israel : ut nullus se ab opere civitatis immunem putet, sed omnes certatim exstruant Ecclesiam. Quod in tabernaculo quoque factum legimus, ut pro varietate virium, alius aurum et argentum, coccum, byssum, et purpuram, variaque et diversa subtegmina : alii pelles et caprarum offerant pilos : et cum essent dona diversa pro qualitate substantiæ, unum donantium esset præmium : immo majus eorum qui parva quidem obtulerint, sed majora pro viribus, in exemplum viduæ pauperis, quæ duo minuta in gazophylacii dona mittebat; Domini est judicio laudata, dicentis : *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit : Nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit misit* ( *Luc.* XII ). Sicut ergo diximus de operibus civitatis, sic illud bre-

[a] Ex hoc loco manifestum nobis est antiquitus additam fuisse in Oratione dominica hujusmodi clausulam, *quam ferre non possumus*, juxta verba Apostoli dicentis : Non patietur vos Deus tentari supra id quod potestis. MART. — Alii mss. *non possimus*. Porro quod ad Orationis dominicæ textum pertinuerint hæc verba, non autem, quod Clericus putat, explicationis gratia abs Hieronymo addita sint, evincunt aliorum Patrum testimonia : puta Hilarii in Psalm. CXVIII, lit. 1 ; Ambrosii de Sacram. lib. v, et qui eum descripsit Auctoris, sermone 84 in Append. Opp. S. Augustini. Et sane luculentissime S. Ambrosius : « Vide, inquit, quid dicat : Et ne patiaris induci nos in tentationem, quam ferre non possumus. Non dicit : non inducas in tentationem, sed quasi Athleta talem vult tentationem quam ferre possit humana conditio. » Adde quod totidem continuo verbis, nisi in aliquibus libris petitionis partem fecissent, referri non poterant. Habentur etiam aliis apud S. Hieronym. locis, ut in Matth. c. XXVI.

viter perstringendum est, quod omnes primitiæ sanctuarii, et possessio civitatis pariter supputata per quadrum contineat, millia ducenta quadraginta sex, et partem tertiam. Si enim viginti quinque millia calamorum, qui senos cubitos habent et palmum unum, faciunt nostra, hoc est, Romana sexaginta, et unum millia, et sexcentos sexaginta septem passus; nulli dubium est, hæc in quadruplum supputata superiorem efficere numerum. **611** Ex quo perspicimus omnia intelligenda spiritaliter, Ecclesiæ possessionem multo latiorem esse, quam quondam fuit in Judæa, qui ne accepere quidem partes terræ sanctæ : sed ex singulis tribubus quadraginta octo civitatum, non ex pleno possessionem, sed habitationem et hospitia susceperunt : ut ipsi quoque qui videntur laici, nec pervenisse ad sacerdotalem et Leviticum gradum : tamen si operentur in Domini civitate, vescantur de sancta terra, terra mitium, terraque credentium, quorum unus loquebatur : Credo videre bona Domini, in terra viventium (*Ps.* XXVI, 13).

(Vers. 21, 22.) *Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte, sive hinc, sive inde* [Vulg. tacet *sive hinc, sive inde*] *primitiarum sanctuarii et possessionis civitatis e regione* (sive *contra faciem*) *viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem, sed et a mari* [Vulg. *ad mare*] *e regione* (sive *contra faciem*) *viginti quinque millium usque ad terminum maris similiter in partibus principis erit, et erunt primitiæ sanctuarii et sanctuarium templi in medio ejus. De possessione quoque Levitarum, et de possessione civitatis in medio partium principis erit inter terminum Juda et inter terminum Benjamin, et ad principem pertinebit.* De hoc principe supra plenius disputatum est, et quod tantum solus acciperet quantum una tribus. Nunc autem aliud discimus, quod ex cunctis tribubus quidquid reliquum fuerit, hic solus accipiat : ut nulla tribus sit, quæ principi dona non offerat : non aliunde, sed ex primitiis quæ templo et sanctuario et delegatis urbis partibus serviunt. Hoc est enim quod dicit : *E regione*, sive *contra faciem viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem*, sive usque ad terminum maris : ut sint primitiæ inter septem et quinque tribus, et in ipsis primitiis civitas, et suburbana ejus, et in medio civitatis sanctuarium templi. Sed et de possessione Levitarum et de possessione civitatis quidquid reliquum est, principi deputabitur : eritque pars extrema septem tribuum vicina primitiis et civitati, et templo in tribu Juda; et pars extrema quinque tribuum eodem jure quo supra in tribu Benjamin, ipsa extrema pars ad principem pertinebit. Ex quo Scripturæ sanctæ sacramenta miranda sunt, et cogitanda **612** magis, quam eloquio proferenda (*Dan.* XXXII). In priori enim divisione terrarum trans Jordanem per Moysen duabus tribubus Ruben, et Gad, et dimidiæ tribui Manasse terra divisa est (*Josue*, XIII) : intra Jordanem autem per Josue filium Nun, et Eleazar filium Aaron, Judas possedit ab Austro (*Josue*, XV); et Ephraim, et Manasse tribus dimidia, ab Aquilone (*Josue*, XVIII). Postea vero de Silo missis exploratoribus per singulas tribus, et descriptione terræ allata ad Josue et Eleazar, Benjamin juxta Judam ab Austro, et juxta Ephraim et dimidiam tribum Manasse accepit possessionem. Secunda tribus Simeon hæreditatem accepit in [*Al.* de] tribu Juda : ut impleretur quod scriptum est de Levi et Simeon : *Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel* (*Gen.* XLIX, 7). Tertia Zabulon Galilæam accepit, in qua est mons Thabor. Quarta Isachar, ubi est Jezrael, usque ad Jordanem. Quinta Aser, usque ad montem Carmelum, qui imminet mari magno, Tyrumque et Sydonem. Sexta Nephthali, in Galilæa usque ad Jordanem, ubi Tyberias, quæ olim appellabatur Chenereth. Septima Dan usque Joppen, ubi sunt [a] turres Ailon, et Selebi, et Emaus, quæ nunc appellatur Nicopolis : licet postea legerimus, quod ceperint sibi, transcensis aliis tribubus, urbem Lesem in tribu Dan, quæ hodie appellatur Paneas. Cum hæc se ita habeant, et inter priorem tribuum descriptionem et quæ nunc habetur, tanta diversitas sit, hoc consideremus quomodo et in præsenti descriptione, et in præterita inter tribum Juda et Benjamin urbs, et Templum collocatum sit. Et in priori quidem descriptione Judas erat ab Austro, et Benjamin ab Aquilone : hic vero econtrario fit, ut Judas sit ab Aquilone, et Benjamin ab Austro : post quem secundus est Simeon, tertius Isachar, et quartus Zabulon, quintus Gad : quinque videlicet tribus, sicut in consequentibus dicitur; scriptum est enim :

(Vers. 23 seqq.) *Et reliquis tribubus, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Benjamin una. Et contra terminum Benjamin a plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Simeon una. Et super terminum Simeonis, a plaga Orientali usque ad plagam Occidentis, Isachar una. Et super terminum Isachar, a plaga Orientali usque* **613** *ad plagam occidentalem, Zabulon una. Et super terminum Zabulon, a plaga Orientali usque ad plagam maris, Gad una. Et super terminum Gad ad plagam Austri in Meridiem, et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades : hæreditas contra mare magnum. Hæc est terra quam metiemini* [Vulg. *mittetis in sortem*] *tribubus Israel, et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.* Quod in quinque et septem tribubus semper in fine ponitur *una*, subintelligitur vel pars, vel possessio, vel hæreditas : licet Aquila et Symmachus interpretentur genere neutrali τὸ ὅριον, quod significat *terminum*. Illudque breviter attendendum, in extrema quinque tribuum, tribum Gad, quæ in priori descriptione fuit trans Jordanem, poni in eam partem quam prius Judas tenuit, ad plagam videlicet Austri in meridiem, et esse terminum de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditatem contra mare magnum : Thamar

[a] Conjicit Relandus pro *turres* legendum *urbes*, vel *urbes tres*. Nihil vero contra mss. fidem audendum.

ipsam, de qua jam diximus, quam nunc Palmyram vocant, et olim a Salomone constructa est: palma enim Hebræo sermone Thamar appellatur, et ab eo quod ibi palmeta sint plurima, quidam putant hoc sortitam vocabulum. Quodque sequitur: *Usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum;* pro quo LXX transtulerunt *de Theman, et aqua Mariboth,* [Al. *Marimoth*] *Cades, hæreditas usque ad mare magnum,* illud est observandum in Hebraico eumdem sermonem NEHELA (נחלה), quia ambiguus sit, et *hæreditatem* sonare, et *torrentem:* et hic magis *torrentem* accipi debere, quam *hæreditatem.* Iste est enim torrens qui ingreditur mare magnum Rhinocoruræ, ut ante jam diximus. Cades autem quæ in libro Josue appellatur Cades-Barne, in deserto est, quod extenditur usque ad urbem Petram: *Mariboth* vero quod interpretatur *contradictionis,* non vocabulum loci est, ut plerique æstimant, sed aquarum, in quibus populus Domino contradixit, et Moyses offendit Deum, dicente Psalmo: *Tentaverunt eum ad aquam contradictionis, et afflictus est Moyses propter eos* (*Ps.* cv, 32). Omnisque terræ sanctæ hæreditas ab Australi plaga juxta terminos Ægypti, Rhinocorura et torrente finitur. Et quia *Gad* interpretatur *tentatio,* in possessione ejus de palmetis transimus ad aquas contradictionis usque *Cades,* quæ interpretatur *sancta,* ut intelligamus nos etiam post victoriam mundi debere esse sollicitos, et semper in metu, **614** et recordari illius versiculi: Tentatio est vita hominum super terram (*Job.* vii, 1); et ad sanctitatem, adversariis impugnantibus, pervenire: sicque obtinere victoriam, ut e vicino torrentem plenum imbrium contemplemur.

(Vers. 30 seqq.) *Et egressus civitatis a plaga Septentrionali quingentos et quatuor millia mensurabis. Et portæ civitatis ex hominibus* [Al. *omnibus,* Vulg. in *nominibus*] *tribuum Israel: portæ tres a Septentrione. Porta Ruben, una: porta Judæ, una; porta Levi, una. Et ad plagam Orientalem quingentos et quatuor millia, et portæ tres. Porta Joseph, una: porta Benjamin, una: porta Dan, una: Et ad plagam Meridianam quingentos et quatuor millia metieris, et portæ tres. Porta Simeonis, una: porta Issachar, una: porta Zabulon, una. Et ad plagam Occidentalem, quingentos et quatuor millia, et portæ eorum tres. Porta Cad, una: porta Aser, una: porta Nephthali, una: per circuitum decem et octo millia, et nomen civitatis ex illa die, et Dominus ibidem.* De ambitu civitatis, quod per latera singula in quadrum quatuor millia quingentos calamos habuerit, præteritus sermo narravit: qui faciunt decem et octo millia calamorum, ut in præsenti capitulo quoque positum est, id est, quadraginta quatuor millia passuum, et trecentos quadraginta passus. Nunc scribitur per singula latera, hoc est, per undecim millia passuum et octoginta quinque passus, ternas fuisse portas, quas Aquila, Symmachus, et Theodotio διεξόδους, LXX διεκβολὰς vocant: nos interpretati sumus, *egressus* et *exitus* civitatis. Illudque primum breviter admonendum, eas-

A dem tribus in circuitu tabernaculi ita castrametatas, ut ad Orientem fuerit Judas, Issachar, et Zabulon, filii Liæ: et ad Meridiem, Ruben, Simeon Gad, duo filii Liæ, et tertius filius Zelphæ ancillæ Liæ. Ad Occidentem vero Ephraim, et Manasses, et Benjamin, duo videlicet filii Rachelis: quia Joseph pro tribu Levi, quæ sacrificiis deputata est, in duas tribus Ephraim et Manasse divisa est. Ad Aquilonem autem Dan, et Aser, et Nephthali, quorum primus et tertius filii sunt Balæ ancillæ Rachelis, secundus filius Zelphæ ancillæ Liæ ignobiles, et ad Aquilonem positi: quippe qui ex ancillarum inter se dissidentium stirpe generati sint. Hoc juxta Numerorum librum, et descriptionem tabernaculi, quæ, jubente Deo, Moysi ore dictata est (*Num.* xxxiv). Nostra vero urbs, quæ B est civitas **615** magni regis, cujus artifex et conditor est Deus, de qua et Psalmista canit: Numquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (*Ps.* lxxxvi, 5), aliam habent tribuum in terra sancta descriptionem, et mensuram civitatis et possessionis ordinem, et plagas tribuum singularum. Primum enim plagæ Aquilonis opponuntur tres portæ, sive exitus civitatis, quorum est primogenitus Ruben, et Judas regiæ stirpis auctor, et Levi super cujus nomine, in tabernaculo et sacrorum descriptione nil dictum est: ut primogenita possidentes, quasi genus regale et sacerdotale, Aquilonis frigora contemnamus. Secundo vero ad Orientem est Joseph, Benjamin, et Dan: ambo filii Rachel, et unus Balæ ancillæ ejus. Ad Meridiem C vero Simeon, Issachar et Zabulon, qui tres Liæ filii sunt. Porro ad Occidentem Gad, Aser et Nephthali: quorum priores duo filii Zelphæ sunt ancillæ Liæ, tertius filius Balæ ancillæ Rachelis. Quis sapiens et intelligit hæc: intelligens et cognoscet ea? Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis: prævaricatores vero **616** corruent in illis (*Osee,* xiv, 10). Has duodecim portas, sive exitus, pro qualitate meritorum atque virtutum singulis tribubus sub Apostolicis et Patriarcharum nominibus arbitror delegatas: de quibus et in Apocalypsi Joannis apertius scribitur, et multa divinarum Scripturarum sacramenta testantur (*Apoc.* xxi). Et necesse est, ut talis civitas decem et octo millium per circuitum teneat calamorum: sub quo numero, et in duodevigesimo D psalmo lex naturalis est scripta, gratiaque Evangelii describitur: quibus Ecclesia, id est, urbs Salvatoris exstructa est. Nomen quoque ipsius civitatis nequaquam erit, ut prius *Jerosolyma,* quæ interpretatur *visio pacis,* sed ADONAI SAMA [*Al.* ADONAISAN *et* ADONAISAMIA] (יהוה שמה) quod in Latinum sermonem vertitur, *Dominus ibidem,* qui recedat numquam ab ea, ut a priori populo ante discessit dicens ad discipulos: Surgite, abeamus hinc (*Joan.* xiv, 31). Et ad Judæos: Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* xxiii, 38): sed æternam habeat possessionem, et sit ei ipse possessio, iisdem discipulis repromittens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20).

# S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

[a] COMMENTARIORUM

# IN DANIELEM PROPHETAM

AD PAMMACHIUM ET MARCELLAM,

LIBER UNUS.

## Prologus.

**617-618** Contra prophetam Danielem duodecimum librum scripsit Porphyrius, nolens eum ab ipso, cujus inscriptus est nomine, esse compositum : sed a quodam qui temporibus Antiochi qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Judæa, et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narrasse præterita. Denique quidquid usque ad Antiochum dixerit, veram historiam continere : si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit, esse mentitum. Cui solertissime responderunt Eusebius Cæsariensis Episcopus tribus voluminibus, id est, octavo decimo, et nono decimo, et vicesimo ; Apollinarius quoque uno grandi libro, hoc est, vicesimo sexto, et [b] ante hos ex parte Methodius. Verum quia nobis propositum est, non adversarii calumniis respondere, quæ longo sermone indigent : sed ea quæ a propheta dicta sunt nostris disserere, id est, Christianis, illud in præfatione commoneo, nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. **619-620** Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris : sed etiam quo tempore venturus sit docet ; et reges per ordinem digerit, et annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. Quæ quia vidit Porphyrius universa completa, et transacta negare non poterat, superatus historiæ veritate, in hanc prorupit calumniam, ut ea quæ in consummatione mundi de Antichristo futura dicuntur, propter gestorum in quibusdam similitudinem sub Antiocho Epiphane impleta contendat. Cujus impugnatio testimonium veritatis est. Tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse ; sed narrasse præterita. Et tamen sicubi se occasio in explanatione ejusdem voluminis dederit, calumniæ illius strictim respondere conabor, et philosophiæ artibus, immo malitiæ sæculari, per quam subvertere nititur veritatem, et quibusdam præstigiis clarum oculorum lumen auferre, explanatione simplici contraire. Itaque obsecro vos, Pammachi φιλομαθέστατε, et Marcella, unicum Romanæ sanctitatis exemplar, junctos fide et sanguine, ut conatus meos vestris orationibus adjuvetis : ut Dominus atque Salvator pro causa sua, suo sensu, meo ore respondeat, qui loquitur ad prophetam : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Ps.* LXXX, 11). Si enim cum apprehensi fuerimus ante judices et tribunalia, monet ne cogitemus quid respondere debeamus (*Luc.*, XII) : quanto magis contra adversarios blasphemantes, sua potest bella bellare, et in servis suis vincere ? Unde et psalmi plurimi illud Hebraicum, quod in titulis ponitur LAMANASSE (לַמְנַצֵּחַ), pro quo LXX transtulerunt, *in finem*, magis *pro victoria* continent. Aquila enim interpretatus est τῷ νικοποιῷ, hoc est, *ei qui præbet victoriam*. Symmachus [c] ἐπινίκιον, quod proprie *triumphum palmamque* significat. Sed et hoc nosse debemus inter cætera, Porphyrium de Danielis libro nobis objicere, idcirco illum apparere confictum, nec haberi apud Hebræos, sed Græci sermonis esse commentum, quia in Susannæ fabula contineatur, dicente Daniele ad [d] presbyteros, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam etymologiam magis Græco sermoni convenire, quam Hebræo. Cui et Eusebius et Apollinarius pari sententia responderunt : Susannæ Belisque ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico, sed partem esse prophetiæ Abacuc filii Jesu de tribu Levi : sicut juxta LXX interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur : *Homo quidam erat sacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conviva regis Babylonis :* cum Danielem et tres pueros de tribu

[a] Hanc quæ uno libro continua serie contexta est, explanationem in Danielem Cassiodorus Instit. c. 3, tribus libris distinctam laudat. Nos illam ad pervetustos codices mss. unum Vaticanum, num. 333, alterum Palatino-Vaticanum 173 prænotatos exegimus ac recensuimus.

[b] Palatinus ms. voces *ante hos* non agnoscit.

[c] Vatic. præferre videtur ἐπινίκιον.

[d] Addit optimum ac pervetustum exemplar Corbiense nomen Dei ; sic enim legit, CXICHCECI ΘEOC, etc., pro σχίσας σε, σχίσει σε Θεός.

Juda fuisse, sancta Scriptura testetur. Unde et nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has visiones obelo prænotavimus, significantes eas in Hebraico non haberi. Et miror quosdam μεμψιμοίρους indicari mihi, quasi ego decurtaverim librum : cum et Origenes et Eusebius et Apollinarius aliique ecclesiastici viri et doctores Græciæ has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio, pro his, quæ nullam Scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant. Illud quoque lectorem admoneo, Danielem non juxta LXX interpretes, sed juxta Theodotionem Ecclesias legere, qui utique post adventum Christi incredulus fuit : licet eum quidam dicant ebionitam, qui **621-622** altero genere Judæus est. Sed et Origenes de Theodotionis opere in editione [a] Vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt, et rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans. Cumque omnes Christi Ecclesiam tam Græcorum quam Latinorum, Syrorumque et Ægyptiorum hanc sub asteriscis et obelis editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostros, quod Græci in Aquilæ et Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum Judæorum : cur Latina paupertas despiciat hominem Christianum? Cujus si opus displiceat, certe voluntas recipienda est. Verum jam tempus est, ut ipsius prophetæ verba texamus, non juxta consuetudinem nostram proponentes omnia, et omnia disserentes, ut in duodecim prophetis fecimus; sed breviter et per intervalla ea tantum, quæ obscura sunt explanantes, ne librorum innumerabilium magnitudo lectori fastidium faciat. Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum historia necessaria est : Sutorii videlicet [b] Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis, et Andronici cognomento Alipii, quos et Porphyrius esse secutum se dicit : Josephi quoque et eorum quos ponit Josephus, præcipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, atque Justini, qui omnem [*Al.* omnes] extremæ visionis narrant historiam, et post Alexandrum usque ad Cæsarem Augustum, Syriæ et Ægypti, id est, Seleuci, et Antiochi, et Ptolemæorum bella describunt. Et si quando cogimur litterarum sæcularium recordari, et aliqua ex his dicere quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed, ut dicam, gravissimæ necessitatis : ut probemus ea quæ a sanctis prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tam Græcorum, quam Latinorum, et aliarum gentium litteris contineri.

[a] Parum sibi constare hoc loco Hieronymus Montfauconio videtur, quod cum modo dixisset, Danielem non juxta LXX, sed juxta Theodotionem Ecclesias legere, statim subjicit, omnes Christi Ecclesias tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque et Ægyptiorum editione uti vulgata (quæ utique τῶν LXX intelligitur) ab Origene ex editione Theodotionis aucta atque emendata cum obelis et asteriscis. Atque hoc quidem, inquit, si de ejus usu in publicis Ecclesiæ conventibus intelligendum sit, perquam difficile est creditu; quomodo enim duæ ejusdem prophetæ editiones indiscriminatim in omnibus Ecclesiis legebantur? Certum præterea quod ipse Hieron. iterum in Comm. tradit. IV, vers. 5, *judicio magistrorum Ecclesiæ editionem* τῶν LXX *in hoc volumine repudiatam, et Theodotionis vulgo legi, quæ et Hebræo, et cæteris translatoribus congruit.* Sic itaque antilogiam conciliandam putat, ut cum dicitur, ab omnibus Christi Ecclesiis tam Græcorum, quam Latinorum, etc., recognitam ab Origene Vulgatam legi, intelligas, eam quidem præ manibus omnium habitam, sed privatim, non autem in publicis conventibus, ubi sola Theodotionis editio obtinebat, saltem apud Græcos, ut SS. Patres Græci, præsertim Chrysostomus et Theodoretus indicio esse possunt, qui non aliam editionem afferunt. Verum non hanc fuisse Hieronymi mentem, nullamque adeo inesse huic loco difficultatem contendo. Neque enim de peculiaris libri Danielis Vulgata editione hic loquitur, quæ cum in cæteris libris tota Septuagintaviralis esset, in uno isto de Theodotionis interpretatione sumpta est : ut una eademque plane res sit, cum de Daniele agitur, Vulgata ejus editio ac Theodotionis versio. Hoc nemo, opinor, nedum cl. Montfauconius ierit inficias : manifestum quippe est, cum ex modo laudatis testimoniis, tum ex tota hac præfatione, itidemque alia in ipsum Danielem ab Hieronymo Latine reddita, Vulgatam editionem cæteros quidem omnes Scripturæ libros ex LXX : Danielis vero ex Theodotione sibi ascivisse, ut proinde Vulgata Danielis ipsa sit Theodotionis editio. Igitur proposito loco cum ait S. Doctor, Origenem in editione Vulgata asteriscos atque obelos de Theodotionis opere posuisse, minime omnium intelligi potest de singulari Danielis hoc libro dicere : qui enim id fieri potuit, aut quæ tanta esset perissologia, ut de Theodotionis editione ad Theodotionis editionem (neque enim Vulgata erat ejus libri alia) Origenes obelos poneret et asteriscos. Est ergo quam quod maxime manifestum, de universo Scripturæ opere sermonem hic esse, ad cujus Vulgatam editionem hoc impendit laboris Adamantius, eamque ejus recognitionem Hexaplarem et Hieronymus testatur, et nemo jam nescit fuisse Ecclesiis tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque et Ægyptiorum probatam ac lectam in sua quaque lingua. Inferior quoque contextus universam Scripturam, non unicum Danielis librum laudari, perspicue probat. Scilicet occasionem arripit Hieronymus ex Theodotionis incredulitate, ut suum studiosis laborem impendio magis commendet, aut contra æmulos tueatur. Nam si ejus hæretici diligentia tantum apud Ecclesias favoris sibi promeruit, ut Origene suffragante, nedum in Daniele, sed et in reliquis libris utilis probaretur, quanto magis ipse, Christianus homo, suscipi deberet, qui et imitatus Origenem, volebat habere suos, *quod Græci in Aquilæ, et Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitabant.*

[b] Antea *Suctorium* : illud vero perperam, quod Sutorius a Callinico, quasi duo auctores essent, distinguebatur. Est autem iste Callinicus Syrus, vel Arabs sophista, qui sub Galieno floruit, et cum monimenta alia, tum Rerum Alexandrinarum historiam libris X ad Cleopatram scripsit, quos hic Hieronymus innuit. Σουτώριος cognominatus est, ut Suidas annotavit.

# INCIPIT LIBER.

**623** (Cap. I.—Vers. 1.) *Anno tertio regni Joacim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis Jerusalem, et obsedit eam.* Joacim filius Josiæ cujus tertio decimo anno prophetare orsus est Jeremias, sub quo et Olda mulier prophetavit, ipse est qui alio nomine appellatur Heliachim, et regnavit super tribum Juda et Jerusalem annis undecim : cui successit in regnum filius ejus Joachim, cognomento Jechonias; qui tertio mense regni sui, die decimo, captus est a ducibus Nabuchodonosor, ductusque est in Babylonem, et in loco ejus constitutus est Sedecias filius Josiæ patruus ejus, cujus anno undecimo Jerusalem capta atque subversa est. Nemo igitur putet eumdem in Danielis principio esse Joacim, qui in Ezechielis exordio Joachin scribitur. Iste enim extremam syllabam *Chin* habet, ille *Cim*. Et ob hanc causam in Evangelio secundum Matthæum una videtur deesse generatio, quia secunda τεσσαραδέκας [a] in Joacim desinit filio Josiæ, et tertia incipit a Joachin filio Joacim. Quod ignorans Porphyrius, calumniam struit (*Mss.* instruit) Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum evangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem.

(Vers. 2.) [b] *Et tradidit Dominus in manu ejus Joacim regem Juda.* Quodque traditus scribitur Joacim, monstrat non adversariorum fortitudinis fuisse victoriam, sed Domini voluntatis.

*Et partem vasorum domus Dei, et asportavit ea in terram Sennaar,* [c] *in domum Dei sui, et vasa intulit in domum thesauri Dei sui* (*Gen.* XI). Terra Sennaar locus est Babylonis in quo fuit campus Dura, et turris quam usque ad cœlum hi qui ab Oriente moverant pedes suos, ædificare conati sunt. Unde et a confusione linguarum locus nomen accepit *Babylon*, quæ in linguam nostram tranfertur *confusio*. Simul et animadvertendum secundum anagogen, quod rex Babylonis non potuerit universa Dei vasa transferre, et in idolio quod sibi finxerat collocare, sed partem vasorum **624** domus Dei, quæ intelligenda sunt dogmata veritatis. Si enim cunctos philosophorum revolvas libros, necesse est ut in eis reperias aliquam partem vasorum Dei. Ut apud Platonem, fabricatorem mundi Deum, ut apud Zenonem Stoicorum principem, inferos et immortales animas, et unum bonum, honestatem; sed quia jungunt mendacium veritati, et naturæ bonum multis perdunt malis, ideo partem vasorum domus Dei, et non omnia vasa integra atque perfecta cepisse memorantur.

(Vers. 3.) *Et ait rex Asphanez præposito eunuchorum suorum* [Vulg. tacet *suorum*], [d] *ut introduceret de filiis Israel et de semine regio et tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula.* Pro Asphanez in editione vulgata ἀβρισσδρὶ scriptum reperi, et pro φορθομμὶν, quod Theodotio posuit, LXX et Aquila, *electos* transtulerunt, Symmachus *Parthos*, pro verbo, nomen gentis intelligens, quod nos juxta editionem Hebræorum quæ κατ' ἀκρίβειαν legitur, in *tyrannos* vertimus : maxime quia præcedit, *de regio semine*. Unde et arbitrantur Hebræi, Danielem, et Ananiam, et Misael, et Azariam fuisse eunuchos, impleta illa prophetia quæ ad Ezechiam per Isaiam prophetam dicitur : *Et de semine tuo tollent, et facient eunuchos in domo regis* [e] *Babylonis* (*Isai.* XXXVII, 7). Si autem de semine regio fuerunt, nulli dubium quin de genere fuerint David. Nisi forte huic sensui illud contrarium sit quod sequitur : *Pueros*, sive *juvenes, in quibus nulla esset macula, ut doceret eos litteras et linguam Chaldæorum.* Philo arbitratur linguam Hebræorum ipsam esse Chaldaicam, quia Abraham de Chaldæis fuerit. Quod si recipimus, quærendum est, quomodo nunc Hebræi pueri linguam quam noverant, doceri jubeantur : nisi forte juxta quorumdam opinionem duas Abraham linguas, et Hebræorum et Chaldæorum scisse dicamus.

(Vers. 7.) *Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina, Danieli, Balthasar : et Ananiæ, Sedrach : Misaeli, Misac : et Azariæ,* **625** *Abdenago.* Non solum præpositus eunuchorum, sive magister, et ut alii transtulerunt, ὁ ἀρχιευνοῦχος sanctis immutat nomina, sed et Pharao Joseph in Ægypto appellavit (*Gen.* 41), [f] *Somtonphanech*, nolentes eos in terra captivitatis vocabula habere Judæorum [*Al.* Judææ]. Unde propheta dicit in Psalmo : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Ps.* CXXXVI, 4)? Porro Dominus in bonam partem nomina mutat antiqua, et ex rebus imponit virtutum vocabula : ut

[a] Palat. τεσσαραχαιδέκας. Notatum vero est Victorio, Jechoniam vocari a Matthæo tam Joachim, in quo sub transmigratione Babylonis desinit secunda τεσσαραδέκας, quam Joachim ejus filium, in quo post dictam transmigrationem incipit tertiæ, sicut IV Reg. XXIII uterque a LXX appellatur Joacim : quod non animadvertens Porphyrius, dum in Matthæo Jechoniam pro uno tantum accipit homine, unam deesse apud illum generationem dicebat, proptereave falsitatis eum arguere nitebatur.

[b] Versiculo hocce prætermisso, expositionem Hieronymianam mss. nostri continuant.

[c] Victorius, *in Dei domum Dei sui*, nedum ad Vulgatæ, sed ad trium quoque mss. quos laudat fidem.

[d] Reliquum Danielis textum subnexæ expositioni necessarium, mss. nostri peragunt. Porro Vatican. ΑΒΗΙCΔΡΙ, Palatinus cum Sangermanen. penes Montfauc. Latinis litteris *Abiesdri*. Sic mox Vatic. ΠΟΡΘΟΜΙΜ, et cum Sangerman. Palatinus *Porthommim*.

[e] Nomen *Babylonis* nostri codices ignorant.

[f] Falso in editis legitur *sapharatphaneb*, juxta Hebraicum, cum Hieronymus hic ex LXX editione posuerit samtonphanech. MART. — Mss. duo COMTOΦANHC.

*Abram* appellaret *Abraam*, et *Sarai*, *Sara* (*Gen.* XVII). In Evangelio quoque quondam *Simon Petri* nomen accepit (*Marc.* III), et filii Zebedæi appellati sunt, *filii tonitrui* : quod non ut plerique putant *boanerges*, sed emendatius legitur [a] *benereem*.

(Vers. 8.) *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, et* [Vulg. *neque*] *de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.* Qui de mensa regis et de vino potus ejus non vult comedere ne polluatur, utique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, numquam acquiesceret dicere quod non licebat. Discunt autem non ut sequantur, sed ut judicent atque convincant. Quomodo si quispiam adversus mathematicos velit scribere imperitus μαθήματος, risui pateat, et adversum philosophos disputans, si ignoret dogmata philosophorum. Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua et Moyses omnem sapientiam [b] Ægyptiorum didicerat.

(Vers. 9.) *Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum*, etc. Qui propter peccata majorum ductus est in captivitatem, propter virtutum suarum magnitudinem statim mercedem recepit. Proposuerat enim in corde suo, ut non pollueretur de mensa regis, et epulis regiis præposuerat viles cibos : idcirco gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum accepit, Domino largiente. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum, si quando diliguntur sancti ab infidelibus, Dei esse misericordiæ [*Al.* misericordiam], non bonitatis hominum perversorum.

(Vers. 12.) *Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem,* [c] *et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum.* Incredibilis **626** fidei magnitudo non solum sibi corpulentiam polliceri esu vilioris cibi, sed et tempus statuere. Non est ergo temeritatis, sed fidei, ob quam regias dapes contempserunt.

(Vers. 17.) *Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum.* Nota quod Deus dederit sanctis pueris scientiam et disciplinam sæcularium litterarum in omni libro et sapientia. Pro quo Symmachus interpretatus est, *artem grammaticam*, ut cuncta quæ legebant, intelligerent, et spiritu Dei de Chaldæorum scientia judicarent. Daniel autem hoc extra tres pueros habebat insigne, quod visiones et somnia quibus per symbola quædam et ænigmata, futura monstrantur, sagaci mente cernebat : ut quod alii videbant in phantasmate, hic oculis cordis aspiceret.

(Vers. 18.) *Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur, introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.* Completos dies, triennii tempus intellige, quod rex constituerat, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

(Vers. 20.) *Et omne verbum sapientiæ et intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos hariolos et magos qui erant in universo regno ejus.* Pro *hariolis* et *magis*, vulgata editio *sophistas* et *philosophos* transtulit : non juxta hanc philosophiam et sophisticam disciplinam, quam Græcorum eruditio pollicetur; sed juxta doctrinam gentis barbaræ, qua usque hodie Chaldæi philosophantur.

*Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.* Dicemus in consequentibus, quomodo qui usque ad annum primum regis Cyri hic fuisse describitur, postea tertio anno ejusdem Cyri regis, et primo Darii fuisse memoretur.

(Cap. II. — Vers. 1.) *In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo.* Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu ejus, ut ipse præceperat, quomodo nunc secundo anno regni sui somnium vidisse narratur? Quod ita solvunt Hebræi, secundum hic annum dici regni ejus, omnium **627** gentium barbararum, non Judææ tantum et Chaldæorum, sed Assyriorum quoque et Ægyptiorum, et Moabitarum, et reliquarum nationum, quas, Domino concedente, superarat. Unde et Josephus in decimo Antiquitatum scribit libro : Post annum secundum Ægyptiæ vastatis, rex Nabuchodonosor vidit mirabile somnium, *et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo.* Vidit rex impius somnium futurorum, ut interpretante sancto quod viderat, Deus glorificaretur; et captivorum Deoque in captivitate servientium sit grande solatium. Hoc idem in Pharaone legimus, non quod Pharao et Nabuchodonosor videre meruerint, sed quod Joseph et Daniel digni exstiterint, qui interpretatione eorum omnibus præferrentur.

(Vers. 2.) *Præcepit ergo rex, ut convocarentur harioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent, steterunt coram rege.* Quos nos *hariolos*, cæteri ἐπαοιδοὺς interpretati sunt, id est, *incantatores*. Ergo videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt. Magi, qui de [d] singulis philosophantur : Malefici, qui sanguine utuntur et victimis, et sæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis γενεθλιαλόγους [*Al.* γενεθλιολόγους] significari puto quos vulgus mathematicos vocat. Consuetudo autem et sermo communis magos [e] pro maleficis accipit : qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldæorum, et ad artis hujus scientiam reges quoque et principes ejusdem gentis omnia faciunt. Unde et in nativitate Domini Salvatoris ipsi primum or-

[a] Vatic., *baneraem*. Palat. *banarehem*.
[b] Palat., *sapientiam Cham et Ægyptiorum*, etc.
[c] Hic denuo reliquum versum mss. nostri sufficiunt.
[d] Ex Brixianis mss. atque editis vetustioribus libris præfert Victor. *de signis* pro *singulis*.
[e] Huc refer S. Hilarii testimonium lib. IV de Trinit. num. 37, et in Commentario in Matthæum : in quem Evangelistam vide auctorem Operis imperfecti, auctorem quoque Quæstion. ex N. T. quæst. 63. Nam et plures sunt e Veteribus qui magos absolute pro maleficis accipiunt.

tum ejus intellexerunt, et venientes in sanctam Bethleem, adoraverunt puerum, stella desuper ostendente (*Matth.* II).

(Vers. 3.) *Et dixit ad eos rex : Vidi somnium, et mente confusus ignoro quid viderim.* Umbra quædam, et ut ita dicam, aura somnii atque vestigium remansit in corde regis : ut referentibus aliis, **628** posset reminisci eorum quæ viderat, et nequaquam cum deciperent mentientes.

(Vers. 4.) *Responderunt Chaldæi regi Syriace.* [a] Hucusque quæ lecta sunt, sermone narrantur Hebræo. Ab hoc loco usque ad visionem anni tertii regis Balthasar, quam Daniel vidit in Susis, Hebraicis quidem litteris, sed lingua scribuntur Chaldaica, quam vocat hic Syriacam.

(Vers. 5.) *Nisi indicaveritis mihi somnium et conjecturam ejus, peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur*, etc. Comminatus est pœnam, proponit et præmia : ut si potuerint somnium dicere, consequenter credat etiam his quæ incerta sunt, hoc est, quid significet somnium. Quod si non potuerint ea dicere, de quibus rex in plerisque confusus poterat recordari, etiam futuræ interpretationis perdant fidem. Denique sequitur.

(Vers. 9, 10.) *Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini.* [b] *Respondentes ergo Chaldæi coram rege dixerunt : Non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere*, etc. Confitentur magi, confitentur harioli, et omnis scientia sæcularis litteraturæ, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur prophetas Dei spiritu locutos, qui futura cecinerunt.

(Vers. 12, 13.) *Quo audito, rex in furore et ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia sapientes interficiebantur*, [c] etc. Quærunt Hebræi, cur Daniel et tres pueri non sint ingressi ad regem cum aliis sapientibus, et prolata sententia jubeantur perire cum cæteris. Quod ita edisserunt, ut eo tempore quo rex præmia et dona, et honorem maximum promittebat, ire noluerint, ne impudenter divitias et dignitatem Chaldaicam viderentur appetere. Aut certe ipsi Chaldæi invidentes gloriæ eorum et scientiæ, soli ingressi sunt, quasi soli præmia percepturi, et postea in periculo voluerint habere consortes quos in spe gloriæ refutaverant.

(Vers. 15.) *Et interrogavit eum qui a rege acceperat* **629** *potestatem, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa.* Scientes Chaldæi, quod decuplum super cunctos hariolos et magos qui erant in universa Chaldæa, Daniel et tres pueri saperent et intelligerent, celaverunt eos interrogationem regis, ne præferrentur sibi in interpretatione somnii. Et ob hanc causam interrogavit Daniel de crudelitate sententiæ, qui causam periculi sui nesciebat.

(Vers. 16, 17.) *Cum* [d] *ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Et ingressus est ad domum suam, Ananiæque et Misaeli, et Azariæ sociis suis indicavit negotium*, etc. Daniel tempus postulat : non quo tractatione et sagacitate mentis occulta perquireret ; sed quo occultorum Dominum precaretur. Et ideo Ananiam, et Misaelem, et Azariam jungit ad preces, ne solus de suo merito videatur præsumere : ut quorum erat commune discrimen, communis esset et oratio.

(Vers. 19.) *Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est.* Somnium regis suo discit somnio : immo et somnium, et interpretationem ejus, Dei revelatione cognoscit, quod dæmones ignorabant, sapientia sæculi scire non poterat. Unde et apostoli mysterium, quod cunctis retro generationibus fuerat ignoratum, Domino revelante, cognoscunt.

(Vers. 20.) *Et Daniel benedixit Deo cœli, et locutus, ait*, etc. Ad distinctionem eorum qui versantur in terra, et dæmoniacis artibus atque præstigiis terrena deludunt, Daniel Deo cœli benedixit. Dii enim qui non fecerunt cœlum et terram, peribunt.

(Vers. 21.) *Et ipse mutat tempora et ætates, et transfert regna atque constituit.* Non ergo miremur, si quando cernimus, et regibus reges, et regnis regna succedere, quæ Dei gubernantur et mutantur, et finiuntur arbitrio. Causasque singulorum novit ille qui conditor omnium est, et sæpe malos reges patitur suscitari, ut mali malos puniant : simulque subostendit, et generali disputatione præparat auditorem, somnium **630** quo vidit esse de mutatione et successione regnorum.

*Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam.* Juxta illud quod scriptum est : *Audiet sapiens, et apponet sapientiam* (*Prov.* I, 5). *Qui enim habet, dabitur illi* (*Matth.* XXV, 29) ; et animæ quæ fervet amore sapientiæ, libenter spiritus Dei infunditur. In perversam autem animam non introibit sapientia (*Sap.* III).

(Vers. 22.) *Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est.* Cui Deus revelat profunda, et potest dicere : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (*Rom.* XI,

[a] Amovimus hinc ad mss. nostrorum fidem subsequentes sacri textus versus, *Rex in æternum vive : Sic somnium servis tuis, et interpretationem ejus tibi indicabimus. Et respondens Rex ait Chaldæis : Sermo recessit a me :* qui perperam et contra S. Doctoris mentem subjungebantur, cum Syriace ipsimet scripti sint, atque adeo excludendi.

[b] Pro hisce verbis. *Respondentes ergo*, etc., mss. nostri hæc alia sacri textus substituunt, *Sermo quem tu, Rex, quæris, gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.*

[c] Addunt mss. nostri, *quærebaturque Daniel et socii ejus ut perirent.*

[d] Priora hæc verba, *Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli :* tum integer alter versus, *Et ingressus est ad domum suam*, etc., in mss. nostris non habentur.

33), iste, habitante in se Spiritu, scrutatur etiam profunda Dei, et in profunda animæ suæ fodit altissimos puteos, et omnem terram egerit, quæ profundas aquas operire consuevit : servatque mandatum Dei, dicens : *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fonte* (*Prov.* v, 15). Quodque sequitur : *Novit in tenebris constituta, et lux cum eo est* : tenebræ significant ignorantiam, et lux scientiam atque doctrinam. Itaque Deum ut perversa non cælant, ita recta ambiunt, atque circumdant. Sive interpretandum est, quod tenebrosa mystica quæque et profunda significet, juxta illud quod legimus in Proverbiis : *Intelligit quoque parabolam, et tenebrosum sermonem*, hoc ipsum significat quod in Psalmis legimus : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Ps.* XVII, 12). Qui enim ad excelsa conscendit, et terrena deserens, instar avium tenuissimum aerem et ætherea quæque desiderat, iste nubes efficitur, ad quam veritas Dei pervenit, et quæ super sanctos pluere consuevit : repletusque multitudine scientiæ, habet multas aquas in corde suo tenebrosas et involutas caligine, quam solus Moyses ingreditur (*Exod.* XXXIII), et loquitur Deo facie ad faciem, de quo scriptum est : *Posuit tenebras latibulum suum* (*Ps.* XVII, 12).

(Vers. 23.) *Tibi Deus patrum* [a] *meorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi.* Ne sui videatur meriti, quod impetravit, refert ad patrum justitiam et ad veritatem Dei, qui seminis eorum etiam in captivitatem miseretur.

*Et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te*, etc. Quod quatuor rogant, uni **631** ostenditur : ut et arrogantiam fugiat, ne solus impetrasse videatur, et agat gratias, quod mysterium somnii solus audierit.

(Vers. 24.) *Sapientes Babylonis ne perdas. Introduc me in conspectum* [Vulg. *conspectu*] *regis, et solutionem regi narrabo*, etc. Imitatur clementiam Dei, qui pro persecutoribus deprecatur, et non vult eos perire propter quos fuerat ipse periturus.

(Vers. 25.) *Inveni hominem de filiis transmigrationis Judæ, qui solutionem regi annuntiet.* Dei gratiam ad suam refert diligentiam, et invenisse se dicit, cum Daniel ultro se obtulerit, ut introduceretur ad regem ; in quo [b] ἦθος ostenditur nuntiorum, qui cum bona nuntiant, sua videri volunt. Qui autem solutionem somnii repromittit, utique ante narraturus est somnium. Et nota quod de filiis Juda sit Daniel, non sacerdos, sicut in fine Belis fabula continet.

(Vers. 26.) *Putasne vere potes indicare mihi somnium quod vidi*, etc. Servat ordinem quæstionis, ut primum somnium quod se magi ignorare responderant, et postea interpretationem quærat somnii : ut cum somnium audierit, et quæ viderat recognoverit, tunc credat, et interpretationi, quæ variam recipit conjecturam.

(Vers. 27.) *Mysterium quod rex interrogat, sapientes, magi, et harioli, et haruspices non queunt indicare regi.* Pro haruspicibus, quod nos vertimus, in Hebræo GAZARENOS habet, quod solus Symmachus [c] θύτας interpretatus est, quos Græci solent ἡπατοσκόπους appellare : qui exta inspiciunt, ut ex his futura prædicant. Mysterium autem vocans ordinem somnii revelati, ostendit quidquid occultum est, et ab hominibus ignoratur, posse mysterium nuncupari. Tollit quoque regi pravam suspicionem, ne humana æstimet inveniri posse solertia quod Dei solius notitiæ reservatur.

(Vers. 28.) *Sed est Deus in cœlo revelans mysteria.* Frustra igitur ab hominibus quæris [*Al.* quærit] in terra, quod Deus solus novit in cœlo. Et occulte retrahens eum a multorum deorum cultu, ad unius Dei notitiam dirigit.

**632** *Qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sint* [Vulg. *sunt in*] *novissimis temporibus.* Absque adulationis vitio veritate sociata, blanditur ut regi : quod illi a Deo mysteria sint revelata quæ novissimis temporibus sint ventura. Novissimi autem dies, aut ex eo numerandi sunt tempore, quo Danieli somnium revelatum est, usque ad consummationem mundi. Aut certe hoc sentiendum, quod universa interpretatio somnii tendat ad finem, in quo imago [d] statuaque quæ cernitur, conterenda est.

*Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo, hujuscemodi sunt.* Non dixit, visiones oculorum tuorum : ne quid putaremus esse corporeum, sed capitis : *Sapientis enim oculi in capite ejus* (*Eccli.* II, 14) : in principali videlicet cordis, juxta illud quod in Evangelio legimus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Et : *Quid* [e] *cogitatis in cordibus vestris* (*Ibid.*, 4)? Alii vero ex hujus occasione capituli τὸ ἡγεμονικὸν non in corde, sed juxta Platonem in cerebro suspicantur.

(Vers. 29.) *Tu, rex, cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc.* Pro eo quod est, *post hæc*, soli LXX *dies novissimos* transtulerunt. Quod si ita legitur, sollicitius requiramus, ubi dies novissimi scripti sunt [*Al.* sint] ; et redarguamus eos qui mundum non putant esse periturum. Numquam enim dies appellarentur novissimi, si mundus esset æternus. Quodque dicitur : *Tu, rex, cogitare cœpisti,*

[a] Sic habent Vatican. et Palatin. mss. sicque olim ad Vulgatæ et Chaldaici textus exemplar Victorius restituit : ratus, haud scio tamen quam bono argumento, *nostrorum*, quod post Erasmum retinuit et Martianæus, de Theodotionis versione esse

[b] Pro ἦθος, Latine habet Vatic. *mos.* Palatin. *typus.*

[c] Vitiose antea obtinebat θυὰς, quod emendant mss. nostri, tametsi ΘΙΤΑC pro *θύτας* minus recta scriptura pari consensu præferant. Sic reponendum monuerat et Montfauc. ex scholio edit Rom. τῶν LXX in cap. IV, vers. 4 : Γαζαρηνοὺς δὲ τοὺς τὰς θυσίας λειτουργοῦντας, θύτας γὰρ ἀντὶ Γαζαρηνῶν Θεωδοτίων ἐξέδωκεν. Ubi Theodotionis nomen positum pro Symmacho ex Hieronymo intelligas ms. Sangerm. habet EAS, male. Mox quoque eorumdem ope mss. emendamus *prædicant*, cum esset antea corrupte *prædicent.*

[d] Idem mss. *imago statuæ quæ cernitur*, etc.

[e] Supplet Victor. *mala* ex Fesulano ms. et Vulgata.

indicat causas somnii : quod idcirco ei Deus futurorum mysteria revelarit, quia ipse rex voluerit scire ventura, et ut Nabuchodonosor divinæ inspirationis miretur gratiam, non [a] solum quid in somnio viderit, sed ante somnium quid tacitus cogitarit, exponit.

*Et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.* Illud quod in Evangelio legimus : *Qui solem suum oriri facit super malos et bonos* (*Matth.* v, 45), etiam super Nabuchodonosor intelligimus esse completum. Tanta enim est clementia omnipotentis Dei, ut etiam Nabuchodonosor dispensationis suæ qua mundum regit, **633** mysteria revelaret. Interrogemus eos qui diversas asserunt esse naturas, cujus naturæ Nabuchodonosor intelligant, bonæ an malæ. Si bonæ : cur impius dicitur? Si malæ (ut certum est) cur malo atque terreno, id est, χοϊκῷ sua Deus sacramenta monstravit?

(Vers. 30.) *Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plusquam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est : sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires.* Putaverat rex notitiam futurorum solertia mentis humanæ posse comprehendi ; et ideo sapientes Babylonis interfici jusserat. Ergo Daniel eos excusat qui dicere non potuerant, et ipse invidiam fugit, ne quis æstimet, cum quæ dicturus est propria dixisse sapientia. Causa autem revelationis propheticæ, regis est desiderium, qui voluit ventura cognoscere. Ergo honorat regem, quando propter illius scientiam sibi dicit a Deo mysteria revelata. Et hoc considerandum, quod somnia in quibus aliqua ventura signantur, et quasi per nubilum veritas demonstratur, non pateant conjectoribus et humanæ mentis arbitrio, sed Dei solius scientiæ.

(Vers. 31.) *Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis.* [b] Pro statua, id est ἀνδριάντι, quod solum interpretatus est Symmachus, cæteri *imaginem* transtulerunt, volentes hoc nomine similitudinem ostendere futurorum. Sequamur interpretationem propheticam, et Danielis verba [c] interpretantes, quæ ab illo breviter dicta sunt, latius exponamus.

(Vers. 38.) *Tu es ergo caput aureum.* Caput, inquit, aureum tu es, rex. Per quod ostenditur primum regnum Babylonium auro pretiosissimo comparatum.

(Vers. 39.) *Et post te consurget regnum aliud, minus te, argenteum* [Vulg. tacet]. Medorum videlicet atque Persarum, quod argenti habet similitudinem, minus priore, et majus sequente.

*Et regnum tertium æneum* [Vulg. *æreum*], *quod imperabit universæ terræ.* Alexandrum significat, et regnum Macedonum, successorumque Alexandri. Quod recte æneum dicitur : inter omnia enim metalla æs vocalius est, et tinnit clarius, et sonitus ejus longe lateque diffunditur, **634** ut non solum famam et potentiam regni, sed et eloquentiam Græci sermonis ostenderet.

(Vers. 40.) *Et regnum quartum erit veluti ferrum : quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc*, etc. Regnum autem quartum, quod perspicue pertinet ad Romanos, ferrum est quod comminuit et domat omnia. Sed pedes ejus et digiti ex parte ferrei, et ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine rerum nihil [d] imbecillius : quando et in bellis civilibus, et adversum diversas nationes, aliarum gentium barbararum indigemus auxilio. In fine autem horum omnium regnorum auri, argenti, æris et ferri, abscissus est lapis, Dominus atque Salvator, sine manibus, id est, absque coitu et humano semine, de utero virginali, et contritis omnibus regnis, factus est mons magnus, et implevit universam terram : quod Judæi et impius Porphyrius male ad populum referunt Israel, quem in fine sæculorum volunt esse fortissimum, et omnia regna conterere, et regnare in æternum.

(Vers. 45.) *Deus magnus ostendit regi quæ futura sunt postea : et verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus.* Rursum revelationem somnii, non sui dicit meriti, sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et doceret regem, quod Deus solus esset colendus.

(Vers. 46.) *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit : et hostias, et incensum præcepit ut sacrificarent ei.* [e] *Loquens ergo rex ait Danieli.* Hunc locum calumniatur Porphyrius, quod numquam superbissimus rex captivum adoraverit, quasi non et Lycaones ob signorum magnitudinem Paulo et Barnabæ voluerint hostias immolare. Error ergo gentilium, qui omne quod supra se est, deos putant, Scripturæ non debet imputari (*Actor.* xiv), quæ simpliciter refert universa quæ gesta sunt. Sed et hoc possumus dicere, quod causas adorandi et immolandarum hostiarum, et incensi atque sacrificii ipse rex exposuerit, dicens ad Danielem :

**635** (Vers. 47). *Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria, quoniam potuisti aperire hoc sacramentum.* Ergo non tam Danielem, quam in Daniele adorat Deum, qui mysteria revelavit. Quod et Alexandrum magnum regem Macedonum, in Pontifice Joiada fecisse [f] legimus. Quod

[a] Idem *non enim* pro *non solum* ex quatuor mss. reposuit.

[b] Sex alios integros sacri textus versus subjungunt nostri mss. Porro pro ἀνδριάντι ab ἀνδριὰς nomine, antea legebatur ἀνδριάντη. Ms. Sangerm. *pro* ἀνδριάντε : quæ, inquit Montfauc., si vera lectio sit, sane Hieronymus voci Græcæ terminationem Latinam dederit, ut cum præpositione *pro* quadraret. Palatinus posteriorem hic manum expertus *andriante* præfert Latinis litteris.

[c] Vatic. et Palat., *calcantes.*

[d] Confer Præfationem libri xi in Ezechielem.

[e] Rectius in Vatic. et Palat. mss. verba, *Loquens ergo rex ait Danieli*, desiderantur.

[f] Et est quidem iterum lectu dignissima apud Josephum Antiquitt. lib. xi, cap. 8, num. 5, facti ejus historia ; et cumprimis Alexandri responsum ad Parmenionem : οὐ τοῦτον προσεκύνησα, τὸν δὲ Θεὸν, οὗ τῇ ἀρχιερωσύνῃ αὐτὸς τετίμηται. *Non hunc adoravi, sed Deum, cujus ille summo sacerdotio decoratus est.*

si displicet hoc, dicendum est Nabuchodonosor signorum magnitudine et stupore confusum, quid faceret ignorasse, ut qui Dominum verum intelligebat et Dominum regum, et servum ejus adoraret, et illi adoleret incensum.

(Vers. 48.) *Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera magna, et multa dedit ei,* [a] *et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis*, etc. Et in hoc calumniator Ecclesiæ prophetam reprehendere nititur, quare non recusarit munera, et honorem Babylonium libenter susceperit : non considerans ideo regem vidisse somnium, et interpretationis mysteria per puerum revelata, ut Daniel cresceret, et in loco captivitatis princeps omnium fieret Chaldæorum, et Dei omnipotentia nosceretur. Quod quidem et in Joseph apud Pharaonem et Ægyptum factum legimus (*Gen.* XLI) : et in Mardochæo apud Assuerum (*Esther*, VIII), ut in utraque gente haberent captivi et [b] peregrinantes Judæi solatia, videntes hominem gentis suæ Ægyptiorum esse principem vel Chaldæorum.

(Vers. 49.) *Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis Sedrach, Misac, et Abdenago. Ipse autem Daniel erat in foribus regis.* Non obliviscitur eorum cum quibus Dominum deprecatus est, et qui secum periclitati fuerant. Itaque facit eos judices provinciárum : ipse autem a regis latere non recedit [*Al.* recessit].

(Cap. III. — Vers. 1.) *Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex.* Velox oblivio veritatis, ut qui dudum servum Dei, quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statua. Quod autem aurea **636** [c] sit, et infiniti ponderis, illud in causa est, ut stuporem videntibus creet, et res inanimata adoretur ut Deus, dum unusquisque suam consecrat avaritiam. Datur autem per occasionem captivorum barbaris nationibus salutis occasio (*Coloss.* III) : ut qui primum per Danielis revelationem potentiam cognoverant unius Dei, in trium puerorum quoque fortitudine discant mortem contemnere [*Al.* debere contemni], et idola non colere.

(Vers. 1.) *Et statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis.* Pro *Dura*, Theodotio, *Deira*, Symmachus [d] *Durau*, LXX περίβολον transtulerunt, quod nos *vivarium* vel *conclusum* locum dicere possumus.

(Vers. 2.) *Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus et judices, duces et tyrannos, et præfectos* [e] *omnesque principes regionum.* Excelsa periculosius stant, et citius corruunt quæ sublimia sunt. Principes congregantur ad adorandum statuam, ut per principes seducantur et gentes. Qui enim divites sunt et potentes, dum timent carere divitiis et potentia, facilius supplantantur. Seductis autem magistratibus, subditi populi majorum exemplo pereunt.

(Vers. 4, 5.) *Et præco clamabat valenter : Vobis dicitur, populis, tribubus et linguis, in hora qua audieritis sonitum tubæ*, etc. Non quo omnes populi universarum nationum in campo Dura potuerint congregari, et adorare statuam auream, sed quo in principibus cunctarum gentium, omnes gentes et populi adorasse credantur. Omnem Scripturam sanctam mente percurrens (nisi tamen me fallit oblivio) nequaquam reperio, quod sanctorum quisquam Deum cadens adoraverit : sed quicumque idola, et dæmones, et res illicitas adoraverit, cadens dicitur adorare, ut in præsenti loco non semel, sed crebrius. Et in Evangelio diabolus loquitur ad Dominum : *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Sed et hoc dicendum : omnes hæreticos qui fulgore eloquentiæ sæcularis falsum dogma componunt, auream statuam facere, et **637** quantum in se est, persuasione compellere, ut cadentes adorent idolum falsitatis.

(Vers. 7.) *Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ*, etc. Eodem sensu accipiendum quo supra, ut omnes populos intelligamus in principibus. Neque enim adesse universæ simul poterant nationes.

(Vers. 8.) *Statimque et ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos*, etc. Quos præpositos in Babylone regis operibus invidebant, et offendebantur peregrino cultu, et aversione idolorum, nacti occasionem criminantur ad regem. Denique sequitur :

(Vers. 12.) *Sunt ergo viri Judæi quos constituisti super opera regionis Babyloniæ, Sedrach, Misac, et Abdenago, qui contempserunt decretum* [Vulg. *viri isti contempserunt, rex, decretum*] *tuum.* Et quodammodo sic loquuntur : Quos prætulisti nobis, et captivos ac servos principes esse fecisti, hi elati in superbiam, tua præcepta contemnunt, deos tuos non colunt, et statuam auream quam erexisti, non adorant. Quod in principio hujus visionis diximus, hic manifestius approbatur, alios esse deos Nabuchodonosor, et aliam statuam auream quam in cultum sui jussit erigi : nam et in consequentibus ipse rex loquitur :

*Deos meos non colitis, et statuam auream quam constitui, non adoratis?* etc. Alii hanc dicunt Scripturæ sanctæ consuetudinem, ut unum idolum appellet pluraliter, ut est illud in Exodo de vitulo : *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII, 4). Et in Regum volumine, Jeroboam ponens aureum

[a] Reliquum versiculum mss. nostri sufficiunt.
[b] Iidem mss., *peregrinantes ex Judæis.*
[c] Victor. *fit*, ex tribus Florentiæ mss. excudit.
[d] Antea erat *Duraum*, sicque revera et unus e nostris mss. præferebat. Placuit vero Montfauconii sententia, qui putat factum *m* ex lineola, quæ in antiquiss. Sangermanens. supraponitur *Durau*, cum tamen accentum ibi indices, non *m*. Verterit Symmachus Δουραῦ, Theod. Δειρᾶ, Vatic. mss. : *Theodotio*, ΔΕΙΡΑ ; *Sym.*, ΔΥΡΥΜ.
[e] Verba *omnesque principes regionum*, Vatic. et Palat. mss. supplent.

vitulum in Bethel, idola fecisse narratur (III *Reg.* xii). E contrario multa dæmonia singulari numero appellantur, ut in Isaia : *Inclinat se, et adorat illud, et votum faciens dicit : Deus meus es tu* (*Isai.* xliv, 17).

(Vers. 14.) *Prosternite vos, et adorate statuam quam feci.* Quamquam in furore præceperit adduci pueros, tamen dat spatium pœnitudinis, ut si ceciderint et adoraverint, prior culpa veniam consequatur : sin autem adorare contempserint, præsens pœna sit fornacis ardentis.

(Vers. 15.) *Et quis est deus qui eripiat vos de manu mea?* etc. Ille videlicet cujus servum dudum adorasti, quem vere Deum deorum, et Dominum regum esse dixisti.

**638** (Vers. 16.) *Nabuchodonosor rex, non oportet nos de hac re respondere tibi.* In Hebræo non habet *regem*, [a] sicut in LXX, ne adulari viderentur impio, aut regem vocare eum qui ad iniqua compelleret. Quod si quis contentiosus *regem* quoque legerit : dicemus eo non procaciter regem ad effusionem sui sanguinis provocare, sed ita reddere regi honorem debitum, ut Dei cultus non lædatur. Quod autem aiunt : *Non oportet nos de hac re respondere tibi.* Ille sensus est : non debes audire verba, quorum jam rebus ipsis probabis fortitudinem atque constantiam.

(Vers. 17.) *Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis et de manibus tuis, o rex, liberare.* Unde se putaverat terrere pueros, inde cernit in eis materiam fortitudinis. Nec in longum differunt, sed in præsens sibi pollicentur auxilium dicentes : Ecce enim Deus noster quem colimus, ipse nos et de eo, quod minaris incendio, et de tuis potest manibus liberare.

(Vers. 18.) *Quod si noluerit :* Pulchre ad id quod dixerant : *Potest eripere nos*, non intulit contrarium, *si non poterit*, sed *si noluerit :* ut non impossibilitatis Dei, sed voluntatis sit, si perierint.

*Notum tibi sit, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus.* Sive *statuam*, ut Symmachus, sive *imaginem auream*, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices et principes sæculi, qui imperatorum statuas adorant, et imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. Et notanda proprietas, deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit.

(Vers. 19.) *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore,* [b] *et aspectus faciei illius commutatus est.* In quibusdam psalmis tituli prænotantur : *Pro his qui commutabuntur.* Sermo igitur commutationis ambiguus est, et de bono in malum, et de malo in bonum. Neque enim commutatio vultus Nabuchodonosor bonæ parti poterit coaptari. Licet quidam et inscriptionem Psalmorum de bono ad malum referant : quod hi qui naturaliter debuerant intelligere Deum, contra **639** Christum et sanctos ejus perturbatione mentis et furore mutati sunt.

(Vers. 20.) *Et præcepit ut succenderetur fornax septuplum, quam incendi consueverat :* [c] *et viris fortissimis de exercitu suo jussit ut ligatis pedibus Sedrach, Misac, et Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis.* Quasi non posset simplex et solitus ignis trium puerorum consumere corpora : sed furor et ira quæ insaniæ proxima est, modum tenere non potest. Et vult eos multiplicis pœnæ comminatione terrere, quos paratos videbat ad mortem.

(Vers. 21.) *Et confestim viri illi vincti* [d] *braccis suis, et tiaris, et calciamentis, et vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis*, etc. Pro *braccis* (סרבל) quas Symmachus ἀναξυρίδας interpretatus est, Aquila et Theodotio *saraballa* dixerunt : et non ut corrupte legitur [e] *sarabara.* Lingua autem Chaldæorum *saraballa crura* hominum vocantur et *tibiæ :* et ὁμωνύμως etiam *braccæ* eorum quibus crura teguntur et tibiæ, quasi *crurales* et *tibiales* appellatæ sunt. Tiara autem verbum Græcum est, et usu versum in Latinum ; de quo et Virgilius (*Æneid.* vii) :

Sceptrumque sacerque tiara.

Est autem genus pileoli quo Persarum Chaldæorumque gens utitur.

(Vers. 22.) *Porro viros illos qui miserant Sedrach, Misac, et Abdenago, interfecit flamma ignis.* Eos viros scilicet de quibus supra dixerat : *Et viris fortissimis de exercitu suo jussit ut, ligatis pedibus Sedrach, Misac, et Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentem* [Al. *ardentis*]. Non ergo fortuito quoscumque ministros perdidit Nabuchodonosor, sed viros fortes de toto exercitu suo et ad bella promptissimos : ut non solum miraculum [*Al.* miraculo] pertimesceret, sed exercitus sui damna sentiret.

(Vers. 23.) *Viri autem hi tres* [Vulg. addit *id est*] *Sedrach, Misac, et Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, et benedicentes Domino.*

[a] Verba *sicut in* LXX. mss. nostri non agnoscunt.

[b] Hæc vero, *et aspectus faciei illius commutatus est :* iidem mss. sufficiunt.

[c] Quæ hinc subsequitur, sacri textus pericopen mss. nostri ignorant, nec eam subnexa postulat expositio.

[d] Iidem mss. et Vulg., *cum braccis.*

[e] Corruptum Σαράβαρα est τῶν LXX, Pollucis, Hesychii, Photii, aliorumque. Rectum σαράβαλα Aquilæ, Theodotionis atque Arabum. Nec est cur vocis originem, quam a Persica lingua plerique derivant, altius repetamus. Monuerat Drusius minus recte scriptum esse in Hieronymo *Sarabulla* cum *l* duplici, cum unicum dumtaxat sit in scriptura Chaldaica, סרבלא. Conferi quæ annotavimus epistola prima ad Innocentium num. 9. Nam ex varia hujus vocabuli scribendi ratione varia etiam orta interpretatio est. Isidorus lib. xix, c. 23, refert, aliis significare *teymina capitum*, aliis *fluxa ac sinuosa vestimenta*, quod et ipsi placet.

*Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in* **640** *medio ignis ait* : Grande miraculum, ligati mittuntur in fornacem, et cadunt in medium ignis præcipites : ardent vincula quibus ligati sunt, et vinctorum corpora timens flamma non tangit. Hucusque Hebræi legunt : media quæ sequuntur usque ad finem Cantici trium puerorum, in Hebraico non habentur : de quibus ne omnino præterisse videamur, pauca dicenda sunt.

(Vers. 26.) *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabile* [Al. *laudabilis*] *et gloriosum nomen tuum in sæcula, quia justus es in omnibus quæ fecisti nobis* [Vulg. *in nobis*], [a] etc. Quando diversis premimur angustiis, ex toto cordis hoc loquamur affectu, et quidquid nobis acciderit, juste nos sustinere fateamur, ut compleatur in nobis illud quod scriptum est : *Exsultaverunt et lætatæ sunt filiæ Judæ in omnibus judiciis tuis, Domine* (*Ps.* xcvi, 8).

(Vers. 29.) *Peccavimus enim et inique egimus recedentes a te, et deliquimus in omnibus.* Et certe tres pueri non peccaverant, nec ejus ætatis erant quando ducti sunt in Babylonem, ut propter sua vitia punirentur. Ergo quomodo hi ex persona populi loquuntur : sic illud Apostoli legendum est : *Non enim quod volo, hoc ago : sed quod nolo, illud operor* (*Rom.* vii, 19), et cætera quæ in eodem loco scripta sunt.

(Vers. 37.) *Quoniam, Domine, imminuti sumus plusquam omnes gentes, et sumus humiles in universa terra hodie propter peccata nostra, et non est in tempore hoc princeps, et Propheta, et dux,* [b] etc. His versiculis utendum est, si quando Ecclesiæ propter peccata populi, sanctorum virorum et magistrorum qui in lege Dei doctissimi sunt, sustinent penuriam, et quando in persecutionibus non offertur sacrificium et oblatio. Quidam hunc locum et ad cœlestem referunt Jerusalem, quod animæ ad terrena delapsæ, et in loco lacrymarum et confusionis positæ, plangant antiqua delicta, et cætera quæ prophetalis sermo complectitur ; sed hæc non recipit Ecclesia Dei.

(Vers. 39.) **641** *Sed in anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum*, etc. Et ex præsenti loco, et ex eo quod sequitur : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino.* Et in Psalmis : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Ps.* l, 19), sunt [c] qui alium velint esse spiritum in homine, excepto Spiritu sancto, et aliam animam. Sed laborandum eis erit, quomodo absque carne et gratia Spiritus sancti duæ substantiæ, et duo interiores homines in uno homine esse dicantur.

(Vers. 46.) *Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem naphtha, et stupa.* Sallustius [d] scribit in historiis, quod naphtha sit genus fomitis apud Persas quo vel maxime nutriantur incendia. Alii ossa olivarum quæ projiciuntur cum amurca arefacta, *naphthan* appellari putant : unde et Græce πυρίνη dicitur ab eo quod πῦρ, id est, ignem nutriat.

(Vers. 49.) *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace*, etc. Oppressa perturbationibus anima, et variis molestiis occupata, cum hominum desperaverit auxilium, et tota ad Dominum fuerit mente conversa, descendit ad eam angelus Domini, scilicet, sermo divinus, et excutit flammæ æstuantis ardores : ut nequaquam ignita jacula inimici cordis nostri arcana penetrent, nec illius fornace claudamur.

(Vers. 57, 58.) *Benedicite, omnia opera Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. Be-*

[a] Addunt nostri mss., *et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos.*

[b] Hic quoque addunt, *neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam.*

[c] Plotinus, et post eum Apollinarius episcopus ejusmodi stultam sententiam effutierunt, hominem scilicet ex tribus substantiis compositum fuisse, ex carne, anima et spiritu, sive ut Nemesius refert in lib. de Nat. Hom. cap. 1, ex anima, corpore et intelligentia. Sed et Didymum quoque reprehendit S. Augustinus lib. de Eccl. Dogm. cap. 20, quod spiritum, tertium quidpiam in hominis substantia esse opinatus est. Recole Hieronymi nostri epist. ad Hedibiam quæst. 12. Quod hic subdit *excepto Spiritu sancto*, Catholicam infert doctrinam, *in hominibus scilicet justis præter animam inhabitare Spiritum sanctum.*

[d] Minus, opinor, recte nostri mss. *Napta* legunt, aut *Naptha*. Porro quod ait, in Sallustii historiis de hac fomitis specie scribi, nulla hodie, neque in fragmentorum collectione superest mentio. Jacturam sarcire poterunt auctores alii, quos inter luculentissime Ammianus Marcellin. cui *Oleum medicum* dicitur lib. xxiii : « In hac, ait, regione oleum conficitur Medicum, quo illitum telum, si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) hæserit usquam, tenaciter cremat : et si aqua voluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum : nec remedio ullo quam jactu pulveris consopitur. Paratur autem hoc modo : Oleum usus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad diuturnitatem servantes, et coalescens durant ex materia venæ naturalis similis oleo crassiori. Quæ species gignitur apud Persas, quam, ut diximus, Naphtham vocabulo appellavere gentili. » Et rursum eodem libro. « Hic et Naphtha gignitur, picea specie glutinosa, similisque ipsa quoque bitumini : cui etiamsi avicula insederit brevis, præpedito volatu, submersa penitus evanescit, et cum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inveniet humana mens, præter pulverem, exstinguendi commentum. » Plinius quoque lib. II, *c.* 195, cum de limo quem Malthan vocant, dixisset, subdit : « Similis est natura Naphthæ, ita appellatur circa Babyloniam, et in Austagenis Parthiæ, profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam. Ita ferunt, a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat corona igne rapta. » His addas e Græcis Strabonem lib. xvi, ubi ex Eratosthene, Asphalti tradit alteram esse speciem, quam *Naphtham* vocant, ejusque admirabilem vim flammeam describit. Sed et Plutarch. in Alexandro, Xiphilinus ex Dione, Dioscorides lib. I, Procopius lib. v de Bello Vandal., Suidas non uno in loco, aliique de *Naphtha* loquuntur, quos describere non vacat.

*nedicite, angeli Domini, Domino: laudate et superexaltate*, etc. Generali laudatione præmissa, quod omnis creatura debeat laudare Dominum, in consequentibus per partes singulas cohortatur **642** angelos et cœlos, aquas atque virtutes, solem et lunam, imbrem et rorem, spiritum, ignem et æstum, frigus et cauma, et cætera quæ longum est texere: ita ut fontes quoque et maria, et cete et volucres, bestiasque et pecora ad laudem Domini provocet, et filios hominum, et post omne hominum genus Israelem, et de ipso Israel sacerdotes et servos Domini, spiritus animasque justorum, sanctos et humiles corde: Et ad extremum Ananiam, Azariam, Misaelem, qui ad laudem Domini præsenti beneficio provocantur. Omnis autem creatura non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur.

(Vers. 87.) *Benedicite, sancti et humiles corde*, etc. Humilitatem cordis habere, et præsens versiculus docet, et illud quod in Evangelio dicitur: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Mat.* XI, 29). Cordis autem illa est humilitas, quæ in alio loco paupertas spiritus appellatur: ut non erigamur superbia, nec ficta gloriam humilitate quæramus: sed toto corde inclinemur. Hucusque de Theodotionis editione pauca perstrinximus, confessionis et laudum trium puerorum quæ non habentur in Hebræo: exinde sequamur Hebraicam veritatem.

(Vers. 91.) *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere, et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos.* Punitis principibus, rex corripitur, ut vivens glorificet Deum. Interrogat autem optimates suos, quorum accusatione et consilio tres pueros in ignem fornacis miserat, ut, illis respondentibus se misisse tres pueros in fornacem, iste eis [a] nuntiet et ostendat.

(Vers. 92.) **643** *Qui respondentes regi dixerunt: Vere rex. Respondit rex* [Vulg. tacet *rex*], *et ait: Ecce ego video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio ignis: et nihil corruptionis in eis est, et species quarti* [b] *similitudo filii Dei.* Rursum dicam: O quam sapiens ignis, quam inenarrabilis Dei potentia: vinculis stricta sunt corpora, uruntur vincula, corpora non uruntur. Speciem autem quarti quem similem dicit filio Dei, vel angelum debemus accipere, ut Septuaginta transtulerunt, vel certe, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. Sed nescio quomodo rex impius Dei Filium videre mereatur. Ergo juxta Symmachum qui interpretatus est: *Species autem quarti similitudo filiorum*, non Dei, sed deorum; angeli sentiendi sunt, qui et dii, et deorum vel Dei filii sæpissime nuncupantur. Hoc juxta historiam. Cæterum in typo præfigurat iste angelus sive filius Dei Dominum nostrum Jesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausæ, et peccatorum et justorum animæ tenebantur, ut absque exustione, et noxa sui eos qui tenebantur inclusi mortis vinculis liberaret.

(Vers. 93.) *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, et ait: Sedrach, Misac, et Abdenago servi Dei excelsi, egredimini et venite. Statimque egressi sunt Sedrach, Misac, et Abdenago de medio ignis.* Pavore perterritus, non per nuntios quærit a pueris, sed ipse eos ex nomine vocat, servos Dei excelsi appellans, et petens ut ad se egrediantur quos vinctos in fornacem miserat.

(Vers. 95.) *Benedictus Deus* [Vulg. addit *eorum*] *Sedrach* [Vulg. addit *videlicet*], *Misac, et Abdenago, qui misit angelum suum, et eruit servos suos qui crediderunt in eum*, etc. Quem supra filium Dei, hic angelum vocat, quamquam [*Al.* qui] in superioribus similitudo filii Dei non veritas appellata sit. Rursum ergo Nabuchodonosor Dei confessionem recipit, et damnatis idolis laudat tres pueros, qui noluerunt servire et adorare omnem Deum, excepto Deo suo, et miratur quod sanctos Dei ignis tangere non potuerit. Quod autem ait:

(Vers. 96.) *A me ergo propositum* [Vulg. *positum*] *est hoc decretum: ut omnis populus, tribus et lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sedrach, Misac, et Abdenago*, **644** *dispereat, et domus ejus vastetur. Neque enim est Deus alius qui possit ita salvare.* Quidam pessime ad diabolum referunt, quod in consummatione, et fine mundi etiam ipse recipiat notitiam Dei, et omnes ad pœnitentiam cohortetur, et hunc volunt esse regem Ninive qui novissime descendit de throno superbiæ, et humilitatis præmia consecutus sit.

(Vers. 97.) *Tunc rex promovit Sedrach, Misac et Abdenago in provincia Babylonis.* Qui dicunt supra tres pueros non judices provinciarum, sed præfectos operum singulorum fuisse in Babylone, hic volunt etiam eos provinciarum judices constitutos.

(Vers. 98 seqq.) *Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in universa terra: pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus: placuit ergo mihi prædicare ejus signa, quia magna sunt, et mirabilia ejus, quia fortia, et regnum ejus, quia* [Vulg. tacet *quia*] *regnum sempiternum, et potestas ejus in generatione et generationem.* Epistola Nabuchodonosor in prophetæ volumine ponitur: ut non fictus ab alio postea liber sicut sycophanta (*Porphyrius*) mentitur, sed ipsius Danielis esse credatur.

(Cap. IV. — Vers. 1.) *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo.* Historia quidem manifesta est et non magna interpretatione indiget, quod ad offensam Dei Nabuchodonosor versus in amentiam, septem annis inter bruta animalia vixerit, et herbarum radicibus alitus sit,

[a] Victorius, *quartum* hic interserit, sive *eis quartum nuntiet*, etc. Sed mss. minime suffragantibus.

[b] Victor., *similis filio Dei* ad Vulgatæ lectionem, subnexa expositione tantum non renuente.

ac postea misericordia Dei restitutus in regnum, laudaverit et glorificaverit regem cœli, quia omnia opera ejus vera; et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare. Sed qui volunt per Nabuchodonosor contrariam intelligere fortitudinem, de qua Dominus loquitur in Evangelio: *Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo* (*Luc.* x, 18). Et Joannes in Apocalypsi, quod draco cadens in terram, tertiam partem stellarum secum traxerit (*Apoc.* xii). Et Isaias: *Quomodo cecidit lucifer, qui mane oriebatur* (*Isai.* xiv, 22)? asserunt nequaquam potuisse fieri, ut feno per septem annos vesceretur homo qui nutritus est in deliciis, et septem annis absque ulla laceratione corporis sui, inter bestias vixerit. Et quomodo amenti homini per septem annos **645** imperium reservatum sit, regnumque potentissimum absque rege tanto tempore fuerit: aut si alius illi successerit in regnum, cujus vecordiæ æstimandus sit, ut cederet imperio, quod tanto tempore possidebat: præsertim cum historiæ Chaldæorum nihil tale contineant; nec potuisse fieri, ut qui de minoribus scripserant, majora reticerent. Hæc autem omnia [a] quærunt et replicant: ut cum historia non steterit, per Nabuchodonosor diabolus significetur. Quod nos nequaquam recipimus, ne omnia quæ legimus, umbræ videantur et fabulæ. Quis enim amentes homines non cernat instar brutorum animantium in agris vivere locisque sylvestribus? Et ut cuncta præteream, cum multo incredibiliora, et Græcæ et Romanæ historiæ accidisse hominibus prodiderint; Scyllam quoque et Chimeram, Hydram, atque Centauros, aves et feras, flores et arbores, stellas et lapides factos ex hominibus narrent fabulæ: quid mirum est si ad ostendendam potentiam Dei, et humiliandam regum superbiam, hoc Dei judicio sit patratum? Quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo, sive *in throno*, ut interpretatus est Theodotio. Domum autem diaboli, qui sensum sequuntur contrarium, mundum istum intelligunt. De quo et in Evangelio ipse loquitur ad Salvatorem: *Hæc omnia mihi tradita sunt* (*Matt.* iv, 9). Et Apostolus dicit: *Mundus in maligno positus est* (I *Joan.* v).

(Vers. 2.) *Somnium vidi quod perterruit me: et cogitationes meæ in stratu meo*, etc. Respondeant quale somnium viderit contraria fortitudo: nisi forte omne quod in hoc mundo habere videtur, umbra et somnium est.

*Et visiones capitis mei conturbaverunt me.* Nota quod et Nabuchodonosor visiones non oculorum et cordis, sed capitis noverit: quia propter gloriam servorum Dei futurorum illi mysteria revelantur.

(Vers. 6.) *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel,* [b] *cui nomen Balthasar secundum nomen Dei mei.* Exceptis LXX **646** translatoribus, qui hæc omnia nescio qua ratione præterierunt, tres reliqui, [c] *collegam* interpretati sunt. Unde judicio magistrorum Ecclesiæ, editio eorum in hoc volumine repudiata est; et Theodotionis vulgo legitur, quæ et Hebræo, et cæteris translatoribus congruit. Unde et Origenes in nono Stromatum volumine asserit se quæ sequuntur ab hoc loco in propheta Daniele, non juxta Septuaginta interpretes, qui multum ab Hebraica veritate discordant, sed juxta Theodotionis editionem disserere.

*Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: et somnium coram ipso locutus sum*, etc. Pro eo quod hic dicitur, deorum sanctorum, lingua Chaldaica, qua scriptus est Daniel, legimus ELAIN CADISIN (אלהין קדישין), quod *Deos sanctos*, et non *Deum sanctum* significat, ut Theodotio interpretatus est. Nec mirum si erret Nabuchodonosor; et quidquid super se cernit, non Deum, sed deos arbitretur. Denique et in consequentibus: *Balthasar*, inquit, *princeps hariolorum, quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te.* Balthasar princeps hariolorum sive incantatorum, ut alii interpretati sunt. Non mirum si princeps hariolorum omnium constitutus sit, qui ad præceptum regis sapientiam didicerat Chaldæorum; et decuplum omnium sapientior fuerat inventus. Quæramus ab his qui in hac visione non recipiunt historiam, quis iste sit Nabuchodonosor qui somnium viderit; et quis Daniel qui somnium ejus edisserat, et ventura prædicat; et quomodo hic ipse Daniel, qui utique juxta eos, sancta intelligenda est fortitudo, a Nabuchodonosor princeps hariolorum ejus constituitur et collega appellatur?

(Vers. 7.) *Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia*, etc. Non solum de Nabuchodonosor rege Chaldæorum, sed de omnibus impiis propheta loquitur: *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani* (*Ps.* xxxvi, 35): qui non virtutum magnitudine, sed sua elevantur superbia: et ideo exciduntur, et corruunt. **647** Unde bonum est illud sectari quod Dominus docet in Evangelio: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Quod autem ait juxta Theodotio-

[a] Ita quibus utimur mss. et Vict. ex vetustioribus vulgatis præferunt. Martian. cum Erasm., *quærant et replicent.*

[b] Palat. Omisso reliquo versu, continuo subdit: *Cæteri similiter, exceptis LXX, qui hæc omnia nescio qua ratione præterierunt. Unde judicio*, etc.

[c] Non collegam, sed alterum, sive non ἑταῖρον sed ἕτερον legerunt veteres, et nominatim Chrysostomus ac Theodoretus. Estque illa interpretatio, sive quæ amicum aut collegam præfert, longiora Chaldaica veritate: quare visus est doctis viris Hieronymus codicibus usus parum emendatis, ut acciperet *collegam* pro *altero* sive ἑταῖρον pro ἕτερον in Græco legeret. Potuit vero Nabuchodonosor Danielem eo nomine collegam voluisse appellare, quia alter ipse et secundus a rege esset. Notum quippe illud Clementis Alexandr. effatum Cent. secundo ὁ δὲ ἑταῖρος ἕτερος ἐγώ. Denique Origenes homil. 18 in Numeros, *Relegamus ea quæ in Daniele scripta sunt de ipso Daniele, et tribus amicis ejus*: scripserat Græce ἑταίροις.

nem, τὸ κῦτος, id est, altitudo ejus, sive ἡ [a] κυρεία, ut postea ipse interpretatus est, id est, *dominatio*, pro quo nos vertimus, *aspectus ejus*, iidem contemptores historiæ calumniantur, quod nequaquam dominatio Nabuchodonosor regis orbem terrarum possederit. Neque enim Græcis et Barbaris, cunctisque Septentrionis et Occidentis nationibus imperavit, sed tantum Orientis provincias tenuit, id est Asiam; non Europam et Libyam. Ex quo intelligi volunt cuncta ad diabolum referenda esse : cum hæc omnia nos hyperbolice dicta debeamus accipere, ob superbiam regis impii, qui tantum gloriatur in Isaia (*Cap.* XIV), ut cœlum se tenere jactet, et orbem terrarum quasi nidum et ova volucrum.

(Vers. 10, 11.) *Et ecce vigil et sanctus de cœlo descendit, clamavitque fortiter, et sic ait : Succidite arborem, et præcidite ramos ejus*, etc. Pro *vigili* Theodotio ipsum Chaldaicum verbum posuit HIR, quod per tres litteras AIN, IOD et RES scribitur : significat autem angelos quod semper vigilent; et ad Dei imperium sint parati. Unde et nos crebris pernoctationibus imitamur angelorum officia. Et de Domino dicitur : *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel* (*Ps.* CXX, 4). Denique in consequentibus legimus, *In sententia vigilum*, hoc est, *angelorum, decretum : et sermo sanctorum et petitio*. Consuetudo autem Græci [b] Latinique sermonis ἴρεν vocat, quæ per multicolorem arcum ad terras descendere dicitur.

(Vers. 16.) *Tunc Daniel cujus nomen Balthasar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi hora una : et cogitationes ejus conturbabant eum. Respondensque rex ait : Balthasar, somnium, et interpretatio ejus, non conturbet te. Respondit Balthasar et dixit.* Tacitus intellexit Daniel somnium esse contra regem : et timorem cordis vultus pallore signabat : dolebatque pro eo qui ei plurimum honoris detulerat. **648** Et ne videretur insultare atque lætari contra hostem regem : denique detestatus id quod intelligebat, loquitur ad eum.

*Domine mi* [c], *somnium hoc his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit.* Videns ergo Nabuchodonosor eum metuere : ne sinistrum quid atque contrarium contra regem dicere videretur : cohortatur eum ut simpliciter et vere loquatur quod intelligit; nec quicquam metuat.

(Vers. 17.) *Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum*, etc. Absque regis injuria explicat veritatem : ut non eum superbiæ, sed potentiæ videatur arguere.

(Vers. 20.) *Et vinciatur ferro, et ære in herbis foris, et rore cœli conspergatur : et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora commutentur super eum.* Et supra similiter scriptum est. Quærunt ergo a nobis qui historiæ contradicunt : quomodo in vinculo ferreo et æreo fuerit Nabuchodonosor : aut quis eum vinxerit et compedibus alligaverit : cum perspicuum sit omnes furiosos, ne se præcipitent et alios ferro invadant, catenis ligari.

(Vers. 21, 22.) *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super Dominum meum regem : Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua*, etc. Austeritatem sententiæ, verborum temperat blandimentis : ut [*Al.* et] cum dura præcesserint, mitioribus repromissis relevet [*Al.* relevat] animum territi. Denique infert.

(Vers. 23.) *Regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem.* Unde hi qui historiæ contradicunt, et volunt diabolo reddi pristinam dignitatem, in hoc loco velificant : quod post tormenta, post efferationem, post herbarum et feni cibos, et septem annorum circulos, confiteatur Dominum, et sit qui prius fuerat. Qui respondere debent quomodo congruat, ut angeli qui numquam corruerant, eum rursus principem habeant qui per pœnitentiam sit reversus.

(Vers. 24.) *Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime*, **649** *et iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscat Deus delictis tuis.* Si prædixit sententiam Dei, quæ non potest immutari, quomodo hortatur ad eleemosynas et misericordias pauperum, ut Dei sententia commutetur? Quod facile solvitur Ezechiæ regis exemplo, quem Isaias dixerat esse moriturum (*Isai.* XXXVIII); et Ninivitarum, quibus dictum est : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (*Jonæ* III). Et tamen ad preces Ezechiæ, et Ninive, Dei sententia commutata est : non vanitate judicii, sed eorum conversione, qui meruere indulgentiam. Alioquin et in Jeremia loquitur Deus se mala minari super gentem (*Jer.* XVIII); et si bona fecerit, minas clementia commutare. Rursum bona agenti se asserit polliceri; et si mala fecerit, dicit se suam mutare sententiam : non in homines, sed in opera quæ mutata sunt. Neque enim Deus hominibus, sed vitiis irascitur : quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est. Dicamus et aliter : Fecit quidem Nabuchodonosor juxta Danielis con-

[a] Palat. ΚΥΡΙΩΤΕΣ, ex quo malim profecto reponi in textu κυριότης pro κυρεία, minus proprio minusque eleganti ad dominationem significandam vocabulo.

[b] Quasi nempe in Chaldæo scriberetur אור cum aleph, non עור cum hain. Veteres eam vocem interpretati sunt *splendorem*, aut *lucem*. Chrysostomus in hunc locum ἄρα, φησὶν εἶρ φῶς μέγα, καὶ λαμπήδονα. *Vide, Ir vocat lumen magnum et splendorem.* Et Suida εἶρ λαμπηδὼν, *Ir, splendor*. Unde et Nazianzenus, quamquam angelos significari quemadmodum et Hieronymus doceat, non tamen ut ille ex eo *quod semper vigilent*, sed ex eo quod luceant, exponit. Ipsum denique אור Jobi XXXVI, 30, vertunt LXX in vetustiore saltem Alexandrino exemplari τόξον, id est *arcum*, quem cœlestem, sive Iridem passim accipiunt loci ejus interpretes. Sed et in præsenti Danielis pro *Ir* Origenes *Irin* sive Ἶριν legit.

[c] Ad Vatic. et Palat. mss. fidem expunximus additum *rex*, quod et Victor. annotaverat in Vulgata, Chaldaico, Græcoque codicibus non haberi.

silium misericordias in pauperes; et idcirco usque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia: sed quia postea ambulans in aula Babyloniis, gloriatur et dicit: *Nonne hæc est Babylon* [a] *magna, quam ego ædificavi in domum regni; in robore fortitudinis meæ in gloria nominis mei?* bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.

*Forsitan ignoscet Deus delictis tuis*, Cum beatus Daniel præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et tamen sciendum quod si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur; multo magis aliis promittitur qui leviora peccata commiserunt. Legimus et in Jeremia præceptum populo Judæorum; ut orent pro Babyloniis; quia in pace eorum, sit pax captivorum.

(Vers. 28.) *Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo irruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, regnum tuum transiet* [Al. *transiit*] *a te; et ab hominibus ejicient te.* Arrogans gloriatio statim punitur a Domino. Et ideo non differtur sententia, ne videatur misericordia in pauperes minime profuisse. Sed statim ut locutus est per superbiam, perdidit regnum quod **650** ob eleemosynas fuerat reservatum.

(Vers. 29.) *Donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum.* Magna miseriæ consolatio, quando in tormentis positus, scit prospera secutura: quamquam Nabuchodonosor tanti furoris sit et amentiæ, ut malorum tempore, bonorum quæ ei Deus promiserat, non fuerit recordatus.

(Vers. 31.) *Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi: et sensus meus redditus est mihi.* Nisi oculos levasset ad cœlum, sensum pristinum non recepisset. Quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem.

*Et regnum ejus in generatione et generatione.* Si hoc quod in Scripturis dicitur, in generatione et generatione, simpliciter accipimus pro eo quod est, *in omnia futura tempora*, nulla quæstio est. Sin autem (ut sæpe diximus) generatio et generatio, duas generationes significat, Legis et Evangelii, quærendum est quomodo Nabuchodonosor Dei sacramenta cognoverit. Nisi forte hoc dicamus, quod postquam oculos ad cœlum levavit, et recepit pristinum statum, et exaltavit et benedixit Deum viventem in sempiternum, etiam hoc non ignoraverit.

(Vers. 32.) *Juxta voluntatem enim suam facit tam* [b] *in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ*, etc. Et hoc loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult, hoc facit: sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabuchodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit.

(Vers. 33.) *Et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regnum meum restitutus sum: et magnificentia amplior addita est mihi.* Ergo juxta eos qui historiæ contradicunt, omnes angelicæ fortitudines requisituræ sunt diabolum; et in tantam crescet potentiam, ut qui quondam adversus Deum superbierat, major futurus sit, quam fuit ante peccatum.

(Vers. 34.) *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare.* Intellexit Nabuchodonosor, quare septennii pœnas sustinuerit; et idcirco **651** se humiliatum, quia contra Deum superbierit.

(Cap. V. — Vers. 1.) *Balthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: et unusquisque secundum suam bibebat ætatem.* Sciendum est non hunc esse filium Nabuchodonosor, ut vulgo legentes arbitrantur; sed juxta [c] Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam, et Josephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor qui regnavit annis quadraginta tribus successisse in regnum ejus filium qui vocabatur Evilmarodach, de quo scribit Jeremias, quod in primo anno regni sui levaverit caput Joachin regis Judæ, et eduxerit eum de domo carceris (*Jerem.* LII). Refert idem Josephus, quod post mortem Evilmarodach, in regnum patris successerit filius ejus Neglisar: post quem rursum filius ejus [d] Labosordach: quo mortuo Balthasar filius ejus regnum tenuerit, quem nunc Scriptura commemorat: quo interfecto a Dario rege Medorum, qui Cyri regis Persarum avunculus fuit, et Cyro Persa (quæ duo regna Isaias (*cap.* XXI) ascensorem bigæ, cameli, et asini vocat) destructum esse imperium Chaldæorum. Quod quidem et Xenophon in Cyri majoris scribit infantia: et Pompeius Trogus, et multi alii qui barbaras scripsere historias. Hunc Darium in Græcis voluminibus quidam Astyagen [*Al.* Astyagea], alii Astyagis filium putant, et alio apud eos appellari nomine. *Unusquisque autem principum vocatorum juxta suam bibebat ætatem*: Sive ut cæteri interpretes transtulerunt: *Bibebat ipse rex vinum coram cunctis principibus quos vocaverat.*

(Vers. 2.) *Præcepit ergo jam temulentus, ut afferat*

[a] Pro *magna*, quam vocem sacer textus tacet, Victorius substituit *civitas*.

[b] Mss. nostri, *tam in cælo quam in terra*.

[c] Confer Berosi locum apud Josephum lib. I contra Appionem cap. 20. Hunc enim postremum regem, quem *Nabonidum* vocat Berosus, Balthasarem appellat Hieronymus, et filium Labosordachi facit, Berosus hominem quemdam dicit ex Babylone ex eadem gente. Sed et major infra dissensio inter utrumque est, quod hunc S. Doctor *interfectum a Dario rege Medorum*, dicit, *qui Cyri regis Persarum avunculus fuit*. Berosus autem septimo decimo Nabonidi anno Cyrum impetum in Babyloniam fecisse; unde fugatum Nabonidum inclusum fuisse in Busipensium civitate, atque inde expulsum impetrasse a victoris Cyri clementia, ut sibi daretur οἰκητήριον Καρμανίαν, *habitaculum in Carmania*, ibique τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διαγενόμενος ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ κατέστρεψε τὸν βίον, reliquum scilicet vitæ tempus exegit, in eaque provincia diem obiit supremum.

[d] Palat. constanter hunc vocat *Laborsedech*; Vatic., *Laborsardech*.

*rentur vasa aurea atque argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex*, etc. Tradunt Hebræi hujusmodi fabulam : usque ad septuagesimum annum, quo Jeremias captivitatem populi Judæorum dixerat esse solvendam, **652** de quo et Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium, fecerit grande convivium, insultans quodammodo spei Judæorum, et vasis templi Dei, sed statim ultio consecuta est. Quod autem Balthasaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sanctæ Scripturæ consuetudinem: qua patres, omnes proavi et majores vocantur. Et hoc considerandum, quod sobrius ista non faciat; sed temulentus, oblitusque pœnæ quæ Nabuchodonosor proavum illius consecuta est.

(Vers. 4.) *Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos, et argenteos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos.* Quanta stultitia! in aureis vasis bibentes, deos ligneos laudabant et lapideos. Quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus : videbantur enim rem Dei secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse: postquam autem humanis usibus divina contaminant, statim pœna sequitur post sacrilegium. Laudant autem deos suos, insultantes Deo Judæorum; quod illis victoriam tribuentibus, bibebant in vasis ejus. Juxta tropologiam, hoc dicendum est : quod omnes hæretici, et doctrina contraria veritati, quæ assumit verba prophetarum; et testimoniis divinæ Scripturæ abutitur ad sensum suum; et dat bibere his quos decipit, et cum quibus fornicata est : tollat vasa templi Dei, et inebrietur in eis : et non Deum cujus vasa sunt, sed deos laudet aureos et argenteos, et æneos, et ferreos, ligneosque et lapideos. Aurei mihi videntur [a] hi qui sæculari ratione compositi sunt. Argentei, qui habent eloquii venustatem, et rhetorica arte constructi sunt. Qui autem inferunt fabulas poetarum, et vetustis utuntur traditionibus, habentes inter se multam vel elegantiæ vel stultitiæ differentiam, **653** isti vocantur ænei et ferrei. Qui autem penitus inepta proponunt, lignei appellantur et lapidei. Quos omnes in duas partes Deuteronomium dividit, scribens : *Maledictus qui facit sculptile, et conflatile, opus manuum artificis, et ponit illud in abscondito* (*Deut.* XXVII, 15). Abscondunt enim omnes hæretici, et operiunt mendaciorum suorum dogmata, ut sagittent in obscuro rectos corde.

(Vers. 5.) *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ. Et rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Pulchre dixit : *In eadem hora*, sicut et supra legimus de Nabuchodonosor : *cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit;* ne ob aliud sibi illata supplicia, sed ob blasphemiam cognosceret. Videntur autem digiti in pariete scribere contra candelabrum : ne et manus, et id quod scribebatur, longius a lumine non parerent. Et scribunt in pariete aulæ regiæ, ut intelligat rex ad se pertinere quod scribitur.

(Vers. 6.) *Tunc facies regis commutata est*, etc. Et hic notandum propter eos psalmos qui habent titulos : *Pro his qui commutabuntur*, quod immutatio non solum sancti, sed et peccatoris quoque sit. Nam et in consequentibus legimus : *Rex Balthasar satis conturbatus est, et vultus illius immutatus est.*

(Vers. 7.) *Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos et haruspices*, etc. Oblitus eorum quæ Nabuchodonosor acciderant, antiquum et inolitum suæ gentis sequitur errorem : ut non Dei prophetam, sed magos, et Chaldæos et haruspices vocet.

*Purpura vestietur : et torquem auream habebit in collo.* Rem quidem facio ridiculam, ut in expositione prophetarum de verborum generibus quasi grammaticus disputem : sed quia a quodam nihil sciente, et omnia pollicente reprehensus sum, cur torquem genere feminino transtulerim, breviter annotabo, quod [b] Cicero et Maro torquem in genere feminino, Titus Livius masculino dixerint.

*Et tertius in regno meo erit*, etc. Vel tertius post me, vel unus ex tribus principibus, quos alibi τριστάτας legimus.

*Regina autem, pro re quæ acciderat regi et optimatibus ejus, domum convivii ingressa est*, etc. Hanc Josephus aviam Balthasaris, Origenes matrem scribunt: unde et novit præterita, quæ rex ignorabat. Evigilet ergo Porphyrius, qui eam Balthasaris somniatur uxorem, et illudit plus scire, quam maritum.

(Vers. 10.) *Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se.* Præter Symmachum, qui Chaldaicam veritatem secutus est, cæteri *spiritum Dei* interpretati sunt.

*Et in diebus patris tui sapientia et scientia inventæ sunt in eo*, etc. Patrem vocat Nabuchodonosor, ut supra diximus, proavum ejus, secundum consuetudinem Scripturarum. Imitanda autem est sancti viri et inter barbaros conversatio, cum regis avia vel mater pro virtutum magnitudine tantis eum laudibus elevet.

(Vers. 11.) *Ad quæ respondens Daniel ait coram rege : Munera tua sint tibi : et dona domus tuæ alteri da*, etc. Æmulemur Danielem, Regis dignitatem et munera contemnentem, qui absque pretio proferens veritatem jam illo tempore præceptum Evangelicum sequebatur : *Gratis accepistis, gratis date.* Alioqui, et tristia nuntiantem, indecens erat libenter dona suscipere.

(Vers. 19.) *Quos volebat, interficiebat, et quos volebat, percutiebat : quos volebat, exaltabat, et quos volebat, humiliabat.* Nabuchodonosor proavi ponit

[a] In iisdem Mss. *dii* pro *hi*.
[b] Invenias econtrario saltem apud Ciceronem exempla, ut est illud notissimum III Offic., 31, de Manlio, *qui, torque detracto, Torquati nomen invenit.*

exemplum : ut et Dei justitiam doceat, et propter superbiam etiam pronepotem similia sustinere confirmet. Si autem Nabuchodonosor quos volebat, interficiebat, et quos volebat, percutiebat; quos volebat, exaltabat, et quos volebat humiliabat : in hujuscemodi honoribus, et percussionibus, exaltatione et humiliatione, non est Dei providentia, nec præceptum : sed eorum voluntas percutiunt quos voluerint, et exaltant, et reliqua. Quod cum ita sit, quærendum est, quo sensu illud legatur : *Cor regis in manu Dei : quocumque voluerit, illud declinabit* (*Prov.* XXI, 1), nisi forte sanctum quemque dicamus **655** regem, cujus non regnat peccatum in mortali corpore, et cujus ideo servatur cor, quia in manu Dei est (*Rom.* VI). Quidquid autem in manu Dei Patris fuerit juxta Evangelium, nullus potest rapere ex ea et quicumque raptus fuerit, intelligitur in manu Dei non fuisse.

(Vers. 22.) *Tu quoque, filius ejus Balthasar, non humiliasti cor tuum cum scires hæc omnia : sed adversum dominatorem cœli elevatus est*, etc. Proavus tuus, quia elevatum est cor ejus et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui et gloria ejus ablata est et reliqua (*Jer.* IV). Et tu igitur cum hæc de parente cognovisses, et scires quod superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam, non debueras adversus dominatorem cœli elevare cor tuum, et insultare majestati illius, et ea facere quæ fecesti. Hunc locum quidam ad Antichristum referunt, quod imitatus patris sui diaboli superbiam, contra Deum erectus sit. Sed quærendum est ab eis, quis sit Daniel qui eis scripturam Dei interpretetur, et qui Medi et Persæ occidentes eum et succedentes in regnum ejus. Nulli enim dubium, quin post Antichristum sancti regnaturi sint.

(Vers. 25.) *Hæc est autem scriptura quæ digesta est :* MANE, THECEL, PHARES. *Et hæc interpretatio sermonis :* MANE, *numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud.* THECEL, *appensum* [Vulg. *appensus* et *inventus es*] *est in statera, et inventum est minus habens.* PHARES, *divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.* Tria tantum verba in pariete [a] scriptura signaverat : *Mane, Thecel, Phares*, quorum primum, *numerum*, secundum, *appensionem*, tertium, *divisionem* sonat. Non solum ergo lectione opus fuit, sed interpretatione eorum quæ legerat : ut intelligeret qui hæc verba prædicerent : quod scilicet numerasset Deus regnum illius atque complesset, et apprehendisset in statera judicii sui : et ante eum jugularet gladius, quam natura dissolveret, et imperium ejus in Medos divideretur et Persas. Cyrus enim, ut ante jam diximus, rex Persarum, juncto sibi Dario avunculo, subvertit imperium Chaldæorum.

(Vers. 29.) **656** *Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura et circumdata est torques aurea collo ejus, et prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno.* Sive tertiæ partis regni. Accepit autem insigne regium, torquem et purpuram, ut Dario qui erat successurus in regnum fieret notior, et per notitiam honoratior. Nec mirum si Balthasar audiens tristia, solverit præmium, quod pollicitus est. Aut enim longo post tempore credidit ventura quæ dixerat : aut dum Dei prophetam honorat, sperat se veniam consecuturum. Quam si non impetravit, majus fuisse credendum est sacrilegium in Deum, quam honorem in hominem.

(Vers. 30.) *Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.* Josephus scribit in decimo Judaicæ antiquitatis libro, obsessa Babylone a Medis et Persis, Dario videlicet et Cyro in tantam venisse Balthasar regem Babylonis oblivionem sui, ut celeberrimum iniret convivium, et in vasis templi biberet, et obsessus vacaret epulis. Unde potest stare historia, quod eadem nocte sit captus atque jugulatus : dum omnes aut visionis interpretationisque pavore terrentur, aut occupati sunt festivitate, et ebrietate convivii. Quod autem vincente Cyro rege Persarum, et Dario rege Medorum solus Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis, et propinquitatis, et regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat : majus regnum Medorum quam Persarum legimus : et avunculus qui prior erat jure naturæ, successor regni debuit numerari. Unde et in visione quæ contra Babylonem in Isaia legitur, post multa quæ longum est ponere, hæc futura narrantur : *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint : sed sagittis parvulos interficiant, et lactantibus* [b] *uteris non misereantur* (*Isai.* XIII, 7). Et Jeremias : *Sanctificate*, inquit, *contra eam gentes, reges Mediæ, duces ejus, et universos magistratus ejus cunctamque terram potestatis illius* (*Jer.* LI, 28). Et in consequentibus : *Filia Babylon quasi area tempus trituræ ejus : adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus* (*Ibid.*, 33). Quod autem in convivio capta sit **657** Babylon, quam hortatur ad pugnam, manifestius scribit Isaias : *Babylon dilecta mea facta est mihi in miraculum : pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes : surgite principes, arripite clypeum* (*Isai.* XXI, 4, 5).

(Cap. VI. — Vers. 1 seqq.) *Placuit Dario, et constituit supra regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo : et super eos principes tres ex quibus Daniel unus erat.* Josephus de quo supra diximus, hujus loci scribens historiam, ita locutus est : Darius [c] autem qui Babyloniorum destruxit

[a] Ita Victorius restituit ex Brixianis codd. Mart. *scripta* cum Erasmo retinuit.

[b] Victorius *lactentibus uteri*. Sic enim, ait, textus vocat lactentes uteri infantulos. Fructum ventris est in Hebræo. Nec de matribus, quæ lac præberent sed de parvulis qui illud suggerent, dicitur.

[c] Græca Josephi, lib. Antiqq. X, c. 11, verba sic habent, Δαρείῳ δὲ τῷ καταλύσαντι τὴν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἐξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἶλεν, ὃς ἦν Ἀστυάγους υἱὸς, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ὄνομα. Ὃς καὶ Δανίηλον τὸν προφήτην λαβών, ἄγαγεν εἰς Μηδίαν πρὸς αὐτὸν, καὶ πάσης αὐτῷ τιμῆς μεταδούς εἶχε σὺν αὐτῷ· τῶν τριῶν γὰρ σατραπῶν ἦν, οὓς ἐπὶ τῶν ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων σατραπιῶν κατέστησε.

imperium, juvante se, et pariter dimicante Cyro propinquo suo, annum vitæ agebat sexagesimum secundum, quando cepit Babylonem : eratque filius Astyagis, qui altero apud Græcos vocabatur [*Al.* vocatur] nomine : tulitque secum Danielem prophetam, et adduxit in Mediam, et unum fecit e tribus principibus, qui universo regno ejus præerant. Ex quo intelligimus subversa Babylone, Darium reversum esse ad regnum suum in Mediam, secumque adduxisse Danielem in honore eodem, quo a Balthasar provectum [*Al.* profectum] acceperat. Nec ambiguum est, audisse eum signum atque portentum, quod Balthazar acciderat, et interpretatione quam Daniel exposuerat, et quomodo Medorum regnum Persarumque prædixerit. Nemo ergo perturbetur, quod nunc in regno Darii, nunc in regno Cyri, Daniel fuisse dicatur. Pro Dario, Septuaginta Artaxercen interpretati sunt. Quod autem ordo præposterus est, ut ante sub Dario narretur historia, quam sub Balthasar, quod postea lecturi sumus, qui a Dario interfectus est, illud videtur mihi in causa, quod statim historiam historiæ copulavit. in fine enim superioris dixerat Visionis : *Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Sub hoc igitur Dario, qui interfecit Balthasar, hæc gesta sunt quæ dicturi sumus.

(Vers. 4.) *Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum, unde principes et satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere regis*, etc. Pro principibus, **658** quod Symmachus transtulit : Theodotio ταχτικούς, Aquila συνεκτικούς interpretatus est. Cumque quærerem qui essent isti principes ταχτικοί, vel συνεκτικοί, in Septuaginta editione legi manifestius, qui dixerunt : *et duos viros quos constituit cum eo, et satrapæ centum viginti.* Quia igitur inter duos principes, inter quos erat tertius, hunc primum facere rex cogitabat, invidiæ et insidiarum nata occasio est. [a] Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis. Et in hoc loco Hebræi tale nescio quid suspicantur : latus regis, regina est, vel concubinæ ejus cæteræque uxores, quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergo occasionem in rebus hujusceмodi, si in sermone, tactu, nutu, internuntio possent accusare Danielem. Sed nullam, inquiunt, causam et suspicionem reperire poterant [*Al.* potuerunt] : quia eunuchus erat, et eum in re stupri arguere non poterant. Hoc illi dixerint, qui propter occasionem unius verbi longas solent fabulas texere. Nos interpretemur simpliciter, quod nullam occasionem adversus eum reperirint, in qua regi noxius fuerit, eo quod fidelis esset, et omnis culpæ suspicio non inveniretur in eo. Pro suspicione Theodotio et Aquila ἀμβλάκημα interpretati sunt, quæ Chaldaice [b] dicitur ESSAITHA. Cumque ab Hebræo quærerem quid significaret, respondit vim verbi sonare δέλεαρ, quam nos *illecebram* sive σφάλμα, hoc est, *errorem* dicere possumus : Porro Euripides in Medea ἀμπλαχίας, per π et non per β, ἁμαρτίας, id est, *peccata* appellat.

(Vers. 5.) *Dixerunt ergo viri illi : Non inveniemus* [Al. *invenimus*] *Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.* Felix conversatio in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi forte in legitimis Dei.

(Vers. 6.) *Tunc principes, et satrapæ surripuerunt regi, et sic locuti sunt ei.* Pulchre dixit, *surripuerunt :* Non enim hoc locuti sunt, quod agere cogitabant, sed per honorem regis, inimico moliuntur insidias.

(Vers. 8.) *Nunc itaque, rex, confirma sententiam et scribe decretum, ut non immutetur,* **659** *quod statutum est a Medis atque Persis.* Perspicuum fit [*Al.* sit] quod supra diximus, unum regnum fuisse sub Dario et Cyro Medorum atque Persarum.

(Vers. 10.) *Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, et, fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat : confitebaturque coram Deo suo sicut ante facere consueverat.* De omni Scriptura sancta celeri memoria congregandum est, ubi δώματα, quæ Latine dicuntur [c] *mœnia* vel *tecta*, sive *solaria*, et [d] ἀνώγαια, id est, *cœnacula* legerimus. Nam et Dominus noster Pascha celebrat in cœnaculo (*Matth.* XIV) : et in Actibus Apostolorum super centum viginti animas credentium Spiritus sanctus descendit in cœnaculum (*Actor.* I). Et nunc Daniel regis jussa contemnens, et in Deo habens fiduciam, non orat in humili loco, sed in excelso : et fenestras aperit contra Jerusalem, ubi erat visio pacis. Orat autem secundum præceptum Dei, Dictaque Salomonis, qui contra templum orandum esse admonuit. Tria autem sunt tempora quibus Deo flectenda sunt genua : tertiam horam, sextam et nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos (*Act.* III). Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum (*Act.* X). Nona, Petrus et Joannes pergebant ad templum (*Act.* III).

(Vers. 11.) *Viri igitur illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, et obsecrantem Deum*

[a] Præponit Victor., *Unde principes et satrapæ quærebant*, etc.

[b] In Chaldaico legitur hodie ישחיתה *Uschehhitha, et corruptelam.* Legunt editi שחיתה *schehhithah* ad marginem, non intelligentes Hieronymum non citasse contextum Chaldaicum ; sed dixisse *suspicionem* Chaldaico sermone appellari *Essaitha*, id est, השחיתה, quod vere *corruptelam, et pravitatem* significat. Hocque forte legebat in suo exemplari Hieronymus. MART.

[c] *Menia* legunt mss. codices ; Erasmus, *nieniana ;* consule supra annotationes nostras in cap. XLI Ezechielis. MART. — Ita, vel cum dyphthongo *mœnia* habent et mss. nostri. Nihilosecius malim cum Victorio post Erasmum substitui *Meniana* ex uno ms. Brixiæ, alteroque olim edito libro. Vide quæ superius in cap. XLI Ezechiel. et epist. ad Sunniam et Fretel. observamus.

[d] Non incongrue Palatin. ms. ἀναβατα, id est, ascensibilia loca.

*suum* : Ex hoc loco, discimus, ne temere nos offeramus periculis : sed quantum in nobis est, insidias declinemus. Unde et Daniel non in foro, non in plateis faciebat contra regis imperium : sed in abscondito, ut veri Domini Dei omnipotentis jussa non negligeret.

(Vers. 12.) *Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo qui rogaret quemquam de diis et hominibus, usque ad dies triginta, nisi te* [Al. *a te*], *rex, mitteretur in lacum leonum ? Ad quos respondens rex ait :* Tacent de Danielis nomine, ut cum rex generaliter se jussisse responderit, verbo suo teneatur : ne aliter super Danielem faciat quam locutus est.

**660** *Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævicari non licet.* Crebrius annotamus, ubicumque dicitur regnum Medorum atque Persarum : ut solvamus difficillimam quæstionem, qua nunc sub Dario, nunc sub Cyro Daniel fuisse memoratur.

(Vers. 13.) *Tunc respondentes dixerunt coram rege : Daniel de filiis captivitatis Judææ* [Vulg. *Judæ*] *non curavit de lege tua*, etc. Ut major sit [a] indignitas contemnentis, eum qui regis jussa contemnit dicunt esse captivum.

(Vers. 14.) *Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est, et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum.* Intellexit se propria responsione esse deceptum : et quod causa insidiarum esset invidia. Itaque ne contra suam legem facere videretur, non auctoritate regia, sed ratione atque consilio vult Danielem de discrimine liberare. Et intantum nititur, et laborat, ut rex potentissimus usque ad solis occasum cibum non accipiat : et illis tanta in malo pertinacia est, ut nec voluntate regis moveantur, nec injuria.

(Vers. 15.) *Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei : Scito, rex, quia lex Medorum est atque Persarum, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.* Sicut rex intelligebat principes accusare propter invidiam : sic et illi intelligebant regis animum, quod vellet Danielem de præsenti morte eruere. Unde juxta legem Medorum atque Persarum, dicunt regis jussa non posse fieri irrita.

(Vers. 16.) *Tunc rex præcepit, et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli : Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te.* Cedit multitudini, et consentientibus adversariis, mortem amici [*Al.* inimici] non audet negare : quodque ipse obtinere non potuit, Dei tradidit potentiæ. Nec ambigue loquitur : ut dicat, si potuerit liberare te ; sed audacter, et confidenter : *Deus*, inquit, *tuus quem colis semper, ipse te liberabit.* Audierat enim tres pueros qui inferioris a Daniele gradus erant, flammas vicisse Babylonias ; et Danieli multa mysteria revelata, unde et diligebat eum, hominemque **661** captivum habebat in honore maximo.

*Allatusque est lapis unus, et positus super os laci, quem obsignavit rex annulo suo*, etc. Obsignavit annulo suo lapidem, quo os laci claudebatur : ne quid contra Danielem moliantur inimici. Credidit enim eum Dei potentiæ : et qui de leonibus securus est ; de hominibus pertimescit. Obsignat autem et annulo optimatum suorum, ne quid suspicionis contra eos habere videretur.

(Vers. 18.) *Et abiit rex in domum suam, et dormivit incœnatus*, etc. Quanta regis benevolentia, ut cibum nec die nec nocte caperet ; somnum oculis non concederet : sed cum periclitante propheta ipse penderet affectu. Si autem rex nesciens Deum, hoc facit pro altero, quem vult de discrimine liberari : quanto magis nos pro peccatis propriis inedia et vigiliis debemus Deum ad clementiam flectere.

(Vers. 19.) *Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit.* Lacum vocat depressam in altum foveam, vel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur. Festinus autem primo diluculo pergit ad lacum, credens eum vivere. Lacus autem Latine, aquarum dulcium congregatio nuncupatur, ut lacus Benacus [*Al.* Venacus], et Larius, et cæteri, quem Greci λίμνην, id est, *stagnum* vocant.

(Vers. 20.) *Appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, et affatus est eum.* Cordis affectum lacrymis indicat ; et oblitus regiæ dignitatis, victor ad captivum, dominus currit ad servum.

*Daniel serve Dei viventis.* Viventem vocat, ad distinctionem deorum gentilium, qui simulacra sunt hominum mortuorum.

*Deus tuus cui tu servis semper, putasne valuit liberare te a leonibus ?* Non quod dubitet de Dei potentia, de quo supra dixerat : *Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te ;* sed ambiguam sententiam temperat, ut cum Daniel illæsus apparuerit, quanto res incredibilior est, tanto adversum principes justior indignatio sit.

(Vers. 21.) *Rex, in æternum vive.* Honorat honorantem se : et ei vitam imprecatur æternam.

(Vers. 22.) **662** *Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi*, etc. Non leonum feritas immutata est : sed rictus eorum, et rabies conclusa est ab angelo, et idcirco clausa, quia prophetæ bona opera præcesserant : ut non tam gratia liberationis sit, quam justitiæ retributio. Has autem voces, omnis sanctus vir proferat qui ereptus est de ore leonum invisibilium, et de lacu inferni : quia credidit in Deum suum.

(Vers. 25.) *Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus et linguis habitantibus in universa*

[a] Victorius, *ut major sit indignatio, contemnentes eum qui*, etc., partim ex ms. partim ex edito libro restituit. Ut nempe ad majorem indignationem regem incitarent, contemnendo eum qui regis jussa contemnit, aiunt captivum ac veluti mancipium illum esse.

*terra* : [a] *Pax vobis multiplicetur. A mé constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo, tremiscant et paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum. Ipse liberator atque salvator, faciens signa, et mirabilia in cælo et in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum.* Sicut Nabuchodonosor scribentem linguis et gentibus, quidam interpretatus est in contrarias fortitudines, ita et Darium interpretatur, quod omnes ad pœnitentiam provocet. Et quærit [*Al.* quæritur] utrum hoc in isto mundo futurum sit, an in altero, vel certe post alios mundos. Quæ nos pro deliramentis, et cassis ducentes fabulis, hoc solum dicimus : ideo signa fieri per servos Dei apud barbaras nationes, ut unius Dei cultus, et religio prædicetur.

( Vers 28. ) *Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.* Ergo quod supra legimus in fine primæ visionis : *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis*, non vitæ illius tempus accipiendum est. Siquidem in ultima legimus visione : *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danielis cognomento Balthasar :* sed hoc significatur, quod usque ad primum annum Cyri regis, qui Chaldæorum destruxit imperium, Daniel potens fuerit in Chaldæa : postea vero a Dario in Medos translatus sit.

(Cap. VII. — Vers. 1.) *Anno primo Balthasar regis Babylonis Daniel somnium vidit. Visio autem capitis ejus in cubili suo. Et somnium scribens, brevi sermone comprehendit, summatimque perstringens, ait.* Hæc pericope, **663** quam nunc conamur exponere, et sequens, de qua dicturi sumus, priores sunt, juxta historiam, quam duæ superiores. Ista enim et sequens, primo et tertio anno Balthasar regis accidisse memorantur (*Jer.* XXXIX). Illa autem quæ ante superiorem lecta est, novissimo anno, immo novissima die regni Balthasar scribitur. Et hoc non solum in Daniele, sed in Jeremia quoque et Ezechiele legimus ( *Ezech.* XVII ) : sicut in locis ipsis, si vita comes fuerit, docere poterimus. Sed in superioribus ordo sequitur historiæ : quid sub Nabuchodonosor et Balthasar, et Dario, sive Cyro mirabilium signorum acciderit. In his vero narrantur somnia quæ singulis sint visa temporibus : quorum solus propheta conscius est, et nullam habent apud barbaras nationes signi vel revelationis magnitudinem ; sed tantum scribuntur, ut apud posteros eorum quæ visa sunt, memoria perseveret.

( Vers. 2, 3. ) *Videbam in visione mea nocte : et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se.* Quatuor ventos cœli, quatuor arbitror angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt, juxta illud quod in Deuteronomio legimus : *Quando dividebat Altissimus gentes : quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei. Pars autem Domini populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus* [b] (*Deut.* XXXII, 8). Mare autem mundum istum, sæculumque significat, salsis amarisque fluctibus redundantem : sicut Dominus in parabola sagenæ missæ in mare interpretatur (*Matth.* XIII). Unde et draco rex dicitur omnium quæ in aquis sunt, et cujus secundum David in mari confringuntur capita (*Psal.* LXXIII). Et in Amos legimus : *Si descenderit in profundum maris, ibi mandabo draconi, et mordebit eum* (*Amos* IX, 3). Quatuor autem bestias, quæ ascendebant de mari, et erant diversæ inter se, angelo disserente noscamus. *Hæ*, inquit, *quatuor bestiæ magnæ, quatuor regna consurgent de terra.* Quatuor autem venti qui pugnabant in mari magno, ideo venti cœli esse dicuntur : quia unusquisque angelus facit pro eo regno quod sibi creditum est. Et hoc notandum, quod regnorum **664** feritas atque crudelitas bestiarum nomine demonstretur.

(Vers. 4.) *Prima quasi leœna, et alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit* (*Al. steterit*), *et cor ejus datum est ei.* Regnum Babylonium propter sævitiam, et crudelitatem, sive propter luxuriam, et vitam libidini servientem, non leo, sed leæna appellatur. Aiunt enim hi qui de bestiarum scripsere naturis, leænas esse ferociores, maxime si catulos nutriant, et semper gestire ad coitum. Quod autem habebat alas aquilæ, superbiam significat regni potentissimi, cujus princeps loquitur per Isaiam : *Super sidera cœli ponam thronum meum : et ero similis Altissimo* ( *Isai.* XIV). Unde dicitur ad eum : *Si alte feraris ut aquila, inde te detraham* ( *Abdia.* ). Alioquin, ut leo inter bestias, ita aquila inter aves regnum tenet. Sed et hoc dicendum, aquilam multo tempore vivere, et regnum Assyriorum multis ætatibus fuisse dominatum. Quod autem evulsæ sunt alæ ejus, id est, leænæ, sive aquilæ, cætera regna significat, quibus prius imperabat, et volitabat in mundo. *Et sublata est*, inquit, *de terra;* subverso videlicet [c] imperio Chaldæorum. Quodque sequitur : *Et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei*, si de Nabuchodonosor intelligimus, perspicuum est quod postquam perdidit regnum, et potentia ejus ablata est, rursum in pristinum statum restitutus sit, et non leænam, sed hominem se esse didicerit, et cor receperit quod amiserat. Sin autem generaliter de regno Chaldæorum hoc sentiendum est, quod interfecto Balthasar, et Medis Persisque imperio succedentibus, Babylonii homines, et humilis fragilisque naturæ se esse intellexerint. Nota ordinem : qui in imagine caput aureum dicitur, hic leæna appellatur.

[a] Quæ hinc subsequuntur sacri Textus verba nec subnexæ expositioni necessaria sunt, nec in nostris mss. habentur. Passim vero supra atque infra, si qua ejusmodi occurrunt, de quibus Lectorem monuisse parum intererat, in proponendis Scripturæ locis, taciti ad concinniorem mss. regulam exigemus.

[b] Apponit Victor. nomen *Israel* ex Græco textu, quo sine dubium atque imperfectum sensum esse contendit.

[c] Vitiose antea legebatur *impio :* quod ms. castigat.

(Vers. 5.) *Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus; et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas.* Bestia secunda urso similis, ipsa est de qua in visione statuæ legimus (*Supra* II, 32) : *Pectus ejus et brachia de argento*, hæc ob duritiam, et ferocitatem urso comparatur. Rigidum enim et parcioris victus in morem Lacedæmoniorum, **665** regnum Persarum fuit : ita ut in pulmento sale uteretur et cardamo. Legamus Cyri majoris infantiam (*Educationem sive institutionem*). Quodque dicitur : *In parte una stetit*, sic Hebræi interpretantur, nihil eos adversum Israel crudele gessisse. Unde et in Zacharia Propheta, equi albi appellantur (*Zach.* I). Tres autem ordines, sive versus qui erant in ore ejus, et in dentibus, quidam sic interpretatus est, ut regnum Persarum in tres principes diceret fuisse divisum : sicut in περιχοπῇ Balthasar et Darii legimus, tres fuisse principes, qui centum viginti satrapis præfuerint. Alii autem, tres reges post Cyrum fuisse Persarum aŭtumant, et [a] quæ illis sint nomina reticent. Nos vero cum post Cyrum qui regnavit annis triginta, sciamus apud Persas regnasse Cambysen filium ejus, et fratres magos, et deinceps Darium, cujus secundo anno cœptum est ædificari templum in Jerusalem. Quintum, Xerxem filium Darii : sextum, Artabanum : septimum, Artaxerxem, qui μακρόχειρ, id est, *longimanus* cognominatus est : octavum, [b] Xerxem : nonum, Sogdianum : decimum, Darium cognomento νόθον : undecimum, Artaxerxem, qui appellatus est μνήμων, id est, *recordans* : duodecimum, alium Artaxerxem, qui et ipse cognominatus est *Ochus* : tertium decimum, Arsen, Ochi filium : quartum decimum, Darium Arsami filium, qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est : Quomodo tres reges Persarum fuisse dicemus? nisi forte eligamus aliquos sævissimos, quos ex historiis reperire non possumus. Ergo tres ordines in ore regni Persarum, et in dentibus ejus, tria regna debemus accipere, Babyloniorum, Medorum, atque Persarum : quæ in unum redacta sunt regnum. Quodque infertur. *Et sic dicebant ei : comede carnes plurimas*, illud tempus significat, quando sub Assuero, quem Septuaginta Artaxerxem vocant, ad suggestionem Aman Agagitæ, una die omnes Judæi jussi sunt trucidari (*Esther.* III). Et pulchre non ait, *devorabat eos;* sed, *sic dicebant ei :* ut conatus tantum fuerit, et nequaquam rei exitus sit consecutus.

(Vers. 6.) *Post hoc aspiciebam, et ecce alia* [c] *quasi pardus, et alas habebat avis quatuor* **666** *super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei.* Tertium regnum Macedonum, de quo in statua legimus : *Venter et femora ejus ex ære*, pardo bestiæ velocissimæ et ὁρμητικῇ comparatur, quæ præceps fertur ad sanguinem, et saltu in mortem ruit. *Et alas habebat quatuor.* Nihil enim Alexandri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico, et Adriatico mari usque ad Indicum Oceanum, et Gangem fluvium, non tam præliis, quam victoriis percurrit, et in sex annis partem Europæ, et omnem sibi Asiam subjugavit. Quatuor autem capita eosdem dicit duces ejus, qui postea successores regni exstiterunt, Ptolomæum, Seleucum, Philippum, Antigonum. Quodque additur : *Et potestas data est ei*, ostendit, non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse.

(Vers. 7.) *Post hoc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis : dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans.* Quartum quod nunc urbem tenet terrarum, imperium Romanorum est, de quo in statua dicitur : *Tibiæ ejus ferreæ : pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis;* et tamen ipsius ferri ex parte nunc meminit, dentes ejus ferreos, et magnos esse contestans. Satisque miror, quod cum supra leænam, et ursum, et pardum, in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli bestiæ compararit : nisi forte ut formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quidquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus. Hoc quod hic tacitum est, Hebræi in Psalmis dictum putant : *Devastavit eam aper de silva; et singularis ferus depastus est eam* (*Ps.* LXXIX, 14). Pro quo in Hebræo habet : *Omnes bestiæ agri laceraverunt eam;* dum in uno imperio Romanorum, omnia simul regna cognoscimus, quæ prius fuerant separata. Illud autem quod sequitur : *Comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans*, significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo, et servituti subjugatas.

*Dissimulis autem erat cæteris bestiis quas videram prius* [Vulg. *ante eam*]. In prioribus enim bestiis singula formidinum signa, in hac omnia sunt.

**667** *Et habebat cornua decem.* Porphyrius duas posteriores bestias, Macedonum et Romanorum, in uno Macedonum regno ponit, et dividit : Pardum volens intelligi ipsum Alexandrum : bestiam autem dissimilem cæteris bestiis, quatuor Alexandri successores, et deinde usque ad Antiochum cognomento Epiphanen, decem reges enumerat, qui fuerunt sævissimi : ipsosque reges non unius ponit regni, verbi gratia, Macedoniæ, Syriæ, Asiæ, et Ægypti, sed de diversis regnis unum efficit regnum ordinem, ut videlicet ea quæ scripta sunt : *Os loquens ingentia*, non de Antichristo, sed de Antiocho dicta credantur.

(Vers. 8.) *Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis et vulsa sunt a facie ejus. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia.* Frustra Porphyrius cornu parvu-

[a] Palatin. ms. *qui illi sint omnino reticent.*
[b] Idem ms. *octavum alium Xersem.*
[c] Interserit Victor. *quasi* ex Vulgata et Hebraico.

lum, quod post decem cornua ortum est, Epiphanen Antiochum suspicatur, et de decem cornibus tria evulsa cornua, [a] sextum Ptolemæum cognomento Philometorem, septimum Ptolemæum Evergetem, et Artarxiam regem Armeniæ, quorum priores multo antequam Antiochus nasceretur, mortui sunt. Contra Artarxiam vero dimicasse quidem Antiochum novimus : sed illum in regno pristino permansisse. Ergo dicamus quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt : in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se dividant, et undecimum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Ægyptiorum regem, et Africæ et Æthiopiæ, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alii reges victori colla submittent. *Et ecce*, ait, *oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto*. Ne eum putemus juxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem ; sed unum de hominibus, in quo totus satanas habitaturus sit corporaliter. *Et os loquens ingentia* (II. *Thes.* II). Est enim homo peccati, filius **668** perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

( Vers. 9. ) *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus : fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.* Simile quid et in Joannis Apocalypsi legimus (*Apoc.* IV, 2 *et seqq.*). *Post hæc statim sui in spiritu, et ecce thronus positus erat in cœlo, et super thronum sedens, et qui sedebat, similitudinem habebat lapidis jaspidis et sardini, et iris erat in circuitu throni similis aspectui smaragdino, et circa thronum alii throni viginti quatuor et super viginti quatuor thronos, viginti quatuor senes sedentes, amicti vestibus candidis, et super capita eorum* [b] *corona aurea, et de throno egrediebantur fulgura, et voces, et tonitrua. Et septem lampades ardentis ignis in conspectu throni, quæ septem sunt spiritus Dei. Et in conspectu throni, sicut mare vitreum simile chrystallo.* Multi igitur throni quos vidit Daniel, hi mihi videntur esse, quos Joannes viginti quatuor thronos nuncupat. [c] Vetustus autem dierum ille est, qui apud Joannem solus in throno sedet. Filius quoque hominis, qui venit ad vetustum dierum, ipse est qui apud Joannem leo dicitur de tribu Juda (*Apoc.* V) ; radix David, et cætera his similia : Hos thronos esse reor, de quibus Paulus Apostolus loquitur : *Sive throni, sive dominationes* (*Coloss.* I, 16). Et in Evangelio legimus : *Vos autem sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* X, 28). Sedens autem et vetustus dierum dicitur Deus, ut æterni judicis habitus demonstretur. Vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli capitis ejus, quasi lana munda. Et Salvator transformatus in monte, et gloriam divinæ majestatis assumens, in candidis videtur vestibus (*Matth.* XVII). Quodque capilli ejus lanæ mundissimæ comparantur, purum ostenditur sincerumque judicium, et nullam personam in judicando recipiens. Senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiæ. Thronus ejus flammæ ignis, ut peccatores tormentorum magnitudinem **669** pertimescant, et justi salventur, sic tamen quasi per ignem. Rotæ ejus ignis accensus, sive currus ejus. Et in Ezechiel quadrigæ sedens inducitur Deus (*Ezech.* I), et omnia Dei flammea sunt. De quo et alibi dicitur : *Deus ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24) : ut lignum fœnum, stipulam, arsura in die judicii noverimus. Et in Psalmis legimus : *Ignis ante eum præcedet, et inflammabit in circuitu omnes inimicos ejus* (*Ps.* XCVI, 3). Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, ut peccatores traheret in gehennam.

(Vers. 10.) *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Non quo iste ministrorum Dei numerus definitus sit, sed quo majorem multitudinem humanus sermo explicare nequiverit. Ista sunt millia, et istæ myriades, de quibus in Psalmis legimus : *Currus Dei decem millibus, multiplex millia lætantium, Dominus in eis* (*Ps.* LXVII, 18). Et in alio loco : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Ps.* CIII, 4). Duplex autem angelorum officium est ; aliorum qui justis præmia tribuunt, aliorum qui singulis præsunt [d] cruciatibus.

*Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Conscientiæ, et opera singulorum in utramque partem, vel bona, vel mala omnibus revelantur. Bonus liber ille est, quem

[a] Deerat Ptolemæus Philometor, et sextus pro septimo Ptolemæus Evergetes recensebatur in antea vulgatis libris, quos supplent emendantque pari consensu Palatin. et Vaticanus mss. et quibus verba quæ inter utrumque sunt Ptolemæi nomen expressimus : idque ipsum visum est, fraudi fuisse antiquario, quod vox eadem recurreret, ut properanti oculo, quod usuvenit, intermedia præteriret.

[b] Substituit Victor. plurium numero *coronæ aureæ* ex Brixianis codicibus.

[c] Sic nostri et Victorii mss. omnes rectius præferunt. Antea erat *Vetus*.

[d] Pro *cruciatibus*, prout editi ac mss. tenent libri, sunt qui *civitatibus* reponi velint, quorum lectioni S. Thomæ Aquinatis in hunc prophetam auctoritas suffragatur. Verum ut alibi præsides civitatum angelos Hieron. memoret, hic de aliis profecto loquitur, præmiorum scilicet ac pœnarum ministris. Eo sensu et superioris Commentarii in Ezechielem lib. IX, cap. XXX : *Non boni*, inquit, *sed mali angeli tormentis præpositi sunt* : quod de inferorum tormentis accipias. Cæterum et S. Ambrosius epistolar. l. V, epist. olim 38 : *An ipsos quoque*, inquit, *angelos qui in istius mundi laboribus diversa sustinent ministeria, sicut in Apocalypsi legimus Joannis, non ingemiscere credimus, cum adhibentur pœnarum et excidiorum ministri, qui habentes vitam æternam, mallent utique eam in illo superiore tranquillitatis suæ statu currere, quam nostrorum peccatorum pœnis ultricibus interpellari.* Et vetus Auctor Commentarior. in Epist. ad Hebræos inter laudati Ambrosii opera cap. I, vers. 7 : *Potest*, inquit, *dici quando lenia nuntiare mittuntur, angelos esse ; quando ad vindictam mittuntur, ministros esse, id est, ignem ardentem.*

sæpe legimus, liber viventium. Malus liber, qui in accusatoris tenetur manu, qui est inimicus, et vindex, de quo et in Apocalypsi legimus : *Accusator fratrum nostrorum* (*Apos.* XII, 10). Liber iste terrenus est, de quo et Propheta dicit : *In terra scribantur* (*Jer.* XVII, 13).

(Vers. 11.) *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur.* Dei judicium venit propter humiliandam superbiam. Idcirco Romanum delebitur imperium, quia cornu illud loquebatur grandia.

*Et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus.* In uno Romano imperio propter Antichristum blasphemantem, omnia simul regna delenda sunt, **670** et nequaquam terrenum imperium erit, sed sanctorum conversatio, et adventus Filii Dei triumphantis, de quo dicitur :

(Vers. 13.) *Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat.* Qui in somno Nabuchodonosor, lapis scribitur abscissus sine manibus, et crevisse in montem magnum, et comminuisse testam, ferrum, æs, argentum, et aurum, nunc sub persona filii hominis introducitur, ut assumptio carnis humanæ significetur in filio Dei, juxta illud quod in Actibus Apostolorum legimus : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum : sic veniet quæmadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Actor.* I, 11).

(Vers. 14.) *Et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Totum quod dicitur, oblatum eum omnipotenti Deo, et accepisse potestatem, et honorem, et regnum, juxta illud Apostoli accipiendum est : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8). Quæ cuncta si hæresis Arianorum pio vellet advertere sensu, nequaquam Filio Dei calumniam inæqualitatis moveret.

*Et omnes populi* [Al. *omne populi*], *tribus, et linguæ ipsi servient. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur*, etc. Hoc cui potest hominum convenire, respondeat Porphyrius : aut quis iste tam potens sit, qui cornu parvulum, quem Antiochum interpretatur, fregerit atque contriverit? Si responderit Antiochi principes, a Juda Machabæo fuisse superatos, docere debet quomodo cum nubibus cœli veniat, quasi filius hominis, et offeratur vetusto dierum, et detur ei potestas, et regnum, et **671** omnes populi, tribus ac linguæ serviant illi, et potestas ejus æterna sit, quæ nullo fine claudatur.

(Vers. 17.) *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna quæ consurgent* [Vulg. *quatuor regna consurgent*] *de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi.* Quatuor regna, de quibus supra diximus, fuere terrena. *Omne enim quod de terra est, revertetur in terram* (*Eccl.* III, 20): sancti autem nequaquam habebunt terrenum regnum, sed cœleste. Cesset ergo mille annorum fabula.

*Et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum*, etc. Si hoc de Machabæis intelligitur, doceat qui ista contendit, quomodo regnum eorum perpetuum sit.

(Vers. 25.) *Et sermones contra excelsum loquetur* [Al. *loquitur*]. Sive ut interpretatus est Symmachus: *Sermones quasi Deus loquitur*, ut qui Dei assumit potentiam, verba quoque divinæ sibi vendicet majestatis.

*Et sanctos altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges.* Præliabitur enim Antichristus contra sanctos, et superabit eos : in [a] tantamque erigetur superbiam, ut leges Dei, et cæremonias mutare conetur, et elevetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam suæ subjiciens potestati.

*Et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Tempus, annum significat. Tempora, juxta Hebraici sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, *duos annos* præfigurant. Dimidium autem temporis, *sex menses* : quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt, ut condemnentur Judæi, qui non credentes veritati, susceperunt mendacium. De quo tempore et Salvator in Evangelio loquitur. *Nisi abbreviati essent dies illi, nequaquam salva esset omnis caro* (*Mat.* XXIV, 22). Non convenire hæc tempora Antiocho, in extrema visione dicemus.

(Vers. 6.) *Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem.* Hoc de Antichristo, id est, de cornu parvulo, quod grandia loquebatur, quia regnum ejus destruendum sit in perpetuum.

**672** (Vers. 27.) *Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient.* Hoc loquitur de Christi imperio, quod sempiternum est.

*Huc usque finis verbi.* Istius verbi atque sermonis, quem mihi in præsenti visione Dominus revelavit.

(Vers. 28.) *Ego Daniel multum cogitationibus meis* [b] *conturbabar, et facies mea mutata est in me verbum autem in corde meo conservavi.* Hactenus liber Danielis Chaldaico Syriacoque sermone conscriptus est. Cætera quæ sequuntur usque ad finem voluminis, Hebraice legimus.

[a] Duo mss. *In tantumque erigetur superbia, ut*, etc. Et rectius paulo post, *supra omne quod dicitur Deus et religio, cuncta suæ*, etc.

[b] Reliqua ad finem versiculi ex mss. nostris sufficimus : ut scilicet liquido constaret, ad quem usque terminum Chaldaicus sermo procederet : qui videbatur in antea vulgatis in verbo *conturbabar* ex Hieronymi sensu desinere.

(Cap. VIII.—Vers. 1.) *Anno tertio regni Balthasar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel post id quod videram in principio.* Post duos annos superioris revelationis, hæc visio. Illa enim in primo anno Balthasar : hæc in tertio cernitur. Unde infert : Post id quod videram in principio.

(Vers. 2.) *Vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Elam regione* [Vulg. *civitate*]. Sive ut Symachus interpretatus est, *civitate*, a qua etiam regio nomen accepit, ut a Babylone, Babylonii, et ab Elam, Elamitæ, pro qua Septuaginta *Elimaidem regionem* interpretati sunt. Susis autem metropolis est regionis Elamitarum, in qua Daniel secundum historiam [a] Josephi, turrim exstruxit excelsam, et quadro ædificatam marmore, tantæque magnitudinis et pulchritudinis, ut usque in præsens videatur esse nova. In eaque regum Persarum atque Medorum conduntur reliquiæ, et custos sive ædituus, ac sacerdos ejudem loci Judæus est. *Cum essem in Susis castro.* Non quo castrum ipsa sit urbs, ut diximus, metropolis et potentissima, sed quo tanta firmitate ædificata, ut castrum esse videatur.

*Vidi autem in visione me esse super portam Ulai.* Pro quo Aquila transtulit, *super Ubal Ulai :* Theodotio, *super Ubal ;* Symmachus, *super paludem Ulai ;* Septuaginta, [b] *super portam Ulai.* Sciendum est autem *Ulai,* nomen esse loci ; sive *portæ,* ut in Troja, σχαιὰ porta, **673** et apud Romanos, *Carmentalis* dicitur: habentes singulæ ex propriis causis origines nominum.

*Et levavi oculos meos et vidi.* Quamvis in somnis videantur , quæ videntur in umbra , videlicet et imagine : tamen ne ipsa quidem videre possumus [c].

(Vers. 3.) *Et ecce aries unus stabat ante paludem* (sive *ante portam,* quod Hebraice dicitur UBAL) *habens cornua excelsa, et unum excelsius altero atque succrescens.* Arietem, Darium vocat avunculum Cyri, qui post Astyagen patrem regnavit in Medis. Cornu autem unum excelsius altero atque succrescens, ipsum Cyrum significat, qui post Astyagen avum maternum cum avunculo Dario, quem Græci κυαξαρεν vocant, Medis imperavit et Persis.

(Vers. 4.) *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra* [d] *occidentem, et contra aquilonem, et contra meridiem,* etc. Non ipsum arietem, Cyrum videlicet, vel Darium, sed ejusdem regni arietem, id est, Darium alterum, qui ultimus potentiæ Persicæ rex fuit, et quem superavit Alexander Philippi filius rex Macedonum. Quod autem Darius iste rex potentissimus, et ditissimus fuerit, tam Græcæ, quam Latinæ, ac barbaræ narrant historiæ.

*Et ego intelligebam.* Ex superioribus enim visionibus , in quibus secundum regnum per arietem et hircum significatum est , etiam nunc intelligit , quod Medorum atque Persarum cernat imperium.

(Vers. 5.) *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ , et non tangebat terram,* etc. Ne quis me putet proprium sensum ponere, Gabrielis exponentis visionem prophetæ, verba dicamus : *Aries,* inquit, *quem vidisti habere duo cornua, rex Medorum est, atque Persarum.* Darius videlicet Arsami filius, in quo Medorum et Persarum regnum destructum est. *Porro hircus caprarum, qui veniebat ab occidente,* et propter nimiam velocitatem terram tangere non videbatur, Alexander est, rex Græcorum, qui, subversis Thebis, in Persas arma corripuit, et apud Granicum fluvium inito certamine, Darii duces superavit, et ad extremum ipsum **674** percussit arietem, et duo ejus confregit cornua, Medos, atque Persas : misitque eum sub pedibus suis, et utrumque cornu suo subjugavit imperio. *Cornu autem grande* , ipse est rex primus Alexander, quo tricesimo secundo ætatis suæ anno mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quatuor duces ejus, qui sibi imperium diviserunt. Ægyptum enim Ptolomæus Lagi filius tenuit : Macedonas Philippus, qui et Arideus [*Al.* Arius] frater Alexandri : Syriam, et Babylonem, et omnia regna Orientis, Seleucus Nicanor : Asiæ regnavit Antigonus. *Sed non,* inquit, *in fortitudine ejus.* Nullus enim magnitudini Alexandri potuit coæquari. *Et post multa tempora Syriæ rex impudens facie, et intelligens propositiones* consurget Antiochus ἐπιφανὴς filius Seleuci, qui et Philopator appellatus est. Qui cum obses fuisset Romæ, et, nesciente senatu, per dolum cepisset imperium, contra Ptolomæum Philometorem dimicavit, hoc est, *contra Meridiem,* et contra Ægyptios. Rursumque *ad Orientem,* et contra eos qui res novas in Perside moliebantur ; ad extremum contra Judæos dimicans, capta Judæa, ingressus est Jerosolymam; et in templo Dei simulacrum Jovis Olympii statuit : *et usque ad fortitudinem cœli,* id est, filios Israel, qui angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam, ita ut de sanctis plurimos idololatriæ subjiceret ; et velut stellas cœli conculcaret pedibus suis. Atque ita factum est, ut Meridiem, et Orientem, id est Æyptum et Persidem suo teneret imperio. Quodque ait : *Usque ad principem fortitudinis magnificatus est,* hoc significat, quod erectus sit contra Deum, et sanctos illius persecutus sit ; et tulerit ἐνδελεχισμὸν, id est, *juge sacrificium,* quod mane offerebatur, et vespere, et polluerit atque dejecerit *locum sanctificationis ejus.* Et hoc non sua virtute, sed *propter peccata populi.* Atque ita factum est, ut veritas prosterneretur in terram, et, cultu idolorum florente, Dei religio conquiesceret.

(Vers. 13.) *Et audivi unum de sanctis loquentem : et dixit unus sanctus alteri nescio, cui loquenti.* Pro *altero nescio quo* , quod Symmachus interpretatus est

[a] Hæc pene ad verbum ex Josepho descripta sunt, quem videsis lib. X Antiquitt. cap. ultimo.
[b] Palat. *juxta portam,* etc.
[c] Addunt duo mss. *sine oculis elevatis.*
[d] Vatic. *contra Orientem et contra Occidentem.* Palat. *Orientem* dumtaxat pro *Occidentem.*

[a] τινί ποτε, quem et nos secuti sumus, Aquila et **675** Theodotio, et LXX (פלמוני) [b] φελμονί, ipsum verbum Hebraicum posuerunt. Nomen ergo angeli tacens, generaliter unum quemlibet de angelis indicavit.

*Usquequo visio et juge sacrificium, et peccatum desolationis quæ facta est, et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur ?* Unus angelus interrogat alterum angelum usque ad quod tempus Dei judicio sub Antiocho rege Syriæ, templum futurum sit desolatum, et simulacrum Jovis staturum in templo Dei, juxta id quod subjunxit, dicens : *Et sanctuarium et fortitudo conculcabitur.*

(Vers. 14.) *Et dixit ei : Usque ad vesperam et mane* [c] *dies duo millia trecenti, et mundabitur sanctuarium.* Legamus Machabæorum libros, et Josephi historiam, ibique scriptum reperiemus, centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, qui primus regnavit in Syria post Alexandrum, ingressum Antiochum Jerosolymam, et universa vastasse, reversumque anno tertio, in templo posuisse statuam Jovis, et usque ad Judam Machabæum, id est, usque ad annum centesimum quadragesimum octavum, per annos vastitatis Jerusalem sex, contaminationis autem templi tres, duo millia trecentos dies, et tres menses esse completos ; post quos templum purgatum est. Quidam pro duobus millibus trecentis, duo millia ducentos legunt : ne sex anni, et tres menses superesse videantur. Hunc locum plerique nostrorum ad antichristum referunt, et quod sub Antiocho in typo factum est, sub illo in veritate dicunt esse complendum. Quod autem infert : *Mundabitur sanctuarium*, Judæ Machabæi significat tempora, qui de vico Modin [d] fratribus ac propinquis secum annitentibus, et multis de populo Judæorum, Antiochi duces superat juxta Emaus, quæ nunc Nicopolis dicitur. Quod audiens Antiochus qui contra principem principum surrexerat, id est, Dominum dominantium, et regem regum in Elimaide, quæ regio Persarum est, templum Dianæ spoliare cupiens, quod habebat pretiosa **676** donaria, et ibi quoque amisso exercitu, sine manibus contritus est, id est, tristitiæ morbo periit. Vespere autem et mane, successionem diei noctisque significat.

(Vers. 15.) *Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam.* Videbat visionem per picturam, et imaginem, et illius intelligentiam nesciebat. Non ergo omnis qui videt intelligit : quomodo si Scripturam sanctam legamus oculis et corde non intelligamus.

*Et ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.* Non enim viri sunt angeli, sed in specie videntur virorum. Sicut Abraham ad quercum Mambre tres visi sunt viri (*Gen.* VIII), qui utique viri non erant ; e quibus unus adoratur ut Dominus. Unde et Salvator loquitur in Evangelio : *Abraham vidit diem meum ; vidit et lætatus est* (*Joan.* VIII, 56).

(Vers. 16 et 17.) *Et audivi vocem viri inter Ulai, et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istam* [Vulg. *istum*] *visionem. Et venit et stetit juxta ubi ego stabam. Cumque venisset, pavens corrui in faciem meam.* Virum istum qui præcepit Gabrieli ut Danielem faceret intelligere visionem, Judæi Michaelem autumant. Consequenter autem quia visio de prœliis erat, regumque certaminibus, immo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est prœliis huic officio mancipatur. *Gabriel* enim in linguam nostram vertitur *fortitudo*, vel *robustus Dei*. Unde et eo tempore quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum dæmonibus, et triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, et ad Mariam (*Luc.* I). Et postea in Psalmis legimus de Domino triumphante : *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prœlio ; ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 8). Ubicumque autem medicina, et sanatio necessaria est, *Raphael* mittitur, qui interpretatur *curatio ;* vel *medicina Dei* [e] : si cui tamen placet Tobiæ librum recipere. Porro ubi populo prospera promittuntur, et ἱλασμὸς, quod nos vel *propitiationem*, vel **677** *expiationem* possumus dicere, [f] necessaria est, *Michael*, dirigitur, qui interpretatur *quis sicut Deus ?* hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera.

*Et ait ad me : Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio, etc.* Ezechiel, et Daniel, et Zacharias : quia sæpe inter angelos esse se cernunt [*Al.* cernuntur], ne eleventur in superbiam, et angelicæ vel naturæ, vel dignitatis se esse credant, admonentur fragilitatis suæ, et filii hominum nuncupantur, ut homines se esse noverint.

(Vers. 18.) *Et tetigit me ; et statuit me in gradu meo. Dixitque mihi, etc.* Propheta qui pavore lapsus, quadrupes et pronus jacebat in terra : ad tactum angeli erigitur, ut possit absque formidine audire et intelligere quæ dicuntur.

(Vers. 26.) *Tu ergo signa Visionem : quia post dies multos erit.* Exposita Gabriel Angelus Visione, quam

[a] Palatin. ms. TINIIOTE, secunda manu *tinipote ;* legebatur antea cum circumflexo τῖνιποτε.

[b] Vatic. ms. quemadmodum et Sang. penes Montfauc. Latinis litteris PHELMONI, alii libri *pelmoni*, aut *pelimoni*.

[c] Vox *dies*, inquit Victor. nec in Hebræo, neque in Brixianis codd. habetur : adjecta autem fuerit vel ex Theodotione, vel ut subintellecta e margine huc translata.

[d] Duo mss. vetustioresque editi libri *filiis* pro *fratribus*, quod pridem Victorius Florentinorum codd. ope emendavit, ipsa cogente historia I Machabæor. II ; item II, 8. Fratres Judæ Machabæi, Simon, Josephus et Jonathas sunt. Cæterum et conferendus Josephus Antiquitt. lib. XII, c. 9.

[e] Huc transfert. Palat. ms. verba *hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit vera medicina :* ferme cum Erasmi Victoriique editionib. quæ Martian. ad finem capituli rectius distulit.

[f] Idem cum antiquis editionibus : *necessarium est ut Michael dirigatur, qui interpretatur Quis sicut Deus. Ut scilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem nullus possit conferre nisi Deus.*

supra ut potuimus disseruimus, ponit in fine : *Tu ergo signa Visionem : quia post dies multos erit.* Ex verbo ostendens signaculi, obscura esse quæ dicebantur, et non patere multorum auditui, nec posse ante intelligi, nisi rebus et operibus impleantur.

(Vers. 27.) *Et ego Daniel langui et ægrotavi per dies. Cumque surrexissem, faciebam opera regis.* Hoc est illud, quod in Genesi de Abraham legimus : quod postquam Dominum audierit loquentem sibi, terram et cinerem esse se dixerit (*Gen.* XVIII). Ergo Daniel ad visionis horrorem languisse, et ægrotasse se dicit : et cum surrexisset, fecisse opera quæ sibi a rege fuerant imperata, reddens omnibus omnia, et Evangelicum illud sciens : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Luc.* XX, 25).

*Et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur.* Si non erat qui interpretaretur, quomodo supra interpretatus est angelus? Sed quod dicit, hoc est, reges audierat, et eorum nomina nesciebat : futura cognoverat, et quo tempore futura essent, dubius fluctuabat. Itaque quod solum facere poterat, stupebat ad visionem, et Dei scientiæ cuncta relinquebat.

(Cap. IX.— Vers. 1.) *In anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorum, qui imperavit super* **678** *regnum Chaldæorum, anno uno regni ejus.* Hic est Darius, qui cum Cyro Chaldæos Babyloniosque superavit, ne putemus illum Darium, cujus anno secundo templum ædificatum est (quod Porphyrius suspicatur, ut annos Danielis extendat) vel eum qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est. Addit ergo nomen patris, additque victoriam, quia primus de semine Medorum, subvertit regnum Chaldæorum, ut auferat propter similitudinem nominis, lectionis errorem.

(Vers. 2.) *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni.* Prædixerat Jeremias septuaginta annos desolationis templi (*Jer.* LII, 29) : post quos rursus veniret populus in Judæam, et ædificarentur templum et Jerusalem : quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis provocat ad rogandum : ut quod Deus per suam promisit clementiam, per hujus [*Al.* horum] impleat preces, ne negligentia superbiam, et superbia pariat offensam. Denique in Genesi legimus (*Gen.* IX), centum viginti annos pœnitentiæ constitutos ante diluvium : qui quia tanto tempore, hoc est, centum annis, noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam exspectat ut et viginti alii compleantur : sed infert ante, quod postea fuerat comminatus. Unde et ad Jeremiam dicitur, ob duritiam cordis populi Judæorum : *Ne ores pro populo hoc : quia non exaudiam te* (*Jer.* VII, 16). Et ad Samuel : *Usquequo luges super Saul? et ego abjeci eum* (I *Reg.* XVI, A 1). In cinere igitur et sacco postulat impleri quod promiserat Deus : non quo esset incredulus futurorum; sed ne securitas negligentiam, et negligentia pareret offensam.

*Obsecro, Domine Deus magne et terribilis.* Adversus eos qui tua præcepta contemnunt.

(Vers. 4.) *Custodiens pactum et misericordiam diligentibus te, et custodientibus mandata tua.* Non ergo quod pollicetur Deus statim futurum est; sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius.

(Vers. 5.) *Peccavimus, inique*[a] *egimus, impie egimus, et recessimus*, etc. Peccata populi, quia unus e populo est, enumerat **679** ex persona sua, quod et Apostolum id epistola ad Romanos facere legimus.

B (Vers. 7.) *Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio faciei*, etc. Juste enim patimur, quod meremur.

(Vers. 8.) *Tibi Domino Deo nostro misericordia, et propitiatio :* etc. De quo supra dixerat : *Tibi, Domine, justitia;* nunc quia Dominus non solum justus, sed et misericors est, dicit : *Tibi, Domine, misericordia,* ut post sententiam judicantis, eum provocet ad clementiam.

(Vers. 11.) *Et stillavit super nos.* Non totam in nos effudisti iram, quam ferre non poteramus; sed stillam furoris tui, ut correpti in plaga, reverteremur ad te.

*Maledictio et detestatio quæ scripta est in libro Moysi servi Dei*, etc. In Deuteronomio maledictiones et benedictiones Dei legimus (*Deut.* XXVII), quæ postea C dictæ sunt in monte Garizim, et Hebal, justos super et peccatores.

(Vers. 13.) *Omne malum hoc venit super nos : et non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, et cogitaremus veritatem tuam.* Grandis duritia, ut in plagis positi, Deum non rogarent, quod et si rogarunt, ideo non rogarunt, quia non sunt reversi ab iniquitatibus suis. Reversio autem ab iniquitate est cogitare veritatem Dei.

(Vers. 14.) *Et vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos*, etc. Quando propter peccata corripimur, vigilat super nos Deus, et visitat nos. Quando vero a Deo deserimur, et non judicamur, indigniique sumus correptione Domini, tunc dormire dicitur. Unde et in Psalmis legimus : *Surrexit quasi dormiens Dominus, et quasi*[b] *crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII). Malitia enim et iniquitas nostra inebriat Deum : quæ quando in nobis corripitur, evigilare dicitur, et de sua ebrietate consurgere; ut nos peccato ebrios evigilare faciat justitiæ.

(Vers. 15.) *Et nunc, Domine Deus noster*, etc. Memor est antiqui beneficii, ut ad similem Deum clementiam provocet.

(Vers. 17.) *Et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est.* Imple opere, quod ser-

[a] Unus Palatinus *impie gessimus, peccatis polluti. Quia unus e populo est*, etc. Vatican. *impie fecimus. Peccata populi*, etc. Victorius ut vitaret perissologiam, ad Vulgat. edit. scripsit *iniquitatem fecimus, impie egimus.*

[b] Addit Victor. *potens* ex Psalmi textu.

mone pollicitus es : vicinum tempus desolationis impletur.

(Vers. 18.) *Propter temetipsum inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi : aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram*, etc. Ἀνθρωποπάθως **680** hæc loquitur, ut quando exaudimur, inclinare Deus videatur aurem suam : quando respicere nos Deus dignatur, aperire oculos suos : quando vero avertit faciem suam, et oculis ejus et auribus videamur indigni.

(Vers. 20.) *Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel : ut* [Vulg. *et*] *prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei.* Ergo ut supra diximus, non populi tantum peccata, sed et sua replicat ; quia unus e populo est : sive humiliter, cum peccatum ipse non fecerit, se jungit populo peccatori, ut ex humilitate veniam consequatur. Nota quod hic dixerit, *confiterer peccata mea.* In multis enim sanctæ Scripturæ locis confessio, non pœnitentiam, sed laudem sonat.

(Vers. 21.) *Adhuc me loquente in oratione : ecce vir Gabriel quem videram* [a] *in visionis principio.* Principium vocat præteritam visionem, quam hæc sequitur. Et grandis orationis effectus est ; impletaque promissio Domini qui ait : *Adhuc te loquente dicam, ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 9). Videtur autem Gabriel, non angelus vel archangelus, sed vir : ut nequaquam sexum, sed nomen virtutis ostenderet.

*Cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini.* Volare dicitur, quia (*Al.* qui) ut vir apparuerit, et in tempore sacrificii vespertini : quia oratio prophetæ a sacrificio matutino usque ad sacrificium vespertinum perseverarat : et propterea Dei in se flexit misericordiam.

(Vers. 22.) *Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque.* Tam obscura est visio, ut propheta angeli doctrina indigeat.

*Daniel nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.* Nunc ad te missus sum, et egressus [b] sum, non a facie Dei, ut ab eo recederem, sed ut ad te venirem.

(Vers. 23.) *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ut rogare cœpisti, statim impetrasti misericordiam Dei : et egressa est sententia, et ego idcirco missus sum, ut exponerem tibi quæ ignoras : quia vir desideriorum es, sive amabilis, et Dei amore dignus, ut Salomon appellatus est *Idida* [*Al.* Jedida], sive *vir desideriorum*, quod pro desiderio tuo, Dei secreta audire merearis, et esse conscius futurorum.

**681** *Tu ergo animadverte Sermonem, et intellige visionem.* Si Danieli dicitur : *diligenter attende*, ut audias et intelligas, quod vides : quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris, et caligine vitiorum obcæcati sunt.

(Vers. 24.) *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam :* [c] *ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna : et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt : et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus* ([d] *populus qui eum negaturus est*), *et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio : Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. Et erit in Templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Quia Propheta dixerat : *Eduxisti populum tuum, et nomen tuum invocatum est super civitatem tuam, et super populum tuum*, propterea ex persona Dei loquitur Gabriel : Nequaquam populus Dei est, sed populus tuus : nec urbs sancta Dei, sed sancta, ut dicis [*Al.* discas] tibi. Simile quid et in Exodo legimus, quando Deus loquitur ad Moysen : *Descende, peccavit enim populus tuus* (*Exod.* XXXII, 7), hoc est, non populus meus, quia me deseruit. Quia igitur postulas pro Jerusalem, et oras pro populo Judæorum, audi quid in septuaginta annorum hebdomadibus futurum sit populo tuo, et urbi tuæ quæ sequuntur. Scio de hac quæstione ab eruditissimis viris varie disputatum, et unumquemque pro captu ingenii sui dixisse quod senserat. Quia igitur periculosum est de magistrorum Ecclesiæ judicare sententiis, et alterum præferre alteri, dicam quid unusquisque senserit, lectoris arbitrio derelinquens, cujus expositionem sequi debeat. Africanus in quinto Temporum volumine, de septuaginta hebdomadibus hæc locutus **682** ad verbum est. « Capitulum [e] quod in Daniele de septuaginta hebdomadibus legimus multa et mirabilia continet, quæ nunc longum est dicere : ergo quod ad præsens opus pertinet, de temporibus disserendum est. Nullique dubium quin de adventu Christi prædicatio sit, qui post septuaginta hebdomadas mundo apparuit, post quem consummata sunt delicta, et finem accepit peccatum, et deleta est iniquitas : et annuntiata justitia sempiterna, quæ legis justitiam vinceret : et impleta est visio, et prophetia : quia lex et Prophetæ usque ad [f] Baptistam Joannem (*Luca*, XVI). Et unctus est Sanctus sanctorum : quæ omnia priusquam Christus humanum corpus assumeret, sperabantur magis

[a] Palat. ms. *in visione in principio*, Vatic. *in principio* tantum.

[b] Vatic. *et egressus sum a facie Dei non ut ab eo* etc. In Palat. Verba *et egressus sum* penitus desiderantur.

[c] Subsequens pericope sacri textus tota in nostris Mss. vacat.

[d] Isthæc parenthesi inclusa verba in Hebræo *non sunt.*

[e] Fragmentum istud ex Opere Africani Græce habetur penes Eusebium de Præparat. Evang. lib. VIII, cap. 1.

[f] In Vatic. *usque ad baptismum Joannis.*

quam tenebantur. Dicit autem ipse Angelus septuaginta annorum hebdomadas, id est, annos quadringentos nonaginta, ab exitu sermonis, ut respondeatur, et ut ædificetur Jerusalem, vicesimum Artaxerxis regis Persarum annum habere principium. Neemias quippe hujus pincerna (*Neem.* 1), sicut in Esdræ libro legimus rogavit regem, accepitque responsum, ut ædificaretur Jerusalem. Et iste egressus est sermo qui exstruendæ urbis, et circumdandæ muris daret licentiam : quæ usque ad illud tempus vicinarum gentium patebat incursibus. Si quidem ad Cyri regis imperium, qui volentibus reverti Jerosolymam dederat potestatem, Jesus Pontifex et Zorobabel, et postea Esdras Sacerdos, et cæteri qui cum eis proficisci voluerant, Templum et urbem, et muros ejus ædificare conati sunt, prohibentibus in circuitu nationibus, ne impleretur opus, quasi hoc rex non jussisset. Mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam, et vicesimum annum regis Artaxerxis : [Ergo captivitas ante regnum Persarum annis 70.] quo tempore regni Persarum, centum et quindecim anni fuerant evoluti, captivitatis autem Jerusalem, centesimus octogesimus, et quintus annus erat : tunc primum Artaxerxes jussit muros exstrui Jerusalem : cui operi præfuit Neemias, et ædificata est platea, et muri circumdati : et ex illo tempore si numerare velis septuaginta **683** annorum hebdomadas usque ad Christum poteris invenire. Quod si harum principium ab [a] alio tempore voluerimus sumere, et tempora non concurrent, et multa reperiemus contraria. Nam si a Cyro, et prima ejus indulgentia, quæ Judæorum est laxata captivitas, septuaginta numerentur hebdomadæ, centum et eo amplius inveniemus annos, qui statutum septuaginta hebdomadarum excedant numerum : et multo plus si ex qua die locutus est Danieli angelus : additurque amplior numerus, si captivitatis exordium volueris hebdomadarum habere principium. Permansit enim regnum Persarum, usque ad initium Macedonum, annis ducentis triginta : et ipsi Macedones regnaverunt annis trecentis : atque exinde usque ad annum (ἐκκαιδέκατον) quintumdecimum Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta, qui simul faciunt annos quingentos nonaginta, ita ut centum supersint anni. A vicesimo autem anno Artaxerxis regis usque ad Christum, complentur hebdomadæ septuaginta, juxta lunarem Hebræorum supputationem, qui menses non juxta solis, sed juxta lunæ cursum numerant. Nam a centesimo et quintodecimo anno regni Persarum, quando Artaxerxes rex ejusdem imperii, vicesimum regni sui habebat annum, et erat octogesimæ et tertiæ Olympiadis annus quartus, usque ad ducentesimam [*Al.* centesimam] secundam Olympiadem, et secundum ejusdem Olympiadis annum, Tiberiique Cæsaris annum quintumdecimum, colliguntur anni quadringenti septuaginta quinque, qui faciunt annos Hebraicos quadringentos nonaginta, juxta lunares (ut diximus) menses. Qui secundum illorum supputationem possunt facere per singulos menses dies viginti novem [*Al.* viginti octo], et semis : ita ut solis circulus per annos quadringentos nonaginta plus habeat dies trecentos sexaginta quinque, et quartam diei partem : et per duodecim menses singulorum annorum undecim dies et quarta diei pars amplius reperiatur. Unde Græci et Judæi, per octo annos trium mensium ἐμβολίσμους faciunt. **684** Si enim octies undecim, et quartam partem volueris supputare, nonaginta dies, hoc est, tres menses efficies, et in quadringentis septuaginta [*Al.* quadraginta] quinque annis octonarii reperientur anni quinquaginta novem, et menses tres : qui simul faciunt plus minusve annos quindecim : quos si quadringentis septuaginta quinque annis volueris addere, septuaginta annorum facies hebdomadas, hoc est, simul annos quadringentos nonaginta. » Hæc Africanus eisdem verbis quibus expressimus locutus est. Transeamus ad Eusebium Pamphili, qui in octavo libro εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως tale nescio quid suspicatur : « Non mihi videtur frustra septuaginta hebdomadarum facta divisio : ut primum diceretur *septem*, deinde *sexaginta duæ*, et ultima adderetur *hebdomas una*, quæ et ipsa in duas partes secta est. Scriptum est enim : *Scies et intelliges ab exitu sermonis : ut respondeatur, et ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomadas septem, et hebdomadas sexaginta duas.* Et post alia quæ narravit in medio, ponit in fine : *confirmabit testamentum plurimis hebdomada* [*Al.* hebdomas] *una.* Hæc non frustra et absque inspiratione Dei Angelum respondisse manifestum est. Quæ observatio cautam atque sollicitam videtur expetere rationem, ut lector diligenter attendat, et causam divisionis [*Al.* visionis.] inquirat. Sin autem necesse est nos dicere quod sentimus, juxta aliam expositionem, quæ in præsenti versatur lectione, in eo quod Angelus ait : *Ab exitu sermonis ut respondeatur et ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem*, non alios arbitramur quam principes, qui post hanc prophetiam, et reversionem de Babylone Judaico populo præfuerunt, hoc est ἀρχιερεῖς, et Pontifices quos *Christos*, ab eo quod uncti sunt, Scriptura cognominat : quorum princeps fuit Jesus filius Josedec, Sacerdos magnus : et qui fuerunt usque ad adventum Domini Salvatoris. Hosque significat vaticinium prophetale, dicens : *Ab exitu sermonis, ut respondeatur et ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadæ septem, et hebdomadæ sexaginta duæ*, **685** id est, ut septem hebdomadæ, et postea sexaginta duæ, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres a Cyro numerentur. Ac ne videamur procacem tantum ferre sententiam, et non probare quæ dicimus, numeremus eos qui post Jesum filium Josedec usque ad adventum Domini populo præfuerunt Christi, id est, uncti in pontificatum. Primus igitur, ut ante jam diximus, post Danielis prophetiam, quæ facta est sub Cyro rege, postquam de Babylone re-

[a] Duo mss. *ab illo tempore noluerimus sumere.*

versus est populus, Jesus filius Josedec fuit, sacerdos magnus, et Zorobabel filius Salathiel, qui templi fundamenta jecerunt: impeditoque opere a Samaritis, et aliis in circuitu nationibus, septem hebdomadarum anni completi sunt, id est, quadraginta et novem, in quibus imperfectum opus templi fuit: et quas prophetia a reliquis sexaginta duabus hebdomadibus separat. Denique et Judæi in Evangelio ex hac opinione [*Al.* opinatione] loquuntur ad Dominum: *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus suscitabis illud* (*Joan.* II, 20)? Tot enim anni sunt a primo anno Cyri regis, qui libertatem dedit volentibus Judæis reverti in patriam, usque ad sextum annum Darii regis, sub quo templi opus omne completum est. Porro Josephus, et alios tres annos addidit, in quibus περίβολοι templi, et quædam alia quæ remanserant perfecta sunt: qui additi quadraginta sex annis, faciunt annos quadraginta novem, id est, septem annorum hebdomadas. Reliquas autem sexaginta duas hebdomadas ab ejusdem Darii septimo anno enumerant. Quo tempore Jesus filius Josedec, et Zorobabel jam majoris ætatis populo præerant: sub quibus prophetaverunt Aggæus, et Zacharias: post quos Esdras et Neemias de Babylone venientes, muros urbis exstruxerunt, tenente pontificatum Joachim, filio Jesu, cognomento Josedec: post quem successit in sacerdotium Eliasub, ac deinde Joiade, et postea Joannes: post quem Jaddus, cujus ætate Alexander, rex Macedonum, condidit Alexandriam, **686** ut [a] Josephus in Antiquitatum libris loquitur: venitque Jerosolymam, et victimas in templo immolavit. Mortuo autem Alexandro, centesima tredecima Olympiade, anno ducentesimo trigesimo sexto regni Persarum: quod cœperat primo anno quinquagesimæ quintæ Olympiadis: quo tempore Cyrus rex Persarum, Babylonios, Chaldæosque superavit, et post mortem Jaddi sacerdotis, qui sub Alexandro templo præfuit, suscepit pontificatum Onias: quo tempore Seleucus, subjugata Babylone, diadema totius Syriæ, et Asiæ capiti suo imposuit, anno duodecimo mortis Alexandri. In quod tempus supputantur omnes anni a Cyri imperio, ducenti quadraginta octo. Ex qua ætate Scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat. Post Oniam præfuit Judæis pontifex Eleazarus. Quo tempore Septuaginta Interpretes Scripturas sanctas Alexandriæ dicuntur in Græcum vertisse sermonem: post quem alter Onias, cui successit Simon, quo regente populum, Jesus filius Sirach scripsit librum qui Græce παναρετὸς appellatur, et plerisque Salomonis falso dicitur. Cui successit in pontificatum alius Onias, quo tempore Antiochus Judæos diis gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit templum, et idolorum simulacra contrivit. Cui successit frater Jonathan: et post eum rexit populum Simon frater utriusque, in cujus morte ducentesimus septuagesimus septimus regni Syriæ impletus est annus: et usque ad hoc tempus, Machabæorum primus liber historiam continet. Supputanturque a primo anno Cyri regis Persarum, usque ad finem primi Machabæorum voluminis, et mortem Simonis pontificis, anni quadringenti viginti quinque. Post quem Joannes tenuit Pontificatum, annis viginti novem: quo mortuo Aristobolus, uno anno præfuit populo: qui primus reversus de Babylone, diadema insigne regiæ potestatis cum honore pontificatus assumpsit. Hujus successor fuit Alexander, rex **687** pariter, et pontifex, qui rexit populum annis viginti septem: et hactenus, a primo anno Cyri regis, et captivorum reditu, qui in Judæam venire voluerunt, supputantur anni quadringenti octoginta tres: quos septem, et sexaginta duæ hebdomadæ, id est, sexaginta novem simul efficiunt. Et hoc omni tempore pontifices rexerunt populum Judæorum, quos ego nunc arbitror vocari Christos duces. Mortuo autem novissimo eorum Alexandro, huc atque illuc in varias partes absque ullo duce gens Judæorum seditionibus vexabatur, in tantum ut Alexandra, quæ et Salina vocabatur, ejusdem Alexandri uxor, obtineret imperium, et pontificatum quidem Hircano filio reservaret: Aristobolo autem alteri filio regnum traderet, quod obtinuit annis decem. Pugnantibus autem contra se intestina seditione germanis, et gentem Judæorum in diversa studia trahentibus, supervenit Cneus Pompeius dux Romani exercitus, captaque Jerosolyma, usque ad adyta templi ingressus est, quæ vocabantur *sancta sanctorum*: vinctumque [*Al.* victumque] Aristobolum Romam misit servans triumpho suo, et pontificatum Hircano fratri ejus tradidit. Tunc primum gens Judæorum Romanis facta est tributaria. Post quem Herodes filius Antipatris, interfecto Hircano, regnum Judæorum senatusconsulto accepit, et primus alienigena Judæis præfuit. Qui pontificatum quoque nequaquam juxta legem Moysi, mortuis parentibus, tradebat liberis, sed alienis, et nec ipsis multo tempore, [b] nisi ob gratiam et pretium, divinæ legis jussa contemnens. » Ponit et aliam idem Eusebius explanationem, quam si voluerimus in Latinum sermonem vertere, extendemus libri magnitudinem. Hæc est ergo interpretationis ejus sententia: A sexto anno Darii, qui post Cyrum, et Cambysen filium ejus regnavit in Persis, quando templi opera consummata sunt, usque ad Herodem, et Cæsarem Augustum, numerat hebdomadas septem et sexaginta duas, quæ faciunt annos quadringentos **688** octoginta tres: quando Christus, hoc est, Hircanus, novissimus pontifex de genere Machabæorum, ab Herode jugulatus est, et cessavit juxta legem Dei pontificum successio. Civitatem quoque et ipsum

[a] Libro quidem XI, c. 8, Jerosolymam venisse Alexandrum tradit Josephus; et in templo sacrificasse τῷ θεῷ κατὰ τὴν τοῦ Ἀρχιερέως ὑφήγησιν; tum vero temporis, sive Jaddi ætate, conditam ab eo Alexandriam, minime Josephus narrat.

[b] Istud *nisi* nostri mss. non habent. Consule Græcum textum.

sanctuarium sub duce Romano, Romanus vastavit exercitus, sive ipse Herodes, qui per Romanos indebitum in Judæos arripuit imperium. Quodque infert: *Confirmabit enim pactum multis hebdomada* [*Al.* hebdomadis]. *Una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium*, sic interpretatur, quod et Herode regnante apud Judæam, et Augusto apud Romanos, Christus natus sit, qui tribus annis, et sex mensibus juxta Evangelistam Joannem Evangelium prædicavit, et confirmavit veri Dei cultum multis: haud dubium cum apostolis, et credentibus, quando post passionem Domini in dimidia rursum hebdomada defecit hostia, et sacrificium. Quidquid enim in templo postea factum est, non fuit sacrificium Dei, sed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus: *Sanguis ejus supèr nos et super filios nostros* (*Matth.* xxvii, 25). Et: *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Quem locum in Chronico ejusdem Eusebii, quem ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector plenius edissertum poterit invenire. Quod autem a perfectione templi usque ad decimum Augusti imperatoris annum, quando, interfecto Hircano Herodes Judæam obtinuit, septem et sexaginta duæ hebdomadæ, id est, quadringenti octoginta tres supputentur anni, sic possumus approbare: sexagesimæ sextæ [*Lege utrobique* septimæ]. Olympiadis primo anno, hoc est, Darii sexto, completa est templi ædificatio, et centesimæ octogesimæ sextæ Olympiadis anno tertio, id est, Augusti decimo, Herodes in Judæos cepit imperium: qui faciunt annos quadringentos octoginta tres, per singulas Olympiades, quadriennio supputato. Dicit idem Eusebius, et aliam opinionem, quam ex parte non [a] reprobo: quod plerique unam hebdomadem annorum in septuaginta annos extendant, per singulos hebdomadis annos, decennio supputato. Et volunt a passione Domini usque ad Neronis imperium, annos esse triginta quinque; quando contra Judæos Romana primum **689** arma commota sunt, et hanc esse dimidiam hebdomadam annorum septuaginta. Postea vero a Vespasiano et Tito, et deinceps quando Jerosolyma templumque succensum est, usque ad Trajanum, alios esse annos triginta quinque, et hanc esse hebdomadem de qua angelus loquitur Danieli: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una.* In totum enim orbem per apostolos Evangelium prædicatum est, qui usque ad illud tempus perseveraverunt, tradentibus ecclesiasticis historiis Joannem evangelistam usque ad tempora vixisse Trajani. Sed nescio quomodo superiores hebdomadas septem, et sexaginta duas, per septenos annos, et hanc unam per denos, id est, septuaginta annis possimus accipere. Hæc Eusebius. Hyppolitus autem de eisdem hebdomadibus opinatus est ita [b]: Septem hebdomadas ante reditum populi supputat, et sexaginta duas post reditum, usque ad nativitatem Christi; quarum tempora omnino non congruunt. Siquidem regni Persarum ducenti, et triginta supputantur anni, et Macedonum trecenti, et post illos usque ad nativitatem Domini, anni triginta, hoc est, ab initio Cyri regis Persarum usque ad adventum Salvatoris, anni quingenti sexaginta. Novissimam quoque hebdomadam ponit in consummatione mundi, quam dividit in Eliæ tempora, et antichristi, ut tribus et semis annis ultimæ hebdomadis, Dei notitia confirmetur. De qua dictum est: *Confirmabit pactum multis hebdomada una* (*Dan.* ix, 27): Et tribus aliis annis sub antichristo deficiet hostia, et sacrificium. Adveniente autem Christo, et iniquum spiritu oris sui interficiente, usque ad consummationem, et finem perseveret desolatio. Apollinarius autem Laodicenus omni præteritorum temporum se liberans quæstione, vota extendit in futurum, et periculose de incertis profert sententiam. Quæ si forte hi qui post nos victuri sunt statuto tempore completa non viderint, aliam solutionem quærere compellentur, et magistrum erroris arguere. Dicit ergo, ut verbum e verbo interpreter, ne calumniam videar facere non dicenti: In quadringentis nonaginta annis peccata, et omnia **690** quæ ex peccatis oriuntur vitia comprimenda: post quæ ventura sint bona, et reconciliandum Deo mundum in adventu Christi Filii ejus. Ab exitu enim Verbi, quando Christus de Maria generatus est virgine, usque ad quadragesimum nonum annum, id est, finem septem hebdomadarum, Israelis exspectatam pœnitentiam. Postea vero ab octavo Claudii Cæsaris anno, contra Judæos Romana arma correpta. Tricesimo enim juxta evangelistam Lucam anno ætatis suæ cœpit in carne Dominus Evangelium prædicare (*Luc.* i), et juxta Joannem evangelistam (*Joan.* ii, *et* xi), per tria paschata duos postea implevit annos, et exinde sex Tiberii supputantur anni, et quatuor C. Cæsaris cognomento Caligulæ, et octo Claudii, id est, simul anni quadraginta novem, qui faciunt hebdomadas annorum septem. Cum autem quadringenti triginta quatuor anni post hoc fuerint evoluti, id est, sexaginta duæ hebdomadæ, tunc ab Elia, qui venturus est juxta sermonem Domini Salvatoris (*Luc.* i), ut restituat cor patrum ad filios, in ultima hebdomade ædificandam Jerusalem, et templum, per annos tres et semis: venturumque Antichristum, et juxta apostolum sessurum in templo Dei (II *Thess.* ii), et interficiendum spiritu Domini Salvatoris, postquam contra sanctos dimicaverit: atque ita fieri, ut media hebdomas confirmet testamentum Dei cum sanctis, et rursum media cessationem victimarum esse prænuntiet sub Antichristo, qui ponet abominationem desolationis, id est, idolum et statuam proprii Dei in templo, et erit extrema vastitas, et condemnatio populi Judæorum, qui spreta veritate Christi, receperunt Antichristi mendacium. Asserit autem idem Apollinarius hanc se temporum capere conjecturam, quia Africa-

[a] Vatic., *non reprobat:* Palat. *qua ex parte non reprobatur:* tum *quod plenius hebdomadas annorum in septuaginta* etc.

[b] In Commentariis in Danielem, sive Opere *de Susannæ historia.*

nus scriptor temporum, cujus supra expositionem posui ultimam hebdomadam in fine mundi esse testetur: nec posse fieri, ut junctæ dividantur ætates; sed omnia sibi juxta prophetiam Danielis esse tempora copulanda. Clemens vir eruditissimus, presbyter Alexandrinæ Ecclesiæ, parvipendens annorum, numerum, **691** a Cyro rege Persarum, usque ad Vespasianum, et Titum imperatores Romanos, septuaginta annorum hebdomadas dicit esse completas, id est, annos quadringentos nonaginta, additis in ipso numero duobus millibus trecentis diebus, de quibus supra diximus: Persarumque, et Macedonum, et Cæsarum tempora in his hebdomadibus enumerare conatur, cum juxta diligentissimam supputationem, a primo anno Cyri regis Persarum atque Medorum, in quo imperavit et Darius, usque ad Vespasianum, et eversionem templi, supputentur anni sexcenti triginta. Origines cum profuisset hoc idem capitulum, hortatus est nos, ut quæramus quod non intelligimus, et quia non habebat locum allegoria, in qua est libera disputatio, historiæ veritate conclusus, hæc in decimo Stromatum volumine breviter annotavit: « Studiosius requirenda sunt tempora a primo anno Darii filii Assueri usque ad adventum Christi, quot anni sint, et quæ in illis gesta dicantur, et videndum est an ea possimus adventui Domini coaptare. « Tertullianus quid dixerit, ex eo libro quem contra Judæos scripsit, nosse poterimus, cujus verba breviter ponenda sunt: « Unde igitur ostendemus, quia Christus venit intra sexaginta duas [a] hebdomadas? Numeremus a primo anno Darii, quoniam ipso tempore ostenditur Danieli visio ipsa. Dicit enim ei: *Intellige, et conjice a* [b] *prophetatione* **692** *sermonis respondere me tibi hæc.* Unde a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Daniel. Videamus igitur anni quomodo impleantur usque ad adventum Christi. Darius annis regnavit decem et novem; Artaxerxes annis quadraginta; Ochus qui et Cyrus, annis viginti quatuor; [c] Argus anno uno. Darius alius, qui et Melas nominatus est, annos viginti [d] unum. Alexander Macedo annis duodecim. Deinde post Alexandrum (qui et Medis, et Persis regnaverat, quos devicerat, et in Alexandria regnum suum firmaverat, quando et nomine suo eam appellavit) [e] regnavit illic in Alexandria Soter annis triginta quinque: cui successit Philadelphus, regnans annis triginta [f] octo. Post hunc Evergetes regnavit annis viginti quinque: deinde Philopator annis decem et septem, et post hunc Epiphanes annis viginti quatuor. Item alius Evergetes annis viginti [g] novem. Soter annis triginta octo. Ptolemæus annis triginta[h] septem. Cleopatra annis vigenti mensibus [i] quinque. Item Cleopatra conregnavit Augusto annis tredecim. Post Cleopatram Augustus aliis annis quadraginta tribus imperavit. Nam omnes anni Augusti imperii fuerunt numero (*Al.* anni) quinquaginta sex. Videamus (*Al.* videmus) autem quoniam in quadragesimo primo anno imperii Augusti, qui post mortem [j] Cleopatræ imperavit, **693** nascitur Christus, et supervixit idem Augustus, ex quo natus est Christus, annos numero quindecim. Et erunt reliqua tempora annorum in diem Nativitatis Christi, in annum Augusti quadragesimum primum, post mortem Cleopatræ, anni quadringenti triginta septem, menses quinque. Unde adimplentur sexaginta duæ hebdomades et dimidia, quæ efficiunt annos quadringentos triginta septem, menses sex in diem Nativitatis Christi. Et manifestata est justitia æterna, et unctus est sanctus sanctorum, id est, Christus, et signata est visio, et prophetia, et dimissa sunt peccata, quæ per fidem nominis Christi omnibus in eum credentibus tribuuntur. Quid est autem quod dicit, *signari visum et prophetiam?* quoniam omnes prophetæ nuntiabant de ipso quod esset venturus, et pati haberet. Igitur

[a] Penes Tertullianum *inter septuaginta duas et dimidiam hebdomadas.*

[b] Legit Pomerius a Pamelio laudatus, *intellige prophetationes sermonis hujus:* sed placet, inquit Pamelius, vulgata lectio *a profectione sermonis*, etc.

[c] Hunc plerique omnes appellant *Arsen.* Canon Mathematic. *Arogum* vocat.

[d] In Vulgatis Tertulliani *annos viginti duos.*

[e] Addunt nostri mss. editique Tertulliani codd. *Post eum*, quas voces Victorius, utpote jam apposita parenthesi redundantes, expunxit.

[f] Huic quoque alterum annum largitur, sive annos ponit *triginta novem* vulgatus Tertullianus, cui Pomerius et Glossa consentiunt. Atque adeo est, inquit Pamelius, etiam apud B. Hieron. castigandus hic annorum numerus.

[g] Nostri mss. *viginti septem* dumtaxat numerant, quemadmodum et Pomerius.

[h] Pamelius *triginta octo* restituit, sicque emendandum contendit etiam apud Hieron. et Pomerium, ut constet numerus annorum 456, maxime, inquit, cum Eusebius Ptolemæo Cleopatræ filio (si mendosus non sit codex) octo, et Ptolemæo Dionysio triginta annos attribuat, quos duos pro uno et eodem alii connumerant.

[i] Idem restituit *sex* ex Glossa ordinaria tum hic tum postea, et ex tribus illis, de Augusto: *annis quadraginta tribus*, pro *quadraginta octo:* nam tredecim anni cum Cleopatra, et quadraginta tres post illam, *fuerunt anni quinquaginta sex.* Mox apud Tertullian. *Item adhuc Cleopatra conregnavit sub Augusto*, etc.

[j] Pamelius ait: Quod hic et paulo post habet Auctor: *post mortem Cleopatræ*, certe ad lapsum memoriæ pertinet, et tamen genuinum esse vel inde patet, quod computatione sequenti ann. CCCCXXXVII, computet et annos Cleopatræ sub Augusto XIII, et præterea Augusti XLI, cum revera solum debuisset computare (uti Clemens Alexandrinus) annos Augusti post Cleopatram XXIX. Atque adeo rursum hallucinator, quum dicit supervixisse Augustum post natum Christum annos XV, qui alioqui secundum priorem ejus computationem non potuit vixisse post Cleopatræ an. 13, et suos 41, quam annos duos; quippe quem fatetur juxta communem omnium sententiam imperasse dumtaxat annos numero LVI, ubi etiam hoc loco, additur vox *numero*, ex lectione Pomerii, B. Hieronymi ac Glossæ ordinariæ, qui etiam legunt: *Et erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis Christi et in annum Augusti* XLI *post mortem Cleopatræ anni* CCCCXXXVII, *menses sex:* rectius meo judicio, quam vulgati codd. *in diem nativitatis Christi anni* XLI. *Efficiuntur autem anni* 137, *menses quinque.* Sicuti etiam quod habet Pomerius, *remittuntur*, magis placet quam quod erat, *tribuuntur*, quia improprie dicerentur *tribui peccata*, pro *dimitti.* Item: *ipso*, pro *illo;* ex iisdem legimus, *ipse est signaculum.* Perinde est autem, sive legas: *neque prophetes est qui*, sive: *neque prophetia est qua.*

quoniam impleta est prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem, et prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nuntiabant. Post adventum enim, et passionem ejus [*Al.* Christi], jam non est visio, neque Prophetia [*Al.* prophetes] quæ Christum nuntiet esse venturum. Et post paululum : Videamus, inquit, [a] quid aliæ septem, et dimidia hebdomades quæ sunt subdivisæ in abscissione priorum hebdomadarum, in quo actu sint adimpletæ. Post Augustum enim, [b] qui supervixit post nativitatem Christi, anni quindecim efficiuntur. Cui successit Tiberius Cæsar, et imperium habuit annis viginti duobus, mensibus septem, diebus [c] viginti octo. Hujus imperii decimo quinto anno [d] patitur Christus, annos **694** habens quasi triginta tres cum pateretur. Item Caius Cæsar qui et Caligula, annis tribus, mensibus octo, diebus tredecim. Nero annis novem, mensibus novem diebus tredecim. Galba mensibus septem, diebus [e] viginti octo. Otho mensibus tribus, diebus quinque. Vitellius mensibus octo, diebus [f] viginti octo. Vespasianus anno primo imperii sui debellavit Judæos, et fiunt anni numero quinquaginta duo, menses sex. Nam imperavit annis undecim, atque ita in diem expugnationis suæ, Judæi impleverunt hebdomadas septuaginta prædictas a Daniele. » Hebræi quid de hoc loco sentiant brevi sermone pertringam [*Al.* perstrinxi], fidem dictorum his a quibus dicta sunt derelinquens. Dicamus igitur παραφραστικῶς, ut sensus manifestior fiat. O Daniel, scito quod a die hac qua tibi nunc loquor (erat autem annus primus Darii, qui occidit Balthasar, et regnum Chaldæorum in Persas Medosque transtulit) usque ad septuagesimam annorum hebdomadam, hoc est annos quadringentos nonaginta, hæc populo tuo per partes accident. Primum propitiabitur tibi Deus, quem nunc magnopere deprecaris, et delebitur peccatum, et finem accipiet prævaricatio. Nunc enim urbe deserta, et templo usque ad fundamenta destructo, in luctu est populus constitutus : sed non post grande tempus instaurabitur. Et non solum hoc fiet in his septuaginta hebdomadibus ut ædificetur civitas, et templum instauretur, sed nascatur Christus, id est, justitia sempiterna. Et signabitur visio, et prophetia, ut nequaquam propheta inveniatur in Israel, et ungatur sanctus sanctorum. De quo in Psalterio legimus : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* **695** *præ consortibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Qui et in alio loco dicit de se : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (*Levi* XIX, 2). Scito igitur quoniam a die hac qua hunc tibi loquor, et Dei sermone promitto, quod revertatur populus, et Jerusalem instauretur, usque ad Christum ducem, et perpetuam desolationem templi, hebdomadæ numerentur sexaginta duæ, necnon et aliæ septem hebdomadæ, in quibus juxta ordinem suum duæ res fient, de quibus et ante jam dixi, quod revertatur populus, et ædificetur platea a Neemia et Esdra. In fine ergo hebdomadarum complebitur Dei sententia in angustia temporum, quando rursum destruetur templum, et capietur civitas. Nam post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est, sive ut illi dicunt, non erit illius [*Al.* illis] imperium, quod putabant [g] se retenturos. Et quid dico de Christo occidendo, et populo penitus deserendo auxilio Dei, cum civitatem, et sanctuarium dissipaturus sit populus Romanus, cum duce venturo Vespasiano? Quo mortuo, transactis septem hebdomadis, id est, annis quadraginta novem, Ælius Hadrianus, et quo postea de ruinis Jerusalem urbs Ælia condita est, rebellantes Judæos, Timo Rufo magistro exercitus pugnante, [h] superavit. Et tunc deficiet hostia et sacrificium, et usque ad consummationem mundi, et finem perseverabit desolatio. Nec nos, inquiunt, moveat, quod primum numerentur septem hebdomadæ, et postea sexaginta duæ, et rursum una, quæ in duas partes dividitur. Est enim hoc idioma sermonis Hebraici, et antiquorum sermonis Latini, ut ante [i] minorem numerum supputent, et postea majorem. Verbi gratia, non juxta proprietatem linguæ nostræ nunc dicimus : Abraham vixit annis centum septuaginta quinque : illi econtrario loquuntur : vixit Abraham annis quinque, et septuaginta, et centum. Non igitur ut legitur ita impletur, sed ut totum pariter supputetur, ita finem accipit. Nec ignoramus quosdam illorum dicere, quod una hebdomada, de qua scriptum est : **696** *Confirmabit pactum multis*

[a] Superfluum *quid* Pamelius expungit.

[b] Palat. ms. *quibus supervixit :* mox *anni quindecim* pro *annis quindecim* ex Vatic. aliisque mss. emendamus, interpunctione insuper castigata. Pamelius videtur, inquit, legi debere *primum Augusti* pro, *Post enim Augustum :* quia isti anni XV ipsius sunt Augusti.

[c] Penes Tertullianum *viginti* dumtaxat, in quem locum Pamelius, tametsi, inquit, B. Hieronymus, Pomerius et glossa ordinaria legunt *viginti octo*, placet tamen vulgata lectio, maxime cum dies Auctor non computet. Nam uti est in Fastis Consularibus Goltzii : ANNO AB URB. C. DCCLXXXIX. AD XVII. KAL. APRIL. TIB. CÆSAR DIVI AUG. F. DIVI JULII NEPOS AUGUSTUS MORTUUS EST. A mente autem Augusto supradicto anni V, c. 766, ad mensem usque Martium anni 789, sunt dumtaxat anni XXII, menses VII.

[d] In Vatic. ms. *baptizatur* pro *patitur*, ferme cum Glossa ordinaria, omittens et illud paulo post, *cum pateretur*. Quin etiam juncto Palatino ipsiusque Tertulliani codicibus *non triginta tres*, sed *triginta* tantum Christi annos computat. Apparet innui Evangelii testimonium, quod anno XV Tiberii baptizatus est Christus, quasi annorum triginta.

[e] Prætulit Pamelius *sex* pro *viginti octo :* quia, inquit, imperavit dumtaxat VII mensibus et diebus paucissimis, nempe a IV idus Junias, usque ad XVIII kal. Februarias.

[f] Iterum pro *viginti octo* penes Tertullian. *decem* legitur, quod Pamelius ex eo probat, quod A. Vitellius imperarit a die XII kal. Maias usque ad IX kal. Januarias quo die occisus est, mensibus nempe octo et diebus aliquot.

[g] Sic emendat. Vatic. ms. Antea erat, *quod putabat se redempturum*.

[h] Fortasse *superabit*. Mox vero Vatic. *defecit* pro *deficiet*.

[i] Adito conterraneum meum Card. Norisium de

*hebdomada una :* dividatur in Vespasiano et in Hadriano : quod juxta historiam Josephi, Vespasianus et Titus tribus annis et sex mensibus pacem cum Judæis fecerint. Tres autem anni et sex menses sub Hadriano supputantur, quando Jerusalem omnino subversa est, et Judæorum gens catervatim cæsa ; ita ut Judææ quoque finibus pellerentur. Hæc loquuntur Hebræi, non magnopere curantes a primo anno Darii regis Persarum, usque ad extremam subversionem Jerusalem, quæ sub Hadriano eis accidit, supputari Olympiades centum septuaginta quatuor, id est, annos sexcentos nonaginta sex, qui faciunt hebdomadas Hebraicas nonaginta novem, et annos tres : quando Cochebas dux Judæorum oppressus est, et Jerusalem usque ad solum diruta est.

(Cap. X. — Vers. 1.) *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli, cognomento Balthasar, et verbum verum, et fortitudo magna : intellexitque sermonem. Intelligentia enim est opus in visione.* Et quomodo in fine primæ legimus visionis : *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis?* Fuisse ergo eum apud Chaldæos in pristina dignitate purpura byssoque vestitum, usque ad annum primum Cyri regis intelligimus, quando subvertit Chaldæos, et postea cœpit esse cum Dario filio Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum. Aut certe jam Dario mortuo, cujus anno primo septuaginta hebdomadarum sacramenta conoverat ; nunc tertio anno regis Cyri hæc vidisse narratur. *Et verum verbum, et fortitudo magna.* Sive Dei qui ista facturus est, sive prophetæ qui hæc intellecturus est.

(Vers. 2.) *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus : panem desiderabilem non comedi, et caro, et vinum non introierunt in os meum : sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Hoc docemur exemplo, tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere (quod ego puto nunc dici panem desiderabilem), nec carnem comedere, nec [a] vinum bibere : **697** insuper et unguenta non quærere. Qui mos apud Persas et Indos hodie quoque servatur, ut pro balneis utantur unguentis. Tres autem jungit hebdomadas affligens animam suam : ne transitoria et fortuita videatur deprecatio. Secundum Anagogen vero hoc dicendum est quod qui in luctu est, et sponsi luget absentiam, non comedit panem desiderabilem, qui de cœlo descendit ; neque solidum capit cibum, qui intelligitur in carne, nec bibit vinum, quod lætificat cor hominis, nec exhilarat faciem in oleo, juxta illud quod in psalmis legimus : *Ut exhilaret faciem in oleo* (*Ps.* CIII, 15). Hoc autem [b] jejunio sponsa impetrabiles facit lacrymas, quando sponsus fuerit ablatus ab ea. Recte quoque Daniel audet Dominum deprecari, quia jam ex parte primo anno regis Cyri, Judæorum fuerat laxata captivitas.

(Vers. 4.) *Die autem vicesima et quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum qui est Tigris.* Et Ezechiel juxta fluvium Chobar vidit visionem magnam (*Ezech.* I). Et Domino Salvatori, et Baptistæ Joanni super fluenta Jordanis aperiuntur cœli (*Mat.* III). [c] Unde eorum deliramenta conticescant, qui umbras et imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina, et arbores, et paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere.

(Vers. 5.) *Et levavi oculos meos, et vidi.* Elevatione opus est oculorum, ut visionem mysticam cernere valeamus.

*Et ecce vir unus vestitus lineis.* Pro *lineis*, quod interpretatus est Aquila, Theodotio BADDIM posuit, Septuaginta, *byssina*, Symmachus [d] ἐξαίρετα, id est *præcipua*. Pro eo autem, quod nos juxta Hebraicum vertimus : *ecce vir*, Symmachus posuit, *quasi vir :* non enim vir erat, sed viri habebat similitudinem.

*Et renes ejus accincti auro obryso.* Pro quo in Hebræo legitur [e] אוּפָז OPHAZ, quod Aquila ita interpretatus est : *Et lumbi ejus accincti erant colore* ὠφάζ.

**698** (Vers. 6.) *Et corpus ejus quasi chrysolithus.* [f] Pro chrysolitho, qui unus est de duodecim lapidibus qui ponuntur in Logio Pontificis, in Hebræo habet תַּרְשִׁישׁ THARSIS, quod Theodotio et Symmachus eodem verbo interpretati sunt : Septuaginta vero *mare* appellaverunt, juxta illud quod in psalmo legimus : *In spiritu violento confringes naves Tharsis* (*Ps.* XLVII, 8), id est, *maris*. Et Jonas fugere cupiebat non in *Tharsum* urbem Ciliciæ, ut plerique æstimant, litteram ponentes pro littera, vel Indiæ regionem, ut [g] putat Josephus : sed absolute in pelagus (*Jon.* I).

Epochis Syro-Macedonum Dissert. III, cap. 4, qui plura ad hunc Hieronymi locum illustrandum ex Nummis confert. Sed et veteres Inscriptiones ejusmodi supputationis nonnullæ superant.

[a] Sic Epist. C, sive Theophili Paschalis III, n. 6 : *Nequaquam diebus quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent, vini poculum suspiremus.* Et num. 8, *jejuniorum tempore a vino et carnibus abstinendum.* Vid. quæ in eum locum observamus. Mox Palat. ms., *et unguento non ungere.*

[b] Duo mss. : *Hoc autem jejunium impetrabiles*, etc. omisso *sponsæ* nomine.

[c] Tota subsequens periodus : *Unde eorum deliramenta*, etc. contra Origenistas in nostris mss. non habetur.

[d] In aliis mss. ἐξαίρεταν, et Latinis litteris *exere-tan.* Aquilæ autem hanc interpretationem Palatin. ms. ascribit, non Symmacho.

[e] Palatin. cum Sangermanen. penes Montfaucon. ms. *Opaz*, et pro Græco ὠφάζ, quod subsequitur, latine *ophaz* legunt.

[f] Post hæc verba addunt editi libri : *De quibus in explanatione Ezechielis plenius interpretati sumus : nunc de chrysolitho pauca dicamus.* Quem imperitissimum commentarium nullus codicum mss. nostrorum retinet, falsum quoque et supposititium agnoscimus, quia Hieronymus nondum scripserat in Ezechielem, cum Danielem commentariis illustravit. MART.

[g] Quod Josephum laudat, inutile est, inquit Drusius. Libro enim IX, c. II Antiquit. diserte ait Jonam prophetam navigare proposuisse Tarsum urbem

(Vers. 7.) *Vidi autem ego Daniel solus visionem : porro viri qui erant mecum non viderunt : sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum.* Et Paulus apostolus simile quid in Actibus apostolorum passus est, ut, cæteris non cernentibus, visionem solus aspiceret (*Actor.* XXII).

(Vers. 10.) *Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea*, etc. In hominis figura videtur angelus, et humanam ad prophetam jacentem mittit manum : ut sui generis corpus aspiciens nequaquam paveat.

(Vers. 11.) — *Et dixit ad me : Daniel vir desideriorum*, etc. Congruenter vir desideriorum vocatur, qui instantia precum et afflictione corporis, jejuniorumque duritia cupit scire ventura, et Dei secreta cognoscere. Pro *viro desideriorum* Symmachus interpretatus est, *virum desiderabilem*. Omnis enim sanctus habens in se animæ pulchritudinem, amatur a Domino.

(Vers. 12.) *Et dixit ad me : Noli metuere, Daniel : quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei* [Al. *Domini*] *tui, exaudita sunt verba tua, et ego egressus sum ad verba tua* [Vulg. *veni* propter sermones tuos]. Vicesima quarta die mensis primi, id est, Nisan, expletis tribus hebdomadibus, hoc est, viginti diebus et uno cernit hanc visionem : et audit ab angelo, quod ex die primo quo orare cœperit, et affligere se in conspectu Dei, exaudita sunt verba ejus. Quæritur, si statim exauditus est, cur non statim **699** ad eum missus sit angelus. Data est ei per moram occasio amplius Deum deprecandi : ut ex eo quod plus desiderat, per laborem plus audire mereatur. Quod autem ait : *Et ego ingressus sum ad verba tua*, hunc habet sensum : Postquam tu cœpisti bonis operibus, et lacrymis atque jejunio Dei invocare misericordiam, et ego accepi occasionem, ut ingrederer in conspectu Dei, et orarem pro te.

(Vers. 13.) *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus*. Videtur mihi hic esse angelus cui Persis credita est, juxta illud quod in Deuteronomio legimus : *Quando dividebat Altissimus gentes et disseminabat filios Adam : statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei* (*Deut.* XXXII, 8). Isti sunt principes de quibus et Paulus apostolus loquitur : *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum sæculi hujus cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1 *Cor.* II, 6). Restitit autem princeps, id est, angelus Persarum, faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Et forsitan cum prima die ex quo posuit cor suum propheta ad intelligendum, exauditus sit a Deo, idcirco non statim missus est angelus qui ei Dei indulgentiam nuntiaret : quia viginti et uno diebus restitit ei princeps Persarum, enumerans peccata populi Judæorum, quod juste tenerentur captivi, et dimitti non deberent.

*Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi* [Vulg. *meum*]. Resistente Persarum angelo precibus tuis, et meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam, venit in adjutorium mihi angelus Michael qui præest populo Israel. Principes autem primos, archangelos intelligimus.

*Et ego remansi ibi juxta regem Persarum*. Regem Persarum angelum, id est, principem vocat, et ostendit quod juxta Michaelem sit paululum moratus, qui contra principem Persarum loquebatur.

(Vers. 14.) *Veni autem ut docerem te quæ ventura sint populo tuo in novissimis diebus*. Quod Daniel deprecatus est, hoc a Deo meretur audire, quid futurum sit populo Israel non in vicino tempore, sed **700** in novissimis diebus, id est, in consummatione sæculi.

(Vers. 16.) [a] *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ*, etc. Sic Theodotio interpretatus est, juxta illud quod in centesimo secundo psalmo legimus : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea, nomen sanctum ejus*. Prius enim quam visionem Dei videre mereamur, interiora nostra foras aspiciunt ; cum autem viderimus visionem Dei, convertentur in nos interiora nostra, toti in illis sumus de quibus et in alio psalmo scribitur : *Omnis gloria ejus filiæ regum* [b] *ab intus, in fimbriis aureis* (*Ps.* XLIV, 41).

(Vers. 19.) *Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi : Loquere, Domine mi, quia confortasti me. Et ait.* Nisi enim confortasset eum tactus quasi filii hominis, et pavor recessisset ex corde, sacramenta Dei audire non poterat, et idcirco nunc ait : Quia confortasti me, loquere, Domine. Tu enim fecisti ut possim, et audire, et sentire quæ loqueris.

(Vers. 20.) *Numquid scis quare venerim ad te? et nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum*. Quod dicit hoc est : Veni quidem ut docerem te exauditas preces tuas : sed reversurus sum rursum ut pugnem contra principem Persarum in conspectu Dei, qui non vult populum tuum de captivitate laxari.

*Cum enim* [Vulg. *ergo*] *egrederer, apparuit princeps Græcorum ingrediens* [Vulg. *veniens*]. Ego, in-

---

Ciliciæ. Sed et lib. I, c. II : *Tharsis*, inquit, *est Tharsus. Sic antiquitus vocabatur Cilicia. Unde hodieque Tarsus apud eos maxima civitatum totius provinciæ antiquum nomen retinuit, θ in T mutato.* Quia ipse quoque Hier. ubi Jonæ locum enarrat, sic habet : *Unde incitatus Cain, et recedens a facie Domini, fugere voluit in Tharsis, quam Josephus interpretatur Tarsum Ciliciæ civitatem, prima tantum littera commutata.* Proinde suspicatur hunc locum cubare in mendo, sicque fortasse restituendum : *Non in Tarsum Ciliciæ, ut putat Josephus, litteram ponens pro littera, vel Indiæ regionem, ut plerique existimant.*

[a] Nostri mss. : *Domine, in visione tua conversa sunt interiora mea in me.*

[b] Vatic. et Palatin., *intrinsecus*, tacentque præterea *in fimbriis aureis*. Victor. ex Vulgata editione et Græco *filiæ regis ab intus*. Paulo ante vocem *psalmo*, quæ deerat, ex mss. suffecimus.

quit, egrediebar de conspectu Dei, ut tibi nuntiarem quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus : licet adhuc non sim securus, stante Persarum principe, et contradicente tuis precibus ac meæ legationi. Et ecce princeps Græcorum, id est, Macedonum, veniebat, et ingressus est in conspectu Dei, ut accusaret Persarum principem atque Medorum : ut in locum eorum, regnum Macedonum succederet. Et revera mira sacramenta Dei ; laxato enim de captivitate populo Judæorum, Persarum regnum atque Medorum, interfecto Dario, subvertit Alexander, rex Macedonum, et princeps Græcorum vicit principem Persarum.

*Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis.* Hic ordo lectionis est : Adhuc res in dubio est. Te enim precante Dominum, **701** et me offerente orationes tuas, stat e regione princeps Persarum, et non vult populum tuum de captivitate laxari. Ego autem, quia venit princeps Græcorum, et interim pugnat contra principem Persarum, habens illic Michaelem in adjutorium, donec illi inter se dimicant, referam tibi quæ Deus mihi futura prædixerit, et tibi narranda præceperit. Nullique oriatur scrupulus quare pro principe Macedonum, principem Græcorum dixerit, hoc est, Ἑλλήνων. Alexander enim rex Macedonum, primum subversa Græcia, et subjecta potestati suæ, in Persas arma corripuit.

*Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.* Ego sum, inquit, angelus ille qui offero Deo orationes tuas, et nullus est alius qui adjutor meus sit rogandi pro vobis Deum, nisi Michael archangelus, cui creditus est populus Judæorum. Et interim hoc tempore ego et princeps Græcorum communi labore adversum Persarum principem dimicamus. Revolvendæ sunt veteres historiæ, et [a] considerandum ne forte illud tempus significet quando Persæ a Græcis victi sunt. Juxta editionem Vulgatam usque ad finem libri una putatur visio, quæ anno tertio Cyri Regis Persarum apparuit Danieli. Porro juxta Hebraicam veritatem, separata sunt quæ sequuntur, et scripta ordine præpostero. De cujus causis supra diximus : Non enim sub Cyri anno tertio, sed sub Darii primo qui subvertit Balthasar, narrantur ista quæ scripta sunt.

(Cap. XI. — Vers. 1.) *Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam, ut confortaretur et roboraretur.* Ego, inquit Daniel, ab anno primo regis Darii qui subvertit Chaldæos, et me de manu inimicorum, quantum in se fuit, liberavit (ob custodiam meam etiam lacum leonum suo signans annulo, ne me adversarii interficerent), stabam in conspectu Dei, et rogabam ejus clementiam, pro eo qui me diligebat, ut confortaretur, vel ipse, vel regnum ejus, et roboraretur. Cumque in oratione persisterem, hæc, Domino respondente, cognovi. Consuetudinis autem prophetarum est, repente personas **702** introducere sine ulla præfatione verborum : ut est illud in psalmo tricesimo primo ; cum enim rogasset Dominum propheta, et dixisset : *Tu es refugium meum a tribulatione* [b] *mea quæ circumdedit me ; exsultatio mea, erue me a circumdantibus me*, repente persona Dei introducitur respondentis : *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos* (Vers. 7, 8). Ergo et nunc narrante propheta : Ab anno primo Darii Medi, stabam et deprecabar, ut confortaretur et roboraretur ejus imperium, Deus repente respondit :

(Vers. 2.) — *Et nunc veritatem annuntiabo tibi.* Estque sensus : Quia vis nosse de Persarum regibus quid futurum sit, audi ordinem rerum, et ausculta quod quæris.

*Et ecce tres adhuc reges stabunt in Perside : et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes : et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ.* Quatuor reges post Cyrum dicit in Perside surrecturos, Cambysen filium Cyri, et Smerden Magum qui Pantapten filiam Cambysis duxit uxorem. Qui cum a septem Magis fuisset occisus, et in locum ejus Darius suscepisset imperium, eadem Pantaptes nupsit Dario, et ex eo Xerxen genuit filium, qui potentissimus rex et ditissimus, adversum Græciam innumerabilem duxit exercitum, et ea gessit quæ Græcorum narrant historiæ. Succendit enim Athenas sub principe Callia, bellumque eo tempore gestum est in Thermopylis, et apud Salaminam navale certamen : quando Sophocles et Euripides clari habebantur, et Themistocles in Persas fugiens, hausto tauri sanguine, periit. Frustra igitur quidam Darium regem quartum, qui ab Alexandro superatus est, scribit ; qui non quartus, sed quartus decimus post Cyrum Persarum rex fuit : quem septimo imperii sui anno et superavit et occidit Alexander. Et notandum quod, quatuor post Cyrum regibus Persarum enumeratis, novem [c] præterierit et transierit ad Alexandrum. Non enim curæ fuit spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quæque perstringere.

**703** (Vers. 3.) *Surget vero rex fortis, et dominabitur potestate multa : et faciet quod placuerit ei. Et cum steterit, conteretur regnum ejus.* Perspicue de magno Alexandro rege Macedonum loquitur, qui Philippi filius fuit : hic enim Illyricis, Thracibusque superatis, victa Græcia Thebisque subversis, transivit in Asiam : et fugatis Darii ducibus, urbem Sardis cepit : posteaque capta India, et urbe Alexandria condita, cum triginta et duos ætatis haberet annos, et duodecimum imperii annum, in Babylone veneno periit.

(Vers. 4.) *Et dividetur in quatuor ventos cœli ; sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius qua dominatus est.* Post Alexandrum in qua-

[a] Nostri mss. ipseque Victorius ex Florentinis sic legunt. Antea *considerandæ*.

[b] Abest a nostris mss. *mea*, quæ vox neque in Græco est textu.

[c] Puta Artaxerxen Longimanum, Xerxen, Sogdianum, Darium Nothum, Artaxerxen Memnonem, Artaxerxen Ochum, Arsetem, Darium Codomanum qui ab Alexandro superatus est.

tuor ventos cœli : orientem videlicet, et occidentem, meridiem, et septentrionem, regnum illius divisum est. In Ægypto enim primus regnavit Ptolemæus Lagi filius, id est, ad meridiem. In Macedonia Philippus, qui et Arideus, frater Alexandri, id est, ad occidentem. Syriæ et Babylonis, et superiorum locorum, Seleucus Nicanor, id est, ad orientem. Asiæ et Ponti cæterarumque in ipsa plaga provinciarum Antigonus, id est, ad septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas dicimus. Cæterum qui in Judæa est, ad Aquilonem Syriam, et ad Meridiem Ægyptum habet. Quod autem ait : *sed non in posteros ejus*, hoc significat, quod liberos non habuerit : sed regnum ipsius in alienos laceratum sit : excepto fratre Philippo, qui Macedonas tenuit. Neque secundum potentiam illius qua dominatus est. Divisum enim in quatuor partes regnum imbecillius fuit : dum adversus se dimicant, et intestino furore bacchantur.

*Lacerabitur* [Al. *delebitur*] *enim ejus regnum etiam in externos : exceptis his.* Præter regna quatuor, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ et Ægypti, etiam in alios obscuriores, et minores reges Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdiccam, et Craterum, et Lysimachum. Nam Cappadocia, et Armenia, Bithynia, et Heraclia, Bosphorusque et aliæ provinciæ de potestate Macedonum recedentes, diversos sibi reges constituerunt.

( Vers. 5. ) *Et confortabitur rex Austri.* Ptolemæum indicat filium Lagi, qui primus regnavit in Ægypto, et vir prudentissimus fortissimusque ac ditissimus fuit, **704** et tantæ potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarum expulsum restituerit [*Al.* restitueret] in regnum, Cyprumque obtinuerit et Phœnicen : et victo Demetrio filio Antigoni, Seleuco regni sui partem, quæ ab Antigono fuerat ablata, restituerit : Cariam quoque obtineret, et multas insulas urbesque et regiones, de quibus non est hujus temporis scribere. Idcirco autem cætera regna dimittens, Macedoniæ videlicet et Asiæ, tantum de Ægypti et Syriæ narrat regibus : quia in medio Judæa posita, nunc ab illis, nunc ab istis regibus tenebatur. Et Scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Judæis historiam texere, sed eam quæ Israeli populo copulata est.

*Et de principibus ejus prævalebit super eum : et dominabitur ditione. Multa enim dominatio ejus.* Iste est Ptolemæus Philadelphus secundus rex Ægypti, filius Ptolemæi superioris : sub quo LXX interpretes Alexandriæ Scripturam sanctam in Græcum dicuntur vertisse sermonem : qui et Eleazaro pontifici multa Jerosolymam, et in templi donaria vasa transmisit : cujus bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus, idem apud Græcos orator, et philosophus : tantæque potentiæ fuisse narratur, ut Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum vero duo millia, elephantos quos primus eduxit ex Æthiopia, quadringentos. Naves longas, quas nunc Liburnas vocant, mille quingentas; alias ad cibaria militum deportanda, mille : auri quoque et argenti grande pondus : ita ut de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia, et octingenta talenta argenti acceperit : et frumenti artabas (quæ mensura tres modios et tertiam modii partem habet) quinquies et decies centena millia.

(Vers. 6.) *Et post finem annorum fœderabuntur* (sive, ut Theodotio interpretatus est : *Et post annos illius commiscentur*). *Filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis, facere amicitiam : et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus; et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam juvenes* [Vulg. *adolescentes*] *ejus : qui confortabant eam in temporibus.* Primum Syriæ regnavit, ut diximus, Seleucus, cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Sother. Tertius et ipse Antiochus, **705** qui vocabatur Θεὸς, id est, *Deus*. Iste adversus Ptolemæum Philadelphum, qui secundus imperabat Ægyptiis, gessit bella quamplurima, et totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolemæus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicen, Antiocho uxorem dedit, qui de priore uxore nomine Laodice, habebat duos filios, Seleucum, qui cognominatus est Callinicus, et alterum Antiochum. Deduxitque eam usque Pelusium : et infinita auri, et argenti millia dotis nomine dedit : Unde φορνοφόρος, id est, *dotalis* appellatus est. Antiochus autem Berenicen consortem regni habere se dicens, et Laodicen in concubinæ locum, post multum temporis amore superatus, Laodicen cum liberis suis reducit in regiam. Quæ metuens ambiguum viri animum, ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit. Berenicen autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni et Genneo Antiochiæ principibus occidendam tradidit : filiumque suum majorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit. Et hoc est quod nunc dicitur : Post multos annos Ptolemæus Philadelphus et Antiochus Θεὸς facient amicitias : et filia Austri regis, hoc est Ptolemæi, veniet ad regem Aquilonis, id est, ad Antiochum, ut inter patrem ac virum jungat amicitias. Et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ; sed et ipsa Berenice, et qui eam adduxerunt, interficientur. Rex quoque Antiochus qui confortabat eam, hoc est, per quem poterat prævalere, veneno uxoris occisus est.

(Vers. 7-9.) *Et stabit de germine radicum ejus plantatio : et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis Aquilonis, et abutetur eis, et obtinebit. Insuper et deos eorum, et sculptilia, vasa quoque pretiosa auri et argenti captiva ducet in Ægyptum : ipse prævalebit adversus regem Aquilonis. Et intrabit in regnum rex Austri, et revertetur ad terram suam.* Occisa Berenice, et mortuo Ptolemæo Philadelpho patre ejus in Ægypto, frater illius et ipse Ptolemæus cognomento Evergetes, tertius successit in regnum, de plantatione et de germine radicis ejus, eo quod es-

set germanus: et venit cum exercitu magno, et ingressus est provinciam **706** regis Aquilonis, id est, Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria, et abusus est eis, et obtinuit, intantum ut Syriam caperet, et Ciliciam, superioresque partes trans Euphraten, et propemodum universam Asiam. Cumque audisset in Ægypto seditionem moveri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, et vasa pretiosa simulacraque deorum, duo millia quingenta: in quibus erant et illa quæ Cambyses, capta Ægypto, et in Persas portaverat. Denique gens Ægyptiorum idololatriæ dedita: quia post multos annos deos eorum retulerat, *Evergeten* eum appellavit. Et Syriam quidem ipse obtinuit; Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, et Xanthippo, alteri duci, provincias trans Euphraten.

(Vers. 10.) *Filii autem ejus provocabuntur: et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: et veniet properans, et inundans, et revertetur, et concitabitur: et congredietur cum robore ejus.* Post fugam et mortem Seleuci Callinici, duo filii ejus Seleucus cognomento Ceraunus, et Antiochus qui appellatus est Magnus, provocati spe victoriæ et ultione parentis, exercitu congregato adversus Ptolemæum Philopatorem, arma corripiunt. Cumque Seleucus major frater, tertio anno imperii esset occisus in Phrygia per dolum Nicanoris et Apaturii: exercitus qui erat in Syria Antiochum fratrem ejus cognomento Magnum de Babylone vocavit ad regnum. Et propterea nunc infert, quod duo quidem filii provocati sunt, et congregaverunt multitudinem exercituum plurimorum. Sed quod unus Antiochus Magnus venerit de Babylone in Syriam, quæ eo tempore tenebatur a Ptolemæo Philopatore filio Evergetis, qui quartus regnavit in Ægypto; eumque pugnasset adversum duces ejus, immo proditione Theodotii obtinuisset Syriam, quæ per successionem jam a regibus Ægypti tenebatur, in tantam venit audaciam, contempta luxuria Philopatoris, et magicis artibus, quibus inservire dicebatur, ut ultro Ægyptiis bellum conaretur inferre.

(Vers. 11, 12.) *Et provocatus rex Austri, egredietur, et pugnabit adversum regem Aquilonis: et præparabit multitudinem nimiam, et dabitur multitudo in manu ejus. Et capiet* **707** *multitudinem, et exaltabitur cor ejus: quia* [Vulg. *et*] *dejiciet multa millia: sed non prævalebit.* Ptolemæus enim cognomento Philopator, amissa Syria, proditione Theodotii, congregavit plurimam multitudinem, et ingressus est adversus Antiochum Magnum, quem nunc regem Aquilonis vocat, juxta situm Ægypti et Judææ provinciæ; idem enim locus pro qualitate regionis, alteri ad Austrum, alteri ad Aquilonem situs est. Verbi gratia: Si de Judæa dicamus, Ægyptiis ad aquilonem, Syriis ad austrum est. Inito ergo certamine juxta oppidum Raphiæ, quod in foribus Ægypti est, omnem Antiochus amisit exercitum, et per deserta fugiens, pene captus est. Cumque cessisset Syria, ad extremum fœdere et quibusdam conditionibus pugna finita est. Et hoc est quod Scriptura nunc dicit: *Dejiciet multa millia*, Ptolemæus Philopator; sed non prævalebit. Adversarium enim suum capere non potuit. Quodque sequitur.

(Vers. 13, 14.) *Et convertetur rex Aquilonis, et præparabit multitudinem multo majorem quam prius, et in fine temporum, annorumque veniet, properans cum exercitu magno et opibus nimiis. Et in temporibus illis, multi consurgent adversum regem Austri.* Antiochum Magnum significat, qui contempta Ptolemæi Philopatoris ignavia, eo quod deperiret Agathocleam [*Al.* Agathoclidam] psaltriam, fratremque ejus, et ipsum Agathoclen haberet concubinum, quem postea Ægypti ducem constituit, incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregavit. Et Ptolemæo Philopatore mortuo, adversum filium ejus, qui tunc quatuor annorum erat, et vocabatur Ptolemæus Ἐπιφανής, rupto fœdere, movit exercitum. Tantæ enim dissolutionis et superbiæ Agathocles fuit, ut subditæ prius Ægypto provinciæ rebellarent: ipsaque Ægyptus seditionibus vexaretur. Philippus quoque rex Macedonum, et Magnus Antiochus, pace facta, adversum **708** Agathoclen et Ptolemæum Epiphanen dimicarent, sub hac conditione, ut proximas civitates regno suo singuli de regno Ptolemæi jungerent. Et hoc est quod nunc dicit, multos consurgere adversus regem Austri, Ptolemæum scilicet Epiphanen, qui erat ætate puerili.

*Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruant* [Vulg. *corruent*]. Pugnantibus contra se Magno Antiocho et ducibus Ptolemæi, in medio Judæa posita in contraria studia scindebatur: Aliis Antiocho, aliis Ptolemæo faventibus. Denique Onias sacerdos assumptis Judæorum plurimis fugit in Ægyptum, et a Ptolemæo honorifice susceptus, [a] accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur: et concedente rege, templum exstruxit in Ægypto simile templi Judæorum, quod permansit usque ad imperium Vespasiani, annis ducentis [b] quinquaginta. Ipsa autem [c] urbs quæ voca-

[a] Tota hæc de Oniæ templo historia ex Josephi de Bello Jud. lib. VII, c. 10, translata est. Ille vero fusius regionem, quam a Ptolemæo accepit Onias, describens, δίδωσιν, ait, αὐτῷ χώραν ἑκατὸν ἐπὶ τοῖς ὀγδοήκονταὶ σταδίοις ἀπέχουσαν, Μέμφεως· νόμος δὲ οὗτος Ἡλιουπολίτης καλεῖται, ἔνθα φρούριον κατασκευασάμενος Ὀνίας, τὸν μὲν ναὸν οὐχ ὅμοιον ᾠκοδόμησε τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις, ἀλλὰ πύργῳ παραπλήσιον. Ubi vides abs Hieronymo, qui ait, *simile* exstructum Judaico templo, Josephum dissentire, qui *dissimile* fuisse tradit.

[b] Immo *trecentos quadraginta tres* numerat Josephus: χρόνος ἦν εἰς τὴν ἀπόκλεισιν τοῦ ναοῦ γεγονὼς ἀπὸ τῆς κατασκευῆς ἔτη τρία καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριακόσια. Rufinus vertit CCCXXXIII; legendum vero nuperus Josephi editor monet, CCXXXIII: quod clausum fuerit templum illud Vespasiani jussu paulo post Jerosolymitanum excidium circa annum U. C. 824. Vide Seldenum lib. I de Success. in Pontif. Hebr. c. VIII.

[c] Unde ait Josephus templum exstructum ἐν τῇ Ὀνίου καλουμένῃ.

batur Oniæ, dimicantibus postea adversus Romanos Judæis, ad solum usque deleta est: et neque urbis, neque templi, ullum restat vestigium. Sub occasione ergo Oniæ Pontificis, infinita examina Judæorum Ægyptum confugerunt. Eo tempore et Cyrenæorum multitudine repleta est. Asserebat enim [a] Onia se Isaiæ implere vaticinium scribentis: *Erit altare Domini in Ægypto, et titulus Domini in terminis ejus* (*Isai* XIX, 19). Et hoc est quod nunc dicit: *Filii prævaricatorum populi tui*, qui dereliquerunt legem Domini, volentes in alio loco præterquam jussum erat, Deo victimas immolare, extollentur in superbiam, et visionem, hoc est, Domini præceptum se implere jactabunt. Sed corruent: quia et templum et urbs postea destruentur. Cumque Antiochus teneret Judæam, missus Scopas [b] Ætholus, dux Ptolemæi partium, adversus Antiochum fortiter dimicavit, cepitque Judæam, et optimates Ptolemæi partium secum abducens, in Ægyptum reversus est.

**709** (Vers. 15, 16.) *Et veniet rex Aquilonis, et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas, et brachia Austri non sustinebunt: et consurgent electi ejus ad resistendum, et non erit fortitudo. Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, et non erit qui stet contra faciem ejus: et stabit in terra inclyta, et consumetur in manu ejus.* Antiochus enim volens Judæam recuperare, et Syriæ urbes plurimas, Scopam ducem Ptolemæi juxta fontes Jordanis, ubi nunc Paneas condita est, inito certamine fugavit, et cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolemæus duces inclytos Eropum, et Menoclem, et Damoxenum [*Vulg.* Damoxeum]. Sed obsidionem solvere non potuit: donec fame superatus Scopas manus dedit, et nudus cum sociis dimissus est. Quodque ait, *Comportabit aggerem*, illud significat, quod præsidium Scopæ in arce Jerosolymorum, annitentibus Judæis, multo tempore oppugnarit: et ceperit alias urbes, quæ prius a Ptolemæi partibus tenebantur, Syriæ, et Ciliciæ, et Lyciæ [*Al.* Lydiæ]. Eo enim tempore captæ sunt Aphrodisias, et Soloe, et Zephyrion, et Mallos, et Anemurium [*Al.* Anemurum], et Selenus, et Coracesium, et Coricus, et Andriace, et Limyra, et Patara [*Al.* Patra], et Xanthus, et ad extremum Ephesus: de quibus universis et Græca, et Romana narrat historia. Quodque intulit: *Et stabit in terra inclyta, et consumetur*, sive *perficietur in manu ejus*; terram inclytam, sive, ut Septuaginta interpretati sunt, *voluntatis*, hoc est, quæ complaceat Deo, Judæam significat, et proprie Jerusalem, in qua honorifice [c] susceptos eos qui partium Scopæ erant, prosecutus est. Pro *terra inclyta*, quod interpretatus est Aquila, quem nos in hoc loco secuti sumus, Theodotio ipsum Hebraicum verbum posuit [d] σαβίν, pro quo Symmachus vertit, *terram fortitudinis*.

(Vers. 17.) *Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, et recta faciet cum eo. Et filiam feminarum dabit ei, ut evertat illum* [Vulg. *illud*]. Ut evertat illum, hoc est, Ptolemæum, sive illud, hoc est, regnum ejus. Volens Antiochus non solum Syriam, et Ciliciam, et **710** Lyciam, et alias provincias, quæ Ptolemæi fuerant partium, possidere, sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, filiam suam Cleopatram per Euclem Rhodium septimo anno regni adolescentis, despondit Ptolemæo, et tertiodecimo anno tradidit, data ei dotis nomine omni Cœlesyria et Judæa. Filiam autem feminarum per πλεονασμὸν vocat, ut est illud poeticum:

. . . . . Sic ore locuta est.
. . . . . Vocemque his auribus hausi.

(Vers. 18, 19.) *Et non stabit, nec illius erit. Et convertet faciem suam ad insulas, et capiet multas: et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium ejus convertetur in eum. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, et impinget, et corruet, et non invenietur.* Neque enim obtinere potuit Ægyptum: quia Ptolemæus Epiphanes et duces ejus, sentientes dolum, cautius se egerunt, et Cleopatra magis viri partes, quam parentis fovit. Unde venit se ad Asiam, et navali certamine adversum plurimas insulas dimicans, cepit Rhodum [*Al.* Irodum], et Samum, et Colophonam [*Al.* Colophoniam et Boclam], et Phoceam, et alias multas insulas. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cum fratre suo Publio Scipione Africano, qui Annibalem vicerat. Cum enim consul Nasica frater Africani hebetioris esset ingenii, et contra regem potentissimum senatus ei bellum nollet credere, spontaneam legationem obtulit Africanus pro fratris injuria. Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare jussus est, et inde fugit ad Apamiam, ac Susam, et ultimas regni sui penetravit urbes. Cumque adversum Elimæos pugnaret, cum omni est deletus exercitu. Et hoc est, quod nunc Scriptura dicit, quod multas insulas ceperit: et vincente Romano, regnum Asiæ perdiderit: et opprobrium ejus conversum sit in caput ejus: et ad extremum de Asia fugiens, reversus sit ad imperium terræ suæ, et impegerit atque corruerit, et locus ejus non sit inventus.

(Vers. 20.) *Et stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio: et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Seleucum dicit cognomento Philopatorem **711** filium Magni Antiochi, qui nihil dignum Syriæ et patris gessit imperio, et

[a] Hanc Isaiæ prædictionem alibi S. Doctor in Comment. in illum Isaiæ locum contra ipsum Oniam exagitat. Isaias quippe spiritale Christi regnum describens dixerat in Ægyptum usque propagatum iri.

[b] Nostri mss. *Æthioli*, sive *Eptoli filius* legunt. Vide Polybium lib. IV, cap. 26, etc.

[c] Rescribit Victorius ex ingenio, sive ad superioris contextus seriem, *susceptus*, scilicet Antiochus: et mox *persecutus* pro *prosecutus*.

[d] Verius, ut videtur, mss. Palatin. et penes Montfaucon. Sangerm. habent cum *r* et Latinis litteris *Sabir*. Sic Theodoritus: Τινὲς τῶν τὴν Ἑβραίων φωνὴν εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταβεβληκότων, γῆν τοῦ Σαβεὶρ κεκλήκασι. Videtur nihilosecius Theodotio posuisse Σαβεί, vel Σαβαείμ.

absque ullis prœliis inglorius periit. Porro Porphyrius non vult hunc esse Seleucum, sed Ptolemæum Epiphanen, qui Seleuco sit molitus insidias, et adversum eum exercitum præparârit, et idcirco veneno sit interfectus a ducibus suis. Quod cum unus ab illo quæreret, tantas res moliens ubi haberet pecuniam? respondit, sibi amicos esse divitias. Quod cum divulgatum esset in populis, timuerunt duces ne auferret eorum substantiam, et idcirco eum maleficis artibus occiderunt. Sed quomodo potest in loco Magni Antiochi stare Ptolemæus, qui hoc omnino non fecit: maxime cum LXX interpretati sunt, *et stabit de radice ejus plantatio*, id est, *de germine ejus, et semine*, percutiens dignitatem imperii: *et in paucis diebus conteretur absque ira et prœlio?* Hebræi vilissimum et indignum decore regio Tryphonem intelligi volunt, qui tutor pueri arripuit tyrannidem.

(Vers. 21 seqq.) *Et stabit in loco ejus despectus: et non tribuetur ei honor regius, et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, et conterentur insuper et dux fœderis. Et post amicitias cum eo faciet dolum, et ascendet, et superabit in modico populo. Et abundantes, et uberes urbes ingredietur: et faciet quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum ejus: rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit, et contra firmissimas cogitationes inibit, et hoc usque ad tempus.* Hucusque ordo historiæ sequitur, et inter Porphyrium ac nostros [*Al.* nos], nulla contentio est. Cætera quæ sequuntur usque ad finem voluminis, ille interpretatur super persona Antiochi qui cognominatus est *Epiphanes*, frater Seleuci, filius Antiochi Magni, qui post Seleucum undecim annis regnavit in Syria, obtinuitque Judæam, sub quo Legis Dei persecutio et Machabæorum bella narrantur. Nostri autem hæc omnia de Antichristo prophetari arbitrantur qui ultimo tempore futurus est. Cumque eis videatur illud opponi: quare tantos in medio dereliquerit sermo propheticus, a Seleuco usque ad consummationem mundi: respondent quod et in priori historia ubi de regibus Persicis dicebatur, quatuor tantum reges post Cyrum Persarum posuerit, et **712** multis in medio transilitis, repente venerit ad Alexandrum regem Macedonum: et hanc esse Scripturæ sanctæ consuetudinem, non universa narrare, sed ea quæ majora videantur exponere. Cumque multa quæ postea lecturi et exposituri sumus, super Antiochi persona conveniant, typum eum volunt Antichristi habere: et quæ in illo ex parte præcesserint, in Antichristo ex toto esse complenda. Et hunc esse morem Scripturæ sanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxta illud, quod de Domino Salvatore in septuagesimo primo psalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, et omnia quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire: Neque enim permansit ille *cum sole et ante lunam generationis generationum* (*Psal.* LXXI): neque dominatus est a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes servierunt ei, neque ante solem permansit nomen ejus: nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem et quasi in umbra, et imagine veritatis in Salomone præmissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur. Sicut igitur Salvator habet, et Salomonem, et cæteros sanctos, in typum adventus sui: sic et Antichristus pessimum regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, templumque violavit, recte typum sui habuisse credendus est. Sequamur igitur expositionis ordinem, et juxta utramque explanationem, quid adversariis, quid nostris videatur, breviter annotemus. *Stabit*, inquiunt, *in loco* Seleuci, frater ejus Antiochus Epiphanes, cui primum ab his qui in Syria Ptolemæo favebant non dabatur honor regius, sed postea simulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ. Et brachia pugnantis Ptolemæi, et universa vastantis, expugnata sunt a facie Antiochi atque contrita. Brachia autem fortitudinem vocat: unde et manus appellatur exercitus multitudo. Et non solum, ait, Ptolemæum vicit fraudulentia, sed ducem quoque fœderis, hoc est, Judam Machabæum superavit dolis. Sive quod dicit hoc est: Cum ipse obtulisset pacem Ptolemæo, et fuisset dux fœderis, postea est ei molitus insidias. Ptolemæum autem hic non Epiphanen significat, qui quintus regnavit in Ægypto, sed Ptolemæum **713** Philometorem, filium Cleopatræ sororis Antiochi, cujus hic avunculus fuit. Et cum post mortem Cleopatræ Eulaius eunuchus nutritius Philometoris, et Leneus Ægyptum regerent, et repeterent Syriam quam Antiochus fraude occupaverat, ortum est inter avunculum et puerum Ptolemæum prælium. Cumque inter Pelusium et montem Casium prælium commisissent, victi sunt duces Ptolemæi. Porro Antiochus parcens puero, et amicitias simulans, ascendit Memphim, et ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo omnem Ægyptum subjugavit sibi, et abundantes atque uberrimas ingressus est civitates. Fecitque quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum illius. Nullus enim regum Syriæ ita vastavit Ægyptum; et omnes eorum divitias dissipavit; et tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, sua fraude subverteret. Hæc Porphyrius sequens, [a] Sutorium sermone laciniosissimo prosecutus est, quæ nos brevi compendio diximus. Nostri autem et melius interpretantur, et rectius: quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judæorum, et tam humilis erit atque despectus, ut ei non detur honor regius, et per insidias et fraudulentiam obtineat principatum, et brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo, et conterantur: et hoc faciet quia simulabit se

[a] Antea *Suctorium*, alii libri *Suturium*: tum *latissimo* pro *laciniosissimo*. Vide superius Prologum hujusce Commentarii sub fin. nota *b*.

ducem esse fœderis, hoc est, Legis et Testamenti Dei. Et ingredietur urbes ditissimas, et faciet quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum illius. Nullus enim Judæorum absque Antichristo in toto umquam orbe regnavit. Et contra firmissimas cogitationes sanctorum inibit consilium, facietque universa usque ad tempus : donec eum Dei voluntas facere ista permiserit.

(Vers. 25, 26.) *Et concitabitur fortitudo ejus, et cor ejus adversus regem Austri in exercitu magno. Et rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, et fortibus nimis : et non stabunt, quia inibunt adversum eum consilia. Et comedentes panem cum eo conterent eum : exercitusque ejus opprimetur,* **714** *et cadent interfecti plurimi.* Hæc Porphyrius interpretatur de Antiocho, qui adversus Ptolemæum sororis suæ filium profectus est cum exercitu magno. Sed et rex Austri, id est, duces Ptolemæi provocati sunt ad bellum multis auxiliis, et fortibus nimis, et non potuerunt resistere Antiochi consiliis fraudulentis ; qui simulavit pacem cum sororis filio, et comedit cum eo panem, et postea occupavit Ægyptum. Nostri autem secundum superiorem sensum interpretantur omnia de Antichristo, qui nasciturus est de populo Judæorum, et de Babylone venturus, primum superaturus est regem Ægypti, qui est unus de tribus cornibus, de quibus antea jam diximus.

(Vers. 27, 28.) *Duorum quoque regum cor erit ut male faciant, et ad mensam unam mendacium loquentur, et non proficient : quia adhuc finis in aliud tempus. Et revertetur in terram suam cum multis opibus.* Nulli dubium est quin Antiochus pacem cum Ptolemæo fecerit, et inierit cum eo convivium, et dolos machinatus sit, et nihil profecerit : quia regnum ejus non potuerit obtinere, sed a militibus Ptolemæi ejectus sit. Verum ex eo quia Scriptura nunc dicit duos fuisse reges, quorum cor fuerit fraudulentum, ut sibi mutuo malefacerent, hoc secundum historiam non potest demonstrari. Ptolemæus enim parvus ætate erat, et deceptus Antiochi fraude, illi malum cogitare quid potuit? Unde volunt nostri hæc omnia [a] referre ad Antichristum et ad regem Ægypti, quem primum superatus est.

(Vers. 29, 30.) *Et cor ejus adversum Testamentum sanctum, et faciet, et revertetur in terram suam. Statuto tempore revertetur, et veniet ad Austrum : et non erit priori simile novissimum. Et venient super eum trieres, et Romani, et percutietur.* Sive ut alius interpretatus est : *et comminabuntur ei.* Et Græca, et Romana narrat historia, postquam reversus est Antiochus expulsus ab Ægyptiis, venisse eum in Judæam, hoc est, adversus Testamentum sanctum, et spoliasse templum, et auri tulisse quamplurimum, positoque in arce præsidio Macedonum, reversum in terram suam. Et post biennium rursum contra Ptolemæum exercitum **715** congregasse, et venisse ad Austrum. Cumque duo fratres Ptolemæi, Cleopatræ filii, quorum avunculus erat, obsiderentur Alexandriæ, legatos venisse Romanos : quorum unus Marcus [b] Popilius Lenas, cum eum stantem invenisset in littore, et senatusconsultum dedisset, quo jubebatur ab amicis populi Romani recedere, et suo imperio esse contentus, et ille ad amicorum responsionem consilium distulisset, orbem dicitur fecisse in arenis baculo quem tenebat in manu, et circumscripsisse regem atque dixisse : Senatus et populus Romanus præcipiunt, ut in isto loco respondeas, quid consilii geras. Quibus dictis ille perterritus ait : Si hoc placet senatui et populo Romano, recedendum est, atque ita statim movit exercitum. Percussus autem dicitur esse, non quod interierit, sed quod omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem. De Antichristo nullus ambigit quin pugnaturus sit adversus Testamentum sanctum, et primum contra regem Ægypti dimicans, [c] Romanorum protinus auxilio terreatur. Hæc autem sub Antiocho Epiphane in imagine præcesserunt, ut rex sceleratissimus, qui persecutus est populum Dei, præfiguret Antichristum, qui Christi populum persecuturus est. Unde multi [d] nostrorum putant ob sævitiæ et turpitudinis magnitudinem, Domitium Neronem Antichristum fore.

*Et revertetur, et indignabitur contra Testamentum sanctuarii, et faciet ac revertetur, et cogitabit de his* [Vulg. *adversum eos*] *qui dereliquerunt Testamentum sanctuarii.* Hæc plenius in Machabæorum gestis legimus (I *Mach.* I) : quod postquam eum de Ægypto pepulerunt Romani, indignans venerit contra Testamentum sanctuarii, et ab his invitatus sit qui dereliquerant Legem Dei et se cæremoniis miscuerant ethnicorum. Quod plenius complendum est sub Antichristo, qui indignabitur contra Testamentum Dei, et cogitabit adversum illos quos vult Legem Dei derelinquere. Unde significantius interpretatus est Aquila : **716** *Et cogitabit, ut deseratur pactum sanctuarii.*

(Vers. 31.) *Et brachia ex eo stabunt, et polluent* [Vulg. *et polluant*] *sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium, et dabunt abominationem in desolationem.* Pro *brachiis*, [e] alius interpretatus est *semina*, ut signi-

[a] Victorius ex Brixianis codd., *referri*, et mox *superaturus est.*

[b] Nostri mss., *Pompilius* : solemne autem est has voces confundi, unde et *Pompilia* lex et *Popilia* dicitur, et *Pompilius Rufus*, et *Popilius Rufus.*

[c] Concinnior hæc lectio est Vatic. ms., *Romanorum protinus auxilio*, etc. Nec male Palat., *Romanorum timore pro ejus*, etc. Nullo autem sensu antea erat. *Romanorum pro ejus auxilio.*

[d] Ita sane arbitratus est, ut aliquem de nomine proferam, Victorinus in Apocalypsin : quam sententiam probe refutat Lactantius de mortibus Persecutorum cap. II, in fine ; sed et Augustinus de Civitate Dei lib. XX, cap. 19 ; Ambrosiaster in primam ad Corinthios IV, 9 ; Severus Sulpicius Hist. lib. II, c. 29, et Dialog. 2, cap. ultimo : denique e Græcis Chrysostomus Homil. 4, in secundam ad Thessalonicenses. Vid. Epist. 121, ad Algasiam, Quæst. ultima. Porro mss. *Domitianum* pro *Domitium* legunt : Vatic. *Domitianum vel Neronem.*

[e] Pro *alius* maluisset Victorius *Aquila*, prout duos, quos laudat, mss. præferebant.

ficaret stirpem atque progeniem. Volunt autem eos significari qui ab Antiocho missi sunt post biennium quam templum exspoliaverat, ut tributa exigerent a Judæis, et auferrent cultum Dei, et in templo Jerusalem, Jovis Olympii simulacrum et Antiochi statuas ponerent, quas nunc *abominationem desolationis* vocat, quando ablatum est holocaustum, et juge sacrificium. Quæ universa in typo Antichristi, nostri præcessisse contendunt, qui se sessurus est in templo Dei, et se facturus ut Deum. Judæi autem noc nec de Antiocho Epiphane, nec de Antichristo, sed de Romanis intelligi volunt, de quibus supra dictum est: *Et venient trieres*, sive Itali atque Romani, et humiliabitur. Post multa, inquit, tempora de ipsis Romanis, qui Ptolemæo venere auxilio, et Antiocho comminati sunt, consurget rex Vespasianus, surgent brachia ejus, et semina, Titus filius cum exercitu, et polluent sanctuarium, auferentque juge sacrificium, et templum tradent æternæ solitudini. Sim (צִיִּים), quippe et chethim (כִּתִּים) quos nos *trieres et Romanos* interpretati sumus, Hebræi *Italos* volunt intelligi atque *Romanos*.

(Vers. 32). *Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter. Populus autem sciens Deum suum, obtinebit et faciet.* Et hoc in Machabæis legimus, quod quidem simulaverint se Legis Dei esse custodes, et postea cum gentibus pactum fecerint: alii vero permanserint in religione; quod et Antichristi temporibus futurum arbitror, quando refrigescet charitas multorum. De quibus Dominus loquitur in Evangelio: *Putas, Filius hominis veniens inveniet fidem super terram* (*Luc.* xviii, 8)?

*Et docti in populo docebunt plurimos, et* **717** *ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum.* Quanta Judæi ab Antiocho passi sunt, Machabæorum libri referunt, et triumphi eorum testimonio sunt: qui pro custodia legis Dei, flammas, et gladios, et servitutem, et rapinas, et pœnas ultimas sustinuerunt. Quæ futura nemo dubitet sub Antichristo, multis resistentibus potentiæ ejus, et in diversa fugientibus. Quæ Hebræi in ultima eversione templi, quæ sub Vespasiano et Tito accidit, interpretantur, fuisse plurimos de populo qui scirent Dominum suum, et pro custodia Legis ejus interfecti sunt [*Al.* sint].

(Vers. 34, 35.) *Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo, et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.* Parvulum auxilium, Mathathiam significari arbitratur Porphyrius, de vico [*Al.* monte] Modin; qui adversum duces Antiochi rebellavit, et cultum veri Dei servare conatus est (I *Mach.* II). Parvum autem, inquit, auxilium vocat, quia occisus est in prælio Mathathias, et postea Judas filius ejus qui vocabatur Machabæus, pugnans cecidit, et cæteri fratres ejus adversariorum fraude decepti sunt. Lege Machabæorum libros. Hæc, ait, omnia idcirco sunt facta, ut probentur et eligantur sancti, et dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia in aliud tempus erat dilata victoria. Sub Antichristo parvum auxilium nostri intelligi volunt, quia congregati sancti resistent ei, et utentur auxilio parvulo, et postea de eruditis corruent plurimi. Et hoc fiet, ut quasi conflentur in fornace, et dealbentur, et eligantur donec veniat tempus præfinitum, quia vera victoria in adventu Christi erit. Hebræorum quidam hæc de Severo, et Antonino principibus intelligunt, qui Judæos plurimum dilexerunt. Alii vero de Juliano imperatore: quod quando oppressi fuerint a Caio Cæsare, et in captivitatis angustiis multa perpessi, ille consurgat, Judæos amare se simulans, et in templo eorum immolaturum se esse promittens: in quo parvam spem auxilii habebunt, et applicabuntur illis **718** gentilium plurimi, non in veritate, sed in mendacio. Pro idolorum enim cultu, ejus simulabunt amicitias. Et hoc facient, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Tempus enim veræ salutis eorum, et auxilii futurum esse Christum, quem falso [a] putant esse venturum: cum sint recepturi Antichristum (I *Cor.* xi).

(Vers. 36.) *Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversum omnem deum, et adversum Deum deorum loquetur magnifica: et dirigetur* [Vulg. *dirigetur*] *donec compleatur ira* [Vulg. *iracundia*], *perpetrata quippe definitio est.* Sive ut alius interpretatus est; *in ipso enim erit consummatio.* Ab hoc loco Judæi dici de Antichristo putant, quod post Juliani parvum auxilium surrecturus sit rex qui faciat juxta voluntatem suam, et elevetur contra omne quod dicitur deus, et adversum Deum deorum loquatur [b] magnifica: ita ut sedeat in templo Dei, et seipsum faciat Deum, et dirigatur voluntas ejus, donec compleatur ira Dei, quia in ipso erit consummatio. Quod quidem et nos de Antichristo intelligimus. Porphyrius autem et cæteri qui sequuntur eum, de Antiocho Epiphane dici arbitrantur quod erectus sit contra cultum Dei, et in tantam superbiam venerit, ut in templo Jerosolymis simulacrum suum poni jusserit. Quodque sequitur: *et diriget, donec compleatur ira, quia in ipso erit consummatio*, sic intelligunt, tam diu eum posse, donec irascatur ei Deus, et ipsum interfici jubeat. Siquidem Polybius et Diodorus qui [c] Bibliothecarum scribunt historias, narrant eum non solum contra Deum fecisse Judææ, sed avaritiæ facibus accensum, etiam templum [d] Dianæ in Elimaide, quod erat ditissimum, spoliare conatum: oppressumque a custodibus tem-

[a] Palat. et Vatic. mss. *quem falso sperant esse*, etc.

[b] Victorius ad Vulgatæ exemplum *loquetur*, et paulo post *dirigetur*.

[c] Est qui valde velit rescribi et corrigi, *Bibliothecas scribunt historiarum*, ex ipso Diodoriani operis titulo, atque Eusebii loco Præpar. Evang. l. i, c. 6: ὑπὸ μίαν συνηρμοκὼς πραγματείαν ἅπασαν τὴν ἱστορικὴν Βιβλιοθήκην.

[d] Confer et Machabæorum l. i, cap. 7, et Appianum in Syriac. qui templum istud non Dianæ, sed Veneris appellat; Dianæ vero, præter Polybium ac Diodorum, Josephus.

pli et vicinis circum gentibus, et quibusdam phantasiis atque terroribus versum in amentiam, ac postremum morbo interiisse, et hoc ei accidisse commemorant, quia templum Dianæ violare conatus sit. Nos autem dicimus, etiamsi acciderit ei, ideo accidisse, quia in sanctos Dei multam exercuerit crudelitatem, et polluerit templum ejus. Non enim pro eo quod **719** conatus est facere, et acta pœnitentia, desivit implere, sed pro eo quod fecit punitus esse credendus est.

(Vers. 37 seqq.) *Et Deum patrum suorum non reputabit, et erit in concupiscentiis feminarum : nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. Deum autem* MAOZIM *in loco suo venerabitur; et Deum quem ignoraverunt patres ejus, colet auro et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet ut muniat* MAOZIM *cum deo alieno quem* [a] *cognovit, et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito.* Pro eo quod nos interpretati sumus, *et erit in concupiscentiis feminarum*, LXX transtulerunt, *et concupiscentiis mulierum non subjacebit.* Rursum pro Deo MAOZIM (מעזים), quod habetur in Hebraico, Aquila transtulit, *Deum fortitudinum;* LXX, *Deum fortissimum.* Quia vero in Hebraico pro eo, quod nos diximus : *et erit in concupiscentiis feminarum*, ambigue positum est, dicente Aquila, qui verbum expressit e verbo : καὶ ἐπὶ Θεὸν πατέρων αὐτοῦ οὐ συνήσει, καὶ [b] ἐπὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα θεὸν οὐ συνήσει, id est, *et super Deum patrum suorum non intelliget, et super concupiscentiam feminarum, et super omnem Deum non intelliget.* Quibus verbis intelligitur habere eum concupiscentiam feminarum, et non habere. Si legerimus, et intellexerimus ἀπὸ κοινοῦ, *et super concupiscentiam feminarum non intelliget*, de Antichristo facilior interpretatio est : quod ideo simulet castitatem, ut plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus, *et super concupiscentiam feminarum*, ut subaudiatur *erit*, Antiochi personæ magis coaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, et in tantum dedecus per stupra et corruptelas venisse regiæ dignitatis, ut mimis quoque et scortis publice jungeretur, et libidinem suam, populo præsente, compleret. Deum MAOZIM ridicule Porphyrius interpretatus est, ut diceret in vico Modin, unde fuit Mathathias, et filii ejus, Antiochi duces, Jovis posuisse statuam : et compulisse Judæos, ut ei victimas immolarent, id est, deo Modin. Quod autem sequitur, *et deum quem ignoraverunt patres ejus, colet*, hoc magis Antichristo quam Antiocho convenit. Legimus enim Antiochum idolorum **720** Græciæ habuisse cultum, et Judæos atque Samaritas ad venerationem suorum deorum compulisse. Necnon et hoc quod infert, *et faciet ut muniat* MAOZIM *cum deo alieno quem cognovit : et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito*, Theodotio interpretatus est : *Et aget hæc ut muniat præsidia cum deo alieno : et cum eis ostenderit, multiplicabit honorem, et dominari eos multis faciet, et terram dividet gratis.* Pro *præsidiis*, *confugia* interpretatus est Symmachus: quod Porphyrius ita edisserit : faciet hæc omnia ut muniat arcem Jerusalem, et in cæteris urbibus ponat præsidia, et Judæos doceat adorare Deum alienum : haud dubium quin Jovem significet. Quem cum illis ostenderit, et adorandum esse persuaserit : tunc dabit deceptis honorem, et gloriam plurimam, et faciet cæteris, qui in Judæa fuerint dominati, et pro prævaricatione possessiones dividet, et dona distribuet. Antichristus quoque multa deceptis munera largietur, et terram suo exercitui dividet : quosque terrore non quiverit, subjugabit avaritia.

(Vers. 40, 41.) *Et in tempore præfinito præliabitur adversum eum rex Austri : et quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, et in equitibus, et in classe magna : et ingredietur terras, et conteret, et pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, et multi corruent.* Pro quo interpretatus est Symmachus : *et multa millia corruent :* Theodotio, *et multi infirmabuntur.* Multas autem corruere juxta Aquilam, vel urbes, vel regiones, vel provincias intellige. Et hæc Porphyrius ad Antiochum refert : quod undecimo anno regni sui rursus contra sororis filium Ptolemæum Philometorem dimicaverit. Qui audiens venire Antiochum, congregavit multa populorum millia. Sed Antiochus quasi tempestas valida in curribus, et in equitibus, et in classe magna ingressus sit terras plurimas, et transcundo universa vastaverit : veneritque ad terram inclytam, id est, Judæam, quam Symmachus *terram fortitudinis* interpretatus est : pro qua Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit SABAI [*Al.* SABAM *et* SABA] (צבי) : et arcem munierit de ruinis murorum civitatis, **721** et sic perrexerit in Ægyptum. Nostri autem ad Antichristum et ista referentes, dicunt quod primum pugnaturus sit contra regem Austri, id est, Ægypti, et postea Libyas, et Æthiopas superaturus : quæ de decem cornibus tria contrita cornua supra legimus; et quia venturus sit in terram Israel, et multæ ei vel urbes, vel provinciæ daturæ manus.

*Hæ autem solæ salvabuntur de manibus ejus, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon.* Antiochus, aiunt, festinans contra Ptolemæum regem Austri, Idumæos, et Moabitas, et Ammonitas qui ex latere Judææ [*Al.* Idumææ] erant, non tetigit : ne occupatus alio prælio, Ptolemæum redderet fortiorem. Antichristus quoque Idumæam, et Moabitas, ac filios Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam : quia illuc Sancti ad deserta confugient.

(Vers. 42, 43.) *Et mittet manum suam in terras, et terra Ægypti non effugiet : et dominabitur thesaurorum auri atque argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti. Per Libyas* [Vulg. *Libyam* et *Æthiopiam*]

[a] Hic atque inferius ubi locus iste recurrit, cum negandi particula, *quem non cognovit*, in Palat. ms. effertur.

[b] Supplevimus hic vocem ἐπὶ ex ms. Vaticano, quæ antea ob earumdem litterarum in subsequenti verbo recursum, fuerat prætermissa.

*quoque et Æthiopias transibit.* Hæc Antiochum ex parte fecisse legimus. Sed quod sequitur, *per Libyas et Æthiopias transibit*, magis nostri asserunt Antichristo convehire. Antiochus enim Libyam quam plerique Africam intelligunt, Æthiopiamque non tenuit: nisi forte quia in ipso climate sunt provinciæ Ægypti, et longe per deserta vicinæ, captis Ægyptiis, etiam istæ provinciæ conturbatæ sunt. Unde non dicit, quod ceperit eas: sed per Libyas Æthiopiasque transierit.

(Vers. 44, 45.) *Et fama turbabit eum* [Vulg. *eam*] *ab Oriente et ab Aquilone. Et veniet in multitudine magna, ut conterat et interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum in Apedno : inter* [a] *duo maria super montem inclytum et sanctum, et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei.* Et in hoc loco Porphyrius tale nescio quid de Antiocho somniat: Pugnans, inquit, contra Ægyptios, et Libyas Æthiopiasque pertransiens, audiet sibi ab Aquilone et ab Oriente prælia concitari, unde et regrediens capiet Aradios resistentes, et omnem in littore Phœnicis vastabit provinciam. **722** Confestimque perget ad Artaxiam regem Armeniæ, qui de Orientis partibus movebitur, et interfectis plurimis de ejus exercitu, ponet tabernaculum suum in loco *Apedno*, qui inter duo latissima situs est flumina, Tigrim, et Euphratem. Cumque hucusque processerit, in quo monte inclyto sederit et sancto, dicere non potest: quamquam inter duo maria cum sedisse, probare non potest, et stultum sit duo Mesopotamiæ flumina, duo maria interpretari. Montem autem inclytum ideirco præteriit, quia secutus est Theodotionis interpretationem, qui ait: *inter media maria super montem Saba sanctum.* Cumque Saba nomen montis, vel Armeniæ, vel Mesopotamiæ putet, quare sit sanctus dicere non potest: etiam hac licentia mentiendi, possumus nos addere quod ille conticuit: *sanctum* dici *montem*, quia juxta errorem Armeniorum sit idolis consecratus. *Et veniet*, inquit, *usque ad summitatem ipsius montis*, in Elimaide provincia, quæ est ultima Persarum ad Orientem regio; ibique volens templum Dianæ spoliare, quod infinita donaria habebat, fugatus a barbaris est, qui mira veneratione fanum illud suspiciebant, et mortuus est mœrore consumptus in Tabes, oppido Persidis. Hæc ille in suggillationem nostri artificiosissimo sermone composuit, quæ etiamsi potuerit approbare, non de Antichristo dicta, sed de Antiocho, quid ad nos, qui non ex omnibus Scripturarum locis Christi probamus adventum, et Antichristi mendacium? Pone enim hæc dici de Antiocho, quid nocet religioni nostræ? Numquid et in superiori Visione, ubi in Antiocho prophetia consummata est, aliquid de Antichristo dicitur? Dimittat itaque dubia, et in manifestis hæreat: dicatque quis sit ille lapis, qui de monte abscissus sine manibus, creverit in montem magnum, et orbem impleverit, et quadriformem imaginem contriverit: qui sit ille filius hominis, qui cum nubibus venturus sit, et staturus ante vetustum dierum, et dandum ei regnum quod nullo fine claudatur: omnesque populi, tribus ac linguæ, ipsi servituri sint. **723** Hæc quæ manifesta sunt præterit, et de Judæis asserit prophetari, quos usque hodie servire cognoscimus. Et dicit eum qui sub nomine Danielis scripsit librum, ad refocillandam spem suorum fuisse mentitum. Non quo omnem historiam futuram nosse potuerit, sed quo jam facta memoraret; et in ultimæ visionis calumniis immoratur, flumina ponens pro mari, et montem inclytum et sanctum *Apedno* [b], quem ubi legerit, nullam potest proferre historiam. Nostri autem extremum Visionis hujus capitulum super Antichristo sic exponunt, quod pugnans contra Ægyptios Libyasque, et Æthiopias, et tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus sit de Aquilonis et de Orientis partibus adversum se bella consurgere, quod veniens cum magna multitudine, ut conterat et interficiat plurimos, figat tabernaculum suum in *Apedno* juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur: ubi incipiunt Judææ provinciæ montana consurgere. Denique inde se erigens usque ad montem Oliveti, Jerosolymorum regio ascenditur; et hoc esse quod nunc Scriptura dicit: *Et cum fixerit tabernaculum suum* in montanæ provinciæ radicibus inter duo maria, mare videlicet quod nunc appellatur Mortuum ab Oriente, et mare Magnum in cujus littore Cæsarea, Joppe, Ascalon, et [c] Gazæ sitæ sunt. Tunc veniet usque ad summitatem montis ejus, hoc est, montanæ provinciæ, id est, verticem montis Oliveti, qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus atque Salvator ascendit ad Patrem, et nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino sæviente. Et asserunt ibi Antichristum esse periturum, unde Dominus ascendit ad cœlos. *Apedno* verbum compositum est, quod si dividas, intelligi potest, θρόνου αὐτοῦ, id est, *solii sui.* Et est sensus: Et figet tabernaculum [d] suum et thronum suum inter maria super montem inclytum et sanctum. Hunc locum Symmachus **724** ita interpretatus est: καὶ ἐκτενεῖ τὰς σκηνὰς τοῦ ὑποστασίου αὐτοῦ μεταξὺ τῶν θαλασσῶν εἰς τὸ ὄρος τῆς δυνάμεως τὸ ἅγιον, καὶ ἥξει ἕως ἄκρου αὐτοῦ, quod in Latino sonat: *et extendet* [Al. *extendit*] *papiliones equitatus sui inter maria, super montem fortitudinis sanctum, et veniet usque ad verticem montis.* Theodo-

[a] Expungit Victorius *duo*, quæ vox tametsi in expositione subintelligitur, in nulla tamen editione sacri textus habetur.

[b] Hic vero ad superioris contextus seriem addit Victoris voces *Sabin vocans.*

[c] Duo mss. *Gaza*, minori numero. Sed quod Gazas plurali dicat S. Doctor, ex eo videtur, quod urbem utramque, Majumam scilicet, et Gazam proprie dictam intelligit, quæ tamen aliquo spatio a mari aberat. Sozomenus Hist. lib. VII, cap. 21, proprio nomine etiam illam Gazam vocat, et maritimam dicit: Ἐν Γάζῃ ποὸς θάλασσαν, ὅπερ καὶ Μαϊουμᾶν ὀνομάζουσιν.

[d] Palatin., *tabernaculum throni sui inter duo maria*, quæ postrema verba in Vat. penitus desiderantur.

tio : *Et figet tabernaculum suum in* [a] *Aphedano inter maria in monte Saba sancto, et veniet usque ad partem ejus.* Aquila : *Et plantabit tabernaculum prætorii sui in* Ἀφαδανῷ *inter maria, in monte glorioso et sancto, et veniet usque ad finem ejus.* Soli Septuaginta omni se nominis quæstione liberantes interpretati sunt : *Et statuet tabernaculum suum tunc inter maria, et montem voluntatis sanctum, et veniet hora consummationis ejus.* Quos Apollinarius secutus, de nomine *Apedno* omnino conticuit. Hoc ideo prolixius posui, ut et Porphyrii ostendam calumniam qui hæc omnia ignoravit, aut nescire se finxit, et Scripturæ sanctæ difficultatem : cujus intelligentiam absque Dei gratia et doctrina majorum sibi imperitissimi vel maxime vindicant. Notandum autem, quod P literam Hebræus sermo non habeat, sed pro ipsa utatur PHE, cujus vim Græcum φ sonat. In isto tantum loco apud Hebræos scribatur quidem [b] PHE, sed legatur P. Quod autem Antichristus veniat usque ad summitatem montis sancti et inclyti, et ibi pereat, Isaias plenius loquitur : *Præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes, et eum qui dominatur cunctis populis, et* [c] *unctionem quæ uncta* [Al. *qua unctus*] *est contra universas nationes.*

(Cap. XII. — Vers. 1 seqq.) *In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, et veniet tempus quale non fuit ex eo quo* [Vulg. *ab eo ex quo*] *gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus : omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium,* **725** *ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Hactenus Porphyrius utcumque se tenuit, et tam nostrorum imperitis, quam suorum male eruditis imposuit : de hoc capitulo quid dicturus est, in quo mortuorum describitur resurrectio : aliis suscitatis in vitam æternam, et aliis in opprobrium sempiternum? Nec potest dicere qui fuerint sub Antiocho fulgentes quasi splendor firmamenti, et alii quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quid non facit pertinacia? Quasi contritus coluber elevat caput, et moriturus in eos qui morituri sunt venena diffundit. Et hoc, inquit, de Antiocho scriptum est, qui vadens in Persidem, Lysiæ qui Antiochiæ, et Phœniciæ (*Al.* Phœnici) præerat, reliquit exercitum, ut adversum Judæos pugnaret, urbemque eorum Jerusalem subverteret ; quæ omnia narrat Josephus historiæ auctor Hebrææ, quod talis fuerit tribulatio, qualis numquam, et tempus advenerit quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt usque ad illud tempus. Reddita autem victoria, et cæsis Antiochi ducibus, ipsoque Antiocho in Perside mortuo, salvatus est populus Israel : omnes qui scripti erant in libro Dei, hoc est, qui Legem fortissime defenderunt, et econtrario qui deleti sunt de libro, hoc est, qui prævaricatores exstiterunt Legis, et Antiochi fuerunt partium. Tunc, ait, hi qui quasi in terræ pulvere dormiebant, et operti erant malorum pondere, et quasi in sepulcris miseriarum reconditi, ad insperatam Victoriam de terræ pulvere surrexerunt, et de humo elevaverunt caput, custodes Legis resurgentes in vitam æternam, et prævaricatores in opprobrium sempiternum. Magistri autem et doctores qui Legis notitiam habuerunt, fulgebunt quasi cœlum, et qui inferiores populos exhortati sunt ad custodiendas cæremonias Dei, ad instar astrorum splendebunt in perpetuas æternitates. Ponit quoque historiam de Machabæis, in qua dicitur multos Judæorum sub Mathathia et Juda Machabæo ad eremum confugisse, et latuisse in speluncis, et in cavernis petrarum, ac post victoriam processisse (I *Mach.* II). Et hæc μεταφορικῶς **726** quasi de resurrectione mortuorum esse prædicta. Tempore autem Antichristi talem tribulationem fore, qualis numquam fuit ex eo quo gentes esse cœperunt, verius intelligitur. Ponamus enim vicisse Lysiam qui victus est, et penitus oppressos Judæos esse qui vicerunt : numquid fuit talis tribulatio qualis eo tempore quo Jerusalem capta est a Babyloniis, templumque subversum, et omnis populus ductus in captivitatem? Oppresso igitur Antichristo, et spiritu Salvatoris exstincto, salvabitur populus qui scriptus fuerit in libro Dei, et pro diversitate meritorum, alii resurgent in vitam æternam, et alii in opprobrium sempiternum. Magistri autem habebunt similitudinem cœli, et qui alios erudierunt, stellarum fulgori comparabuntur. Non enim sufficit scire sapientiam, nisi et alios erudias : tacitusque sermo doctrinæ, alium non ædificans, mercedem operis (*Al.* otii) recipere non potest. Quem locum Theodotio et Vulgata editio ita expressit : *Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, et de justis plurimi* (Al. *plurimis*) *quasi stellæ in æternum et ultra.* Solent nonnulli quærere, utrum doctus sanctus, et simplex sanctus eamdem mercedem habeant, et unam in Cœlestibus mansionem. Unde nunc juxta Theodotionem dicitur, quod docti similitudinem cœli habeant, et absque doctrina justi, stellarum fulgori comparentur : tantumque sit inter eruditam sanctitatem et sanctam rusticitatem, quantum cœlum distat et stellæ.

(Vers. 4.) *Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia.* Qui Danieli multiplicem revelaverat veritatem, ipsa occulta esse significans quæ locutus est, præcepit ut involvat sermones, et signet librum, ut legant plurimi, et quærant

[a] Nostri mss. *Ephadano*, vel *Epadno*, rectius absque *in* præpositione. Ms. quoque Sangerm. EPAΔANO, secunda manu EPEΔNO, sicque mox ad Aquilam, *Prætorii sui*, APEΔNO. Lectiones autem per P probat ipse Hieronymus paulo post.

[b] Plerique mss. absque aspiratione *fe* constanter habent.

[c] Palatin., *et junctionem, quæ juncta est.*

historiæ veritatem, et propter obscuritatis magnitudinem diversa opinentur. Quod autem ait: *Pertransibunt*, id est, *percurrent plurimi*, multorum significat lectionem. Solemus enim dicere: percurri librum, pertransivi historiam. Quod quidem et Isaias de obscuritate sui voluminis loquitur: *Et erunt sermones libri istius, quasi verba voluminis signati, quod si dederint homini nescienti litteras, dicentes ei, lege: respondebit,* **727** *nescio litteras. Sin autem dederint illud homini scienti litteras, et dixerint: Lege librum: Respondebit, non possum legere: signatus est enim* (*Isa.* XXIX, 11). Et in Apocalypsi Joannis liber videtur signatus sigillis septem intus et foris. Cumque nullus posset signacula illius solvere, ait Joannes: *Flebam nimis. Et venit ad me vox dicens: Ne plores: Ecce vicit leo de tribu Juda radix David, aperire librum, et solvere signacula ejus* (*Apoc.* V, 4). Librum autem illum potest solvere qui Scripturarum sacramenta cognovit, et intelligit ænigmata, et verba tenebrosa propter mysteriorum magnitudinem, et interpretatur parabolas, et occidentem litteram transfert in spiritum vivificantem.

(Vers. 5, 6.) *Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, et alius inde ex altera ripa fluminis. Et dixi viro qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis: usquequo finis istorum mirabilium?* Vidit Daniel duos angelos stantes ex utraque parte super ripam Babylonii fluminis, qui cum hic ponatur absque nomine, secundum præteritam visionem puto eum esse Tigrim, qui Hebraice dicitur EDDECEL (הדקל), et tamen non interrogat eos qui stabant super utramque ripam, sed eum quem in principio viderat, qui indutus erat vestibus lineis sive byssinis, quod Hebraice dicitur BADDIM (בדים). Et hic ipse Angelus stabat super aquas fluminis Babylonii, suo eas calcans pede. Ex quo intelligimus superiores duos angelos, quos vidit stantes super ripam, et non interrogat, nec putat sciscitatione, condignos angelos esse Persarum atque Græcorum. Hunc autem esse angelum clementissimum, qui orationes Danielis in conspectu Dei obtulerat (*Al.* obtulerit), quando ei viginti et uno diebus Persarum angelus resistebat. Interrogabat (*Al.* interrogat) autem hæc mirabilia quæ in præsenti Visione dicuntur, quo complenda sint tempore, quod Porphyrius more suo de Antiocho, nos de Antichristo interpretamur.

(Vers. 7.) *Et audivi virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram, et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in* **728** *æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Tempus, et tempora, et dimidium temporis, tres et semis annos interpretatur Porphyrius, quod et nos juxta Scripturarum sanctarum idioma, non negamus. Nam et supra legimus, quod septem tempora transierint super Nabuchodonosor, id est, septem anni efferationis ejus, et in visione quatuor bestiarum scriptum est, leonis, et ursi, pardi, et alterius bestiæ, cujus nomen tacetur, quæ regnum significat Romanorum, et postea de Antichristo, quod [a] reges humiliet, et sermones contra Excelsum loquatur, et sanctos Altissimi conterat, et putabit, ait, quod possit mutare tempora et leges. Et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia et conteratur, et dispereat usque in finem. Et manifeste de adventu Christi atque sanctorum dicit: Regnum autem et potestas, et magnitudo regni quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. Si itaque superiora quæ perspicue de Antichristo scripta sunt, refert Porphyrius ad Antiochum, et ad tres et semis annos, quibus templum dicit fuisse desertum (*Supra* 1): ergo et hoc quod sequitur: *Regnum ejus sempiternum, et omnes reges servient ei, et obedient*, debet probare super Antiocho, vel ut ipse putat, super populo Judæorum: quod nequaquam stare manifestum est. Legimus in Machabæorum libris, Josephus quoque in eamdem consentit opinionem (*Joseph. lib.* XI, *cap.* 10), quod tribus annis templum pollutum fuerit in Jerusalem, et in eo [b] Jovis idolum steterit sub Antiocho Epiphane, centesimo quadragesimo quinto anno regni Macedonum, a Casleu mense ejusdem anni nono, usque ad mensem nonum centesimi quadragesimi octavi anni, qui faciunt annos tres. Sub Antichristo autem non tres anni; sed tres et semis, hoc est, mille ducenti nonaginta dies, desolationis templi sancti et eversionis futuræ (*Al.* futuri) esse dicuntur.

*Et cum completa fuerit dispersio manus* **729** *populi sancti, complebuntur universa hæc:* Quando, inquit, populus Dei dispersus fuerit: vel Antiocho persequente, ut vult Porphyrius, vel Antichristo, ut nostri verius probant, tunc hæc omnia complebuntur.

(Vers. 8 seqq.) *Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade, Daniel, quia clausi signatique sunt sermones usque ad tempus* [c] *consummationis. Eligentur et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi, et impie agent impii: neque intelligent omnes impii: porro docti intelligent.* Vult propheta intelligere quod viderat, immo quod audierat, et futurorum cupit cognoscere veritatem. Audierat enim regum bella diversa, et inter se prælia, et multiplicem historiam: sed nomina non audierat singulorum. Si autem propheta audivit, et non intellexit, quid facient hi qui signatum librum, et usque ad tempus consummationis, multis obscuritatibus involutum, præsumptione

[a] Reponit Victor. *quod tres reges*, quod sic legatur supra cap. 7, atque ita ibi interpretetur Hieron. denique mss. aliquot suffragentur.

[b] Victorius, et *in eo loco idolum*, etc.

[c] Victorius ad Vulgatæ lectionem *præfinitum* pro *consummationis*.

mentis edisserunt? Cum autem, inquit, finis advenerit, impii non intelligent, et qui docti fuerint disciplina Dei, intelligere poterunt. *In perversam enim animam non introibit sapientia : nec potest se infundere corpori, quod peccatis subditum est.*

(Vers. 11.) *Et a tempore quo* [Vulg. *cum*] *ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Hos mille ducentos nonaginta dies Porphyrius in tempore Antiochi, et in desolatione templi dicit completos, quam et Josephus et Machabæorum (ut diximus) liber, tribus tantum annis fuisse commemorant. Ex quo perspicuum est tres istos, et semis, annos de Antichristi dici temporibus, qui tribus et semis annis, hoc est mille ducentis nonaginta diebus, sanctos persecuturus est, et postea corruiturus in monte inclyto et sancto. A tempore igitur ἐνδελεχισμοῦ, quod nos interpretati sumus *juge sacrificium*, quando Antichristus orbem [*Al.* urbem] obtinens, Dei cultum [a] interdixerit, usque ad internecionem ejus, tres et semis anni, id est, mille ducenti et nonaginta complebuntur.

**730** (Vers. 12.) *Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Beatus, inquit, qui, interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur : quibus est Dominus atque Salvator in sua majestate venturus. Quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta quinque dierum silentium sit, divinæ scientiæ est : nisi forte dicamus : Dilatio regni sanctorum, patientiæ comprobatio est. Porphyrius hunc locum ita edisserit, ut quadraginta quinque dies qui super mille ducentos nonaginta sunt, victoriæ contra duces Antiochi tempus significent : quando Judas Machabæus fortiter dimicavit, et emundavit templum, idolumque contrivit, et victimas obtulit in templo Dei. Quod recte diceret, si Machabæorum liber, tribus et semis annis templum scriberet fuisse pollutum, et non tribus (I *Mach.* IV).

(Vers. 13.) *Tu autem,* [b] *Daniel, vade ad præfinitum, et requiesce* [Vulg. *requiesces*] *et stabis in sorte tua in finem dierum.* Pro quo Theodotio ita interpretatus est : *Tu autem vade et requiesce, et resurges in ordine tuo in consummatione dierum.* Quo verbo ostenditur omnem prophetiam vicinam esse resurrectioni [*Al.* resurrectionis] omnium mortuorum : A quando et propheta surrecturus est. Et frustra Porphyrius, quæ in typo Antiochi de Antichristo dicta sunt, vult omnia referre ad Antiochum. Cujus calumniæ (ut diximus) plenius responderunt Eusebius Cæsariensis, et Apollinarius Laodicenus, et ex parte disertissimus vir martyr Methodius, quæ qui scire voluerit, in ipsorum libris poterit invenire. [c] Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus : cætera quæ sequuntur usque in finem libri, de Theodotionis editione translata sunt.

(Cap. XIII. — Vers. 1, 2.) *Et erat vir habitans in Babylone, et nomen ejus Joacim, et accepit uxorem nomine Susannam filiam Helciæ, pulchram nimis, et timentem Dominum* [Vulg. *Deum*]. Expositis, ut potui [*Al.* potuimus], quæ in Danielis libro juxta Hebraicum continentur, ponam breviter quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannæ et **731** Belis fabulis dixerit. Cujus hæc verba sunt, [d] quæ locis suis subnotabis.

(Vers. 3.) *Et parentes ejus justi* [Vulg. *cum essent justi erudierunt*] *edocuerunt filiam suam juxta legem Moysi.* Hoc utendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant juxta legem Dei, sermonemque divinum non solum filios, sed et filias suas.

(Vers. 4.) *Et* [e] *constituti sunt duo senes de populo* [Vulg. tacet *de populo*] *judices in anno illo.* Referebat Hebræus istos esse Ahab et Sedeciam [*Al.* Alchiam et Sedechiam], de quibus scribit Jeremias : *Faciat te Dominus sicut Ahab et Sedeciam, quos frixit rex Babylonis in igne, propter iniquitatem quam fecerant in Israel, et adulterarant* [Al. *adulterabant*] *uxores civium suorum* (*Jerem.* XXIX).

(Vers. 5.) *De quibus locutus est Dominus : quia egressa est iniquitas de Babylone a senibus judicibus, qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Joacim*, etc. Pulchre de presbyteris peccatoribus non ait : *Qui regebant populum* : sed, *qui videbantur regere.* Qui enim bene præsunt populo, regunt populum : qui autem tantum nomen habent judicum, et injuste præsunt populo, regere videntur populum, magis quam regant.

(Vers. 8.) *Et exarserunt in concupiscentiam* [f] *ejus, et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque meminissent judiciorum justorum.* Quod Græci vocant πάθος, nos *perturbationem* magis quam *passionem* rectius interpretamur. Hæc igitur perturbatio, et cupido libidinis ti-

[a] Duo Mss., *Dei cultui interdixerit, usque ad interfectionem ejus.*

[b] Nomen *Daniel*, quod in sacro Textu non sit, Victorius expungit.

[c] Subsequens postrema periodus, subnexusque capitis XIII e sacro textu versiculus, in Palat. ms. non habentur; in Vatic. autem eorum loco isthæc habetur epigraphe ex minio : *Incipit historia Susannæ secundum beatum Hieronymum.*

[d] Neque isthæc verba, *quæ locis suis subnotabis*, norunt mss. nostri. Porro nec Hieronymus totidem videtur Origenem verbis Latine expressisse.

[e] Pro hoc versiculo, quem mss. nostri substituunt, alius proponebatur : *Erat autem Joacim dives valde, et erat ei pomarium vicinum domui suæ :* qui nihil ad subnexam expositionem pertinet. Cæterum eadem Origenis sunt pene verba in epistola ad Africanum de Susannæ historia num. 7 : Μέμνημαι μέν τοί γε φιλομαθεῖ Ἑβραίῳ, καὶ χρηματίζοντι παρ' αὐτοῖς Σοφοῦ υἱῷ.... συμμίξας περὶ πλειόνων· ἀφ' οὗ ὡς μὴ ἀθετουμένης τῆς περὶ Σωσάννης ἱστορίας, ἐμάνθανον καὶ τὰ τῶν πρεσβυτέρων ὀνόματα, ὡς παρὰ τῷ Ἱερεμίᾳ κείμενα τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον· ποιήσαι σε Κύριος, etc. *Memini certe me cum studioso Hebræo, vocatique apud illos viri sapientis filio.... collocutum ab ipso perinde ac si Susanna historia vera sit, didicisse etiam seniorum nomina pro ut exstant in Jeremia, et hoc modo se habent : Te faciat Dominus ut Sedeciam et ut Achiab, quos*, etc.

[f] Hic denuo ut et sæpe alibi propositum Scripturæ textum ex mss. fide ad subnexam expositionem supplemus.

tillavit, immo percussit corda seniorum. Sed ut in animis eorum jaceret fundamentum, et cogitarent desiderata complere, ipsi everterunt sensum suum : quo subverso, oculi eorum inclinati sunt, ut cœlestia non viderent, nec recordarentur judiciorum justorum, sive Dei, sive honestatis, sive naturæ : quæ omnibus ad bonum insita est.

*Et ecce Susanna inambulabat, juxta consuetudinem.* Ante jam dictum est quod facto mane inambularet Susanna. Nec incongruum est ad placandos eos **732** qui omnium quæ gerimus de Scripturis sanctis quærunt exempla, hunc inambulandi locum assumere : quod recte quis ad vegetandum corpusculum deambulet. Quem locum, inquit, de Septuaginta editione nunc posui : quo dicto Origenes ostendit cætera se non juxta Septuaginta interpretes disseruisse.

(Vers. 19.) *Ingemuitque Susanna et ait: Angustiæ mihi sunt undique.* Qui ad summitatem perfectæ virtutis venerit, numquam dicit sibi imminere discrimen, si adulterorum manus non effugerit, dicentium : *Assentire nobis, et commiscere nobiscum. Alioquin, et si nolueris, dicemus testimonium contra te, quod fuerit tecum juvenis, et hac de causa dimiseris puellas a te.* Humanæ quippe fragilitatis est, mortem timere, quæ infertur pro justitia : nisi forte angustiam interpretabimur, non imminentis mortis, sed opprobrii et ignominiæ, qua perfundenda erat illis accusantibus atque dicentibus : *Fuit cum illa juvenis, et idcirco dimisit puellas.*

(Vers. 22.) *Si enim hoc egero, mors mihi est : si autem, non,* etc. Peccatum mortem vocat. Sicut ergo ei qui facit adulterium, mors est adulterium : sic omne peccatum quod ducit ad mortem, mors appellandum est. Et toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem. Unde econtrario toties resurgimus et vivificamur, quoties vitæ digna opera facimus.

(Vers. 23.) *Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* In Græco non habet, αἱρετώτερον, id est, *melius*, sed αἱρετὸν, quod *bonum* interpretari possumus. Unde eleganter non dixit : *Melius mihi est incidere in manus iniquorum presbyterorum, quam peccare in conspectu Domini :* ne videretur comparatione peccati, quod non erat bonum, hoc appellare melius. Sed bonum est, inquit, mihi non facere malum, et incidere in manus vestras, ne peccem in conspectu Domini. **733** Non ergo per comparationem legendum est : *Melius mihi est incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini :* sed absolute : *Bonum mihi est non facere malum et incidere in manus vestras, ne peccem in conspectu Domini.*

(Vers. 24.) *Et exclamavit voce magna Susanna,* etc. Magna vox erat, non aeris percussione, et clamore faucium, sed pudicitiæ magnitudine, per quam clamabat ad Dominum. Unde et sancta Scriptura in exclamatione seniorum non apposuit magnam vocem. Sequitur enim : *Clamaverunt et senes adversum eam.*

(Vers. 42.) *Exclamavit autem Susanna voce magna,* etc. Cordis affectus, et mentis pura confessio, et bonum conscientiæ, vocem ejus fecerant clariorem. Unde magna erat exclamatio ejus Deo, quæ ab hominibus non audiebatur.

(Vers. 44.) *Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris.* Quo sermone ostenditur, non intrasse in Danielem Spiritum sanctum : sed eum qui erat in illo, et quiescebat propter ætatis infirmitatem, nec sua poterat opera demonstrare, data occasione pro sancta femina a Domino suscitatum.

(Vers. 46.) *Et exclamavit voce magna : Mundus ego sum a sanguine hujus,* etc. Suscitato in se Spiritu sancto, et quæ puer deberet dicere suggerente, vox ejus magna erat. Et notandum sicubi in Scripturis sanctis, peccatoris vox magna vocatur [*Al.* dicatur].

**734** (Vers. 58, 59.) *Dic sub qua arbore videris eos loquentes sibi. Qui ait sub schino, dixitque ei Daniel : Recte mentitus es in caput tuum; ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium. Et post modicum alter senior ait, sub prino, dixitque ad eum Daniel : Recte mentitus et tu in caput tuum. Manet autem Angelus Dei gladium habens ut secet te medium.* Quia Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi, debemus diligenter inquirere nomina, σχίνου καὶ πρίνου, quæ Latini *ilicem* et *lentiscum* interpretantur, si sint apud Hebræos, et quam habeant etymologiam, ut a σχίνω, *scissio*, et a πρίνω, *sectio*, sive *serratio* dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur et nos eorum acquiescere sententiæ, qui Græci tantum sermonis hanc volunt esse περικοπὴν, quæ Græcam habeat tantum etymologiam, et Hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit [a] duarum istarum arborum scissionis et sectionis in Hebræo stare etymologiam : tunc poterimus etiam hanc Scripturam recipere.

(Vers. 60.) *Exclamavit autem omnis synagoga* [Vulg. *cœtus*] *voce magna, et benedixerunt Deum qui*

[a] Rectius multo colligit in laudata ad Africanum epistola num. 6 et 7, ubi ita propositæ objectioni respondet, ut quamquam in Hebræo qui intercideratur textu illa etymologia duarum arborum scissionis et sectionis exhiberi nequeat, nihil tamen dubitari velit, quin esse potuerit, cum id genus alii in Scripturis occurrant verborum lusus. Et vero libet quædam ejus responsi saltem ex Latina interpretatione describere. « Videamus, inquit, quæ in oratione ipsa criminaris. Et primum incipiamus ab eo quod deterrere queat, ne admittatur historia, nempe ab ea quam ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσις, et ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσις habet, derivatione, de qua tu pronuntiasti, ac si compertum haberes, quo modo Græce quidem hæc consonare contingat, Hebraice autem distent penitus. Ego vero etiamnum dubito. Nam et ego de hoc loco sollicitus, cum et ipse dubius hærerem, non paucos Hebræos consului, sciscitans quomodo apud ipsos nominetur πρίνος, et quomodo dicant πρίζειν, item qua voce reddant σχίνον, arborem, et quomodo dicatur eis σχίζειν. Illi autem dicebant ignorare se Græcas voces πρίνου et σχίνου, et ipsas sibi poscebant ostendi arbores, ut scirent quasnam eis tribuant voces. Ego vero non dubitavi (amica enim veritas) ipsa ligna in eorum conspectum adducere. Alius autem dicebat quæ nusquam nominata sunt in Scripturis,

*salvat sperantes in se*, etc. Si interfecit eos omnis synagoga, videtur illa opinio refutari [a], de qua supra diximus, secundum Jeremiam (*Jerem.* XXIX), quod ipsi essent presbyteri Ahab et Sedecias : nisi forte hoc, quod scriptum est : *Interfecerunt eos*, sic interpretemur pro eo, quod est, regi Babylonis occidendos tradiderunt. **735** Sicut et nos dicimus, quod Judæi interfecerint Salvatorem : non quo ipsi percusserint, sed quo tradiderint occidendum, et succlamantes dixerint : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15).

(Vers. 63.) *Helcias autem et uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna*, etc. Digne [ *Al.* Digni ] quasi sancti laudant Deum : non quia liberata est de manu presbyterorum Susanna, hoc enim non satis laudabile est, nec magni discriminis, si non esset liberata, sed quia non est inventa in ea res turpis.

(Cap. XIV.—Vers. 1.) *Statimque cum aperuisset ostia, aspiciens* **736** *rex super mensam* [ Vulg. *ostium intuitus rex mensam* ], *exclamavit voce magna : Magnus es, Bel, et non est apud te ullus dolus.* Hoc quod Scriptura nunc dicit : *Exclamavit voce magna*, quia de idololatra et ignorante Deum, dicitur, videtur observationem nostram subvertere, qua dudum asseruimus vocem magnam in sanctis tantum reperiri. Quod solvet facile qui hanc historiam in libro Danielis apud Hebræos dixerit non haberi. Si quis autem potuerit eam approbare esse [b] de canone, tunc quærendum est quid ei respondere debeamus.

se non posse affirmare quemadmodum dicantur Hebraice ; in promptu autem esse, ut qui dubitat, Syriaca utatur voce loco Hebraicæ. Item dicebat etiam a sapientissimis dictiones nonnullas aliquando quæri. Si ergo, inquiebat, alicubi potes ostendere nominatam in aliqua Scriptura *Primum*, vel *Schinum*, ibi certe invenietur quod quærimus, et ea quæ inde oritur, nominum derivatio. Si vero nullibi nominatæ sunt, id quoque nos latet. Hæc igitur cum ab Hebræis quibuscum consuetudinem habui, historiam non agnoscentibus dicta sint, religio mihi est pronuntiare utrum apud Hebræos similis nominum derivatio servetur necne. Tu vero cur non esse affirmaris, fortasse nosti. »

[a] Hanc ex Hebræorum sensu difficultatem urget impendio magis Hieronymus in Commentariis in Jeremiæ cap. XXIX. ad illud Prophetæ, *Faciat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab*, etc. « Aiunt, inquit, Hebræi hos esse presbyteros, qui fecerint stultitiam in Israel, et mœchati sunt uxores civium suorum, quorum uni loquitur Daniel : *Inveterate dierum malorum* : Et alteri : *Semen Chanaam, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*.... Sed illud quod in præsentiarum dicitur : *quos frixit rex Babylonis in igne*, videtur Danielis historiæ contraire. Ille enim asserit eos ad sententiam Danielis a populo esse lapidatos : hic vero scriptum est, quod frixerit eos rex Babylonis in igne. Unde et a plerisque ac pene omnibus Hebræis, ipsa quasi fabula non recipitur, nec legitur in synagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi principes et prophetas suos haberent potestatem ? Et magis hoc esse verum affirmant, quod scribit Jeremias, convinctos quidem esse presbyteros a Daniele, sed latam in eos sententiam a rege Babylonis, qui in captivos, ut victor et dominus, habebat imperium. »

[b] Recole Epist. ad African. num. 4 et 5.

# S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

# TRANSLATIO
## HOMILIARUM ORIGENIS
# IN JEREMIAM ET EZECHIELEM,
## AD [a] VINCENTIUM PRESBYTERUM.

## Prologus.

**741-742**. Magnum est quidem, amice, quod postulas, ut Origenem faciam Latinum, et hominem juxta Didymi videntis sententiam, alterum post Apostolum [*Al.* apostolos], Ecclesiarum magistrum etiam Romanis auribus donem. Sed oculorum, ut ipse nosti, dolore cruciatus, quem nimia impatiens lectione contraxi, et notariorum penuria, quia tenuitas hoc quoque subsidium abstulit, quod recte cupis, tam

[a] Hic idem ille Vincentius est, cui et interpretationem Eusebiani Chronici Pater inscripsit, et quem laudat epist. 61, ad Vigilantium, num. 3.

ardenter ut cupis, implere non valeo. Itaque post quatuordecim homilias in Jeremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum, et has quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi, id magnopere curans, ut idioma supradicti viri a simplicitate sermonis, quæ sola Ecclesiis prodest, etiam translatio conservaret, omni rhetoricæ artis splendore contempto: res quippe volumus, non verba laudare; et illud breviter admonens, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum ejus opus Excerpta, quæ Græce σχόλια nuncupantur, in quibus ea quæ sibi videbantur obscura, atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perA strinxit. Secundum homileticum genus, de quo et præsens interpretatio ejus est. Tertium quod ipse inscripsit Τόμους nos *volumina* possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit, et recedens a terra in medium pelagus aufugit. Scio te cupere, ut omne genus transferam dictionis : præmisi causam, cur facere non possim. Hoc tamen spondeo, quia si, orante te, Jesus reddiderit sanitatem, non dicam cuncta, quia hoc dixisse temerarium est, sed permulta sum translaturus, ea lege qua tibi sæpe constitui, ut ego vocem præbeam, tu notarium.

# INCIPIUNT HOMILIÆ XIV IN JEREMIAM.

## HOMILIA PRIMA.

*Verbum Dei quod factum est ad Jeremiam filium Chelciæ*, etc. (Jerem. I, 1).

**743** Deus ad beneficiendum promptus est : ad puniendos autem eos qui pœna digni sunt, dissimulat. Cum possit quippe tacens sine contestatione venturi punire eos quos semel dignos supplicio judicavit, numquam hoc facit : sed etiam si condemnaverit, [a] dicit quod sibi semper dicere propositum est, ut liberentur a condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum de Scripturis multa possimus accipere, sufficiunt ad præsens incidentia, ut veniamus ad eorum quæ lecta sunt, contemplationem. Ninivitæ peccatores condemnati erant a Deo : *Adhuc enim* [b] *tres dies, et futurum ut Ninive subvertatur* (*Jon.* III, 4). Noluit Deus cum silentio punire damnatos; sed dans eis locum pœnitentiæ et conversionis, misit ad gentes Hebræorum prophetam, ut dicente illo : *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur*, qui condemnati fuerant, non perirent : sed agentes pœnitentiam, impetrarent misericordiam Dei, qui in Sodomis et Gomorrhis jam erant exitio destinati, **744** ut manifestum est ex sermonibus Dei, quos locutus est ad Abraham : attamen quod erat suum, fecerunt angeli, volentes eos salvare qui se indignos salute judicaverunt, hæc dicentes ad Loth : *Est tibi hic aliquis gener, aut filii, aut filiæ* (*Gen.* XIX, 12)? Neque enim ignorabant non esse eos secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter, et ejus qui eos miserat, benignitatem in homines et amorem. Horum quiddam simile invenimus

B et in Jeremia scriptum esse : est enim annotatum tempus prophetiæ ejus quando cœpit prophetare, et quousque. Ergo qui Scripturas legit, si lectioni diligenter [c] intendat, et requirat eorum quæ scripta sunt voluntatem, dicere potest [d] ex historiæ superscriptione, quo tempore Jeremias exorsus sit, et quod consummaverit prophetiam. Quid igitur ad me tempus historiæ? Legens didici, quia cœperit prophetare in diebus Josiæ filii Amos regis Juda, usque ad annum tertium decimum regni ejus ; deinde prophetaverit in diebus Joachim, filii Josiæ, regis Juda, usque ad consummationem **745** undecimi anni Sedeciæ, filii Josiæ, regis Juda. Et legens didici quia per tres reges prophetia ejus contempta sit, usque ad captivitatem Je- C rusalem in quinto mense. Quid ergo docemur per hæc, si lectioni simus intenti? Condemnaverat Deus Jerusalem propter peccata quæ fecerat, et hæc erat extrema sententia, ut captivitati [e] relinqueretur. Verumtamen cum hominum sit amator, nec quemquam velit perire, antequam depopulationis tempus instaret, misit et hunc prophetam, ut per sermones ejus ad pœnitentiam [f] converteretur ; misit eumdem et sub secundo rege post primum, misit quoque sub tertio. Quid plura ? jam captivitas imminebat, et adhuc adhortabatur Deus tribuens (ut ita dicam) et ante unam diem locum pœnitentiæ : unde scriptum est, usque ad captivitatem Jerusalem, et usque ad quintum mensem prophetasse Jeremiam. Jam hostium vincula restrinxerant manus, D et nihilominus hæc quodammodo dicebat Deus : Ecce captivi facti estis : agite, licet sero, pœnitentiam :

[a] Verti jubet Huetius, *prædicit ei, quod sibi propositum est*, cum in Græco sit, προλέγει αὐτῷ τὸ προκείμενον.

[b] Ita LXX et Arabs; at Hebræus, et Jonathan, et Syrus et Vulgata habent *quadraginta*, quæ secutus est Hieronymus in suis ad Jonam commentariis. HUETIUS.

[c] In Græco sub negandi forma est ἐὰν μὴ προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει, μηδὲ ἐξετάζῃ τὸ βούλημα : quam negativam particulam non agnoscit Hieronymus, et sic legit : ἐὰν προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει, καὶ ἐξετάζῃ : optime ; sic enim in fine periochæ hujus : ἐὰν προσέχωμεν τῇ ἀναγνώσει. Legendum quoque in Hieronymo : *dicere potest*, non *discere*. HUETIUS.

[d] Ms. Reg. apud Huetium, *historia super scripta est, quo.*

[e] Mss. Regii penes Huetium, *relinquerentur.*

[f] Unus ms. R. penes eumdem, *converterentur.*

rogate me, et parcam vobis: possum eruere de captivitate, qui tradidi. Habemus itaque [a] quædam necessaria ex superscriptione ista, quæ continet tempora prophetiæ, quia juxta suam clementiam exhortatur Deus semper homines ad salutem, ut, cessante delicto, etiam captivitas conquiescat. Hæc autem et de nobis possumus intelligere: si peccaverimus, et nos captivi futuri sumus. Etenim tradi peccatorem Satanæ (I *Cor.* v, 5), nihil distat ab eo quod Judæi sunt traditi Nabuchodonosor. Utque illos Deus concessit adversario, propter frequentes impietates; sic nos propter peccata quæ fecimus, tradimur spiritali Nabuchodonosor: *et quos tradidi*, inquit, *Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20), Apostolus de aliis peccatoribus. Puta quantum malum est peccare, ut [b] tradamur Satanæ captivanti animos eorum qui relinquuntur a Deo. Non **746** sine causa autem, neque sine judicio [c] Deus relinquit quos deserit. Cum enim miserit pluviam super vineam, et vinea pro uva attulerit spinas, quid faciet, nisi ut mandet nubibus, ne pluant super eam imbrem? Quapropter in proximo est propter delicta nostra, quorum nobis conscii sumus, et nos captivari. Futurum est enim, ut tradamur, si non egerimus pœnitentiam, Nabuchodonosor, atque Babyloniis, qui nos sensibiliter excrucient. Istis jam adjacentibus, sermones prophetarum, sermones Legis, sermones Apostolorum, sermones etiam Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi hortantur ad pœnitentiam, provocant ad salutem. Si autem audierimus, credimus ei qui dixit: *Et ego pœnitentiam agam de omnibus malis, quæ locutus sum facere eis* (*Jer.* XVIII, 8). Et hæc quidem in Proœmium. Post proœmium autem ita scriptum est: *Factus est Domini sermo ad eum:* certum est quia ad Jeremiam. Quid dicit sermo Domini ad eum? præcipuum ab omnibus quæ prophetis dicta sunt cæteris. Hoc enim numquam ad ullum prophetarum dictum invenimus. Abraham [d] propheta nuncupatus est, in eo quod dicitur: *Propheta est, et orabit pro te* (*Gen.* XX, 7): et tamen non dixit ad eum Deus: *Priusquam te plasmarem in utero, novi te: et priusquam exires de vulva, sanctificavi te* (*Jer.* I, 5). Sed postea in extremo jam tempore sanctificatus est Abraham, quando egressus est de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui (*Gen.* XII, 1). Ex repromissione natus est Isaac, et tamen neque ad eum reperimus hunc dictum esse sermonem. Et quid me necesse est per singulos currere? Jeremias præcipuum inter cunctos consecutus est donum, dicente Domino: *Priusquam te plasmarem in utero novi te: et priusquam exires de vulva, sanctificavi te.* Neque vero ignoramus quosdam esse qui ista referant, quasi [e] majora Jeremia, super Salvatore nostro et Domino Jesu Christo: sciendumque plurima ex his esse quæ **747** possunt Salvatori convenire, quæ etiam nos interponemus. Pauca autem eorum quæ ad Jeremiam dicta sunt, coarctant intellectum, quasi non possint, ut plures existimant, ad Dominum referri. Quæ sunt ergo quæ possunt convenire Domino? *Ad omnes ad quoscumque mittam te, ibis: et omnia quæ mando tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te: dicit Dominus* (*Jer.* I, 7, 8). Nec dum ista otiose videntur ad Salvatorem referri: ea vero quæ sequuntur: *Extendit Dominus manum suam ad me, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum; ecce constitui te hodie super gentes et regna, eradicare, et disperdere* (*Jer.* I, 9, 10): de Jeremia difficilem faciunt interpretationem: [f] quas enim gentes eradicavit Jeremias? quæ regna subvertit, ut merito ei dictum sit: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna eradicare, et suffodere?* quam habuit potestatem ad disperdendum, ut audierit: *et disperdere?* Quos vero [g] ædificavit, ut consequenter addatur, *ædificare?* Jeremias dixit: *Non profui, neque profuit mihi aliquis:* et quomodo data est ei ædificatio atque plantatio? Hæc, ut diximus, ad Salvatorem relata non coarctant interpretantem. Jeremias enim in istis Salvatoris figura est. Sed et ea quæ sequuntur, et [*Al.* etiam] doctissimo homini difficultatem expositionis important, quomodo possint congruere Domino: *Et dixi:* [h] *Quis es, dominator, Domine, ecce nescio loqui* (*Jer.* I, 6). Qui est sapientia, qui est virtus Dei, in quo plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter (*Colos.* II, 9), quomodo huic aptari potest: *Nescio loqui?* Sed et illud: *Quia juvenis ego sum:* interciditur [i] ei, quasi non bene responderit. Si etenim ei dicit Dominus: *Noli dicere, quia juvenis sum*, manifestum est quasi non bene dicentem fuisse reprehensum. Hæc sunt quæ Salvatori videntur non convenire. Superiora autem

[a] Idem ms., *quiddam necessarium.*

[b] Rursum idem ms., *tradar*; al. *tradat.*

[c] Ms. R. *Dei relinquentis*; al. *Deo relinquente.*

[d] Quin et Adamo ipsi locum inter prophetas tribuit Origenes commentar. in Cantic.: *Inter prophetas autem numeratur et Adam, quia magnum mysterium prophetavit in Christo, et in Ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt ambo in carne una. Evidenter enim de his dictis ejus dicit Apostolus, quia mysterium hoc magnum sit, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* HUETIUS.

[e] Locum nos emaculavimus, cum antea blasphemo fere sensu esset, *quasi major sit Jeremia.* Monuit vero, qui hæc monimenta in pervetustis magisque emendatis codd. olim legit, Rabanus, ac totidem verbis describens suis in Jeremiam commentariis inserit: ex quo et nos reposuimus, *quasi majora Jeremia.* Sed et Græcus Origenis textus sic præfert: ὡς μείζονα Ἱερεμίου, non ὡς μείζων Ἱερεμίας.

[f] Interserit Rabanus quasi Hieronymi verba: *Nisi forte accipiamus eo modo, quo supra diximus, ut acceperit in manu calicem meri plenum, et jussus sit propinare cunctis in circuitu nationibus*, quæ tamen nec in Græco sonant.

[g] Huetius *Quamnam vero*, cum et ms. Reg. penes eumdem, et Rabanus, *quos vero* legant: quemadmodum, et Græco textu suffragante, nos reposuimus.

[h] Idem retinuit, *quis es*: monuit vero reponendum *qui es*, ut et Rabanus restituit.

[i] Antea erat *interdicitur enim quasi*, etc. Nos cum Reg. mss. et Rabano legimus *ei* pro *enim*. Rabanus præterea *qui* pro *quasi* habet; sed est in Græco: ὡς λέγουσα.

facili intellectu ad eum referuntur. Dicere vero alia super Jeremia, alia super Salvatore interpretanda **748** esse, non pessimum est. Sed qui bene Scripturas nosse conatur, vehementer in isto instabit loco, videns sub uno textu sermonis dividi intellectum, et dici, hæc, quoniam minora sunt, non conveniunt Salvatori, sed Jeremiæ: illa vero, quoniam majora sunt, non Jeremiæ, sed Christo. Ob id cuncta nos ad Jeremiam referre tentabimus: hoc est, et ea, quæ cum majora sint, videntur conditionem ejus excedere. Quicumque a Deo accepit verba, sumens gratiam cœlestis eloquii, idcirco ea accipit, ut regna gentesque eradicet atque subvertat. Sed cum nominentur gentes, et regna, omnis qui divina verba suscipit, nolo eum corporaliter intelligere regna, et gentes, sed considerans animas hominum [a] regnatas a peccato, juxta id quod in Apostolo scriptum est: *Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12): videns quoque multas species delictorum allegorizet regna et gentes per [b] varia delicta, quæ humanas animas possederunt: et hæc erunt quæ evellentur atque suffodientur a sermonibus Dei, qui dati sunt sive Jeremiæ, sive cæteris sanctis. Ita fiet, ut prima quæ non videbantur congruere Salvatori, ab Jeremiam referantur: et secunda ab eo qui scit [c] figurate dicta quæ dicta sunt, Jeremiæ deputentur.

Dicet mihi aliquis auditorum, etiam alium pande sermonem, et cuncta quæ scripta sunt super Salvatore, quasi de [d] eo sint scripta, constitue: de secundis noli esse sollicitus. Apparet enim quia Salvator eradicaverit regna diaboli, et nationes subverterit, gentilem destruens vitam. In istis quod intellectum difficilem facit, hoc est, quomodo possit Salvator dicere: *Nescio loqui, quia juvenis ego sum*, et cætera. In hoc sermone interpretantes [e] coangustantur. Jesum Christum scimus Deum: quærimus verba quæ dicta sunt juxta personæ exponere dignitatem: quapropter necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe **749** nostri et enarrationes sine iis testibus non habent fidem: et hoc quod dictum est: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Mat.* XVIII, 16), magis convenit ad interpretantis probationem, quam ad quorumcumque hominum numerum: ut firmem verbum intellectus mei, accipiens duos testes de novo et veteri Testamento, accipiens tres testes de Evangelio, de Propheta, de Apostolo. Sic enim stabit omne verbum. Quomodo igitur valebimus ista conjungere Salvatori? Det mihi testimonium vetus Testamentum: *Quia priusquam agnoscat puer bonum aut malum* (*Isai.* VII, 16), et cætera. Det etiam Isaias: *Ecce Virgo concipiet in utero, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII, 14): ibique additur: *Priusquam cognoscat puer.* Si autem et de Evangelio accipere oportet testimonium, Jesus necdum vir, sed adhuc infans, quia se exinaniverat formam servi accipiens, proficiebat (*Luc.* II, 32). Nemo autem proficit, qui est perfectus; sed ille proficit, qui indiget profectu. Ergo proficiebat ætate, proficiebat sapientia, proficiebat gratia, et apud Deum, et apud homines. Nam si evacuaverat se ipsum ad nos descendens, et evacuans seipsum resumpsit iterum ea de quibus se prius evacuaverat, quid indignum est profecisse eum sapientia, profecisse ætate, profecisse gratia apud Deum, et apud homines, et vera de eo esse ista quæ dicta sunt: *Priusquam cognoscat puer bonum aut malum* (*Isai.* VII, 16), et ea quæ de eodem interposuimus? Sed dicet mihi aliquis: Etiamsi [f] potest de Salvatore intelligi dictum esse quia nesciat, et cætera hujusmodi quæ majora sunt, et si puerum eum accipias, nonne offendis ista sentiendo de unigenito, et primogenito universæ creaturæ; de eo qui antequam conciperetur, annuntiatus est, loquente Gabriele: *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obrumbrabit te* (*Luc.* I, 37): et audes dicere quia nesciat loqui? Quamobrem videbo si potero aliquid dignum de Salvatore in hoc loco afferre quod [*Al.* quomodo] quædam nesciens major sit, si ea ignoraverit, quam si scierit. Utamur voce ejus, quomodo sint aliqua quæ nesciat. Respondit **750** eis, qui sibi dicebant: *Nonne in nomine tuo comedimus, et in nomine tuo bibimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Discedite a me, non novi vos* (*Mat.* VII, 22). Putasne hoc quod ait: *Non novi vos*, minorem ejus virtutem approbat, an majorem atque mirabilem, quia malos periturosque nesciat? Scit enim [g] ab his differentias, scit meliora, scit Dominus eos qui ejus sunt, et si quis ignorat, ignoratur. Igitur (ut constat) peccator ignoratur a Deo. Dicet mihi aliquis de auditoribus: ostendisti quia nesciat peccatores Deus, ostendisti quia ignoret eos qui operantur iniquitatem, neque enim digni sunt agnitione ejus: quomodo approbabis magnum et gloriosum esse quod ab eo dictum est: *Nescio loqui?* Loqui [h] humanum est, et eloquio semper utimur, verbi causa, Hebræorum voce, sive Græcorum,

[a] Rabanus, *gubernatas* pro *regnatas*; contra est in Græco βασιλευομένας. Quædam levioris momenti inferius castigamus.

[b] Hinc recte monet Huetius, emendandum in Græco κατὰ τὰ φαῦλα, prout Hieronymus legerat, pro καὶ τὰ φαῦλα, quod librarii est mendum.

[c] Ms. Reg. apud Huetium, *figurate quæ dicta sunt.*

[d] Iidem mss., *de Deo.*

[e] Penes Rabanum, *sermo interpretantis coangustatur*, pressius ad Græcum ὁ λόγος στενοχωρεῖται.

[f] Rabanus, *etiamsi potes illud de Salvatore intelligere*, et paulo post, *quæ minora sunt.*

[g] In Græco est ἔγνω γὰρ τὰ διαφέροντα καὶ κρείττονα. Hic lapsus est Hieronymus: *Scit enim ab his differentias, scit meliora, scit Dominus eos, qui ejus sunt.* Verte: *Novit enim præstantiora et meliora.* HUETIUS.

[h] Pro *Loqui*, quod juxta Græcum τὸ λαλεῖν, ex Rabano reposuimus, erat *quod, et sæpe* pro *semper.* Sed et illud paulo post, *sive reliquorum sermone*, longius a Græco distat, quam quod legit Rabanus, *Quorumcumque ergo sermone si ascenderis*, etc.

sive reliquorum sermone. Ergo si ascenderis ad Salvatorem, et scieris eum in principio apud Deum Verbum, inspice quia nesciat loqui, cum humanum sit hoc quod dicitur loqui, si [*Al.* sed] ideo nesciat, quia sint majora quæ noverit. Si autem et Angelorum linguas humanis comparaveris linguis, et scieris quia iste major sit [a] Angelis (sicut testatus est de eo Apostolus in Epistola sua quam scribit ad Hebræos [*Hebr.* I, 4, 5], intelligens majorem eum et Angelorum linguis fuisse, quando tantum Deus [*Al* Dei] Verbum erat apud Patrem. Dicit ergo, et quodammodo accipit disciplinam non magnorum, sed inferiorum ac minorum. Sicut et ego balbutire disco, violentiam mihimetipsi faciens, quando cum parvulis loquor, neque enim scio (ut ita dicam) infantiliter loqui, et infractis verbis jam grandævus cum pueris sermocinari: eodem modo Salvator in magnificentia quidem gloriæ Dei, et in Patre consistens, non loquitur humana, nescit affari eos qui deorsum sunt. Quando autem venit in corpus humanum, dicit in exordio: *Nescio loqui, quia juvenis ego sum* (*Col.* I, 15): juvenis, propter dispensationem: senex, juxta hoc quod primogenitus omnis creaturæ: juvenis, quia in consummatione jam sæculorum, et in extremum hujus vitæ **751** tempus advenit. Dicit itaque: *Nescio loqui*; scio enim quædam majora loqui, scio quædam [b] majora isto sermone mortali. Vis me loqui terrestribus? necdum assumpsi humanam fragilitatem, habeo eloquium tuum, Verbum tuum sum, tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, juvenis sum. *Noli dicere: Juvenis ego sum, quoniam ad* [c] *omnes quoscumque mittam te, ibis.* Deinde commovit manum ad tangendum os ejus, ut ei det verba, quibus eradicet imperia. Neque vero indigebat Salvator verbis, ut ea acciperet, quando erat in Patre, nullis in cœlo dignis, quæ mererentur everti. Sed nunc accipit parva, [d] differens majora paulisper. Atque ita ex hoc approbatur, sicuti alibi gloriose dixerat: *Nescio vos, quia operarii estis iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27), et nunc verba gloriose accepisse, cum Deus sit, et juxta magnificentiam suæ dixisse gloriæ: *Nescio loqui*, id est, humana non novi. Sive autem ad Jeremiam, sive ad Salvatorem dicitur: *Priusquam te plasmarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5); legens Genesim et observans ea quæ ibi de conditione mundi scripta sunt, invenies quia Scriptura divina, multum in sermonibus cauta, non dixerit: *Priusquam te facerem in utero, novi te:* quando enim juxta imaginem conditio est, dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26), et non dicit, plasmemus. Quando autem accepit lutum de terra, non est scriptum: Fecit hominem, sed: *Plasmavit hominem* (*Gen.* II, 7), et posuit in paradiso hominem quem plasmavit, operari et servare eum. Si potes intelligere differentiam facturæ et plasmationis, cum dicens sive ad Jeremiam, sive ad Salvatorem, non dixerit: *Priusquam te facerem in utero.* Quod enim fit, non fit in utero, sed quod creatur de terræ pulvere, hoc plasmatur in utero. *Priusquam te plasmarem in utero, scio te.* Si omnes novit Deus, quomodo quasi præcipuo [*Al.* præcipuum] a cæteris Jeremiæ dicit: *Novi te?* An eos tantum scit Deus qui scientia ejus digni sunt, et cognoscit eos qui ejus sunt; indignos vero **752** nescit neque Pater, neque Filius, dicens: *Non novi vos* (*Matt.* VII, 23)? Nos cum simus homines, si aliqua fuerimus prædi- B ditate, alios nostra notitia dignos, alios judicamus [*Al.* judicavimus] indignos; et quos scire nolumus, neque audire volumus, eos nescimus. Quid arbitraris de universitatis Deo? Vult scire Pharaonem, vult Ægyptios nosse, sed indigni sunt notitia ejus; sed ipsi faciunt ut ignorentur. Scit autem Moysen, scit prophetas, et si quis similis eorum est. Multum te oportet laborare, ut nosci incipiaris a Domino. Jeremiam quidem, priusquam plasmaverit in ventre, cognovit: alium vero de prophetis triginta annorum cœpit nosse, alium quadraginta. Sermones sunt ineffabiles de Salvatore, et non magnopere quærendi: de Jeremia vero, eorum qui scientiam Scripturarum habent, auribus [e] indigemus, quomodo di- C cat: *Priusquam te plasmarem in utero, novi te: et priusquam exires de vulva matris tuæ, sanctificavi te:* Deus sibi ipse sanctificat aliquos. Istum non exspectat, ut sanctificet genitum, sed prius sanctificat quam de vulva egrediatur. Si ad Salvatorem (ut dixi) referas, non est malum dicere prius eum sanctificatum esse, quam natum. Sic de Domino intelligas [f], qui antequam de vulva exierit, sanctificatus est, sed infinito ante tempore semper sanctus fuit: hic vero antequam de utero exiret, sanctificatus est. *Prophetam in gentibus posui te.* Si [g] de Jeremia quæris, quomodo sit propheta in gentibus positus, observa in consequentibus cum jubetur prophetare ad omnes gentes: nam istius modi scriptio est, quod [*Al.* superscriptio est quæ] prophetavit Jeremias D super omnes gentes Elam, Damasci, Moab: et habebis quia prophetaverit ad omnes gentes, juxta id quod dictum est: *Prophetam in gentibus posui te,* si tamen volueris hæc de Jeremia dicta sentire. Si autem intelligentiam ad Deum transferas, iste vere in universas gentes prædicavit. Est quippe [h]

[a] Rabanus, *major sit et ab Angelis.*

[b] Penes Rab., *meliora.* Et pridem luxata valde erat Hieronymi scriptura, *scio quædam isto sermone mortali vix eloqui terrestribus*, etc., quæ Huetius restituit.

[c] Reposuimus *ad omnes quoscumque mittam*, etc., pro quo erat antea *ad omnia, ad quæcumque mittam*, etc. Rabanus, tum Reg. penes Huetium ms., denique Græcus textus, πρὸς πάντας, οὓς ἐὰν ἐξαποστείλω σε, et Latinus quoque non semel supra laudatus monuerunt.

[d] Laudatus ms. et Rabanus, *deserens*, al. *differens.*

[e] Apud Raban., *indigentes*, ad Græc. δεόμενοι.

[f] Idem, *de Domino intelligas non solum antequam de vulva exiret.*

[g] Antea erat: *Si Jeremias quæris.* Raban. castigat.

[h] Ms. Reg., teste Huetio, *Est quippe sicut princeps Prophetarum, sic et Propheta.* Raban., *alia similia* pro *multa.*

sicut alia multa, sic et propheta. Ut est princeps sacerdotum, ut est Salvator, ut est **753** medicus; similiter et propheta est. Moyses annuntians de eo, non solum prophetam, sed admirabilem inter cunctos nominavit prophetam, dicens: *Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis,* [a] *Dominus Deus, quasi me audite eum. Et erit, quicumque non audierit prophetam illum, interibit de populo suo* (*Deuter.* XVIII, 15). Iste est prophetes constitutus in gentibus, et accepit gratiam a Deo effusam in labiis suis, ut non solum cum præsens aderat corpore, sed etiam nunc cum adest virtute, et spiritu, prophetet ad omnes gentes, et prophetia sua ex toto orbe attrahat homines ad salutem. *Et* [b] *dixit: Quis est dominator, Domine? Ecce nescio loqui, quia juvenis ego sum. Et dixit Dominus ad eum: Noli dicere, quia juvenis ego sum, quoniam ad omnes ad quoscumque te mittam, ibis* (*Jer.* I, 6). Sæpe diximus solere esse aliquem puerum, juxta eum qui intus est hominem, licet etiam senili corporis sit ætate: et econtrario frequenter inveniri parvulum secundum eum hominem qui extrinsecus est, et esse interius perfectum virum. Talis erat Jeremias habens jam sibi concessam a Deo gratiam in ætate corporis adhuc puerili, propter quod ait ei Dominus: *Noli dicere, quia juvenis sum.* Signumque hujus rei, quia non sit juvenis, sed vir consummatus, [c] ostendit dicens: *Quoniam ad omnes ad quoscumque mittam te, ibis: et juxta quæcumque mando tibi, loqueris: nec timeas a facie eorum.* Scit enim eos sermo Dei, qui verbi legatione funguntur, incurrere ab iis periculum qui audire contemnunt. Increpati enim oderunt increpationes, coarguti insequuntur arguentes. Omne quodcumque malum est, semper patiuntur prophetæ: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et domo sua* (*Marc.* VI, 4). Cujus rei [d] nuper quoque fecimus mentionem. Scit ergo (ut dicere cœpimus) Deus mittens prophetam, quanta discrimina perpessurus sit, **754** ideo exhortatur eum dicens: *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te, dicit Dominus* (*Jer.* I, 8). Quæcumque Jeremias passus est, scripta sunt: in lacum missus est luti, mansit ibi comedens panem diei, et aquam tantum bibens, aliaque multa quæ pertulit, in libro ejus continentur. *Quem autem prophetarum non persecuti sunt patres vestri* (*Act.* VII, 52)? dicit Dominus ad Judæos. Et necesse est eos qui vivere religiose in Christo cupiunt, omni genere a contrariis virtutibus, per ea quæ reperiuntur vasa, persecutionem pati. Qua de causa nihil novum aut peregrinum videatur his, [e] qui in tribulationibus affliguntur: omnia quæ præcepta sunt faciant, tantum orent ut persecutionis causa Christus sit; ne propter injustitiam, ne propter delicta, ne propter avaritiam deprimantur. Si quando autem propter justitiam aliquis exagitatur, audiat: *Beati estis cum exprobrant vobis, et persequuntur, et dicunt omne malum adversum vos, mei causa: gaudete et exsultate, quia merces vestra magna est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerant ante vos* (*Matth.* V, 11). *Quoniam tecum sum ut eruam te, dicit Dominus; et extendit manum suam ad me Dominus, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me* (*Jer.* I, 8, 9). Observa differentias Jeremiæ et Isaiæ. Isaias ait: *Immunda labia habens, in medio populi immunda labia habentis ego habito, et regem Dominum sabaoth vidi oculis meis* (*Isa.* VI, 5). Et quoniam confessus est non habere facta immunda, sed verba tantum (usque ad hunc enim finem peccata commiserat), non extendit Dominus manum suam, neque [f] unum ex Seraphim manu sua labia ejus tetigit, sed forcipe solum tangens ait: *Ecce abstuli iniquitates tuas.* Jeremiæ autem, quia sanctificatus fuerat in vulva, non forceps mittitur, neque de altari carbo succensus; nihil quippe habebat igne dignum, sed ipsa manus Domini tetigit **755** eum, propter quod dicit: *Extendit Dominus manum suam ad me, et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te* [g] *hodie super gentes, et regna eradicare* (*Jer.* I, 9, 10). Qui sic beatus est, ut regna multa quæ Christo diabolus ostendit, regna dæmonum, regna peccati eradicet, [h] opus habet iis qui ei dati sunt a Deo sermonibus. Scriptum est enim: *Ecce dedi sermones meos in os tuum. Ecce constitui te hodie super gentes, et regna eradicare* (*Jer.* I, 10). Quomodo autem regna sunt plurima, plures similiter et gentes. Nec potest aliquod regnum dici, nisi quod sub se continet nationes. Verbi gratia dictum sit: regnat fornicatio (in homine peccatore), necesse est ut regnum fornicationis habeat gentes suas. Ipsum illud generale delictum avaritiæ et fraudis, quo vix

[a] Expunximus hic verbum *dixit*, tum *noster* post *Deus*: suffecimus vero, *Et erit, quicumque* juxta Græcum textum et Rabani lectionem.

[b] Rescribendum videtur juxta Græcum, καὶ εἶπα, Ὁ ὤν. *Et dixi: Qui es.* Hebraic. habet, *Et dixi A, a, a, Domine Deus*, etc.

[c] Mss. Reg. penes Huetium, *ostenditur: Quoniam.*

[d] In Græco tantum est καὶ πρώην ἐμνημονεύομεν: legit vero Hieronymus οὗ καὶ πρώην ἐμνημονεύομεν, quod verum est. Non absurde crediderit aliquis commentaria Origenis in Matthæum hic significari, in quorum XL tomo locus hic, qui habetur Matth. XIII, 57, prolixe explanatur. Quamvis enim in Matthæum tomos elucubrare jam sexagenario major Origines inceperit: non prius tamen homilias illas ad populum habuit; nam ex eo homiliarum genere sunt, quas cum ex tempore funderet, post sexagesimum annum a notariis in litteras referri permisit, quod ante semper vetuerat. Vide Eusebium, libro VI Hist. cap. 36. Eidem quoque huic conjecturæ facit vocula, πρώην, quæ non *pridem*, ut a Corderio, sed *nuper* vertenda est, ita ut vertit Hieronymus: circa idem quippe tempus in Matthæum scripsit, et homilias suas ex ore concionantis excipi passus est. HUETIUS.

[e] Ms. Reg., *quod his tribulationibus:* alter, *qui his*, etc. Idem.

[f] Græc. τὸ δὲ ἓν τῶν σεραφίμ. Legit Hieron. μηδὲ ἕν, etc., *neque unum ex Seraphim;* quod verum est, et ex Isaiæ VI, 6, satis exstat. Idem.

[g] Deerat vox *hodie*, quam Raban. et Græc. σήμερον supplent.

[h] Verba *opus habet* Rabanus ignorat, neque in Græco sunt textu, nec denique, quod Huetius opinatur, erat cur Hieronymus suppleret in Græco.

aliquis immunis est, habet regnum suum, et sub regno uno multas possidet gentes, per plurimas scilicet species avaritiæ, et ob id opus est sermonibus Dei, ut istiusmodi regna cum suis gentibus evellantur. Salvator in Evangelio ostendit dicens : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* ( *Matth.* xv, 13 ). Sunt quædam intrinsecus in animabus vestris [ *Al.* animis nostris ] insita, quæ non plantavit cœlestis Pater. Omnes quippe cogitationes pessimæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, plantationes sunt, quas non plantavit cœlestis Pater. Si autem vis scire cujus sit plantatio istiusmodi cogitatus, audi quia *inimicus homo hoc fecit, qui superseminavit zizania in medio tritici* ( *Matth.* xiii, 25 ). Instat ecce Deus, instat et Zabulus habentes semina sua. Si dederimus locum Zabulo, inimicus homo superserit plantationem, quam [ *Al.* quoniam ] non plantavit cœlestis Pater, utique eradicandam. Sin autem repulso Zabulo, locum dederimus Deo, gaudens Deus super principale [ *Al.* sub principali ] cordis nostri sparget semen suum. Nec aliquis existimet [a] triste quiddam **756** Jeremiam recepisse, quia constitutus sit ad eradicationem regnorum et gentium. Bonitatis Dei istud est indicium, eradicare vitia per sermones, inimica cœlestis regni regna destruere, et bellantes cum sua gente evertere nationes, eradicare et subvertere. Est quædam ædificatio Zabuli, et est quædam ædificatio Dei : quod super arenam exstruitur, hoc Zabuli est, super nullo enim stabili, [b] robustoque solidatur. Quod autem super petram ædificatur, hoc Dei est. Unde et his qui ejus sunt, dicitur : *Dei agricultura, Dei ædificatio estis* ( I *Cor.* iii ). [c] *Super gentes et regna eradicare, et subvertere, et disperdere.* Si eradicatur aliquid, et eradicatio ipsa [d] non disperiit : adhuc permanet quod evulsum est. Si subruitur domus, et lapides in ruina sunt integri : dissipata est domus, non tamen perdita. Opus est igitur benignitate Dei, ut eradicatio ipsa et subversio tota dispereat. Diligentius lege quomodo eradicata perdantur : [e] *Paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Et : *Ligate manipulos zizaniorum, et tradite eos igni* ( *Matth.* iii, 12, 30 ). Sic ea quæ sunt eradicata [f] disperduntur. Si autem vis scire quomodo dispersio redigatur in nihilum, quomodo ædificationis pessima [ *Al.* pessimæ ] materia in pulverem comminuatur, domus ea quæ propter lepram destrui jubetur ( *Levit.* xiv ), cum fuerit pulvis effecta, extra civitatem projicitur, ut ne lapis quidem ex ea residuus sit, juxta quod scriptum est : *Similiter* [g] *ut lutum platearum delebo eos* ( *Ps.* xviii, 43 ). Oportet quippe penitus interire malitiam. Subversum est aliquid, lapides quoque ipsi qui destructi sunt, conterantur, ne ad aliquam [ *Al.* aliam ] ædificationem, quam diabolus concinnare potest, assumi valeant. Eradicatum est quippiam, invenit adversarius etiam inter ea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter quod jubet Dominus : *Colligite,* dicens, *et comburite ea igni*, scilicet ut eradicatio quoque Zabuli, et ipsa subversio consumatur. **757** Verum non tantum in hoc stat sermo divinus, ut eradicet, et destruat, et disperdat : esto enim, eradicata sint omnia in me mala, destructa et dispersa sint pessima, quid mihi prodest, si non pro eis quæ eradicata et suffossa sunt, meliora in me plantentur atque ædificentur? Propterea Dei verba primum faciunt, quod necesse est, eradicant, destruunt, perdunt, et post hæc ædificant, atque plantant. Observavimus semper in Scripturis sanctis, primum ea quæ videntur tristia nominari, deinde ea quæ hilariora sunt, secundo dici : *Ego occidam, et ego vivificabo* (*Deuter.* xxxii, 39). [h] Non dixit prius, Ego vivificabo, et postea, occidam. Impossibile [i] est enim, quod semel vivificavit Deus, aut ab eo ipso, aut ab alio occidi. Sed : *Ego interficiam, et ego vivificabo.* i Quem interficiam? Paulum proditorem,

[a] Rabanus, *existimet Deum triste quiddam Jeremiæ præcepisse, qui constitutus*, etc., Græco textu refragante.

[b] Vitiose antea erat, *super nullo enim stabilitur, abortumque non solidatur :* et in R. mss. penes Huetium, *ab istoque solidatur*, vel *ab isto quod solidetur.* Optime Rabanus lectionem monuit restituendam, *super nullo enim stabili robustoque solidatur.* Sic habet et Græcus, ἐπ' οὐδενὶ γὰρ ἐστήριχται ἑδραίῳ καὶ βεβαίῳ καὶ ἡνωμένῳ.

[c] Interserit Græcus οἱ λόγοι τοίνυν τοῦ Θεοῦ, *sermones itaque Dei*, quæ aut Hieronymus præteriit, aut, quod Huetius putat, ex ejus interpretatione temporis diuturnitas erasit. Mox voces *et regna* suffecimus ex Rabano et Græco καὶ βασιλείας.

[d] Placuit legi cum Rabano *disperiit*, ad Græcum ἀπόληται ; et Reg. ms. *disperiit* pro illo quod antea obtinebat *dispergitur.*

[e] Vitiose erat, *plateas* pro *puleas.*

[f] Penes Rabanum, *dispereunt*, et mox, *quomodo et subversio redigatur*, etc., utrobique rectius ad Græcum.

[g] Illud *similiter* suffecimus ex Rabano et Græco ὁμοίως.

[h] Græcus subdit continuo, τίνα ἀποκτενῶ ; Παῦλον τὸν προδότην, Παῦλον τὸν διώκτην· καὶ ζῆν ποιήσω, ἵνα γένηται Παῦλος ἀπόστολος, etc.; id est, *quem occidam? Paulum proditorem, Paulum persecutorem : et vivere faciam, ut fiat Paulus apostolus*, etc. Ut plane videas, non longius recedere arbitratu suo Hieronymum ; sed ab eo, qui nunc superat, Græco textu, eorumdem verborum καὶ ζῆν ποιήσω occursu, intermedia, quæ S. Doctor interpretatus est, excidisse.

[i] Quod hic habet Hieronymus : *impossibile esse quod semel vivificavit Deus, aut ab eo ipso, aut ab alio occidi*, sic interpretor, eum qui vitæ æternæ particeps a Deo factus est, tam firmis a Deo foveri auxiliis, ut eam nequaquam possit amittere. Interpretationem nostram sequentia confirmant, in quibus ad resurrectionem mortuorum ista referuntur. Quomodo autem in futura vita Beati a lapsu contineantur, sic tradit ipse Origenes lib. v in Epist. ad Rom. : *Quid autem sit quod in futuris sæculis teneat arbitrii libertatem, ne rursum corruat in peccatum, brevi nos sermone Apostolus docet dicens : Charitas numquam cadit. Idcirco enim et fide, et spe major charitas dicitur, quia sola erit, per quam delinqui ultra non poterit. Si enim in id anima perfectionis ascenderit, ut ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex totis viribus suis diligat Deum, et proximum suum tamquam seipsam, ubi erit peccati locus?* Et paulo post ; *Et ideo merito charitas, quæ sola omnium maxima est, omnem creaturam continebit a lapsu, tunc cum erit Deus omnia in omnibus.* Huetius.

[j] Tota isthæc pericope, *quem interficiam? Paulum proditorem, Paulum persecutorem, et vivificabo*, cum

Paulum persecutorem; et vivificabo, ut fiat Paulus apostolus Christi Jesu. Hæc si intelligerent miserrimi [a] hæretici, numquam ad nos deferrent, crebro ista dicentes: Videsne Deum Legis et Prophetarum, quomodo ferus est et inhumanus? quomodo dicit: *Ego occidam, et ego vivificabo?* non advertentes in Scripturis annuntiationem suscitationis mortuorum, non considerantes resurrectionem jam cœpisse per singulos: *Consepelimur enim Christo per baptismum, et consurgemus cum eo* (*Rom.* VI, 4; *Coloss.* II, 12). A tristibus semper, sed necessariis inchoat Deus, veluti: *Ego occidam, et ego vivificabo: ego percutiam, et ego sanabo.* **758** *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII, 6); et post hæc curat. Ipse dolorem facit, et iterum restituit lætitiam. Similiter et in præsenti Dominus ait: *Constitui te hodie super gentes, et regna eradicare, et suffodere, et disperdere, et ædificare, et plantare.* Verumtamen primum est, ut mala auferantur a nobis. Non potest in loco ædificationis malæ ædificare Deus: *Quæ enim participatio justitiæ et iniquitatis? aut quæ communicatio luci ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Oportet malitiam ex imis sedibus eradicari: oportet et ædificationem pessimam ab animabus [*Al.* animis] nostris penitus auferri, ut postea sermones [b] Dei ædificent atque plantent. Possumus siquidem et aliter intelligere quæ scripta sunt: *Ecce dedi sermones meos in os tuum.* Et quid faciant sermones dicit: *Eradicare, et suffodere, et disperdere.* Sermones eradicant nationes, sermones regna suffodiunt; sed non regna ista carnis et sæculi, [c] digna destruentibus, digna eradicantibus verbis. Ea quæ eradicata et subversa sunt senti, putas, in his quæ dicimus modo non est virtus quam Dominus tribuit, secundum quod scriptum est: *Dominus dabit verba evangelizanti virtute multa* (*Psal.* LXVII, 12)? virtus eradicans atque suffodiens, si qua infidelitas, si quod mendacium, si qua malitia, si qua luxuria, si qua discordia non est suffossa. Sicuti idolum in corde constructum est, illo deposito, ædificetur templum Dei, et inveniatur gloria ejus in eo, et fiat non infertilis, sive locus exsurgens, sed plantatio paradisi, ubi templum Dei sit in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA SECUNDA.

De eo quod scriptum est: *Fugite de medio Babylonis* (Jerem. LI, 6).

**759** Quomodo corpus nostrum in aliquo terræ loco consistit, eodem modo et anima secundum statum suum in aliquo [d] nuncupativo terræ loco est. Quod dico, sic fiet manifestius. Corpus nostrum aut in Ægypto est, aut in Babylone, aut in Palæstina, aut in Syria, aut certe ubicumque. Similiter et anima in aliquo ejusdem [e] terræ nominis loco est, alia in Babylone, alia in Ægypto, alia in Ammanitarum regione: et sic segregatim [*Al.* sacrata] secundum sententiam Scripturarum, pro qualitate vitæ locorum diversitate [f] distinguitur. In Babylone est, quando confunditur, quando turbatur, quando, pace deserta, bella sustinet [*Al.* sustinent] passionum, quando tumultus malitiæ circa eam fremit, tunc ut diximus, in Babylone est. Et ad istam animam prophetalis sermo dirigitur, dicens: *Fugite de medio Babylonis, et resalvate unusquisque animam suam.* Donec enim quis in Babylone est, salvari non potest. Quod [g] etsi recordatus ibi fuerit Jerusalem, ingemiscit et dicit: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI)? Et quia impossibile est in Babylone constitutos Deo organis canere, otiosa quippe ibi sunt organa hymnorum Dei, propterea [*Al.* propter eam] dicitur per Prophetam: *Super flumina Babylonis illic* [*Al.* ibi] *sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion: in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Suspensa sunt organa nostra, quamdiu in Babylone sumus in salicibus fluminum Babylonum. Si autem venerimus in Jerusalem, in locum visionis et pacis, organa, quæ ante otiosa pendebant,

magno sensus dispendio deerat, nosque primum ex Rabano suffecimus. Ostendimus autem superiori nota *h* totidem haberi in Græco verbis, τίνα ἀποκτενῶ; Παῦλον τὸν προδότην, Παῦλον τὸν διώκτην, καὶ ζῆν ποιήσω: quæ cum in Latinis Hieronymi codd. Huetius non invenisset, ab Origeniano exemplari Hieronymum longius exspatiari dixit.

[a] Basilidianos, Valentinianos, Cerdonianos, Marcionistas, aliosque ejus farinæ hæreticos suggillat. Origenes in Matth. XIX: ζητήσεις δὲ πῶς τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ πνεῖ καὶ τὰ μὴ νοούμενα ὑπὸ τῶν, τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς, συκοφαντούντων τὸν τοῦ νόμου Θεὸν καὶ κατηγορούντων αὐτοῦ, ἃ οὐδὲ περὶ ἀνθρώπου τάχα λέγειν εὐκολόν ἐστι πείθομαι γὰρ Θεοῦ ἀγαθότητος πνεῖν καὶ τό· Ἐγὼ ἀποκτενῶ, οὐκ ἔλαττον τῷ, Καὶ ζῆν ποιήσω· ὁμοίως δὲ καὶ τὸ Πατάξω, οὐκ ἧττον τῷ, Κἀγὼ ἰάσομαι: *Quæres autem quomodo bonitatem illius ea etiam spirent, quæ ab iis minime intelliguntur, qui Deum Legis, quantum in se est, calumniantur, eumque hoc criminantur nomine, quo ne hominem quidem reprehendere promptum foret. Sic enim animum meum induco, non minus id Dei bonitatem significare: Ego occidam; atque illud: Et ego vivere faciam: item et hoc: Percutiam, haud secus ac: Et ego sanabo.* Idem homil. 17, in Luc.: *Aiunt enim* (Valentiniani): *Ecce Deus legis et Prophetarum, videte qualis sit. Ego, inquit, occidam, vivere faciam; percutiam, et ego sanabo; et non est qui eruat de manibus meis. Audiunt: Occidam, et non audiunt: Vivificabo. Audiunt: Percutiam, et audire contemnunt: Et ego sanabo. Istiusmodi occasionibus Creatorem calumniantur.* HUETIUS.

[b] Vitiose aberat vox *Dei*, quam ex Rabano Græcoque textu, οἱ λόγοι τοῦ Θεοῦ οἰκοδομηθῶσιν, suffecimus.

[c] Regii mss. penes Huetium, *digne destruentibus, digne eradicantibus.*

[d] Hoc vocabulo et paulo post utitur. Quare quod diximus in præfatione tomi quarti, ubi de interprete homiliarum in Isaiam, nusquam illud in Hieronymi scriptis inveniri, rescindi uno atque altero exemplo cupimus.

[e] Elegantius penes Raban., *ejusdem cum terra nominis.*

[f] Antea erat, *locorum diversitates distinguuntur.* Melior quam reponimus Rabani est lectio, *diversitate distinguitur:* id est *anima*, ad quam sensum referri liquet.

[g] Apud Raban., *Qui etiam recordatus ubi fuerit Jerusalem.*

tunc assumuntur in manibus, tunc jugiter [a] citharizamus, et non est tempus, quando **760** non laudemus Deum per organa, quæ habemus in manibus. Igitur ut dicere cœperamus, semper anima in aliquo nuncupativo terræ loco est: et sicut peccatores in Babylone, sic econtrario justi in Judæa. Verumtamen juxta qualitatem vitæ et fidei, et in ipsa Judæa locis inter se variis separantur. Sive enim in Dan est, quæ extremæ Judææ partes sunt, sive in superioribus paululum locis, melioribusque quam Dan, sive in mediis finibus Judææ, sive circa Jerusalem: et est omnium beatissima, quæ in media Jerusalem urbe consistit. Qui vero peccator est, et nimiis [*Al.* nimis] sceleribus oppressus, hic in Babylone est. Hoc autem modico minor, et necdum usque ad summum peccatorum culmen ascendens, in Ægypto et in partibus Ægypti commoratur. Et sicut qui in Judæa sunt non æqualia cuncti possident loca: alius quippe in Jerusalem est, et alius in Dan, alius in Nephtalim, alius in finibus Gad: sic [b] omnes, qui in Ægypto sunt, non æquales Ægypti partes incolunt; alius in Taphni, alius in Memphi, alius in Syene, alius in Bubasti habitat. Quæ loca propheta Ezechiel plena mysteriis voce testatur, nomina quoque partium Ægypti exponens, de quibus si quis lector fuerat spiritualis dijudicans omnia, et ipse a nemine dijudicatus, non solum majores regiones allegorizabit, veluti Judæam, et Ægyptum et Babylonem, sed particulas quoque terræ. Et quomodo in Judæa Jerusalem, et Bethlehem, cæterasque civitates: ita in Ægypto legens Diospolim, Bubastim, Taphnim, Memphim, Syenem, pro intellectu rerum figurabit. Quis **761** sapiens et intelligit ista? aut quis intelligens et cognoscit ea? Quis saltem in tenuiori sensu constitutus cognoscere poterit voluntatem quam Spiritus sanctus habet litteræ? Verum nunc aliud propositum est, quid his, qui in Babylone sunt, Dei sermone præcipiatur [*Al.* sermo præcipiat]: *Fugite de medio Babylonis*. Nec gradatim, non pedetentim, sed cum velocitate, cum cursu fugite; hoc est enim fugere: *Fugite de medio Babylonis*. Quicumque confusam habetis animam a variorum passione vitiorum, ad vos dirigitur sermo: et mihi quoque idipsum jubetur, siquidem adhuc sum in confusione [c] inveteratus, et ideo in Babylone sum. Quid ergo præcipit Deus? Non dixit, exite de medio Babylonis; hoc enim potest fieri et gradatim; sed: *Fugite de medio Babylonis*. Ego [d] quidem et in eo, quod dicitur *de medio*, rationem quæro sermonis. Potest quippe evenire, ut aliquis in Babylone sit; sed cum in extremis ejus finibus commoretur, quodammodo extra Babylonem esse videatur. Aliud autem est in medietate Babylonis consistere, ut ex omni parte æquale sit spatium, et ita in umbilico ejus, quasi in medio cordis animalis, habitet. Sicuti enim animalis medietas cor est, et in Evangelio secundum Lucam, *cor terræ* (*Luc.* XVII) medietas terræ nominatur: sic mihi videtur, et in Ezechiele dictum, in cor maris posita Tyrus (*Ezech.* XXVI), et nunc peccatores de medio Babylonis, hoc est de corde ejus fugere debere. Fugite ergo de medio Babylonis, ut [e] medietatem Babylonis deserentes, in finibus ejus incipiatis esse, non in medio. Quod si cui videtur obscurum, sic fiet manifestius: quia qui valde demersus est in vitiis, hic medius [f] habitator est. Qui vero paulatim relinquens malum, et naturam suam ad meliora convertens, non tam cœperit virtutes possidere, quam cupere, iste licet ex medio fugerit Babylonis, tamen necdum de Babylone discessit. Secundum istius modi expositiones decet [*Al.* docet] sacras Litteras credere, ne unum quidem apicem habere vacuum sapientia Dei. Qui enim mihi homini præcipit [*Al.* præcepit], dicens: **762** *Non apparebis ante conspectum meum vacuus* (*Deut.* XVI, *Exod.* XXIII), multo plus hoc ipse agit, ne aliquid vacuum loquatur. Ex plenitudine ejus accipientes prophetæ ea, quæ erant de plenitudine sumpta, cecinerunt, et idcirco [g] sacra volumina spiritus plenitudine spirant, nihilque est, sive in Prophetis, sive in Lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non a plenitudine divinæ majestatis descendat. Quamobrem [h] spirant in Scripturis sanctis hodieque plenitudinis verba, Spirant autem his, qui habent et oculos ad videnda cœlestia, et aures ad audienda divina, et nares ad ea quæ sunt plenitudinis sentienda. Hæc dixi, quia non sit simpliciter positum: Fugite de Babylone, sed cum additamento necessario: *Fugite de medio Babylonis, et resalvate unusquisque animam suam*. Primum oportet fugere de medio Babylonis, deinde singulos animas suas resalvare, cum fugerint. Neque vero dixit salvate, sed resalvate. Appositio syllabæ significat sacramentum. Quia quondam gustantes salutem, et de ea propter peccata postea corruentes, venerunt ad [*Al.* venimus in] Babylonem. Cujus rei causa oportet [i] resalvare animam suam, ut incipiat recuperare quod perdidit, secundum apostolum Petrum dicentem ita: [j] *Reportabimus finem fidei salutem, de qua salute exquisierunt et scrutati sunt prophetæ, qui propter nostram prophetaverunt gratiam* (I *Petr.* I). Verumtamen in nobis est fugere de Babylone, et in nostra positum est potestate, si velimus resuscitare quod corruit. Tertium mandatum est: *Et neque projiciamini in iniquitatem ejus*. Cum quis [k] fugerit injustitiam Babylonis, et non egerit pœniten-

[a] Idem, *tunc jugiter psallimus, tunc continuatim citharizamus.*
[b] Idem, *sic cum in Ægypto omnes sint, non*, etc.
[c] Raban., *in confusione sum mentis.*
[d] Idem, *Ergo et in eo*, etc.
[e] Raban., *ut in medietate Babylonis*, etc., scilicet *esse.*
[f] Interserit Rabanus *Babylonis* nomen, rectius.
[g] Idem, *idcirco semper sacra volumina spiritum plenitudinis, spirant.*
[h] Idem, *Quamobrem spirant hodie, quæ in sanctis Scripturis sunt, plenitudinis verba.*
[i] Idem, *oportet unumquemque salvare*, etc.
[j] Vitiose erat, *dicentem. Ista revortavimus finem* etc.
[k] Raban., *Cum quis fuerit injustitiæ Babylonsi*, etc.

tiam, tunc consequens est ut projiciatur. Observa vero Scripturam, quomodo licet ex Hebræa lingua, in Græcam sit translata, nihilominus, quantum recipere potest differentias verborum, significanter expresserit. Dicit quippe in alio loco : *Elegi abjectus esse in domo Domini* (*Psal.* LXXXIII), et non ait projectus. In præsenti autem non posuit, et ne abjiciamini in injustitiam ejus, sed, *Ne projiciamini in injustitiam ejus*. Aliud **763** est enim projici, aliud abjici. Quod enim in despectione est, et neglectu, hoc non projicitur, sed abjicitur. Quod vero foris [a] est a salute, et beatitudine alienum, hoc projicitur. Quod et in alio loco declarat Scriptura divina dicens : *Duces populi mei projicientur ex* [b] *domo deliciarum suarum, propter pessimas voluntates suas. Cleri enim eorum non proderunt eis* (*Mich.* II, 9). Sed et tu ipse poteris congregare, sicubi in Scripturis projectionis, et abjectionis nomen inveneris, ut ex comparatione verborum, magis possis confidens ferre sententiam. Quia dispensatio providentiæ, etiamsi non magnopere curavit, ut disertitudinem, quæ in Græco sermone laudatur, Græce interpretando sequeretur : curavit tamen ea quæ significantia sunt exhibere, et differentiam eorum explanare dilucide his qui Scripturas diligentissime perscrutantur. *Ne projiciamini in iniquitatem Babylonis, quia tempus vindictæ ejus est a Domino*. Miro sensu supplicia dicit irrogari propter ejus qui ea patitur ultionem. Quando enim quis non vindicatur, et relinquitur impunitus, frequenter me dixisse memini id quod in duodecim Prophetis scriptum est : *Et non visitabo super filias vestras, quando fornicantur, et super nurus vestras, quando adulterantur* [*Al.* adulterant] (*Osee* IV). Non ergo, ut quidam existimant, Deus peccatores punit iratus ; sed, si sic expedit loqui, magna ira est, a Deo tormenta non perpeti. Qui enim punitur, etiamsi ab ea quæ vocatur ira Dei corripitur, ad hoc punitur, ut emendetur. *Domine*, ait David, *ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* (*Psal.* IX). Sed etiamsi argues, argue nos in judicio, et non in furore, dixit Jeremias. Invenies autem etiam ex repromissione Dei in quosdam correptionem dari. Ideo cum [*Al.* Cum in eo] peccantibus Christi filiis, pœna promittitur, misericordia non denegatur [*Al.* ne misericordia denegetur], ut scriptum est : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint ; si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga facinora eorum, et in flagellis iniquitates* **764** *eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Ps.* LXXXVIII). Ista considerans, vide quomodo necdum pœna dignus sit, qui usque ad præsens tempus committit scelera, nec punitur. Visitatio quippe Dei per visitati tormenta monstratur ; qui autem peccans corripitur, nescio quid ei excurrat pro [*Al.* ex] pœna. Hæc propter hoc quod dictum est, *Quia tempus vindictæ ejus a Domino est*. Sequitur : *Retributionem ipse retribuet ei*. Non per ministros retribuet Babyloni Deus, sed ipse retribuet, quod meretur. Volo quiddam dicere in additamento pronominis in eo, quod scribitur, *ipse* ; ait enim : *Retributionem ipse retribuet ei*. Non omnibus Deus ipse retribuet quod merentur, sed sunt quidam, quibus per alios restituit, sive puniens, sive medicans per dolorem, ut in Psalmis continetur : *Misit in eos iram indignationis suæ, furorem, et iram, et angustiam, immissionem per angelos pessimos* (*Psal.* LXXVII). His enim non ipse restituit, sed ad retributionem illorum ministris usus est angelis pessimis : et aliis forsitan non per malos reddit, sed per bonos, ut in eis, qui pro sceleribus puniuntur. Multaque [c] istiusmodi, si Scripturas scruteris, invenies. Est autem quando, ministrorum [d] officio refutato, retributionem Deus ipse restituit, ut nunc Babyloni. Timeo quiddam obscuri in loco manifesto interponere, quod mihi videtur latere si taceam. Verumtamen audendum est saltem pauca perstringere. Quando sunt vulnera facilia, et prompta curatio [*Al.* curationi], medicus mittit servum suum, mittit discipulum, ut [*Al.* et] per eum languentem medicetur [*Al.* medicatur] : neque enim magna sunt vulnera. Evenit quoque aliquoties, ut sectionis et ferri indigeat, qui sanatur : attamen non ipse medicus pergit ad eum ; sed eligens unum ex discipulis, qui curare valeat, eo utitur ministro. Quando vero insanabiles plagæ sunt, ut, et [e] emortua carne, putredo contabuerit, et intantum mala valetudo est, ut non servi, vel discipuli, qui jam prope eum per scientiam artis accesserunt [*Al.* accessit], sed ipsius magistri manibus indigeat, tunc ipse [f] magnus **765** medicus præcinctus lumbos, ad sectionem terrimi vulneris concitatur. Similiter itaque quando sunt minora peccata, non restituit Deus ipse peccantibus, sed aliis utitur ministris. Quando vero per merita sua ingens hominem ægritudo comprehendit, ut nunc Babylonem, quæ gravibus propriæ malitiæ est [g] confossa vulneribus : tunc ad retributionem Deus ipse festinat. Similia quædam huic si requiris invenies et de Jerusalem, quæ ei acciderunt post prophetas, ob id, quia insidiata sit Christo. Sic finita est primi capituli continentia. Videamus et cætera : *Calix aureus Babylon in manu Dei* [Al. *Domini*] *inebrians omnem terram. De vino ejus biberunt gentes* [Al. *omnes gentes*], *propter hoc commotæ sunt gentes, et subito cecidit Babylon, et contrita est*. Nabuchodonosor volens decipere homines, per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, [h] quod

[a] Raban., *foris penitus a salute*.
[b] Sic ex eodem restituimus et Græco textu ἐκ τῶν οἰκιῶν τρυφῆς αὐτῶν. Antea corrupte legebatur *ex domicilio rerum suarum*.
[c] Antea, *Multaque similia istiusmodi per Scripturas, si scruteris*, etc.
[d] Erat, *officium refutatur*.
[e] Raban., *et in emortua carne alta putredo contabuit*.
[f] Idem, *ipse manibus medicus*.
[g] Corrupte antea legebatur *confusa*.
[h] Rab., *quam parabat potionem :* tum rectius et plenius, *in paululum meliore, ferreo scilicet et æreo vase*, etc.

parabat potari, sed neque in paulo meliore, et æreo vase, vel stanneo, et quod ista præcellit argenteo : verum eligens vas aureum, in eo poculum temperavit, ut quis videns decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, et totus oculis hæret in specie, non consideret quid intrinsecus latitet, et accipiens calicem, bibat nesciens calicem Nabuchodonosor. [a] Intelliges autem calicem aureum in præsenti nominatum, si animadvertas pessimorum dogmatum verba mortifera qualem habeant compositionem sermonum, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum divisionem : et cognosces quomodo unusquisque poetarum, qui putantur apud vos disertissimi, calicem aureum temperaverit, et in calicem aureum venenum injecerit idololatriæ, et venenum turpiloquii, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt dogmatum, venenum falsi nominis scientiæ. Sed meus Jesus contra fecit, sciens aureum calicem Zaboli, et præcavens ne aliquis ad fidem suam veniens, suspicaretur etiam Christi talem esse calicem, qualem esse [b] requirat, et per similitudinem materiæ formidaret errorem : ideo curavit **766**, ut haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu, et dogmatum venena considerans, deprehendi calicem Babylonis. *Calix aureus Babylon in manu Dei.* Non semper calix aureus Babylon. Cum autem venerit ad vindictam, et in manu Dei posita fuerit, tunc efficitur terra, quæ quondam tacta est in Jubath. [*Al.* Job]. Neque vero jugiter in manu Dei continetur, sed ultionis tantum tempore, cum cœperit Dominus ei restituere quod meretur : tunc in manu ejus [c] inebrians omnem terram iste calix aureus Babylon inebriabit. Quomodo autem universam terram inebriabit [*Al.* inebriaverit]; facile scies, si consideraveris omnes homines ebrios. Inebriamur ira, inebriamur tristitia, inebriamur [d] mente, excedimus amore, concupiscentiis et vana gloria. Quanta pocula temperaverit, quot [e] inebriantes porrexerit calices calix iste, quid necesse est dicere? *Calix aureus, Babylon, inebrians omnem terram.* Animadverte omnem terram plenam esse peccatis, et non quæres quomodo Babylon omnem terram inebriaverit. Sed si forte [f] videris justum, ebrium non esse de calice peccatorum, noli putare Scripturam esse mentitam, quæ dixerit : inebrians omnem terram, cum iste non inebrietur a Babylone, et tamen consistat in terra. Audi quia justus non sit terra [*Al.* in terra] : Omnem terram inebriat calix iste aureus. Justus vero cum sit super terram, conversationem in cœlis habet. Et propter hoc non convenit ulterius justo dici: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Sed [g] si necesse est audenter loqui, dicit justo Deus adhuc consistenti super terram : Cœlum es, et in cœlum ibis. Portat enim imaginem cœlestis. Igitur ut concludam, calix aureus inebriat omnem terram, id est, omnes ab eo inebriamur quamdiu terra sumus. *De* [Al. *a*] *vino ejus biberunt gentes, propter hoc commotæ sunt.* Sicut in his, qui bibunt istum, qui in usu est, vini liquorem, si super sitim, et super mensuram biberint, videmus ebrii [h] corporis motum, vacillantes pedes, caput ac tempora **767** prægravata, os dissolutum, linguam significantem sermones ebrii, et hærentibus labiis verba præcisa : similiter est videre eos, qui de calice aureo biberint Babylonis, quomodo moveantur, quomodo instabiles gressu sint, quomodo debilitata mente, et fluctuante cogitatu [*Al.* conatu] nihil firme [*Al.* firmi] teneant, sed semper in turbationibus agantur incerti. Quamobrem Scriptura divina de istius modi hominibus in alio loco ita ait : *Propterea commoti sunt.* Interponamus aliquid mysterii, quid de peccatore dicatur Cain. Cum egressus est a facie Dei, habitavit in terra Naid, contra Edem (*Gen.* IV). Naid in Græca lingua interpretatur *commotio.* Qui enim derelinquit Deum, qui deserit sensum de eo jugiter cogitandi, iste in terra Naid hodieque habitat, id est, in tribulatione mali cordis, et mentis commotione consistit. *Biberunt gentes, propterea commotæ sunt, et subito cecidit Babylon, et contrita est* (*Luc.* XVII). Quando dicit repente cecidit Babylon, videtur mihi prophetizare consummationem mundi subito futuram. Quomodo [*Al.* quando] enim diebus diluvii comedebant, et bibebant, emebant, et vendebant, plantabant, et ædificabant, donec venit [*Al.* veniret] diluvium, et tulit omnes, et subito venit inundatio : similiter autem, et in diebus Loth, sic et consummatio mundi non per partes fiet, sed repente. Huic conferendum existimato [*Al.* æstimo], id quod scriptum est in Jesu Nave (*Josue* VII), quando a voce sola tubæ, Jerico civitas corruens subito disperiit : et juxta hanc similitudinem Babylonem quoque in consummatione sæculi casuram esse, et subito conterendam, et hæc quidem de consummatione dicta sunt. Si vero veneris ad adventum Domini mei Jesu Christi, et videris ejus magnum opus, quomodo subverterit omnia gentium de idolis dogmata, ut credentes de erroris eximeret jugo, intelliges quia in tempore passionis ejus Babylon extemplo corruit et contrita est. Unusquisque nostrum consideret seipsum, et animadvertat Babylonem in suo pectore corruisse. Si autem et in alicujus corde non cecidit civitas confusionis, huic Christus necdum advenit. Veniente quippe eo, Babylon ruere consuevit. Propter hoc ad orationum præsidia

[a] Subsequentem periodum pluribus locis misere deformatam, sensuque laborantem, ad Rabanicam lectionem exegimus, ac restituimus.

[b] Penes Raban., *qualem reliquerit*, sed neutra satis arridet lectio.

[c] Plenius apud Raban., *in manu ejus fiet inebrians omnem terram. Iste calix aureus abylon inebriavit omnem terram.*

[d] Apud eumdem, *inebriamur, et mente excidimus amore, concupiscentiis*, etc.

[e] Item, *quot ebrietatis porrexerit calices.*

[f] Perperam Vulgati addunt *te.*

[g] *Si* voculam Rabanus sufficit. Sunt vero ejusmodi multa, quæ, lectore non admonito, restituimus.

[h] Lectum antea, *corpus motum.*

confugientes, petite ut veniat Jesus in corda vestra, et conterat Babylonem, et faciat ruere omnem malitiam ejus, **768** et reædificet pro his, quæ subversa sunt, et pro Babylone, quæ fuerat ante constructa, in ipso principali cordis vestri [*Al.* nostri] Jerusalem civitatem sanctam Dei. *Plangite eam, et accipite resinam correptionis ejus, si quomodo sanabitur.* Plangite, ait, Babylonem. Deinde quia omnis anima recipere potest salutem, et neque una apud Deum est insanabilis, idcirco consilium dat his, qui possunt transmigrare [*Al.* transmigrationis] in Jerusalem ad testimonium [*Al.* et testimonii] habere resinam ad emplastra facienda, ut assumant medicamina, et quanto valent studio, sanitati restituant Babylonem. Hoc experiamur et nos facere, deprecantes Deum, ut de nobis resinam rationabilem [*Al.* rationalem], et de rationabili resina discamus ei malagma imponere, et oleum, et alligaturas, et imponentes alligemus vulnera Babylonis, imitantes Samaritanum, et [*Al.* ut] sanetur misera civitas, et curata desinat esse quod fuerat. Istud est, quod ait accipere [*Al.* accipe] resinam correptionis ejus si quomodo sanabitur. Ubi sunt hæretici? ubi sunt, qui naturas quasdam introducentes, asserunt esse naturam [*Al.* materiam] desperabilem, quæ penitus non recipiat salutem? si est natura, quæ pereat, quæ alia talis erit ut Babylon? Attamen neque istam despicit Deus. Præcipit enim medicis Deus ut recipiant resinam super Babylonem, si quomodo sanetur. Quidam igitur eorum, qui mandatum acceperant, accipientes resinam correptioni [*Al.* corruptioni] Babylonis, si quomodo sanetur, fecerunt quod fuerat imperatum, repererunt [*Al.* acceperunt] resinam ad correptionem [*Al.* corruptionem] ejus, audientes posse fieri, ut Babylon reciperet sanitatem. Et quia quod putaverunt non effecerunt [*Al.* repererunt], Babylon quippe in pristina [*Al.* proposita] malitia perseverans, noluit se curari, satisfaciunt boni medici, et dicunt; *Curavimus Babylonem, et non est sanata. Relinquamus eam.* Vide autem, homo, ne quando angelis præcipiat Deus, ut ad languorem animæ tuæ medicaminum emplastra conficiant, si quomodo possis ab ægrotatione sanari, et respondeant angeli: Curavimus Babylonem, istam ostendentes a passionibus confusam animam suam [*Al.* tuam], et non est sanata. Non scientiam artis suæ, neque resinæ vim criminantur; sed te, qui præceptis eorum obsequi noluisti, dicentes: *Curavimus Babylonem, et non est sanata. Relinquamus eam.* Steterunt medici sub **769** magno medico angeli Dei, volentes curare imbecillitates nostras, volentes animam liberare de vitiis, sed nos ipsi repellimus eos, dum consiliis eorum non acquiescimus. Vident se operam perdere, cum loquuntur invicem, et dicunt: *Relinquamus eam, et abeamus unusquisque in terram suam.* Hoc est, credita nobis est a Deo medicina, ut animam curaremus humanam: adhibuimus adjutorium, medicinam [*Al.* medicamina] imposuimus: multum contumax est, non vult observare, quod dicimus, studium nostrum non sequitur effectus. *Relinquamus eam, et abeamus unusquisque in terram suam*, id est, [a] domesticum locum, et proprium. Cave, homo, nequando relinquat te medicus, sive Angelus Dei, sive quicumque hominum, cui credita est cura sermonum ad salutis medicinam deferendam [*Al.* medicamina deferenda]. Si enim te dereliquerint et dixerint: *Abeamus unusquisque in terram suam, quia appropinquavit in cœlum judicium ejus*, manifestum est quia abscessio eorum condemnatio tua sit, ut irremediabilis, nolentisque curari. Cum autem te deseruerint [*Al.* deseruerunt], quid tibi aliud eventurum est nisi quod solet his accidere, qui a medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demergantur? [b] Fiunt his similia et in consuetudine istius vitæ a prudentibus medicis. Accedit aliquis eorum ad languentem, **770** quantum ars patitur, et industria [c] medicinæ non cessat: sed si aut ægritudo tanta sit, ut repugnet curationi, aut ipse invalidus per impatientiam doloris contra faciat quam jubetur, relinquit medicus, desperans [*Al.* desperat] hujusmodi hominem, et recedit ne inter manus suas exspiraus, causam interitus ejus ad se retorqueat. Si ergo et nos, ne in sanctorum angelorum manibus, qui ad nos curandos a Domino destinati sunt, moriamur, relinquunt nos desperantes animam nostram, et aiunt: *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas, quia appropinquavit in cœlum judicium ejus. Et elevatum est usque ad astra.* Qui parvum habet peccatum, non usque ad cœlum et sidera judicium suum effert [*Al.* ejus affertur]. Pusillum enim, et humile est. Qui vero crescit in scelere, crescit et in judicio, simulque cum vitiis augetur et pœna: et quia intantum delinquit [*Al.* deliquit], ut judicium ejus usque ad cœlestia sublevetur, et per impietatem suam resistens Deo ad superiora conscendat, profert Deus judicium suum in [d] humiliationem ejus judicii, quod celatum est a peccatore, et proferens judicium suum, humiliat quidem peccatorem, retribuit autem justo digna vitæ ejus in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA TERTIA.

De eo quod scriptum est: *Et contritus malleus universæ terræ* (Jerem. L, 23).

**769** *Quomodo*, ait, *confractus, et contritus est malleus universæ terræ? quomodo facta est in exterminium Babylon?* Quærendum [e] inter hæc quis sit malleus universæ terræ, quæve ejus contritio: unde ait propheta, quia ante confractus est quam contritus, ut congregantes ea, quæ alicubi de malleo scripta

[a] Penes Raban., *domesticum et proprium negotium. Cave.*

[b] Antea erat, *Sic et his similiter in*, etc.

[c] Legebatur antea *medicamina non cessant.*

[d] Apud Raban., *in humiliatione ejus judicii, quod exaltatum est a peccato, et perferens judicium suum, humiliat quidem peccatum, retribuit autem justo digna vita ejus*, etc.

[e] Penes Rab., *Quærendum igitur quis sit spiritaliter malleus universæ terræ, quæve ejus contritio prophetata.*

sunt, cum invenerimus nomen ejus, investigemus etiam nominis voluntatem ex his, quæ afferimus exemplis. Domus quondam componebatur Dei, **770** juxta tertium Regnorum librum (III *Reg.* VI), et Salomon erat construens, et ædificans eam. Ubique quasi in laude dicitur de domo Dei, quia malleus et securis non sunt audita in domo Dei. Ergo quomodo malleus non auditur in domo Dei : sic quia domus Dei Ecclesia est, malleus in Ecclesia non auditur. Quis est iste malleus volens quantum in se est impedire lapides ædificationis templi, ut contriti non conveniant fundamentis ejus ? Vide [a] nunc **771** Zabulum, si non ipse est malleus universæ terræ. Ego autem pronuntiabo confidens, esse aliquem, qui non magnopere curet de malleo universæ terræ. Et quoniam exemplum [b] assumptum est de sensibili malleo, quæro materiam malleo fortiorem, quæ nihil ab eo percussa patiatur. Quam quidem quærens reperi [*Al.* reperiri] in eo quod scriptum est : *Ecce vir stans super muros adamantinos, et in manu ejus adamas.* Refert autem de adamante historia, quia fortior sit omni cædenti se malleo, incontritus et inconvincibilis permanens [*Al.* perseverans]. Licet supra stet malleus Zabulus, et suppositus sit draco, qui est quasi incus indomabilis, nihil tamen in manu Dei, et in conspectu ejus consistens adamas perpetitur. Duo itaque contraria sunt adamanti isti, malleus, et incus improducibilis. Jam quoddam est et apud nationes tritum vulgi sermone proverbium, ut de his, qui anxietatibus et ingentibus malis premuntur, dicant : Inter malleum sunt et incudem. Tu autem hoc refers ad Zabulum et draconem, qui istiusmodi semper in Scripturis pro varietate causarum nominibus insigniuntur : et dicis quia sanctus qui quasi murus adamantinus, vel in manu Domini adamas est, non curet neque de malleo, neque de incude; sed quanto plus cæsus fuerit, tanto plus ejus virtutem splendescere. Aiunt eos, qui mercimonia lapidum exercent, cum voluerint probare adamantem, ignorantes utrum sit adamas, an non sit, quamdiu malleum et incudem non invenerint : tunc autem persuaderi esse verissimum adamantem, si indomitus lapis, si [*Dele alter* si] inter incudem et malleum perseverat, si percutiente desuper malleo, et incude supposita, durior lapidum natura compingit. [c] Talis vir est ante tentationes, ab his probare lapides nesciunt, ignoratur. Certissime autem novit adamantinorum lapidum naturam solus Deus plurimis ignoratam. Ego ipse adhuc nescio utrum, veniente malleo, et percutiente me, confringar et conterar, convictus, quia non sum adamas, an certe verus adamas ostendar, si ingruentibus persecutionibus, periculis, tentationibus, tam contritus fuero ad ictus mallei, **772** quam probatus. Et tu ipse percurre Scriptu-

A ras, et quæres, si quod potes invenire vestigium, bene a Deo promitti, ut malleus percutienda percutiat. Verbi gratia dictum sit (ad intelligentiam enim obscuriorum sumuntur exempla), si malleus non esset, non esset tuba productilis, quæ juxta Legem ad solemnitates Dei excutiat, quæ audientium animos clangore suo accendit ad bellum. Necessarius est malleus, ut tuba productilis fiat. Multa cooperatus est iste malleus tubæ productili Paulo, ut eum per varia tentamenta produceret, et approbaret, quia illæsus posset excudi, figuramque assumere tubæ magnisonæ, non incertam dans vocem in audientes, ut præparentur ad militiæ bellum. Et quoniam malleus invenitur contraria fortitudo, et draco incus producibilis, istius modi semper in Scripturis mal-

B leo, vel quacumque alia materia compositum nomen assumens, instabo sermone : Cain generavit filios, et de Cain ortus est faber æris et ferri. Ergo ut Zabulus, qui omnium tentationum operator est, malleus dicitur : ita qui ministrat, malleator est filius Cain. Quotiescumque enim in tentatione incideris, scito malleum Zabulum esse, et malleatorem eum, per quem te Zabulus insequitur. Velut in proditione Salvatoris malleus Zabulus, malleator Judas fuit. Et multi erant malleatores in tempore illo, quo Dominus passus est, clamantes : tolle de terra talem : crucifige, crucifige eum. Omnia malleatoribus plena sunt. Quotquot enim in actu suo Zabulum suspiciunt, et ministrant ei ad probandum justum, et injustum coarguendum, omnes malleatores sunt. Idcirco si

C heri malleator eras, et in manu malleum continebas, nunc discens, quia a Cain fratricida oriuntur malleatores, projice malleum de manu tua, et transmigra ad malleatorum, quæ spiritalis est, generationem, sicut Enos et reliquorum, qui Scripturarum laudibus efferuntur. Verumtamen finis confractio est atque contritio. Est sciendum quidem, quoniam prophetatus nunc malleus Zabulus sit, malleus non partis alicujus terræ, sed universæ terræ, pro eo quod in omni terra malitia ejus dispersa sit, et ubique **773** malleus iste malum operatur. Est autem etiam hoc dicendum, Zabulum universæ terræ malleum esse, non cœli malleum. Neque enim tenuiori substantiæ convenit malleus, sed crassiori. Si portas imaginem terreni, malleus te, quia terrenus es, per-

D cutit ; si peccas, et terra es, et in terram ibis, experieris malleum universæ terræ et in te operantem. Juxta istum intellectum, illud quoque animadvertendum est, universæ terræ malleum, quia adversum cuncta terrena potentiam suam exerceat, Zabulum esse : posse autem etiam minorem malleum intelligi, qui non universæ terræ sit malleus, sed illius, ut ita dicam, et illius partis terræ. Et siquidem una aliqua contraria fortitudo mihi repugnat, et colluctatur mecum, non valens cum universis simul ho-

[a] Emendamus ex Rabano *nunc*, pro quo erat *mihi*.

[b] Pro *assumptum*, quod Rabani lectio substituit, manifesto antiquarii male veteres notas assecuti errore, tribus verbis erat in antea vulgatis libris, *ad sanctum Spiritum*.

[c] Hæc misere luxata sunt; Græcus quoque textus qui suppetias ferat, hoc loco desideratur. Utcumque resarcias si legeris, *Talis vir est, qui ante tentationes, ut ab his qui probare*, etc.

minibus congredi, ut Zabulus : tunc est quidem malleus in me, sed non universæ terræ malleus; verum, ut ita dicam, meæ tantum malleus terræ. Confracto autem et contrito malleo universæ terræ, quid necesse est arbitrari de malleo partium terræ ? Simulque existimo admiratione dignum, quoniam universæ terræ malleus sit comminutus. Quid enim magnum, si fractus fuisset, et contritus malleus partium terræ? Sed vere nunc admirandum est, quia universæ terræ malleus confractus atque contritus est. Post hæc quæro quis sit iste, qui universæ terræ malleum confregerit et contriverit: et dicam Moysen non potuisse confringere atque conterere malleum universæ terræ, neque ante eum Abraham, neque post eum Jesum Nave, neque alium quemquam prophetarum. Quis ergo potuit talem, tantumque [a] malleum universæ terræ confringere, et conterere? Quis est iste ? Jesus Christus confregit, atque contrivit malleum universæ terræ. Et hoc nunc admirans in Spiritu Sancto prophetes ait : *Quomodo confractus, et contritus est malleus universæ terræ?* Primo confractus [b] est, deinde contritus. Et quoniam reperi Salvatorem esse, qui confregerit malleum universæ terræ et contriverit eum, veniam ad Evangelium, ut videam primam tentationem, quando dixit ei Zabulus : **774** *Ista omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, et reliqua : et dicam, quia in illo tempore non contrivit [*Al.* contriverit] Jesus malleum universæ terræ, sed tantum confregit eum. Cum vero recessit [*Al.* secessit] ab eo usque ad tempus, et tempore postea venit instante, tunc contritus est, non solum confractus ut primum, malleus universæ terræ. Et quia contritus est, qui fuerat ante confractus, malleus universæ terræ, idcirco per unumquemque nostrum confringitur quidem quando introducimur in Ecclesiam, et proficimus ad [*Al.* in] fidem. Conteritur autem, et comminuitur, quando ad [c] profectum venimus. Quod si dubites conteri Zabulum ad profectum venientibus nobis, audi Apostolum benedictione quadam benedicentem justum, atque dicentem : *Deus autem conterat Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI). Animalis est iste malleus, fortasse nunc furit adversum nos, et quærit quia ista de eo pandimus, et conteritur a nobis (neque enim confringitur tantum, et non etiam conteritur per nos), confringere nos econtrario et conterere. Et multos quidem contrivit eos, qui non attendunt sibi, neque custodia servaverunt cor suum. Verum nos confidentes in Deo, credentes in Christum Dei, non timeamus Zabulum. Timor Dei facit nos non timentes Zabulum, nihilque ab eo perpeti, sed et dicere non tantum generaliter, verum et de nobis ipsis : *Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ?* Illo autem confracto, et comminuto, Babylon fit in exterminium : nec prius confusionis civitas dissipatur, quam malleus universæ terræ confringatur, et conteratur.

Unde et mirabiliter et præclaro ordine propheta usus est dicens : *Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ? Quomodo facta est in exterminium Babylon ?* Quod primo factum est, primum enarravit : quod secundo consequenter exposuit. Et hoc oportet per singulos Scripturarum observare sermones. Quando itaque fit in exterminium Babylon ? Quando exterminantur omnes confusiones de anima mea, neque ulterius me confundit mors filii, aut obitus uxoris : cum non est qui me irritet, et provocet ad tristitiam, ad iram, ad concupiscentiam, **775** ad voluptatem, quando maneo inconfusus, assumens rationem, quæ me confirmet, et roboret, tunc mihi accidit quod dictum est : *Facta est in exterminium Babylon*, hoc est universa confusio. Fiunt autem ista, id est, confringi, et conteri malleum omnis terræ, et demoliri Babylonem, cum gentes superponuntur malleo, et Babyloni. Scriptum est enim : *In gentibus superponentur tibi*, hoc est, ii qui de gentibus sunt superponentur tibi, o Babylon, superponentur tibi, o mallee, ut confringaris et conteraris. Quando ista facta sunt? In adventu Domini mei Jesu Christi, cum Evangelium cunctis gentibus prædicatum est, tunc superpositi sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus Babyloni, et malleo universæ terræ, et impletum est hoc quod scriptum est : *In gentibus superponentur tibi, et capieris, Babylon, et non cognoscis.* Utinam caperetur Babylon et per singulos nostrum. Ex anterioribus autem potest intelligi captivitas Babylonis, quando capta suffoditur, subvertitur, desolatur, nihil in nobis resideat confusionis. *Et capieris, Babylon, et non cognoscis; inventa es, et comprehensa, quia Domino restitisti.* Ergone sola Babylon Domino restitit, et non potius omnes gentes, dum, creatore deserto, idola veneratæ sunt; Domino restiterunt ? An figuraliter dicit omnem animam contrariam Jerusalem, id est visioni pacis, Babylonem esse. Unde et Sancti in Jerusalem, peccatores in Babylone erant. Etsi peccabant Jerosolymitæ, mittebantur in Babylonem, et sic convertebantur ad pœnitentiam in Babylone consistentes. Sancti vero regrediebantur in Jerusalem. Capitur ergo Babylon, et non cognoscit. Babylon quippe legi non subjicitur, neque enim potest non inventa Babylon comprehensa esse ; sed ob id comprehensa est cum inventa est, quia Domino restitit. Deinde exordium alterius capituli. *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ, quia opus Domino virtutum in terra Chaldæorum. Quoniam venerunt tempora ejus aperire apothecas ejus, scrutamini eam quasi speluncam, et disperdite eam, ne sint ejus reliquiæ. Exsiccate omnes fructus ejus, et descendat in occisionem. Væ eis, quoniam venit dies eorum, tempus vindictæ eorum* (*Jer.* L). Volens intelligere hoc quod dictum est : *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit*

[a] Sic Rabanus restituit. In antea vulgatis erat, *talem tantumque virum, et universæ terræ malleum confringere*, etc.

[b] Antea legebatur : *primo confractus, et contritus est deinde.*

[c] Apud Raban., *ad perfectum venerimus.*

**776** *vasa iræ suæ*, quæro de alia Scriptura vasa iræ Dei, et invenio ad pleniorem comparationem istius Scripturæ Scripturam Apostolicam, ibique invenio Apostolum mihi subjicientem quæ sint vasa iræ Dei. Ait enim : Si autem volens Deus ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam, pertulit in multa patientia vasa iræ præparata ad perditionem, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quos et vocavit non solum ex Judæis, verum etiam ex gentibus (*Rom.* IX). Generaliter Apostolus omnes homines divisit bifariam, dicens quosdam esse vasa misericordiæ, quosdam vasa iræ. Verbi gratia, Pharaonem et Ægyptios vasa iræ : rursus se qui primus misericordiam consecutus est, et eos qui in tempore de Judæis et gentibus crediderunt, vasa misericordiæ nuncupavit. Sunt ergo in thesauro Dei vasa iræ. Scriptum est enim : *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ*. Quis est iste thesaurus Domini, in quo vasa iræ inveniuntur ? Aliquis forsan quæret, utrum in thesauro Domini tantum vasa iræ sint, et thesaurus Dei, qui est thesaurus omnium, non habeat [*Al.* habet] vasa misericordiæ : an aliud quid intelligi oporteat de thesauro Dei, unde efferantur vasa iræ ejus ? Thesaurum Domini ergo confidens dicam esse Ecclesiam ejus, et in isto thesauro, id est Ecclesia, sæpe homines latitare, qui sunt vasa iræ. Veniet igitur tempus, quando aperiat Dominus thesaurum Ecclesiæ : nunc enim clausa est Ecclesia, et vasa iræ cum vasis misericordiæ inhabitant, et paleæ cum frumento sunt, et pisces perdendi ac projiciendi, cum bonis piscibus, qui in retia inciderant, continentur. Quam cum aperuerit judicii tempore, et protulerit exinde vasa iræ suæ, dicet forsitan is, qui est vas misericordiæ, de egredientibus vasis iræ : *Exierunt ex nobis, non enim erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sed ideo egressi sunt a nobis, ut ostenderetur, quia non erant omnes ex nobis* (I *Joan.* II, 19). In aliud quiddam cupit sermo prorumpere : quod autem audemus dicere, istiusmodi est. In thesauro Dei vasa iræ sunt, extra thesaurum vasa peccantia non sunt vasa iræ, sed vasis iræ minora sunt. Servi enim sunt ignorantes voluntatem Domini sui, et non facientes voluntatem **777** ejus. Qui autem ingreditur Ecclesiam, aut vas iræ est, aut vas misericordiæ. Qui extra Ecclesiam est, neque vas misericordiæ est, neque iræ. Aliud quoddam nomen ejus inquiro, qui extra Ecclesiam commoratur : et quomodo decerno confidens, non esse eum vas misericordiæ : sic econtrario ex rationis veritate communitus aperte promo sententiam, neque vas iræ posse eum dici, sed vas in aliud quiddam reservatum. Ergone potero de Scripturis approbare, nec misericordiæ eum esse vas, nec iræ : ut et secunda expositio aliquid nobis utile in præsenti loco interponat, et sane rursus audeat in id, quod jamdudum conatur, sermo prorumpere ? Ait Apostolus : *In domo autem magna non sunt tantum vasa aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia : alia quidem in honorem, alia porro in contumeliam* (II *Tim.* II). Si igitur quis mundaverit semetipsum ab his, erit vas in honorem, et sanctificatum, utile Domino, ad omne bonum opus præparatum. Putasne, magna domus in præsenti est, et in ea sunt vasa in honorem, et alia in contumeliam ? An in illa quæ futura est domo, vasa quidem aurea et argentea, quæ sunt in honorem, invenientur vasa esse misericordiæ : reliqua autem, id est, mediocres homines, qui extra thesaurum sunt, ne sint vasa iræ, seu misericordiæ, hi poterunt juxta dispensationem quamdam profundam Dei vasa esse in magna domo, quæ mundata non sunt, sed sunt vasa testea in contumeliam, attamen necessaria domui ? Vide autem si voluero et hoc ipsum exemplum ex alio Scripturæ testimonio comprobare. Inhonoratus est, inquit, Jechonias, quasi vas cujus nulla est utilitas (*Jerem.* XXII). Non ait, est quidem ejus utilitas, in contumeliam autem ejus est utilitas : sed quia erat ex domo Dei, et peccavit, in totum non est ejus utilitas. Habeo et aliam Scripturam, in qua dicitur de alio quodam peccatore : Et erit quasi testa, in qua attrahes aquæ pusillum, et in qua carbonem bajulabis. Et rursum affirmat non necessarium penitus, et ex omni parte esse vas inutile. Numquid non igitur nos qui in domo ista Dei sumus, quando aperire cœperit Dominus thesaurum **778** suum, incipiemus mundari, si tantum fuerimus vasa misericordiæ, projectis vasis a nobis iræ ? An certe jam exordium est, oportere nos satagere, non solum ut non simus vasa iræ, sed ut ii qui sunt projiciantur a nobis ? Tale enim quiddam est hoc quod Apostolus Paulus Corinthiis ait : *Intantum auditur inter vos fornicatio, quæ nec in gentibus, ut uxorem quidem patris aliquis habeat, et non magis planxistis, ut auferatur de medio vestrum, qui hoc opus gessit* (I *Cor.* V) : quasi diceret, aperto thesauro Dei, egrediantur vasa iræ suæ. Aperuit siquidem Dominus thesaurum, et protulit vasa iræ suæ. Legi alicubi quasi Salvatore dicente : et quæro, sive quis personam figuravit Salvatoris, sive in memoriam adduxit, an verum sit hoc quod dictum est : *Ait autem ipsi Salvator : Qui juxta me est, juxta ignem est : qui longe est a me, longe est a regno* (*Marc.* VII). Ut enim qui juxta me est, juxta salutem est, ita et juxta ignem est. Et qui audiens me, et audita prævaricans, factus est vas iræ, præparatum in perditionem, cum juxta me est, juxta ignem est. Si vero quis cavens, quoniam qui juxta me est, juxta ignem est, longe factus fuerit a me, ne juxta ignem sit, talis quidem longe futurus est et a regno. Et quomodo athleta, qui non est in agone conscriptus, neque flagella metuit, neque exspectat coronam, qui autem semel nomen professus est, si victus fuerit, verberatur atque projicitur ; si vero vicerit, coronatur : eodem modo qui ingressus est Ecclesiam, o Catechumene, ausculta ; qui accessit ad sermonem Dei, nihil aliud quam conscriptus est in certamine pietatis, et conscriptus si non legitime certaverit, cæditur flagellis, quibus

non verberantur ii, qui non in principio conscripti sunt. Si autem contenderit fortiter ad fugienda verbera, et contumelias, non solum injuria liberabitur, sed incorruptam gloriæ accipiet coronam. *Opus Domino virtutum in terra Chaldæorum.* Juxta diversos intellectus terrenus locus multipliciter nominatur, et quomodo differenti inter se [a] notione plura Salvator habet vocabula, cum unus in [b] subjacenti sit, varius autem in virtutibus : sic et propter malitiam **779** generis humani : terrena negotia, cum unum sint in subjacenti, intellectus diversitate sunt plurima. Quod autem dico sic fiet manifestius, cum exemplum, quod a Salvatore assumpsi, edisserens, ad ea, quæ sunt subjecta, explananda, transcendero. Unum subjacens est Domino meo Jesu Salvatori. Hoc uno subjacente, alio intellectu medicus est, juxta quod scriptum est : *Non necesse habent sani medicum, sed male habentes* (*Matth.* IX; *Luc.* V). Alio intellectu pastor, secundum quod irrationabilibus præest. Alio intellectu rex, secundum quod rationabilibus principatur. Alio intellectu vitis vera, secundum quod inserti in eam homines uberrimos afferunt fructus, et exculti a patre agricola, pinguedinem vitis veræ ex unius radicis consortio assumunt. Juxta alium intellectum sapientia, juxta alium veritas, juxta alium justitia. Verumtamen subjacens unum est. Quomodo ergo in Salvatore, uno subjacente, plurimi intellectus sunt diversorum ejus nominum : sic et terrena negotia, juxta subjacens quidem unum sunt, juxta autem intellectum plurima. Frequenter allegorizantes Babylonem diximus negotia esse terrena, quæ semper confusa sunt vitis, Ægyptum similiter affligentia. Chaldæorum vero terram, ob id, quia [c] plurima, quæ geruntur in terris, stellis consecrent, et peccatorum nostrorum causas, sive virtutem eorum quæ accidunt nobis, ex earum motibus asserant fieri, eos esse diximus, qui talibus se superstitionibus dedicaverunt. Omnis igitur, qui his credit, in terra Chaldæorum est. Si quis vestrum mathematicorum deliramenta sectatur, in terra Chaldæorum est. Si quis nativitatis diem supputat, et variis horarum momentorumque ratiocinationibus [*Al.* rationibus] credens, hoc dogma suscipit, quia stellæ taliter, et taliter figuratæ faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certe quodcumque eorum, iste in terra Chaldæorum est. Jam quidam existimant ex astrorum cursibus Christianos fieri. Quotquot autem ista sapitis, quotquot, dictis istis creditis, in terra Chaldæorum estis. Comminans ergo Deus, qui in terra Chaldæorum sunt, his spiritaliter **780** comminatur, qui se ipsos genealogiis et fato consecraverint, asserentes cuncta, quæ inter mortales fiunt, aut ex astrorum motibus, aut ex fati necessitate pendere. Sed Deus Abraham promovens ad meliora dixit ei : *Ego sum, qui te educo de terra Chaldæorum* (*Gen.* XV). Potens est enim Deus, qui et nobis tribuat de terra Chaldæorum exire, ut nullum alium absque eo esse credamus, qui dispensans universa, et regens vitam nostram pro qualitatibus meritorum, accidentium diversa moderetur. Neque enim micans aliquod sidus, vel Phaetontis, ut aiunt, vel corrupti [d] catamiti stella nostrorum causam continet negotiorum. Et juxta unum quidem argumentum in terra Chaldæorum est, qui supradictis ratiocinationibus credidit; juxta aliud vero ascendit quis super tecta, et veneratur militiam cœli. Invenimus autem in Jeremia multam et his fieri comminationem, qui libant militiæ Dei. Opus ergo Domino virtutum in terra Chaldæorum quia venerunt tempora ejus. *Aperite apothecas ejus.* Manifestum est, [e] quia terræ Chaldæorum. Sunt autem apothecæ Chaldæorum, doctrinæ nativitatum. *Scrutamini eam quasi speluncam, et disperdite eam.* Qui respuit supputationem natalium : qui veritatis sermone utitur adversum eam : qui ostendit nihil eorum, quæ mathematici dicunt, verum esse : qui docet inscrutabilia judicia Dei, nec ea posse ab hominibus comprehendi : qui [*Al.* quia] asserit, quia sidera non sunt causæ eorum quæ fiunt super terram, minus autem eorum, quæ nobis Christianis accidunt, iste exsequitur præceptum Domini dicentis : *Disperdit eam.* Quid autem sic hoc quod sequitur, *Non fiant ei reliquiæ*, quærendum est. Ne aliqua, inquit, rescindatis Chaldæorum, aliqua reservetis. Ob id jubet, ne pusillum quidem relinquatur in ea. *Exsiccate omnes fructus ejus.* Quis ita beatus est, ut possit exsiccare omnes fructus terræ Chaldæorum, et descendant in occisionem? *Væ eis, quia venit dies eorum, et est tempus vindictæ eorum.* Post hæc rursus alterius capituli continentia : *Vox fugientium, et resalvatorum de terra Babylonis,* **781** *ad annuntiandum Domino nostro in Sion vindictam.* De his nunc prophetat, qui mores patrios relinquentes, [f] et leges gentium, et incredulitatem veterum, veniunt ad sermonem Dei. Tale enim quiddam significatur in eo, quod dicit : *Vox fugientium et resalvatorum de terra Babylonis.* Utinam et vestra, Catechumeni, vox fugientium esset de Babylone, fugientium vitia, fugientium peccata. *Vox* enim *fugientium et resalvatorum.* Non sufficit fugere de terra Babylonis, sed et resalvari ex terra Babylonis ad annuntiandum in Sion vindictam Domino Deo nostro, ut fugientes de terra Babylonis veniatis ad Sion, speculatorium [*Al.* speculatorum] Ecclesiam Dei. Ad annuntiandum in Sion, id est, Ecclesiam, vindictam a Domino Deo nostro. *Vindictam populi ejus denuntiate in Babylone multis, omni intendenti arcum.* Signi-

[a] Cum Rabano legimus *notione*, cum minus recte antea esset *ratione*.

[b] Subjacens, quod et Genebrardo notatum est, appellat subjectum sive suppositum.

[c] Ferme rectius apud Raban. legas, *quia plurimi ea quia geruntur in terris, stellis consecrent, et sive peccatorum nostrorum, sive virtutum eorum, quæque accidunt nobis, ex earum motibus asserant fieri*, etc. Tum *persuasionibus* pro *superstitionibus*.

[d] Raban. de nomine vocat *Ganimedis*.

[e] Idem, *manifestum qui sint in terra Chaldæorum*.

[f] Interserit Raban. *et gentes*.

ficanter positum est, *multis;* multi enim sunt, qui in Babylone sunt, in Jerusalem vero pauci. Non enim idcirco, ait, dilexit vos Dominus Deus vester, quia multi eratis, vos quippe estis pauci **782** ab omnibus gentibus. Et bene his, qui ex parte Dei erant, dictum est : *Pauci estis ab omnibus gentibus.* Intellige porro et hoc : *Pauci sunt qui salvantur.* Sed et illud : *Contendite intrare per angustam portam. In lata autem et patenti* [a] *multi incedunt* (*Mat.* VII, 11). *Annuntiate in Babylone multis, omni intendenti arcum. Non sit ex ea qui salvetur : disperdite, interficite omnia Babylonis.* Nuper diximus de [b] parvulis Babyloniis, de viris Babyloniis, de semine Babylonio. Non sit et qui resalvetur de semine Babylonis, retribuite ei juxta opera ejus, secundum omnia quæ fecit, et facite ei, quia Domino restitit, et adversum Dominum Deum Sanctum Israel [*Al.* sanctum Deum Israel]. Quamdiu habes in te cogitationes nequam resistentes pietati et fidei veræ, habes in te Babylonios. Sed fac vindictam, et interfice omnes peccatores terræ, quæ in te est, id est, omnes Babylonios, ut possis mundatus in Jerusalem transgredi civitatem Dei in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA QUARTA.

De eo quod scriptum est : *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio. In medio dierum ejus derelinquent eum, et novissimis suis erit insipiens.* Jerem. XVII, 11.

**781** *Thronus gloriæ exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israel. Domine, omnes qui te dereliquerunt, confundantur decedentes, super terram scribantur, quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum. Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero, quoniam gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te, et diem hominis non concupivi : tu scis.* Ad famosam venimus **782** quæstionem, inspicere quid sit perdix de quo Scriptura nunc loquitur : *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas, non cum judicio. In dimidio dierum ejus derelinquent eum, et in novissimis suis insipiens erit* (*Jer.* XVII, 12 *seqq.*). Ex natura volucris dignum videtur quamdam historiam commemorare, ut animal cognoscentes, scire possimus utrum ad bonam, an malam partem nunc nominati perdicis intelligentiam referamus. Dicitur [c] autem hoc esse **783** animal malignum, fraudulentum, callidum, multumque decipiens venatores. Sæpe quippe ante pedes aucupis volvitur, et in medio ejus conatu, quasi jam apprehendendus elabitur. Prædam sui ex vicinitate promittit : et hoc agit, ne ad nidum fœtuum ejus citus venator occurrat. Cumque jam senserit fugisse pullos suos, tunc et ipse illuso hoste discedit. Sed nequitiam ejus vincit [d] impuritas. Ambigendum non est de eo quod dicturi sumus, quod ex iis qui mansueti in casis nutriuntur, veritas approbat : masculus in masculum consurgit, oblivisciturque sexum libido præceps, pugnatur ad coitum, et una palma victoris est polluisse quem vicerit. Si igitur *perdix ante venatorem, quasi jamjam capienda sit, et sic hominem ad se, sui capiendæ spe, allicit, donec singuli pulli profugerint : interea avolat ipsa, et pullos rursum revocat,* et mox : *Quemadmodum autem dictum est, vafra est hæc avis, et astuta.* Eadem hauserunt indidem Plinius lib. X, cap. 33, et ex Plinio Solinus cap. 7, Ælianus lib. IX de Animal. cap. 16, Athenæus lib. IX; Commentarius in Hexaem. Eustathio tributus; Phile in Iambis, et Aristophanis Scholiastes in Avib. HUETIUS.

[a] Verba *multi incedunt* ex Rabano suffecimus. Deerant vero antea manco imperfectoque sensu : quin potius contra orationis seriem sic perperam hæc jungebantur, *in lata autem et patenti annuntiate in Babylone,* etc., perinde atque unum esset Scripturæ testimonium.

[b] Hunc quoque locum Rabanus castigat, substituens *parvulis,* pro quo vulgati libri alii præferebant *parabolis.*

[c] Origenes in Catena Græca, quam Ghislerius suis in Jeremiam Commentariis attexuit : ἐν τῇ περὶ ζώων ἱστορίᾳ λέγεται κακοηθέστατος εἶναι ὁ πέρδιξ· περὶ τοὺς πόδας γὰρ στρεφόμενος τοῦ θηρεύοντος, καὶ τοῦ ἀλοῦν ἐλπίδα διδοὺς, ἀπουσπᾷ τῆς καλιᾶς ἑαυτὸν, καὶ ὅταν στοχάζεται πεφευγότας τοὺς νεοττοὺς, καὶ αὐτὸς ἀφνιδίως ἀφίπταται· ἔστι δὲ καὶ ἀκάθαρτον (γρ. ἀκάθαρτος) ὥστε τοὺς θηρεύοντας (γρ. χηρεύοντας) μονομαχεῖν ἀλλήλοις περὶ τῆς μίξεως, καὶ ἄῤῥενα μετὰ νίκην ἐπιβαίνειν τοῦ ἄῤῥενος. *In historia animalium fertur vaferrima esse perdix : circum pedes enim venatoris voluta, et sui capiendæ spem dans, se nido subducit et removet; et cum pullos aufugisse conjicit, ipsa quoque repente evolat. Impura quoque et illa est, adeo ut quæ conjuge sua viduatæ sunt, singulari certamine invicem pro concubitu decertent, et mas post victoriam marem ineat.* Quem locum ex eane quam tractamus Origenis homilia deprompserit Carenæ concinnator, et pro ejusmodi consarcinatorum more recoxerit, an aliunde integrum transtulerit, incertum est. Id autem ex Aristotele petitum est, lib. IX Histor. Animal. cap. 8 : ὅταν δέ τις θηρεύῃ περιπεσὼν τῇ νεοττίᾳ, προκυλινδεῖται ἡ πέρδιξ τοῦ θηρεύοντος, ὡς ἐπίληπτος οὖσα, καὶ ἐπισπᾶται, ὡς ληψόμενον, ἐφ' ἑαυτὴν, ἕως ἂν διαδράσῃ τῶν νεοττῶν ἕκαστος· κατὰ δὲ ταῦτα ἀναπτᾶσα αὐτὴ, ἀνακαλεῖται πάλιν. Et mox : ὥσπερ δὲ εἴρηται, κακοῆθες τὸ ὀρνεόν ἐστι καὶ πανοῦργον. *Quum aliquis venando in nidum inciderit, provolvit sese perdix ante venatorem, quasi jamjam capienda sit, et sic hominem ad se, sui capiendæ spe, allicit, donec singuli pulli profugerint : interea avolat ipsa, et pullos rursum revocat,* et mox : *Quemadmodum autem dictum est, vafra est hæc avis, et astuta.* Eadem hauserunt indidem Plinius lib. X, cap. 33, et ex Plinio Solinus cap. 7, Ælianus lib. IX de Animal. cap. 16, Athenæus lib. IX; Commentarius in Hexaem. Eustathio tributus; Phile in Iambis, et Aristophanis Scholiastes in Avib. HUETIUS.

[d] Auctor quoque Aristoteles loco laudato : ὅταν δὲ ἀποδρᾶσα ἐπωάζῃ, οἱ ἄῤῥενες κεκράγασι, καὶ μάχονται συνιόντες· καλοῦσι δὲ τούτους χήρους· ὁ δὲ ἡττηθεὶς μαχόμενος ἀκολουθεῖ τῷ νικήσαντι, ὑπὸ τούτου ὀχευόμενος μόνου· ἐὰν δὲ κρατηθῇ τις ὑπὸ τοῦ δευτέρου, ἢ ὁποιουοῦν, τοῦτος λάθρα ὀχεύεται ὑπὸ κρατιστεύοντος. *Cum autem effugit, ut ovis incubet, clamitant mares, et inter se decertant. Hos viduatos vocant. Qui vero fuerit in certamine inferior, victorem sequitur, ab eoque solo initur. Quod si a secundo etiam, vel alio quovis, vincatur aliquis; ab eo quoque victore clam subigitur;* et lib. VI, cap. 8 : καὶ τοὺς νεοττοὺς, ὅταν πρῶτον ἐξάγῃ, ὀχεύει αὐτοὺς ὁ ἄῤῥην. *Pullos etiam, cum primum foras educit, mas init.* Antigonus Carystius in Paradoxis cap. 110, de Perdicibus : καὶ τοὺς νεοττοὺς ὅταν πρῶτον ἐξαγάγωσιν, ὀχεύειν αὐτοὺς, τοὺς δὲ πρὸς ἀλλήλους μάχεσθαι : *et pullos, cum primum educunt, subigere ipsos; simulque decertare.* Quem locum non intellexit Xylander. Eadem hæc habent Plinius, Solinus, Ælianus, Athenæus, et Phile locis proxime laudatis, et ex Origene Hieronymus in eumdem hunc Jeremiæ locum, et præter eos Isidorus lib. XII, Orig. cap. 7. At non perdices solum, sed galli etiam fœdam hanc inter se libidinem exercent; nam qui victoriam reportavit, non victi solum conjuges, sed ipsum etiam gallum subigit. *Idem.*

malignum, si immundum, si dolosum hoc animal est, impium videbitur [a] ad meliorem partem hujus referre nomen, et ad Salvatoris nostri Jesu Christi intelligentiam temperare. Magis autem convenit mala Zabulo adjungere, et super adversario lectionem intelligere præsentem : si tamen **784** totius capituli nos secuta fuerit interpretatio. Incipiamus ergo ab eo quod scriptum est : *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit.* Non [b] proprias creaturas congregat Zabulus, non ea colligit quæ ipse generavit; sed cum clamaverit, alienas congregans creaturas, facit eas suas. Clamavit perdix per Valentinum, clamavit per Basilidem, per Marcionem, per omnes [c] qui alienæ a Deo gloriæ cupiditate rapti sunt. Nullus enim eorum sonare poterat vocem Domini Jesu : *Meæ oves meam vocem audiunt* (*Joan.* x, 27). Sed erat vox Christi in Paulo, erat in Petro; propter quod Paulus dicebat : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Vox autem congregantis quæ non peperit perdicis, in illis est qui simplices quosque fidelium laqueo hæreticæ factionis impediunt. *Clamavit* itaque *perdix, congregavit quæ non peperit, facere delicias suas non cum judicio, dives factus est perdix.* Ecce ejus quanta sunt millia, ingens turba, multi sunt populi captivorum, et **785** facit divitias suas, non cogitans judicium, neque habens in corde justitiam, sed omnia sine lege gerens; merito arguitur non cum judicio fecisse divitias. Meus autem Jesus facit divitias suas cum judicio. [d] Examinata est et delecta ejus opulentia. *In medio* [A] [Al. *dimidio*] *dierum ejus derelinquent eum* (*Jer.* XVII, 11). Nos omnes qui quondam fuimus sub clamantis potestate perdicis (clamavit quippe non solum per eos quos supra memoravimus, sed per omnes generaliter [e] qui quasi ad pietatem et ad religionem vocantes, sub contrario veritati dogmate clamaverunt) nos, inquam, universi in dimidio dierum ejus dereliquimus eum. Et omnes quidem [f] dies ejus, dies hujus sæculi; sed quia eruit nos ex instanti sæculo nequam Dominus Jesus, idcirco in medio [*Al.* dimidio] dierum ejus dereliquimus eum. *Et novissimum ejus erit insipiens* (*Jer.* XVII, 11). Quando autem sapiens fuit, ut novissimum ejus merito insipiens fiat? Sed dicamus eum fuisse sapientem : *Serpens quippe sapientior erat omnibus bestiis super terram,* [B] *quam* [Al. *quas*] *fecit Dominus Deus* (*Gen.* III, 1). Sapiens fuit juxta id quod scriptum est : *Adducam super sensum grandem principem Assyriorum. Dixit autem : Violentia mea faciam, et sapientia intellectus auferam fines Gentium,* [g] *et virtutes eorum* **786** *depascam, et commovebo civitates inhabitatas* (*Isai.* x, 12, 13). Si quis potest, intelligat, quomodo novissimum ejus erit stultum. Iste ab eo quod fuit sapiens male (sapientior enim erat omnibus bestiis super terram) fit e contrario, eo [*Al.* fiet contrario ei] quod sapiens fuit, male insipiens. Intelliges vero quid sit : *Novissimum ejus erit insipiens*, si scias quomodo etiam tibi per Apostolum præcipiatur, ut pro salute tua insipientiam recipias : *Si quis*, inquit, *videtur sibi sapiens esse in vobis in isto sæculo, stultus fiat* (I *Cor.* III, 18). [h] Solvit qui ante clamavit : stultus esto et

[a] Epiphanius tamen, in Physiologo cap. 9, hominem pium perdici comparavit. *Idem.*

[b] Pertinet id ad aliam perdicis proprietatem ab Origene hoc loco neutiquam commemoratam. Ferunt siquidem aliena eam ova furari, et incubare, ac fovere. Ita Hippolytus martyr in Catena in Jerem., Epiphanius in Physiol. cap. 9, Ambrosius l. VI Hexaem. cap. 3, et Epistol. 49, Philastrius Præfat. in lib. de Hær., Phile in Jambis. Hieronymus in hunc Jeremiæ locum, Augustinus contra Faust., l. XIII, cap. 12, Isidorus lib. XII Orig. cap. 7, et Rupertus Abbas lib. I in Deuter. cap. XIV. Ita et Chaldæus Paraphrastes, Jerem. XVII, 11. Quæ cum apud auctores τοὺς ἔξωθεν, qui physica tractarunt, non compareant, verisimile est ex hoc Jeremiæ loco profluxisse, ubi קורא perdicem reddiderunt LXX, ex iisque reliqui : quia cum vocem nullam haberent, qua avem illam Europæis ignotam appellarent, quam simillimæ, et specie proximæ avis nomen subsidio asciverunt, perdicis videlicet, ejusque non propriæ dictæ, sed quæ Rustica, seu Rusticula, et ἄγρια, et ab Aristotele σκολόπαξ nuncupatur. קורא enim illam prælongum rostrum gerere, brevibus esse pedibus, colore viridi, edulem, montanam, infra columbæ magnitudinem, pluviæ prænuntiam Hebræi et Arabes scribunt, locupletes auctores, quorum in regionibus ea avis frequens est. Atque hæc omnia fere utrique communia sunt. In eo præterea utrique convenit, quod a rostri longitudine nomen traxerunt; nam quemadmodum ἀπὸ τοῦ σκόλοπος dicitur σκολόπαξ : quod pali simile rostrum gerat; ita Hebraice קרה est σκολοψ, unde קרא. At non coloris solum viriditate ea a rustica perdice discrepat, sed eo etiam quod aliena ova foveat, id quod de rusticula nemo prodidit. Hoc porro, aliaque permulta eximiæ eru-

[C] ditionis laude cumulatissimo viro Samueli Bocharto debere me profiteor. Id ipse argumentum in luculentissimo de Scripturæ animalibus opere fusius pertractat. Ad hæc nos illud quoque adjiciemus, quæcumque de קורא Hebræi et Arabes tradunt, universa fere Pico, quem δρυοκολάπτην appellant, convenire : nam et longiusculum gerit rostrum, et est eximii roboris, utpote quo arbores tundit, et excavat; brevibus est pedibus; viridi colore est : corporis mole columbam non æquat; montanus est; edulis est; pluviamque inter reliquas aves præcipue prænuntiat. Quodque animadversione dignissimum est, vel a קור, *fodit, effodit;* vel a קוה, *trabs, stipes, truncus, lignum*, Picum קירא dictum non inepte quis argutari possit, cum rostro truncos perfodiat; unde et δρυοκολάπτης Græcis dicitur. Quod si alienorum ovorum curam, et incubitum Pico tribuisset auctor aliquis, voce קורא eum significari non dubitarem. *Idem.*

[c] Pessime id interpretatus est Hieronymus : *per omnes qui alienæ a Deo gloriæ cupiditate rapti sunt.* [D] ἑτερόδοξος apud Ecclesiasticos auctores opponitur ὀρθοδόξῳ, et vertere debuit : *per omnes qui perversis opinionibus adhærescunt. Idem.*

[d] Vitiose legebatur, *Exinanita est et deleta*, ab ipso, quod mirum est magis, Huetio, quem adversa columna Græci textus, ubi est καὶ κεκριμένος ἐστιν ὁ πλουτὸς καὶ ἐκλελεγμένος, de mendo admonere debuisset. Nos post Rabanum ad Græcum exemplar locum emaculavimus, rescribentes *Examinata est et delecta.*

[e] Voculam *qui* contextui necessariam, Rabanus supplet.

[f] Hic quoque voces *dies ejus*, quas pridem Huetius desiderari suboluit, ex Rabano suffecimus.

[g] Penes Raban., *depascar et vires eorum.*

[h] Pro *Solvit qui ante clamavit*, Rabanus legit, *Attende, quia non solum non clamavit*, etc.

fatuus, ut sapiens fias [*Al.* fiat]. Si itaque est quædam sapientia culpabilis, juxta quam filii sæculi hujus sapientiores sunt filiis lucis in generatione ista, bonus est Deus qui contrariis diversa subvertit, ut faciat compleri id quod dictum est : *Novissimum ejus erit insipiens.* Quando novissimum ejus erit insipiens, oportet Christum regnare, usque dum ponat omnes inimicos ejus Deus sub pedibus ejus. Cum autem omnia ei subjecerit, novissimus inimicus destruetur mors; cum destructa fuerit mors, tunc extrema perdicis erunt, et novissimum ejus fiet insipiens. Hæc de perdice. Principium vero capituli [a] secundum istud lectum est : *Thronus gloriæ* **787** *exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israel. Domine, omnes qui te dereliquerunt, confundantur, decedentes, super* **788** *terram scribantur, quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum* (*Jerem.* XVII, 13). Dixit Isaias (*Cap.* VI), beatus propheta videns Dominum, et regnum **789** ejus : *Vidi Dominum Sabaoth sedentem super*

[a] Et paulo infra, ἐνθάδε ἔληξε καὶ ἡ δευτέρα περικοπή, quod ita reddidit Hieronymus : *sic finita est etiam secundi capituli circumscriptio;* et Homilia in Jeremiam, juxta Latinam dispositionem, tertia : *Deinde exordium alterius capituli : Aperuit Dominus thesaurum suum,* etc. Idem in Isaiæ XXXII, 2 : *Hebræi capitulum superius, in quo legitur : Væ qui prædaris : nonne et ipse prædaberis, et reliqua usque ad finem,* etc. Quod capitulum dixit Hieronymus, aliquando comma unum est, sive versus unus recentioris illius, quam hodie sequimur, divisionis; aliquando plures: hic certe Origenem interpretans, quod περικοπὴν dixit Origenes, ipse capitulum reddit, quo versus 13 et 14 capitis XVII Jeremiæ continentur. Observatum est a nobis ad Homil. in I Reg. περικοπὰς illic appellasse Origenem, quæ in hodierna et recepta distinctione pro capitibus habentur : et Homil. 18 in Jerem. μίαν περικοπὴν appellat, quidquid habetur a septimo versu ad duodecimum. Sed hæc quo clariora fiant, rem altius repetemus. Biblia sacra non ita olim fuisse secta ac distincta, quemadmodum nunc sunt, notum est eruditis ; sive Judaica exemplaria intelligas, sive τῶν Ο', sive Vulgatæ editionis. Ac primum de Judaicis. Scribit Elias Levita universam Legem versum unum olim fuisse. Hieronymus Præfat. in Josue, et Paralip. et Isaiam, interpretationes suas novo scribendi genere sese distinxisse testatur : unde proclivis conjectura est ab Hebraicis codicibus ejusmodi partitionem abfuisse : hanc vero ab Hieronymo per cola et commata divisionem, vitandæ confusioni, et sensuum barbariei, adhibitam fuisse, testis ipse est. In synagogarum autem usum distributi sunt libri Mosis, idque non uno modo. Cum enim quotis quibusque sabbatis pars aliqua Legis ac prophetarum populo prælegenda esset, juxta sabbatorum numerum Lex in lectiones distributa est, quæ פרשיות appellantur, et ad Mosem a nonnullis, ab aliis ad Esdram referuntur. Talis videtur fuisse, quam περιοχὴν τῆς γραφῆς appellat Luc. Act. VIII, 32. Distinctiones ad hæc invexerunt quasdam, quas Apertas et Clausas dixere, פתוחות et כתומות ; indeque librorum suorum oram his litteris פ et ס insigniunt. Ac demum in פסוקים, sive versus, jam inde ab antiquis temporibus Lex divisa est, ab ipso Mose juxta nonnullos, ab Esdra juxta alios, a Masorethis juxta reliquos; eorumque versuum Thalmudistæ meminerunt. Horum omnium, sed et singularum etiam litterarum collectum numerum in fine describebant, hodieque describunt. Quem in se laborem סופרים recipiebant. Prophetæ quoque in הפטרות et versus jam olim secti fuere. Haphtararum inventionem ad Antiochi Epiphanis tempora; versuum etiam ad antiquiorem Christo ætatem, sed levibus argumentis referunt. Addendum id quoque, quod ex Origene refert Eusebius lib. VI Histor. c. 25, librum Regum primum et secundum unicum apud Hebræos volumen constituere; ac unum item, tertium et quartum, et unum quoque Paralipomenon utrumque, unum etiam, Esdræ primum et secundum ; Jeremiæ item prophetiam cum Lamentationibus et Epistola, unum. Quod ad LXX Senum interpretationem pertinet, cum in Synagogis Judæorum Hellenistarum prælegeretur, probabile est Ios eam in usus suos distribuisse, sed ita tamen ut in synagogis solum divisiones illæ obtinerent. Exemplaria duo antiquissima LXX interpretum editionis, quorum alterum Romæ habetur; alterum ab Hesychio, ut videtur, emendatum, Alexandria Constantinopolim a Cyrillo Lucare patriarcha Constantinopolitano translatum, ad Carolum deinde Britanniæ regem transmissum in Anglia servatur, utrumque annos mille supra ducentos exaratum, nullam capitum, aut versuum, immo ne verborum quidem distinctionem præ se fert, exceptis solum libris στιχηροῖς, quosque per versus primum ab ipsis auctoribus compositos fuisse credibile est, Job dico, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, et Canticum. Cum hac autem interpretatione maxima Patrum Græcorum pars, dum Scripturam sacram commentariis illustraret, uteretur, unusquisque contextum sacrum, quem ἔδαφος appellabant, pro arbitrio et captu distinxit: unde nullam tum fuisse distinctionem præ cæteris probatam, ac vulgo receptam apparet. Neque in capita solum, sed in versus etiam, pro captu suo vetusti illi Patres Scripturam distribuebant. Origenes Hexapla sua in cola discreverat, ut est apud Euseb. lib. VI Histor. cap. 16. Id in duodecim prophetis fecisse se testatur Hesychius presbyter Jerosolymitanus, eumque morem ab antiquis ductum temporibus tenuisse. Videtur tamen Origenes Prolog. in Cantic. aliquam in ipso Cantici titulo distinctionem jam receptam, et inolitam observasse : sed vereor ne de suo Rufinus, interpres fluxæ fidei, id adjecerit. Quod si genuinus est locus, vetusto aliquo codice, suis distinctionibus instructo, e Symmachi fortasse Bibliotheca deprompto, usum Origenem fuisse dicendum est. Ordo ille quo dispositos habemus Psalmos LXX Senum diligentiæ debetur, si Hilarium Pictaviensem audimus. Scribit enim ille psalmos primum dispersos et inordinatos, ab Esdra deinde in unum volumen fuisse collectos, et a Septuaginta demum interpretibus in numerum et ordinem fuisse redactos. Hoc si sit, post Esdræ tempora in quinque libros partitum fuerit Psalterium ab Hebræis, quemadmodum factum refert Epiphanius lib. de Ponder. et Mens. cap. 5. Id commentum refellit Hieronymus in Præfat. in Psalmos juxta Hebraicam veritatem, ad Sophronium : *Nos*, inquit, *Hebræorum auctoritatem secuti, et maxime Apostolorum, qui semper in novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum asserimus Psalmorum volumen.* Conciliabitur uterque, si in quibusdam Hebræorum codicibus hanc obtinuisse distinctionem dicamus, secus in aliis. Nec quicquam evincit Hieronymus hoc argumento, unicum esse Psalmorum volumen : fatebitur quippe Epiphanius unicum esse volumen, at in libros quinque distributum. Quamdam in Psalterio Latino divisionem obtinuisse sua ætate satis indicat Hieronymus initio epistolæ 24, ad Marcellam ; ea vero cujusmodi fuerit, incertum est. Notandum istud Hieronymi ex proœmio Commentariorum ipsius in Psalmos : *Psalmi*, inquit, *qui prætitulati esse non videntur, apud Hebræos pro uno psalmo habentur.* Præter quintuplicem istam Psalterii divisionem, in viginti partes sectum illud exhibent veteres Græcorum Liturgiæ et Euchologia. Partes illæ καθίσματα appellantur, quasi dicas *Sessiones.* Nec Latina Veteris Testamenti editio certam habuit divisionem. Ea quæ nunc usurpatur per versus distin-

*sedem excelsam et elevatam.* Vidit et Jeremias quomodo Deus regnat, propter quod glorificans eum ait : *Thronus gloriæ, exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra.* Sive de Christo volueris ista intelligere,

ctio recentissima est, et hodie vel heri nata : antiquior distinctio per capita. Prior illa in Latinos primum inducta libros, Hebræos, Græcosque pervasit ; posterior hæc a Latinisne, an Græcis profecta sit, non liquet. Ex antiquis Patribus nullus plane Scripturæ loca depromens, versuum vel capitum hodie receptorum numerum notavit, Augustinus quidem ita Bibliorum versus videtur distinxisse, ut sex dictiones unusquisque versus contineret ; sed id Augustiniano codici videtur fuisse peculiare, non omnibus commune. Libros Scripturæ plerosque, et fortasse omnes per versus distinxit Hieronymus, sed hodiernæ distinctionis nulla apud eum exstant vestigia. Quod si recentis per capita divisionis, quæ tota insedit Biblia, ætatem quæras, ante sexcentos annos repertam eam responderim. Eam certe tenuit Theophylactus, qui ante undecimi sæculi finem floruit, ut declarant ἐκθέσεις, quas Evangeliis præfixit ; et illam etiam hac ætate vetusti præferunt manuscripti. Hieronymo tamen recentiorem putamus. Eamdem fere ac Hebræi in dividendo Veteri Testamento rationem servarunt Syri, Samaritani et Coptitæ, sed peculiarem suam sibi distinctionem habent. Genesim in 1534 versus distribuunt Hebræi ; Syri in 4509. Samaritanorum, et Coptitarum divisionem notavit Kircherus in Prodromo Copto. Dixi de Veteri Testamento, accedamus ad Novum. Vetustissimam Novi Testamenti Græci divisionem eam esse reperio, quæ est per Titulos, qui et ἐπιγραφαί, et λήμματα. Tituli dividebantur in κεφάλαια, seu περικοπάς, περικοπαί in στίχους seu commata, seu cola, quæ et incisa et cæsa. Στίχοι autem, seu versus sensu fere definiebantur, ita ut breviores essent nonnulli, alii longiores, et summam demum στίχων in fine libri collecta, quemadmodum et ἔκθεσις τῶν λημμάτων initio, annotabatur. Quod in variis autem codicibus στιχομετρίαι variant, ex eo evenit, quod pro captu suo librarii sententias ultro, citrove definirent, et interductu distinguerent. Titulus integrum aliquod argumentum complectebatur ; κεφάλαιον certam aliquam argumenti hujus partem ; στίχος periodum ab alia distinctam, determinatamve sententiam. Falluntur multi, qui quotiescumque περικοπὴν aliquam designant Patres, ad divisionem tum temporis vulgo receptam eos respexisse putant : sæpissime enim tmemata a reliquo contexto, ad libitum ac pro tempore divulsa hac voce nuncupabant. In vulgatis codicibus certi erant tituli in aliquot capita distributi, quæ capita versuum numerum determinatum exhiberent. Rem exemplum illustrabit. Matthæi liber divisus est in titulos LXVIII. Hi Tituli κεφάλαια quoque ab Euthymio, et Œcumenio, aliisque appellantur, et in manuscriptis, et excusis quibusdam libris suo ordine editi exstant. Primus est περὶ τῶν μάγων, alter περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων et reliqui deinceps : κεφάλαια autem habuit CCCLV, juxta Ammonium, Eusebium, et Tatianum. Suidas, Ματθαῖος ἔχει τίτλους ξή, κεφάλαια τνέ. Στίχων autem varium numerum varii repræsentant codices ; alii βφ', alii βφξ'. Neutiquam ergo audiendus Casaubonus, qui Veteribus idem fere κεφάλαιον fuisse docet, ac nobis hodie versiculum. Quamvis enim κεφάλαιον, et capitulum aliquando pro versu uno sumatur, vel si proprie loqui decet, versum unum complectatur, ejusmodi tamen κεφάλαια hic non intelligit Casaubonus, sed illa in quæ Novi Testamenti tituli distributi sunt : nostrorum autem versiculorum numerus antiquorum κεφαλαίων numerum triplo circiter superat. At Veterum στίχοι hodiernis breviores erant. Eustathius Antiochenus libro De Engastrimytho a Joann. VIII, 59, ad X, 31, στίχους numerat 135, cum recentior partitio 72 solum habeat. Origenes apud Eusebium scribit posteriores duas Joannis Epistolas centum versiculos vix absolvere, cum partitio hodierna 29 tantum versus complectatur. At Novi Fœderis στιχομετρίαι secundæ Epistolæ triginta, tertiæ quatuor et triginta tribuunt. Recentior vero divisio e Latinis codicibus profecta Græcos demum occupavit. Sane tota hæc distinguendi ratio ex Auctorum, librariorumque arbitrio pependit. Libri quidam peculiarem nobis repræsentant Evangeliorum distinctionem. Lucæ Evangelium in 83 capita distribuit Euthymius ; Ammonius in capita 343 ; distinctio Latina vetus in capita 107 ; hodierna in 24 ; Ambrosius in titulos 164 ; Beda in capita 193. Receptissima tamen et vetustissima distinctio ea fuit quam invexit Ammonius, quæque apud Suidam expressa est, eam quippe Cæsarius Nazianzeni frater, et Epiphanius agnoscunt. Eadem quoque in reliquorum Novi Testamenti librorum distinctione varietas reperitur. Latina porro Novi fœderis distinctioni coæva videtur. Id vero Latinis moris fuit, ut longiora Novi Testamenti capita in septem partes, breviora in quatuor distribuerent : easque partes litteris alphabeticis signarent : id quod in excusis etiam Novi Fœderis libris sæpe servatur. Dixi στιχομετρίαι librorum Novi Testamenti colligi fuisse solitam et ascribi. Hoc in Veteri quoque Testamento a Syris, Samaritanis, Judæis, Græcis, et Latinis factum est. Nec in sacris solum libris, sed in exoticis etiam Græcis et Latinis usurpatum. Id erudite probat Salmasius in Prolegom. ad Solin. ; id quoque declarant lemmata præfixa Asconii Pediani commentationibus in Cornelianam, aliasque Tullii orationes ; declarant et præfationes Digestorum Justiniani Aristotelis, Zenonis, Chrysippi, aliorumque libros per versus fuisse distinctos ex Laertio notum est. Traditam sibi a Judæis dividendorum versuum, et colligendorum rationem Arabes quoque retinuerunt. Alcoranus per capita et versus divisus est ; versuum et litterarum numerus in fine collectus et ascriptus : sed prior ille variat, nec eumdem semper codices præ se ferunt. Quamquam id fere ab illis observatum videas, ut in ὁμοιόπτωτα singuli versus desinant, nulla æqualitatis illorum ratione habita. Hic autem magno Salmasio neutiquam assentiri possum, qui post Henricum Stephanum et Casaubonum, Hebræos et Arabes versus suos sensu determinasse, et ejusmodi versuum numerum in fine subduxisse scribit ; Latinos autem et Græcos sententiam unam in plures, paucioresve lineas pro codicis angustia dispescuisse, στίχους vero seu versus appellasse, non totam illam sententiam, sed singulas lineas, proindeque nescire se addit quid emolumenti Græci, Latinique ex hac linearum collectione ceperint, cum pro angustiis codicis variaverint. Mirandum profecto foret illud, si ita esset ; quod certe non est : nam ut versum lineam aliquando significare fatear, summe certe illæ versuum, non lineas singulas, seu ductus, seu sulcos librorum, sed totas sententias complectebantur : id quod ipse agnovit tandem Salmasius in Epistola ad Sarravium, sive mutata priore sententia, sive oblivioni data : *Interdum quippe*, inquit, *duas, interdum tres, aut plures lineas singuli versus occupabant. Græci στίχους appellant. Opera autem ipsa numerabantur per versus, quorum summa in fine libri subducta notabatur. Inde πολύστιχον βιβλίον*, etc. Hæc non eo commemoro, quo de viri supra fidem eruditi, ac de me olim optime meriti laude quicquam deminutum velim, nam

Ἄλλοισιν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθεῖται ψόγον.

Una ergo fere fuit Hebræorum, Arabum, Græcorum et Latinorum, cum in sacris, tum in exoticis libris, versuum subducendorum, et notandorum ratio. Quod cum omnes tamen non facerent, immo libros suos una serie nonnumquam scriberent, ii post-

non peccabis, sive de Patre, non impie senties : est enim thronus gloriæ [*Al.* claritatis] excelsus, et a principio Salvator est. Thronus gloriæ est propter quod [a] excelsum regnum ejus. Sanctificatio nostra Christus est : *Quia et iste sanctificans, et nos sanctificati ex uno omnes sumus* (*Hebr.* II, 11). *Sustentatio Israel.* Sicut ipse justitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter est ipse etiam sustentatio. Et non est aliquid justum [b] sine Christo, neque sanctum sine eo, neque patiens, quod in se non habet Christum : ipse est enim sustentatio Israel. Si autem ad Patrem et hoc retuleris, non impie intelligis. *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundantur discedentes* (*Jer.* XVII, 13). Unusquisque nostrum quando peccat, per ea quæ peccat, Christum relinquit : relinquens autem Filium, reliquit et Patrem. Injustus a justitia longe est, pollutus a sanctimonia, bellator a pace, et qui sub potestate inimici esse incipit, a redemptione fit alienus, et qui extra sapientiam **790** Dei est, sapientiam [c] Dei derelinquit. Docens itaque nos propheta, quid de omnibus, qui Dominum deserunt, sit futurum, ait : *Universi qui te derelinquunt, confundantur discedentes*, hoc est, quantum deserunt, tantum confundantur discedentes. *Super terram scribantur.* Omnes homines describuntur, sancti in cœlo, peccatores super terram. Dicit ad discipulos Jesus : *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 1). Igitur oportet lætari si talis quis fuerit, ut nomen ejus scribatur in cœlis. Et quomodo justorum nomina in superioribus conscribuntur, sic econtrario eorum qui conversantur terrene, qui non pertranseunt terram Edom, sed agros terræ Edom et vineas possident, scribuntur nomina quasi relinquentium Deum super terram. *Confundantur discedentes, super terram scribantur. Quo* enim *metro mensi sunt, remetietur eis ipsis* (*Matth.* VII, 1). [d] Sibi unusquisque causa est, ut scribatur super terram, si non cœlestia requirat in terra, si semper anima ejus de istius mundi negotiis æstuet, quæ videntur sæculo bona. Si vero audiens Jesum loquentem : *Nolite vobis thesaurizare thesauros super terram, ubi tinea et vermes exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo* (*Mat.* VI, 19) : qui thesaurizaverit **791** sibi in cœlo, ipse sibi causa est, ut scribatur in cœlis. Hæc propter id quod scriptum est : *Super terram scribantur;* causamque commemorat : *Quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum.* (*Jer.* I, 13). Et in principio ipse propheta ex persona Domini dicit : *Me dereliquerunt fontem vitæ :* [e] et nunc : *Quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum.* Dicamus ergo et nos, si nolumus derelinquere fontem vitæ Dominum, voce proximorum Jesu Christi discipulorum, qua locuti sunt ad magistrum, cum eis diceret : *Numquid et vos vultis recedere.* Quid igitur dicemus? *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ tu habes* (*Joan.* VI, 68). Sic finita est etiam secundi capituli circumscriptio. Sequens oratio est ista continens : *Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero : quoniam gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te et diem hominis non concupivi, tu scis* (*Jer.* XVII, 10, 15, 16). Soli, qui propter male habentes venit, medico dicenti : *Non indigent sani medico, sed male habentes* (*Matth.* IX, 1), dicendum est confidenter ab eo qui ægrotantem suam animam vult salvari : *Sana me, Domine, et sanabor.* Etenim illa in Evangelio mulier sanguinem fluens, omnem substantiam suam expendit in medicis (*Luc.* VIII, 43), nec potuit a quoquam eorum sanari : ad nullum quippe ex eis dignum erat dici : *Sana me, domine, et sanabor*, nisi ad solum cui sufficit vestimenti tantum fimbriam tangere, cui ego uni dicam : *Sana me, Domine, et sanabor.* Tunc siquidem medicinam sanitas sequitur, si Christus curare dignetur : *Salvum me fac, et salvus ero. Falsus equus in salutem* (*Psal.* XXXII, 17). Propterea ei dicam : *Salvum me fac et salvus ero.* Et hoc ita gaudebo loqui, si omni renuntians gloriæ sæculari potero et reliqua dicere : *Quoniam gloria* [Al. *laus*] *mea tu es :* aut cum complevero mandatum in quo præcipitur : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in virtute* [Al. *fortitudine*] *sua, neque dives in divitiis, sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere et scire, quia ego sum Dominus* (*Jer.* IX, 23). Beatus itaque qui renuntiaverit omni **792** gloriæ quæ deorsum est, veluti super nobili genere, super pulchritudine et corporalibus bonis, super divitiis

modum in capita ab indoctis librariis distracti sunt; unde immanes sæpe optimis auctoribus errores, spissæque tenebræ affusæ sunt. Quin et eo audaciæ sunt progressi, ut ineptissima lemmata capitibus affingerent. Atque hæc labes maximam bonorum scriptorum partem pervagata est. Sed hæc sunt alterius loci. Nunc redeamus ad propositum. Patet ex supradictis frustra in hodierna Scripturæ divisione rationem quæri περικοπῶν Origenis, et Capitulorum Hieronymi. Περικοπὴν dixit Adamantius certum aliquod Scripturæ membrum ad libitum determinatum et circumscriptum. Capitulum eodem sensu usurpavit Hieronymus; nempe pro eo quod Gallice dicimus : *un passage.* Ita sexcentis locis accipitur apud Rufinum : velut cum ait in interpretatione Apologiæ Pamphili : *In tuis præcipue* (libris) *in quibus plures unius capituli interpretationes exponit.* Et mox : *Ponemus exemplum quod illi superiori conveniat ex eo libro quem in Epistolam Pauli apostoli ad Titum scripsit, de eo capitulo, in quo dicit Apostolus : hæreticum hominem post trinam correptionem devita, sciens quia perversus est, et peccat, qui est a semetipso damnatus.* Nec aliter Philastrius Hær. 45 : *Quæ autem quasi de homine dicunt Scripturæ, ea accipit capitula:* et Hær. 50, *Isti utuntur capitulis Scripturarum, quæ de Christo, velut de homine edocent.* HUETIUS.

[a] Legimus cum Rabano : in aliis editis sub diversa interpunctione et sensu erat, *propter quod regnum ejus, et sanctificatio nostra, Christus est : Quia*, etc.

[b] Desunt hæc verba, *sine Christo, neque sanctum sine eo*, quæ nos ex Rabano suffecimus, cogente ipso Græco textu, χωρὶς Χριστοῦ, οὔτε ἅγιον χωρὶς αὐτοῦ.

[c] Raban. *Dei* nomen hic non agnoscit.

[d] Idem paulo concionius, *Ipse sibi unusquisque.*

[e] Desunt in Genebrardi editione verba, *et nunc, quia dereliquerunt fontem vitæ.*

et jactatione. Beatus qui, [a] contempta vana gloria, dicit ad Dominum : *Quoniam gloriatio* [ Al. *laus* ] *mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te* (*Jer.* XVII, 15, 16). Jesus tibi dixit : *Tolle crucem tuam, et veni, sequere me* (*Mat.* XVI, 16). Et : *Qui non reliquerit patrem aut matrem, et secutus fuerit* [ Al. *non fueris* ] *me, non est dignus meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). Si igitur talis fueris, ut semper Christum sequaris quanto plus secutus fueris, tanto minus laborabis. Non enim lassitudo erit in Jacob, neque apparebit dolor in Israel. Propterea dixit, ut non laboremus ulterius, laborantes antequam incœperimus eum sequi : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Si laborantes venerimus ad Jesum, et eum fuerimus secuti, tunc dicere poterimus : *Ego autem non laboravi subsequens post te, et diem hominis non concupivi.* Est quædam dies hominis : est quædam dies Domini, id est, dies resurrectionis, quam omnis sanctus desiderat, non illam de qua scriptum est : *Væ eis qui desiderant diem hominis. Nam dies ista est tenebræ, et non lux* (*Amos* V, 18). Quis est qui possit dicere : *Et diem hominis non concupivi?* Explanatio verbi convincit nos, quia diem concupiscamus hominis. Frequenter quippe ægrotantes, cum in phantasmate esse febrium cœperimus, et mortis limine urgeri, ad eos qui nos visitant fratres lassas manus attollimus, orantes eos, ut pro nobis Dominum deprecentur, atque dicentes : Roga mihi aliquod vitæ spatium, roga ut aliquantisper in hac luce permaneam. Ista memorantes, non diem sanctum Domini, sed diem hominis desideramus. Quapropter, longæ vitæ amore deposito, et desiderio humanæ diei quæramus illam diem videre, in qua participes ejus beatitudinis, quæ in Christo est, efficiamur, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA QUINTA.

De eo quod scriptum est : *Qui fecit terram in fortitudine sua.* (Jerem. x, 12.)

**793** Tres quodammodo virtutes assumens propheta fortitudinem, sapientiam, atque prudentiam, unicuique earum propria opera distribuit : fortitudini terram, sapientiæ orbem terrarum, prudentiæ cœlum. Audi quippe Scripturæ ordinem : *Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, et erexit orbem in sapientia sua et in sua prudentia extendit cœlum.* Et nos igitur in nostra terra ( dictum est quippe ad Adam : *Terra es* (*Gen.* III) ; necessariam habemus fortitudinem Dei, quia absque ea impossibile nobis est exsequi quod carni repugnet. Cum autem mortificata fuerint membra super terram, tunc parent spiritus voluntati. Siquidem juxta apostolum, spiritu gesta carnis mortificantur ( *Col.* III ; *Rom.* VIII ). *Dominus ergo qui fecit terram in fortitudine sua.* Si autem et ad hanc terram venias, et consideres id quod in Job scriptum est (*Job* XXVI, 7), juxta emendatissima tamen exemplaria, quomodo statuerit eam super nihilum, inveniens fortitudinem Dei in medietate mundi, terræ libram sustinere. Veniam vero ad orbem terrarum, qui Græce οἰκουμένη nuncupatur, id est, [b] *inhabitata.* Scio animam meam inhabitatam, scio animam desertam. Si enim non habet Filium dicentem : *Ego et Pater meus veniemus ad eum* [ Al. *eam* ] *et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23 ); si non habet spiritum sanctum, anima deserta est. Habitata autem est, quando plena est Deo, quando habet Christum et Spiritum sanctum. Verum hæc differenter et varie in Scripturis dicuntur in anima hominis Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum commorari. Nam et David in psalmo confessionis tres spiritus postulat ; dicens : *Spiritu principali confirma me.* **794** *Spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritum sanctum ne auferas a me* (*Ps.* L). Qui sunt isti tres spiritus? Principalis Spiritus, Pater est : Spiritus rectus, Christus : Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. Hæc ad probationem ejus rei diximus, quod [c] habitatus est orbis terrarum in sapientia fabricantis eum. *Sapientia quippe auxiliabitur justo super decem potestatem* [d] *habenti civitates* (*Eccl.* VII, 20). *Sapientiam autem et disciplinam qui abjicit, infelix est, et vana spes ejus : et labores ejus insensati, et inutilia opera ejus* (*Sap.* III, 11), ait Sapientia, quæ titulo inscribitur Salomonis. Idcirco quantum possumus, laborare [ *Al.* labore ] nitamur, ut habitata [e] nostra a sapientia Dei erigatur. Cecidit quippe, et de sublimi corruit, venientibus nobis in locum istum miseriarum. Cecidit habitata [f] nostra postquam peccavimus, inique fecimus, injuste egimus, impie gessimus, et post ruinam indiget erectione. Si autem non vis ista sententia adduci, communem totius orbis quæramus ruinam, ut post casum ejus consequenter Deus erigens prædicetur. Quicumque est in isto orbe, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, consequenter erigendus fuit : nemo quippe sine casu sublevatur. Si autem erectus est, videamus quæ ruina præcesserit. Omnes

[a] In Græco ἀρχούμενος. Vertit Hieronymus : *qui contempta vana gloria ;* quod ipsum habet unus Regiæ Biblioth. codex. Alter habet : *qui contemnens vanam gloriam.* Quid si legamus : *qui contentus una gloria?* Sane id oratio Græca postulat, et facile inde Vulgata lectio detorta est. HUETIUS.

[b] Vulgati *inhabitatus.* At sequiori genere Rabanus juxta Græcum, ut et Origenem et Hieronymum continuo accepisse inferius constabit.

[c] Penes Raban. *quod habitata, id est, orbis terrarum in sapientia Dei fabricata sit.* Nec valde abludunt R. mss. penes Huetium, *orbis terrarum in sapientia Dei fabricatus sit.* Concinit Rabanicæ imprimis lectioni Græcus, τὴν οἰκουμένην οὐκ ἄλλως γινομένην ἢ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ.

[d] Rabanus *super decem potestatem habentes in civitate*, pressius ad Græcum, ὑπὲρ δέκα ἐξουσιάζοντας, τοὺς ὄντας ἐν τῇ πόλει.

[e] Expunximus hinc vocem *anima*, quam vulgati libri contra auctoris mentem interserebant. *Habitatam nostram* vocat Origenes mundum nostrum, nec inficior proprie mentem, sive animam debere intelligi, aio autem, neque in Græco haberi ψυχήν, neque in Latina Hieronymi interpretatione lectum a Rabano *animam.*

[f] Iterum vocem *anima* hinc amovimus, quam

corruimus per peccatum in orbem [*Al.* orbe] terrarum. Et Dominus qui erigit elisos, elevavit nos jacentes (*Psal.* CXLIV). In Adam omnes morimur : atque ita corruit orbis terrarum, et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificemur. Igitur duplicem intellectum de orbe tradidimus : unum quomodo singulæ animæ, aut habitatæ sint, aut desertæ : alterum quomodo universus orbis **795** orbis pariter ceciderit. *Et in sua prudentia extendit cœlum.* Non fortuito sapientia in cœli extensione [*Al.* ostensione] assumpta est : invenies et in Proverbiis dictum : *Dominus sapientia fundavit terram, præparavit cœlos prudentia* (*Prov.* III, 19). Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo ut extra Christum requiras. Omnia quippe quæ sunt Dei, Christus est : ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse justitia, ipse sanctitas et redemptio, ipse, ut ad præsens veniam, etiam prudentia. Sed cum sit unum in subjacenti pro varietate sensuum diversis vocabulis nuncupatur. Aliud significat sapientia, aliud justitia. Quando enim sapientia [a] dicitur, disciplina ista divinarum rerum humanarumque institutio, quando justitia, distributor et judex meritorum significatur. Quando sanctitas illa virtus describitur, quæ credentes Deo efficit sanctos. Ita ergo [b] mihi et prudentia ejus intelligitur doctrina et demonstratio bonarum ac malarum rerum, sive neutrarum, atque in hunc modum extendisse nunc dicitur cœlum in prudentia. Quomodo autem extendatur cœlum, extendente eum prudentia : *Audi quoniam extendi verba, et non intendisti* [Al. *attendisti*] (*Prov.* I, 24). Asserit quippe, extensionem quamdam esse verborum similiter ut nunc dicitur cœli; juxta illud quoque quod in alio loco scriptum est : *Qui extendit cœlum ut pellem* (*Psal.* CIII, 2). Extenditur autem anima nostra, quæ prius fuerat contracta, ut possit capax esse sapientiæ Dei. Verum ut ad propositum revertamur, diximus quod prudentia [c] ejus cœlum factum sit, et nunc affirmamus eos qui cœlestem hominem portant, esse [d] cœlos. Si enim ad peccatores dicitur : *Terra estis, et in terram ibitis,* quare non dicatur ad justum cujus est regnum cœlorum, Cœlum es, et in cœlum ibis? [e] Aut si propter choicum dicitur ei qui portat imaginem choici, **796** id est terreni; *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), cur propter cœlestem, ei qui imaginem cœlestis portat, non conveniat dici : Cœlum es, et in cœlum ibis? Unusquisque autem nostrum, aut cœlestia facta habet, aut terrena : si terrena facta sunt, ad cognatam sibi terram deducunt eum qui thesaurizat ea in terra, et non in cœlo. Rursumque hæc quæ juxta virtutem gesta sunt, thesaurizatorem suum ad proquinquas sibi cœlorum regiones subvehunt. Et junxit : *Educens nubes ab extremo terræ* (*Ps.* CXXXIV, 7). Istiusmodi disputatio et in Psalmo nuper incidit, et dictum est a nobis quomodo Deus eduxerit nubes ab extremo terræ. Quod quidem nunc rursum cogimur retractare, ut hi qui audierunt, plenissime quæ sciunt reminiscantur, et hi qui non interfuerunt, aut obliti sunt, textum sermonis agnoscant, quem tunc, prout valuimus, exibuimus. Diximus autem sanctos esse nubes. Etenim hoc quod scriptum est : *Veritas tua usque ad nubes* (*Ps.* XXXV, 6), non potest referri ad inanimales nubes : sed veritas Dei usque ad illas nubes est, quæ audiunt mandatum Domini, et noverunt quo pluvias [f] deferant, et a quibus eas suspendant. De his nubibus dictum est : *Et mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* V, 6). De his enim quæ ex denso [*Al.* densato] aere dicuntur constare, si non fuerit pluvia, non præcepit Deus ne pluant super vineam, aut quamcumque regionem imbrem; sed omnino non apparent, ut in tertio Regnorum libro legimus [III *Reg.* XVIII) : quando in tempore siccitatis nubes nulla apparuit, et postea juxta prophetiam Eliæ futuræ pluviæ signum in vestigio hominis ostensum est, atque ita post nubem conglobatam imber descendit ad terras. Istis vero quasi subsistentibus nubibus [*Al.* nebulis] jubetur pluviam continere, cum indigna fuerit anima imbre cœlesti et dicitur : *Mandabo* **797** *nubibus ne pluant super eam imbrem.* Itaque [*Al.* Ita] unusquisque sanctorum nubes est. Moyses nubes erat, et quasi nubes loquebatur : *Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra sermones ex ore meo. Exspectentur* [Al. *Exspectet*] *ut pluvia verba mea* (*Deut.* XXXII). Si non fuisset nubes, numquam dixisset : *Exspectentur ut pluvia verba mea, et descendant ut ros eloquia mea.* Quasi nubes dicebat : *Ut imbres super gramen, ut pruina* [Al. *pluvia*] *super*

neque Origenes, neque Hieron. juxta puriorem Rabani lectionem habet. Quid sit *habitata nostra* juxta Origenis sensum diximus.

[a] Rectius penes Raban. *quando sapientia dicitur, disciplinis te divinarum humanarumque rerum instituit.* Græce est : ὅτε μὲν γὰρ σοφίαν, τὴν ἐπιστήμην λαμβάνεις τῶν θείων καὶ ἀνθρωπίνων, ad verbum : *Quando sapientiam, disciplinam accipis humanarum divinarumque rerum.*

[b] Mss. R. teste Huetio, et Rabanus legunt : *Ita ergo hic prudentiam ejus intellige cum doctrina est et demonstratio* : omnino proprius ad Græcum et verius.

[c] Antea incongruo atque Auctoris menti contrario sensu legebatur, *quod prudentia hujus sæculi in malum sit.* Lectionem, quam nos restituimus, *quod prudentia ejus cœlum factum sit,* suppeditavit Raban. probatque unus apud Huetium Regius ms.; alter enim paululum abludit, *quod prudentia sæculum factum sit.* Evicit autem ita rescribendum cum orationis series, tum præcipue Græcus Origenis textus, ἐλέγομεν περὶ τοῦ τὸν οὐρανὸν ἐν φρονήσει γεγονέναι.

[d] Ita Rabanus, quin ipse etiam Origenes καὶ αὐτοί εἰσιν οὐρανός. Falso antea legebatur, *cœlestes.*

[e] Isthæc verba, *aut si propter choicum,* quæ in vulgatis hactenus deerant, ex Rabano suffecimus, cogente ipso Græco Adamantii textu, ἢ διὰ μὲν τὸν χοϊκόν. Paulo post glossema, *id est terreni,* rectius ad libri oram amandabis. Cætera etiam ejus periodi verba ex iisdem Rabano et Græco emendamus. Pro *cur propter cœlestem ei,* erat *quapropter cœlesti et* : tum *convenit* pro *non conveniat,* sub interrogandi nota.

[f] Vitiose penes Rabanum *quod* pro *quo,* et penes Huetium *differant* pro *deferant* ; quæ ipsa menda de restituenda lectione nos monuerunt : optime vero Græcus τοῦ ἐκπέμπουσιν αὐτὸν.

*fenum, quia nomen Domini invocavi.* Similiter et Isaias ut nubes loquebatur : *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est* ( *Isai.* I ). Et quia ipse nubes erat, et sciebat alias nubes comprophetantes sibi, ideo vaticinans aiebat : *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* Si autem jam didicimus qui sunt nubes, videamus quomodo Deus educat nubes ab extremo terræ. Ait Salvator : *Qui vult in vobis esse primus, sit omnium novissimus* ( *Matt.* IX ). Servavit hoc mandatum Paulus, et fuit novissimus in hoc mundo dicens : *Puto enim Deus nos apostolos novissimos ostendit, quasi mortificatos; quia* [Al, *quasi* ] *spectaculum facti sumus in hoc mundo angelis et hominibus* (I *Cor.* IV ). Si quis ergo sanctus custodiens præceptum Salvatoris factus fuerit in hac vita novissimus, iste sit nubes ; et educit Dominus nubes non a primis terræ, non a consulibus, non a [a] ducibus, non a divitibus ; *Beati enim pauperes, quoniam vestrum est regnum cœlorum* ( *Matth.* V ). Vides quomodo ab extremis educat Deus [b] et corporet nebulas ? Propterea si volumus nubes fieri, ad quas perveniat veritas Dei, novissimi omnium fiamus, et tam affectu, quam opere [ *Al.* ore ] dicamus : *Puto enim nos Deus apostolos novissimos ostendit.* Quod si non sim apostolus, licet tamen mihi fieri extremum, ut educens nubes Deus ab extremo terræ, educat me. *Et fulgura in pluviam fecit* ( *Ps.* CXXXIV, 7 ). Aiunt naturalium causarum scrutatores, quia fulgura ex nubium collisione generentur, in morem silicum duriorum, quos cum comploseris sibi, medius ex his elabitur ignis ; atque ita cum fulgure pariter et tonitrua mugire ; tonitruo scilicet sonitum indicante [c] concussus, et fulgure **798** excussi luminis claritatem. Si intellexisti exemplum : considera nunc nubes rationales. Moyses nubes erat : Jesus Nave nubes erat : isti si secum loquantur [ *Al.* colloquantur ], ex sermonibus eorum fulgura micant. Jeremias et Baruch nubes erant, sermocinentur invicem, et videbitis rutilare fulgura. Potes et tu ipse de Scripturis sanctis in hunc modum [d] invenire concursus, ex quibus ignis emittatur. Ut autem ad novum Testamentum veniamus, Paulus et Silvanus duæ nubes in unum convenerunt, et ecce totum mundum Epistolæ eorum fulgore illuminant : *Fulgura in pluviam fecit, et eduxit ventos de thesauris suis* ( *Ps.* CXXXIV, 7 ). Ergone hi venti qui super terram perflant in thesauris Dei sunt, et non horum est natura manifesta, quomodo et qua ratione subsistant ? Sed sunt quidam ventorum thesauri, thesauri spirituum, Spiritus [*Al.* thesauri ] sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Dei, fortitudinis, et dilectionis et charitatis. Potes et ipse de Scripturis hos ventos congregare, et istorum spirituum invenire thesauros. Ubi sunt isti thesauri ? utique [e] in quo sunt thesauri scientiæ absconditi : in Christo sedem habent. Inde oriuntur hi spiritus, ut alius sapiens sit, alius fidelis, alius eruditus, et alius aliud [ *Al.* quodcumque ] donorum Dei possideat. *Alii enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ juxta eumdem spiritum alii fides in eodem spiritu* ( I *Cor.*, XII ). *Eduxit ergo nubes ab extremo terræ, et fulgura in pluviam fecit, et eduxit ventos de thesauris suis*, et juxta misericordiam Dei ad hos thesauros nos occursuros speramus [ *Al.* putamus ]. Et quia plures sunt thesauri, forte juxta ordinem resurgentium erit et requies in thesauris Dei. Quod autem dico istiusmodi est : Resurrectio mortuorum in quibusdam ordinibus futura est. Ait quippe apostolus : *Unusquisque autem resurget in suo ordine* ( I *Cor.*, XV ), et non ut libet miscentur ordines resurgentium : alius ordo erit in illo et in illo thesauro Dei, et alius ordo in alio et in alio thesauro Dei. Isti omnes thesauri unum habent **799** thesaurum, *in quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* ( *Coloss.* II, 3 ). Et quomodo possideo unam et pretiosissimam margaritam per plures alias margaritas : sic venio ad thesaurum thesaurorum, et Dominum dominorum, et regem regum, cum dignus fuero spiritibus in Dei thesauris commorantibus. *Eduxit enim ventos de thesauris suis* (*Psal.* XIII). *Infatuatus est omnis homo ab scientia* ( *Jer.* XX, 14 ). Si omnis homo infatuatus est ab scientia, et Paulus homo est, Paulus infatuatus est ab scientia. *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (I *Cor.* XIII). Infatuatus ab scientia, videns per speculum, videns in ænigmate, portiunculam quamdam videns, et si sic expedit dicere, ipsius quoque portiunculæ partem minimam recognoscens. Econtrario autem [f] intelliges quid sit : *Infatuatus est omnis homo ab scientia.* Comparatione peccatorum Jerusalem, Sodomorum peccatum justitia est. *Justificata est enim*, ait, *Sodoma ex te* ( *Matth.* X ). Quomodo ergo non habent justitiam Sodomorum peccata per se, sed ad collationem majorum scelerum justificantur : sic econtrario scientia Pauli ad illam cœlestem scientiam, ad illum consummatum rationis [ *Al.* lectionis ] intellectum stultitia reputatur. *Idcirco infatuatus est omnis homo ab scientia.* Tale quiddam Ecclesiastes, ut arbitror, deprehendens effatus est : *Dixi,* [g] *sapientia efficiar, et ipsa elongavit se a me longius quam erat, et* [ Al. *o* ] *alta profunditas, quis inveniet eam* ( *Eccles.* VII, 14 ) ? Volumus quiddam (si licet) audenter [ *Al.* audenter

[a] Hactenus obtinuit *judicibus*, dissentiente Græco ἀπὸ ἡγουμένων, et vetere Rabani lectione.

[b] Falso et incongruo sensu vulgati hactenus præferebant *has corporeas nebulas*, pro *et corporet nebulas*, quod ex Rabani testimonio nos substituimus clamante Græco Adamantii καὶ σωματοποιεῖ, quod est, *in corpus cogat*, sive *corporet.*

[c] Scilicet *concussionis*, sive *collisionis.* Rabanus *concursus* legit : antea erat *concussum ;* tum vero malim *sonitu* pro *sonitum.*

[d] Haud male interserit Rabanus *nubium.* Alia est in Græco sententia.

[e] Raban. *utique in eo, in quo sunt thesauri scientiæ absconditi.*

[f] Mss. Regii penes Huetium, *intelligeret :* ipse autem *intelligis* legit.

[g] Penes Raban. *sapiens efficiar.* In Græco est σοφισθήσομαι.

licet ] dicere : quoniam hoc quod descendit in mundum, evacuavit seipsum, ut evacuatione ejus mundus compleretur. Si autem hoc quod descendit in mundum evacuavit se, evacuatio ipsa sapientia est : quoniam quod *fatuum est Dei, sapientius est hominibus* ( I *Cor.* I, 25 ). Si ego [ *Al.* ergo ] dixissem **800** fatuum Dei, quomodo aucupes sermonum meorum, et semper dediti ad criminandum, venenatas in me linguas vibrarent? Nunc vero Paulus quasi sapiens, et potestatem habens apostolicam, ausus est dicere, omnem sapientiam terrenam, quæ in se, quæ in Petro, quæ in cæteris apostolis erat, quæ in istum mundum descenderat, stultitiam esse Dei : ad comparationem quippe illius sapientiæ, quam terrenus non capit locus : ad illam sapientiam quæ cœlestis est, quæ mundi limitem excedit, hoc quod descendit ad homines fatuum Dei est. Verum idipsum fatuum Dei sapientius est hominibus : quibus hominibus ? non utique stultis, sed sapientibus : dicas licet [a] sapientes sæculi istius, sive principes, sive vates istis sapientibus sæculi, hoc quod exposuimus : *Fatuum Dei sapientius est hominibus.* Mirabile quiddam volumus inserere : quoniam *sapientia mundi stultitia est apud Deum* ( I *Cor.* I, 25 ), et infatuavit Deus sapientiam mundi. [b] Nam in sapientia sua infatuavit sapientiam mundi : nec potest capere sapientiam Dei sapientia mundi, ut esse stultitia arguatur. Neque enim dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam [c] convincendam tota descendere, sed potius [d] modicum quod necessarium fuit, quod fatuum Dei erat, ut hoc parvo et fatuo Dei infatuaretur sæculi sapientia. [e] Non enim valebat sæculi sapientia magnitudinem in se venientis sapientiæ impotens sustinere. Verum exemplum interponamus, ut perspicue possit intelligi quomodo fatuum Dei stultam fecerit sapientiam mundi : fingam paulisper me, qui aliquid putor [f] nosse, cum insipiente aliquo, et inerudito conferre sermonem, qui nihil intelligat, ni hil **801** acutæ disputationis interroget. Numquidnam opus mihi est ad illius stultitiam [g] arguendam, dialecticam calliditatem, et profundorum sensuum acumen adhibere ? Nonne ad unius sermunculi jactum vilis et modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum eum et insipientem esse convincam ? Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam non est opus sapientiam Dei descendere, et cum ea colluctari, quæ deorsum est sapientia, **802** sed sufficit fatuum Dei : quoniam *fatuum Dei sapientius est hominibus, et infirmum Dei fortius hominibus,* et omnia contraria Salvator meus et Dominus assumpsit, ut contrariis dissolvat contraria, et nos confirmemur ab infirmitate ejus [ *Al.* Jesu ] et sapientes efficiamur a fatuo ejus, et in hoc [*Al.* hæc] introducti possimus ascendere ad sapientiam et virtutem Dei, Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA SEXTA.

*Sermo qui factus est ad Jeremiam a Domino, dicens : Audi verba Testamenti hujus* ( Jerem., XI, 1 ); Usque ad eum locum in quo dicitur : *Conversi sunt ad iniquitates patrum suorum* (Ibid., 10 ).

**801** Juxta historiæ quidem veritatem non negamus præsentiam Domini nostri Jesu Christi corporaliter factam, et toti mundo illuxisse, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Oportet autem nosse, quoniam et antequam corpus assumeret ad sanctos quoque descendit : et post hanc præsentiam corporalem ad cœlos victor ascendens, rursus ad nos veniet. Si vis hujus rei capere argumentum, ausculta quod dicitur : *Sermo qui factus est super Jeremiam a Domino, dicens : Audi,* et reliqua. Quis enim est hic sermo qui factus est a Domino, sive ad Jeremiam, sive ad Isaiam, sive ad quemlibet prophetarum? An ille est qui erat in principio apud Deum ? Ego nescio aliud verbum Domini præter ipsum, de quo dicit Evangelista : *In principio erat Verbum* [Al. *sermo*], *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.*, I, 1 ). Hoc autem scire debemus, quia hæc sit utilitas credentium, si sermo ad singulos quosque fiat. Quid mihi enim prodest si descendat in mundum, et ego ipsum non habeam ? E diverso autem etiam si ad universum mundum non veniat, et ego similis fuero prophetarum, habeo ipsum. Dicam autem, quia et ad Moysen, et ad Jeremiam, et ad Isaiam, et ad singulos quosque sanctorum **802** idem sermo commeaverit :

[a] Sic præter Raban. mss. quoque Regii penes Huetium legunt : tametsi ille vulgatam lectionem retinuit, *sapientibus sæculi istius, sive principibus, sive vanis istis,* etc., quæ ut in cæteris bene habeat, in eo certe falsa est, quod *vanis* pro *vates* legit. Optime enim Græcus textus, κἂν τοὺς σοφοὺς εἴπῃς τοῦ αἰῶνος τούτου, εἴτε ἄρχοντας εἴτε προφήτας, τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, etc.

[b] Ist hæc pericope, *Nam in sapientia sua infatuavit sapientiam mundi,* in hactenus vulgatis deerat, estque in promptu arbitrari quod ob ejusdem *mundi,* in quam vocem desinit, recursum, ab Antiquario fuerit solemni lapsu prætermissa. Manifesto enim nedum Rabanus legit, sed et mss. Regii penes Huetium : quamquam hi gravius in sequentibus peccant. Expresse autem, quod rei caput est, in Græco scripsit Origenes, ἄρα ἐν σοφίᾳ ἐμώρανε τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου, καὶ οὐ δύναται χωρῆσαι τὴν σοφίαν, ἵν' ἐλεγχθῇ μωρὰ εἶναι ἡ τοῦ κόσμου σοφία. Quæ reddas Latine, *utique in sapientia infatuavit sapientiam mundi, nec potest capere sapientiam* (suppl. *Dei*) *ut stultitia esse arguatur, sapientia mundi.* Quamobrem et mox suffecimus ex eodem Rabano voces *sapientiam Dei,* quæ deerant, incommodo sensu atque hiulco : nunc præter Rabani testimonium Græcique textus auctoritatem ipsa orationis series optime restitutum locum probat.

[c] Corrupte in vulgatis obtinebat *commiscendam,* pro *convincendam,* quod ex Rabano restituimus, clamante Græco textu ἵνα ἐλεγχθῇ.

[d] Mss. Regii penes Huetium, *sed potius modicum, hoc est, incarnationis sacramentum. Quid necessarium fuit.*

[e] Sufficiunt hæc verba quæ in antea vulgatis deerant imperfecto aut nullo sensu : *non enim valebat sæculi sapientia,* post Rabanum mss. quoque Regii penes Huetium, Græco ipso textu suffragante.

[f] Antea legebatur *esse,* dissentiente Græco εἰδέναι. Rabanus castigat, *nosse.*

[g] Apud Raban. *ad illius stultitiam coarguendam dialecticæ artis et profundorum,* etc.

et illud quod a Domino discipulis dictum est : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matt.* XXVIII), opere servatum est ante adventum suum, quem omnibus manifestavit. Erat quippe cum Moyse, cum Isaia, cum omnibus sanctis. Quomodo enim poterant effari sermonem [a] Dei sine ipsius sermonis adventu? Hæc autem nos qui Ecclesiastici sumus, magis debemus advertere, qui volumus eumdem Deum esse legis, et Evangelii, ipsum Deum et antiquitus, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum, Amen. Sunt quidam qui opinione sua veterem divinitatem ab ea quæ in Christo annuntiatur, dividant. Nos unum novimus Deum, et in præterito, et in præsenti, unum Christum et tunc et modo similiter, et unum Spiritum sanctum, cum Patre, et Filio sempiternum. Hæc propter hoc, quod lectum est : *Sermo qui factus est super Jeremiam a Domino dicens :* quid ergo dicat, et nos audiamus. *Audite verba testamenti hujus, et loquimini ad viros Juda, et inhabitantes* [Al. *inhabitatores*] *Jerusalem.* Viri Juda nos sumus propter Christum, nec dubium est, quod [quia] Dominus noster ex Juda ortus sit. Nomen quoque ipsum Juda si juxta Scripturas probavero ad Christum referri, [b] viri **803** Juda non erunt increduli Christo Judæi, sed nos qui in Christo credimus. *Juda, te collaudant fratres tui : manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum* (*Gen.* XLVIII, 8). Te laudant. Non illum Judam filium Jacob fratres sui laudaverunt, sed nunc Judam laudant fratres sui. Ait quippe iste Judas : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ* [c] *cantabo tibi* (*Ps.* XXI, 23). Dicitur ad illum Judam : *Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.* Ubi reperitur ille Judas super dorsum inimicorum suorum manus suas posuisse? Historia nihil de eo tale conscripsit. Si autem consideres adventum Domini mei [*Al.* nostri] Jesu Christi, destruenti Zabulum, exspoliantis principatus et potestates (I *Cor.* XV, 24), ostentui eos facientis, et triumphantis in ligno, videbis quomodo super istum Judam completa sit prophetia dicens : *Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.* Et nunc cum ad viros Juda sermo fit, nulli dubium est quin ad Christianos sermo fiat propter Christum, qui ex tribu Juda natus est. Fit quoque sermo et ad inhabitantes Jerusalem, scilicet ad eos qui in Ecclesia habitant. Hæc est civitas magni Regis, hæc est visio pacis. Pax quippe in nobis, si tamen filii pacis sumus, multiplicatur et cernitur. *Audite* ergo *verba testamenti hujus, et loquimini ad viros Juda, et inhabitantes Jerusalem, et dicetis ad eos : Hæc dicit Dominus : Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus, quod mandavit patribus vestris* (*Jer.* XII, 2, 3). Quis magis audit verba testamenti, quod mandavit[d] Deus patribus? Nos qui in Christo credimus, an illi qui nec Moysi crediderunt, dum in Christo non credunt? ad quos Salvator ait : *Si credieretis Moysi, credieretis utique et mihi, de me enim ille scripsit : Si autem litteris illius non creditis, quomodo verbis meis credituri estis* (*Joan.* V, 46)? Itaque illi Moysi [*Al.* Moysen] non crediderunt, nos vere credentes in Christo, credimus testamento, quod traditum est per Moysen, et ad nos dicitur, ne maledicti fiamus : *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti* **804** *hujus, quod mandavit patribus vestris.* Ergo illi maledicti sunt, neque enim audierunt testamentum, quod mandavit Deus patribus : *In die*, inquit, *qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea.* [e] Et nos eduxit Deus de terra Ægypti de fornace ferrea : maxime juxta intelligentem id quod scriptum est in Joannis Apocalypsi, quia locus, ubi crucifixus est Dominus, vocetur spiritualiter Sodoma et Ægyptus. Si enim spiritualiter Ægyptus quispiam nominatur, et non est Ægyptus secundum intelligentiam corporalem : haud dubium est, quin si intellexeris Ægyptum spiritualem, et exieris de ea, tu sis egrediens ex terra Ægypti de fornace ferrea, et tibi dicatur. *Audite vocem meam, et facite juxta hæc omnia.* Deinde repromissio Dei est ad audientes, si fecerint quæcumque præceperit Dominus dicens : *Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum* (*Jer.* XI, 4). Non omnis qui se populum Dei dicit esse, populus Dei est. Judæorum populus populum se venditans Dei, meruit audire, *Quia non populus meus vos :* et dictum est ad eum : *Non populus meus.* Et rursum iste populus vocatus est [f] non populus : *Ipsi enim æmulati sunt me*, inquit, *super non Deum* (*Deut.* XXXII, 21). De illis dicit : *Irritaverunt me in idolis suis, et ego æmulabor eos super non gentem. In gentem autem insipientem irritabo eos.* Nos igitur in populum Dei facti sumus, et annuntiatur justitia po-

[a] Vulgati hactenus manco atque imperfecto sensu, *sermones sine Dei ipsius adventu :* nos, *sermones Dei, sine ipsius sermonis adventu* restituimus, facem præferente Græco textu, πῶς δύνανται ἐκεῖνοι λόγον Θεοῦ λελαληκέναι, τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ μὴ ἐπιδημήσαντος αὐτοῖς; et Rabano totidem verbis repositam lectionem approbante.

[b] Supplevimus vocem *viri*, quæ deerat, tum ex Rabani lectione, et Græco, ἄνδρες Ἰούδα, cum ex ipsiusmet Huetii conjectura.

[c] Penes Raban., *hymni sacrificabo te*, leg. fort. uno verbo *hymnificabo*, ad Græc. ὑμνήσω.

[d] Deerat nomen *Deus*, quod Raban. et Græc. supplent. Levia quædam id genus sæpe alibi restituimus.

[e] Verba, *Et nos eduxit Deus de terra Ægypti, de fornace ferrea*, cum in hactenus vulgatis deessent, duæ periodi, nullo constante sensu, in unam coaluerant. Recursus ejusdem vocis *ferrea*, ut quæ inter utramque sunt verba Antiquarius solemni errore præteriret, in causa fuit. Verum ut nihil de aliis Editoribus dicam, Huetium saltem monere debuerat Græcus, quem in adversa columna excudit, textus, καὶ ἡμᾶς ἐξήγαγεν ὁ Θεὸς ἐκ τῆς Αἰγύπτου, ἐκ τῆς καμίνου τῆς σιδηρᾶς, μάλιστα κατά. etc. Quæ totidem verba Latine sonant, *Et nos eduxit Deus*, etc. Nos ex Rabano præterea suffecimus : et superius quoque Scripturæ testimonium pristinæ integritati reddidimus.

[f] Nihil dubitavimus ad rei veritatem, et S. Doctoris mentem, quin ipsum quoque Origenem in Græco οὐ λαὸς, quæ deerat, negandi particulam, *non populus*, hic supplere : tametsi illam in Latinis codicibus non invenerimus.

pulo, qui nascetur de gentibus. Iste enim populus subito nascitur : et in propheta scriptum est : *Si nata est gens in semel.* Quando Salvator ascendit ad cœlos, et crediderunt una die quinque millia (*Act.* IV, 4), et alia die addita sunt tria millia : vere tunc fuit cernere populum in semel natum sermone Dei, et repente sterilem, parturientem, ad quam dicitur : *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama quæ non parturis : quia plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Gen.* IV, 27). Deserta Ecclesia a Lege, deserta a Deo erat. Habens autem **805** virum synagoga Legem habebat et Deum. Quid ergo pollicetur Deus? *Eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.* Non est omnium Deus, sed eorum tantum quibus se largitus est, quomodo patriarchæ illi ad quem dicit : *Ego sum Deus tuus* (*Gen.* XVII, 1) : et rursum alii : *Ego Deus ero Deus tuus* (*Exod.* XXIX, 45) : necnon de aliis : *Ero*, inquit, *Deus eorum.* Putasne aliquando consequimur id quod per singulos dico, ut Deus omnium fiat Deus noster. Si autem vis plenius discere, quorum sit Deus, et quibus vocabulum sui nominis largiatur : *Ego*, inquit, *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6) : idque ipsum exponens Salvator ait : *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum* (*Luc.* XX, 38). Quis est mortuus? Utique peccator, qui non habet dicentem : *Ego sum vita* (*Joan.* XI, 25), qui habent mortua opera, qui necdum pœnitentiam egit ab operibus mortuis : de quo [*Al.* quibus] Apostolus ait : *Non rursum fundamentum jacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis* (*Hebr.* VI, 1). Si ergo Deus non est Deus mortuorum, sed viventium : et scimus esse viventem eum qui conversatur in Christo, ut fiat particeps ejus : et si volumus ut et Deus noster sit, renuntiemus operibus mortuis, ut pollicitationem suam in nobis compleat dicens : *Et ero vobis in Deum, ut statuam* [Al. *suscitem testimonium*, etc.] *juramentum meum, quod juravi patribus vestris dare* [Al. *daturum me*] *illis terram fluentem lac et mel* (*Jer.* XI, 4). Observa quid dicat : *Statuam juramentum, quod juravi patribus vestris, dare illis terram fluentem lac et mel.* Hæc enim non est terra de qua Salvator docuit dicens : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matt.* V, 4). Deinde ad hæc quæ dixerat Deus, propheta respondit, id est ad id quod ait : *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus* (*Jer.* XI, 3) : et dicit : *Et respondi, et dixi : Fiat, Domine.* Quid est quod ait : *Fiat, Domine?* Utique id quod pronuntiavit Deus : *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus. Et dixit Dominus ad me : Lege verba ista in civitate Juda, et extra Jerusalem* (*Jer.* XI, 6). [a] Et his qui **806** foris sunt, legimus verba divina, provocantes eos ad salutem. *Verba testamenti hujus, et facite illa. Et dixit Dominus ad me : Inventa est colligatio in viris Juda et in habitantibus Jerusalem.* Si peccaverimus nos qui propter Christum [b] Christiani vocamur, et inventi fuerimus in numero peccatorum, et de nobis dicitur : *Inventa est colligatio in viris Juda, et in habitantibus Jerusalem* (*Jer.* XI, 9). Cum in Ecclesia Dei tales sunt in quibus reperiatur laqueus iniquitatis, et vincula peccati, in tantum ut id quod de peccatore dicitur, eis valeat convenire : *Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22), tunc dicit Deus : *Inventa est colligatio in viris Juda.* Verum non invenietur colligatio in nobis. Quomodo autem non invenietur colligatio in nobis, si usque ad hanc horam colligatio in quibusdam est. Sed : *Solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes violentarum commutationum, omnem conscriptionem iniquam dissipa. Frange esurientibus panem tuum* (*Isai.* LVIII, 6). Inventa est ergo colligatio in viris Juda, in habitantibus Jerusalem. *Conversi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum* (*Jer.* XI, 10). [c] Conversi sunt ad iniquitates. Quorum? Non ait simpliciter, *patrum*, sed cum additamento, *patrum suorum priorum.* Diximus hæc de nobis dici, et his qui in nobis sunt peccatores. Quomodo igitur qui inter nos sunt peccatores, conversi sunt ad iniquitates patrum, et patrum suorum priorum? Duplices habemus patres, et una species est pessimorum patrum. Siquidem antequam crederemus, diabolus pater noster fuit, ut sermo Evangelicus ostendit, dicens : *Vos de patre Zabulo nati estis* (*Joan.* VIII, 44) : cum autem credidimus, facti sumus filii Dei. Si ergo post hæc peccaverimus, convertimur ad iniquitates patrum non simpliciter, sed patrum priorum. Ad probationem autem hujus rei, quia duplices habemus patres, utimur et David testimonio, in quadragesimo quarto psalmo ita dicentis : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,* **807** *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Ps.* XLIV, 11). Quasi pater quippe cœpit : *Audi, filia.* Ergo duplices nostri patres sunt. Sed obliviscere, inquit, domum patris tui prioris. Si igitur oblitus domum patris tui prioris rursus fueris ad peccata conversus, incidisti in id quod nunc dicitur peccatum. *Conversi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum.* Dicebamus dudum Zabulum patrem nostrum fuisse, antequam Deus factus sit pater, si quoque erat, eodem Huetio teste : *Etiam et his foris sunt. Audite verba divina provocantis vos ad salutem, verba testamenti hujus*, etc.

[a] Antea legebatur continua serie quasi Scripturæ testimonium, *et his, qui foris sunt. Audite verba divina provocantia nos ad salutem :* sive, *Legimus verba divina provocantia eos ad salutem*, cui lectioni Græcus cum primis textus hic refragatur. Καὶ τοῖς ἔξω ἀναγινώσκομεν τοὺς λόγους τοῦ Θεοῦ, προσκαλούμενοι αὐτοὺς ἐπὶ σωτηρίαν, τοὺς λόγους τῆς διαθήκης, etc. Favet vero, simulque cum Græco huic concinit quam reposuimus unus ms. R. penes Huetium : *Etiam his qui foris sunt, legimus verba divina, provocantes eos ad salutem. Verba Testamenti hujus*, etc. Male alias

[b] Mss. Regii penes Huetium, *viri Juda vocamur : et inventi fuerint in nobis nodi peccatorum :* cui lectioni fere proprior est Græcus textus.

[c] Quæ hinc subsequuntur ad finem usque perperam nonæ in Isaiam Homiliæ, quæ Hieronymum interpretem mentiuntur, suntque a nobis in Appendice quarti Tomi editæ, subjuncta sunt totidem verbis ad ejus mutilationem supplendam.

tamen nunc non habemus etiam Zabulum patrem quod etiam de Joannis epistola approbamus, in qua ita scribitur : *Omnis qui peccatum facit, ex Zabulo natus est* (*Joan.* III, 8). Toties ex Zabulo nascimur, quoties peccamus. Infelix iste qui semper generatur a Zabulo. Rursumque multum beatus qui semper ex Deo nascitur. Neque enim semel dicam justum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper justus nascitur **808** ex Deo. Hoc autem ut plenius possit probari, etiam de Salvatoris nostri quotidiana nativitate dicamus, liquido id in justis obtinentes quod in Domino præcesserit. Salvator noster splendor est gloriæ, splendor autem non semel nascitur, et deinceps desinit nasci : quotiescumque ortum fuerit lumen [a], ex quo splendor oritur, toties oritur et splendor gloriæ. Salvator noster sapientia est Dei. Sapientia vero splendor est lucis æternæ. Sic igitur Salvator semper nascitur, et idcirco dicit : *Ante omnes colles generat me*, non, ut quidam male legunt, *generavit*. Si semper ex Patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudinem ejus tantum adoptionis scriptum habens, semper generaris a Deo per singulos intellectus, per singula opera, et efficeris filius Dei in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA SEPTIMA.

De eo quod scriptum est : *Exterminata est exterminio omnis terra;* et in istud : *Cinctorium* (Jerem. XII, 11, et XXIII, 1).

**807** Quis est iste qui dicit : *Propter me exterminata est exterminio omnis terra?* Christus hæc loquitur : nam ante adventum ejus multa quidem peccata fuerunt in populo Israel, sed Dominus veniens prohibuit talia, ut penitus relinquerentur, et in longam traderentur captivitatem. Quando autem compleverunt mensuram patrum suorum, et addiderunt ad occisionem prophetarum, persecutionemque justorum, et Salvatoris interfectionem, tunc completum est : *Dimittetur vobis domus vestra deserta.* Et quia iste ab eis, quæ in Evangelio scripta sunt, passus est ; idcirco nunc dicitur : *Exterminio exterminata est omnis terra.* **808** Quod si subtilius volueris intelligere : *Propter me exterminata est exterminio omnis terra :* considera eam quæ in te est quomodo exterminata sit terra, et tunc videbis, post adventum Jesu Christi impleta esse quæ dicta sunt mortificatis membris nostris super terram, cum jam non operetur [*Al.* operatur] terra opera sua, non fiant apud justum ea, quibus antea caro fovebatur, non fornicatio, non immunditia, non [b] ultra luxuria, non idolorum servitus, non beneficia. Dominus loquitur : *Quid putatis, quia veni pacem mittere super terram? Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matt.* XXIV). Vere antequam ille descenderet, non erat gladius super terram, neque caro concupiscebat **809** adversus spiritum, neque spiritus adversus carnem. Quando autem venit, et edocti sumus, quæ carnis quæve sint spiritus, et doctrina ejus quasi gladius immissus divisit carnem, id est terram a spiritu, et exterminavit eam (II *Cor.* IV, 10), quia mortificationem Jesu Christi circumferimus in corpore nostro, et non vivimus ultra juxta carnem, vivit autem spiritus, et seminamus non in carne, sed in spiritu, ut non metamus corruptionem de carne, sed de spiritu vitam æternam (*Galat.* VI, 8). Dicitur autem peccatoribus : *Seminatis triticum, et spinas metitis* (*Jer.* XII, 13). Qui enim neque juxta voluntatem Scripturarum, neque juxta fidei veritatem profert eloquia Dei, seminat triticum, et metit spinas. Hoc hæretici faciunt qui legunt Scripturas, et spinas non de libris sanctis, sed de propriis sensibus metunt. *Cleri eorum non proderunt eis.* Hæc ante me alii exposuerunt, et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eamdem profero, non quasi ipse repererim, sed reperta jam repetens, ut mihi pariter, vobisque conducat : si tamen quæ dicenda sunt, intentus animus excipiat. Nos qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, intantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus ; multi enim et presbyteri pereunt, et laici beatissimi reperiuntur ; sed si ordinem clericatus et mereamur pariter, et habeamus. Quia igitur sunt quidam clerici non ita viventes, ut et ipsi ex ordine capiant fructum, et ornamento suæ sint dignitati ; idcirco aiunt qui exposuerunt prophetam [c] nunc dicentem : *Cleri eorum non proderunt eis* (*Jer.* XII, 13) ; utilitas quippe clericatus non in eo est, si aliquis in agmine sedeat presbyterorum, sed si juxta locum suum, et juxta præcepta Domini dignus incedat. Verum, cha-

[a] Eadem, annotante Huetio Origenianorum lib. 2, num. 24, utitur similitudine Tertullianus Apologet., cap. 21 : *Etiam cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa. Sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum : manet integra et indefecta materia matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutueris. Ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo.* Quibus hæc adsonant e libro contra Praxeam cap. 9, *Pater tota substantia est. Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur : Quia Pater major me est.* Unde liquet quo sensu dixerit : *Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiæ, et unius status, et unius potestatis, et Filium non aliunde deducere se quam de substantia Patris.* Augustinus ipse comparatione eadem generationem Verbi explicat lib. VI de Trinit. ipso initio, sed non eadem inde colligit : *Ipse Arius,* inquit, *dixisse fertur : Si Filius est, natus est : si natus est, erat tempus quando non erat Filius ; non intelligens, etiam natum esse, Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus illi est, et esset coæternus, si esset ignis æternus.*

[b] Pro *ultra luxuria*, quod ex Rabano hic rescripsimus, vitiose in vulgatis obtinebat, *adulterii luxuria.* Dissentiebat vero et Græcus, οὐκ ἀσέλγεια, ipsaque orationis series ratio concinnior.

[c] Mss. Regii apud Huetium, *qui exposuerunt ea, quæ prophetæ nunc dixit.* Rabanus, *qui exposuerunt prophetam hunc, dixit.*

rissimi, nolite putare hoc **810** tantum de nobis esse dictum ; et nos, et vos commonet divina majestas, ut juxta Scripturarum præcepta vivamus, et si sic expedit dicere : *Potentes potenter tormenta patientur* [Al. *patiuntur*]. Plus a me exigitur quam a diacono [*Mss. Reg.* Zacono], plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiæ arcem [a] obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. Propter hoc apostolus Paulus (videlicet ut is cui fuerant multa commissa) aiebat : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores sacramentorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* (I *Cor.* IV, 1). Intantum rarum est bonum dispensatorem invenire, ut Jesus, qui antequam orirentur ea quæ erant futura cognoverat, loqueretur : *Quis putas est fidelis dispensator et sapiens, quem constituit Dominus super familiam suam, dare in tempore cibaria conservis suis?* ( *Luc.* XII, 42.) Et post pusillum causatus de quibusdam dispensatoribus intulit dicens : *Si autem incipiat malus servus dicere : Moratur dominus meus venire, et cœperit cædere servos et ancillas, et comedere, et bibere, et inebriari, venit dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividit illum, et partem illius cum infidelibus ponit* (*Luc.* XII, 45, 46). Hæc in eo quod scriptum est : *Cleri eorum non proderunt eis.* Videamus autem et reliquis necessariam correptionem, quam, ut mihi videtur, in morali loco debemus accipere : *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Domini* (*Jer.* XII, 13). Multa sunt in quibus gloriantes insipientiam nostram ostendimus. Verbi gratia, si qui in multis possessionibus gloriantur, dicitur eis : *Confundimini a gloriatione vestra.* Si qui gloriantur in generis nobilitate, dicitur ad eos : *Confundimini a gloriatione vestra.* Si qui jactabundi incedunt [*Al.* quis lætabundus incedis] super pretiosissimis vestibus, super domo multis exornata divitiis, aliena est quippe [b] hæc gloriatio a gloriatione sanctorum, dicitur ad eos : *Confundimini a* **811** *gloriatione vestra.* Verum hoc parum est. Audi quid loquatur in Jeremia sermo divinus, jubens ut ne in sapientia quidem nostra gloriemur : *Ne glorietur,* A inquit, *sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis ; sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere et scire quia ego sum Dominus* (*Jerem.* IX, 23, 24). Vis gloriari, et gloriabundus non audire? *Confundimini a gloriatione vestra.* Gloriare ut apostolus [*Al. additur* Paulus], et dic : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per* [Al. *propter*] *quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Vis gloriari et non audire : *Confundimini a gloriatione vestra,* audi Paulum gloriantem, et disce cum loquitur : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Audi quæ sint gloriæ, in quibus se [c] vir efferat : *In laboribus abundanter.* Quis hoc potest dicere : *In carceribus supra modum, in mortibus sæpe, a Judæis quinquies quadragenas una minus* B *accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium passus sum* (II *Cor.* XI, 23-25)? Discamus differentias gloriarum, et nonnullos esse qui super his glorientur, quæ rubore digna sunt, quorum gloria est in confusione. In his quippe gloriantur, quæ cum faciunt, latebras, et secreta perquirunt (*Phil.* III, 19). Post hæc consideremus quid de cinctorio præceptum sit. *Hæc dicit Dominus : Vide et accipe tibi cinctorium lineum, et circumda lumbos tuos, et per* [d] *aquam non transibis. Et accepi cinctorium secundum verbum Domini ad me dicens : Accipe cinctorium, quod circa lumbos tuos est, et vade ad Euphratem, et absconde illud in caverna petræ* (*Jer.* XIII, 4). Post dies venit propheta, et accepit cinctorium de loco C ubi infoderat illud, et ecce computruerat, quod nulli usui esset. Et ne quis juxta voluntatem animi sui de hoc loco sibi præsumeret intellectum, dans Dominus interpretationi occasionem, addidit dicens : *Sicut enim adhæret cinctorium circa lumbos hominis, sic agglutinavi ad me domum Israel, et omnem domum Juda, ut fierent mihi in populum nominatum, et in exsultationem, et gloriam, et non obaudierunt me* (*Jerem.* XIII, 11). Igitur propheta in loco pro Deo accipiatur, circumdans lumbos suos cinctorium lineum, id est populum Deus. *Agglutinavi quippe,* ait, *ad me domum* **812** *Israel,* et quodammodo cincto-

[a] Placet disserentis in hunc locum Huetii verba describere. Loci, ait, quidem illius, in quo perorabat, episcopum, vel metropolitam Origenes videtur significasse. Has autem homilias Cæsareæ Palæstinæ fuisse recitatas verosimile est. Ita vel Theoctistum D episcopum Cæsariensem, vel certe Babylam Antiochenum patriarcham designavit. Quamquam Tyrumne jam tum concesserit, certum non habeo. Id vero Hieronymum convertisse verosimile est ad Romanum pontificem (ut ejus verba indicant) quem summum sacerdotem appellat præf. in Evan. ad Damasum, et de cujus potestate multis disserit in ep. ad eumdem. *Quamquam,* inquit, *tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A pastore præsidium ovis flagito. Facessat invidia : Romani culminis recedat ambitio : cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Similia habet Ambrosiaster in cap. III ep. I ad Tim. : *Ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus :* Romanum itidem pontificem a Rufino designari probabile est, cum ait in interpretatione homiliæ 17 Origenis in Genes. : *Non deficiet princeps ex Juda, id est, hic qui post resurrectionem ejus* ( Christi ) *Ecclesiarum princeps ordinatur.*

[b] Voces *hæc gloriatio* ex Rabano suffecimus, consentiente Græco textu, ἀλλοτρία ἐστιν ἡ χαύχησις χαυχήσεως ἁγίων. Tum *dicitur* ex iisdem reposuimus pro *dicit.* Rabanus præterea *eum* pro *eos* cohærenter legit.

[c] Mss. Regii penes Huetium, *quibus se vir sanctus efferebas.*

[d] Annotat Huetius haberi apud LXX, οὐ διελεύσεται. Vulg., *et in aquam non inferes illud,* quod Hebræo consonat. Hæc eodem recidunt, nam si cinctu revinctus aquam subeat, subire quoque cinctum ipsum necesse est.

rium Dei homo justus efficitur. Quæres quam ob causam? Lege Ezechielem, et intellige quomodo Deus videatur in corpore, et quamobrem a lumbis ejus usque ad pedes ignis appareat, et a lumbis usque ad caput electrum (*Ezech.* I, 27) : tunc poteris etiam præsentis Scripturæ invenire rationem, quamobrem inferiores Dei partes igneæ sunt. Renes generatione, et lumbi igne censentur. Omnia quippe quæ ex coitu, et voluptate sunt, indigent purgatione, et ipsa purgatio immixta est supplicio. Ea vero quæ a renibus in superiora consurgunt, libidinis opera sua virtute transcendunt, quasi quædam materia purior ad electri similitudinem referuntur. Dicitur quippe electrum auro esse pretiosius. Quid igitur exemplis Scriptura utitur, ut ostendat supernum Dei corpus esse magnificum, et inferius vilius? Idcirco nunc introduxit [a] Dominum ex igne et electro subsistentem. Ex quo unusquisque nostrum juxta exordium nativitatis suæ ad ignem refertur : juxta studium vero et profectum, Dei corpus efficitur illud superius, illud ex electro, ab igne nobis, a pœnis, a cruciatu abscedentibus. Adjunge ergo circa lumbum tuum cinctorium lineum. Cur? ut ostendatur populus regnum esse Dei. Adversum eos quippe qui volunt Dei accusare providentiam, resistit et protegit Dei sui opera, nec sinit aliquid indecens de majestate ejus narrari. Sed cum peccaverimus, ut cinctorium illud propheta deposuit, et abjecit illud in Euphratem fluvium, ut ibidem computresceret : sic et nos abjiciet a lumbis suis Deus, et projectos relinquet ad Euphratem fluvium Mesopotamiæ, ubi Assyrii habitant inimici Israel, ubi Babylonii, et ibi putrescemus. Cur enim tantis in toto orbe fluminibus prætermissis, de Judæa ad Euphratem propheta transmittit, nisi ut sacramentum juxta vim nominis doceat intellectum? Post hæc quærimus quare cinctorium lineum dicatur. [b] Linum ex terra nascitur ; nam cum semen ejus in humum fuerit abjectum, primum in gramine pullulat, deinde ut infinita præteream, demessum transfertur domum, pectitur, lavatur, teritur, tunditur, et ingenti (ut ita dicam) opera excutitur, quo tale fiat ex quo **813** possit cinctorium [c], aut aliud quid in usus necessarios operari. Et nos ergo universi qui generationem habemus ex terra, [d] qui in cinctorium Dei plectimur, multa cura indigemus, ut pectamur, ut lavemur, ut colorem terræ abjiciamus. Alius quippe color generationis in lino est, alius cum fuerit opera mundatus [*Al.* opere mundatum]. Generationis color obscurior est, et nigrior [*Al.* et nigrum dicimus], operis autem lucidior. [e] Tale nescio quid et nobis in exordio evenit : nigri enim sumus quando regeneramur, quando credimus, quando in Canticorum Cantico dicimus : *Nigra sum et speciosa* (*Cant.* I, 4). Æthiopibus similem habemus animam [f] indecorem ; abluimur ut fiamus candidi, ut nitorem qui nobis insitus ex natura non fuerat, diligentia consequamur, juxta illud, quod in eodem loco scribitur : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* et efficiamur linum **814** candidum [g] purumque. Atque ita cum digni fuerimus societate Dei, in cinctorium ejus plicamur [*Al.* plectimur], neque ab eo aliquando deponimur, si tamen candorem, quem nobis concesserat, semper habeamus. Cum itaque Judæi, et omnis domus Israel indigni exstiterint Deo, et projecti sint ab eo, nobis pro illis accinctus est. Neque enim putandum est, cinctorium abjicientem mansisse incinctum : statim ut illos projecit, alios sibi contexuit. Hoc cinctorium Ecclesia est de Gentibus congregata : quæ scire debet, quia si prioribus non pepercit Deus, nec sibi parcet, si eum dereliquerit, si non fuerit digna lumbo ejus, si non adhærens Domino, unus spiritus fuerit in Christo Jesu, cui est gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA OCTAVA.

De eo quod scriptum est : *Notum fac mihi, Domine, et cognoscam* (Jer. XI, 18), usque ad eum locum in quo ait : *Ite, congregate omnes bestias agri* (Jer. XII, 9).

**813** Si Dei eloquia sunt in Lege et Prophetis, Evangeliis et Apostolis, oportet discipulum Dei divinorum sermonum magistrum Deum ascribere. *Qui* enim *docet hominem scientiam* (*Ps.* XCIII, 10), secundum Psalmistam, Deus est. Salvator quoque perhibet testimonium, nullum debere super terras magistrum nuncupari, dicens : *Et vos, nolite vocare magistrum super terram. Unus quippe est magister vester, Pater qui in cœlis est* (*Matth.* XXIII, 8) : Pater autem qui est in cœlis, erudiet [*Al.* erudit] homines sive per se, sive per Filium, sive per Spiritum sanctum : et ut ad minora veniamus, erudit per Paulum, per Petrum, per alium quemlibet sanctorum : tantum Dei [*Al.* Deus] spiritus, et Dei sermo descendat et doceat. Cur hæc diximus? videlicet quia propheta :

[a] Mss. Reg., *introduxit Domini corpus ex igne et electro.*

[b] Haud recte penes Rabanum, *Linum de terra pascitur.* Et paulo post *de messe* pro *demessum.*

[c] Mss. Regii, *cinctorium componi, aut aliud quid in usus necessarios coaptari*, pro quo ultimo verbo Rabanus habet *comparari.*

[d] Hanc placuit, quæ et in vetustis codd. obtinebat, lectionem ex Rabano reponere, *qui in cinctorium Dei plectimur*, utpote Græco Origenis textui consonam magis et commodiorem, καὶ ἡμεῖς οὖν πάντες τὴν γένεσιν ἔχομεν, ὡς περίζωμα τοῦ Θεοῦ, etc. Antea erat, *aut linum, quod in cinctorium Dei pectitur :* unus ms. penes Huetium, *ut linum quod*, etc.

[c] Hic quoque Rabanum describere potius fuit : pro hisce enim verbis, *nescio quid et nobis*, una erat in Vulgatis vocula *quid.* Luculenter vero Græcus textus τοιοῦτον οὖν τι καὶ ἐπὶ ἡμᾶς.

[f] Vocem *indecorem* rectius hinc amoveas, neque enim aut Rabanus novit, aut in Græco est textu. Pro uno autem verbo subsequenti, *abluimur*, legit Rabanus *deinde cur eluimur?* Græcus fere concinit εἶτα ἀποσμηχόμεθα.

[g] Legebatur antea, *purumque aqua. Ita cum*, etc. Nos ad Rabani lectionem expuncta voce *aqua*, quæ abundat, neque est in Græco, exordimur, *Atque ita*, etc. Sic et Origenes εἶτα καί.

*Notum fac mihi*, ait, *Domine, et cognoscam.* Neque enim scire possum, nisi tu mihi revelaveris. Sin autem, demonstrante te, **814** potero [*Al.* potuero] nosse, quod nesclo, tunc videbo cogitationes singulorum, et cognoscam quid unusquisque gerat, et cujus sit voluntatis [*Al.* voluntas]. Hæc propheta. Deinde videamus quid Salvator loquitur in propheta : *Ego ut agnus innocens ductus ad immolandum, et nesciebam. Adversum me cogitaverunt consilium dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus, et conteramus eum a terra viventium, et nomen ejus non memorabitur amplius* (*Jer.* xi, 19). Isaias quoque, quod Christus ut ovis ad victimam ductus sit, et ut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, pronuntiat : et ibi quidem ille de Christo, hic vero de se ipse Christus : *Ego* inquit, *ut agnus innocens ductus ad immolandum, et nesciebam* (*Isai.* liii, 7). Nec addit quæ non cognoverit. Non enim dixit : Non cognovi mala, non cognovi bona, non cognovi peccatum, sive injustitiam; **815** verum simpliciter, non cognovi. Tibi igitur dereliquit, ut quæras, quod nescierit. Lege Apostolum : *Qui cum peccatum non cognovisset, pro nobis peccatum fecit* (II *Cor.* iii, 21). Peccatum quippe nosse, peccare est: ut justitiam nosse, juste est agere. Ex quo manifestum est, eum qui justitiam prædicat, et non agit juste, nescire justitiam. *Adversum me cogitaverunt consilium dicentes : Venite, mittamus lignum in panem ejus.* Crucifixum esse a Judæis Dominum, nulli dubium est : et cum hoc tota libertate prædicamus, quomodo aptabimus ei, quod dicitur : *Adversum me cogitaverunt consilium dicentes :* hoc quod inferunt : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, nimiæ difficultatis est. Panis Jesu quo nutrimur, sermo ejus interpretatur. Quia igitur docente eo, voluerunt quidam scandalum ponere doctrinæ ejus, crucifigentes eum dixerunt : *Venite, mittamus lignum in panem ejus* (*Jerem.* xi, 19). Cum enim verbo Jesu et disciplinæ ejus conjungitur magistri crucifixio, in panem lignum mittitur. Et illi quidem [a] insidiantes dicant : *Venite, mittamus lignum in panem ejus.* Ego vero admirabile quiddam inferam. Lignum missum in panem ejus, panem fecit meliorem. Exemplum accipe de lege Moysi. Sicut lignum, quod missum est in amaram aquam, fecit dulcem : sic lignum passionis Christi missum in doctrinam ejus, fecit panem illius dulciorem. Ante enim quam immitteretur lignum in panem ejus, quando tantummodo panis erat, et non erat lignum, in universam terram non exierat sonus ejus : postea vero quam assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in universum orbem passionis ejus disseminatus est sermo. In cujus figura et aqua in Veteri Testamento ad tactum ligni dulcis effecta est. Ego quippe aio, Legem non intellectam, amaram aquam esse. Cum autem venerit lignum Jesu Christi, et sermo Salvatoris mei descenderit in eam, tunc dulcoratur, et fit suavissimi saporis, intellecta pariter et lecta lex Moysi. Dicentes igitur : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, etiam hoc addunt, *et conteramus eum* **816** *a terra viventium, et nomen ejus non memorabitur amplius* (*Jerem.* xi, 29). Sic enim illum interfecerunt, quasi nomen ejus penitus eradicarent [*Al.* eraderent]. Sed Jesus scit quare et quomodo moriatur. Propter quod ait : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* [b] *ipsum solum manet ; si vero mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Jer.* xii, 24). Ergo mors Jesu Christi, spica frumenti facta est, septuplum et multo amplius restituens quam fuerat seminatum. Fingamus enim paulisper non fuisse eum crucifixum, neque post mortem ad inferos descendisse : sequitur ut solum granum maneat frumenti, et multi non nascuntur ex eo. Attende diligenter eloquia divina, quid in se velint intelligi. *Granum frumenti si non cadens in terram mortuum fuerit, non multum fructum affert* (*Joan.* xii, 14). Mors Jesu istos omnes fructificavit. Si autem mors tantas attulit fruges, resurrectio cujus futura est ubertatis? *Domine virtutum, judicans justa, probans renes, et corda, videam quæ ex te est, vindictam de eis* (*Jer.* xi, 20). Prophetice orat, ut videat vindictam de eis apud Patrem ; circumdata est quippe ab exercitu Jerusalem, et appropinquavit subversio ejus, et id quod dictum ad eam fuerat : *Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* xxiii, 38), completum est. *Videam ergo quæ ex te est, vindictam de eis ; quia ad te revelavi justificationem meam. Propterea hæc dicit Dominus in viros qui sunt in Anathoth, qui quærunt animam meam, qui dicunt : Non prophetabis in nomine Domini, alioquin morieris in manibus nostris. Ecce visitabo ego in eis : juvenes eorum gladio cadent, et filii eorum et filiæ morientur in fame, et reliquiæ eorum non erunt. Quoniam inducam mala super inhabitantes in Anathoth, in anno visitationis eorum* (*Jerem.* xi, 21-23). Figuraliter nunc [*Al.* nunc] nomen Anathoth assumitur. Totum autem Judaicum sacramentum in eo est. Interpretatur quippe Anathoth, *obedientia :* Quia ergo obedientia Dei in illo [c] populo fuit, sicut regnum ejus : et factum est de regno id, quod novimus prædictum : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* xxi, 43) : nunc quoque viri qui sunt in Anathoth, **817** hoc est in obedientia, quærunt animam, non Jeremiæ, neque enim hoc historia ulla

[a] Ad hunc modum ex Rabani lectione emendavimus, *insidiantes dicant*, cum hactenus turpi sane mendo obtineret, *nisi dantes dicunt*. Græcus quoque archetypus ita monuit restituendum; habet enim, ἐκεῖνοι μὲν ἐξ ἐπιβουλῆς βουλευσάμενοι λεγέτωσαν, etc.

[b] Deerant pridem isthæc sacri contextus verba, *ipsum solum manet ; si vero mortuum fuerit ;* legebatur autem, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, non multum fructum affert.* Nos e Rabano restituimus ipsoque, ut ab Origene laudatur, Græco textu, αὐτὸς μόνος μένει· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, πολλὴν, etc.

[c] Vocem *populo*, quæ in antea vulgatis deerat, ex Rabano suffecimus et Græco archetypo, ἐν ἐκείνῳ ἦν τῷ λαῷ. Alia inferius, quæ levioris momenti sunt castigamus.

commemorat, quia viri Anathoth quæsierunt [*Al.* quærunt] animam ejus. Habemus Regnorum libros: meminit ibi Scriptura Jeremiæ, nihil tale conscribitur. Habemus Paralipomenon, et ipsum, quod nunc interpretatur volumen Prophetæ, nihil locuti sunt viri Anathoth: sed Christi quærunt animam Domini mei, *qui dicunt: Non prophetabis in nomine Domini.* Legimus et hoc [*Al.* hic] a Judæis prohibitum, ne doceret Christus: *Alioquin morieris in manibus nostris. Ecce ego visitabo in eis, juvenes eorum gladio cadent, et filii eorum, et filiæ morientur fame* (*Amos* VIII, 11). Non Jeremiæ temporibus gladio occubuerunt, sed post adventum Domini: tunc et fames venit in eos, non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei. Jam quippe apud eos ultra non dicitur: *Hæc dicit Dominus* [a] *Deus omnipotens.* Ista fames est [b] prophetiæ cessantis in eis. Sed quid loquar de Prophetis? Neque magistri, neque doctores in Judæa aliqui remanserunt: et licet sint innumerabiles, qui sibi sapientiam vendicent, non est jam sermo Dei in eis. Completum est enim illud vaticinium: *Auferet Dominus a Judæa, et ab Jerusalem validum et validam, virtutem panis, et virtutem aquæ, gigantem et fortem, et* [c] *hominem bellatorem, et judicem, et prophetam, et arbitrum, et seniorem quinquagenarium, et admirabilem consiliatorem, et sapientem architectum, et intelligentem auditorem* (*Isai.* III, 1). Jam non est apud eos qui possit dicere: *Quasi sapiens architectus fundamentum posui* (I *Cor.* III, 10). Migraverunt ab eis architecti, venerunt ad Ecclesiam, posuerunt fundamentum Jesum Christum. Huic superædificant quicumque post eos crediderunt. In fame ergo ille populus derelictus est: *Adducam quippe mala super inhabitantes Anathoth, in anno visitationis eorum.* (*Jerem.* XI, 23) *Justus es, Domine, quia excusabo me apud te. Verumtamen judicia loquar ad te. Quid est, quod via peccatorum prosperatur? Abundaverunt omnes, qui spreverunt contemnentes* (*Jerem.* XII, 1). Quæramus **818** an bonus sit Deus, qui Legem prophetasque largitus est, videntes viam impiorum prosperari, et nihil eos ab eo pro merito sustinere. Abundaverunt enim omnes qui [d] spreverunt contemnentes, ii qui adversum conditorem rabidis faucibus latrant, qui eum blasphemis sermonibus criminantur: *Abundaverunt, plantati sunt, et radicem miserunt; procreaverunt filios et fecerunt fructus.* Quantos fructus Marcion fecit procreans filios infidelitatis? quantos Basilides? quantos Valentinus? De his quippe næ, prophetat dicens: *Procreaverunt filios, et fecerunt fructum. Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum* (*Jerem.* XII, 1). Nominant Jesum, et non habent eum, neque enim illum confitentur ut Christum. *Et tu, Domine, nosti* [e], *et probasti cor meum in conspectu tuo. Sanctifica illos in die interfectionis eorum* (*Jerem.* XII, 3). Quid faciam ut hoc exponam? Tormenta sanctificationem vocat eorum qui torquentur. *Sanctifica quippe eos*, ait, *in die interfectionis eorum*, id est, per hoc, quod interficis eos, sanctifica eos. *Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). *Quousque lugebit terra, et fenum omne agri arescet a malitia habitantium in terra?* (*Jerem.* XII, 4.) Quasi [f] animal sit terra, sic nunc loquitur propheta, dicens lugere eam quando mali sunt habitatores, qui in ea commorantur. Per unumquemque enim nostrum terra, aut lætatur in virtutibus accolarum, aut luget in vitiis. Si autem terra, consequenter et elementa cætera, ex quibus et aqua, id est, angelus qui super aquam constitutus est. Neque enim aliter possum lugentem terram exponere, seu lætantem: nec sensus recipit, ut insensibile corpus sentire credamus: nisi ut intelligamus, omnibus rebus angelos præsidere, tam terræ et aquæ, quam aeri et igni, id est, principari elementis, et hoc ordine pervenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra cœlestia. Alius angelus præpositus est terris: atque ita omnes ii angeli, cum quibus versamur in terra, gaudent quando juste agimus, quando peccavimus, lugent. *Lugebit* **819** *terra ab omnibus inhabitantibus in ea.* Eodem nomine angelum terræ appellant, quo ipsa nuncupatur. Quomodo enim hoc quod manufactum est cum maledicatur, maledicitur et ipse qui fecit illud, non quod maledictum sit, quod anima ac sensu caret, sed idem dicitur maledictus, qui assistet insensibili simulacro, eodem vocatus nomine, quo vocatur id quo manufactum est: sic et nunc terra appellatur is angelus qui præpositus est terræ. Nec hoc tantum accipias in terra; et aquæ etiam Angelus ejus vocabulo nuncupatur, juxta illud quod in alio loco dicitur: *Viderunt te aquæ et timuerunt, turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transierunt. Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam* (*Psal.* LXXVI, 17). *Dedi dilectam animam meam, in manus inimicorum ejus* (*Jer.* XII, 7). Vide mihi eum qui in forma Dei consistebat in cœlis. Vide domum ejus, Thronos, et excelsas quasque Virtutes. Si

[a] Rectius cum Græco textu vocem, *Deus*, ignorat hoc loco Rabanus.

[b] Penes Rabanum, *fames est prophetica vocis cessantis*, etc.

[c] Sic et Rabanus habet, et Græcus ipse ab Origene laudatus textus, *γίγαντα καὶ ἰσχύοντα καὶ ἄνθρωπον πολεμιστήν.*

[d] Hujus interpretationis (inquit Huetius) rationem comminisci nentiquam possum, est enim in Græco *πάντες οἱ ἀθετοῦντες ἀθετήματα.* Recte Corderius: *Omnes qui prævaricantur prævaricationes.*

[e] Addit Origenes, *με*: tum istud, *εἶδές με*: quemadmodum et apud Rabanum, et in Vulgata legas, *nosti me, vidisti me, et probasti*, etc.

[f] Huetius ait, Cum terram inanimatam esse definiat hoc loco Origenes, animatam autem non aliter dici posse, quam per angelum, tamquam formam assistentem, non informantem, satis inde evincitur, non hunc cum penitus adhæsisse errori, quem ei objiciunt Hieron. in epistolis, ad Avitum et Pammachium, et Justinian. epist. ad Menam, astra videlicet non animata solum esse, sed peccare etiam posse, ac salutem exspectare.

autem vis aliquid sublimius intelligere propter hoc quod ait : *Ego in Patre, et Pater in me:* vide domum ejus Patrem Deum. Relinquit patrem suum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, venitque in hunc terrenum locum, et ait: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Illa erat hæreditas ejus, possessiones Angelicæ, et sanctarum ordo virtutum. *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum.* Tradidit animam suam in manus inimicorum suorum, in manus Judæorum interficientium eum, in manus principum congregatorum adversum se, in manus regum, quoniam : *Astiterunt Reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 1). *Facta est hæreditas mea mihi, sicut leo in silva* (*Jer.* XII, 8). Ista quæ super terram erat hæreditas ejus quam sibi **820** elegerat in possessionem, quæ pars ejus fuerat, efferata est adversus eum, et facta est hæreditas ejus, id est, Judæi quasi leo in silva. Nec mirandum est si tam [*Al.* tunc] truci belluæ comparata sit : usque ad præsentem diem leones sunt in silva, anathematizantes Dominum Jesum, et blasphemantes illum, et insidiantes credentibus [*Al.* credentes] nomini ejus. *Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in silva. Dedit super me vocem suam, ideo odivi eam. Numquid spelunca est hyænæ hæreditas mea mihi* (*Jerem.* XII, 8) ? De sua hæreditate prænuntiat, quod spelunca hyænæ futura sit, bestiæ rabidæ et ferocis, mortuorum cadaveribus viventis, quæ semper sepulcris et ossibus incubat. *Numquid spelunca hyænæ hæreditas mea mihi, aut spelunca in circuitu ejus?* (*Jer.* XII, 9.) Quoniam tales sunt, impero vobis, angeli, ut eatis, et congregetis bestias, et tradatis eos ad dilacerandum. *Ite, congregate omnes bestias agri, veniant, et manducent eos.* Venerunt bestiæ agri, devoraverunt populum Judæorum. Vide exesa corda omnium a fortitudinibus contrariis. Si illis Deus non pepercit, sed ait : *Ite, congregate bestias*, quanto magis nobis non parcet? Si non fecerimus legem ejus, si sermonem Evangelii neglexerimus, rursum dicet : *Ite, congregate bestias, et tradite* [a] *eam.* Sed nos confidamus in Domino, et in oratione dicamus : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII). Agamus pœnitentiam super peccatis nostris, confiteamur delicta quæ fecimus, et bestiis non trademur : quin potius angeli venient, qui nos in sinu suo gestantes, de terrenis locis ad cœlestia transferant, et de præsenti sæculo in perpetuam collocent æternitatem, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA NONA

De eo quod scriptum est : *Omnis uter implebitur vino* (Jerem. III, 12), usque ad illud : *Et deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini* (Jerem. XIII, 17).

Quod a Deo prophetæ jubetur ut dicat, debet dignum esse imperio Dei. Sed non videtur dignum, si maneamus in littera, et nihil altius requiramus, **821** intantum ut si quis rudis auditor exstiterit, dicat ineptum esse Scripturis aurem accommodare, et ea cognoscere quæ in eis lectitantur. Hoc est dictum animalis : *Animalis quippe homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim ei est* (I *Cor.* II, 14). Consideremus ergo Dei sermonem quid jubeat : *Et dices ad populum sermonem istum : Hæc dicit Dominus Deus Israel.* Quod dicit Dominus Deus Israel, dignum quæso sit Domino Deo Israel. *Omnis uter implebitur vino. Eritque, si dixerint ad te : Numquid cognoscentes* [Forte *et*] *non cognoscimus* [Al. *cognoscemus*], *quia omnis uter implebitur vino?* Hæc respondentes, si tantum litteram sequuntur, et dicunt nosse se, quia omnis uter implebitur vino, falluntur. Non enim necessario sequitur, ut omnes utres impleantur vino. Sunt utres oleo pleni : sunt alii a qualibet liquentis naturæ materia vacui, aut certe non pleni. Dominus autem dicit omnem utrem implendum vino : et populus respondit : *Numquid cognoscentes non cognoscimus* [Al. *cognoscemus*] *quia omnis uter implebitur vino?* Quæ quidem juxta paupertatem ingenii mei sic poterunt interpretari, si prius vini differentias perspexerimus [*Al.* prospexerimus], ut tunc consequenter [b] tractemus, verum esse quod dictum est, quia omnis uter implebitur vino. Sive enim quis bonus est (ut ita loquar) inter utres, uter implebitur vino bonitatis suæ : sive malus juxta hoc, quod malus est, malo vino implebitur. Quomodo ergo possumus de Scripturis accipere differentias vini? Super malo vino ista conscripta sunt : *De vinea Sodomorum,* [c] *vinea eorum, et palmes eorum de Gomorrha, uva* [Al. *uvæ*] *eorum uva* [Al. *uvæ*] *fellis, botrus amaritudinis in eis, venenum draconum vinum eorum, et virus aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII, 32). De bono hæc dicuntur : *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psalm.* XXII, 5)? Et sapientia convocat ad craterem suum, dicens : *Venite, manducate panes meos,* **822** *et bibite vinum, quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 5). Est ergo vinum de Sodomis, et est [d] vinum, quod miscuit Sapientia. Rursumque : *Vinea facta est dilecto* [Al. *dilectio*] *in cornu, in loco uberi*, plantata a Deo, quæ vocatur vinea Sorec, electa [e] quædam et inter omnes vineas mirabilis. Est autem alia vinea Ægyptiorum, quam percutit Deus, secundum id, quod scriptum est : *Percussit in grandine vineas eorum, et ficus eorum in gelu* (*Psalm.* LXXVII, 47). Consideremus ergo omnes homines figuraliter capaces esse

[a] Antea, *et tradite eos*, dissentiente Rabano, et Græco textu, καὶ παράδοτε αὐτήν.

[b] Interserit Rabanus, *de utribus :* idque verius ad Græcum saltem archetypum : ἀκολούθως αὐτοῖς περὶ τῶν ἀσκῶν ὀψόμεθα, ὅτι ἀληθές, etc.

[c] Integrando textui, qui antea mancus erat, ex Rabano verba suffecimus, *vinea eorum, et palmes eorum*, quæ et in Græco Origenes laudat, ἡ ἄμπελος αὐτῶν, καὶ ἡ κληματὶς αὐτῶν.

[d] Deerat vox hæc altera, *vinum*, quam et Rabanus legit, et Græcus textus.

[e] Legebatur antea, *electa quidem inter omnes vineas ; mirabilis autem est alia*, etc., dissentiente Rabani concinniore admodum lectione et Græco, ἐκλεκτή τις οὖσα καὶ θαυμαστή· ἔστι δέ τις καὶ ἄμπελος, etc. ut minime ad Ægypti vineam *mirabilis* appositum, refe-

vini, nec aliud eis possumus nomen imponere, [a] qui capaces vini sunt, quam utrium, et dicere quia nequam homo plenus sit vino de vinea Sodomorum et Ægyptiorum, plenus vino inimicorum Israel : sanctus vero et is qui in virtutibus proficit, plenus sit vino de vinea Sorec, vino de quo scriptum est : *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5), vino quod miscuit Sapientia. Et hæc quidem intellecta [b] mihi sint secundum nequitiam atque virtutem, ut agnoscamus quomodo omnis uter implebitur vino. Si autem nequitia, seu virtutibus impleantur utres, consequens est, ut suppliciis impleantur ob nequitiam, benedictionibus ob virtutem. Exhibeant sacræ litteræ testimonium quo pacto tormenta seu repromissiones vinum nuncupetur [*Al.* nuncupantur]. *Accipe calicem vini meri istius et potabis omnes gentes, ad quas ego te mitto* (*Jerem.* XXIII, 15). Jeremias autem hæc loquitur : super quod infert : *Et bibent, et* [c] *vomент, et insanient, et cadent.* Igitur supplicia in præsenti loco vinum meracum nuncupavit. Quidam [d] bibunt meraca vina, id est meracis cruciatibus digni sunt : alii autem bibunt supplicia : vina quidem non penitus meraca, sed ex parte aliqua temperata : *Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in illud, verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ* (*Psal.* LXXIV, 9). Si vis et benedictionis calicem [e] perspicere, **823** quem bibunt justi, licet sufficiat Sapientiæ testimonium, in quo ait : *Bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 5), tamen vide Salvatorem ascendentem die Paschæ, grande cœnaculum stratum atque mundatum, et agentem diem festum cum Discipulis suis, illumque eis calicem propinantem, de quo in Evangelio (*Luc.* XXII, 12), [f] quod miscuerit eum, et ita tradiderit; Jesus enim lætificans discipulos meracum eis poculum propinat, et dicit : *Accipite et bibite : Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, 27). *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem* (I *Cor.* XI, 24). Et : *Amen dico vobis, non bibam illud amodo, donec bibam illud vobiscum novum in regno Dei* (*Matth.* XXVI, 28). Vides calicem novi Testamenti? vides calicem suppliciorum quem supra exposuimus, vini meri plenum esse? Est et alius calix, qui pro compensatione bonorum actuum, seu malorum tibi miscetur et traditur. Intellige [*Al.* Intelligis] enim mihi eos qui penitus a pietate discedunt, et ex omni parte religioni adversantur, [*Al.* religionem aversantur] in tantum ut fortuitu et pecudum more vivant, bibentes calicem vini meri quem de Jeremiæ libro protulimus : eos vero qui non penitus recesserunt, sed cum sint peccatores, et indigni judicentur calice novi Testamenti, et faciant sæpe bona opera, sæpe contraria, bibentes calicem mero mixtum. *Inclinavit enim Deus ex hoc in illud.* Quid est quod ait, *ex hoc in illud?* duo pocula video. *Inclinavit ex hoc in illud, verumtamen fæx ipsius non est exinanita* (*Psal.* XLIII, 9).

[g] Animadverte calicem bonorum tuorum operum in una manu Domini. Sin autem pateris aliquid me audacius dicere, sit in dextra manu ejus calix virtutum, sit in sinistra vitiorum. Cum igitur cœperis propter peccata torqueri, quia et bona opera fecisti, calix in manu Domini est vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in illud : id est de eo qui erat in dextera, in illum qui in sinistra continebatur. Neque enim potes bonorum tantum calicem bibere, quasi bona tantummodo feceris : neque rursum peccatorum tantum, quia et bona aliquando gessisti. Idcirco inclinavit ex **824** hoc in illud, ut juxta compensationem operum tuorum misceatur tibi supplicium aquatius, seu meracius, et secundum merita tua, aut obtundatur iræ divinæ aculeus, aut exacuatur. Si vero bonus fueris, et Dei mandata servaveris, attende quid dicas : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 13). Omnis igitur uter, sive bonus sive malus, implebitur vino qualitatis suæ, nec oleum mittetur [*Al.* mittitur] in eum, aliudve quid liquens, nisi vinum Sodomorum, aut Sorec. Deinde docet, interim ut litteram sequamur, propter eos qui peccaverunt in Jerusalem, et in Judæa illo tempore morabantur, quali vino istiusmodi utres implendi sunt. Sequitur enim : *Si dixerint ad te : Numquid cognoscentes non cognoscimus, quia omnis uter implebitur vino? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Ecce ego impleo omnes inhabitantes terram istam, et reges, et filios David qui sedent super sedem ejus, et sacerdotes ebrietate* (*Jerem.* XIII, 12). Nulli parcit [*Al.* parcet] qui puniturus est peccatores. Non quia prophetes, non quia sacerdos quis vocatus est, a suppliciis liberabitur. *Hæc autem de illis commemorantur*; ut ait Apostolus : *scripta sunt propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt* (I *Cor.* X, 11). Si quis ergo et in his Sacerdotibus, atque unus paulo post, *supplicia non penitus meraca*.

[a] Hic iterum vitiose lectum est hactenus, *quam capaces vini, quam utrem, et dicere*, etc. Veram lectionem restituit Rabanus, cui assentitur et Græca sententia, tametsi paululum abludat in verbis. Inferius quoque quædam alia levioris momenti restituimus.

[b] Pro *mihi*, corrupte legebatur *ibi*, renuente Græco, νοείσθω μοι κατὰ τὴν, etc., et vetere lectione Rabani. Paulo quoque post imperfecto sensu, *ut* particula deerat, quam idem Rabanus suffecit, et Græcus ἵνα.

[c] Perperam *et venient* legebatur pro *et vomент*. Rabanus et Græcus uterque textus, καὶ ἐξεμέσονται, restituerunt.

[d] Mss. Reg. penes Huetium, *bibent meraca vina*; erat tamen antea, *Amodo adverte :* Græce est νόει. Mox quoque addidimus ex iisdem, *tuorum* quod deerat.

[e] Vulgati, *Si vis ad benedictionis calicem respicere*, minus recte ad Rabani lectionem et Græcum, εἰ θέλεις καὶ ποτήριον εὐλογίας ἰδεῖν.

[f] Legendum omnino est contrario sensu, supplendumque ita : *de quo scriptum est, non quod miscuerit cum*. Cogit enimvero Græcus textus, περὶ οὗ γέγραπται, οὐχ ὅτι ἐκέρασεν. Penes Rabanum autem tres integri versus subsequentes non habentur, legit enim : *de quo in Evangelio scriptum est : Accipite et bibite*, etc.

[g] Sic et Rabanus et mss., Reg. penes Huetium legunt : erat tamen antea, *Amodo adverte :* Græce est νόει. Mox quoque addidimus ex iisdem, *tuorum* quod deerat.

in nobis dico presbyteris, sive in his qui circumstant populum Levitis, id est diaconibus [*Ms.* Zaconibus], peccaverit, sustinebit supplicium, quod nunc per prophetam Dominus comminatur : quomodo econtrario quædam sunt sacerdotales benedictiones, de quibus, Deo tribuente, post istius loci expositionem, cum ad Numerorum librum ventum fuerit, disputabimus : ibi quippe de sacerdotibus quædam scripta sunt : *Et sacerdotes igitur, et prophetas, et Judam, et omnes habitantes Jerusalem testatur Deus de vino inebriandos, et dispergendos virum a fratre suo, et patres a filiis* (*Jerem.* XIII, 11, 19). Quæ quidem (ut mihi videtur) sic sunt intelligenda : Justos quidem congregat Deus, et peccatores separat. Denique idcirco quamdiu non sunt commoti ab oriente homines, non sunt dispersi [*Al.* dissipati]. Quando autem sunt moti ab oriente, et ait homo ad proximum suum : *Venite, ædificemus civitatem, et* **825** *turrim, cujus* [a] *caput pertingat usque ad cœlum* (*Gen.* XI, 4). Deus locutus est, dicens : *Venite, descendamus, et confundamus ibi linguas eorum* (*Gen.* XI, 7, 9). Et post pusillum subinfert : *Et* [Al. *Ecce*] *dispersit eos Deus inde a facie omnis terræ.* Populus quoque Israel antequam peccaret, in Judæa erat, post peccata in universum orbem dispersus est. Tale mihi quiddam et de [b] nobis omnibus intellige. Est quædam Ecclesia primitivorum, eorum scilicet qui conscripti sunt in cœlestibus, ubi mons Sion, et civitas viventis Dei Jerusalem cœlestis. Beati qui illuc congregabuntur. Peccatores autem dividentur ab invicem, ut etiam in hoc excruciatione pariter torqueantur. Scio quosdam reges, eos qui imperio suo insidiati sunt ad desertas insulas deportare solitos, et pro magnis suppliciis hoc jubere, ne in uno loco exsilii penuriam [*Al* pœnam] sustineant, sed in aliam partem orbis uxor, in aliam liberi exterminentur, ut ne in calamitatibus quidem suis perfruantur solatio, aut pater filii, aut mater filiæ, aut frater fratris. Simili modo et peccator per quamdam dispensationem Dei amariora [*Al.* majora) solitudinis tormenta perpetitur, si solus in exsilium relegetur, ut emendatus in statum pristinum redeat. Et quomodo tu propinquos vel liberos tuos non [c] fortuita, nec irrationabili ira, sed per verba reducere quæris ab errore, in quem incubuerant : sic Deus eos qui non poterant [*Al.* potuerunt) sermone converti, doloribus et tormentis ad id retrahit quod fuerunt, secundum Scripturam dicentem : *Per omnem dolorem et flagellum emendabis Jerusalem.* Ut igitur crescat dolor pœnæ corripientis, ii qui corripiuntur, ab invicem separantur. Nam quodammodo levius fit supplicium, si plures in eodem loco constituti, mutuis se consolentur alloquiis. Si autem necesse est aliam quoque rationem divisionis malorum introducere, etiam hanc exhibebimus. Mali cum simul fuerint, **826** ea quæ mala sunt cogitant, et in pristina nequitia perseverantes, augent peccata peccatis : quomodo econtrario boni cum simul fuerint, de honestis sermocinantur. Dissolvitur ergo, et ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cum non habuerit allocutionem alterius nequioris. Idcirco per dispensationem Dei providetur, pessimos a pessimis separari, [d] in suum quoque commodum, ut a pristinis sceleribus ipsa solitudine et penuria consortii aliquando desistant. Hæc de eo, quod dictum est : *Et dispergam illos, virum et fratem ejus, et patres eorum, et filios eorum in idipsum, dicit Dominus : Non requiram, et non parcam, et non miserebor ab interitu eorum* (*Jer.*, XIII, 14). His et istiusmodi sermonibus hæretici assurgunt dicentes : Videsne qualis sit [e] Creator, prophetarum et legis Deus quid loquatur? *Non parcam, et non miserebor ab interitu eorum.* Quomodo potest iste bonus esse? Accipiam ergo exemplum judicis boni pro utilitate communi quibusdam non miserentis, ut perspicere possimus, quomodo multis parcens uni non parcet [*Al* parcat] Deus : accipiam et medici, ostendens eum uni membro non parcere, ut membris omnibus parcat. Verbi quoque gratia dictum sit : Habeat judex propositum, quietem civitati, et pacem genti, cui præsidet, providere. Huic si offeratur [f] latro honesta forma, ætate satis integer, ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur, ut senectutis suæ misereatur, et ex alio uxor ne virum suum interficiat, lacrymabili voce deploret, circumstent et parvuli liberi cito orbi futuri : quid faciet judex? miserebitur latronis, annon? [g] quid in commune expedit civitati? Si misertus fuerit, revertetur homicida ad pristinum scelus : sin vero in judiciaria severitate permanserit, unus homo interibit, et universo populo providebitur. Sic Deus si pepercerit peccatori, et miserans ejus, noluerit eum punire pro scelere, **827** quis non accipiat licentiam [h] malorum? Qui nunc saltem propter supplicia terretur, nonne invadet tempus ut expleat quæcumque

[a] Apud Rabanum, *cujus sit caput usque*, etc. Græce, οὗ ἔσται ἡ κεφαλὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ.

[b] Vitiose legebatur antea, *et de bonis hominibus intellige*, pro *et de nobis omnibus* intellige, quod restituimus ex Rabani lectione, consentiente Græco textu, ὑόει καὶ περὶ πάντων ἡμῶν.

[c] Antea editi libri, *non in forti ictu et irrationabili*, etc., quos Rabanus atque ipsi penes Huetium R. mss. castigant, *non fortuita nec irrationabili*, etc. Legit deinde Rabanus, *sed per verbera reducere cupis ab errore*, pro *per verba reducere quæris*. Græcus tametsi idem in sensu est verbis tantisper abludit.

[d] Ita Rabanus legit proprius ad Gr. textum : erat tamen antea, *Justum quoque et commodum est ut*, etc.

[e] Obtinuit hactenus sibilo explodenda lectio, *qualis sit error Prophetarum*, pro *qualis sit creator, Prophetarum et Legis*, etc. Notum hoc fuisse Valentini et Basilidis blasphemum dogma, Creatorem ac veteris Testamenti Deum malum exstitisse : idque est, quo de nunc Origenes loquitur. Rectissime adeo restituit Rabanus *creator* pro *error*, nam et in Græco est δημιουργόν.

[f] Præfert Rabanus, *homicida* pro *latro*. Græce etiam Origenes scripsit φονεύς. Tum illud, *ætate satis integra* pro *integer*.

[g] Rabanus, *quod in commune expedit civitati exsequetur*.

[h] Antea erat, *quis non accipiat licentiam? quis malorum, qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non invadet*, etc.

voluerit, et præceps feratur in vitia ? Hæc autem in Ecclesia sæpe accidentia possumus considerare. Peccavit quispiam, et post peccatum postulat [ *Al.* postulet ] communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, et laxatis frenis, sceleribus panditur via. Sin vero cum rationabili deliberatione, non [a] ut immisericors, nec rursum ut crudelis judex, sed et quasi uni providens, et de omnium salute pertractans, consideraverit populi damnum in unius venia, haud dubium est [b] quin faciat ejici unum de Ecclesia, ut multos salvet incolumes. Age nunc considera mihi et medicum, si cessaverit a sectione ejus vulneris, quod secandum est, si non usserit id, quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis consequuntur, quomodo crescat infirmitas, et in deterius [c] veternus exuberet. Si vero (ut ita dicam) temerarius ad [d] vulnus sector accesserit, et inusserit plagam, curat eum qui secatur et uritur, quia paululum severitatis assumpsit, licet visus fuerit ægrotantis ad horam non misereri. Ita et Deus non unum hominem, sed universum curat orbem, cœlestia atque terrena, et omnia ubique dispensat. Et cum hoc provideat, quod uni commodum sit, multo magis providet quid toti mundo conducat et hominibus universis. Providet quidem et ea quæ uni expediunt, verum ita, ne unius [ *Al.* illius ] utilitas omnium damno sit. Idcirco et ignis æternus præparatus est, et gehenna, et tenebræ exteriores : quæ omnia non tam ob eum qui puniendus est, quam propter universos homines constituta sunt. Si autem vis hujus rei testem accipere Scripturam, quod in aliorum eruditionem, licet jam desperabiles sint peccatores, et a curatione penitus alieni, torqueantur, audi Salomonem in Proverbiis dicentem : *Pestilente flagellato, imprudens callidior erit* ( *Prov.* XIX, 25). **828** Non eum qui flagellatur dixit callidiorem futurum, et sapientiorem propter castigationem suam, sed insipientem a stultitia ad prudentiam converti propter supplicia pestilentis : hoc quippe ex ipso nomine calliditatis significatur, et converti eum a calliditate, dum alios cernit propter ea, a quibus ipse obnoxius est, peccata cruciari. Igitur prodest nobis, *si* [e] *tamen digni sumus salute*, ut alii in utilitatem nostram torqueantur. Et quomodo utile fuit peccatum Israel in salutem gentium, sic utilis est quorumdam pœna aliorum saluti. Et ideo bonus et clemens Deus : *Non parcam*, inquit, *et non miserebor ab interitu eorum*. Circumscripto autem hoc capitulo, videamus subsequens Scriptura quid doceat : *Audite et auribus percipite, et nolite extolli, quoniam Dominus locutus est. Date Domino Deo vestro gloriam priusquam obscuret, et priusquam offendant pedes vestri super montes tenebrosos : et sustinebitis lumen, et illic umbra mortis, et ponentur in tenebras. Si non audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie contumeliæ, et deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini* ( *Jer.* XIII, 13, 16, 17). Eosdem vult audire, et auribus percipere, non contentus, neque auditione solummodo, neque aurium perceptione ; propter quod ait : *Audite et auribus percipite*, et quod his majus est, *nolite extolli*, et reliqua quæ sequuntur. Quid est ergo audire, et quid est auribus percipere, ex ipsis sermonibus consideremus. Auribus percipere est ( ut mihi quidem videtur ) auribus quæ dicuntur audire. Quod autem præcedit, *Audite*, si ad distinctionem ejus præcepti dicitur, [f] quod postea infertur, *auribus percipite* hoc imperat ut in mentem et sensum ea quæ dicuntur, excipiant. Neque vero hoc solum in loco, sed in omni Scriptura sunt quædam et facilia et prompta ad intelligendum, quæ statim ut lecta fuerint, utilitatem legentibus tribuunt. Sunt alia secretiora [g] et ineffabilia, et (ut ita dicam) quibusdam obscuritatibus involuta. De his igitur **829** quæ latent, et expositione indigent, arbitror nunc dictum esse : *Audite :* de his autem quæ sine scrupulo interpretantis auditori commoda sunt : *Auribus percipite.* Percurramus universas Scripturas, et probati nummularii effecti dicamus, hoc audire debemus, hoc auribus percipere. Denique cum audierimus et perceperimus auribus quæ dicuntur, non elevemur : *Omnis quippe qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 14). Et Salvator noster, dicens : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem in animabus vestris* (*Matth.* XI, 29) : docet nos ne extollamur. Nam cum multis vitiis genus vexetur humanum, hoc peccato vel maxime premitur. Nec unus est modus superbiæ. Alius irrationabiliter [*Al.* irrationabili], et stultorum more in iis effertur, quæ magis pudore digna sunt, aut certe modum elationis excedunt [*Al.* excedit]. Alius quasi [h] verisimili ratione seductus super jis elevatur, quæ sibi digna gloria putat, cum et in talibus periculosum sit gloriari. Exemplum assumam, quo fiat manifestius. Sunt quidam in eo se jactantes, quia filii [i] ducum sunt, et nobili familia nati. Istiusmodi homines ne umbram quidem et imaginem elationis suæ possunt ostendere. Sunt alii qui de eo sublevantur, quia potestatem habent, *si modo per aliorum punitionem digni salute efficimur*, Hieronymiana versione improbata.

[a] Econtrario Vulgati antea libri, *non ut misericors* : dissentit vero vetus Rabani lectio, et cumprimis Græcus, ἀνελεήμων.

[b] Rabanus, *haud dubium est quid faciat : ejicit unum de Ecclesia, ut multos reservet*, etc.

[c] Duobus verbis erat, *vetus humor*, pro quibus ex Rabano et Regiis penes Huetium mss. restituimus *veternus*.

[d] Hic quoque vitiose legebatur, *cultus*, pro *vulnus*, quod Rabanus castigat.

[e] In Græco ἐάν γε σωτηρίας ἄξιον γενόμεθα δι' ἄλλων πολαζομένων, quæ Huetius fidus interpres reddit, *si modo per aliorum punitionem digni salute efficimur*, Hieronymiana versione improbata.

[f] Mss. Regii, teste Huetio, *ut postea inferat*, Rabanus, *quod postea infert.*

[g] Rab., *sacriora;* forte *sacratiora.* Græc, μυστικώτερα.

[h] Vulgati libri, *quasi verisimulatione seductus.* Concinnius apud Raban. *quasi verisimili ratione*, etc., et in Græco quidem est, μετὰ πιθανότητος.

[i] Pro *ducum*, quod nomen ex Rabano substituimus, legebatur antea *regum*, Græco ipso archetypo dissentiente : υἱοὶ ἡγεμόνων, *filii ducum.*

bent occidendi homines ; et, ut ipsi putant, ea fulti sunt dignitate, ut quorum velint, capita secent. Horum gloria in confusione sua est. Alii super divitiis sibi applaudunt, non his veris, sed iis divitiis quæ deorsum sunt. Alii superbiunt super domo splendida, super possessionibus multis : in quibus universis non est penitus gloriandum. Quod autem verisimile et dignum judicatur [*Al.* videtur], ut quidam putant, [a] gloria, illud est, cum aliquis ob sapientiam suam elevatur, aut conscius sibi est, quia decem jam annis [b] res venereas non tetigerit, sive ab infantia integer, castusque permanserit. Rursumque alius erigitur, quia vincula pro Christo portaverit. Recta quidem videntur hæc **830** omnia, et [c] subjicientia quamdam persuasionem ad gloriandum ; sed ne in his quidem (si tamen sequimur veritatem) rationabiliter quis effertur, quia et in rebus bonis [d] gloriari, non est sine discrimine. Paulus habuit materiam elationis [*Al.* gloriationis], habens in se visiones, revelationes, signa, virtutes, propter labores quos Christi causa perpessus est, propter Ecclesias quas constituit, contendens, ubi Christus non erat nominatus, ibi jacere fundamentum. Hæc omnia materiæ erant gloriationum, et si sic expedit dicere, verisimilis causa quæ honestam subjiceret jactationem. Sed quia ne in talibus quidem sine periculo est sublevari, benignus et providus Pater quomodo ei largitus est revelationes, et gratias differentes, sic ad tuitionem donorum suorum tradidit Angelum Satanæ (II *Cor.* XII, 7), ut eum colaphizaret [*Al.* colaphizet], ne extolleretur, et propter hoc ter Dominum rogavit, scilicet ut ab eo discederet Angelus Satanæ, qui juxta dispensationem ei appositus fuerat. Sed respondit ei Dominus (dignus quippe erat responsione Domini Paulus) et dixit ad eum : *Sufficit tibi gratia mea ; virtus enim in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9). Super nullo igitur gloriandum est. Sequitur quippe ruina jactantiam, Scriptura dicente : *Ante contritionem elevatur cor viri, et ante gloriam humiliatur* (*Prov.* XVIII, 12). Et hæc quidem dicta sunt de eo quod ait ; *Audite et auribus percipite, et nolite extolli, quoniam Dominus locutus est* (*Jer.* XII, 15, 16). Videamus autem et cætera. *Date Domino Deo nostro gloriam, priusquam obscurèt, et priusquam offendant pedes vestri super montes tenebrosos, et sustinebitis in lumen.* Eum qui daturus est gloriam Deo, vult dare in lumine, quasi jam non possit gloriam prædicare, cum tenebræ ortæ fuerint. Quando tenebrescit, et quando non sunt tenebræ ? Operamini donec lumen est in vobis. Lumen in te est, si habes in te dicentem : *Ego sum lumen mundi* (*Joan.*, VIII, 12). Quamdiu tibi lux ista oritur, clarifica Deum, **831** sciens quia futuræ sunt tenebræ. Nec tibi expedit, ut eas opperiaris ; sed antequam fiant, da gloriam Deo. Forsitan intelliges præsens capitulum, si de Evangelio sumpseris exemplum, quod ita contexitur : *Operamini donec dies est, venit nox quando nullus potest operari* (*Joan.* IX, 4). Diem ibi sæculum istud nuncupavit, et necessario apposui *ibi*. Scio quippe in aliis locis dissonantia præsentibus ex diei vocabulo significari. Diem itaque nuncupavit sæculum istud, tenebras vero et noctem, consummationem mundi, propter supplicia quæ futura [*Al.* ventura] sunt. Ut quid enim nobis desiderare diem Domini ? *Et ista est tenebræ et non lux* (*Amos* V, 18), Amos inquit prophetes. Si consideres post consummationem mundi lugubre illud, quod passurum est universum pene hominum genus pro his quæ peccavit, videbis quomodo tenebræ occupaturæ sint omnia, et nullus possit in illo tempore glorificare [*Al.* clarificare] Deum. Si quidem et justis in Isaia jubetur : *Vade, populus meus, in promptuaria tua intra, claude ostium tuum, et abscondere pusillum quantulum, donec ira Dei transeat* (*Isai.* XXVI, 20). Simul autem et in his qui potest observet, quare dixit pusillum quantulum : [e] quippe hoc quantulum quod pusillum est, non est pusillum hominibus. Et debemus inspicere quomodo singulis aut parum sit aliquid, aut magnum. Ad quod probandum etiam exemplo utimur. Unicuique animalium pro natura et modo corporis sui, aut parvus est cibus, aut magnus ; et quod alii pusillum est, æque id ipsum alii multum est. Quid de animalibus loquar ? in ipso quoque homine rerum differentiæ sunt. Quod viro parum est, hoc infanti superfluit. Atque in hunc modum omne tempus vitæ humanæ, etiamsi centenariam excedat ætatem, ad comparationem æternitatis breve est : unde pusillum Dei nobis multum est, et vicissim universa sæcula ad Deum relata brevissima sunt. Sic ergo dicitur : *Vade, populus meus, intra in promptuaria tua, claude ostium, abscondere pusillum* **832** *quantulum*. Quantulum pusillum illud non ad illius naturam refertur, qui

[a] Perperam in hactenus impressis, *gloriandum est*. Nos Rabani lectio de mendo monuit. Constat vero ex sensu, ipsaque orationis serie restituendum, uti fecimus, duobus verbis, *gloria* (scilicet, quod dignum judicatur) *illud est*, etc.

[b] Legit Rabanus, *mulieres* pro *res venereas* : in Græco autem proprie est, *οὐχ' ἥψατο ἀφροδισίων* : *non tetigit res venereas* : seu, venere abstinuit.

[c] Antea erat minus recte, *subjicienda quadam persuasione*. Optime econtrario vim Græci textus, *πιθανότης μέν ἐστιν ἐνταῦθα ὑποβάλλουσα, ὅτι εὐλόγως τις ἐπαίρεται*, et Latinæ interpretationis germanum sensum hæc refert, quam ex Rabano substituimus, lectio, *subjicientia quamdam persuasionem ad gloriandum*, etc. Eadem mox recurrit sententia.

[d] Contrario, sive potius nullo sensu editi libri ferebant, *gloriandum est sine*, etc. Clamat res ipsa, hanc fuisse scriptoris mentem, ut inferret, neque in bonis rebus gloriari, esse sine periculo. Sic et paulo post, *ne in talibus quidem sublevari, sine periculo est*. Hanc adeo lectionem ex Rabano reposuimus : in Græco enim textu nihil est, quod huic sententiæ respondeat. Levia quædam inferius castigantur.

[e] Unus ms. Reg. penes Huetium, *Quantulum pusillum quippe hoc, quantulum pusillum est Domini, non est pusillum hominibus*. Alius : *Quantulum pusillum est ? non est pusillum hominis*.

in promptuaria sua jubetur intrare, sed ejus qui jubet, cui pusillum est hoc omne quod grande est. Si enim donec pertranseat ira Dei, oportet quosdam intrare promptuaria sua; sunt autem alii, quibus non sunt dimittenda peccata, non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro, manifestum est, pusillum ad ea referendum quæ diximus. *Date itaque Domino Deo vestro gloriam* (*Jer.* XIII, 16). Quomodo damus Domino Deo nostro gloriam? non verbis et vocibus tantum glorificandus est Dominus : glorifica [*Al.* clarifica *hic et infra*] eum in castitate, et justitia, et beneficentia : glorifica eum in fortitudine, patientia, pietate, sapientia, cæterisque virtutibus. [a] Sic autem est glorificandus Deus, si contraria intulerò, nolo me arbitremini blasphemare. Exhibeo quippe Scripturam sensus mei testem, quomodo castus glorificet, luxuriosus inhonoret Deum [b] : Templum enim ejus, quasi Nabuchodonosor, destruit atque corrumpit, et secundum Apostolum per prævaricationem legis, Deum inhonorat (*Rom.* II, 23). Igitur glorificat Deum justus, contumeliis afficit quicumque peccator est. Nam et illud quod quidam dubitant, an sit providentia Dei, nullam aliam ob causam nisi ob vitia nascitur. Aufer ea, abstulisti pariter et causas providentiæ destruendæ sursum ac deorsum. Qui adversum providentiam disputant, hæc dicunt. Quare tanti adulteri? quare tanti molles? quare tanti sacrilegi? quare tanti irreligiosi sunt? Atque ita contumelias in providentiam, et offensas in Deum, et criminationes in Creatorem peccatores generant. Ex quibus liquido apparet alios dare Deo gloriam, alios convicium facere, dum passionibus et vitiis serviunt. *Date gloriam Domino Deo vestro antequam tenebrescat, et antequam offendant pedes vestri in montes tenebrosos* (*Jer.* XIII, 16). Sunt alii montes tenebrosi, alii lucentes. Verumtamen quia utrique montes **833** sunt magni, montes lucentes sunt angeli Dei et prophetæ : Moses famulus ejus, apostoli Jesu Christi, de quibus arbitror dici : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Ps.* LXXXVI, 1). Montes tenebrosi sunt qui eriguntur adversus scientiam Dei (II *Cor.* X, 5). Zabulus mons tenebrosus est. Principes sæculi hujus qui destruuntur, montes sunt tenebrosi. Dæmonium lunatici, mons erat et tenebrosus : mons erat de quo Salvator ait : *Si dixeris monti huic* (*Mat.* XVII, 19) : de lunatico quippe dæmonio sibi quæstio inciderat : et dicentibus discipulis : *Non potuimus ejicere illud*, respondit Salvator : *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis monti isti*, de quo quæsistis, de quo proposuistis : *dicetis monti huic : Transmigra hinc, et transmigrabit*, id est ab homine ad locum definitum sibi. Qui ergo offendunt, non offendunt super montes lucentes, sed super montes tenebrosos; si fuerint cum zabulo, et angelis ejus montibus tenebrosis. *Et sustinebitis in lumen.* Potest quidem aptari huic quod dicitur : *Date gloriam Domino Deo nostro* (*Jerem.* XIII, 16), hoc quod modo infert : *Et sustinebitis in lumen.* Si dederitis Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri super montes tenebrosos, haud dubium, quin etiamsi contenebrescat, et sustineatis lumen, vos suscipiat. Alius vero dicat, nescio utrum recte an perperam, quia et hi qui offendunt super montes tenebrosos, exspectant aliquando misericordiæ lumen. Hoc enim videtur ostendere : *Et sustinebitis in lumen.* Si autem quis venerit ad montes tenebrosos, vide quid ibi inveniat. Est illic umbra mortis, ibi tenebrosi montes, ibi umbra mortis ex ipsis montibus procreata. *Et ponentur in tenebras. Et nisi audieritis occulte, gloriabit anima vestra a facie contumeliæ* (*Jer.* XIII, 17). De his qui audiunt, quidam occulte audiunt : quidam vero cum audiunt, non occulte audiunt. Quid est itaque occulte audire? nempe illud : *Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio absconsam : quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram* (II *Cor.* II, 7). Et rursum alibi dicitur, quia *plura operum Dei sunt in absconsis* (*Eccl.* XVI, 22). Si audio legem, aut occulte audio, aut non occulte. Judæus quia Legem non audit occulte, in manifesto circumciditur, nesciens **834** eum qui in manifesto circumciditur, Judæum non esse, neque eam quæ in palam est in carne circumcisionem. Qui auditor est autem circumcisionis occultæ, et in occulto circumciditur. Qui audit Legem occulte de mysteriis Paschæ, ove vescitur Christo ; *Pascha* quippe *nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7) ; sciens carnem Verbi Dei vere cibum esse, vescitur ea. Occulte quippe de Pascha audivit. At vero miserabilis Judæus idcirco Dominum Jesum interfecit, et usque in præsentem diem reus est mortis ejus, quia non audivit occulte Legem et prophetas. Si quando leges de azymis potes audire occulte, potes audire manifeste. Quicumque de vobis (prope quippe est Pascha) azyma celebraverit, id est, azyma hæc [c] corporalia, non audivit mandatum dicens : *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra.* Et de sabbato quædam mulierculæ non audientes

[a] Præponendam *si* conjunctionem suspicatur Huetius, ut hæc subsequenti jungatur sententiæ, estque revera in Græco : εἰ δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, καὶ οὕτω δοξάζει τις τὸν Θεὸν, ἐὰν εἴπω τὰ ἐναντία, etc. Rabanus autem aliter dividit, legitque : *sic autem clarificandus est Deus. Si contraria intulero, nolo me arbitremini clarificare, sed blasphemare. Exhibebo quippe Scripturam*, etc.

[b] Expunximus hic vocem *qui*, sane contextui reliquo incommodam, totamque periodum ad Rabanicæ lectionis exegimus normam, atque ibi cumprimis, ubi legimus : *per prævaricationem legis Deum inhonorat*, cum antea esset, *prævaricatur et Deum inhonorat.* Præsto autem fuere post Rab. testimonium mss. quoque Regii, quos laudat Huetius, quique in eo tantum a Rabani lectione abludunt, quod vocem *legis* non agnoscunt. Sed præ cæteris Græcus concinit textus : τὸν γὰρ ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Ναβουχοδονόσορ καταστρέφει, καὶ φθείρει... καὶ διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζει ; λέξις ἐστὶ καὶ αὕτη ἀποστολική.

[c] Corrupte antea legebatur *corpora*. Græc. σωματικά.

prophetam, non audiunt occulte, sed palam die sabbato lavantes se, et iterum revertentes ad egena, et infirma elementa, quasi nondum descenderit Christus, et nos baptismo suo laverit a Legalibus initiis in Evangelicam perfectionem. Idcirco diligentius attendamus, si quando Legem legimus, et prophetas, ne incidamus in maledictionem, quæ nunc dicitur : *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie contumeliæ*. Quicumque jejunium Judæorum, quasi ignorantes redemptionis diem post adventum Jesu Christi observatis, non auditis redemptionem occulte, sed tantummodo palam. Absconsa quippe est propitiationis auditio, scire quomodo posuerit Jesum Deus propitiationem pro peccatis nostris, et quia *ipse est propitiatio pro peccatis, non solum nostris, verum etiam totius mundi* (II *Joan.* II, 2). Parabolæ quoque cum leguntur in Evangelio, et est auditor extraneus, non potest eas occulte audire. Si vero auditor fuerit Apostolus, et unus eorum qui ingrediuntur domum Jesu, accedit ad eum, interrogat de obscuritate parabolæ, et si interpretatus ei sit quæ audivit, intelligens Evangelium audit ea occulte, ut non ploret anima ejus. Eorum quippe, qui occulte non audiunt plorabit anima. [a] Quam admirande non ait : Plorabitis, nisi occulte audieritis, verum : *Plorabit anima vestra :* **835** est quippe solius animæ fletus, et forsitan iste sit, de quo Salvator ait, *Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matt.* VI, 25). Illa quoque comminatio, qua ridentibus luctum lacrymasque denuntiat, de hoc fletu est, quem commemorat propheta [b] nunc, dicens : *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie contumeliæ* (*Jer.* XIII, 17). Cum enim fueritis passi contumeliam, tunc plorabitis, et deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini. Si consideremus statum, [c] in quo modo sunt Judæi, et comparemus illum antiquæ felicitati, videbimus quo pacto contritus sit grex Domini. Fuit quippe aliquando hic grex Domini, et quia indignos se judicaverunt salute, conversus est sermo Domini ad Gentes. Si ergo grex ille contritus est, nos oleaster, qui contra naturam inserti **836** sumus in bonam olivam Patriarcharum ( *Rom.* XI, 24), nonne plus debemus vereri, ne et iste grex Domini conteratur ? Futurum quippe est ut aliquando et iste grex conteratur, juxta illud quod a Salvatore dictum est : *Cum multiplicatæ fuerint iniquitates, tunc refrigescet charitas multorum* (*Matt.* XXIV, 12) : de quibus enim hoc dicitur, *refrigescet charitas multorum* ? nonne de his qui nuncupantur Christiani ? de quibus hic sermo est : *Verumtamen veniens Filius hominis, putas inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 3) ? nonne de nobis ? Idcirco provideamus attentius, ut per singulos dies iste grex Domini melioretur, convalescat, integer perseveret, ut [*Al.* et] omni contritione ab animabus nostris [*Al.* vestris] recedente, [d] efficiamur perfecti in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA

*Quis parcet super te, Jerusalem ?* etc. ( Jerem. XV, 5 et seq.).

**835** Ea quæ ad Jerusalem cum ingenti commination dicuntur, volumus intelligere, ita se habentia. *Quis parcet super te, Jerusalem ? aut quis contristabitur super te ? Quis convertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi ? Aversata es a me, dicit Dominus. Retro ambulabis, et extendam manum meam super te, et disperdam te, et ultra non sinam te, et dispergam illos in dispersione. Dixi : Sine filiis effectus sum : egestas tenuit me.* Exemplum accipiam : Hostis quispiam [e] ac perduellis contra Imperatorem hujus terræ judicatus [*Al.* adjudicatus] est : ab hoc omnis misericordia aufertur ; scilicet ne dum damnato quis miseretur, incipiat offendere condemnantem. Sunt etiam [*Al.* autem] nonnulli qui adjiciunt ad severitatem, ut ne [*Al.* non] contristentur quidem super eo, id magnopere devitantes, ne per mœrorem [f] vultus monstrentur judicio regis offendi. Si intellexisti, [g] considera mihi propter peccata multa **836** a Deo condemnatum peccatorem, et vide quomodo innumerabilibus angelis humano generi præsidentibus, ne ab uno quidem misericordia dignus judicetur. Singuli [h] quippe angelorum perspicientes, quia Deus est qui condemnavit, quia Creator est qui aversatur, et tale esse peccatum, ut misericors et clemens [i] Deus quodammodo necessitatem passus sit super [*Al.* ut super] eum sententiam promere [*Al.* promeret], non parcunt, non contristantur, neque miserentur, non revertuntur, ut rogent pro eo pacem. Jerusalem igitur, quæ [*Al.* quia] ad priora scelera etiam hoc adjecit, ut crucifigeret Dominum meum Jesum, et in tantum surrexit scelus, ut de ea diceret Salvator : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos, quasi gallina congregans pullos suos sub alas, et noluisti ? Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta* (*Mat.* XXIII, 37; *Luc.* XIII, 34), *ideo dimissa est, et usque*

[a] Penes Raban. *Et notandum, quam admirando*, etc.

[b] Illud *nunc* quod et in Græco sonat, et apud Rabanum, in antea vulgatis libris deerat.

[c] Legebatur antea, *quomodo sit, Judæorum*. Nobis verior visa Rabani est lectio, quam reposuimus, et quæ propius accedit ad Græcum, ἐὰν ἴδῃ νῦν τις τὰ Ἰουδαϊκά, etc.

[d] Ita rescripsimus ex Rabano, *efficiamur perfecti*, cogente Græci archetypi verbo τελειωθῶμεν. Antea lectum vulgo est, *efficimur grex Domini*, quas duas voces *grex Domini* annotarat Huetius in Reg. mss. penitus non inveniri, legique continenter, *efficiamur in Christo*, etc.

[e] Intersecit Rabanus, *rebellis*.

[f] Apud Rabanum, *ne per errorem vultus putentur judicia regis offendi*. Unus ms. Reg. penes Huetium, *ne per mœrorem, Judicium regis offendant*.

[g] Idem addit, *exemplum* : tum legit, *considera tunc ob peccata*, etc.

[h] Editi, *singuli quidem angelorum prospicientes*. Paulo quoque post, *adversatur* pro *aversatur*.

[i] Vocem *Deus*, quæ decrat, Rabanus Græcusque textus restituunt.

**837** ad præsens tempus destituta. Angeli quippe qui semper auxiliabantur ei, per quos etiam lex Moysi tradita est, *disposita per Angelos in manu mediatoris* (*Galat.* III, 19), deseruerunt eam, et dixerunt: Multis facinoribus oppressa est, Jesum interfecit, et in Dominum nostrum misit manus. Quamdiu minora peccavit, potuimus rogare pro ea, potuimus obsecrare Dominum, potuimus parcere ei: [a] super isto vero quis parcat? Si peccans peccaverit vir in virum, exorabitur pro eo; si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo? *Grande piaculum commisit Jerusalem, grande perpetravit nefas, ideo in commotione facta est* (*Thr.* I, 8): Et dicitur ad eam: [b] *Quis parcet super te, Jerusalem, aut quis contristabitur super te?* Nos non contristamur [*Al.* contristabimur] super Jerusalem, et calamitatibus ejus, et omnis populi illius. Illorum quippe delicto salus nobis facta est ad æmulandum eos. Et quia sic peccaverit ut voce Domini diceretur: *Quis parcet super te, Jerusalem?* ego quoque dico ad interfectricem Domini mei: *Quis parcet super te, Jerusalem? et quis contristabitur super te?* Transcendam autem ad spiritalem intellectum ab humilitate litteræ, viam mihi pandente ratione, ut [*Al.* et] videam quomodo unaquæque anima, digna pace Dei Jerusalem nuncupetur. Post disciplinam quippe divinam [c] facta es, Jerusalem, quæ prius fueras Jebus. In historia refertur, quod nomen loci istius fuerit Jebus, et postea, commutato vocabulo, nuncupata sit Jerusalem. Jebus autem Hebræorum posteri tradunt interpretari, *Conculcatam*. Jebus ergo [*Al.* autem] conculcata a fortitudinibus contrariis anima nostra transmutata est, et facta Jerusalem, *Visio pacis*. Si itaque post demutationem [*Al.* diminutionem] a Jebus in Jerusalem peccaveris, et sanguinem testamenti, sicut quidam, et tu communem existimaveris, dicetur [*Al.* dicitur] et de te: *Quis parcet super te, Jerusalem, et quis contristabitur super te?* Quis enim contristabitur, si talis fueris ut tradas Jesum? Unusquisque nostrum, [d] quando peccat, **838** maxime quicumque peccat ingentia, in Jesum peccat. Si autem et recesserit a fide, hæc facit spiritaliter Christo, quæ corporaliter fecit Jerusalem. Quamobrem *quanto plus arbitramini deteriora mereri supplicia eum, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti* [Al. *novi Testamenti*] *pollutum duxerit in quo sanctificatur* [Al. *sanctificatus est*], *et spiritui gratiæ contumeliam fecerit* (*Hebr.* X, 29)? Si conculcasti Jesum Filium Dei, [e] fecisti convicium spiritui gratiæ, quis parcet super te? quis contristabitur super te? quis revertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi? Ipsum Jesum qui rogabat pariter, et præstabat ea quæ erant in pacem, prodidit [f] anima peccatrix, quis potest ultra rogare, conversus ad ea quæ sunt in pacem tibi? Scientes ergo quia *impossibile est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, iterum crucifigentes in semetipsis* [Al. *sibimetipsis*] *Filium Dei, et habentes ostentui* (*Hebr.* VI, 4), omni labore nitamur, ne et de nobis dicatur: *Quis parcet super te, Jerusalem? aut quis contristabitur super te? aut quis revertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi?* Ad reliquam autem interpretationem, quod sequitur convenit: *Tu aversata es me, dicit Dominus, retro ambulabis* (*Jerem.* XV, 6). Quia aversata es Filium Dei, et per hoc etiam a Deo Patre recessisti, retro ambulabis. Quid autem necesse est manifesta replicare? Jerusalem quæ quondam in Judæa erat, a qua figuraliter universi Judæi intelliguntur, quia aversata est Christum, ideo retro ambulat. Fuit quippe tempus quando non ambulaverunt retro: nunc vero ambulant, et conversi sunt corde in Ægyptum, ut retro ambulent [*Al.* ambulant]. Quid autem sit, retro ambulare, sive extendi in priora, considera. Justus eorum quæ retro sunt obliviscens, in priora extenditur (*Philip.* III, 13). Peccator posteriorum meminit, priora non appetens. Qui autem **839** posteriorum meminit, prævaricatur in legem Jesu dicentis: *Ne convertatur retrorsum tollere vestimentum suum* (*Mar.* XIII, 26): Inobediens est dicto ejus: *Mementote uxoris Loth* (*Luc.* XVII, 32), [g] contemnit imperium Salvatoris dicentis: *Nemo mittens manum super aratrum, et respiciens retrorsum aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). In Lege quoque scriptum esse reperimus, angelos ad Loth egredientem de Sodomis dixisse: *Ne respexeris retro, et ne steteris in tota regione: in monte salvum te fac, ne forte comprehendaris* (*Gen.* XVI, 17). Habes et hunc intellectum dignum spiritu Dei: *Ne*, inquit, *respexeris retro*, id est in priora, extende. Dimisisti Sodomam, ne revertaris in Sodomam. Dimisisti vitia atque peccata, ne regrediaris ad ea. Ne steteris in tota regione. Etiamsi præcedens imperium custodieris, de quo **840** dicitur: *Ne respexeris retro*, non tibi sufficit ad salutem, nisi et consequens observaveris: *Ne steteris*

[a] Minus recte vulgati antea, *super ista quis*, etc. Rabanus emendat, et Græcus ἐπὶ τούτῳ. Mox quoque vocem *peccans*, quæ deerat ex iisdem suffecimus.

[b] Desiderabatur in antea vulgatis versiculus iste, *Quis parcet super te, Jerusalem, aut quis contristabitur super te?* quem ex Rabano, Græcoque Origenis suffecimus, utpote contextui cum primis necessarium.

[c] Apud Rabanum, *factus est Jerusalem, qui prius fuerat Jebus. Historia refert quia nomen*, etc.

[d] Nullo fere sensu, aut certe nimium impedito, legerant vulgati hactenus libri, *unusquisque nostrum quandoque peccat, maxime quæ cum peccat ingentia, in Jesum peccat*. Veram lectionem quam sponte probabis, Rabanus restituit, Græcusque Adamantii textus, ἕκαστος ἡμῶν ἁμαρτάνων, καὶ μάλιστα εἰ μείζονα, εἰς Ἰησοῦν ἁμαρτάνει.

[e] Præponit Rabanus, *si*, conjunctionem. Græcus habet καί, etc.

[f] Male antea erat, *perdidit*, castigat Rabanus, *prodidit*, prout et Græcus habet, προέδωκεν, atque ipse demum Huetius rescribendum conjecerat. Mox quoque rectius legit Rabanus, *rogare conversus ea quæ*, etc.

[g] Delevimus hic superfluam conjunctionem, *cum* ad Rabani et Græci textus fidem. Pleraque autem alia levioris momenti supra atque infra emendamus.

*in tota regione ;* non enim expedit incipienti proficere, ut stet in regionibus Sodomorum. Et si Sodomam transcendisti, et a Satanæ regione discedens, incipis liber esse suppliciis, expedit ut salveris in monte. *Ne respexeris retro, nec steteris in tota regione: in monte salvum te fac, ne forte comprehendaris.* Si vis a Sodomorum ruina non comprehendi, ne convertaris retro, ne steteris in regione eorum, ne ad alia pergas loca, sed cum inde discesseris, ascende in montem, in quo solo salus est, nomen Jesu Christi, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA UNDECIMA

Ab eo loco in quo scriptum est : *Heu mihi ego mater* (Jerem. xv, 10), usque ad locum in quo ait: *Si conversus fueris, restituam te* (Jerem. xv, 19).

**839** Medici corporum, ægrotantibus assistentes et juxta disciplinam artis suæ volentes curare eos qui in infirmitatibus constituti sunt, [a] vident tristia, injucunda pertractant, et in alienis calamitatibus mœrore proprio conficiuntur : semper enim conversatio eorum in gemitu, semper in curis est, numquam cum lætis consortium habent : cum vulneratis, cum his quorum carnes incommodis variis debilitantur, qui febribus æstuant, qui dolore torquentur, jugi servitio perseverant. Et si quis eorum vult implere medicinam, non indignatur, non obliviscitur propositi artis suæ, postquam cum his fuerit quos sermo præfatus est. Hæc idcirco in proœmio diximus, quia et prophetæ medici quodammodo sunt animarum, et illuc semper ire jubentur, ubi languentes sint : *Non enim necesse habent sani medicum, sed ii qui se male habent* (*Luc.* ix, 31). Quod autem a deliciosis ægrotantibus medici patiuntur, hoc sustinent prophetæ ac magistri ab his **840** qui curari nolunt. Odio quippe habentur quasi præcipientes adversum desideria languentium, quia prohibent deliciis et cibis variis uti eos, qui cum sint infirmi, nolunt escis infirmorum vesci. Fugiunt ergo inobedientes atque languentes medicos, et maledictis atque injuriis repellunt, eaque prorsus iis faciunt, quæ faciat quis inimicis et hostibus suis. Abominantur enim eos quasi inimicos venire, quasi id tantummodo desiderantes, quomodo dolores et victus parcimonia, ex eorum dispositione nascantur : quomodo acutissimo ferro corpora secent ; et exsecrantur eos quasi auctores tantorum cruciatuum, et non sanitatis quæ ex doloribus redditur. Populus igitur ægrotabat variis languoribus, et misit illis medicos prophetas Deus. Unus ex medicis et Jeremias fuit, corripiens peccatores, et convertere [b] volens a vitiis ad virtutes. Illi vero cum deberent ea quæ dicebantur audire, econtrario accusabant prophetam apud judices **841** similes sui. Ex quo factum est ut semper in calumniis et in tristitiis fuerit Jeremias, [c] eorum perversitatis, quantum in se fuit, curam gerens. Juxta propriam autem incredulitatem adhuc ægrotantibus istiusmodi aliquando loquitur : *Et dixi : Non loquor, neque nominabo nomen Domini. Et factum est ut ignis ardens in ossibus meis, et dissolutus sum undique, et ferre non possum.* Aliquando autem videns se maledictis semper clamoribus et injuriis insectari : *Heu mihi*, inquit, *mea mater, ut quid me genuisti virum, qui judicer et discernar omni terræ?* Et quia ægrotantes bene consulentem, et juxta medicinæ disciplinam audire contempserunt : *Non profui*, inquit. Rursusque quia illo spiritales pecunias commodante, auditores accipere noluerunt, ut utilitatem consequerentur, et fructum ex his quæ acceperant, redderent, ait : *Neque profuit mihi quisquam.* Verum hæc anticipans locutus sum, priusquam exponerem : *Non profui, neque profuit mihi quisquam* (*Jer.* XX, 9). Duplex quippe scriptura est : nam in multis exemplaribus continetur : *Non profuit, neque profuit mihi quisquam.* In his vero quæ exemplaria veriora sunt, et cum Hebræis consonant, habetur : *Non debui, neque debuit mihi quisquam.* Oportet igitur et id quod in usu est, atque in Ecclesiis legitur, exponere ; et hoc quod in Hebræis codicibus invenitur, intactum non præterire. Prædicavit Jeremias mandata divina ; nemo his quæ prædicabantur attendit. Quamobrem quasi medicus libens ac promptus medicamina languentibus tribuit, et illis non secundum artificium curantis, sed juxta voluntatem suam agentibus dicit : *Non profui, neque profuit mihi quisquam.* Quodammodo enim beneficium consequitur ipse qui curat, si fructum sui laboris in ægrotante conspiciat, et per lætitiam mentis etiam ipse consequitur utilitatem, secundum illud, quod alibi dicitur : *Beatus qui loquitur in aures audientium.* Hanc igitur utilitatem [d] quam consequitur magister ab auditoribus suis si proficiant audiendo, dum fructus ex salute eorum consequitur, quodammodo **842** Jeremias videns de Judæis non habere se, dicit : *Non profuit mihi quisquam.* Si enim debet auditoribus prodesse, quod loquor : auditores vero quæ dicuntur, abjiciunt : et ego dico : *Non profui, neque profuit mihi quisquam ;* quia hanc utilitatem non sum consecutus, quam consequitur is qui beatus efficitur, dum in aures loquitur audientium. Potest autem

[a] Unus ms. Reg. apud Huetium, *videntes eos vexari, tristantur; injocunda*, etc.

[b] Ex Græco textu βουλόμενος, rescribere in Latino non dubitavimus, *volens*, pro quo antea satis incongrue erat, *videns*. Auctor porro sum, ut hujusce homiliæ proœmium cum illo conferas, quod præponitur Abbreviationi illi suppositiliæ, quam excudimus in Appendice quarti tomi ex Veronensi ms.

[c] Unus apud Huetium Reg. ms., *eorum perversitate, qui quantum in se fuit, curati erant; juxta propriam autem incredulitatem adhuc ægrotabant*. Alter, *ob eorum perversitatem, qui tantum in se fuit, curam gerebat eorum, juxta propriam autem incredulitatem, adhuc illis ægrotantibus istiusmodi*, etc.

[d] Apud Rabanum, *ovans consequitur magister ab auditoribus suis, si proficiant audiendo, dum fructus ex salute eorum quodammodo metit. Jeremias in Judæis non habere se locum dicit. Ideo inquit, non profuit*, etc.

et aliter intelligi. Quicumque discipulis præcipit, iste, si ingeniosos, et audientis naturæ habeat auditores, quanto plus præcipit, tanto plus proficit, illis interrogantibus, et de eo quod dicit sæpe quærentibus, qui sit sensus in dicto, qui ordo, quæ scripti voluntas. Unde econtrario ait : *Non profui, neque profuit mihi quisquam.* Quia autem et alia nobis expositio residua est, propter exemplaria certiora, in quibus continetur : *Non debui, neque debuit mihi quisquam,* et hunc locum consideremus. *Qui omnibus omnia restituit, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui tributum tributum, cui honorem honorem* (*Rom.* XIII, 7), et universis omnia repræsentat, nulli debens aliquod officium, verbi gratia, honorans parentes, fratres ut fratres, filios ut filios, episcopos ut episcopos, presbyteros ut presbyteros, diaconos ut diaconos, fideles ut fideles, catechumenos, ut catechumenos; si omnia omnibus reddat, nulli debet officium. Si vero reddere debet, et non reddit, non potest dicere : *Non debui;* cum enim debuerit, non exsolvit. Quod autem sequitur : *Non debuit mihi quisquam,* sic intelligendum est : Ego quidem fenerari volui : et spiritales pecunias commodare, sed illi averterunt aures suas ab iis quæ dicebantur, neque voluerunt præbere se dociles, ut mihi deberent quæ audiebant. Idcirco non debuit mihi quisquam. Si quis enim voluerit sermones qui dicuntur audire, debitor fit eorum, et quasi debitor etiam usuras reddere exigitur. Ex quo magis expedit auditoribus accipere disciplinæ verba cum fenore, et fieri debitores, quam non accipere, nec debere. Accusantur quippe tales, dicente propheta : *Non debuit mihi quisquam.* Quod ait : *Heu mihi, mea mater, quare* **843** *me genuisti virum, qui judicer et discernar omni terræ* (*Jerem.* XV, 10)? non sic existimo convenire aliis prophetis ut Jeremiæ; multi siquidem prophetarum post aliquod spatium, primo mali, et jam post peccata conversi, prophetare cœperunt : Jeremias vero a puero sumpsit vaticinationis exordium. Et hujus rei possumus de Scripturis accipere testimonium. Isaias non audivit : *Antequam te plasmarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te :* neque ait : *Nescio loqui, quia juvenis ego sum:* sed, visione sibi revelata, ait: *Væ mihi misero, quoniam compunctus sum, quia immunda labia habens in medio populi immunda labia habentis ego habito, et regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis, et missum est ad me unum de Seraphim, et tetigit labia mea, et dixit: Ecce abstuli iniquitates tuas, et peccata tua purgavi* (*Isai.* V, 5). [a] Pristina igitur peccata purgata sunt, et dignus effectus Spiritu sancto Isaias prophetavit. De aliis quoque similia si quæras, reperies. At non talis Jeremias; ab ipsis enim cunabulis Spiritu sancto plenus prophetare orsus est : propter quod ait (secundum communem quippe sensum primum debemus exponere): *Heu mihi, mater, quare me genuisti virum, qui judicer et discernar ab omni terra?* Quidam autem hunc locum interpretans, ait prophetam non ad matrem corporalem hæc locutum fuisse, sed ad eam quæ generet [b] prophetas : nec aliam esse matrem prophetarum, nisi sapientiam Dei, ad quam ait: *Heu mihi, mater mea :* quasi dicat : Cur me genuisti, o Sapientia? Filios vero Sapientiæ et alibi legimus, Scriptura dicente : *Amittit Sapientia filios suos.* Heu mihi, inquit, mater mea, Sapientia, quasi dicat: Cur me genuisti virum qui judicer? Quis ego sum qui in hoc natus sum, ut judicer atque discernar propter increpationes, propter correptionem, propter magisterium, dum corrigere nitor habitantes super terram? Si Jeremias dicit : Cur me genuisti virum qui judicer; et discernar terræ? non possumus exponere quid sit, *omni terræ;* neque enim ab omni terra dijudicatur Jeremias, nisi forte violenter Scriptura trahentes, dicamus positum esse, *omni terræ,* **844** pro omni Judæa. Necdum quippe prophetia ejus illo tempore in universam terram pervenerat : nisi forte sicuti et in aliis multis locis ostendimus Jeremiam pro Domino nostro Jesu Christo positum, sic et in præsenti loco interpretemur. Annotavimus in principio hujus libri dictum : *Prophetam in gentibus posui te, regna eradicare, et subvertere, et disperdere, et ædificare, et plantare.* Porro Jeremias ista non fecit, sed Dominus meus Jesus qui eradicavit regna peccati, et ædificatione nequitiæ subversa, fecit in animabus nostris justitiam, veritatemque regnare. Quomodo igitur magis illa conveniunt Christo quam Jeremiæ, sic, arbitror, et alia plura, et hæc quæ nunc dicuntur ad Dominum sunt referenda. Et primo quidem videndum est an possit id quod incongruum, et blasphemum videtur esse si referatur ad Dominum, id est: *Heu mihi, mater,* Salvator noster dicere miserans alios. Ad quod probandum exhibenda sunt testimonia, quæ manifeste nulli alii apta sint nisi Salvatori : quomodo videns Jerusalem fleverit super eam, quia dixerit: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos* (*Matth.* XXIII, 37), et reliqua. Nec non et illa quæ manifeste a Salvatore dicuntur : *Heu mihi, quoniam factus sum sicut qui collegit stipulam in messe, et sicut racemos in vindemia, cum non supersit botrus ad manducandum uvæ primitiva. Heu mihi, anima, quia periit reverens a terra, et qui corrigat inter homines non est. Omnes in sanguine judicantur* (*Mich.* VII, 1). Venit enim ut meteret fructus, et quasi stipula in segete reperta propter plurimos peccatores, ait : *Heu mihi, quoniam factus sum sicut qui colligit stipulam in messe.* Venit vindemiare botros uvæ in hominibus, et in messe sceleribus inventis, dicit : *Et sicut racemos in vindemia, cum non supersit botrus uvæ ad manducandum primitiva.* In alio quoque loco similia his

[a] Mss. Reg. quos laudat Huetius, *post pristina igitur peccata dignus est effectus Sancto Spiritu.*

[b] Unus apud eumdem Huetium Reg. ms. *Prophetas, Dei sapientiam, nec alia,* etc.

ad Patrem loquitur dicens : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid tantopere nominibus profui, qui nec in sanguine meo, quem fudi pro eorum salute, profecerunt? quæ utilitas **845** in sanguine meo, dum descendo de cœlis, dum venio in terram, dum contumeliis affector [*Forte* afficior], dum porto corpus humanum? quid his omnibus dignum inter homines perpetratum est? *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Tale ergo est quod in Jeremia dicitur : *Heu mihi, mater mea, quare me genuisti virum?* Non juxta quod Deus Salvator est, dicit : *Heu mihi, mater*, sed juxta id quod homo est, sicut in alio propheta : *Heu mihi*, inquit, *anima mea, quia reverens periit a terra.* Anima autem hominis est quæ conturbatur, et tristis est usque ad mortem, non Verbum quod erat a principio apud Deum, quod numquam mœret, numquam turbatum est, numquam dixit : *Heu mihi :* neque enim Verbum [*Al.* Sermo] sustinet mortem, sed homo qui istos patitur affectus, ut sæpe exposuimus : *Quare me genuisti virum, qui judicer, et discernar omni terræ?* (*Mich.* VII, 2.) Si consideres [a] ubique martyres condemnatos, et de singulis Ecclesiis exhibitos ad tribunal, videbis quomodo per singulos martyres Jesus Christus condemnetur. Ipse enim est qui in perhibentibus [b] veritati testimonium judicatur : et hoc fideliter suscipies, [*Al.* suspiciens], quia non te dixerit esse in carcere, cum fueris in carcere : non te esurire, cum esurieris : [c] cum sitieris, non te sitire, sed semetipsum. *In carcere*, inquit, *fui et venistis ad me : esurivi et dedistis mihi manducare : sitivi et potastis me* (*Matth.* XXV, 36). Itaque si condemnatur etiam Christianus, non pro alia tamen re, neque pro sceleribus suis, sed pro hoc tantum quod Christianus est, Christus est qui condemnatur, ex quo efficitur, ut in omni terra condemnetur Jesus, quotiescumque is addicitur, qui pro eo condemnatur. Non solum autem apud judices sæculi et tribunalium potestates Christus addicitur, sed etiam si calumniam Christianus ab aliquo patiatur [*Al.* patitur *et* provocatur], et provocetur ad litem, tunc quoque [d] Christus dijudicatur injuste : *Quasi quem me genuisti* **846** *virum, qui judicer et discernar omni terræ.* Possumus et aliter intelligere quomodo Jesus condemnetur, et dijudicetur in omni terra. Quis improborum non condemnat Christianam religionem? quis Gentilium saltem transitorie non excutit eam? quis Judæorum non de Christianis loquitur? quis de philosophis? quis de imperitis? [e] Ubique Christus condemnatur atque discernitur : et ab aliis quidem condemnatur, ab aliis non condemnatur. Si autem non condemnatur, excipitur [*Al.* excipietur], aperis [*Al.* aperies] ei ostium et ingreditur [*Al.* ingredietur] ad te; credis in eum, vescitur tecum. Si vero de religione audiens Christiana non susceperis [*Al.* cœperis] eam, nihil aliud facis [*Al.* facies] quam condemnas [*Al.* condemnabis] Jesum, ut mendacem, ut seductorem [f] hominum, ut in errorem mundum detrahentem. *Quasi quem me genuisti virum, qui judicer et discernar omni terræ.* Quicumque penitus ei non credunt, condemnant illum. Qui autem credunt, et adhuc ambigunt, dijudicant illum. Duo igitur apud homines Christus perpetitur : ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus discernitur. Si portas imaginem cœlestis, deposita imagine terreni non es terra condemnans eum, neque [g] terra in qua judicatur atque discernitur (I *Cor.* XV, 49) : *Virtus mea defecit in his, qui maledicunt mihi* (*Jer.* XV, 10). Apostolus loquitur de Salvatore nostro, quia crucifixus ex infirmitate sit. Cui prophetes similia testatur dicens : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium tuum, cui revelatum est? Annuntiabitur coram eo sicut infans, sicut radix in terra sitienti. Non est species ei neque gloria; vidimus eum et non habebat speciem neque formam, sed species ejus inhonorata et deficiens circa filios hominum. Homo in plaga et dolore, sciens ferre infirmitatem, quia aversa est facies ejus, depretiatus est nec computatus. Hic peccata nostra fert, et pro nobis dolet; et nos existimavimus in doloribus eum esse, et in plaga et in vexatione. Ipse autem vulneratus et infirmatus est propter iniquitates nostras. Doctrina pacis nostræ super eum : livore ejus sanati sumus* (*Isai.* LIII, 1 *seqq.*). Igitur **847** suscepit infirmitates peccatorum nostrorum, et portavit [h] nos, et venit ad eos qui maledicebant sibi, et virtus ejus defecit ab eis qui maledicebant e cœlestibus descendentem. Simul enim et assumpsit servi formam; Verbum caro factum exinanivit se, et juxta Apostolum dicentem : *Exinanivit seipsum formam servi accipiens* (*Philip.* II, 7), nunc quoque loquitur : *Virtus mea defecit in iis qui maledicunt mihi.* Videamus autem [i] ipso nobis tribuente sensu, et sermone, si possumus et aliud quid manifestius

[a] Vitiose legebatur antea, *utique*, quod Rabanus castigat, *ubique*, concinente Græco textu πανταχοῦ. Max quoque deerat nomen *Christus*.

[b] Hic quoque ex Rabano restituimus, *veritati*, cogente Græco ipso archetypo, τῇ ἀληθείᾳ. pro quo antea legerant vulgati libri *divinitati*.

[c] Verba, *cum sitieris*, quæ deerant suffecimus ex Rabano, probante Origene in Græco, ὅταν σὺ πεινᾷς.

[d] Pro *Christus*, male præferebant vulgati, ut antithesim captarent, *justus* : est vero in Græco Χριστὸς, et penes Rabanum, ut reposuimus; seriesque orationis postulat, *Christus*.

[e] Iterum, *ubique* ex Rabani lectione, et Græco, πανταχοῦ, rescripsimus pro *utique*. Liquet enimvero hanc esse Scriptoris mentem, ut *ubique*, sive in omni terra ex proposito Jeremiæ textu Christum adjudicari et damnari probet.

[f] Vocem *hominum* suffecimus ex Rabano ipsoque Origine, ὡς πλανήσαντα τοὺς ἀνθρώπους. Alterum quoque *ut* ex iisdem supplemus.

[g] Falso erat in antea vulgatis, *neque in terra tua judicatur*, pro, *neque terra in qua judicatur*; quemadmodum restituit Rabanus, scripsitque olim Origenes, οὐδὲ εἴ γῆ ἐν ᾗ καταδικάζεται.

[h] Rescripsimus, *nos* ex Græco ἡμᾶς, et Regiis mss. apud Huetium, antea erat, *eas*.

[i] Totidem in Græco est verbis : ἴδωμεν εἰ αὐτοῦ διδόντος τοῦ λόγου δυνάμεθα καὶ ἄλλο σαφέστερόν τι, etc.

ab eis quæ dicta sunt dicere. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Lux vera Filius est Dei, quæ illuminat [*Al.* illuminavit] omnem hominem venientem in hunc mundum. Quicumque rationalis est, particeps veræ lucis efficitur. Rationalis [*Al.* Rationabilis] autem est omnis homo. Cum igitur omnes homines rationales sint, in quibusdam virtus rationalis augetur, in quibusdam minuitur. Si videris animam vitiis [a] plenam, et perturbationibus servientem, videbis quomodo virtus Verbi deficiat in ea : si videris sanctam et justam, videbis quod [*Al.* ut] per singulos dies virtus Dei proficiat et crescat in ea : et hoc quod scribitur de Jesu, aptabis ei. Neque enim tantummodo [b] in se Jesus *proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 52); verum et in singulis profectum sapientiæ, et ætatis, et gratiæ recipientibus, proficit Jesus sapientia, ætate, et gratia apud Deum et homines. Sermo ergo Filius Dei qui erat Deus Verbum, qui habitat in dicente : *Heu mihi, mater mea*, et reliqua, juxta naturam majestatis suæ loquitur : *Virtus mea defecit in maledicentibus mihi.* Si quis maledixerit Verbo, statim recipit vicem, et tormenta perpetitur. Virtus quippe Jesu defecit in eo, cum ratio minuitur. Si quis econtrario benedixerit et receperit Jesum, virtus ejus diversa, quam est in maledicentibus ei, passa, perpetitur, ut enim in maledicentibus defecerat; sic in benedicentibus **848** crescit : *Fiat, Domine, dirigentibus eis, si non astiti tibi in tempore malorum eorum* (*Jer.* XV, 11). Quid est hoc quod dicitur : *Fiat, Domine*, qui potest ex ipso sermone consideret. His ipsis, Domine, dirigentibus, qui maledicebant mihi, virtus quæ deficiebat in eis, fiat in eis, cum ad pœnitentiam conversi post maledicta quibus me persequebantur, ambulare cœperint rectam viam. *Fiat, Domine, dirigentibus eis, si non astiti tibi.* Reddit rationem quare, iis qui maledicebant sibi, postulat directionem atque virtutem dicens : *Si non astiti tibi in tempore malorum eorum.* Astitit Patri propitiatio pro peccatis nostris, et deprecatus est eum in tempore malorum nostrorum : neque enim astitit post tempus afflictionis nostræ, sed cum adhuc peccatores essemus, Jesus Christus pro nobis mortuus est. *Si non astiti tibi in tempore malorum eorum, et in tempore tribulationis eorum, exsurgat inimicus : ego astiti tibi pro eis* (I *Joan.* II, 2). Quis autem est inimicus noster, nisi zabulus, qui tribulabat nos, et jugo servitutis premebat; adversum quem astitit Patri Salvator, et de captivitate nos liberans, reddidit libertati. Hæc prophetice Dominus dixerit. Potest autem de [*Forte* et] propheta eadem dixisse pro populo, et in tempore malorum eorum. Super quem respondit Deus, et loquitur ad populum, qui a Salvatore sive propheta fuerat accusatus, dicens : *Ferrum et opertorium æreum virtus tua dura, indomabilis, quæ molliri non quærit, quæ vix producatur* (*Jer.* XV, 12). Ferrum et opertorium æreum virtus tua, id est secans et dividens, et bene composita disturbans, maledicta virtus. *Divitias tuas et thesauros tuos in deprædationem dabo gratis* (*Jer.* XV, 13). [c] Concedit Deus, et dat eos commutationem propter omnia peccata eorum. Utrumne hos quos sibi in terra thesaurizaverint? unusquisque enim hominum thesaurizat sibi; si est peccator, in terra; si justus, in cœlo, ut nos docuit [*Al.* docet] Evangelium. Aut [*Al.* an] quod dicit, **849** istiusmodi est : Ecce unus thesaurus Jeremias, alius thesaurus est Isaias; thesaurus erat et Moyses, et reliqui. Hos thesauros abstulit Deus a populo, et per Christum qui dixit : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*, largitus est nobis. Dabo ergo propter peccata tua thesauros tuos in deprædationem. Dedit nobis thesauros illius populi Dominus, quia primum illis credita sunt eloquia Dei, et nobis deinceps attributa. Idque quod scriptum est : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 42), asseruimus [*Al.* asseximus] jam esse completum. Non quod Scriptura ab eis ablata sit : habent quippe Legem et Prophetas, habent volumina divinarum litterarum : [d] sed quod non intelligant ea. Atque ita regnum Dei ablatum est ab eis, dum Scripturæ sensus aufertur. Cessavit apud eos Legis et Prophetarum interpretatio : legunt omnia, et non intelligunt. Expleta [*Al.* jam] est illa post adventum Domini prophetia : *Dic populo huic : Auditione audietis, et non intelligetis, et cernentes videbitis, et non scietis, incrassatum est enim cor populi hujus* (*Matth.* XIII, 14). Necnon et illud quod ab Isaia dicitur : *Auferet Dominus a Judæa, et ab Jerusalem validum et validam, gigantem et hominem bellatorem*, Totidem et Rabanus Latine legit, satis commoda sententia, atque expedita. Sensum, sive sermonem hic accipe ipsum, ad quem continuo interpretationem suam refert, λόγον, sive Verbum. Erat vero in antea vulgatis libris, *Videamus autem, ipso nobis sensum tribuente, si ex hoc sermone possimus et aliud*, etc. Nec minus male in uno Reg. ms. penes Huetium, *ipso nobis sensum tribuente sermonem, si possumus et aliud quid manifestius*, etc.

[a] Istud, *plenam*, neque Rabanus novit, neque ipse Origenes.

[b] Supplemus ex Rabani lectione voces, *in se*, quæ et contextui necessariæ, et ab ipso Origene profectæ sunt, οὐ γὰρ καθ' ἑαυτὸν μόνον ὁ Ἰησοῦς, etc.

[c] Duo inter hæc verba *gratis* et *concedit* videri possunt ex Hieronymianis codicibus excidisse hæc aut his similia in commutationem propter omnia peccata tua. *Quos thesauros peccantium in deprædationem* concedit Deus, etc., quæ sub interrogandi nota legenda sunt. Absque his certe præmissis minus cohæret inferior contextus : sunt vero illa et in Græco archetypo, ἀντάλλαγμα διὰ πάσας τὰς ἁμαρτίας σου. Τίνας θησαυροὺς τῶν ἁμαρτανόντων δίδωσιν εἰς προνομὴν ὁ Θεὸς, καὶ δίδωσιν αὐτοὺς ἀντάλλαγμα διά κ. τ. λ. Verum ex hoc ipso Græci textus conspectu pronuntiarim, ob earumdem vocum ἀντάλλαγμα διὰ πάσας, etc., quibus ea concluduntur, recursum, in eo ipso, quo Hieronymus utebatur, Græco exemplari fuisse solemni scribarum lapsu prætermissa, neque enim in Latino tanta potuit verborum similitudo fraudi fuisse amanuensibus.

[d] Apud Rabanum, *sed absque intelligentia, atque ita*, etc.

*et judicem, et prophetam, et arbitrum,* [a] *et prudentem architectum, et sapientem auditorem* (*Isai.* III, 1). Hæc omnia abstulit ab illis Deus, et nobis qui ex gentibus sumus, si tamen accipere voluerimus, tradidit. *Et thesauros tuos in deprædationem dabo, commutationem propter omnia peccata tua in omnibus finibus tuis.* Quod dicit tale est : Ista omnia [b] propter peccata tua, quæ in universos fines tuos provenerunt, tibi reddita sunt. Nullus quippe finis illius est populi, qui non peccatis ejus repletus sit : **850** nec poterat non omnis peccatis eorum finis repleri qui, quantum in se fuit, interfecere [*Al.* eo interfecit] justitiam, si est Christus justitia, interfecere sapientiam, si est Christus sapientia; interfecere veritatem, si est Christus veritas. Unde propter crudeles contra Filium Dei acclamationes hæc omnia perdiderunt. Et resurgens Dominus meus Jesus Christus non apparuit ultra interfectoribus suis, sed tantum credentibus sibi ex mortuis victor ostensus est. *Et dabo te in servitutem inimicis tuis, in terram quam nesciebas* (*Jer.* XV, 14). Servivit populus Judæorum inimicis suis, et dispersus est in terram quam ignorabat. *Quoniam ignis accensus est in ira mea, super vos ardebit.* Post ista quæ exposuimus, et comminationis verba ad populum, ille qui superius oraverat, complet orationem, et prioribus quæ sequuntur, adjungit: *Tu cognovisti, Domine, memor esto mei, et visita me : innocentem me fac a persequentibus me non in patientia* (*Ibid.*, 15). Et Prophetes potest hoc dicere, persecutionem passus ab his quos increpabat, qui veritatem audire nolebant, inimicus quippe eis factus est vera dicens. Potest autem et Salvator hæc dicere, usque ad crucem persecutionem passus a populo, *Non in patientia.* Quid est hoc quod ait : *Non in patientia* [c]*?* Longanimis fuisti semper huic populo delinquenti; sed super hoc [d] quod etiam adversum me erexit temeritatem suam, noli esse longanimis. Et revera non fuit patiens Deus; si enim consideres [*Al.* consideras] tempora passionis Dominicæ, et ruinæ Jerusalem, quando subversa est, videbis quomodo non in patientia abusus sit eis Deus. A quinto decimo quippe anno Tiberii Cæsaris usque ad subversionem Templi [e] numerantur anni quadraginta duo; quia oportuerat modicum aliquid interesse temporis **851** [f] in pœnitentiam derelinqui, propter eos qui per signa atque portenta apostolorum crediturierant. *Scito quomodo accepi propter te opprobrium a contemnentibus sermones tuos.* Potest fieri ut prophetes hoc dicat contemptus a populo peccatore super [g] his quæ prædicabat : ait quippe et alibi : *Complevi dies meos in irrisione* (*Jer.* XX, 7). Opprobrium ergo patitur ab his qui sermones Dei audire contemnunt, et deprecatur ut Dei habeat auxilium dicens : *Scito quomodo acceperim propter te opprobrium a contemnentibus sermones tuos. Consumma* [Al. *Consummavi*] *eos* (*Jerem.* XV, 16). Prophetes potest hoc dicere, sed magis convenit Salvatori, cujus post passionem venit consumptio Jerusalem et interfectio populi Judæorum. Post hæc quia multa passi sunt prophetæ propter [h] legationem verbi et increpationes Dei, quas ad populum proferebant, oportet auditores paucis commoneri de vita eorum, atque promissis, et nostra voluntate, ut juxta possibilitatem virium, si volumus requiem consequi cum prophetis, etiam opera eorum facere nitamur. Quod autem loquor istiusmodi est : frequenter in oratione dicam : Deus omnipotens, da nobis partem cum prophetis, da cum apostolis Christi tui, tribue ut inveniamur ad vestigia Unigeniti tui. Hæc loquentes non sentimus quæ petimus : re enim hoc dicimus : Fac nos sic odio haberi, ut odio habiti sunt prophetæ, et da nobis verba talia super quæ persecutionem patiamur : da in istas incidere calamitates quas apostoli sustinuerunt. Dicere quippe, da mihi partem cum prophetis, no-

[a] Exciderat vox, *prudentem* quam Rabanus atque ipse Origenes supplent : καὶ σόφον ἀρχιτέκτονα.

[b] Sic et Rabanus, *propter peccata*, et Origenes διὰ τὰς ἁμαρτίας præferunt, sicque rectus postulat sensus. Erat tamen in hactenus vulgatis libris satis mendose, *ista omnia peccata*, etc. Subsequentem quoque contextum non uno in loco leviter hiantem sarcimus.

[c] Glossema, *hoc est, in patientia*, perperam in vulgatis antea libris intrusum hinc amovimus : quod neque in Græco esset archetypo, nec in Latina interpretatione Rabano cognitum, nec denique orationis contextui sit nisi incommodum.

[d] Imperfecto obscuroque sensu lectum hactenus, *sed per hoc etiam*, etc. Pristinam integritatem Rabani vetus lectio, *sed super hoc quod etiam*, etc., restituit : comprobat et Græcus Adamantii textus, ἐπὶ δὲ τοῖς κατ' ἐμοῦ τετολμημένοις, etc.

[e] Penitus deerant verba isthæc, quæ præcipua contextus sunt, *numerantur anni quadraginta duo*, quare et subsequens sensus laborabat. Ad Rabani lectionem, Græcique archetypi fidem τεσσαράκοντα καὶ δύο πεπλήρωται ἔτη, pristinæ integritati locum reddidimus. Addit Huetius locum Origenis lib. IV contra Celsum, τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο οἶμαι, ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν. In eoque, ait, præceptorem suum Clementem Alexandrinum secutus est, qui Stromat. lib. I. sic habet : Ἀφ' οὗ δὲ ἔπαθεν (Κύριος) ἕως τῆς καταστροφῆς Ἱερουσαλὴμ γίνονται ἔτη μβ', μῆνες γ'. Hæc nimirum fuit eorum ratio, qui Christum anno Tiberii XV, passum crediderunt, et anno circiter uno prædicasse. Origenes lib. IV Περὶ Ἀρχῶν cap. 1, Christum ait, *anno et aliquot mensibus docuisse*, et Homil. 32 in Luc. : *juxta simplicem intelligentiam aiunt uno anno Salvatorem in Judæa Evangelium prædicasse, et hoc esse quod dicitur, Prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* At in an. 18 Tiberii mortem ejus confert Eusebius, cum post annos 40 excisa docet Jerosolyma Hist. lib. III, cap. 7. Utraque opinio magnis sese auctoribus tuetur. Minime autem stare potest Phlægontis Tralliani sententia quem in Olympiadicis sive Chronicis scripsisse refert Origenes a 15 Tiberii anno ad Jerosolymitanam ἅλωσιν 40 annos intercessisse.

[f] Falso excusi hactenus libri, *in patientia dereliquit*, cum et Græcus præferat συγχωρηθῆναι εἰς μετάνοιαν; et Rabanus, *in pœnitentiam derelinqui*, quæ eadem Latine sententia est, prout et nos reposuimus, verissime legerit. Leviora inferius nonnulla, lectore inscio, castigamus.

[g] Apud Rabanum, *super quem prædicabat ea*, Græco abludente.

[h] Mss. Reg. penes Huetium, *legationem et increpationes Verbi Dei.*

lentem pati id quod prophetæ, omnium injustissimum est : dicere, da mihi partem cum apostolis, nolentem ex affectu Pauli vere loqui : *In laboribus plurimum, in plagis abundanter, in carceribus supra modum, et in mortibus sæpe* (I *Cor.* XI, 23), et reliqua omnia est iniquissimum. Si itaque volumus requiescere cum Prophetis, consideremus vitas prophetarum, quomodo ex eo, quod increpabant et arguebant delinquentes, judicati condemnatique sunt [a] : *Lapidati, secti in occisione gladii occubuerunt, circumeuntes in melotis et in caprinis pellibus, in egestate, in tribulatione et miseria, in solitudinibus errantes* (*Job* XII, 37). Eo tempore quo erant synagogæ plurimæ in Israel, nihilominus illi in desertis, et **852** montibus, et speluncis, et cavernis petrarum latitabant. Quid ergo est ? Si quis vult imitari vitas prophetarum, increpet, arguatque peccatores, statim odium merebitur, statim ei detrahetur, statim patietur insidias. Quod etiam nunc in Ecclesiis sæpe videmus accidere. Peccaverit quodlibet quispiam : is qui præsidet populo, et regit Ecclesiasticam disciplinam, ejicit eum de congregatione sanctorum : illico ille circuit civitatem, lacerat eum qui, quantum in se fuit, Ecclesiam vindicavit. Verum nos non præbeamus his aurem, qui propter excommunicationem sui tam præpositos, quam omnem Ecclesiæ conventum vesano ore dilacerant. Beati vero apostoli omni admiratione digni innumerabilibus propter veritatem injuriis affecti loquebantur : *Propterea complaceo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus et angustiis pro Christo* (II *Cor.* XII, 10). Hoc tantum laborare convenit, ut pro nulla alia re nisi pro Christo sustineamus contumeliam, et necessitatis causa sit Christus. Id optemus ut maledicta perpessi, pro veritate nos maledici sciamus, qui eam defendimus, et Scripturarum voluntate omni cum fiducia eam prædicamus. Igitur, quantum possumus, ad vitam prophetarum et apostolorum conversationem imitandam nos extendamus, molestias et pericula non vitantes. Athleta enim si difficultatem certaminis fugerit, cum lætitia non coronatur, et laudis gloriam non consequitur. *Et erit sermo tuus mihi in lætitiam.* Non ait, *Est :* sed, *Erit ;* siquidem in præsenti tempore carceres, exsilia, contumelias, ac labores mihi tribuit, sed horum omnium finis erit lætitia. *Et erit sermo tuus mihi in lætitiam, et gaudium cordis mei, quia invocatum est nomen tuum super me, Domine* [b] *pater omnipotens* (*Jer.* XV, 17). Etiamsi Christus hoc dicit, non abhorret ab intellectu : nomen quippe Patris invocatum est super eum. *Non sedi in concilio ludentium.* Si quando videbat prophetes non sollicitorum concilium, sed ludentium, fugiebat illud. Unde oportet nosse differentias conciliorum, solliciti atque ludentis. Si hoc concilium nostrum sollicitum est, si omnia cum Ecclesiastica diligentia quærit, si sermo cum disciplina, si vita sollicita est, si negotia cum **853** cautela, concilium est, non ludentium, sed sollicitorum. Si autem dereliquerit studium religionis, et vacaverit lusibus mundi istius, qui veniunt a pravitate, fit concilium ludentium. Ait itaque prophetes : *Non, sedi in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Cum duo mihi essent proposita, sedere in concilio ludentium, et offendere majestatem tuam, aut certe surgere de eo, et ea facere quæ tibi placita erant, magis elegi surgere de congregatione ludentium, [c] ut amicus tuus essem, quam contraria faciens, inter eos, qui hostes sunt, computari. *Non sedi in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Et Salvator noster non sedit in concilio ludentium, sed surrexisse se docens ait : *Dimittetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* XIII). Reliquit enim sermo [d] divinus concilium Judæorum, et aliud sibi concilium ex gentibus congregavit. *Solus sedebam.* Et ipse tantum sine expositione sermo ædificat audientes, quando est multitudo peccantium, nec sustinet secum justum pie [*Al.* juste pium] vivere, [e] non indecens est fugere congregationem eorum, et imitari prophetam loquentem : *solus sedebam :* imitari [f] Eliam miserabiliter conquerentem : *Dominè, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam accipere illam* (III *Reg.* XIX, 14). Si autem voluerimus sacratius aliquid accipere in eo quod dicitur : *Solus sedebam,* forsitan inveniemus dignam interpretationem Spiritu sancto. Quando vitam multitudinis imitamur, nec conversatio nostra a populo melior, nec, contempto judice Deo, ab hominum malitiis separatur, non possumus dicere : *Solus sedebam ;* sedemus quippe cum plurimis. Quando autem vita nostra fuerit istiusmodi, ut nullus nobis [g] sensu, sermone, gestis coæquetur ; tunc possumus dicere : *Solus sedebam.* Licet ei qui non est presbyter, aut episcopus, aut diaconus, aut alia qualibet decoratus Ecclesiæ dignitate, bene **854** viventi dicere : *Solus sedebam, quia amaritudine plenus sum* (*Matth.* VII, 14). Si arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam, expedit tibi ab omni dulcedine recedenti, ut amaritudine in præsenti sæculo complearis. An ignoras quoniam solemnitas Dei adjunctis amaritudinibus cele-

[a] Iidem apud Huetium mss., *Serrati, secti*, etc.

[b] In Græco et penes Rabanum nomen, *pater*, non habetur.

[c] Unus ms. Reg. ab Huetio laudatus, *et amicus tuus esse.*

[d] Vitiosa perissologia excusi antea libri, *sermo Dei divinus.* In Græco tantum est, τοῦ Θεοῦ, penes Rabanum. quod retinemus, *divinus.*

[e] Ita ad verbum Græcus Origenis textus, ὡς οὐδὲν ἄτοπόν ἐστι φευγόντα τὸ συνέδριον, etc. optime adeo Rabanus in suis olim legit exemplaribus, quemadmodum restituimus, *non indecens est fugere*, etc., corrupta autem et falsa hæc erat vulgata lectio, *tunc indigens est fugere*, etc.

[f] Pro *Eliam*, quod et in Græco est nomen, et penes Rabanum, et loci postulat sensus, deridiculo errore legebatur, *etiam.*

[g] Reg. unus, Huetio teste, ms., *sensus vel sermo peccantis coæquetur.*

bratur? Ait quippe sermo divinus : *Cum habueritis diem festum, azyma*[a] *super amaritudinem manducabitis* (*Exod.* XII, 8). Simul autem considerandum puto quid velit hæc jussio, quæ præcepit agentem pascha Dei azyma cum amaritudinibus manducare. Et de azymis quid est mea interpretatio, Apostolus Paulus exposuit. De amaritudine vero quod sequitur, necesse est ut aliquid Apostolicæ disputationi simile [b] reddatur. De azymis itaque Apostolus ita dicit : *Festa celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V, 8). De amaritudinibus necesse est ut talis ratio reddatur, quæ doceat sic eas celebrandas, quomodo azyma comedantur. Habeto sinceritatem et veritatem, et amaritudines te sequentur, et manducabis azyma cum sinceritate et veritate. Quia Paulus istius modi azyma comedebat, sequebatur eum amaritudo dicentem : *Inimicus vobis factus sum vera dicens* (*Galat.* IV, 16). Manducabat amaritudines *in dolore, in labore, in vigiliis frequenter, in fame et siti* (II *Cor.* XI, 27), extra cætera quæ pro totius mundi salute pandebat, et quæ eum faciebant præsidem veritatis azyma cum amaritudinibus manducare. Et Lex quidem hæc dicit : *Azyma cum amaritudinibus comedite et implemini*, sicut et alio loco dicitur de quibusdam : *Manducate et implete vos.* Propheta vero non ait : Amaritudinem comedi; sed : *Amaritudine repletus sum :* hoc est, in me tantum sæculi persecutionum pondus incubuit [*Al.* incumbit], ut plenus amaritudine fierem. *Quare qui me contristant, confortantur in me?* Multa passus est Jeremias ab his qui veritatem audire nolebant, et erant illo in hoc sæculo fortiores, quoniam **855** non est regnum Dei de sæculo isto, sed de alia quadam viventium regione, ut Salvator ait : *Si esset de hoc mundo regnum meum, ministri mei laborarent ut non traderer Judæis* (*Joan.* XVIII, 36). Confortantur ergo adversus eum in sæculo isto. Et quod justus debilior sit a persequentibus se, vide martyrum passiones. Judex in altis tribunalibus sedet ad ructum, et ad delicias [c] sententias promens : Christianus in quo Christus habitat, judicatur plenus amaritudine, et ad mortem usque subjectus, confortatis inimicis suis adversum se. *Plaga mea firma est.* Qui confortantur in me, vulnera inferunt mihi : et plaga mea firma est. Sive de cruce Domini prædicatum, sive de justis, sive specialiter de Jeremia volueris accipere, non abhorrebit a sensu. *Plaga mea firma est, unde sanabor?* Et Salvator potest dicere, *Unde sanabor?* resurrectionem suam post clavorum annuntians vulnera : et justus qui post plagas recipit sanitatem. *Facta est mihi* (subauditur plaga) *sicut aqua mendax non habens fidem* (*Jer.* XV, 18, 19). Si quidem plaga mea non manet, **856** sed super me transit. *Ideo hæc dicit Dominus : Si conversus fueris, restituam te.* Ad omnes hæc loquitur Deus, quos reverti vult ad salutem. Videtur autem quiddam significare mysterii in eo quod ait : *restituam te;* nemo quippe restitui potest, nisi in eum locum unde ante discesserat, ut puta si membrum corporis mei fuerit a compage disjunctum, medicus illud in pristinum locum restituere conatur. Si aliquis separatur e patria, in exsilium mittitur, et postea per indulgentiam eorum qui possunt exsules solvere, redditur libertati : redit unde fuerat expulsus. Miles quoque abjectus ex ordine suo, restituitur ordini, si acceperit veniam. Ita et nunc dicitur ad mortale genus, id est ad nos homines, qui a Deo fueramus aversi : Si conversi fueritis, restituam vos. Finis quippe repromissionis restitutio est, ut in Actibus apostolorum legimus : *Usque ad tempora restitutionis omnium quæ locutus est Deus per os sanctorum prophetarum suorum*, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DUODECIMA

De eo quod scriptum est : *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus*, etc. (Jerem. XVI, 16).

**855** In Evangelio quod secundum Matthæum est, scribitur Salvator noster venisse juxta mare Galilææ, et ibi vidisse Simonem et Andream fratrem ejus mittentes retia in mare. Erant quippe piscatores. Ibique additur : *Videns autem eos Jesus, dixit eis : Venite post me, et faciam vos piscatores hominum. Et relinquentes sua retia secuti sunt eum* (*Matth.* IV, 18). Et fecit eos Salvator de piscatoribus piscium, piscatores hominum. Alios quoque duos fratres invenit Dominus, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navicula cum patre Zebedæo reficientes retia sua (*Matth.* IV, 21). Quos cum similiter ad Evangelii ministerium provocasset, piscatores hominum reddidit. Si quis ergo juxta hanc historiam consideret discipulos Salvatoris, ut habeant non solum gratiam sermonis, ita Scripturarum ratione contextam ut retia, quæ possint super humanas animas gyro artificis superfundi, et consideret hoc ipsum cum summa ratione fidei, videbit quomodo non tunc tantum Salvator, **856** sed et usque ad præsentem diem mittat hominum piscatores, instituens eos animas liberare de mari, et ex

[a] Huetius ait : LXX reddiderunt μετὰ πικρίδων, quod Hebraice est עַל מְרֹרִים. Jonathan סְמַדַּר עִלְּחַזְרַת, *cum parthenio et iatybis.* Hieron. *cum lactucis agrestibus*, Cyprianus *cum picridibus*, Ambrosius *cum amaritudine*, quemadmodum et plerique interpretes. Rufinus homiliam Origenis XXIII in Numeros interpretatur *Manducabitis enim azyma cum amaritudine sive picriis.* מְרֹרִים generale nomen est, quo amara omnia, et si esus mentio sit, amara omnia edulia continentur. Id autem his locis ad certam speciem LXX interpretes revocarunt πικρίδας nempe, quod deterius est Lactucæ genus. LXX autem Hieronymus secutus est.

[b] Iterum unus ms. Reg. apud Huetium *simile reperiatur.*

[c] Pro duobus hisce verbis, *sententias promens*, quæ ex Rabano substituimus, cogente recto sensu, ipsoque Origene scribente, ὁ δικαστὴς καθέζεται δικάζων, καὶ τρυφῶν ἐν τῷ δικαστηρίῳ. In antea vulgatis libris nullo sensu aut certe incongruo legebatur, *prominens.*

acerbissimis fluctibus ad auram producere liberiorem. Verum illi pisces cum sagenis, retibus atque hamis extracti de aqua fuerint, moriuntur. Apud nos vero cum aliquis fuerit sermonis rete comprehensus, et eductus de mari sæculi : moritur quidem et ipse, sed peccato, sed mundo : ut consurgens Christo, vivat Deo. Si ergo possis, ad intelligendum sensum quem conamur exponere, animo inducere, pisces de mari extractos aliam rursus vitam assumere, et aliud corpus induere, tunc scies quo nobis profecerit exemplum. Nemo blasphemet, nemo male laceret, non vocetur crimen quod ab alterius abductum est intelligentia. Et tu igitur cum de sæculi istius fluctibus per discipulos Domini fueris extractus, muta corporis vitia, muta sensum animæ; non sis ille piscis qui in salsis versabaris undis, sed **857** de profundo gurgite erutus ad meliora convertere, secundum illud Apostolicum : *Nos autem omnes, revelata facie, gloriam* [Al. *claritatem* hic et infra] *Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu* (II *Cor.* III, 18). Et cum fueris ab apostolis ac discipulis Jesu marinis fluctibus liberatus, noli quærere profundum, sed in montibus sit conversatio tua; ut jam non habeas opus piscatoribus, qui te rursus de fluctibus extrahant, sed aliis quibusdam, quos venatores Scriptura nuncupat, qui te postea venentur de monte, de colle, de locis altioribus : ibi sit deambulatio tua, ibi mens, gressus et statio : obliviscere maris : obliviscere vallium ac profundorum : veni ad montes, Prophetas; veni ad colles, justos [*Al.* ibi]; in ipsis sit conversatio tua; ut cum dies mortis advenerit, mittantur venatores, alii quidam a piscatoribus, qui super assumptionem constituti sunt [a] animarum, et te cum cæteris sanctis de colle et de monte, de altiori loco accipiant. Vide autem si non sacrata voce in eadem sententia Propheta consentit dicens : *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos : Et post hæc mittam venatores multos, ut capiant eos supra omnem montem et collem* (*Jer.* XVI, 16). Si vis et tu ab his venatoribus capi, cave ne verseris in vallibus, ne in alia humili regione consistas. Quære colles, quære montem, in quem, viso populo, Dominus ascendit, et secuti sunt eum discipuli, ex quo aperiens os suum docuit eos, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V) et reliquas septem beatitudines. Neque vero [b] putes licere his venatoribus, aliunde homines, nisi de montibus ac collibus capere, et quod sequitur, *de cavernis petrarum*. Unde possum [*Al.* possumus] intelligere petras? unde cavernas petrarum? Venio ad Exodum : quæro aliquam interpretationis occasionem, ibique invenio volentem Moysem videre Dominum, **858** et Dominum eidem promittentem, atque dicentem : *Ecce pono te in caverna petræ, et conspicies posteriora mea, faciem autem meam non videbis* (*Exod.* XXXIII, 22). Si consideres quid [*Al.* qui] ibi petra dicatur, et foramen petræ, [c] in quo Moyses super petram stans, et de petræ caverna intuens, videat Deum per foramen petræ, intelliges et cæteras petras, et petrarum foramina. Quæ igitur est petra? Dominus Jesus Christus : *Bibebant enim de spiritali sequente eos petra* (I *Cor.* X, 4). *Et super petram statuit pedes meos*, in trigesimo nono psalmo dicitur (*Ps.* XXXIX, 3). Quod est foramen petræ? Vide Deum [*Al.* cum] apud Deum Patrem, Verbum Deum, videbis integram petram : vide dispensationem assumpti corporis, videbis foramen petræ, per quod posteriora Dei juxta possibilitatem imbecillitatis suæ humanus intuetur aspectus. Hoc enim est quod ait : *Videbis posteriora mea* (*Exod.* XXXIII, 23). Inveni unam cavernam unius petræ, quæro alias petras, et alias cavernas : venio ad chorum Prophetarum atque Apostolorum, et transcendentium sanctorum Angelorum, et dico quia omnes imitatores Christi petræ sint [*Al.* sunt], ut petra est ille qui docuit. Et sicut iste habet foramen per quod videntur posteriora Dei : eodem modo unusquisque nostrum [d] qui per sermones suos viam pandit ad intelligendum Deum, facit et se [*Al.* se fecit esse] foramen petræ. Si autem aliter vis intelligere petram, et petræ foramen, vide per Moysen Legem : per Isaiam prophetiam : per Jeremiam alia eloquia divina. Sin vero Angelus fuerit et loquatur in homine, juxta illud Propheticum : *Angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* II, 3), asto in Angelo, et per foramen ejus Angelice video Deum. Exemplum habeo necessarium, ut doceam quomodo possit aliquis in Angelo consistens videre Deum. Scriptum est in Exodo : *Apparuit Angelus Domini in flamma rubi Moysi, videbat Moyses quia ardebat rubus, et non comburebatur* (*Exod.* III, 1). Et **859** non sicuti cœperat Scriptura in eo quod dixerat : *Apparuit Angelus Do-*

[a] Deerat vox, *animarum*, in antea vulgatis libris, quam ex Rabani lectione ipsoque Origenis textu, οἱ ἐπιτεταγμένοι ἐπὶ τοῦ παραλαμβάνειν τὰς ψυχάς, ad sensum, qui mutilus erat, integrandum suffecimus.

[b] Apud Rabanum, *neque vero potest licere*. In Græco tantum est, οὐκ ἔξεστί γε, etc. Pro eo autem quod paulo post legimus, *capere*, juxta Rabani lectionem ipsumque Origenem in Græco, συλλαβεῖν, minus recte lectum est antea, *quærere*.

[c] Trium fere subsequentium versuum hic lacunam implevimus, qui solemni Antiquariorum lapsu ob earumdem vocum, *foramen petræ*, recursum ex editis antea libris exciderant, eorumque defectu, aut nullus, aut ad rem non erat præsentis periodi sensus. Siquidem legebatur : *Si consideres quid ibi petra dicatur et foramen petræ, intelligis et cæteras petras*, etc. Nos de mutilatione loci primum Rabanus admonuit, cujus lectionem religiose descripsimus, hicque inseruimus. Tum vero asseruit Origenes ipse, cujus hæc ipsa sunt verba, ἐὰν νοήσῃς ἐκεῖ τὴν πέτραν, καὶ ἴδῃς ἐκεῖ τὴν ὀπὴν τῆς πέτρας, τινὰ τρόπον ἐπὶ τῆς πέτρας ἱστὰς καὶ τὴν ὀπὴν τὴν ἐν τῇ πέτρᾳ ἰδὼν βλέπει τὸν Θεὸν διὰ τῆς ὀπῆς τῆς πέτρας, ὄψει τε καὶ τὰς πολλὰς πέτρας, etc. Quæ ad verbum Latine sic habent, *Si consideres ibi petram, et videris ibi foramen petræ, quomodo* (Rabanus legerat in Hieronymianis exemplaribus, *in quo Moyses*) *super petram stans, et quod erat in petra foramen videns, videt Deum per foramen petræ : intelliges et multas petras*, etc.

[d] Apud Rabanum, *unusquisque justorum*, in Græco duntaxat est, *unusquisque*, ἕκαστος.

*mini*, sic et in reliquis subsecuta est, ut diceret : Ego Angelus Domini ; sed ait : *Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 6). Erat ergo ibi Deus in Angelo visibilis, et per foramen ejus apparebant posteriora ejus. Quia igitur nescis quo tempore mittantur venatores, cave ne aliquando de monte descendas, ne relinquas colles, ne de cavernis petrarum exeas. Si enim foris fueris inventus, dicentur tibi ea quæ ii, qui foris sunt, merentur audire : *Stulte, hac nocte* [a] *animam tuam repetent a te : quæ autem parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Dicentur autem tibi ista, si dixeris : *Destruam apothecas, et majores ædificabo, et dicam animæ meæ : Anima, habes bona reposita in annos multos ; requiesce, comede, bibe, lætare.* Animadvertis de montibus et collibus descendentem ? animadvertis consistentem extra petræ foramen? quomodo erret et ea putet bona esse quæ nulla sunt, dicens : *Dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona reposita :* frumentum et ubertatem [*Al.* utilitatem] terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus regionibus : thesaurizavit sibi in terra, quia in terra esse thesauros arbitratus est. Si quis autem, sublata cruce, sequitur Dominum Jesum, et thesaurizat sibi in cœlo, non dicitur ei *: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te :* sed venientes venatores, et quærentes animalia de montibus, de collibus, de cavernis petrarum, etiam illum cum eis pariter accipient de venatione sublimi, et ad sublimiora beatitudinis regna portabunt. *Quia oculi mei super omnes vias eorum* (*Jer.* XVI, 17). Super omnes vias istiusmodi hominum qui in montibus conversantur, in collibus ambulant, in cavernis habitant petrarum, habet oculos Deus. *Non se absconderunt a facie mea.* Qui sancti sunt, non se abscondunt a facie Dei ; qui autem injusti, absconduntur a facie ejus. Adam post transgressionem cœlestis mandati *audivit vocem Domini Dei deambulantis in* **860** *paradiso post meridiem, et abscondit se* (*Gen.* III, 8). Sanctus hoc non facit, sed conscientia actuum suorum habet fiduciam ad [*Al.* apud] Deum : *Si enim conscientia nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum, et quodcumque petierimus, accipiemus ab eo* (I *Joan.* III, 21). Verum Adam, quamvis peccaverit, tamen non usque [*Al.* usquequaque] ad perfectam malitiam mens ejus corruit [*Al.* corruerat], et ideo absconsus [*Al.* absconditus] est a facie Dei. [b] Cum autem peccavit impiissimus fratricida, animadvertite quid fecerit : *Egressus est a facie Dei, et habitavit in terra Naid* (*Gen.* XLI, 16). Si ad malorum comparationem venias, melius est abscondi a facie Dei, quam fugere eum. In alio quippe conscientiæ vulnus inflictum [*Al.* infixum] tenebras et secreta perquirens, levare oculos non patitur ad cœlum. In alio autem ex desperatione nata contumacia negligit Dominum. *Non se absconderunt* ergo *a facie mea, neque absconditæ* [Al. *absconderunt*] *sunt iniquitates eorum contra oculos meos.* Justi super quas injustitias non se absconderunt a facie Dei ? Aliquando fuerunt in peccatis, quando erant in mari, ex quo a piscatoribus extracti sunt. Ne itaque suspicentur, quia non ex misericordia Dei, sed ex proprio merito [c] de profundo ad montes venerint, commonens [*Al.* commonet] illos sermo divinus, et in illis nos [d] delicti prioris, et idcirco post prospera atque felicia, tristia inferens [*Al.* infert] dicit : *Neque absconditæ sunt iniquitates eorum contra oculos meos.* Quæ sequuntur difficultatem nobis interpretationis objiciunt : sive enim intelligamus ea cohærere superioribus, nihilominus de retribuendis suppliciis pertimescimus : sive videtur non hærere cum superioribus, quæ de piscatoribus et venatoribus diximus, et sic non modicum nobis scrupulum generant. *Et retribuam illis primum duplices injustitias eorum, et peccata ipsorum in quibus contaminaverunt terram meam, in morticinis abominationum suarum, et iniquitatibus suis, quibus impleverunt hæreditatem meam* (*Jerem.* XVI, 18). Quod ait, *primum*, sive non intelligentes, quidam quod scriptum est, abstulerunt : sive Septuaginta interpretes, sicut et cætera, secundum dispensationem suam **861** auferre [e] voluerunt, Deus viderit. Nos istum locum cum cæteris editionibus conferentes invenimus positum : *Et retribuam illis primum duplices injustitias eorum :* ut ostendatur quia etsi ex posterioribus factis digni effecti sunt beatitudine Dei, attamen quia aliquando peccaverunt, et humanis vitiis non carebant, primum oportet eos recipere sua delicta. Et vide si non vera sit ratio, quis peccata non recipit ? nempe ille qui post credulitatem et baptismum audierit Dominum dicentem : *Dimissa sunt tibi peccata* (*Matth.* IX, 2 ; *Joan.* VIII, 11), nec ultra peccaveris [*Al.* peccaverit]. Si autem post lavacrum et veniam delictorum rursus ad pristinas sordes fuerimus reversi, et adhuc imperfecto sensu ab apostolorum vestigiis recedentes, aut injusta gesserimus aliqua, aut certe in ipsa justitia sint aliqua mixta [*Al.* nata] peccata, quid nobis fiat consideremus, utrumne

[a] Cohærenter ad Græcum textum, ut ab ipso laudatur Origene, ἀπαιτοῦσι τὴν ψυχήν σου ἀπὸ σοῦ, reposuimus ex Rabani lectione, *animam tuam repetent a te :* quemadmodum recurrit hic locus et paulo post. In antea vulgatis erat, *anima tua repente auferetur a te.*

[b] Concinnior Rabani lectio videatur, *Cum autem impiissimus fratricida animadvertit quid fecerit, egressus est*, etc. In mss. vero Reg. apud Huetium, *Tu autem, impiissimus parricida, animadverte, quid fecerit*, mendose.

[c] Voces, *de profundo*, ex Rabani vetere lectione et mss. Regiis apud Huetium, non renuente Græco textu suffecimus.

[d] Denuo ex Rabani lectione suffecimus hic verba, *delicti prioris*, quod et Origenes scripsit, τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων.

[e] Hic se Interpretibus LXX parum æquum præbet Hieronymus ; quodque mireris, cum eos ad libitum omnia et temere detruncare conqueritur, Origeni ipse aliena et spuria affinxit, voces illas nimirum : *sicut et cæteræ.* HUETIUS.

egredientes de præsenti sæculo, si habuerimus vitia vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, et dimittentur nobis ea quæ scientes peccavimus; an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus. Sed neutrum horum verum est, quia et pro peccatis torquebimur, et pro justitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum, et argentum, et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris; verum et ligna, fenum, et stipulam, quid tibi vis fieri cum anima sejuncta [*Al.* seducta] fuerit a corpore? utrum nam ingredi in sancta cum lignis tuis, cum feno et stipula, ut [*Al.* et] polluas regnum Dei: an propter lignum, fenum, et stipulam foris residere? et pro auro, argento, et lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat lignum, fenum, vel stipulam? Deus quippe noster apud eos qui possunt intelligere divina, ignis dicitur esse consumens. Et cum dicat propheta: *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24; *Hebr.* XII, 29), non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim **862** id quod ad imaginem et similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas: sed superædificata ligna, fenum, stipulam. Locus est difficilis, et ad interpretandum nimii sudoris egens, ut cum primis secunda consentiant. Repromissiones legimus, et post prospera repente tristia prædicantur: *Et retribuam*, inquit, *illis primum duplices injustitias eorum;* necessario [a] appositum est, *primum*: primum quippe propter injustitias tormenta perpetimur, deinde propter justitiam coronamur. Neque enim econtrario ante tribuenda sunt justa, et sic reddenda peccata, ut cessantibus bonis vitia æterna permaneant, sed ante recipiemus mala, et deinde bona, ut, sublatis vitiis, virtutes permaneant in æternum. Observa omnem thesaurum Scripturarum, et invenies semper Deum ea primum comminantem quæ tristia sunt; et ea deinceps inferentem quæ lætitiam præbeant audientibus. Occidit, et vivificat: percutit et sanat; ipse dolorem facit, et rursum restituit, percussit, et manus ejus sanaverunt (*Deut.* XXXII, 39). Super his ergo, qui justus est, intellectu pio considerans quæ dicuntur, ingemiscat, et dicat: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula, et operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos* (*Ps.* XIV, 1-3). Nos etiam non his opprobremus qui a peccatis ad pœnitentiam convertuntur, Scriptura dicente: *Ne improperes viro convertenti a peccatis* (*Eccles.* VIII, 6). *Opprobrium non accepit adversus proximos suos: ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum magnificat* (*Ps.* XIV, 3-4). Omnes igitur quicumque materiam illius ignis habemus in nobis, primum recipiemus nostra delicta. Sed dicet mihi aliquis de audientibus, expone et id quod sequitur: *Duplices injustitias eorum.* Esto quippe, recipio mea [*Al.* recipere me] peccata, ut compleatur id quod ab Apostolo dictum est: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem* **863** *salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 15): cur vero duplicia recipio peccata? Cui respondendum est, quia *servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit eam, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47): dignum siquidem est eos qui de Gentibus [*Al.* gentes) sunt, simplicia recipere peccata, et nos duplicia, dicente Apostolo: *Voluntarie peccantibus nobis post cognitionem veritatis jam ultra non remanet pro peccato hostia. Horribilis autem quædam exspectatio judicii ignis, zelus comedere habens adversarios* (*Hebr.* X, 26, 27). Prophetatum est de his qui a peccatoribus et venatoribus de profundo in montibus sunt abstracti, quomodo recipiant primum duplicia peccata sua. Posthæc de vocatione gentium prophetatum est, non eorum qui necdum cognoverunt Christum, sed qui jam vocati sunt, ut sciant laudes referre pro gratia: et in Ecclesia consistentes, confiteantur, et adorent nomen ejus: *Domine, fortitudo mea, et adjutorium* [*Al. robur*] *et refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent: Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est in illis utilitas* (*Jerem.* XVI, 19). Quomodo ab extremo terræ venerunt Gentes ad Dominum, et dixerunt: *Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est in illis utilitas?* Quinam isti qui veniunt ab extremis? Sunt alii primi terræ, sunt alii novissimi. Qui sunt primi? Sapientes sæculi, nobiles, divites, optimates. Qui sunt extremi? Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ea quæ non erant, ut destruat quæ sunt. *Venient Gentes ab extremo terræ:* quasi dixerit: de his omnibus qui sunt novissimi super terram, de fatuis, de ignobilibus, de abjectis. *Et dicent: Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est illis utilitas:* non quia vera sint idola, ad quorum distinctionem nunc falsa dicantur, sed idola quæ falsa sunt per naturam, nulla est in eis utilitas. Si faciet sibi homo deos, et isti non sunt dii. Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines deos, sed et de corde confingunt: qui enim possunt simulare alium creatorem extra universitatis Deum, [b] alium Spiritum sanctum, alium

[a] Notam ex hoc præcipue loco Origeni inurunt, quod piacularibus modo, non æternis addixisse pœnis hominum scelera videatur: constet vero ex fide post resurrectionem et judicium nullam superesse emendationis spem. Confer in hanc rem Bellarminum, lib. II de Purgatorio cap. 9, atque Huetium, Origenianor. lib. II, quæst. 11, num. 17.

[b] Addidimus ex Rabani lectione et Græco textu vocem *alium*, quæ deerat. Paulo quoque infra, *homines*, substituimus pro *omnes* ex iisdem Rabano et Græco: pleraque autem his similia passim taciti castigamus.

Christum, alia sæcula extra hæc quæ cernimus, ii homines fecerunt sibi **864** deos, et adoraverunt opera manuum suarum. Omnes philosophi qui varia dogmata prodiderunt, omnes hæretici qui auctores ad aliter credendum de Deo miseris mortalibus exstiterunt, fecerunt sibi idola, et animi [*Al.* animæ] voluptatem putaverunt Deum, et conversi adoraverunt opus manuum suarum, putantes vera esse quæ finxerant. Omnes igitur tam de visibili materia, quam de falsis dogmatibus fingentes sibi deos, corripit nunc sermo divinus dicens : *Si faciet sibi homo deos, et isti non sunt Dii ; propterea manifestabo illis in tempore isto opus manuum mearum, ostendam illis virtutem meam* (*Jer.* XVI, 20) : in quo tempore, nisi in isto, quo Salvator noster assumpsit corpus humanum ? *Et scient quia ego sum Dominus.* Deinde alia sequitur prophetia (quam nescio quare apud Septuaginta non invenientes. in cæteris editionibus, quæ cum Hebræo consentiunt sermone reperimus), quæ plena est necessariis rebus, et tam utilibus, ut possit, si animus fuerit attentus, a vitiis revocare Lectorem. Sic autem sequitur : *Peccatum Juda conscriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum* (*Jer.* XVII, 1). Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Judæi [a] qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco pro *peccato Juda*, *peccatum eorum* posuerunt. Sed si figuraliter consideres (ut sæpe ostendimus) Judam Christum nuncupari, forsitan peccatum Judæ peccatum nostrum est, qui credimus in Christum de tribu Juda, et ex ejus secundum carnem stirpe nascentem. Si autem volueris sacratius intelligere de proditore Juda dictum : *Peccatum Judæ scriptum est in stylo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum*, repugnabit tibi quod sequitur, *Eorum*. Igitur (ut supra diximus) super nos qui peccamus ista conveniunt, quorum peccata non forinsecus alicubi conscribuntur, sed in cordis conscientia, stylo exarata ferreo, sculpta ungue adamantino. Quod autem peccata nostra scribantur in pectore, ex his quæ sequuntur, intellige. Antequam peccatum faciam nulla in corde meo peccati imago versatur : cum autem conscientia peccati ima- **865** ginem sumpserit, habeo formam illius, et semper ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur. Et siquidem esset peccatum meum atramento conscriptum, forsitan delerem illud ; nunc autem scriptum est in stylo ferreo, et in ungue adamantino, scriptum [*Al.* sculptum] est super pectus cordis mei, ut mecum ad tribunal veniat, et compleatur illud quod a Christo prophetatum est : *Nihil absconsum, quod non manifestabitur, et nihil occultum quod non palam fiet* (*Mat.* x, 26). Nudabitur pectoris mei conscientia, et aperto corde, videbuntur litteræ peccatorum, quæ in stylo ferreo, in ungue adamantino sculptæ sunt. Atque ita universa spectantium [*Al.* peccantium] multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum **866** *Nihil* enim *absconsum* [Al. *absconditum*], *quod non revelabitur. Et inter se invicem cogitationum accusantium sive defendentium* (*Rom.* II, 15), Et : *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum et manifestet consilia cordium* (II *Cor.* 4, 5). Cui manifestabit [*Al.* manifestetur] ? utique non sibi, qui antequam fiant cuncta cognoscit : sed his qui cum illo venturi sunt, et propter puritatem mentis et corporis Agnum sequentur [*Al.* sequuntur], ostendet delicta in corde peccatoris expressa ut resurgant justi in gloriam, peccatores vero in opprobrium et confusionem æternam ; a quibus liberet nos Deus resurgentes cum Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA DECIMA TERTIA.

De eo quod scriptum est : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena* (Jerem II, 21, 22), usque ad eum locum in quo ait : *Maculata es in conspectu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus.*

**865** *Deus mortem non fecit, neque delectatur in perditione viventium. Creavit enim ut essent omnia, et salutares* [b] *generationes mundi, nec est in eis venenum mortis, neque inferni regnum super terram* (*Sap.* I, 13). Deinde paulum ultra procedens reperio unde sit mors : *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Omnia igitur bona in nobis et propter nos condidit Deus, sed nosmetipsi [c] maliliam atque peccata propria in nobis attraximus voluntate. Unde et in præsenti lectione per prophetam nunc queritur Deus, et quodammodo dubius inquirit, quomodo in quibusdam amara sit anima, quam dulcem ipse condiderat, et ait : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena ?* Quod dicit tale est, Ego feci pedes, quibus ingrederetur mortale genus ; qua causa factum est ut claudicent plurimi ? Ego feci omnia membra valida, atque integra ; quomodo video in multis debilia atque inutilia ? Itaque non solum primi hominis anima, sed et universorum ad imaginem et similitudinem Dei facta est (*Gen.* I, 26), **866** ei antiquior est hæc imago quæ Dei est, imagine Zabuli, quam postea nobis induimus ob peccatum. Unde debemus magnopere laborare, ut quomodo delinquentes portavimus imaginem terrestris : ita ad pœnitentiam conversi portemus imaginem cœlestis, ad quam et universa primum condita creatura est, ob cujus in malum conversionem nunc peccantes sermo corripiens ait : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena ? Ego autem plantavi eam fructiferam, universam veram.* Et ante diximus, et nunc eadem plenius ut intelligatis, repetimus, quia Deus bonam plantavit hominis animam, sed ipsa vitio suo adversus conditoris depra-

[a] Confer Hieronymum in Commentar. in hunc locum tom. IV, col. 156, et quæ ibi a nobis annotata sunt.

[b] Regii apud Huetium mss., *salutares fecit generationes.*

[c] Unus ex iisdem mss., *malitia atque peccato proprio nobis attraximus mortem.*

vata sit voluntatem. *Ego autem plantavi te vitem fructiferam, universam veram :* non ex parte veram et mendacem ex parte plantavi, sed universam veram. Quomodo contra plantationem meam conversa es in amaritudinem, et facta es vitis aliena? Post hæc sequitur : *Si abluta fueris nitro, et multiplicaveris tibi herbam* [a] *poam, maculata es in conspectu* **867** *meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus.* Ergone hoc arbitrandum est, quia anima peccatrix nitro conata sit purgare maculas suas, et assumens poam, quæ oritur ex terra, immunditiam delictorum a se mundare contenderit? Unde nunc ad eam loquitur sermo divinus : *Si abluta fueris nitro, et multiplicaveris tibi poam, maculata es in conspectu meo, in iniquitatibus tuis, dicit Dominus.* An id quidem verius existimandum est, quia ut sacra volumina omni virtute sunt plena, ita et Dei sermo omni virtute sit plenus, et habeat istiusmodi fortitudinem, quæ possit purgare vitia, et, sordibus defricatis, ad colorem pristinum revocare? *Vivus est quippe sermo Dei, et efficax, et acutus super omnem gladium utrimque acutum* (*Hebr.* IV, 12), et reliqua. Ex quibus diximus pro passionibus animæ remedia habere sermonem, esse in eo nitrum, esse poam, quibus sordes abluantur. Neque vero omne peccatum nitro sermonis et poa potest emundari, sed sunt aliqua delicta, quæ non indigeant facili curatione, nec ad nitrum et poam tantum abluta discedant. Sic nunc dicitur : *Si ablueris te nitro, et multiplicaveris tibi poam, maculata es in conspectu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus.* Et quomodo sunt quædam vulnera quæ malagmatibus, et oleo, et alligaturis redduntur pristinæ sanitati : alia vero sunt istiusmodi, de quibus dicatur : *Non est malagma imponere, neque oleum, nec alligaturas, sed terra vestra deserta, civitates vestræ igne exustæ* (*Isai.* I, 6, 7) : sic sunt quædam peccata quæ animam sordidant, et indigent homine qui habeat poam, nitrique sermonem; alia vero talia sunt, ut non possint supradicti sermonis virtute curari, neque enim sordibus comparantur. Idcirco sciens differentias peccatorum, per Isaiam Dominus dicit : *Lavabit Dominus sordes filiorum Sion* (*in sanguine*). *Emundabit* **868** *de medio eorum spiritu judicii, et spiritu combustionis sordes et sanguinem* (*Is.* IV, 4). Sordes spiritu judicii, sanguinem spiritu combustionis. Si peccasti, et peccatorum sorde pollutus es, lavabit Dominus sordes filiorum, et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum. Si autem mortale peccatum est, non possumus nitro poaque mundari, sed spiritu judicii, spiritu combustionis et pœnæ. Forsitan et Jesus baptizat Spiritu sancto [b] et igne (*Luc.*, III, 16) : non quia eumdem in Spiritu sancto atque igne baptizet; sed quo sanctus baptizetur Spiritu sancto, et is qui post fidem et [c] magisterium Dei rursum ad scelera conversus est, cruciatu purgetur incendii. Beatus qui lavacrum accepit Spiritus sancti, et ignis lavacro non indiget. Miserabilis autem et omni fletu dignus, qui (post lavacrum Spiritus) baptizandus est igni. Utrumque siquidem habet baptisma Jesus : *Exiit namque virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit* (*Isai.* XI, 1); virga peccatoribus (flos justis). Sic Deus et ignis consumens, et lumen in Scripturis dicitur (*Hebr.* XII, 20, I *Joan.* III, 5), ignis peccatoribus, lumen sanctis : et : *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.* Si quis servaverit lavacrum Spiritus sancti, iste in resurrectionis primæ parte communicat. Si quis vero in secunda resurrectione servatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, feni, et stipulæ, ignis consumat. Quamobrem cum talia post mortem nobis residere videamus, Scripturas diligenter simul recitantes, reponamus eas in cordibus nostris, et juxta earum vivere præcepta nitamur, ut ante excessionis diem, si fieri potest, peccatorum sordibus emundati cum Sanctis valeamus assumi, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA DECIMA QUARTA.

De eo quod scriptum est : *Et dixit Dominus ad me in diebus regis Josiæ* (Jerem. III, 6), usque ad eum

[a] **Hieronymus** : *et multiplicaveris tibi herbam poam :* et tota hac Homilia, πόαν, non aliter vertit, quam, *poam :* at Hebræa habent Jerem. II, 22, בורית, ubi id LXX reddiderunt πόαν, Hieronymus, *herbam borith.* Ita Malach. III, 2, מכבסים בורית vertunt LXX πόα πλυνόντων, Hieronym. *herba fullonum.* Quid sit בורית, multifariam disputatur : alii smegma esse volunt, et quidquid detergendi facultate pollet, a ברר, *expurgare;* Syrus exponit, *sulphur :* alii saponem; alii, στρουθίον, herbam a Latinis lanariam dictam; sive radiculam; alii herbam eam quæ saponaria appellatur, quaque expurgandis, et detergendis pannis utuntur fullones. Verisimillima hæc est postrema sententia, quam tuetur Hieronymus in Jerem. II, 22 : *Pro herba borith,* inquit, *quam nos ut in Hebræo posita est, vertimus, LXX transtulerunt* πόαν, *ut significarent herbam fullonum, qua juxta ritum provinciæ Palæstinæ in virentibus et humectis nascitur locis, et ad lavandas sordes eamdem vim habet, quam et nitrum.* Matthæus Sylvaticus in Pandectis, voce, *Fullones : Saponaria vocatur herba fullonum, quod ex ea lavant, et abstergunt pannos fullones, borith, burith :* ita et in *Borich,* et in *Guaisdo;* ita et R. Jona. Unde dubitandum minime est, quin cum πόαν *herbam,* reddiderunt LXX, saponariam herbam intellexerint; quam cum propria voce appellare non possent, generali, πόαν, nuncuparunt; utpote cujus in detergendis vestibus tritissimus esset et notissimus usus, dubioque locum non relinqueret. Theodoretus in hunc locum, πόαν, τὰ ἀπὸ γῆς φυόμενα ῥύμματα ὀνομάζει. *Herbam appellat, quæ detergendi vi prædita e terra proveniunt.* Porro ex πόα factum est Rabbinicum, פואה, quod Rubiam tinctorum significat. Usurparunt quoque Arabes : Græci reddunt, ἐρυθρόδανον. Hinc Philo in libro, Τίς ὁ τῶν θείων κληρονόμος· φουὰ δὲ ἔρυθρον ἑρμηνεύεται. Origenes, Homil. 2 in Exod., *Phua, quæ apud nos Rubens vel Verecunda dici potest.* Hieronymus de Nom. Hebr. in Exod., *Fua, rubrum.* HUETIUS.

[b] Contrarium porro docet Origenes homil. 24 in Luc. eos nimirum duntaxat igneo flumine a Christo baptizatum iri, qui aqua et spiritu fuerint baptizati, et purgatione eguerint. At homil. 6 in Exod. et homil. 25 in Num. et hom. 3 in psalm. XXXVI, unumquemque igne purgandum pronuntiat, ut a nobis fusius in Origenianis explicatur. *Idem.*

[c] Mss. Regii apud Huetium, *mysterium.*

locum in quo ait : *Justificavit animam suam Israel a peccatrice Juda* (Jerem. III, 11).

**869** Ipsum primum lectionis sermonem, qui perobscurus est, debemus excutere, et postea, si Dominus dederit viam intelligendi, ad altiorem sensum venire. In Regnorum libris fertur historia, quæ docet post Salomonis interitum, temporibus Roboam duodecim tribus fuisse divisas: id est in decem tribus regnasse Jeroboam, et vocatas eas esse Israel: duabus vero præfuisse Roboam, et vocatas eas esse Judam. Quæ [a] discretio populi juxta fidem libri, usque ad præsentem diem permanet. Neque enim in aliquibus voluminibus invenitur ubi Israel et Juda sub uno rursus imperio redigantur. Primus itaque peccavit Israel sub Jeroboam, et cæteris successoribus ejus; et tanta peccavit, ut a Deo traderetur captivitati, et serviret apud Assyrios usque ad præsentem diem. Et Juda peccavit, traditusque est Babyloniis, non usque ad hodiernam diem, sed (ut Scriptura testatur) septuaginta annis, de quibus Jeremias prophetavit, et Daniel. Si intellexisti historiam quæ in Regnorum libris scripta est, considera verba prophetæ, et videbis eumdem exprimi sensum. Accusatur Israel et dicitur: Audiens congregatio Juda, quod ob peccata sua Israel traditus sit captivitati, non egit pœnitentiam, nec conversa est ad me: sed intantum peccata peccatis cumulavit, ut ad comparationem vitiorum ejus justior inveniatur Israel. Deinde propheta prædicare jubetur ad Israel, ut quia Juda pejor illo factus sit, convertatur ad Dominum, et Israel, et Juda sub uno imperio futuros esse, et ad pristinam redituros concordiam. Quod ut planius fiat, ipsius Scripturæ verba ponenda sunt: *Et dixit Dominus ad me in diebus Regis Josiæ: Vidisti quid fecit mihi habitatio domus Israel* (*Jer.* III, 6, 7, 8)? Non dixit Juda, sed prius Israel. *Abiit subtus omnem montem excelsum, et subtus omne lignum* **870** *nemorosum, et fornicata est illic et dixi, postquam fornicata est hæc omnia: Convertere ad me, et non est conversa. Et audivit prævaricationem ejus, id est populi Israel, prævaricatrix Juda. Et viderunt, id est, ii qui erant de Juda, quoniam de omnibus comprehensa est in quibus mœchabatur habitatio Israel. Dimisi eam et dedi ei libellum repudii.* Dimisi enim populum Israel, et ejeci eos in Assyrios: *Et dedi ei libellum repudii in manu ejus, et non timuit prævaricatrix Juda* (*Jer.* III, 9). Post tanta quæ passa est Israel, dimissa a Deo, accipiens libellum repudii in manus suas, debuerat a vitiis Juda converti, et per aliena peccata correpta, sibi similia præcavere: quæ non solum peccare non desiit, sed pristina scelera duplicavit, intantum ut ad comparationem ejus congregatio Israel, quæ prius fuerat ipsa damnata, sit justior. *Et dedi ei libellum repudii in manus ejus, et non timuit prævaricatrix Juda soror ejus, sed abiit, et fornicata est et ipsa, et facta est fornicatio ejus in nihilum, et mœchabatur in lignum et lapidem: et in his omnibus non est conversa ad me prævaricatrix Juda, ex toto corde suo, sed in mendacium* (*Ibid.*, 10): nec timuit ex his quæ fecerat Israel, ut toto corde converteretur ad me, et deposito mendacio, in quo perseverabat, vere ageret pœnitentiam. *Et dixit Dominus ad me, justificavit animam suam Israel a prævaricatrice Juda* (*Ibid.*, 11): Peccata Israel cum Judæ vitiis comparata justificant quodammodo animam ejus. *Vade et lege sermones istos ad Aquilonem* (*Ibid.*, 12). Si intellexisti historiam, videamus quid in his sermo mysticus significet. Vocatio gentium, exspectatio Israel, habuit exordium, ut testantur apostoli, post annuntiationem quam Judæorum prædicaverunt Synagogis: *Ad vos*, dicentes, *erat missus sermo; sed quia indignos vos* **871** *judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII, 46). Paulus quoque sacra voce loquitur: *Illorum peccato salus gentibus facta est ad zelandum eos* (*Rom.* XI, 11). Igitur multa peccata illius populi fecerunt eum a Domino derelinqui, et nos ad spem salutis venire, qui alieni eramus testamentorum, et repromissionis. Unde etenim mihi nescio ubi extra sanctam terram nato, nunc de repromissionibus disputare, et credere in Deum patriarcharum Abraham, Isaac, et Jacob, et in Jesum Christum qui omnium prophetarum vocibus prædicatus est? [b] Si intellexisti duos populos, Israel et Gentium, intellige transmigrationem Israel de [*Al.* in] populo Judæorum, et de eo scriptum esse: *Dimisi eam, et dedi ei libellum repudii.* Dimisit enim vere Deus populum Israel, et dedit ei libellum repudii, ut [c] sequens firmat exemplum. Jubet lex Moysi mulieri displicenti viro suo dari libellum repudii, et dimitti eam, et tunc viro licere, ut alteram ducat. Juxta hunc sensum intellige accipientes Judæos libellum repudii, et omnino derelictos a Domino. Ubi enim jam apud eos prophetæ? ubi signa virtutum? ubi manifestatio Dei? Non templum, non victimæ, non alius quilibet cultus voluminibus Legis expressus. Ejecti sunt de regionibus suis, atque ita dedit Dominus libellum repudii Israel. Post eos nos qui in Scripturis Judæi vocamur (Judæi autem propter tribum Juda, ex cujus Salvator stirpe descendit) conversi sumus [*Al.* simus] ad Dominum, et novissima nostra, quæ utinam saltem in hoc tempore non complerentur, similia futura sunt peccatis Juda, immo pejora. Et ut credas in consummatione sæculi deteriora nobis eventura quam evenerunt Judæis, audi Salvatorem in Evangelio prædicantem: *Cum multiplicatæ fuerint iniquitates,*

[a] Unus Reg. ms. apud Huetium, *quæ discessio.*

[b] Hieronymus. *Si intellexisti duos populos, Israel, et gentium:* sententiam retulit, a verbis discessit. Origenes paulo inferius: εἶτα ὑμεῖς Ἰούδα, Ἰούδα δὲ διὰ τὸν σωτῆρα ἐξ Ἰούδα φυλῆς ἀνατείλαντα, et homil. 9, ἄνδρες Ἰούδα ἡμεῖς ἐσμεν διὰ τὸν Χριστὸν, πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν, et homil. 16, ἀλλ' ἐὰν ἴδῃς τροπικῶς λέγομενον τὸν Χριστὸν, μήποτε ἁμαρτία Ἰούδα ἡμῶν ἐστι, τῶν πιστευόντων ἐπὶ τὸν Χριστὸν τὸν ἐκ φυλῆς Ἰούδα. HUETIUS.

[c] Apud Rabanum, *ut relinquens firmet exemplum.*

*refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Mat.* XXIV, 12). Et in alio loco: *Fient* [*Al.* faciet] *signa et prodigia in cælo et in terra, ad decipiendos, si fieri potest* [*Al.* posset] *etiam electos* (*Ibid.*, 24) : **872** tantaque incredulitas in universo humano genere futura est, ut Salvator noster (qui omnia quæ sunt ventura cognoverat) loqueretur: *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Vere quippe si judicemus fidem [a] et veritatem, non multitudinem, et respiciamus voluntatem hominum, non congregationem, videmus in tanto numero Ecclesiarum [b] fidelem difficile reperiri. Tunc erant vere fideles, quando martyrum victimæ feriebantur, quando cruentas exsequias prosecuti, tristes ad Ecclesiam [c] revertebamur, omnis erat multitudo lugentium, quando catechumeni in prima statim [d] fide pro ferendo martyrio docebantur, quando mulierculæ et infirmior [*Al.* infirmus] sexus usque ad mortem manebat [*Al.* permanebat] intrepidus. Tunc vere signa de cœlo, tunc fiebant portenta de terra. Tunc erant pauci quidem, sed vere fideles, angustam et arctam ingredientes viam, quæ ducit ad vitam. Nunc vero quando facti sumus plures (quia difficile est plures esse bonos, neque enim mentitur Jesus dicens: *Multi vocati, pauci autem electi* (*Mat.* XX, 16); ex tantis Christianam fidem pollicentibus pauci sane [*Al.* satis] reperiuntur qui habeant fidem, et [e] veritatem, et beatitudine digni sint. Si itaque dicit: Primum propter peccata dimisi Israel, et reliqui eum in commigrationem [*Al.* comminationem] : Judas autem audiens ea quæ acciderant Israel, noluit ad me converti: de nostris loquitur peccatis, qui legentes ea quæ passus est populus Judæorum, non timemus, neque dicimus: *Si naturalibus ramis non pepercit, quanto magis nec nobis parcet Deus?* Si illos gloriantes esse se olivam bonam, et de radice [*Al.* radicem] patriarcharum, Abraham, Isaac, et Jacob, Christus [f] clementissimus Deus pro suo merito eradicavit, quanto magis neque nobis parcet, si similia fecerimus? Vide benignitatem et severitatem Dei. Neque enim benignus tantum est, et non severus: neque severus tantum, et non etiam benignus. Si benignus **873** esset tantummodo, bonitatem ejus contemneremus : si severus tantum, desperatio nos saltuis, propter peccata quæ fecimus, præcipitaret in vitia. Nunc vero quasi [g] Deus, necessariam quippe habemus homines bonitatem ejus ob pœnitentiam, et severitatem ob delicta : sicque benignus est, et severus, et loquitur ad nos per Prophetam dicens : *Vidisti quid fecit mihi habitatio domus Israel* (Israel in præsenti pro Judæorum populo accipe) *abiit super omnem montem excelsum, et subiit usque ad omnem lignum nemorosum.* Si consideres Pharisæum ascendentem templum cum superbia, et non percutientem pectus suum, neque mala propria sentientem, quomodo dicat: *Gratias tibi ago, quia non sum ut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, et sicut iste publicanus : jejuno bis in sabbato, decimas do de substantia mea* (*Luc*, XVIII, 11). Vides quomodo ascendit super omnem montem excelsum, et inflammatus arrogantia ista præsumat. Sunt autem alii qui ascendunt super colles, et fiunt subtus omne lignum non fructiferum, sed nemorosum : siquidem alterius naturæ est lignum, quod ubertate fertile est, alterius quod tantum abundat fronde foliorum. In nemoribus et lucis nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo arbores fertiles, sed oblectationi visus tantum ligna frondentia. Tales sunt hæretici, qui orationem suam verborum decore componunt, non ut convertant audientes a vitiis, sed ut delectent. Igitur qui istiusmodi seductione persuasus est, abiit subtus omne lignum. Simulque attende quare non dixerit, omne lignum, et tacuerit, neque rursum addiderit omne lignum fructiferum, sed significanter adjecerit : *subtus omne lignum frondosum.* Quamobrem si intelligas cur præcipiatur in Lege : *Non plantabis omne lignum juxta altare Domini Dei tui, nec facies nemus* (*Deut.* XVI, 21) : nominatim quippe interdicitur ne lucus plantetur in templo, si observaveris quare dictum sit: *Fornicata est illic, et dixi postquam fornicata est hæc omnia : Ad me convertere, et non est conversa, et vidit prævaricationem ejus prævaricatrix Juda*, de nobis dici intellige, qui derelinquentes **874** pactum, quod cum Deo fecimus, non servamus, neque respicimus priorem populum, testamentum, et repromissiones, et nobilitatem generis per peccatum simile perdidisse. *Si essetis filii Abraham, opera patris vestri faceretis* (*Joan.* VIII, 39) : dicit eis Dominus. Et in alio loco Joannes Baptista : *Ne incipiatis*, inquit, *dicere in vobis, quia patrem habemus Abraham : dico enim vobis, quia potens est Dominus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Luc.* III, 8): lapides esse nos significans, quia ad similitudinem lapidum obdurantes corda nostra renuimus veritatem. Et vere omnipotens Deus suscitabit filios Abrahæ de lapidibus, si permaneamus in

[a] Legit Rabanus, *fidem nostram, et non multitudinem.*

[b] Legebatur antea, *fidem :* Rabanus juxta Græcum, *fidelem*, substituit, qui et mox, *fiebant*, legit pro, *feriebantur.* Græce quoque est, ἐγίνοντο.

[c] Sic habet Rabanus et Græcus ἠρχόμεθα : antea, *revertebantur*, erat in vulgatis.

[d] Idem, *in prima statim fidei perceptione de differendo martyrio docebantur*, quod postremum verbum rescribere in textu non dubitavimus, cum minus bene antea esset, *ducebantur:* coegit enim et Græcum verbum κατηχοῦντο.

[e] Rabanus, *et vera beatitudine dignam. Si*, etc.

[f] Interserit Rabanus, *qui suavis*, etc.

[g] Legimus cum Rabano, unoque penes Huetium ms. Reg., *quasi Deus, necessariam quippe habemus homines bonitatem*, etc., cui lectioni concinit Græcus textus νῦν δὲ ὡς Θεὸς ἀμφότερον ἔχει. χρήζομεν γὰρ οἱ ἄνθρωποι μετανοοῦντες, etc. Tantum ex eodem Græco malim suppleri præterea locum ita, *quasi Deus utrumque habet, necessariam*, etc. Nihilosecius præferenda hæc lectio fuerat alteri hactenus impressæ, quæ non uno laborat mendo, *quasi dans necessaria, quippe habemus omnes bonitatem ejus ob pœnitentiam*, etc.

adoptione ejus, et spiritum per quem adoptati sumus, custodiamus in nobis. Vidit ergo prævaricationem Israel prævaricatrix Juda, quæ non servavit pactum quod cum Deo fecerat : *Et vidit quoniam de omnibus, in quibus mœchabatur, comprehensa est illa generatio.* Omnia quippe quæ passus est Israel, nos qui sumus Juda, legentes in sacris voluminibus, invenimus quoniam de omnibus [a] quibus comprehensa est, in quibus mœchabatur habitatio Israel, dimisit eam Dominus, et dedit ei libellum repudii. Et cum deberemus ex his quæ illi passi sunt, nos ad meliora converti, et inspicere quod [*Al.* quia] illi propter peccata traditi sunt captivitati, et interfecti ab inimicis, et civitates eorum igni exustæ sunt : cum itaque, ut diximus, hæc nobiscum deberemus [*Al.* debuerimus] reputare, quia si Deus naturalibus ramis non pepercit, quantum magis nec nobis parcet? si illos qui de patriarcharum genere descendebant, sic propter peccata dimisit, quid nos necesse sit vocatos ex gentibus pati? nihil horum reputamus, et ideo nos vocatos ut illi incitentur ad zelum, videntes servos aliquando [*Al.* quondam], liberos, ignobiles aliquando, nunc Dei filios. Si autem illi tanta passi sunt, quanto magis nos, si peccaverimus, pejora patiemur? In quibus mœchabatur habitatio domus Israel, dimisi eam, et dedi ei libellum repudii in manus ejus, et non timuit prævaricatrix Juda hæc, quæ fecit habitatio Israel, quia dimisi eam, **875** et dedi ei libellum repudii. Nec timuit prævaricatrix Juda, ut ne ipsa propter peccata sua, similia sustineret. Si quis nuper emptus domum emptoris et domini fuerit ingressus, sciscitatur ab aliquo conservo, quis de prioribus servis offenderit dominum, quid promeruerit : et si voluerit in domo domini perseverare, cavet ea facere, quæ eos fecisse audit [*Al.* audivit], qui verberibus et tormentis, et relegatione digni exstiterunt. Deinde diligentissime inquirens quid fecerunt illi qui libertatem a domino meruerunt, omni labore nititur, ut ea faciat, quæ eos fecisse cognovit. Et nos itaque qui non eramus servi Dei, sed idolorum, et dæmonum, et postea ex gentibus congregati credidimus in Christum, legamus Scripturas, videamus quis justificatus sit, quis offenderit Deum, et cum omni observatione nitamur ea facere quæ justos legimus fecisse, et caveamus in hoc incidere in quæ inciderunt hi qui traditi sunt captivitati, et ejecti de hæreditate Dei. *Et non timuit prævaricatrix Juda, sed* [Al. *et*] *abiit, et fornicata est et ipsa.* Post fornicationem, in qua prius [*Al.* primus] corruit Israel, fornicata est etiam Juda. *Et facta est fornicatio ejus in nihilum, et mœchabatur in ligno* [Al. *lignum*] *et lapide* [Al. *lapidem*]. Quando peccamus duro contra Deum corde, nihil aliud facimus, nisi cum lapide fornicamur. Quando in [b] voluptate peccamus, mœchamur subtus omne lignum nemorosum. *Et in his* **876** *omnibus non est conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo, sed in mendacio.* Et nos conversi sumus ad Dominum; sed quia non ex toto corde conversi, dicitur : *Non est conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo, sed in mendacio.* Neque vero ait : Non est conversa ad me prævaricatrix Juda et tacuit : sed, *Non est*, inquit, *conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo, verum in mendacio :* ut ostenderet eos qui convertuntur, si non ex toto corde convertuntur, in mendacio, non in veritate converti. Quapropter legamus veteris Testamenti historias, et prophetas, et si quos justificatos invenerimus, imitemur ea, per quæ illi justificati sunt. Legamus Evangelia, et omne novum Testamentum. Legamus apostoli Pauli Epistolas universas, et scribamus in cordibus nostris, viventes juxta præcepta cœlestia, ut non tradatur et nobis libellus repudii, sed cohæredes [*Al.* hæredes] efficiamur cum Christo Jesu, [c] et videbimus quod plenitudine gentium Ecclesiam Dei introeunte, in novissimis salvetur Israel, secundum illud eloquium : *Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit, et fiet unus grex, et unus pastor* ( *Rom.* XI, 25; *Joan.* X, 10 ), docens in commune populum suum magnificare omnipotentem [d] Dominum cum Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

[a] Mutilus sensus, aut verius nullus erat in antea vulgatis libris, *de omnibus mœchabatur habitatio*, etc. prætermissis hisce, quæ ex Rabani lectione substituimus, *quibus comprehensa est, in quibus mœchabatur*, etc. Restitutam hoc pacto lectionem comprobat Græcus ipse archetypus, ὅτι περὶ πάντων ὧν κατελήφθη ἡ κατοικία τοῦ Ἰσραήλ, ἐν οἷς ἐμοιχᾶτο.

[b] Rabanus, *voluntate*, quod et mss. Reg. penes Huetium præferunt : tum erat, *peccavimus*, pro, *peccamus :* in Græco est, ὅταν ἁμαρτάνωμεν.

[c] Mss. Reg. apud Huetium, *et plenitudine gentium Ecclesiam Dei introeunte, novissimus salvetur Israel.*

[d] Confer Huetium Origenianorum lib. II Quæst. 2, num. 29, sub finem.

# INCIPIUNT HOMILIÆ XIV IN EZECHIELEM.

## HOMILIA PRIMA.

*De prima visione Ezechielis* (Cap. I).

**877**. Non omnis qui captivus est propter peccata sustinet captivitatem. Nam cum omnis multitudo Judæorum causa peccati derelicta fuerit a Deo, et captivitatem sustinens comprehensa sit a Nabuchodonosor, atque ejecta de terra sancta, in Babyloniam usque perducta sit : pauci tamen justi, qui erant in populo non ob culpam suam sustinuerunt captivitatem, sed ob id ne peccatores, qui fuerant jugo captivitatis oppressi, omnino subsidium non haberent. Finganus quippe, peccatoribus in Babyloniam abductis, justos in antiquis finibus resedisse : fiebat

ut numquam peccatores remedium consequerentur. Disposuit igitur clemens et benignus, et hominum amator Deus inter supplicia quibus peccatores punit, etiam visitationis suæ miscere pietatem, nec immoderata pœna miseros premere. Semper talis est Deus noster, excruciat nocentes, sed quasi pius pater tormentis clementiam sociat. Si autem vis agnoscere vera esse, quæ dicimus, vide quid acciderit in Ægypto a fame. Si voluisset interficere tantum Ægyptios, et punire cruciatos in septennali fame, fecisset utique quod voluerat, et neque Joseph in Ægyptum descendisset, neque Pharao vidisset somnium de his, quæ Ægypto fuerant eventura, nec regi fuisset ostensum a principe vinariorum, esse quemdam, qui possit regi somnium interpretari. Nunc vero, ut cernis, Deus flagellat quasi pater, parcit autem **878** non solum Israel, verum et Ægyptiis, cum alieni sint ab eo, propter propriam mansuetudinem. Et manifestum est quia boni Dei opus super eos exerceatur, dum Joseph descendit in Ægyptum, dum Pharao somniis admonetur, dum princeps vini interpretem indicat, dum interpres disserit vasa, atque ita ubertatis tempore, frugibus congregatis, posterioris famis penuria vincitur. E quibus omnibus perspicuum est non esse immoderatam iram, quæ ab hæreticis in Creatore reprehenditur. Poteramus quidem multas historias retexere ad hæc probanda quæ dixi, sed ne videar a proposito recedere, compendium facio sermonis. Propositum quippe mihi est explanare de eo, quod propter peccata sua captivus abductus sit populus Israel. Et ne forte aliquis arbitretur peccatores a Deo traditos, ab eo ulterius non gubernari, et semel in captivitatem redactos, ultra dispensationem ejus, et misericordiam non mereri, præsentem locum diligentius consideremus. Daniel non peccavit, Ananias, Azarias, Misael a peccato immunes fuerunt, et tamen captivi effecti sunt, ut ibi positi captivum populum consolarentur, et per exhortationem vocis suæ pœnitentes in Jerusalem restituerent castigatos pro tempore. Septuaginta quippe annis servitutis supplicia pependerunt, ac sic deinde in sedes proprias reversi sunt, quia sanctus prophetarum sermo dejectos animos sublevaverat. Verum non solum ii quatuor **879** in captivitate prophetæ exstiterunt, sed et Ezechiel unus ex eis fuit, et Zacharias filius Barachiæ captivitatis tempore sub Dario rege cecinit. Invenimus etiam Aggæum multosque alios prophetarum iisdem prophetasse temporibus, ex quibus indicatur, Deum non tantummodo punire peccantes, verum et misericordiam miscere suppliciis. Quod si dubitas, audi voces tormenta patientium, quomodo sacratim, et in cruciatibus suis clementiam Dei eloquantur: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potabis nos in lacrymis et in mensura.* Non ait indifferenter, in lacrymis; sed, *in lacrymis et in mensura.* Misericordia quippe Dei in pondere. Si non esset utile conversioni peccantium adhibere tormenta peccantibus, nunquam misericors et benignus Deus pœnis scelera puniret : sed quasi indulgentissimus pater ob hoc corripit filium, ut erudiat : quasi providentissimus magister ita severitate frontis lascivum discipulum castigat, ne amari se sentiens pereat. Vide Salomonem sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur : *Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo* (*Eccl.* VII). *Quem enim diligit Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit. Nullus est enim,* inquit Apostolus, *filius, qui cum peccaverit, non flagelletur a patre.* Et ad hoc mirabiliter addidit dicens : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus* (*Hebr.* XII). Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes [a], adulterini, et non filii estis. Sed sit [*Al.* si] forsitan aliquis, qui ipso nomine iræ offensus criminetur eam in Deo. Cui respondebimus, non tam iram esse iram Dei, quam necessariam dispensationem. Audi quod sit opus iræ Dei, ut arguat, ut corrigat, ut emendet : *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me* (*Psal.* VI). Qui hæc loquitur scit Dei furorem non esse inutilem ad sanitatem, sed ad hoc adhiberi ut curet ægrotantes, ut emendet eos, qui sermonem ejus audire contempserunt. Ideirco nec deprecatur ne talibus remediis emendetur, ne cum pœnali medela recipiat pristinam sanitatem, quasi si servus jam inter flagella positus, **880** Dominum precetur, repromittens ei se imperata facturum, et dicat : *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Omnia quæ Dei sunt, bona sunt, et meremur corripi. Ausculta quid dicat : *Arguam eos in auditu angustiæ eorum.* Ideo audivimus ea, quæ de tribulatione sunt, ut emendemur. In maledictis quoque Levitici scriptum est : *Si post ista non obedierint, neque conversi fuerint ad me, apponam eis plagas septem super peccata eorum. Si autem post hæc conversi non fuerint, emendabo eos* (*Levit.* XXVI). Omnia Dei, quæ videntur amara esse, in eruditionem et remedia proficiunt. Medicus est Deus, pater est Deus, dominus est, non asper, sed lenis est dominus. Si veneris ad eos, qui puniti sunt secundum eloquia Scripturarum, compone Scripturas Scripturis, ut et te Apostolus docet, et videbis ibi dulcissima esse, ubi amarissima existimantur. Scriptum est in propheta : *Non vindicat bis in idipsum in judicio* (*Num.* I). Vindicavit semel in judicio per diluvium (*Gen.* VII, 19), vindicavit semel in judicio super Sodomam et Gomorrham, vindicavit semel in judicio super Ægyptum, et sexcenta millia Israelitarum (*Exod.* XIV). Noli existimare quod hæc ultio pœna tantum fuerit peccatoribus, quasi post mortem, et supplicia iterum a supplicio excipiendi sint. Puniti sunt in præsenti, ne in futuro jugiter punirentur. Cerne pauperem in Evangelio, squalore et penuria premitur, et postea in Abrahæ sinu requiescit.

[a] Corrupte *adulteri* legebatur pro *adulterini*, et mox *si* pro *sit*.

*Recepit mala sua in vita sua* (*Luc.* XVI). Unde scis an receperint, qui in diluvio sunt necati, mala sua in vita? Unde nosti utrumne restituta sint Sodomæ et Gomorrhæ mala sua in vita sua? Audi testimonium Scripturarum. Vis Testamenti veteris testimonium discere? vis novi edocere? *Restituetur Sodoma in antiquum :* et adhuc dubitas an bonus sit Dominus puniens Sodomitas? Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, dicit Dominus miserans Sodomitas (*Mar.* VI). Benignus ergo est Deus, clemens est Deus. Solem suum vere oriri facit super bonos et malos : et pluit vere super justos et injustos : non solum hunc, quem oculis cernimus solem, sed et illum solem, qui oculis mentis aspicitur. Ego malus eram, et ortus est **881** mihi sol justitiæ. Ego malus eram et venit super me pluvia justitiæ (*Matth.* V). Bonitas Dei est etiam in his, quæ amara existimantur. Igitur in civitate constitutus est Prophetes, et cerne quæ videat, ne dolores sentiat captivitatis (*Ezech.* I). Deorsum videt labores, sed sursum elevans oculos, apertos suspicit cœlos, cernit sibi reserata cœlestia, videt similitudinem gloriæ Dei, videt quatuor animalia, de quibus multus sermo, et difficilis interpretatio est. Cernit aurigam quatuor animalium. Cernit rotas se invicem continentes. Auriga quatuor animalia non totus est igneus, sed pubetenus a pedibus, et exinde usque ad summum electri fulgore rutilat. Non enim solum tormenta habet Deus; sunt in eo etiam refrigeria. Punit peccatores; sed per ea mysteria, quæ deorsum sunt. Neque enim Propheta ignem vidit in capite, aut in his membris, quæ a lumborum confinio ad summa consurgunt. Igneus est Dominus; sed a renibus usque ad pedes, ut demonstret eos, qui in generatione versantur, igne indigere. Renis quippe coitus significatio est. Adhuc in lumbis Abraham patris erat Levi, quando ei occurrit Melchisedec (*Hebr.* VII.) Et in psalmo dicitur : *De fructu lumbi tui ponam super sedem meam* (*Ps.* CXXXII). Igneus est a renibus usque ad deorsum Dominus. Generationis enim et libidinis opera gehennæ suppliciis corripiuntur. Igneus est Deus ; sed non totus est igneus : superiora ejus electrum sunt. Electrum non solum argento, verum et auro pretiosius est. Electrum autem pro exemplo fulgoris Scriptura posuit, non quod Deus vere electrum sit. Et quomodo non est tale electrum Deus, quale videbatur : sic non est talis ignis, qualis a renibus usque ad pedum finem apparuit. Ignis iste consumit, et non est appositum quid consumat, ut tu quærens reperias, quid sit illud, quod a Dei igne consumitur. **882** Deus noster ignis consumens est (*Deut.* IV). Quid consumit [a] ignis iste? Non ligna, quæ cernimus, non sensibile fenum, non stipulam, quæ videtur : sed si superædificaveris fundamento Jesu Christi opera peccati ligna, opera peccati fenum, opera peccati inferiora stipulam, venit ignis, et universa ista examinat (I *Cor.* III). Quis est iste ignis, quem Lex prædicat, et Evangelium non tacet? Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Quis est, Apostole, ignis iste, qui probat opera nostra? Quis est ignis iste sic sapiens, ut custodiat aurum meum ut argentum meum splendidius ostendat, ut illæsum relinquat eum, qui in me est lapidem pretiosum, ut mala tantum consumat quæ feci, quæ superædificavi ligna, fenum, stipulam? Quis est iste ignis? *Ignem veni mittere super terram, et* [b] *quam volo ut accendatur* (*Luc.* XII). Jesus Christus dicit, *quam volo ut jam accendatur*. Bonus enim est, et novit quia si ignis iste fuerit accensus, malitia consumetur. Scriptum est in Prophetis : *sanctificavit eum in igne ardenti, et voravit tanquam fenum silvam* (*Zach.* XIII). Et rursum : *Emittit Dominus Sabaoth in tuum honorem contumeliam, et in tuam gloriam ignis ardens accenditur*, id est, ut tu glorificeris emittitur ignis in opera peccatorum tuorum. Vis adhuc a Propheta discere, quia tormenta boni Dei sint ad utilitatem eorum, qui ea sustinent, constituta? Ausculta eumdem prophetam dicentem : *Habes carbones ignis, sedebis super eos : ii erunt tibi adjutorio* (*Esai.* LVII). Hæc oportebat abscondere, et in medium non proferre, sed [c] hæretici nos impellunt, ut celanda efferamus in publicum, quia tecta sunt utiliter apud eos, qui adhuc parvuli juxta animæ ætatem sunt, qui metu indigent magistrorum, minis et terroribus corripiendi sunt, et possint consequi bonitatem, ut per amara remedia a vulneribus peccatorum aliquando desistant. **883** Semper enim sacramenta Dei propter parvulos auditores velaminibus quibusdam operiuntur. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti et nihilominus lux in quo tenebræ non sunt, lux sine dubio justis, et ignis efficitur peccatoribus, ut consumat in eis omne, quod in anima eorum corruptibilitatis aut fragilitatis invenerit.*

[a] Paria habet lib. I, *de principiis* cap. I, *quæ huc* referre opere pretium est : *Quid enim*, inquit, *consumet Deus secundum hoc, quod ignis est? Numquidnam putabitur consumere materiam corporalem ut est lignum vel fenum, vel stipula : et quid in hoc dignum de Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est hujusmodi materias consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quod exterminat : si consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentium mentibus inserit, et eas animas, quæ verbi ejus ac sapientiæ efficiuntur capaces, una cum Filio suo inhabitans, secundum quod dictum est : Ego et pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus, omnibus eorum vitiis passionibusque consumptis, sibi eas seque dignum efficit templum.* Ita et homil. 2 in Cantic. Cantic. : *Denique ob hoc Deus noster ignis dicitur esse consumens,*

[b] Confer quæ inferius ad hunc Evangelii locum in homilia 5 laudatum observamus.

[c] Puta Simonis, Valentini, Cerdonis aliorumque id genus hæreticorum asseclas, qui duo principia, sive duos deos statuebant : alterum malum, tametsi justum, mundi conditorem, Legis opificem : bonum alterum, Christi patrem, et novi Testamenti auctorem. Adversus horum vesaniam cum alii Patres, ut sunt Tertullianus et Irenæus, tum præcipue Origenes passim velitatur, ut illi damnandæ ac confutandæ solertissimus audiat ab auctore dialogi *de recta in Deum Fide.*

*timentibus te.* Legis et Prophetarum Deus abscondit multitudinem bonitatis suæ non diligentibus, sed timentibus se. Parvuli quippe sunt, nec possunt cum emolumento suo discere quod amentur a Patre, ne dissolvantur, ne despiciant bonitatem Dei. Quapropter cum audieris de populi captivitate, credere quidem vere accidisse eam juxta historiæ fidem, sed in signum rei alterius præcessisse, et subsequens significasse mysterium. Nam et tu, qui vocaris fidelis, qui conspicis pacem, Christus quippe pax nostra est, in Jerusalem commoraris. Si autem peccaveris derelinquet te visitatio Dei, et traderis captivus Nabuchodonosor, et traditus duceris in Babylonem. Cum enim confusa fuerit anima tua a vitiis, et perturbationibus, abduceris in Babylonem, quoniam Babylon *confusio* interpretatur. Etsi rursum pœnitentiam egeris, et per conversionem veri cordis misericordiam Dei impetraveris, mittitur tibi Esdras, qui te reducat, et ædificare faciat Jerusalem. Esdras quippe interpretatur *adjutor*, et mittitur tibi verbum juvans, ut revertaris in patriam tuam. Sacramentum est et id quod in ænigmate et a Daniele dicitur, et ab Apostolo abscondente pariter et revelante narratur: *In Adam omnes morimur, et in Christo omnes vivificamur* (I *Cor.* xv). Fuit quippe Adam in paradiso, sed serpens captivitatis ejus causa exstitit, et fecit, ut ejiceretur sive de Jerusalem, sive de paradiso, et veniret in locum hunc lacrymarum. Serpens hostis est contrarius veritati. Contrarius autem non a principio creatus est, neque statim super pectus, et ventrem suum ambulavit, neque fuit ab initio maledictus. Sicuti Adam et Eva non statim ut facti sunt, [a] non peccaverunt: ita et serpens fuit aliquando non serpens, cum in paradiso deliciarum moraretur. Unde postea coruens ob peccata meruit audire: *Tu signaculum similitudinis, corona decoris in paradiso Dei natus es, donec inventa est iniquitas in te, ambulasti immaculatus in omnibus* **884** *viis tuis* (*Ezech.* xxviii). De quo etiam Job memorat, quia in conspectu omnipotentis Dei superbierit: *Cecidit quippe de cælo lucifer, qui mane oriebatur, contritus est super terram* (*Job* xi). Vide consonantiam prophetici Evangelicique sermonis. Prophetes dicit: *Cecidit de cælo lucifer, qui mane oriebatur, contritus est super terram* (*Isa.* xiv). Jesus loquitur: *Videbam Satanam, quasi fulgur de cælo cadentem* (*Luc.* xviii). In quo differt dicere fulgur aut luciferum de cœlo ruentem? Quod ad rem pertinet, omnis consonantia de cadente est. Deus quippe mortem non fecit, nec malitiam operatus est. Liberum arbitrium et homini, et Angelo ad universa permisit. Hic jam intelligendum est, quomodo per arbitrii libertatem, alii ad bonorum conscenderint summitatem, alii corruerint in malitiæ profundum. Tu vero, homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum? Quare ægre fers niti, laborare, contendere, et per bona opera teipsum causam [b] tuæ fieri salutis? An magis te delectabit dormientem, et in otio constitutum æterna prosperitate requiescere? *Pater meus*, inquit Dominus Jesus Christus, *usquemodo operatur, et ego operor* (*Joan.* xv); et tibi displicet operari qui ad opera natus es? Non vis opus tuum fieri justitiam, sapientiam, castitatem? Non vis tuum opus esse fortitudinem, aliasque virtutes? Igitur in captivitatem ducuntur, qui propter peccata sua servitutis meruere supplicia. *Et venit Jesus Christus prædicare captivis remissionem, et cæcis visum* (*Luc.* iv). Iste clamat eis, qui sunt in vinculis: Egredimini, et iis, qui versantur in tenebris: Videte. Et nos fuimus in vinculis peccatorum, et nos aliquando versabamur in tenebris, adversum rectores tenebrarum mundi istius concertantes: venit Jesus omnium prophetarum vocibus prædicatus, dicens ligatis: Exite: et constitutis in tenebris: Aspicite. Si autem vis audire Ezechielem filium hominis in captivitate prædicantem, et iste typus erat Christi: *Ideo factum est*, ait, *in trigesimo anno in quarto mense, in quinta mensis, et ego eram in medio captivitatis secus flumen Chobar, et aperti sunt cœli.* Secus fluvium ergo Chobar Ezechiel cum triginta esset annorum apertos vidit cœlos. *Et Dominus* **885** *Jesus Christus incipiens erat quasi triginta annorum secus fluvium Jordanem, et aperti sunt cœli* (*Joan.* i; *Luc.* iii). Et per omnem prophetiam Ezechieli dicitur: *Fili hominis.* Quis autem [c] filius hominis, ut Dominus meus Jesus Christus. Respondeant mihi hæretici, [d] qui nativitatem illius ut phantasma eludunt, quare Christus filius hominis appel-

[a] Rectius hinc amoveas alteram negandi particulam, ut sensus constet.

[b] Prælusisse Origenem Pelagio, notum: suntque adeo caute cum hoc tum ejusmodi alia ejus legenda dogmata.

[c] Audi ipsum Origenem hujus appellationis, qua κατ' ἐξοχὴν Christus *Filius hominis* dicitur, causam edisserentem in commentar. in Matthæum cap. xxii, ex Latina interpretatione: *Causam reperire possumus, propter quam* υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (*Filium hominis*) *vel,* υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (*Filium hominis*) *se ipse sospitator frequenter appellat, quod quemadmodum hominum curam gerens Deus homo in parabolis dicitur, et quodammodo fortasse efficitur: ita et Servator, qui Filius Dei primo et præcipue est, Deus quoque est, et Filius amoris ipsius, et imago Dei invisibilis, sed in eo quod primo ipse præcipue est, non permanet; at juxta illius administrationem, qui homo, in parabolis dicitur, revera autem Deus est, Filius hominis efficitur, imitando Deum, cum homines regit, qui in parabolis appellatur homo, et aliquo modo efficitur. Nec sane homo aliquis quærendus est, ipsiusque filius dicendus est Servator, sed hac Dei natione stando, et parabolas quæ ipsum hominem esse sciscunt, sequendo, prudenter et caute intelligendus est, cum Filium hominis se ipse appellat.*

[d] Cum Docitarum hæresim tam sæpe Origenes insectetur elidatque validissimis argumentis, mirum plane est hoc ipsum illi objectum, quod mentitum Christi corpus, et specie tenus apparens, non verum crediderit. *Quarta*, inquit Pamphilus in apologia, *criminatio, post istas est, quæ istis omnibus adversatur* (*cæca enim est malitia*) *quod dicunt eum dicere* δοκήσει, *id est, putative tantum, et per allegoriam, non etiam secundum ea, quæ juxta historiam referuntur, gesta esse omnia, quæ a Salvatore gesta sunt.* Neque enim decedit a vero alibi. Operæ pretium est suæ ipsum fidejussorem audire, tum aliis sexcentis locis, cum præcipue homil. 14 in Lucam ex ejusdemmet

latur? Ego affirmo filium hominis eum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse est ut ante passionem susceperit nativitatem. Neque enim potuit humanos affectus, verba, consuetudines, crucem, mortem recipere, si non reciperet humanitatis exordium. Et consequens erat, nativitatem ejus auferentes, auferrent etiam passionem, et simpliciter dicere : Non est crucifixus Jesus. Nunc vero crucem confiteris, et non erubescis. Judæis scandalum prædicas crucifixum, et gentibus stultitiam (I *Cor.* I), et minus scandalum passione vel morte, erubescis nativitatem ejus confiteri. Nimirum minus scandali est, Jesum natum fuisse, quam mortuum, aut si scandalum Christiana fides non veretur, cur times dicere minora, qui [*Al.* quia] majora ausus es confiteri? Præsertim cum nativitas illius non ex semine viri, et mulieris somno convenienti esse credatur, sed juxta prophetæ eloquium dicentis : *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII). Hoc quod dicitur, *Emmanuel*, non unum nomen sonat, sed rem significat. Adveniente quippe Jesu, dicimus, *nobiscum Dominus*. Non frustra ergo in trigesimo anno prophetat Ezechiel. Nam et nomen ejus figura Christi est. Interpretatur quippe Ezechiel, *imperium Dei* : imperium autem Dei nullus est nisi Christus Jesus. **886** Filius quoque Buzi scribitur, quod interpretatur, *contemptus*. Si venias ad hæreticos, et audias eos spernentes, et pro nihilo ducentes Creatorem, et insuper etiam criminantes, videbis juxta illos contemptissimi Creatoris Filium Dominum nostrum Jesum Christum. Quod si quis reluctatur, et non vult hæc, quæ exposuimus, quasi prophetiam recipere, quæram ab eo cur scriptum est, in trigesimo anno vitæ Ezechielis apertos fuisse cœlos, et vidisse eum eas visiones, quæ in libro ejus continentur. Quid mihi prodest annorum numerus, nisi hoc ut discam, trigesimo anno et Salvatori, et prophetæ cœlos fuisse reseratos, et spiritalibus spiritalia comparans, cognoscam universa, quæ scripta sunt, ejusdem esse Dei sermones? *Quippe verba sapientium ut stimuli, et quasi clavi in altum confixi quia compugentibus dati sunt a pastore uno* (*Eccl.* XII). Ego et hoc quod dicitur, *in quarto mense, quinta mensis*, juxta possibilitatem sensus mei investigans, precor a Deo, ut idipsum possim intelligere, quod Scripturarum ejus congruit voluntati. Novus annus imminet jam Judæis, et primus mensis apud eos a novi anni numeratur exordio. Agitur autem pascha de numero novi anni. *Principium mensium iste vobis erit in mensibus anni* (*Exod.* XII). Ab hoc anno numera mihi quartum mensem, et intellige baptizatum Jesum in quarto mense novi anni. Eo enim mense, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, baptismum Domini factum esse cognoscimus, qui est mensis quartus ab anno novo juxta supputationem Hebræorum. Et quia de quatuor elementis mundi subsistens corpus assumpserat, recipiens etiam sensus humanos, ideo forsitan et in quarto mense, et **887** in quinto die mensis est intuitus visionem. *Et ego eram in medio captivitatis.* Videtur mihi ironicῶs dictum : *Et ego eram in medio captivitatis.* Et ego, quasi si dicat juxta historiam quidem propheta, et ego qui non tenebar in peccatis populi, eram in medio captivitatis : juxta allegoriam autem Christus, et ego veni in locum captivitatis, veni ad eos fines, ubi servi, ubi captivi detinebantur. Habes istiusmodi Salvatoris nostri voces in Prophetis, indignantis, quia non faciamus homines digna dispensatione ejus, et maxime nos, qui in eum putamur credere. Dicit quippe ad Patrem suum : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam* (*Psal.* XXIX). Invenio quoque et aliam istiusmodi vocem, quæ ex Salvatoris nostri persona dicitur per prophetam quærentem animas plenas justitiæ, plenas sensuum divinorum, plenas sanctorum fructuum, et quærentem veritatis veros botros, sed invenientem plurimos peccatores, et infructuosos bonorum, et idcirco dicentem : *Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, et sicut racemos in vindemia, ad quam non supersit botrus ad manducandum primitiva. Heu mihi* (*Mich.* VII). Quod dicitur, *heu mihi*, non est primogeniti totius creaturæ, non est divinitatis vox, sed humanæ animæ, quam suscepit, unde infert : *Heu mihi, anima mea, quia periit revertens a terra : et qui corrigat inter homines non est.* Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Hæc idcirco memorata sunt, quia ait prophetes : *Et ego eram in medio captivitatis juxta flumen Chobar :* quod interpretatur *gravitudo*. Gravis autem est hujus sæculi fluvius, sicut et alibi sacrate dicitur. Et juxta simplices quoque historiam explicat : juxta eos vero, qui spiritaliter Scripturas audiunt, de anima significat, quæ in vitæ istius inciderit turbines. *Super flumina Babylonis ibi sedimus, et flevimus, dum recordaremur Sion : in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra, quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt* **888** *nos, verba canticorum* (*Ps.* CXXXVI). Ista sunt flumina Babylonis, juxta quæ sedentes, et reminiscentes patriæ cœlestis, lugent atque deplorant, ubi suspendunt organa sua, in salicibus Legis et mysteriorum Dei. Scriptum est in quodam libro, quia salignam omnes credentes accipiant coronam. Et in Isaia dicitur : *Orietur quasi in medio aquæ fenum, et salix super aquam*

Hieronymi interpretatione : *Jesus erat indutus vestibus sordidis. Quod quidem et adversus eos facit, qui negant Dominum nostrum, humanum habuisse corpus, sed cœlestibus et spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cœlestibus, et ut illi falso asserunt, de sideribus, et alia quadam sublimiori spiritalique natura corpus ejus fuerit, respondeant quare potuerit spiritale corpus esse sordidum, aut quomodo hoc interpretentur, quod posuimus : Jesus erat indutus vestibus sordidis?* Paria habet et l. II *de Principiis* cap. 6, et lib. V in epist. ad Rom., et lib. contra Celsum, c. 2, quæ laudat Huetius, testimonia.

*fluentem* (*Isai.* XLIV). Et in solemnitate Dei, quando tabernacula ejus componuntur, salignos ramos in tabernaculorum fixione constituunt. *Secus fluvium Chobar.* Secus flumen istud gravissimum sæculi. *Et aperti sunt cæli.* Clausi erant cœli, et ad adventum Christi aperti sunt, ut reseratis illis, veniret super eum Spiritus sanctus in specie columbæ. Neque enim poterat ad nos commeare, nisi primum ad suæ naturæ consortem descendisset. *Ascendit Jesus in altum, captivam duxit captivitatem, accepit dona in hominibus. Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et magistros in perfectionem sanctorum* (*Eph.* IV). *Aperti sunt cœli.* Non sufficit unum cœlum aperiri, aperiuntur plurimi, ut descendant non ab uno, sed ab [a] omnibus cœlis Angeli ad eos, qui salvandi sunt. Angeli qui ascendebant et descendebant super filium hominis, et accesserunt ad eum, et ministrabant ei. Descenderunt autem Angeli, quia prior descenderat Christus, metuentes descendere priusquam Dominus virtutum omnium rerumque præciperet; quando autem viderunt principem militiæ cœlestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes Dominum suum, et parentes voluntati ejus. Qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub dæmonio eras, hodie sub Angelo. *Nolite*, inquit Dominus, *contemnere unum de minimis istis, qui sunt in Ecclesia. Amen enim dico vobis, quia Angeli eorum per omnia vident faciem Patris, qui est in cœlis* (*Matth.* XVIII). Obsequuntur saluti tuæ Angeli, concessi sunt ad **889** ministerium filii Dei, et dicunt inter se: Si ille descendit, et descendit in corpus, si mortali indutus est carne, et sustinuit crucem, et pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli descendamus e cœlo. Ideo et multitudo militiæ cœlestis erat laudantium, et glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt: veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, et suscipiens eum quasi medicus bonus, confove atque institue: parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens; et suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, et advoca tibi alios socios ministerii tui ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. *Gaudium enim est majus in cœlis super unum peccatorem pœnitentiam agentem, quam supra nonaginta novem justos, quibus non est opus pœnitentia* (*Luc.* XV). *Exsultat omnis creatura, collætatur, et applaudit his qui salvandi sunt. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat* (*Rom.* VIII). Et licet nolint ii, qui Scripturas Apostolicas interpolaverunt, istiusmodi sermones inesse libris eorum, quibus possit Creator Christus approbari, exspectat tamen omnis creatura filios Dei, quando liberentur a delicto, quando auferantur [*Al.* auferentur] de Zabuli manu, quando regenerentur a Christo. Verum jam tempus est, ut de præsenti loco aliqua tangamus. Vidit Propheta non visionem, sed visiones Dei. Quare non vidit unam, sed plurimas visiones? Audi Dominum pollicentem atque dicentem: *Ego visiones multiplicavi* (*Osee* XII). *Quinta mensis* Hic annus quintus captivitatis regis Joachim: trigesimo anno ætatis Ezechielis, et quinto captivitatis Joachim, Propheta mittitur ad Judæos. Non despexit clementissimus pater, nec longo tempore incommonitum populum dereliquit. Quintus est annus. Quantum temporis intercessit? Quinque anni interfluxerunt ex quo captivi serviunt. Statim descendit Spiritus sanctus, aperuit cœlos, ut hi qui captivitatis jugo premebantur viderent ea quæ videbantur a propheta. Dicente quippe eo; *et aperti sunt cœli*, quodammodo et ipsi intuebantur oculis cordis, quæ ille etiam oculis carnis aspexerat: **890** *Et factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzii sacerdotem.* Sermo Domini, qui in principio erat apud Deum Patrem, Deus Verbum, sermo qui credentes efficit Deos. Si enim dixit illos deos, ad quos sermo dei factus est, et non potest solvi Scriptura, ad quoscumque sermo Dei factus est, facti sunt dii. Ezechiel quoque Deus fuit, quia factus est sermo Dei ad eum: *Ego dixi: Dii estis, et filii altissimi omnes. Vos vero ut homines moriemini, et quasi unus ex principibus cadetis* (*Ps.* LXXXII). Ubi habetis in novo Testamento istiusmodi repromissionem? Si oportet instrumenta distinguere, et dicere inter se dissidentes deos, quod quidem nefas est etiam suspicari, sed juxta abusionem dicimus, audacter profecto dicam, multo majorem in veteri Testamento ostendi humanitatem, quam in novo: *Ego dixi, Dii estis et filii altissimi omnes.* Non ait, quidam dii estis, et quidam non estis: verum omnes dii estis. Si autem peccaveritis, ausculta quid sequitur: *Vos vero ut homines moriemini.* Non est hæc culpa vocantis ad salutem, non ipse causa mortis, qui invitat ad divinitatem, et ad cœlestis naturæ adoptionem, sed in nostro peccato, et in nostro scelere consistit quod dicitur: *Vos autem ut homines moriemini, et quasi unus de principibus cadetis.* Multi principes erant et unus ex eis corruit, de quo et in Genesi scribitur: *Ecce Adam factus est*, non, quasi nos, sed *quasi unus ex nobis* (*Gen.* III). Ergo quando peccavit Adam, tunc factus est quasi unus. *Et factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzi.* Etiamsi de Salvatore hæc dicta volueris intelligere, ne timeas, habet et sic allegoria intellectum suum: venit sermo Domini ad

[a] In aliis libris est, *plurimis*. Videtur vero Origenes tum ibi, cum maxime subsequenti contextu, non quidem omnibus singulisque hominibus, sed sanctis tantummodo, qui Christi fidem profiterentur, custodem Angelum assignare. *Distribuit*, ait mox, *custodes credentium nomini suo. Tu heri sub dæmonio eras, hodie sub Angelo.* Et locupletius paulo post. Confer quæ in hanc rem congessit Huetius Origenianorum lib. II, quæst. 5, num. 18. Sed et illud animadvertendum, distinctionem hanc pluralis numeri a singulari Hebræam linguam minime pati.

eum, qui de Virgine nascebatur, id est, hominem, sermo semper in Patre manens, ut fierent utraque unum, et consociaretur homo, quem ob sacramentum et salutem universæ humanitatis indueret, divinitati ejus et naturæ unigeniti Dei. *Factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum.* Chaldæi de cœlestibus disputant: Chaldæi nativitates hominum ratiocinantur. *In terra Chaldæorum*, quasi si dicat, eorum qui asserunt fatum, eorum qui causas universitatis astrorum circuitu vendicant. Iste ergo nunc error, et **891** ista mentis perversitas figuraliter in Chaldæorum terra significatur. *In terra Chaldæorum secus flumen Chobar. Et facta est illic super me manus Domini.* Et sermo Domini factus est ad prophetam et manus, ut et factis ornaretur et verbis. *Et vidi visiones.* Aliqua perstringam, et licet pro angustia temporis ea, quæ dixi, possint sufficere, tamen etiam de toto corpore visionis summa quæque libabo. *Et vidi, et ecce spiritus surgens veniebat ab Aquilone.* Diligenter considera rerum numerum quæ dicuntur: *Spiritus surgens*, sive *auferens veniebat ab Aquilone*, ecce una res. *Et nubes magna erat in eo:* ecce duæ. *Et splendor in circuitu ejus:* ecce tres. *Et ignis refulgens:* ecce quatuor. *Et in medio ejus sicut visio electri in medio ignis:* ecce quinque. *Et lumen in eo:* ecce sex. *Post hæc similitudo quatuor animalium, et visio eorum, et narratio visionis:* ecce septem. *Et in medio animalium, quasi carbones ignis:* ecce octo. Quis potest ista minutatim exponere? Quis ita est capax spiritus Dei, ut hæc Sacramenta dilucidet? Oportebat accusatores Creatoris, et Dei prophetarum primum intelligere quæ dicuntur a prophetis, et postea criminari. Qui enim vere accusat, ea debet accusare, quæ novit. Si vero hæretici ne prope quidem sunt intellectui divino, quomodo rationabiliter accusant, quos eos nescire convincimus? Discant, quis in hac visione sit sensus. Primum appareat spiritus auferens; secundo nubes magna in spiritu auferente; tertio splendor in circuitu spiritus auferentis; quarto ignis refulgens; quinto in medio ejus sicut visio electri, haud dubium quin in medio ignis; sexto splendor in eodem electro. Confiteor libenter a sapiente, et fideli viro dictam sententiam, quam sæpe suscipio. De Deo et vera dicere periculum est. Neque enim ea tantum periculosa sunt quæ falsa de eo dicuntur: sed etiam quæ vera sunt, et non opportune proferuntur, dicenti periculum generant. Margarita vera est, sed si perverse, discrimen ejus est, quod [a] dicit pedibus eorum. Et ut juxta nos aliquod ponamus exemplum, collectiones istæ non solum in Ælia, non tantum Romæ, non in Alexandria, sed in omni semel orbe **892** similitudinem referunt sagenæ, quæ ex omni genere piscium capit. Non possunt universa bona esse quæ incidunt in eam. Ait quippe Salvator: *Cum extraxerint, et secus littus sederint, eligent bona quidem in vasa sua, mala vero foras projicient.* Oportet ergo in sagena totius Ecclesiæ esse et bona et mala. Si jam universa munda sunt, quid derelinquimus judicio Dei? Et juxta aliam parabolam, et frumentum et paleæ in area continentur, cum frumentum tantum in Christi horrea congregandum sit, et discernantur paleæ ab eo, cujus ventilabrum in manu ejus, et mundabit aream suam, et congregabit frumentum in horreum, paleas vero consumet in igne inextinguibili (*Luc.* III). Neque enim assero aream totum esse mundum, sed aream intelligo esse cœtum populi Christiani. Quomodo unaquæque area circumscribitur, et est plena frumento, vel paleis, nec totum frumentum est, nec totum rursum palea: sic in Ecclesiis terrestribus alius est frumentum, alius est palea. Verum ubi non sua causa, nec per voluntatem paleæ sunt (neque enim ex proprio arbitrio frumentum est) hic vero in tua potestate positum est ut sis palea, vel frumentum. Hæc nos docere debent, ut si aliquando aliquis in congregationibus nostris viderit peccatorem, non scandalizetur, neque dicat: Ecce peccator in cœtu sancto est. Si hoc licet, si hoc conceditur, quare et ego non peccem? Dum in præsenti sæculo sumus, id est in area et in sagena, et boni et mali in ea continentur. Quando autem venerit Christus fiet discretio, et implebitur illud quod ab Apostolo dicitur: *Omnes nos oportet assistere ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, quæ gessit sive bona sive mala* (II *Cor.* IV). Hæc in proœmio de interpretationibus visionum æstuans animus est locutus, et ambigens quæ sileat, quæ proferat, quæ leviter tacta dimittat, quæ ex iis manifestius, quæ obscurius exponenda sint, si tamen poterimus implere quod cupimus. Primum ergo videtur spiritus auferens: id quod paulo ante diximus, quia Dominus noster ignis consumens sit, etiam nunc repetimus, et dicimus huic testimonio congruere. **893** Quomodo ponitur spiritus auferens? *Deus spiritus est* (*Joan.* IV), et spiritus auferens cernitur. Quid a me aufert, et ab anima mea, ut merito auferens prædicetur? Utique mala: et tunc sentio bonitatem ejus, si a me pessima quæque sustulerit. Neque vero putandum est finem esse beatitudinis, si a malis liberemur, initium felicitatis est carere peccato; et in Jeremia scribitur (omnia quippe quæ in Prophetis scripta sunt clementissimo Deo vendico): *Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te super gentes et regna eradicare, et suffodere, et disperdere, et ædificare, et plantare* (*Jer.* I). Benignus est Deus, dans sermones ad eradicandum. Verum quid est quod eradicari debeat, et subverti? Si qua plantatio in animo mala est: si qua secta nequam, hanc eradicat, hanc subvertit sermo propheticus. Utinam autem contingat ut mihi talis sermo donetur, qui eradicet hæreticorum semina, et doctrinam ex Zabuli fonte manantem, qui de ejus anima, qui nunc primum Ecclesiam ingreditur, idololatriæ auferat plan-

[a] Sic et Genebrardi et Basileensis vetustior editio habent. Nec dubito tamen, corruptum locum esse, aut mutilum; sed quando veteres libri suppetias non ferunt, ex ingenio refigere non libet.

tationem. *Dedi sermones meos in os tuum. Ecce constitui te eradicare, et suffodere:* scilicet ut si qua ædificatio pessima est, destruatur. Quam vellem et ego suffodere, quidquid Marcion in auribus deceptorum ædificavit, eradicare, et subvertere, et disperdere, ut Jacob disperdidit idola. Usque ad hodiernum diem est disperdere et ædificare. Hæretici disperdere et subvertere tantum audierunt, in ædificationis autem plantationisque sermone surdas aures averterunt. Neque enim volunt inspicere, quia tristia quæque prima dicuntur, et secunda quæ læta sunt. Quare nunc ista memoramus? Videlicet ut manifestetur Dei sermo subvertere mala, et ædificare optima, eradicare vitia, quasi agricola bonus, ut in purgato campo uberrima virtutum messis oriatur. Hæc propter spiritum auferentem. Vidit enim primum spiritum auferentem, deinde nebulam magnam in eo. Quando purgatus fueris ab auferente spiritu, tantum ut auferatur omne malum a te, et omne quod in tua anima nequitiæ versatur, tunc incipies etiam magna nebula frui, quæ in spiritu auferente consistit. Quæ nebula proxima est ei nebulæ, quam in Evangelio legimus, de qua venit vox: *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* III). **894** Spiritus vero auferens, deinde nebula magna in eo, postea splendidissimum lumen in circuitu ejus. Ablatum est a te malum. Data est tibi nebula magna, ut pluat imbrem super vineam tuam. Secundum illud, quod alibi dicitur: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* V), superpessimam videlicet vineam. Si autem hoc de mala jubetur, haud dubium est quin econtrario si bona vinea fueris, pluat super te nebula. *Et splendor in circuitu ejus.* Deinde: *Ignis fulgens, et in medio ejus quasi visio electri.* Dupliciter aufert a nobis mala Deus, spiritu et igni. Si boni et intenti ad præcepta Dei simus, et sermonibus illius erudiamur, spiritu mala nostra aufert, secundum illud, quod scriptum est: *Si autem spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis. Si vero spiritus mala non abstulerit a nobis, purgatione ignis indigemus* (*Rom.* VIII). Idcirco diligenter observa conjunctiones singulas. Prima conjunctio est spiritus et nebulæ, secunda ignis et luminis, tertia electri et splendoris, ac singula, quæ quasi tristitia videntur, jucundiorum vicinitate pensantur. Sive enim spiritus oritur, statim sequitur nebula: sive ignis apparet, adjunctum est ei lumen: sive electrum præcedit, splendor in circuitu ejus est. Oportet quippe nos quasi aurum in fornace, et electrum vehementissimo igne conflari. Et in hoc propheta, quem nunc exponimus, habes sedentem Dominum in medio Jerusalem, et conflantem eos, qui mixti sunt argento et stanno, et æramento, et plumbo, querula voce causantem de his, qui habent in se commixtionem materiæ vilioris. *Argentum*, inquit, *commixtum facti estis, et tamquam granum de uva reprobum argentum facti estis* (*Ezech.* XVI). Quando enim creaturæ Dei, quæ ab initio bona est, superinducimus de malis nostris vitia ac passiones: tunc argento et auro æs, stannum plumbumque miscemus, et necessarius est ignis ad purgandum. Ideoque sollicite providendum est, ut cum venerimus ad ignem istum, securi transeamus per eum, ad instar auri argentique, et lapidis pretiosi, quæ sine foco adultera sunt, vel qui sine foco adulteri sunt: non tam uramur incendio, quam probemur. *Ecce spiritus auferens veniebat ab Aquilone.* Et hoc quod ab Aquilone veniebat spiritus auferens, et postea redit, habet **895** rationem. Ab Aquilone quippe exardescunt mala super habitantes terram. Aquilo violentissimus ventus, quem alio nomine Dextrum vocamus, qui in quatuor cardinibus cœli, de quibus venti spirare dicuntur, frigidior est atque vehementior. Nec non et illud quod de ordine castrorum apud Israel in Numeris scribitur (*Num.* I), hujus rei obtinet figuram. Novissima enim castra ad Aquilonem ponuntur Dan; prima castra Juda ad Orientem, deinde pone eum Ruben, postea secundum mare Effrem, in extremo, ut diximus, ad Aquilonem Dan. Et olla, quæ succensa describitur, a facie Aquilonis accenditur. Aquilo quippe figuraliter dicitur contraria fortitudo, id est, Zabulus, qui est vere durissimus ventus. *Venit* enim *ab Aquilone spiritus auferens, et nubes magna in eo:* vitia ab eo esse exposuimus. *Et splendor in circuitu ejus, et ignis fulgens.* Potuit dicere, ignis exurens, verum piguit Scripturam tristitiam nominare, et opus ejus ascribere, ideoque pro penali vi splendorem tantum apposuit. *Et in medio ejus, quasi similitudo quatuor animalium. Ista visio eorum. Similitudo hominis in illis. Et quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, et crura eorum recta, et pennati pedes eorum.* Vides qualia sint quæ regantur a Deo, ut ibi: *Qui sedes super Cherubim appare.* Cherubim interpretatur, *plenitudo scientiæ*, et quicumque scientia plenus est, efficitur Cherubim, quem regit Deus. Quid sibi autem volunt quatuor facies? Quæ salvanda sunt genuflectunt Domino Jesu, et ab Apostolo tripliciter nominantur, *ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium terrestrium et infernorum* (*Phil.* II). Quæ autem genuflectunt Domino Jesu, subjecta sunt ei. Et quæ subjecta sunt dicunt: *Nonne Deo subjecta est anima mea? Apud ipsum enim salutare meum* (*Ps.* LXI). Et: *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus* (I *Cor.* XV). Quid est ergo quartum? Cœlestia, terrestria, et inferna tria tantum sunt. **896** Nempe illud: *Laudate Dominum, cœli cœlorum, et aqua, quæ super cœlos est, laudet nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII). Omnia ista reguntur a Deo, et ducuntur a majestate ejus. *Quocumque spiritus ibat, ibant et animalia.* Hæc ipsa animalia habent similitudinem super se hominis, cum sint quatuor facierum. Nec dictum est in principio, quia facierum quatuor sint, sed quia inter quatuor facies eminet, et principatum tenet facies humana, describitur, et quæ dicitur facies humana, et facies leonis a dextris quatuor partium, et facies vituli a sinistris quatuor, et facies aquilæ a quatuor partibus. Videamus ergo an tripartitam animam significet, de qua etiam aliorum opinionibus disputandum est, ut animæ tripartitæ alia quarta fortitudo præsideat. Quæ est

tripartitio animæ? Per hominem rationale ejus indicatur, per leonem iracundia, per vitulum concupiscentia. Spiritus vero qui præsidet ad auxiliandum, non est a dextris, ut homo, vel leo: non est a sinistris, ut vitulus; sed super omnes tres facies consistit. Aquila quippe in alio loco nuncupatur, ut per aquilam, spiritum præsidentem animæ significet. Spiritum autem hominis dico, qui in eo est. Atque ita omnia ducuntur nutu Dei, cœlestia, terrestria et inferna, et ea quæ super cœlos sunt : et efficimur nos omnes Cherubim, quæ sub pedibus Dei sunt, quibus conjunctæ sunt rotæ, et subsequimur ea. Non sub rota, neque sub sæculi ditione rebusque versamur, cum jam per passionem Christi sumus a mundi negotiis liberati. *Et rota in medio rotæ.* Si consideres quomodo per contrarios eventus salvatur universitas rerum, sive in his, qui putantur errare, sive in his, qui ab errore dicuntur alieni, videbis quomodo rota in medio rotæ sit. Hæc autem regit omnia, et quocumque vult torquet totius universitatis Deus in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA SECUNDA.

De eo quod dicitur : *Fili hominis, propheta super prophetas Israel, qui prophetant de corde suo*, usque : *Extendam manum meam ad prophetas, qui vident vana, et divinant mendacia* (Cap. XIII).

**897** Nullam speciem peccatorum Scriptura reticet, de qua non doceat legentes. Oportuit enim verbum Dei missum ad sanandos eos, qui audiebant, omnem spiritum peccatorum perstringere, et universis hominibus loqui, ut nemo fraudaretur remediis salutaribus, et his medelis, quæ vulneribus possint prodesse curandis. Quomodo ergo dicuntur alia de populo, alia de sacerdotibus magnis, et quædam de presbyteris, ac nonnulla de dispensatoribus, et quidem bonis dispensatoribus laus, malis vero culpa ascribitur : ut alii exhortationem accipiant ad meliora, alii vero ut in pejora non corruant : sic oportet de falsis ac veris prophetis divinam edoceri disciplinam, ut prophetæ quidem accipiantur in eam demum partem, qui verbis Dei ministrant : per pseudoprophetas vero designentur Ecclesiarum magistri, qui non recte, seu sermone, seu vita congruunt ei, quam prædicant, disciplinæ. Læti quapropter simus, si nos Scriptura commoneat, docens ut recedamus a vitiis, magis autem si ordinis nostri aliquos Dei sermo perstringat, volentes sanari, et converti a peccatis nostris. *Factus est sermo Domini ad prophetam Ezechielem dicens ei, Fili hominis, propheta mihi super prophetas Israel.* Fuerunt quidem et prophetæ Israel nomine potius quam veritate. Sunt autem et hodie in vero Israel, id est, Ecclesia, quidam pseudoprophetæ, et falsi magistri, quibus hic sermo prænuntiat. Si me arguat Dei sermo, tentabo converti, nec quia adversum me aliqua dicuntur, qui videor doctor esse Ecclesiæ, debeo tacere : verum mihimetipsi non parcens, cuncta revelabo, quæ dicta sunt, ut convertar a vitiis, ut fiam non ex his quos Scriptura nunc corripit, sed ex his qui sermonem Dei verissime prædicantes, in Ecclesia exstiterunt magistri. *Propheta super prophetas Israel, qui prophetant, et dices prophetis.* Quomodo **898** [a] opus prophetarum erat hæc spiritu prædicere quæ videbantur : sic eodem spiritu opus est ei, qui exponere cupit ea, quæ sunt latenter significata, ut monstret [b], non ad eum fieri prophetiam, qui contra Dei docet voluntatem, qui prophetat de corde suo. Juxta simplicem quidem intellectum, quidam prophetarum de divino spiritu, loquentes, non de corde suo locuti sunt, sed de sensu Dei : quidam vero simulantes se prophetas, atque dicentes : *Hæc dicit Dominus*, Domino non loquente in eis, pseudoprophetæ exstiterunt. Potest autem et super eos, qui docent in Ecclesiis, si aliter quam poscit veritas, docent, præsens sermo congruere. Si quis enim ea, quæ Jesus Christus Dominus locutus est, [c] ipsa æque doceat, non de corde suo, sed de Spiritu sancto loquitur sermones Filii Dei Jesu. Si consentit Sanctus spiritus voluntati ejus, qui in Apostolis locutus est, non de corde proprio loquitur, sed de corde Spiritus sancti, qui est locutus in Paulo, qui est locutus in Petro, et in cæteris apostolis est locutus. Si quis vero legens Evangelium, proprium sensum aptat Evangelio, non ita intelligens, ut Dominus locutus est, iste falsus propheta est, loquens de corde proprio in Evangelio. Et de hæreticis quidem nihil absurdum est hæc dicta intelligere. Disserunt quippe quasi in Evangeliis, et quasi de Apostolis, αἰώνων suorum fabulas proprio corde exponentes, non in corde Spiritus sancti. Neque enim possunt dicere : *Nos autem sensum Christi habeamus, ut videamus ea, quæ a Deo donata sunt nobis* (I Cor. XII). Cum autem et super me venerit, qui dicor ecclesiasticus, qui accipio librum sanctum, et nitor eum interpretari, hoc quod de hæreticis intelligi potest, quæso audientes, ut diligenter attendant, et accipiant gratiam spiritus de qua dictum est : *Discretio spirituum*, ut probati trapezitæ facti, diligenter **899** observent quando falsus sim magister, quando vero prædicem quæ sunt pietatis ac veritatis. Si itaque invenio in Moyse, et in Prophetis sensum Christi, non de corde proprio, sed de spiritu sancto loquor. Si autem nihil congruum inveniens, mihimetipsi confingor quæ loquar, fluctuans in sermonibus, qui sunt alieni a Deo, de meo potius corde, quam de Dei sensibus loquor : *Propheta, et dices prophetis, qui prophetant de corde suo.* Non ait simpliciter de corde;

[a] Legisse videtur Rabanus *quomodo opus prophetarum erat hæc dicere, quæ jubebantur, sic eodem spiritu*, etc.

[b] Idem contrario ferme sensu, *ut monstret, nunc ad eos fieri prophetiam, qui contra Dei voluntatem prophetant de corde suo.*

[c] Denuo idem, *quæ Jesus Christus Dominus locutus est, ipse qui docuit non de corde suo, sed de Spiritu sancto.*

sed *de corde suo. Et prophetabis, et dices ad eos : Audite verbum Domini.* Hæc ad me, hæc ad eum dicuntur, qui doctorem se esse promittit, ut timor Dei major oriatur in nobis, ne periclitemur quasi sub commentario scripto non ab hominibus, sed ab Angelis Dei, sic proferre sermonem. Novi quippe quia cum in judicio illo ordo consederit, de quo prophetavit Daniel (*Dan.* VII) : et libri fuerint aperti, omnes mei conatus, omnes meæ expositiones proferentur in medium, sive in justificationem, sive in condemnationem meam. In justificationem quidem mihi erunt, quæ benedicta sunt : in condemnationem vero, ea quæ secus quam veritas poscit explanata. *Ex sermonibus*, inquit, *tuis justificaberis et ex sermonibus tuis condemnaberis* (*Matth.* XII) : quasi habenti non omnes sermones, de quibus justificaretur, neque rursum omnes sermones, de quibus condemnaretur. Si aliquis a sermonibus purus est alienis, et eis qui possint reprehendi, ex sermonibus suis justificabitur, et non condemnabitur. Si autem numquam recte locutus est, sed semper protulit prava, ex sermonibus suis condemnabitur, et non justificabitur. Verum quia nos, qui non sumus ex omni parte perfecti, neque sic dicimus ut semper justificemur, neque sic econtrario sumus peccatores, ut semper condemnemur, et habemus alia verba ex quibus justificemur, et alia ex quibus condemnemur : Deus super stateram suam utraque ponens, expendit diligenter, et judicat in quibus justus sim, et in quibus sermonibus condemnandus. Quod autem in sermonibus facit, hoc idem facit et in gestis. Necesse est enim, ut sint alia facta in quibus justificemur, et alia in quibus condemnemur. Neque enim sic perfectus sum, ut omnia facta habeam, in quibus justus existam : neque sic peccator, ut talia cuncta fecerim, quæ me omni ex parte condemnent. Esse autem et alia facta istiusmodi, **900** et alia istiusmodi, ex hoc manifestum est quod dicitur : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium : quorumdam autem et subsequuntur* (*Rom.* II). Similiter autem et bona facta manifesta sunt, et quæ aliter habentur, latere non possunt. Æque de intellectibus. Propter quod et inter se invicem cogitationum accusantium, sive satisfacientium judicium me exspectat de omnibus, quæ facio, quæ intelligo, quæ loquor, et incertus opperior, quidnam mihi in illo judicio futurum sit. Quantoque magis timor Dei mihi incutitur ad recipienda cuncta quæ feci, tanto magis custodire me debeo : utinam quidem ab omnibus peccatis, sin autem hoc non possum, saltem queam a maximis. Hæc de eo, quod proposuimus de prophetis, qui prophetant de corde suo, ad quos dicitur : *Audite sermonem Domini, hæc dicit Adonai Dominus, væ iis, qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritum suum.* Duo peccata sunt, unum cordis, aliud spiritus. Primum de meliori parte videamus, ut possimus etiam ea, quæ contraria sunt, considerare. Apostolus loquitur : *Orabo spiritu, orabo et sensu.* Qui sensus in corde habet habitaculum : *Psallam spiritu, psallam sensu* (I *Cor.* XIV). Igitur et spiritus est et sensus in nobis. Et quomodo sanctus orat spiritu, orat et sensu : psallit spiritu, psallit et sensu : sic iste qui est falsus prophetes de corde proprio prophetat, et ambulat non post spiritum Dei, sed post spiritum suum. Est quippe quidam spiritus hominis, qui versatur in eo, post quem procul absit ut ego ambulem ; sed intelligens sanctum Spiritum Dei post Dominum Jesum meum ambulem. Itaque prophetæ, qui prophetant de corde, et ambulant post spiritum non Dei, quam suum, omnino, quod Græce dicitur..... non vident, et est ambigua ex sermone sententia. Sive enim ea, quæ sunt generalia..... id est, generalia non vident, licet quadam ex parte conspiciant, sive (quod ego melius reor) omnino non vident, licet sibi ex parte quadam videantur videre. Alii quippe in nobis oculi sunt meliores his, quos habemus in corpore. Qui oculi aut Jesum Dominum vident, qui eos ad se intuendum creavit, aut certe cæci sunt. Si peccator sum, nihil video, nec possum veritatis lumen aspicere. *In judicium quippe*, ait, **901** *in mundum istum veni, ut non videntes videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* IX). Si autem justus, accipio gratiam a Deo, et de me quoque dicitur *videns.* Prophetæ enim vocabantur ante videntes. Et : *Qui vides*, ait, *vade, descende in terram Juda, et ibi commorare, et ibi prophetabis. In Bethel autem, jam non adjicies ut prophetes* (*Amos* VII). Et rursum alibi : *Visio quam vidit Isaias filius Amos* (*Isai.* I). Beatus cui revelabit Dominus oculos ad videnda mirabilia de lege Dei, juxta obsecrationem prophetæ dicentis : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Ps.* CXVIII). Videamus autem et alium sermonem, per quem pseudoprophetæ, et falsi magistri corripiuntur, a quo quæso ut, orantibus vobis, ego purus inveniar. Quæ est ergo igitur [*F.* ista] correptio ? *Sicut vulpes in deserto prophetæ tui, Israel.* Animal vulpes nequam est, versutum, indomabile est, ferum est. *Dicite*, ait Salvator, *vulpi isti : Ecce sanationes perficio hodie, et cras, et tertia die consumor* (*Ezech.* XIII ; *Luc.* XIII). Has vulpes necessarias habuit adversum alienigenas Samson, quarum caudis cum [a] igne vinctis (trecentas enim ceperat) in perditionem eas frugum misit hostilium. Istiusmodi sunt falsi magistri, versuti, maligni, et bestiis similes. Si talis sum, vulpes sum, sed non simpliciter vulpes, verum vulpes in desertis, vulpes in parietinis, vulpes in rupibus, hæc enim in diversis [b] sensibus continentur. Versipelles isti et nequam semper in desertis, semper in solitudinibus morantur. Ubicumque enim anima habitatur a Deo, et Spiritu sancto plena est, ibi non potest hæreticorum doctrina penetrare, nec valet eorum sermo perrumpere. Ubi autem solitudo Chris-

[a] Legit Rabanus *funè* pro *igne*. Vid. Jud. XV, 4. seq.

[b] Idem, *in diversis seditionibus continentur versipelles. Versipelles isti*, etc.

ti, ubi desertum justitiæ, ibi nequissimæ disciplinæ venena versantur. Idcirco: *Sicut vulpes*, ait, *in desertis prophetæ tui, Israel. Non steterunt in firmamento.* Si considerare volueris [a] magistros, videbis eos infirmos, instabiles, et non valentes dicere: *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Ps.* LXXIII): et quia non sunt tales ut steterint, robusta radice fundati: ideo non steterunt in firmamento, sed dilexerunt movere pedes suos. Est autem et hoc grande peccatum saltem paululum **902** pedes movere, ut David psalmista canit: *Quam bonus Israel Deus rectis corde: mei vero pene moti sunt pedes.* Beatus ille multumque felix, cui robustissime consistenti firmos animæ pedes habere concessum est, qui audire a Deo dignus est: *Tu vero sta mecum.* Verum non tales pseudoprophetæ, non tales falsi magistri; neque enim sic steterunt in firmamento. *Et congregabant greges filiorum Israel*, quos docent, quos instituunt sive hæretici dogma impium prædicantes, sive falsi magistri decipientes eos, quorum aures pruriunt, colligunt greges schismatum adversum Ecclesiam Dei, adversum domum Israel. *Non surrexerunt qui dicerent, In die Domini:* falsa videntes hi non surrexerunt. Isti vero surgentes dicunt: *Consepulti sumus Christo per baptisma, et consurreximus ei* (*Rom.* VI). Habemus quippe ut pignus Spiritus sancti, quem accipiemus ad plenum postquam venerit quod perfectum est: sic pignus resurrectionis, quia in resurrectione perfecta nemo adhuc resurrexit de nobis. Verumtamen resurreximus, Paulo dicente: *Consepulti sumus Christo per baptisma, et consurreximus ei.* Nondum ergo resurrexerunt, hoc est, necdum resurrectionis baptisma consecuti sunt falsi prophetæ, et falsi magistri, qui dicerent, [b] *In die Domini*, videntes quæ falsa sunt, neque aliquando possunt conspicere veritatem. Accipe exemplum. Qui Scripturam legit, et aliter quam scripta est accipit, Scripturam mendaciter videt. Qui vero audit Scripturam, ut [c] se veritatis intellectus habet, et sic eam interpretatur, videt veritatem. Et sancti quidem non divinant. Non enim divinatio in Jacob. Peccatores vero divinant falsa, dicentes: *Hæc dicit Dominus: et Dominus non misit eos.* Audi hæreticos, quomodo traditionem apostolorum habere se dicant. Audi falsos magistros, quomodo affirmant doctrinam suam Domini esse doctrinam, sensum [d] suum congruere prophetarum, et dicunt: *Hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos. Et cœperunt suscitare sermonem. Non visionem falsam vidistis* (*Num.* XXIII). Et hi enim volunt in defensionem sui quemdam pro se suscitare sermonem; sed arguit eos Dominus, et **903** dicit: *Non visionem falsam vidistis, et divinationes vanas locuti estis, et dixistis, dicit Dominus, et ego non sum locutus? Propterea dic: Hæc dicit Dominus pro eo quod sermones vestri mendaces sunt.* Orate pro nobis, ut sermones nostri non sint falsi. Licet quidam homines ignorantia judicii eos asserant falsos, Dominus non dicat, et recte nobiscum agetur. Si vero mille hominum eos dixerint veros, judicio porro Dei fuerint falsi, quid mihi proderit? Dicunt et Marcionitæ magistri sui veros esse sermones, dicunt et Valentini robustissimam sectam, qui fabularum ejus commenta suscipiunt. Quæ utilitas? Quia plurimi Ecclesiæ hæretica pravitate decepti in eorum conspiravere sententiam, hoc est quod quæritur, ut Dominus sermonum meorum testis assistat, ut ipse comprobet quæ dicuntur sanctarum testimonio Scripturarum. Propter hæc ergo ad nos dicit Adonai Dominus: *Extendam manum meam ad prophetas, qui vident mendacia.* Hæ comminationes sunt adversum falsos magistros, et eos, qui loquuntur mendacia. Videamus autem quid de his comminetur: *In disciplina* **904** *populi mei non erunt.* Non uno modo a Domino peccatores corripiuntur. Aliter arguitur populus Domini, aliter alienus ab eo: *Fili, ne neglexeris disciplinam Domini, neque fatigeris, dum argueris ab eo. Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*Prov.* III). Argue nos, Domine, verum in judicio, et non in furore: ista correptio populi est. Correptio peccatoris et alieni illa est, quam justus renuit dicens: *Domine, ne in ira tua arguas me neque in furore tuo corripias me* (*Psal.* VI). De falsis itaque magistris, et de pseudoprophetis dicitur: *In disciplina populi mei non erunt, neque in scriptura Domus Israel scribentur.* Sicut et alibi: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Et nunc Scriptura ait: *In domum Israel non scribentur, et in terram Israel non intrabunt.* Extra repromissionis terram hæretici morabuntur, quæ est terra valde bona, et in quam, ut introducamur, oramus, in libro viventium ante conscripti a Jesu Christo, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

## HOMILIA TERTIA.

De eo quod scriptum est: *Fili hominis, obfirma faciem tuam super filias populi tui, quæ prophetant de corde suo*, usque: *Obfirma faciem meam super hominem illum, et ponam illum desertum* (Cap. XIII).

**903** Primum de eo, quod dicitur: *Obfirma faciem tuam*, requirendum. Deinde si Dominus dederit, investigare debemus filias populi prophetantes de corde suo, et facientes ea, in quibus eas Dei sermo corripiat. Et quod sit alia facies præter hanc corporis nostri faciem, licet ex multis manifestum sit, attamen et ex his, quæ Apostolus memorat, indicatur: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Do-*

[a] Interseri malim *falsos* cum Rabano, *si considerare volueris falsos magistros:* de illis enim proprie sermo contexitur.

[b] Penes Rabanum, *quæ dicunt a Domino videntes, falsa sunt, neque*, etc.

[c] Apud eumdem, *et sicut veritatis intellectus habet, sic eam interpretatur.*

[d] Supplenda vox *sensui*, quemadmodum et Rabanus habet, *sensum suum sensui congruere prophetarum.*

*mini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu* (II *Cor.* III). Hanc faciem corporalem omnes homines habemus revelatam, nisi forte calamitatibus et angustiis premimur. Vultus autem ille, de quo sermo Apostoli est, in multis tectus est, et in paucis revelatus. Qui enim fiduciam habet in vita immaculata, in sensu sano, in fide vera, iste tantummodo non habet confessionis, fraudulentiæ, peccatique velamen; sed propter puram conscientiam, **904** revelata facie gloriam Domini contemplatur. Procul autem absit a nobis, ut velatam habeamus hanc faciem. Hæc pauca de facie, ut possimus intelligere quid sit, quod sequitur: *Obfirma faciem tuam super filias populi tui.* Ista facies, id est, principale (ἡγεμονικὸν) cordis nostri, nisi obfirmata fuerit super eo, quod intelligendum est, ut quomodo videt, sic annuntiet gentibus, illud quod aspicitur, non videtur. Impossibile quippe est, ut aliquis sine obfirmatione vultus, vagus, fluctuabundus, circumlatus omni vento doctrinæ, videat quod debet, videat ut debet. Oportet enim volentem intelligere habere faciem, in eo quod intelligere nititur, obfirmatam: ob hanc semper causam prophetaturis primum jubetur, ut faciem suam obfirment; ut nostram autem et nos possimus obfirmare faciem in Evangelio, in Lege, in Prophetis, in apostolis, obfirma eam super **905** Christo, et non super sæculi negotiis. Sed cum in mundialibus curis anima nostra versetur, cum semper ardeat habendi fame, non obfirmamus faciem nostram super ea, quæ imperavit Deus, sed super ea, quæ Dei sunt adversa præceptis. Quis, putas, in nobis immundus est ob obfirmationem faciei super his, quæ interdicta sunt? Quis intantum sollicitus et cautus, ut diebus ac noctibus in ea obfirmet cordis sui faciem, quæ jubentur? Nunc quoque si intellecturi fuimus præsentem scripturam quomodo prophetæ dicatur: *Obfirma faciem tuam super filias populi tui*, ut videat ea quæ dicturus est, debemus obfirmare intelligentiam, plenum in intentatione cordis habere tractatum, quod sit hoc, quod significetur, ut tandem ratione superati, recedamus a littera. Ac secundum communem quidem intellectum, videntur quædam filiæ populi prophetantes hoc quod sequitur admisisse peccatum. Assumentes cervicalia consuebant; consuentes non ponebant ea sub capite, sed sub cubito audientium, et velaminibus quibusdam tegebant capita universæ ætatis. Hæc sunt, quæ prophetantibus filiabus populi reputantur quasi magna peccata. Quis autem potest in verbo consistens dicere, quia si quis cervicalia consuat, et consuta sub cubito ponat alterius, delinquat, et a Deo corripiatur? Quis potest asserere, quia si quis velamina faciat ad tegendum caput universæ ætatis, impie agat? Invitis nobis ab ipsa Scriptura necessitas imponitur, ut ab apicibus litteræ recedentes, verbum, et sapientiam, et voluntatem ejus requiramus ad aperienda peccata, quæ clausa sunt, ad illuminanda quæ caligant, ut possimus a maledicto extranei fieri, *omni cubito manuum*, sive *manus*. Qui in victu corporis occupati sunt, et ne per somnium quidem spirituales videre delicias, quas nos habere vult sermo divinus dicens: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui;* qui non noverunt voluntatem beatorum, de qua scribitur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos:* requirunt quasi amatores luxuriæ, et non amatores Dei, semper in corporalibus esse deliciis. Signum autem mihi videtur voluptatis carneæ, sub cubito manuum cervical assutum. Quia enim in tempore discumbendi ad beneficia corporalia videmur uti consutis quibusdam, et acu pictis sub cubito **906** manuum nostrarum, forsitan sermo divinus per istius modi figuram et argumentum eos culpat magistros, qui per vaniloquentiam, et beatas quasque repromissiones, multitudinem audientium libidini, vitiis, voluptatique permittunt. Debet enim Dei verbum, et Deus homo ea proferre, quæ saluti sunt audienti, quæ illum hortentur ad continentiam, ad conversationem sanorum actuum, ad cuncta, quæ homo studiosus laborum, et non libidinum, debet incumbere, ut possit ea consequi, quæ a Deo sunt repromissa. Cum ergo aliquis aptus moribus populi, ut placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sunt voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus. Sequitur hoc peccatum habentem, ut faciat etiam amictus ad velandum caput omnis ætatis. Cujus autem rei figura sit etiam velamen, cautius consideremus. Qui fiduciam habet, et vere vir est, velamen non habet super caput suum, sed intecto capite orat Dominum, intecto capite prophetat: per signum corporalis rei etiam spiritalem latenter ostendens, ut quomodo non habet velamen super caput carnis suæ, ita non habeat velamen super principale cordis sui. Si quis vero confusionis velamen gerit, et peccati, iste quasi muliebria velamina habet super caput suum. Itaque cum aliquis docuerit ea, quæ aurem populi mulceant, et strepitum potius laudatorum, quam gemitum moveant, si blandus inimicus palpaverit potius quam secuerit vulnera, talis homo amictus contexit in capite. Cum autem in luxuriosam orationem dicentis se sermo fuderit, et in lascivum persultaverit eloquium, contexit velamen super caput omnis ætatis; non modo puerorum et juvenum, verum et senum. Quomodo enim faciat signa et portenta ad decipiendos (si fieri potest) etiam electos falsus Christus, et falsus propheta: similiter et hi, qui ad voluptatem meditata deportant, et ista semper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quam convertant a vitiis, faciunt velamina super caput non modo puerorum et juvenum, sed (si fieri potest) senum quoque et patrum, intantum ut etiam eos decipiant, qui juxta laborem animæ in spiritali ætate et senio processerunt. Et **907** potuit quidem dicere propheta super filios populi tui, qui prophetant, sed quasi homines, qui velamina contexant, et cervicalia consuant sub

omni cubito manus, mulieres sint, et nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait propheta : *In filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, et ea faciunt, quæ sequuntur.* Effeminatæ quippe sunt eorum magistrorum et animæ, et voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt, et (ut quod verum est dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est in his, qui juxta gratiam et voluntatem audientium prædicant : idcirco omnes filias potius, quam filios dixit assuentes cervicalia. Et observa proprietatem verbi, *assuentes*, ait, non contexentes. An ignoras quod tunica Domini tui Jesu nihil in se habeat consutile, sed ex omni parte contexta sit? Istæ ergo consuunt dicta dictis fraudulenter et callide, assuentes potius quam contexentes : et faciunt cervicalia, non in quibus capita reclinent, sed in quibus cubitum : id est, ut manus eorum non sint in labore, non in opere lassescant, sed sint in requie, sint in otio, sint in his gestis, quæ voluptatibus serviunt. Hæc autem quæ diximus, ita se habere ut a nobis intellecta sunt, sequens sermo prophetæ lucidius ostendit, dicens : *Hæc dicit Adonai Dominus : Ecce ego ad cervicalia vestra, in quibus vos convertitis illic animas in dissolutionem.* Aperuit ænigma quod latebat, perspicue ostendens consuta cervicalia in dissolutionem animarum fieri. Quis autem potest super sermonem qui legitur, audiens Deum comminantem, quia ipse disrumpat talem subtelam, et talia cervicalia? Ait enim : Ecce ego, non jubeo, sed ipse disrumpo cervicalia consuta sub omni cubito manus. Dei opus est, omnem arguere texturam et dissolvere universam fictionem pessimam, quæ nocet his, qui nolunt manibus operari, sed otiosus eis uti. *Et disrumpam ea a brachiis vestris*, id est, cervicalia, ne ulterius ea cubitis vestris subjecta habeatis. Et emittam **908** animas, quas vos subvertitis, animas eorum. Quæ ergo subversio est consuere cervicalia, et subjicere cubitis? Sed ut sermonis sacramentum intelligas, videbis grandem subversionem esse, delicatum hominem juxta corpus efficere. Talia autem sunt verba hæreticorum, ubi non est conversatio rigida. Invenies discipulos Valentini moribus dissolutos ad nihil forte, ad nihil virile tendentes, similiter et sectatores Basilidis. Docent insuper et negare inverecunde, quasi præcepto [a] quod de eorum martyrio est. Non id docent quod ostendunt Ecclesiastici, parati tollere crucem, et sequi Salvatorem. Disrumpit ergo, qui hæc comminatur sermo Filius Dei, consutiones nequissimas. Præsta mihi, Christe, ut disrumpam cervicalia in animarum consuta luxuriam. Sed quid aliud sequitur? *Et velamina disrumpam.* Quæ se disrupturum esse testatur? non solum cervicalia, verum et velamina. Ideo autem disrupturum, ut caput nudum fiat, ut accepta fiducia, et revelata non solum facie, sed etiam capite, constanter vir ecclesiasticus possit orare. *Disrumpam velamina vestra, et liberabo populum meum de manu vestra.* Licet vos subvertatis animas per cervicalia, et velamina, ego ista disrumpens liberabo populum meum. Liberat autem populum Deus per conversationem austeram, et a voluptatibus recedentem. *Et ultra non erunt in manibus vestris in subversionem :* in manibus vestris, qui decipitis audientes, jam non erunt ista cervicalia : *Et cognoscetis quia ego Dominus.* Si non conscissa fuerint cervicalia, si non velamina disrumpo, non cognoscetis quia ego Dominus. Deliciæ quippe et otium, et resolutio non sinunt cognosci eum, qui dicit : Ego sum Dominus. *Pro eo quo evertisti cor justi inique.* Quomodo in loco signorum dictum est, quia decipiant etiam electos Dei : sic evenit sæpe ut justos quoque hæretici supplantent. Amant enim homines voluptatem ; quia statim ut apparuerit, tranquilla est, et **909** lasciva, et delectans sensum, et provocans nos ad usum sui. Fugimus amara, licet salutaria sint, et nolumus laborare voluptatibus deliniti, nescientes quia impossibile est, eumdem amatorem esse Dei. Propter quod Apostolus ait de pessimis, quia sint amatores voluptatis magis, quam amatores Dei (II *Tim.* III). *Et ego non avertebam ad confortandas manus iniquorum. Ego non avertebam, sed omnia quæ erant ædificationis dispensabam.* Istæ vero prophetissæ effeminatæ animæ avertebant ad confortandas manus iniqui, hoc est, ut fortior manus iniquitate fieret, ne omnino averteretur de via sua mala, et vivificaretur, id est, nullus penitus converteretur a via sua pessima, et vivificaretur. *Propterea falsa non videbitis, qui docetis falsa.* Jam vos non faciam ultra conatu prospero pergere, ut possitis insinuare quæ dicitis : et divinationes non divinabitis amplius : *Et liberabo populum meum de manu vestra.* Oremus, ut et nos liberet Deus de manu talium magistrorum, qui ubicumque fuerint, ad voluptates audientium loquentes, scindunt ac dividunt Ecclesiam, quia plures sunt magis amatores voluptatum, quam amatores Dei. *Et scietis, quia ego Dominus.* Si convertero divinationes vestras, si fecero silere mendacia, tunc scietis quia ego Dominus. Hæc prior prophetia : sequitur et alia, quæ ita contexitur : *Et venerunt ad me viri seniorum Israel, et sederunt ante faciem meam* (*Ezech.* XIV). Omnia Dei sermo perstringit, et nullam speciem ordinum, qui in Ecclesia constituti sunt, dimittit

[a] Hæc nempe erat nefaria Basilidis doctrina, licere persecutionis tempore idola venerari, dum id specie tenus, non ex animo facias. Hoc ipse Origenes expressius notat in fragmento cujusdam Homiliæ in psal. LXXXII, ex Latina Henrici Valesii interpretatione. *Docet*, inquit, *præterea, indifferentem rem esse Christum abnegare, et eum qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia.* Confer S. quoque Epiphanium hæres. 19, cap. 1, et qui ejusmodi infidelitatem a Priscillianistis postmodum adoptatam confutat S. Augustinus lib. de Hæresibus, damnatque exemplo S. Petri, qui tametsi Christum ore tenus, non vero ex animo negaverit, gravioris tamen peccati reus fuit, quod amaris lacrymis lavit.

intactam; verum universa percurrens, omnes sanare desiderat, veluti nunc quædam ad presbyteros loquitur. Ea enim quæ præcesserunt dicta sunt de magistris. Idcirco consideremus et de presbyteris quid dicatur, excutientes nosmetipsos, ne quis nostrum presbyter talis sit, qualis infra exponitur. *Et venerunt ad me viri seniorum Israel, et sederunt ante faciem meam. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis.* Videamus **910** accusationem, ut scire possimus, utrumne eam in nobis deprehendamus. An non viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, et pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam? Numquid respondens respondebo eis: *Beati qui mundo sunt corde* (*Matth.* v). Qui enim mundum habent cor, cogitationes suas non ponunt in cordibus suis, sed magis habent in sermone Dei. Qui autem laborant in sæcularibus curis, et nihil aliud requirunt nisi quomodo præsentem transigant vitam, hi cogitationes suas ponunt in cordibus suis, ut puta si videris hominem nihil aliud cogitantem nisi mundi negotia, lucra corporalia, et ciborum abundantiam: ex his quæ indiguerit, in quibus sollicitus est, in quibus suspirat, futuram tantum alimoniam cum dolore conquirens, pœnam cogitationum suarum posuit in corde suo. Arguens igitur quosdam presbyteros istius modi ait ad prophetam sermo divinus: *Viri isti*, id est, supradicti presbyteri, *posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, et pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam.* Nemo vestrum existimet cruciatus nobis ab alio, quam a nobis irrogari. Deus non facit pœnas, sed ea quæ patimur ipsi nobis præparamus. Itaque testimonio, quo frequenter usi sumus, etiam nunc opportune utamur. Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam accendistis. Non est ignis alterius nisi vester, qui ligna, qui stipulam, qui materiam futuro incendio coacervastis. Dicit ergo de presbyteris, procul autem absit a nobis. *Viri isti posuerunt cogitationes suas in cordibus suis, et pœnam iniquitatum suarum posuerunt ante faciem suam. Sed respondens respondebo eis: Numquidnam dignum est istis me respondere, qui venerunt ad te prophetam volentes discere sermones meos? Propter hoc loquere ad eos, et dic eis: Hæc dicit Adonai Dominus. Homo, homo ex domo Israel.* Omnes [a] homines nati sumus homines, sed non omnes homines homines sumus, **911** sicut sæpissime notavi, id quod in Levitico scriptum est: *Homo, homo filiorum Israel, aut advenarum, qui appositi sunt in nobis.* Estote homines, homines scilicet, quia non omnes homines homines sunt. Ostendamus de Scripturis quomodo quidam homines non sint homines. *Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, assimilatus est eis* (*Psal.* XLIX). Iste non est homo homo, sed homo jumentum. *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura* (*Matth.* III)? Talis non est homo homo, sed serpens homo. *Equi in feminas insanientes facti sunt, unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat.* Et iste non est homo homo, sed homo equus. Absit igitur a nobis, ut tales simus, qui mereamur audire, non esse nos homines homines; sed aliud quid præter homines. Si enim boni et mansueti sumus, duplicamus hominis nomen: ut sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo. Considera an invenire valeamus, quid sit illud quod nomen hominis duplicet. Quando iste homo, qui est exterior, homo fuerit, eo qui est interior homo, serpente existente, non est in nobis homo homo, sed tantum homo. Quando vero interior homo juxta imaginem perseveraverit conditoris, tunc nascitur homo, et fit istiusmodi secundum exteriorem, et interiorem hominem, bis homo homo. Porro si quis in hoc vocatus, ut fiat homo homo, posuerit cogitationes suas in corde suo, et pœnam suam ante faciem suam, et venerit ad prophetam: *Ego, inquit Dominus, respondebo ei in his quibus detinetur mens ejus.* Docet nos sermo præsens, quomodo poterat singulis respondere, nec importuna admovere medicamina, sed pro qualitate morborum congrua quæque proferre. Animadverte quod dicimus. Ad medicum decem vadunt decem habentes species infirmitatum. Non omnes eodem modo curat, sed alium isto, et alium illo, ut puta, sanat emplastro, alii aliud tribuit medicamentum, nonnullis quod cauterium nuncupatur imponit, alium amara, alium dulci temperat potione, cujusdam vero vulnera crassiore unguine delinit. Sic et sermo Dei pro qualitatibus hominum loquitur, nec passim sapientiæ suæ ingerit sacramenta. Ait itaque: *Ego respondebo ei in his, quibus detinetur mens ejus.* Ut ista videlicet curet, in quibus **912** mens ejus detinetur, ut non faciat declinare domum Israel. Quicumque se ipsum exemplum non præbet bonæ vitæ, sed perversus incedit, iste per suam pravitatem, dum ad hæc quæ non debet, inclinatur, facit quodammodo etiam Dei populum declinare secundum corda eorum, quæ abalienata sunt a me. Et qui hoc facit, secundum alienatum cor a Deo, in cogitationibus suis facit. Propter quod respondetur eis, in iis, in quibus detinetur cor eorum, et dicitur: *Dic ad domum Israel: Hæc dicit Adonai Do-*

[a] *Apponenda hic sunt quæ totidem fere verbis commentatur Hieron. in Ezechielis cap.* XIV, *quæque ex hoc Origenis loco descripta apparent.* « Multi, *inquit*, habentes hominis faciem corporalem, diversarum bestiarum assumunt imagines, quas dissipari propheta cupiens, deprecatur: *Domine, in civitate sua imaginem eorum dissipabis.* Illi, de quibus scriptum est: *Homo cum in honore esset, non intelsexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, non sunt homines, sed homines jumenta. Rursum qui in Evangelio audiunt, *Serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* non sunt homines homines, sed homines serpentes. Et de quibus scriptum est: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos;* ac de Herode: *Dicite vulpi huic;* non sunt homines homines, sed homines vulpes. »

*minus*, *Convertimini*, *et avertite vos a studiis vestris*. Quia pollicitus est locuturum se eis ea, in quibus detinetur cor eorum : ideo nunc quasi peccatoribus loquitur dicens : *Convertimini*, *et avertite vos a studiis vestris*, *et avertite facies vestras*. Nonne tibi videtur hoc facere? Facies vestræ obfirmatæ sunt super ea, quæ non debent ; convertite eas, et obfirmate in hæc, quæ vestro sunt emolumento. Propter quod homo homo de domo Israel, et de proselytis qui adveniunt in Israel, quicumque abalienatus fuerit. Potest fieri et hominem hominem, sive creatum hominem hominem : seu perfectum sui hominem hominem effectum abalienari contingit : siquidem et justus secundum eumdem Ezechielem convertitur aliquando a justitiis suis, et peccat. Si ergo istius modi homo posuerit cogitationes suas in corde suo, et pœnam iniquitatis suæ ante faciem suam, et venerit ad prophetam, ut interroget eum in me : *Ego*, inquit Dominus, *respondebo ei in ipso, in quo detinetur : et obfirmabo faciem meam in hominem illum*. Considera quomodo in principio sponderit clementer se responsurum, ac deinde quomodo, si rursus venerit, necdum curatus, prioribus verbis, obfirmabo, dixit, faciem meam super hominem illum, et ponam illum in desertum. Si enim non obedierit sermonibus commonitionis, sed in delicto perseveraverit, ponam eum in desertum, et in exterminium, et tollam eum de medio populi mei. Ne auferas nos, Deus omnipotens, de medio populi tui, verum conserva nos in populo tuo. Juste autem projicitur, qui digna facit abjectione, ut auferatur a populo Dei, et eradicetur ab eo, et tradatur Satanæ. Et in præsenti quidem potest quis egrediens de populo Dei, rursum per **913** pœnitentiam reverti ; si vero eradicatus fuerit illo ex populo, de quo in quadam parabola dicitur venisse et recubuisse, et introisse quemdam, qui non habebat vestimentum nuptiale, dicente ad eum patrefamilias : *Amice*, *quomodo huc intrasti*, *non habens vestem nuptialem* (*Matth.* XXII)? atque ita præcipiente ministris, ut vinctentes eum manibus et pedibus, **914** mitterent in tenebras exteriores, difficillime in locum pristinum revertetur. Sed nos non eradicabimur ; verum et in præsenti, et in futuro sæculo in Domino nostro Jesu Christo plantabimur, et in eo fructus uberrimos afferemus, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA QUARTA.

De eo, quod scriptum est : *Terra cum peccaverit mihi*, *ut prævaricetur prævaricans*, *extendens manum meam super eam*, usque ad id, quod dicitur : *Et si fuerint tres viri in medio ejus*, *Noe*, *Daniel*, *et Job*, *ipsi justitia sua liberabunt animas suas* (Cap. XIV).

**913** Sermo Domini, qui factus est ad prophetam, de peccatrice terra loquitur, quomodo propter delicta sua variis sit excruciata suppliciis, fame, bestiis malis, gladio, morte, morte autem repentina, quæ aut ex corrupti aeris vitio sit creata, aut ex quocumque acciderit eventu, et dicitur : *Quod si etiam quatuor ultiones meas misero in terram peccatricem*, *fuerint autem isti tres viri Noe*, *Daniel*, *et Job in terra peccatrice*, *ipsi soli salvi erunt*. In comminatione prima, in qua pœnam famis a pœnis cæteris aperuit, filiorum et filiarum nomina tacuit. In eo vero sermone, in quo bestias malas minatus est terræ, ait : *Si filii et filiæ eorum salvi fient*, *sed ipsi soli salvabuntur*. *Terra autem*, et cum paululum reticuisset, adjecit : *Et erit in introitu*. Rursum in comminatione gladii : *Non liberabunt*, ait, *filios*, *aut filias*. Et in morte similiter est locutus : *Non derelinquentur filii aut filiæ eorum*, *sed ipsi soli Noe*, *et Daniel*, *et Job liberabunt animas suas*. Ingens igitur nobis cura expositionis incumbit, et ob id diligenter debemus attendere, et obsecramus auditores, ut quasi ad aliquod grande spectaculum confluentes faciem mentis intendant, ne obscuritas, relaxatis sensibus, elabatur. Non dixit in præsenti, si peccaverint civitatis aut loci alicujus accolæ, sed si terra peccaverit. Et scio, quia simplicior quisque cum audierit, si terra peccaverit, statim ad proclivem feratur intelligentiam, ut terram dicat nominatam pro his, qui morantur in terra : verum sequentia Scripturæ istam statim eximent expositionem. **914** Cum enim peccaverit terra, et in sua peccata corruerit, extenditur manus non super habitantes terram, sed super ipsam terram : prima correptione conteritur, ut videlicet ab ea firmamentum panis auferatur, quasi pœna sit terræ si fames in ea obtineat, ut fruges semini denegentur. Nam quomodo homo peccator sine prole, et sterilis inter maledictos punitur, juxta id quod in quodam loco scriptum est (ex contrariis enim contraria intelliguntur) et de justo dicitur, non erit sine prole, neque sterilis in vobis, et peccatores sine liberis, et posteritate sui æterna infertilitate damnantur, ut in domo Abimelech factum est (*Gen.* XX), et earum quarum clausit Deus vulvam propter peccatum, quod in Isaac commissum est : sic et terra quodammodo sine prole et sterilis relinquitur, fame missa in eam. Putas, verum est, quod asserere sermo præludit non de habitatoribus terræ, sed de ipsa terra dicitur? Possum paulisper ad altiora conscendens Scripturarum testimoniis approbare quomodo peccator terra dicatur. Dicitur enim ad Adam : *Terra es*, *et in terram ibis* (*Gen.* III). Possumus dicere, quia et nunc delinquens terra peccator sit. Sed econtrario latissimam Scripturæ silvam recensens, coarctor ad suspicandum, quia animalis sit terra ista quam cernimus. Si enim hoc, quod scriptum est : *Qui aspicit super terra*, *et facit eam tremere* (*Ps.* CIII), juxta id quod scriptum est volumus accipere, intelligimus ad aspectum Dei terræ motus concitari : non quos Judæi suspicantur. Nam illi asserunt tremorem terræ commotionem **915** ejus esse, quod longe a veritate diversum est. Et nos quippe solliciti et trementes propter peccata nostra in terra sumus, nec tamen tremor noster corpus concutit ad tremendum : sicuti et in alio loco dicitur : *Super quem respiciam*, ait Dominus, *nisi super*

*humilem et quietum, et trementem sermones meos* (*Isai. ult.*)? Ex quo manifestum est mansuete et humiliter Deo servientem ad sermones ejus mente potius tremere, quam corpore. Et hæc quidem in medio dicta sunt satisfactione ejus testimonii, quod intulimus: *Qui aspicit terram, et facit eam tremere.* Accipe autem alia dicta de terra: *Offenditur terra ab his, qui insident in ea.* Quomodo offenditur terra, et quando aversatur ab his, qui in se commorantur? Quando fuerint peccatores. Accipe aliud exemplum: *Complacebit sibi terra in sabbatis suis.* Econtrario enim quædam terræ sabbata nuncupantur, in quibus sibi complaceat et lætetur. Necdum dico: *Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba oris mei* (*Isai.* I). Neque aliud: *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra.* Sed nec Jeremiæ prophetiam: *Terra, terra, audi verbum Domini, scribe virum istum abdicatum* (*Jerem.* XXII). Multa nos latent propter paupertatem memoriæ, propter ingenii tarditatem. Multa sunt quæ condidit Deus rationabilia, et sunt capacia, non solum principatus et potestates, et rectores tenebrarum istarum, verum etiam et in meliore parte thronos, dominationes, et cætera, quæ in nostro intellectu Apostolus reliquit dicens: *Et super omne nomen, quod nominatur non solum in sæculo isto, verum et in futuro* (*Ephes.* I). Aer quoque animalibus plenus est, secundum ejusdem Apostoli testimonium prædicantis: *In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis et aeris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Est ergo terra, et universa **916** animalia, et per partes animalium varietates. Quando enim offenditur terra, et rursum complacet sibi in sabbatis suis, non omnis offenditur, non omnis exsultat. Quodammodo enim erudita est cum habitatoribus suis, et didicit sabbata sive in umbra, sive in veritate juxta naturæ suæ agere qualitatem. Unde sacratiore quadam intelligentia sabbatismus exercetur post septem annos terræ sanctæ, donec complaceat Deo in ea habitare. Si vero peccatores in ea fuerint, jam non ultra per septimanas annorum, sed per septuaginta terra sabbatum gerit. Habemus sermonem de septuaginta annis tam apud Jeremiam (*Jerem.* XXV), quam apud Danielem (*Dan.* IX) sanctis litteris consignatum, et futurum est ut in die judicii non solum homo, sed etiam [a] universa conditio judicetur. *Omnis* quippe *creatura congemiscit, et condolet* (*Rom.* VIII). Si omnis creatura congemiscit et condolet, est autem creaturarum pars terra, et cœlum, et cætera quæque, quæ sub cœlo sunt, et quæ super cœlos, et liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; quis scit et de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici dicentis: *Attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba oris mei:* Et: *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra:* cur non dicamus, ut inter homines est homo audiens et faciens verba, quæ jussus est facere, et alius est qui audit, et non implet, quod præcipitur, sicut et Angelus prævaricator? *Angelos enim non custodientes principatum suum, sed deserentes proprium habitaculum suum in judicio magnæ diei vinculis sempiternis sub tenebris servabit* (*Judæ* I). Quando ergo Angeli [b] prævaricantur, et alii sunt, qui Dei præcepta custodiunt, et judicium præstolantur non solum hominum, verum etiam Dei, **917** ut frequenter diximus tam de his, quæ in Apocalypsi conscripta sunt, quam et ex aliis innumerabilibus; quare, inquam, non terræ et aeris judicium sit futurum? Si autem non putas huic disputationi consentiendum, per quam asserimus omnem creaturam judicandam, audi et aliud testimonium de terra. Interrogat Deus Cain, qui occiderit Abel fratrem suum: et post multos sermones quos in Genesi legimus, ad extremum de terra dicit: *Maledicta terra quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua* (*Gen.* IV). Ego nec illud prætereo: *Maledicta terra in operibus tuis:* et econtrario si quando benedicitur. Legimus et maledictam, et benedictam Dei vocibus terram. Vides ergo, quia merito dicitur: *Congemiscit omnis creatura.* Et ut ad præcedens revertar exemplum, offenditur terra in insidentibus sibi. Puto quia terra nos ut mater sustinens, et lætetur super bonis filiis, et doleat super peccatoribus. Ita quippe patri filius insipiens dolor est, et ei matri, quæ genuit eum. Et non solum huic patri et matri, de quorum semine orimur, sed et illi matri, quæ vere mater nostra est. Accepitque Deus humum de terra, et plasmavit hominem. Igitur terra mater nostra est: lætatur quando filium justum sustinet. Lætabatur terra ferens Abraham, Isaac et Jacob. Lætabatur terra in adventu Domini nostri Jesu Christi, dignam se cernens filii Dei sustentatu. Quid

[a] Nempe sideribus ipsis atque elementis Origenes bene vel male agendi potestatem affinxerat. Vid. Huetium, Origenianor. lib. II, quæst. 10.

[b] Solemnis hic error est Adamantii, Angelos vel nobis gubernandis delegatos, vel Ecclesiarum regimini adhibitos, pro hominum sibi commendatorum bene gestis mercedem, aut pro peccatis damnationem, et culpam recepturos. Errori ansam dedisse apparet prave intellectus locus in Apocalypsi, ubi Asianarum Ecclesiarum Angeli, qui non alii quam episcopi sunt iisdem Ecclesiis præfecti, laudibus, aut reprehensionibus, pro meritis excipiuntur. Sicut et ille I Cor. VI, 3: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus:* et ex Petri altera II, 4: *Angelis peccantibus non pepercit*, atque his similes in Scripturis alii. Excusare autem illum nititur S. Thomas, p. I, qu. 113, art. 7, et Genebrardus in Collectaneis, quasi id sibi voluerit, Angelos duci in judicium pro peccatis hominum, *non quasi reos, sed quasi testes, ad convincendum homines de eorum ignavia.* At vero Angelis omnibus, ut Huetius notat, primam gratiam morte sua promeruisse Christum, et iis qui in integritate perseverarunt, beneficium illud sanguine suo impetrasse, per Ecclesiam credere licet. Quod quidem Cyrillus, lib. IX de Adorat., Augustinus lib. I de Consensu Evangelistarum cap. 35, aliique Patres videntur censuisse. Vide eumdem Huetium, Origenianor. lib. secundo quæst. 5, num. 14, et 21 et seqq.

necesse est dicere de Apostolis, et prophetis, cum de Domini adventu scriptum sit : *Omnis terra clamat cum lætitia?* Confitentur et miserabiles Judæi hæc de Christi præsentia prædicari, sed stulte ignorant personam cui videant impleta quæ dicta sunt. Quando enim terra Britanniæ ante adventum Christi unius Dei consensit religionem ? Quando terra Maurorum, quando totus semel orbis? Nunc vero propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitia clamat ad Dominum Israel, et capax est bonorum secundum fines suos. *Statuitque fines gentium juxta numerum filiorum Israel, et facta est pax Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* (*Deut.* XXXII). Capax est, inquam, ut animal juxta partium qualitates, et bonorum actuum, et malorum in quibus **918** aut laudem mereatur, aut pœnam. Cum igitur dicitur : *Terra, quæ peccaverit mihi, ut delinquat delictum*, mysterium quoddam significatur. Aliter quippe de habitatoribus, aliter de ea dicitur, quæ inhabitatur : *Cœlum et terra pertransibunt* (*Matt.* XXIV). Cur cœlum prætergreditur, cur terra pertransit, nisi quia transitus sui quædam digna fecerunt? Et alio loco : *Corrupta est*, ait, *omnis terra* (*Gen.* VI). Quando corrupta est ? ante diluvium, non quod per inundationem diluvii sit corrupta. Ait ergo : *Terra quæ peccaverit mihi, ut delinquat delictum, extendam manum meam, et conteram ejus firmamentum panis.* Extendens Deus manum suam super peccatricem terram, famem immittit in eam. Possum et aliter interpretari, quia terra aliquando delinquat. Terra quippe est anima nostra, ut in parabola Evangelii significatur (*Matt.* XIII). Anima petra, anima terra bona et fertilis per multam patientiam. Ista igitur terra sæpe peccat, sæpe non peccat. Et siquidem peccaverit, extendit manum super eam, et conterit omne firmamentum panis ejus. Ne conteras, Omnipotens Deus, firmamentum panis ab ista terra nostra, quin potius largire nobis semen tuum, ut faciat in nobis fructum centuplum. *Et emittam in eam famem, et tollam de ea hominem et pecus.* Quomodo possum tam reconditas res in publicum proferre? unde mihi ut exponere valeam, cur fames, cur fertilitas, cur abundantia, cur egestas terræ accidant? *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Utrum propter homines et animarum malitiam immittatur fames? an propter Angelos, quibus sunt commissa terrena, si peccaverint, accidant ea quæ videmus accidere? Si autem sunt quidam cœlestis dispensationis ministri, qui fructibus præsunt, forte et propter illos infertilitas terræ eveniet. *Plurima* enim *operum ejus in absconsis sunt. Non possumus magnitudinem sapientiæ effari. Arenam maris et pluviæ stillas, et dies sæculi quis dinumerabit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum sapientiæ quis investigabit* (*Eccl.* I) ? Varie ergo mittitur fames super peccatricem terram. *Et auferam*, inquit, *ex ea hominem et pecus.* Aliud est terra, aliud homo. Non habitatores terræ, ut quidam putant, nunc pro terra **919** [a] nominat. Si enim habitatores terræ per terram accipi velit, superfluum fuerat dicere : *Auferam ex ea hominem et pecus.* Gaudet enim terra quando plena est accolis : mœret cum id quod dicitur, acciderit : *Auferam ab ea hominem et pecus.* De quibus si Dominus, vobis orantibus, ministraverit sensum (si tamen sensus Domini capaces fuerimus effecti), volumus pauca disserere. Quomodo pœna matris est in exsilium destinatæ privari filiis, aut certe filios suos ad aliam videre provinciam destinari : sic quodammodo mater nostra terra flagellatur pro peccatis suis a Deo, quando aufertur ab ea homo et pecus : lætatur quando homines habet, magis autem quando habet homines optimos, et in Dei studiis viventes, sicut supra exposuimus. Dicitur ergo, *quando terra peccaverit*, quasi dicatur, si quando peccaverit mater, auferam de domo ejus filium : sic et nunc auferam de ea hominem. Lætatur quippe terra non super bestiis et feris rabidis, sed super pecudibus, quia placida et mansueta animalia diligit. Et auferam de ea hominem et pecus. *Et si fuerint isti tres viri, de medio ejus.* Quomodo potest in terra peccatrice trium istorum pariter numerus commorari? Quomodo tam diversis temporibus, viventium potest inter se vita conjungi? In præsenti legimus in peccatrice terra eos pariter consistere, id est, Noe, qui in diluvio fuit, et Danielem, qui in captivitate Babylonis commoratus est, et Job, qui temporibus patriarcharum et Moysi vixisse perhibetur. Hoc enim tempus invenimus vitæ Job. Quid ergo possumus dicere ? Meminisse debemus (ut sæpe jam diximus) quia ut homo hominem generat, et Israel generat Israel. Israel quippe cum esset Jacob, genéravit Israel populum. Et invenimus in Scripturis, Israel nomen tam in uno homine quam in universo populo dici. Sic non solum Israel Israel, verum et Ruben generat Ruben, et Simeon generat Simeonem, et Levi Levi, et Judas Judam, et reliqui omnes, qui in tribu Juda sunt ab illius stirpe venientes, Judas nuncupantur : et replicatæ sunt Scripturæ in tribu Juda hominibus Juda. Ea quæ in **920** benedictionibus Jacob, per Moysen de Ruben et Simeon et Levi et Juda dicuntur (*Gen.* XLIX), et cæteris non sic conveniunt patriarchis, ut his qui cognomines eorum propter familiæ radicem exstiterunt. *Benjamin lupus rapax ad matutinum comedit, et ad vesperam dabit escam.* Benjamin ille numquam fuit lupus rapax. Benjamin ille numquam in vesperam dedit escam; sed is, qui natus est ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis juxta legem Pharisæus, circumcisus octavo die, Benjamin prædicabatur lupus rapax ad matutinum comedens, quando juvenis fuit, et in vesperam dans escam, quando credens spiritalem præbuit cibum a se Ecclesiis institutis. Igitur Benjamin Benjamin generat. Quomodo ergo homo ex homine, Benjamin ex Benjamin, sic Juda ex Juda, Ruben ex Ruben nascitur, Ruben quippe vivat et

[a] Expunximus hic alteram negandi particulam perperam intrusam.

non moriatur, et sit multus in numero. Intantum non erat de patriarcha sermo, sed de populo, qui de patriarcha descensurus erat. Cur hæc dicta sunt? videlicet ut præsentem locum exponerem de Noe, et Daniele, et Job. Quomodo enim Israel Israel genenerat, et Job Job, et Ruben Ruben, reliqui reliquos; sic Noe Noe. Et dicam quia de filiis Noe, Sem Noe fuerit. Cham vero non fuerit Noe : neque enim habuit similitudinem patris sui. Et ut non omnes, qui ex Abraham filii Abraham, licet sint de semine ejus, non sunt filii ipsius, quoniam peccatores sunt : sic hi qui habent similitudinem factorum Danielis, Daniel sunt; qui imitantur patientiam Job, Job fiunt. Noli ergo dicere: Beatus Noe, quoniam dignus effectus est, ut in diluvio solus eligeretur a Domino, et cæteris inundatione pereuntibus, cum suis servaretur incolumis : sed considera, quia si et tu feceris ea, quæ fecit Noe, eris Noe. Audi Salvatorem dicentem : *Si essetis filii Abrahæ, opera Abrahæ faceretis* (*Joan.* VIII). Igitur si quis filius est Abraham, facit gesta Abraham : si quis filius est Noe, facit opus Noe : si quis filius est Danielis, facit id quod fecit Daniel. Si quis sequitur per quod gloriosus effectus est, ut puta omnis qui substantiam suam perdit; et sustinens patienter tam jacturas rerum **921** familiarium, quam mortes filiorum, dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; ut Domino visum est, ita factum est: sit nomen Domini benedictum in sæcula* (*Job.* I): qui incenditur corporis malis, et flagellatur vario malorum suorum dolore, et nihilominus in ipsis suppliciis glorificat Dominum; qui potest respondere divina, et inter cruciatus propheticam vocem emittere, qualem emisit Job, imitator est Job. Atque ita in hunc modum et Noe, et Daniel, et Job in eodem possunt tempore reperiri. Quia autem nunc Ezechiel non de his dixerit, quos in Scripturis lectitamus, videlicet quos aut translatio, aut mors de præsenti vita subtraxerit, de alio quoque loco approbare conabimur. Daniel qui traditus est Eunuchorum principi cum Anania, Azaria, Misaele, [a] eunuchus fuit, et est in præsenti dictum : *Noe et Daniel et Job, filios et filias non liberabunt* (*Dan.* I), et reliqua. Fingamus quippe filios habuerit Noe, quomodo filii Danielis, docebuntur, quem eunuchum fuisse Judæi tradunt? Verum quia fertilis et sancta fuit anima illius, et propheticis divinisque sermonibus multos liberos procreavit, idcirco dicitur : *Si fuerint in tempore illo*, vel *isto, ut Noe et Daniel et Job, et ipsi soli salvabuntur.* Et nos ergo possumus fieri Daniel, et ut non enumerem omnes sanctos, possum esse Paulus, si fuero imitator ejus dicentis : *Imitatores mei estote* (I *Cor.* XI); si cauterium, quo signatus est Paulus, habuero; si eamdem figuram, qua ille figuratus est in Christo, possedero, per quam, ut bonus pater, aiebat : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV). Si vero ex dissimilitudine signaculi **922** coarguor, quia aliam formam habuerit Paulus quam ego in anima habeam, me ipsum decipio dicens : Filius meus es tu, semen Pauli. Noli mirari quod filius Apostoli fias. Habeto virtutes, et eris filius Christi. *Filioli*, inquit, *adhuc pusillum vobiscum sum* (*Joan.* XIII). Cum autem fueris Christi, eris et omnipotentis Patris, quia unum sunt, unitæque naturæ. Ad hoc laborat justus, in hoc studium suum omne convertit, ut Danielis et Job, et Noe, et Abrahæ filius ostendatur ad adoptionem Dei, et jam non vocetur hominum nominibus, sed vocabulis filiorum Dei. *Si* ergo *fuerint tres viri isti.* Non indiget Spiritus sanctus, ut etiam nunc Noe et Danielem, et Job ostendat: *Tres viri isti in medio ejus.* Dicit mihi eruditus auditor : Tres in præsenti nominantur, sermo vero tuus plurimos affirmat, et Daniel et Job, et Noe. Cui sic respondebimus : Omnis multitudo similium unus est, et non plures, qui similes sunt. Non plura corpora, sed unum corpus omnes sumus, juxta id quod scriptum est : *Vos autem estis corpus Christi, et membra ex parte. Et Salvator noster venit quærere et salvare quod perierat* (I *Cor.* XII), in sacramento nonaginta novem ovium non errantium, et unius perditæ. *Venit* quippe *filius hominis quærere et salvare quod perierat.* Quomodo enim unum corpus plura sunt corpora, et una ovis plures sunt oves, quæ perierant, hoc pacto omnes Noe, Daniel, et Job in unum Noe, Job et Danielem redigantur. *Ipsi in justitia sua salvabuntur, dicit Dominus*

[a] Hebræorum hæc proprie sententia est, quam et studiose promovent, ut hac de causa Danielem e prophetarum numero excludant, juxta Moysen, qui eunuchos a cœtibus Israelitarum jussit exsulare. R. Eliezer, in Pirke cap. 52: « Isti autem fuerunt Daniel, Chananias, Michael, et Azaria, qui facti sunt eunuchi in palatio regis Babel, neque generarunt filios. » Origenes paulo inferius ex ipso Danielis libro constare hoc ait : « Quid respondebis mihi de Daniele? Et hic ante captivitatem in patria floruit nobilitate, et deinceps in Babylonem translatus eunuchus effectus est, ut manifeste ex libro ipsius intelligi potest. » Quod rursum luculentissime exponit ex Hebræorum traditionibus in Comment. in Matth. Sed et Hieronymus noster concinit lib. I in Jovinianum : « Superfluum autem est de Daniele dicere, cum Hebræi usque hodie autument, et illum et tres pueros fuisse eunuchos, ex illa Dei sententia, quam Isaias loquitur ad Ezechiam : *Et de filiis his, qui nascentur ex te, tollent et facient eunuchos in domo regis.* Rursusque in Daniele legimus : *Et dixit rex Asphanez principi eunuchorum, ut introduceret de filiis captivitatis Israel, et de semine regio, et de phorthommim pueros, in quibus non esset macula, pulchros facie, et intelligentes sapientia.* Et argumentatur, si de semine regio electi sunt Daniel et tres pueri; de semine autem regio eunuchos fore Scriptura prædixit, hos esse, qui eunuchi facti sunt. » Quin etiam in Commentar. in Danielem I, 5: « Unde et arbitrantur Hebræi, Danielem, Ananiam et Azariam fuisse eunuchos : impleta illa prophetia, quæ ad Ezechiam per Isaiam Prophetam dicitur: *Et de semine tuo tollent et facient eunuchos in domo regis.* » Aliorum quoque Patrum hæc videtur fuisse sententia, ex laudato Isaiæ vaticinio derivata. Sanctus tamen Epiphanius in vita Danielis, eum pro eunucho habitum ob morum tantummodo castitatem atque integritatem putat : in quam sententiam plerique alii postmodum concessere. Josephus non ipsum de nomine Danielem, sed aliquot ex his, quos sibi pueros Nabuchodonosor selegerat, ejus fuisse jussu exsectos tradit.

*Adonai*. Prius [a] nomen Dei quatuor litterarum est, quod interpretatur naturaliter Deus. **923** Ergo emittitur propter peccata terræ fames. Terra vero secundum omnes sensus quos supra diximus, et quoscumque intelligentiæ auditorum relinquimus, ut ex nostris dictis ipsi sibi alias intelligentias reperirent. Videamus autem et aliud opus iræ divinæ emittentis in terram peccatricem bestias pessimas. Aiunt etiam Judæi, si quando lupi homines devoraverint, impetum facientes in domos, et cæteræ bestiæ, ut historia refert, leones quondam in humanum genus immissos, et alio tempore ursos, istiusmodi devorationes ex Dei indignatione descendere. Et hunc interim sensum, ut sequamur litteram ab altiori intellectu recedentes, nunc sequi videmus prophetam. Qui autem spiritalis est, judicans omnia, et a nullo dijudicatur, confidenter dicit multas esse bestias, quas emittit Deus in peccatricem terram, si tamen terra nostra peccaverit : *Adversarius noster diabolus ut leo rugiens ambulat quærens quem devoret* (I *Pet.* v). Illa quoque historia, quæ Scripturas diligenter observantibus in planum se præbet intellectum, istiusmodi habet significationem : quando duo ursi ad parvulos missi sunt, qui contumelias faciebant prophetæ, dicentes : *Ascende, calve; ascende, calve*. Ursi namque illi in signum erant aliarum bestiarum, quæ vere feræ, vere sunt rabidæ, quæ mittuntur in hanc peccatricem terram. Procul autem absit a nobis, ut bestiæ ad nos pro Dei ultione mittantur, quin potius in oratione dicamus : *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi*. Ego novi perseverantes in fide justos feris traditos, et laceratos ab eis consummasse martyrium, nec tamen beatos esse desisse. Non enim bestiis fuerant traditi spiritalibus et invisibilibus, quæ lacerant animas peccatorum, et dentes suos in impiorum corda defigunt. Quemadmodum enim si pastor ex ore leonum evellat duo crura ovis, vel extremun auriculæ, ita evellentur filii Israel. Traditur ergo aliquando terra bestiis, ad eversionem, ut auferatur ab ea homo et pecus (*Amos* III). Et observa diligenter differentias comminationum. In prima comminatione famis ait : *Ipsi soli salvabuntur*, **924** *Noe, Daniel et Job*. In secunda vero, ubi bestias immissurum se esse testatur, filii et filiæ nuncupatæ sunt : *Verumtamen ipsi soli salvi erunt, dicit Adonai Dominus*. Qui locus dupliciter intelligitur. Ac primum secundum communem sensum exponamus ob nonnullorum insipientiam, qui sensum animi sui, A Dei esse asserunt veritatem, et frequenter dicunt : Futurum est ut unusquisque nostrum precibus suis eripiat quoscumque voluerit de gehenna : et iniquitatem introducunt ad Dominum, non videntes, quod justitia justi super eum erit, et iniquitas iniqui super eum, et unusquisque in proprio peccato morietur, et in propria justitia vivet. Nihil mihi conducit martyr Pater, si non bene vixero, et ornavero generis mei nobilitatem, hoc est testimonium ejus, et confessionem, qua illustratus est in Christo. Nihil prodest Judæis dicentibus : *Nos de fornicatione nati non sumus, unum patrem habemus Dominum* (*Joan.* VIII), et post modicum : *Abraham pater noster est*. Quæcumque dixerint, quæcumque sibi assumere voluerint, si non habuerint fidem Abraham, incassum gloriantur. Neque B enim ideo salvabuntur, quia sunt filii Abraham. Quoniam ergo quidam non recte opinantur, necessario interposuimus etiam sensum litteræ dicentis : *Filios et filias non liberabunt Noe, Daniel et Job, sed ipsi soli salvi erunt*. Nemo nostrum confidat in justo patre, in matre sancta, in fratribus castis. Beatus homo, qui spem habet in semetipso, et in via recta. Ad eos autem qui in sanctis fiduciam habent, non incongrue proferimus exemplum : *Maledictus homo, qui spem habet in homine* (*Jer.* XVII). Et illud : *Nolite confidere in hominibus*. Sed et aliud : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in principibus* (*Ps.* CXLV, CXVIII). Quod si necesse est in aliquo sperare, omnibus derelictis, speremus in Domino dicentes: *Si constiterint adversum me castra, non timebit cor meum*. C Cum hæc se ita habeant, etiam alia nobis quæstio oboritur, quam diligenter debemus excutere, ut Scripturarum veritas elucescat: Quare cum tanti sint justi, nunc tantummodo tres nominantur, Noe, Daniel et Job? **925** Audivi quondam a quodam Hebræo hunc locum exponente atque dicente, ideo hos nominatos, quia unusquisque eorum tria tempora viderit, lætum, triste, et rursum lætum. Vide Noe ante diluvium, considera mundum integrum, et eumdem, post, Noe in totius orbis naufragio solum cum filiis suis et animalibus in arca servatum : considera quomodo post diluvium egressus sit, et plantaverit vineam, quodammodo secundi rursus orbis creator existens. Talis est justus : vidit [b] mundum ante diluvium, id est ante consummationem : vidit mundum in diluvio, in corruptione et in interitu peccatorum, quæ D in die sunt eventura judicii : rursum videbit mundum in resurrectione omnium peccatorum. Dicit

[a] Eumdem errorem errasse videtur Hieronymus, sive ex Origene properanti calamo descripsisse in Commentariis in Ezechiel. lib. IX, cap. 28 : « Ubicumque, ait, juxta LXX, secundo ponitur *Dominus*, *Dominus*, primum nomen tetragrammaton est, quod proprie ad Deum pertinet, et ineffabile dicitur : Secundum commune, quod sæpe in hominibus invenitur. » Diximus vero in eum locum, cum plane constet, in Ezechielis, de qua sermo est, prophetia, perpetuam econtrario consuetudinem obtinere, ut primum commune, alterum Dei proprium sit nomen, videri non S. Doctoris, sed scribarum veterum hunc fuisse lapsum, qui numericas notas 1 et 2 temere ibi commutarint; nam alibi, sive cap. 6, rectissime contrarium docet. At Origenis testimonio quam recte isthæc aptari possit medicina, non video, neque enim hic tantum expressis verbis, sed et inferius, homilia 12, satis luculenter idem asserendo fallitur.

[b] Redolet hic locus sententiam illam Origenis, quæ in ejus scriptis tam sæpe occurrit, finem impositum iri damnatorum pœnis ; tum plenam omnium ἀποκατάστασιν, et perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus. Dicemus hac de re paulo fusius infra ad homiliæ 10 perquam similem locum.

mihi aliquis : Concedo de Noe, ut tria tempora viderit, quid respondebis mihi de Daniele? Et hic ante captivitatem in patriæ floruit nobilitate, et deinceps, in Babylonem translatus, eunuchus effectus est, ut manifeste ex libro ipsius intelligi potest : vidit et reversionem in Jerusalem. Ut autem probetur, quod ante captivitatem in Jerusalem fuerit, et post captivitatem eunuchus effectus sit, assumamus id quod ad Ezechiam dictum est : *Accipient de filiis tuis, et facient spadones in domo regis* (*Isai.* XXXIX). Deinde post septuaginta annos invenitur deprecans Deum, ut completo jam tempore captivitatis, rursum ingrediatur Jerusalem. Habemus orationem ejus in volumine proprio conscriptam (*Dan.* IX), nec tamen **926** possumus invenire ubi sit mortuus. Vidit ergo tria tempora, ante captivitatem, in captivitate, et post captivitatem. Talis justus est. Videamus autem, an et Job tria tempora habuerit. Fuit quidem locuples : erant quippe ei oves septem millia, cameli tria millia, juga boum quingenta, et supellex multa valde, filii septem, et filiæ tres. Deinde accepit potestatem diabolus adversus eum. Vide tempora commutata. Dives in liberis pater, repente orbus efficitur : dives in censu Dominus, ad ultimam deducitur egestatem : ecce duo tempora. Post hæc apparet ei Dominus, et loquitur ei de nube, et ipse Job ea, quæ sunt in libro ejus scripta, respondit (*Job.* I). Igitur in primo tempore Dei laudibus prædicatur ; in secundo tentationi traditur, et sævissimo ulcere percussus a pedibus usque ad caput tristia et dura perpetitur. Ad extremum factæ sunt ei oves quatuordecim millia, cameli sex millia, juga boum mille, asinæ pascentes mille, et nascuntur ei filii septem et filiæ (*Job. ult*). Atque ita et in Job tria tempora deprehendimus, quæ in justis hominibus reperimus. Tria vident justi tempora ; præsens, et commutationis, quando judicaturus est Deus, et futurum post resurrectionem mortuorum, id est, vitæ cœlestis perpetuitatem in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA QUINTA.

De eo quod quatuor ultiones pessimæ, id est, gladius, fames, bestiæ malæ, et pestilentia inducuntur super terram peccatricem : et de parabola qua dicitur : *Fili hominis, quid fiet ligno vitis* (Cap. XIV et XV)?

**925** Fames, quæ propter peccatricem inducitur terram, juxta possibilitatem nostrarum virium discussa est, et post famem de bestiis pessimis diximus, quas immittet Deus super peccatores. Quatuor enim ultiones in principio proposuimus, e quibus reliquæ duæ sunt de romphæa, et de morte. Et in prima quidem filiorum et **926** filiarum nomen tantum est : in secunda vero et tertia, quam nunc conamur exponere, filiorum et filiarum nomen annexum est, id est, in romphæa, qua corruunt, qui cæde ejus digna fecerunt. Quis est ergo iste gladius, id est, romphæa, quam nos formidare debemus, no quando mittatur super terram nostram, super terram **927** quam figuraliter exposuimus, ut et nobis necesse sit transire per gladium duplex aliquid habentem in pœna? Habitus quippe ipsius gladii dividit et secat eum, in quem infertur : si vero ad acumen aciei ejus etiam tactus ipse pœnalis est, dupliciter torquetur, qui hoc gladio puniendus est. Scriptum est enim : *Statuit igneam rompheam, et Cherubim custodire viam ligni vitæ* (*Gen.* III). Et quomodo si gladius acutus et cædens inferatur in corpus, duplicem tribuit cruciatum adustionis et cædis : sic et romphæa, quæ ad custodiam Paradisi statuta memoratur, quam nunc ob expositionem gladii præsentis assumpsimus, duplicia infert tormenta, dum adurit et dividit. Ut autem necessarium aliquid, ex quibus Deus sensum nostrum illuminat, in loco præsenti interponamus, accipe exemplum. Aiunt studiosi medicinalis disciplinæ, ad quasdam corporum curationes necessariam esse non solum sectionem ferri, verum etiam adustionem. Nam ad eos, qui canceris veterno computrescunt, candentem sive novaculæ laminam, sive quodcumque acutissimi ferri genus adhibent, ut per ignem radices canceris evellantur, per incisionem autem putrida caro truncetur, et via pateat medicaminibus injiciendis. Quis, putas, nostrum canceris, ut ita dicam, habet simile peccatum, ut non ei sufficiat, aut simplex acumen ferri, aut sola ignis adustio, sed utraque adhibeantur, quo uratur, et secetur? Audi Salvatorem rationem ignis et ferri in duobus locis significantem. In alio loco ait : *Non veni mittere pacem super terram, sed gladium* ( *Matt.* X). In alio vero : *Ignem veni mittere super terram, et*[a] *utinam jam ardeat* (*Luc.* XII). Igitur defert utrumque Salvator, gladium et ignem, et baptizat, quæ non potuerunt Spiritus sancti purificatione purgari. Sacramenta divina sunt ineffabilia, et soli Deo cognita : plus tamen in gratiarum donatione, quam in tormentorum varietatibus constituta. Neque enim medici ex disciplina artis suæ rationabiliter eos, quibus medentur, secant, urunt, dantque poculum amarissimi temperamenti, **928** multaque alia, prout causa postulat, faciunt : Deus autem universitatis Dominus, sine rationabili quadam sapientia, et sine dispensatione digna majestatis suæ pœnas tantum infert peccatoribus. Neque enim, ut existimant, ad hoc tantum adhibet supplicia, ut torqueat, sed quasi pater scit vulnera omnium nostrum : scit qua

[a] Scripserit Origenes quemadmodum in commentariis in Exodo, ubi hunc ipsum laudat Lucæ locum, πῦρ ἦλθον βαλλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ εἴτε ἤδη ἐκάη. *Ignem veni mittere in terram, atque utinam jam arsisset.* Quod si non ita conceptus Lucæ textus ipse tunc fuerit, hæc certe fuerit sententia, quam probe retinuit, dum locum ex memoria recitat. Id ipsum quod in hodiernis codicibus scriptum est, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη ; Grotius ab Huetio laudatus ita distinguit, καὶ τί θέλω ; εἰ ἤδη ἀνήφθη, sicque exponit : *Quid autem est quod opto? Utinam jamjam accendatur :* ostenditque satis erudite εἰ cum indicativo, *Utinam*, apud Hellenistas significare.

ex causa, quod ulcus natum sit, quæ putredo infelicis animæ, ex quo ducatur exordio, qualis species doloris, ex quo peccato veniat : scit et formas, modos, et numeros peccatorum ; qui semel, bis, terque peccaverit ; qui in una specie delictorum sæpe ruit, qui in diversis vitiorum speciebus singulis tantum vocibus erraverit. Hæc omnia nos juxta sapientiam Dei quærere [*Sup.* debemus], secundum illud, quod scriptum est : *Scrutans corda et renes Deus*, et supplicia, quæ ab eo irrogantur, sic intelligere, quasi digna Deo, et convenientia dispensationi ejus, nos vult non tantummodo cruciari. Omnia quippe ad hoc condidit, ut essent ; et salutares fecit generationes mundi, et non est in eis medicamentum perditionis ; sed quia quod ille voluit nos contemnendo non fecimus, et ille quod cupierat, non exercuit in nobis, disputatio nos coegit, ut aliquid de pœnarum specie diceremus, quæ inferuntur ad terram. Debemus autem nosse, quia non statim ubi fames fuerit, sequatur et mors. Potest quippe fieri, ut aliquis famem sustinens perseveret in vita, licet inedia, et squalore, et macie discrucietur. Potest fieri, ut, immissis bestiis malis, statim non omnes pereant, fugæ auxilio reservati. Potest evenire ut, cedente romphæa, cesset interitus. Modo vulnerantur quidam, et secantur, et, ut ita dicam, crebris ictibus [a] confunduntur, nec tamen pereunt. Idcirco nunc pœna novissima in enumeratione pœnarum mortis infertur. Istiusmodi quiddam et sanctissimus Apostolus sentiens loquebatur : *Novissimus inimicus destruetur mors* (I *Cor.* v). Audebo dicere, sed novissimus inimicus destruetur mors. Fuit quidam ante mortem inimicus, id est **929** romphæa : fuit quidam ante mortem inimicus, bestiæ pessimæ : fuit quidam ante bestias pessimas inimicus, fames. Hæc omnia inimica sunt religionis inimicis. Si enim non vis amicus fieri Deo invitanti te ad reconciliationem, et dicenti per Apostolum : *Obsecro vos per Christum reconciliari Deo* (II *Cor.* v), quid de Deo causaris, cum in causis sub inimicorum imperio esse voluisti? An ignoras idcirco Deum in Ægypto immisisse furorem et iram, et angustiam, immissionem per Angelos pessimos, quia inimici illius erant, et ab ejus adversario regebantur? Procul autem absint a nobis quatuor istarum supplicia pœnarum, fames, bestiæ pessimæ, gladius, mors. Quidquid enim horum fuerit illatum, ad eos venit qui inimici Dei sunt : amicos ejus præterit, neque ausum est eos contingere, qui de ejus necessitudine gloriantur. Et quomodo de igne bene creditum est, Scripturis testantibus, quia transeant per eum justi, et non comburantur : *Uniuscujusque enim opus quale sit, ignis probabit* : sic et in his suppliciis inveniatur aliquis Daniel, Noe, et Job, et nihil pœnarum sustinebit. Hæc specialiter per singula supplicia exposuimus, quæ in extrema parte in unum propheta consocians ait : *Hæc dicit Adonai Dominus : Si autem quatuor vindictas meas pessimas, romphæam, et famem, et bestias pessimas, et mortem immisero.* Quo ? non super terram, sed *super Jerusalem.* Terra enim si puniatur, sufficit ei una correptio. Si autem corripiatur Jerusalem, super quam invocatum est nomen Dei (II *Petr.* II), quatuor ei cruciatus pariter inferuntur. Multo nobis utilius fuerat divino non credidisse sermoni, quam post credulitatem adhuc rursum ad peccata converti, quæ ante commisimus. Considera enim quomodo Scriptura super terram singillatim supplicia dicat inferri, et non apponat quam terram : quando vero ad Jerusalem veniat : Si autem et quatuor vindictas meas pessimas, romphæam, et famem, et bestias pessimas, et mortem immisero in Jerusalem ; nos indicans Jerusalem, qui peccantes quidem nos Jerusalem sumus, quæ destruitur ; in præceptis vero permanentes, Jerusalem dicitur, quæ salvatur. Omnes lamentationes, quas legimus in Jerusalem, omnes querimoniæ, quibus eam plangit Deus, **930** ad nos pertinent, qui gustavimus sermonem Dei, et postea mandatis ejus contraria fecimus. Non plectitur Salomonis jura contemnens, non sic punitur Lycurgi scita destituens. Aliud supplicium est ejus, qui legem Dei per Moysem traditam conculcat, et despicit : maxima omnium est ejus pœna, qui præcepta filii Dei pro nihilo duxerit. Irritam enim quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur (*Hebr.* x) ; quanto magis putatis deteriora supplicia mereri illum, qui Filium Dei conculcaverit ! Ait ergo, quos enumeravimus, Filium Dei non conculcaverunt, sed tantum legem Dei ingressi sunt : maximeque hi, qui ante adventum Domini fuerunt. Sed neque hi, qui crucifixerunt Salvatorem meum, rei sunt ingentis pœnæ, sicut hi, quibus ait Apostolus : *Filium Dei conculcans, spiritui gratiæ contumeliam faciens* (*Ibid.*) : et si quid aliud significat in eo loco in quo eorum peccata replicat, qui post fidem in Deum peccaverunt. Hæc propter quatuor ultiones pessimas, quæ inducuntur super Jerusalem. Et omnes quidem, qui didicimus divinas Scripturas, sive bene, sive male vivamus, Jerusalem sumus. Si male vivimus, illa Jerusalem, quæ cruciatibus punitur, et sustinet quatuor ultiones : si bene, illa Jerusalem, quæ in Dei sinu requiescit. Et est magna distantia, ut in reliqua terra, sic et in ipsa Jerusalem. Omnes enim, qui in Ecclesia peccatores sunt, qui sermonem Dei gustaverunt, et transgrediuntur eum, merentur quidem supplicia ; verum pro modo graduum unusquisque torquebitur. Majorem pœnam habet, qui Ecclesiæ præsidet, et delinquit. An non magis misericordiam promeretur ad comparationem fidelis Catechumenus ? Non magis venia dignus est laicus, si ad diaconum conferatur? Et rursum comparatione presbyteri diaconus veniam plus meretur? Quæ autem sequantur, me tacente, cognoscitis. Idcirco formidans judicium Dei, et ante oculos mihi proponens illum judicii ordinem, qui in

[a] Legendum omnino est, *confodiuntur*

Scripturis continetur, recordor dicti illius : *Pondus ultra te ne leves.* Sed et illud : *Noli quærere fieri judex, ne non valeas auferre iniquitates.* Quid mihi prodest quia prior sedeo in cathedra resupinus, honorem **931** majoris accipio, nec possum habere dignitate mea opera condigna? Nonne majori pœna cruciabor, quia honor justi mihi ab omnibus defertur, cum peccator sim (*Eccl.* VII)? Necessarium fuit diligentius retractantem ea, quæ de quatuor terræ ultionibus dicebantur, id addere, quod Jerusalem quippe erat in tribu Benjamin : et sacerdotes templi, et Levitæ, qui Dei ministeriis serviebant, et cæteri ordines, quos scripturarum sermo comprehendit, in ea morabantur. Hæc accipit quatuor ultiones pessimas, quæ non sunt similes in his qui in ea habitant. Neque enim eodem modo, et ad populum, et ad Levitas comminatio dirigitur. Israelites enim peccans in Israeliticum delictum corruit. Qui autem major est ab Israelita, quanto nobilior fuerit in ordine idem Levites, et sacerdos, tanto majora supplicia sustinebit. Si autem princeps sacerdotum peccaverit, dicit ad eum Heli consacerdos suus : *Si delinquens peccaverit vir in virum, orabunt pro eo : si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo* ( I *Reg.* II )? Hæc in expositionem ejus sermonis, quo comminabantur et singulæ specialiter in peccatricem terram ultionis, et pariter congregatæ in infelicem Jerusalem. Videamus autem et sequentia Scripturæ. Quæ cum in parabola audierit propheta, nos tantum sensum debemus exponere, ipsum testimonii ordinem derelinquentes et auditorem mittentes ad librum : Lignum vitis ut in fructu est honorabilius lignis omnibus, maxime his quæ in saltu fructificant : sic ad cætera opera inutilius omnibus lignis est (*Ezech.* XV). Et vascula quædam possunt fieri, et in diversa opera necessarii usus ad ministrandum ; de palmitibus autem vitis non solum vas aliquod, et in opus utile quid fieri non potest, sed neque paxillus quidem est utilis. Ait ergo sermo divinus, quia ut palmes vitis honorabilior fit cæteris lignis, si afferat fructus : sic ab omnibus inferior judicetur, si id non habeat, unde præcellit; atque in hunc modum eos, qui imbuti sunt eloquiis Dei, honorabiliores esse omnibus, et quocumque modo in vinea positos dignitate, cum afferant fructus, botros salutis, de qua scriptum est : *Ego verò te plantavi vineam fructiferam totam veram* (*Jer.* II). Et alibi : *Vinea Domini domus Israel est* (*Isai.* V). Et rursum : **932** *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Ps.* LXXIX), et reliqua. Si autem non attulerint fructus, intantum ut a Deo dici possit : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ?* tunc multo deteriores inveniri ab his lignis, quæ licet viliora sint, tamen suos afferunt fructus. Quomodo enim præcellunt ligna silvarum vineas inferaces, eodem modo, intra quamdam dispensationem sapientiæ divinæ, ex lignis vilioribus aliqua domui necessaria fabricantur. Neque vero turberis, putans nos extra Scripturas affirmare quod dicimus futurum esse, ut de lignis silvæ aliquid utile fiat, id est, de me ipso si non attulero proprios naturæ meæ fructus. Siquidem et Apostolus imaginem quamdam eorum vasorum, quæ sunt in humana conversatione, assumit dicens : *In magna autem domo, non sunt tantum* [Al. *autem*] *vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia* ( nota quia vasa lignea nuncupaverit); *et alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam* (II *Tim.* II). Ista vasa lignea, quæ esse in magna domo Apostolus prædicat, non sunt facta de vitibus, non de palmitibus vinearum, sed ex aliis lignis, quæ vilioris ordinis in nemoribus fructificaverunt. Quantum ergo malum est, et quale discrimen, ut ligna quondam vilia inveniantur in magna patrisfamilias domo, et palmes vitis meæ inutilis in domo sit, et in ignem projiciatur? Hoc enim scriptum est, quia annuam putationem ejus consumat ignis. Hæc in Ezechielem. Salvator vero hujus parabolæ sensum in Evangelio ita perstrinxit, dicens: *Ego sum vitis, vos palmites, Pater meus agricola : omnem palmitem, qui in me manet, et fructus affert, Pater meus putat, ut fructus majores afferat : palmitem, qui manet in me, et fructum non affert, Pater meus excidit et in ignem mittit* (*Joan.* XV). Vides vicinitatem utrorumque sermonum? Vides quomodo Pater excidat, et in ignem jaciat? Nos insensati, quasi negligenda quidem Scriptura sit, nolentes ea discere, quæ nobis incutiant metum, sed ea audire cupientes, quæ prurientibus auribus incutiunt voluptatem, libenter audivimus quæ nos subvertant, quæ decipiant. Qui dicit proximo suo, ignoscit nobis peccata nostra Deus, siquidem et in talibus sacramentis ludimus, vicissim nobis pollicentes, mappam mittet Deus. Et quia bonus est, et omnium peccata dissolvit, **933** oportebat nos sedere, et sollicito corde dicere : Si heri peccavimus, hodie pœnitentiam agamus. Verum huic palmiti (animal quippe est) qui dicit : Potens est Deus, et bonus agricola, qui non me excidat, et in ignem mittat : respondebit agricola : Sed si talis est palmes, ut frustra sit in vite, numquid poterit relinqui? Nonne si dimittatur impediet vitem, ne pro sicco palmite, virides et fructuum feraces afferat palmites? Quomodo enim boni agricolæ est excidere, et amputare [*Al.* computare] quæ sicca sunt, et tradere in escam ignis infructuosos ramos : sic boni Dei est, de omnibus vitibus infructuosos **934** palmites amputare, et igni tradere in perditionem. Verum nos ipsi nos ludimus, et decepti pariter ac decipientes volumus magis errare cum plurimis, quam ab errore converti : cum magis id quærere debeamus, quod ædificet, quod timorem Dei augeat, quod ad pœnitentiam revocet, quod in confessionem sceleris adducat, quod nos faciat diebus ac noctibus cogitare, quomodo Domino placeamus, ut fiamus in vera vite Christo Jesu fructiferi palmites, et radici ejus adhærentes : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA SEXTA.

De eo quod dicitur : *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas ;* usque : *Effudisti fornicationem tuam in omni transitu* (Cap. XVI).

**933** Consideranti mihi constantiam prophetarum,

miraculum subit, quomodo vere credentes Deo magis quam hominibus contempserint mortem, pericula, contumelias et omnia quæ passi sunt ab eis : qui arguebantur, dum voluntati Dei in prophetatione deserviunt. Admirabar quondam Isaiam antequam compararem Ezechieli, et obstupescebam quomodo diceret : *Audite sermonem Domini, principes Sodomorum; attendite legem Dei, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus* (*Isa.* I). Dicebat enim hæc, cum posset dicere, vel tacere. Neque enim (ut quidam suspicantur) mente excidebant prophetæ, et ex necessitate spiritus loquebantur. *Si alii*, inquit Apostolus, *revelatum fuerit sedenti, prior taceat* (I *Cor.* XIV). Ex quo ostenditur potestatem habere eum, qui loquatur, cum velit dicere, et cum velit tacere. Et ad Balaam dicitur : *Verumtamen verbum, quod immitto in os tuum, hoc observa loqui* (*Num.* XXII) : quasi potestatem habente eo, ut accepto verbo Dei, diceret seu taceret. Quid est ergo, quod in Ezechiele admiror? Quia cum ei fuisset imperatum, ut testaretur, et notas faceret Jerusalem iniquitates ejus, non posuit ante oculos ejus periculum, quod ex prædicatione erat secuturum ; sed ut Dei tantum præcepta servaret, locutus est quæcumque **934** mandavit. Esto, sit mysterium, sit revelatio sacratæ intelligentiæ de Jerusalem, et his quæcumque super eam dicuntur; attamen prophetans, et fornicationis illam arguit, quia divaricaverit pedes suos omni transeunti, et maledica voce testatur, increpans scelerum civitatem. Sed quia confidebat Dei se facere voluntatem, paratus et mori et videre, loquebatur intrepidus. Videamus ergo ipsam prophetiam, et primo quidem, quomodo in potestate sit positum prophetæ, utrum dicat an non, consideremus. Factus est sermo Domini ad eum, dicens : *Fili hominis, testificare Jerusalem iniquitates ejus, et dices : Hæc dicit Dominus*, non in necessitate aspirationis, sed in voluntate dicentis Dominus posuit, ut testificaretur ad Jerusalem iniquitates ejus, et ait : *Dices*. Quid dices? Hæc quæ sequuntur. In propheta erat audiente, *dices* : utrum diceret necne, quomodo fuit positum in Jona. In potestate quippe ejus erat audientis : *Dic, adhuc tres dies, et Ninives subvertetur* (*Jon.* III), si velit dicere, vel tacere. Et quia in arbitrio ejus positum erat, et noluit dicere, vide quanta eum sunt consecuta postea : periclitata est navis propter eum, forte repertus est latens, cetus devoravit abjectum. Hi ergo prophetæ, quicumque post Jonam fuerunt, considerantes forsitan ea, quæ venerunt ei, sive aliis prophetis : **935** videbant quoniam ex omni parte angustiæ eis imminebant : secundum sæculum persecutio, si dicerent vera : secundum Dominum offensa, si timentes homines, proferrent falsa pro veris. Idcirco testificatus est Ezechiel, et notas fecit Jerusalem iniquitates ejus, et dixit : *Hæc dicit Dominus : Radix tua et generatio tua de terra Chanaan, Pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethæa.* Quæ civitatum sic fuit elevata, et altum sapuit in mundo, ut civitas Dei? Et tamen hæc ipsa sibi magna promittens, quasi proxima Dei, et civitas ejus, quia peccavit, arguitur a Spiritu sancto, ut degener, et extranea. Pater enim ejus Amorrhæus, jam non Deus. Quamdiu non peccavit, pater ejus erat Deus : quando vero peccavit, pater ejus Amorrhæus factus est. Quamdiu non peccavit, pater ejus Spiritus sanctus fuit : quando peccavit, mater ejus Cethæa facta est. Quamdiu non peccavit, radicem habuit Abraham, et Isaac, et Jacob : quando peccavit, radix ejus Chananæa facta est. Sæpe miratus sum id, quod dictum est a Daniele ad presbyterum peccatorem, cui pro peccato nomen imponens, *Semen*, inquit, *Chanaan, et non Juda.* Magnus quidem Daniel constantissime presbyterum peccatorem semen Chanaam appellans et non Juda (*Dan.* III). Major vero comparatione ejus Ezechiel, non uni presbytero, neque duobus hominibus nativitatem objiciens contumeliosam, sed, *Radix*, inquiens, *tua, et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Quia Jerusalem multa peccata commisit, ideo increpans illam propheta, non uno neque duobus, sed tribus nominibus insignivit. Septem in Genesi gentes enumerantur a Deo in uno loco, quem tradidit filiis Israel. Septem autem hæ sunt, *In terram*, inquit, *Chananæorum, et Amorrhæorum, et Cethæorum, et Pheresæorum, et Evæorum, et Gergesæorum, et Jebusæorum.* Si possibile fuisset et septem istas congregare, ut per eas ignobilitatem peccatricis Jerusalem exprobraret, fecisset utique propheta. Nunc vero quid fecit? Amorrhæum elegit ex septem, et Chananæum, et ait habere communionem peccatricem Jerusalem, quippe ad Chananæum, juxta radicem, et nativitatem, proprie ad Amorrhæum secundum **936** patrem, proprie ad Cethæam secundum matrem. Si in Jerusalem tanta dicuntur, de qua tam grandia, et tam mira conscripta sunt, quæ ei sunt repromissa, quid futurum est misero mihi, si peccavero? Quis mihi erit pater, aut quæ mihi erit mater? Tantæ talisque Jerusalem radix, et generatio de terra Chananæorum, pater ejus Amorrhæus, et mater Cethæa nuncupatur. Ego si peccavero, qui in Christo Jesu credo, et tanto me magistro tradidi, quis mihi futurus est pater? Non utique Amorrhæus, sed nequior quidam pater. Quis est iste? *Quivis, qui peccatum facit, ex diabolo natus est :* Et iterum : *Vos ex patre diabolo estis* (I *Joan.*). Si igitur Jerusalem dicitur de radice, et nativitate terræ Chananææ, quid dicetur ad nos? Inveniuntur et nobis patres, qui nos generant in peccatis. Ut enim si bonus fuero, et in optimo actu constitutus, dicit mihi Jesus : *Fili, dimittúntur tibi peccata tua* (*Matt.* IX) ; dicit mihi Paulus discipulus Jesus : *In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui* : ita si factus fuero peccator, generans me in peccatis diabolus, et assumens sibi eam vocem, qua pater Deus ad Salvatorem locutus est, dicit ad me : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* IV). Et alii autem plures patres mei erunt, ad quos iturus sum.

Unusquisque ad suos proficiscitur patres. Si quis est ab Abraham, dicitur ad eum : Tu autem vade ad patres tuos, cum pace educatus in senectute bona. Si quis vero egreditur de sæculo non cum pace, sed cum peccatorum bello, et senectute non bona, inveteratus dierum malorum, utique dicitur ad eum : Tu autem vade ad patres tuos cum bello nutritus in senectute mala (*Gen.* xv). Docemur a Deo sub aliis nominibus, quid facere debeamus. *In qua die nata es, non alligaverunt manus tuas, sive non est excisus umbilicus tuus.* In Hebræo quippe sic habetur : *non est excisus umbilicus tuus.* Allegorice inducit Jerusalem quasi puellam ab infantia genitam. Quæ autem de Jerusalem dicuntur, sciamus ad omnes homines, qui in Ecclesia sunt, pertinere. Primum ejus tempus tale est, secundum quale describitur : procul autem absit a nobis ut tertium tempus tale habeamus, quale dicitur ad Jerusalem. Omnes enim qui primum fuimus peccatores, Jerusalem vocamur a Deo, et habemus ea quæ prima dicuntur. **937** Secunda autem si post visitationem et notitiam Dei perseveravimus in peccatis, ad nos pertinent. Tertia vero mala quæ penitus detestamur, secundum ordinem prosequemur. Nunc ut ad primum redeam, scriptum est quasi de Jerusalem : *In qua die nata es, non est excisus umbilicus tuus.* Adjutorio Dei indigemus, ut possimus umbilicum non præcisum peccatricis Jerusalem invenire, aut certe præcisum umbilicum ejus, quæ non peccavit, exponere. Sive igitur Jerusalem, sive cujuscumque alterius de alia Scriptura quæro umbilicum, ut spiritualibus spiritualia comparans, inveniam quomodo non sit præcisus umbilicus Jerusalem. Scriptum est in Job de dracone : *Virtus ejus in umbilico, et fortitudo ejus super umbilicum ventris* (*Job* xl). Scio ex his, quæ mihi gratia divina largita est, cum præsentem locum exponerem, me dixisse, quod draco sit fortitudo contraria. Iste est enim draco, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, decipiens orbem terrarum universum. Istius fortitudo in umbilico est. Nec dubium : nam principium malorum omnium in lumbo versatur. Et ideo adhuc in lumbo patris constitutus, qui nasciturus erat, refertur, quia in lumbos semina humana collecta sunt. Fortitudo ergo contraria ubicumque sunt semina, ibi insidiarum suarum vim conatur ostendere. Adversum masculos virtus ejus in lumbis est ; adversum feminas virtus ejus in umbilico ventris est. Et vide quomodo honeste viri mulierisque genitalia obtectis nominibus Scriptura nuncupaverit, ne per ea vocabula, quæ in promptu sunt, turpitudinem significaret. Si intellectum est exemplum, quod protulimus de Job, intellige mihi quia ut in viro præputium circumciditur, sic in femina [a] umbilicus amputatur. Cum enim pudica fuit mulier, et mundis usa mutationibus feminarum, scilicet ne in sordidas res, et in peccatorum turpitudines ruat, tunc umbilicus ejus abscisus est. Si vero peccaverit, non est umbilicus ejus abscisus. Increpat ergo Jerusalem quasi **938** mulierem, cui non sit præcisus umbilicus. Septuaginta interpretati sunt in hoc loco : *Non alligaverunt ubera tua*, sensum magis eloquii exponentes, quam verbum de verbo exprimentes. Ubera autem in Canticis canticorum assumpta sunt in cogitationum tuarum et mentis loco : *Quia bona ubera tua super vinum* (*Cant.* i). Et recubuit super pectus Jesu (*Joan.* xiii), ubi ubera tua sunt, is qui communionem intellectuum ejus habiturus erat. Quando ergo sensus est rigidus, et notio obstricta atque solida, nec defluit sermo, manifestum est quia alligata sunt ubera tua. Cum vero ea quæ dicuntur dissoluta sunt, et defluunt, non sunt ubera alligata. *Aqua non es lota in salutem.* Videamus ea, quæ sunt in Jerusalem, ne forte et in nobis reperiantur. Verbi gratia dictum sit : Est quædam mulier nunc lota, verum quæritur an et in salutem ? ut et nos timeamus propter hoc, quod ait, *in salutem.* Non lavantur omnes in salutem. Qui accepimus gratiam baptismi in nomine Christi, loti sumus : sed nescio quis lotus sit in salutem. Simon lotus est, et baptisma consecutus perseverabat in Philippi societate : verum quia non erat lotus in salutem, condemnatus est ab eo, qui in Spiritu sancto dixit ad eum : *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* viii). Ingentis est difficultatis eum qui lavatur, lavari in salutem. Attendite, catechumeni, audite, et ex his quæ dicuntur, præparate vosmetipsos, dum catechumeni estis, dum necdum estis baptizati, et veniatis ad lavacrum, et lavemini in salutem, nec sic lavemini ut quidam qui loti sunt, sed non in salutem, ut qui accipit aquam, et non accipit Spiritum sanctum. Qui lavatur in salutem, et aquam accipit et Spiritum sanctum. Quia non fuit Simon lotus in salutem, accepit aquam, et non accepit Spiritum sanctum : putans, quia possit donum Spiritus pecunia comparari, in qua non est locutus [*F.* lotus], in salutem. Ad omnem animam peccatricem, quæ videtur credere, ista dicuntur quæ nunc dicta legimus ad Jerusalem, ut non **939** ad majora conscendam, et ea quæram, quæ ultra meas vires sunt et ingenium. *Neque sale salita.* Et hoc crimen est Jerusalem, quia non fuerat digna sale Dei. Ego si credidero Domino meo Jesu Christo, ipse me sal faciet, dicetque mihi : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v). Si credidero spiritui, qui in apostolo locutus est, sale condior, et possum præceptum custodire dicens : *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus* (*Col.*

[a] Muliebrem innuit circumcisionem, quæ in iis præcipue regionibus, in quibus ipse agebat Adamantius, sive in Ægypto obtinebat. Eam S. quoque Ambrosius memorat lib. ii de Abraham cap. 11 : *Ægyptii quartodecimo anno circumcidunt mares, et feminas eodem anno circumcidi ferunt, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, et feminarum menstrua sumant exordia.* Et Strabo, lib. xvii ab Ægyptiis tradit, τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, *feminas excidi.* Videndi, quos Huetius laudat, medici insignes, Paulus Ægineta lib. vi, c. 70, et Aetius, Tetrabibl. iv, serm. 4, c. 103, et qui eam consuetudinem hodieque retinere nedum Ægyptios ferunt, sed et Persas, Coptasque, Bellonius lib. iii Observat. cap. 28, et Leo Africanus lib. xxviii.

iv). Grande opus est insaliri. Qui sale conditur, gratia plenus est. Nam et in communi proverbio salsus dicitur gratiosus, et econtrario insulsus, qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis a Deo venit, et complemur dono ejus, sale salimur. Rursum peccatrix Jerusalem non est involuta pannis. Observa quod dicimus: Anima renascens et primum in lavacro edita, involvitur pannis. Ipse Dominus meus Jesus pannis involutus est, ut scriptum refertur in Evangelio secundum Lucam (*Luc.* II). Oportet ergo eum qui renascitur utique in Christo renascentem rationabile et sincerum lac desiderare, et prius quam rationabile et sine dolo lac desideret, debet sale sali-ri, et pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum, sale non es salitus, et pannis non es involutus. Quia autem ista Jerusalem sint crimina, non circumcidi eam umbilico, et sale non saliri, et pannis non involvi, et aqua non lavari in salutem, sermo indicat reliquus, qui ita contexitur: *Neque pepercit in te oculus tuus, ut faceret tibi unum ex omnibus istis.* Propterea nihil tibi horum feci, ut paterer aliquid super te, dicit Dominus. Exemplum ab hominibus accipiam: deinde si Spiritus sanctus dederit, ad Jesum Christum et ad Deum Patrem transmigrabo. Quando ad hominem loquor, et deprecor eum pro aliqua re, ut misereatur mei, si sine misericordia est, nihil patitur ex his, quæ a me dicuntur: si vero molli est animo, **940** et nihil in eo rigidi cordis obduruit, audit me, et miseretur mei, et molliuntur viscera ejus ad meas preces. Tale mihi quiddam intellige super Salvatorem. Descendit in terras miserans humanum genus, passiones perpessus est nostras, antequam crucem pateretur, et carnem nostram dignaretur assumere. Si enim non fuisset passus, non venisset in conversationem humanæ vitæ. Primum passus est, deinde descendit, et visus est. Quæ est ista, quam pro nobis passus est, passio? Charitas est passio. Pater quoque ipse, et Deus universitatis, longanimis et multum misericors et miserator, nonne quodammodo patitur [a]? An ignoras quia quando humana dispensat, passionem patitur humanam? Supportavit enim mores tuos Dominus Deus tuus, quomodo si quis supportet homo filium suum. Igitur mores nostros supportat Deus, sicut passiones nostras portat Filius Dei. Ipse Pater non est impassibilis. Si rogetur, misereatur, et condolet, patitur aliquid charitatis et fit in eis, in quibus juxta magnitudinem naturæ suæ non potest esse, et propter nos humanas sustinet passiones. *Non pepercit oculus tuus*, inquit, *in te, ut faceret tibi unum ex omnibus istis, ut paterer aliquid super te.* Et quia talis effecta es, projecta es in faciem campi. Deus, ne nos tales esse patiaris, ut projiciamur a te et ab Ecclesia tua in faciem campi, sed magis ut ab angustiis sensuum egrediamur ad campum. *Et projecta es in faciem campi.* Quare? *Pravitate animæ tuæ in qua die nata es.* Potestne aliquis in eadem die qua natus est habere animæ pravitatem? Describit passiones nostras, et vitia humana, et solitas pravitates. Pravitate enim nostra, si non rectum fuerit cor, projicimur in campum in die qua nascimur. Si post regenerationem lavacri, si post sermonem Dei rursum peccaverimus, in die qua nascimur, projicimur. Tales sæpissime reperiuntur **941** lavati lavacro secundæ regenerationis, et non facientes dignos fructus pœnitentiæ, neque exhilarantes mysterium baptismi timore majore ab eo, quem dum Catechumeni essent, habuerunt, et charitate ampliori ab ea, quam exercuerunt dum auditores sermonis essent, et sanctioribus gestis, quam ante gesserunt. Sequitur istius modi homines hoc, quod dicitur: *Projecta es in faciem campi pravitate animæ tuæ in die, qua nata es.* Sed vide misericordiam Dei, vide clementiam singularem. Licet projecta sit Jerusalem in faciem campi, non ita eam despicit, ut projecta sit semper; non ita pravitati suæ relinquit, ut in totum ejus obliviscatur, ut non ultra elevet jacentem. Attende quid sequitur: *Et transivi per te.* Projecta es, ego tamen rursum veni ad te: visitatio mea non tibi defuit post ruinam. *Et vidi te conspersam in sanguine tuo.* Quasi dicat: vidi te ream homicidiorum, ream sanguinis et mortalium peccatorum. *Et dixi tibi: De sanguine tuo vita adimplere. Suge de sanguine tuo, et adimplere vita. Sicut hortus agri dedi te.* Misertus sum tui, postquam projecta es: vidi te sanguine peccatisque conspersam: effeci te sicut hortus est agri, et multiplicata es. Quia ad te veni et visitavi te projectam, causa tibi factus sum, ut multiplicareris. *Et multiplicata es, et magnificata.* Dedi te in multitudinem et magnitudinem, id est, crescere te feci, et multiplicari. Per id enim, quod crescimus, et multiplicamur. *Et intrasti in civitates civitatum.* Rursum errores exponit Jerusalem introeuntis in civitates civitatum. Quomodo autem ingressa sit criminose in civitates civitatum, consideremus. Si per singulas civitates, in quibus hæreses sunt et doctrinæ alienæ a Deo, ingrediatur quispiam ecclesiasticus, et particeps fiat

[a] Huc referenda sunt quæ lib. II de Principiis habet cap. 4: «Si vero propter illa quæ dicuntur in veteri Testamento, quod irascitur Deus, vel pœnitet, vel si qua alia humani affectus passio designatur, materiam sibi ad confutandos nos præberi putant, affirmantes penitus impassibilem Deum, atque his omnibus carentem affectibus sentiendi, ostendendum est eis etiam in evangelicis parabolis haberi similia, etc.» Sic et in Commentar. in Matthæum cap. XXII: «Nobis maxima exemplorum copia ex Evangeliis suppetit, in quibus juxta parabolas quasdam homini assimilatus est. Ad earum ergo parabolarum defensionem, quæ verbo tenus Deum Christi Patrem humanæ conditionis affectibus obnoxium esse statuunt, iis utemur, quæ Deum hominem appellant, et hæreticos, qui quod consimiles veteris Testamenti locos non animadverterint, in Dei legis ac prophetarum, et mundi conditoris offensionem incurrunt, ita compellabimus: Si juxta Evangelii parabolas homini comparatur Deus, quare consequenter his parabolis, parabolam quoque esse iram, et furorem, et pœnitentiam, et aversionem vultus, et sessionem, et stationem, et ambulationem Dei non vultis?»

talium civitatum, audit : *Intrasti in civitates civitatum. Mammæ tuæ erectæ sunt. Post tanta crimina rursum floruisti, et venit tibi tempus, et tempus divertentium.* Dicitur mihi : Noli allegorizare, noli per figuram exponere. Respondeant quæso : Jerusalem mammas habet, et est quando non colligentur, est quando erigantur, et umbilicum habet, et quia non est præcisus, arguitur : quomodo possunt ista sine allegorica expositione intelligi ? *Mammæ tuæ* **942** *erectæ sunt, et capillus tuus exortus est.* Cum omni honestate, ea quæ solent virginum evenire corporibus, describit sermo divinus. *Et capillus tuus exortus est, tu vero eras nuda et dehonestata.* Qui non est Jesum Christum indutus, hic nudus est; qui non est indutus viscera miserationis, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, longanimitatis, ut proximum sustineat, iste dehonestatus est. *Tu vero eras nuda et dehonestata, et transivi per te.* Secunda vice venit ad eam, vidit eam peccantem, iterum propter peccata discedit, et tamen rursum revertitur, iterum visitat clemens et benignus Deus. *Et veni ad te, et vidi te, et ecce tempus tuum, et tempus divertentium.* Quid est hoc, quod ait tempus tuum ? Tempus significat adolescentium, in quo jam per ætatem possunt fornicari. Et rursum : *Et tempus*, inquit, *divertentium.* Qui sunt isti divertentes ? Dum sumus parvuli hi, qui divertere nolunt ad eos, qui nituntur evertere, ut sunt Christiani pessimi, dæmonia immunda, angeli diaboli, non habent locum, quomodo non possint divertere. Cum autem fuerimus ætate majore, et jam peccare possumus, quærunt aditum ad nos divertendi, et hoc tam Angeli Dei quam angeli Satanæ. Impossibile autem est ut utrique ad nos divertant. Si peccamus, angeli diaboli divertunt ad nos : si stamus fixo gradu, divertunt ad nos Angeli Dei. Venit ergo tempus tuum, et tempus divertentium. Quia tempus venerat divertentium, et Dominus noster Jesus Christus Deus noster rursum visitat miseram Jerusalem, id est, peccatricem animam nostram. *Expandi alas meas super te.* Consuevit Scriptura pennas [*Al.* pœnas] nuncupare vestium summitates : ut in Ruth, quæ venit abscondite, et, discooperto pallio ad pedes Booz, dormivit sub axilla vestimenti ejus (*Ruth.* III). Deus ergo quasi veste loquitur indutus : *Expandi alas meas super te, et operui* [Al. *aperui*] *confusionem tuam.* Beatus cujus alis suis Deus protegit confusionem : si tamen perseveraverit in beatitudine, in qua Jerusalem noluit perseverare. *Et juravi tibi in testamentum, et intravi in testamentum tecum.* Post tanta, ob quæ rursum revertitur, rursum recedit, post tam frequentem visitationem, nunc primum ingreditur cum ea in testamentum. *Et facta es* **943** *mihi, et lavi te in aqua. Post hæc omnia assumpsi te, et ipse lavi te in salutem, et ablui sanguinem tuum abs te.* Hæc intelligentes oremus, ut veniat misericordia Dei super nos, et abluat sanguinem ab animabus nostris. Si quid enim morte dignum fecimus, istud sanguis est noster. *Ablui sanguinem tuum a te, et unxi te oleo.* Et Christos nos vult facere Deus. *Et indui te versicoloria.* Quanta est benignitas Dei in unamquamque animarum Jerusalem ! non unius coloris tuniçam, sed multæ varietatis largitur credentibus sibi. Hanc versicolorem tunicam jam tunc in signum fecit Jacob, induens filium suum Joseph, et vestivit eum versicoloria (*Gen.* XXXVII). Si consideres intellectus sectas, facta bona, vere videbis variam tunicam, quam visitatio Dei largitur his qui vocati sunt in salutem. Legem intelligo, prophetas comprehendo, agnosco Evangelia, non me latet Apostolus : et cautus sum, justus sum, misericors sum, et adhuc quæris aliam tunicam versicolorem, quam induit Dominus Jerusalem dicens : *Et vestivi te versicoloria, et calceavi te hyacinthos ?* Vult calceamenta nostra esse florentia et bene tincta. Quæ sunt calceamenta ? Audi Paulum apertius prædicantem : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Eph.* VI). *Et præcinxi te bysso.* Manifestius de hoc cinctorio Apostolus loquitur. *Stantes præcincti lumbos vestros in veritate* (*Ibid.*). Veritas enim pro bysso accipitur. *Et operui te trichapto.* Non inveniens neque intelligens quid esset trichaptum, inveni in alia editione pro trichapto, *florens*, et in alia *indumentum.* Igitur induit nos Deus post variam vestem et florenti tunica. *Et ornavi te ornamento, et imposui tibi armillas circa manus tuas.* Cum mihi dederit occasiones bonorum actuum, armillas circumdat manibus meis. *Et catena circa collum tuum.* Si me post gesta justitiæ intellectu ornaverit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur. *Et dedi inaurem circa narem tuam.* Quando veræ possum suavitatis et boni odoris sacramenta suscipere, tunc mihi ornat Deus inauribus narem. *Et rotulas in auriculas tuas.* Ut non solum auriculæ, sed etiam grandis rota aurea sit circa auditum tuum. Aurea vero rota est, quæ intellectibus volvitur sacris. *Et corona glorificationis super caput tuum.* **944** Omnipotens Deus, et nobis tribue, ut digni efficiamur corona glorificationis super caput nostrum. *Et ornata es auro :* id est divinis sensibus : *et argento*, id est sermonibus sacris. *Et opertoria tua byssina.* Profunditas sensuum opertorium est byssinum. *Et florentia*, pro quo verbo Septuaginta τρίχαπτα posuerunt, subtilem nimis amictum, et quasi ad capillorum similitudinem attenuatam vestem significantes. *Et versicoloria.* Ecce tota est Jerusalem protecta alis, vestita variis, ornata gemmis. Quid post hæc facit magnus et hominum amator Deus ? Alit eam delicatis cibis. *Similam, et mel, et oleum manducasti.* Non ait simpliciter farinam, neque hordeaceum panem : hoc quod modo ad vos loquimur, simila est. Sed miserabilis Jerusalem post similam, post mella, post oleum, rursum quasi meretrix increpatur. Idcirco caveamus attentius ne forte nos post verba munda similæ, post sermones dulcissimos prophetarum, post oleum, quod lætificat faciem, quo volumus perungere caput, ut jejunium nostrum acceptabile fiat, iterum delinquamus. Non solum autem perungimur hoc oleo, sed et vescimur. *Et facta es pulchra valde nimis.* Laudat

pulchritudinem ejus, laudat speciem, prædicat formam. *Et directa es in regnum.* Quantus profectus, ut etiam ad regnum dirigatur ! *Et exiit nomen tuum in gentibus.* Hæc apta sunt ei, qui postquam liber esse cœpit a mundo, in conversatione proficiens ad beatam vitam, nomen quoque gloriosum in sæculo consecutus est. Sed procul absit id quod sequitur : ad hoc enim scriptum est, ut incutiat audientibus metum. Post pulchritudinem, post nomen magnum Jerusalem misera fornicatur. Ideo *ne glorieris in crastinum ; non enim scis, quid pariat adveniens dies.* Et alibi : *Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, vos ut spiritales sustinete istiusmodi in spiritu mansuetudinis* ( *Galat.* VI). Et rursum : *Considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Et exiit nomen tuum in gentibus in specie tua, quoniam consummatum erat in decore speciei, quam constitui in te, dicit Adonai Dominus. Et confisa es in decore tuo.* Magna sapuit, et conscientia pulchritudinis suæ erecta est speciosa Jerusalem. Et quia alta sapuit, nec se humiliavit, nec glorificavit Deum, audi quid dicatur ad eam : **945** *Et fornicata es in nomine tuo, et effudisti fornicationem tuam in omni transitu.* Quid est hoc, quod ait, Effudisti fornicationem tuam in omni transitu ? Circuit animas nostras fortitudo contraria, et varie perlustrans, quærit locum, per quem possit irrumpere. Ira suo nomine vult fornicari mecum : juxta conjuncta moribus meis suo nomine tristitia, et vult me facere mœrentem : sua parte avaritia infert desiderium auri et argenti, et quorumcumque similium : si me non custodiero, et clausero ostium meum, sed suscepero omnem orationem inimici, dicitur mihi : *Effudisti fornicationem tuam in omni transitu, et accepisti vestes tuas, et fecisti tibi idola sutilia.* De his quibus te ornavi, quibus **946** pulchra facta es, fecisti tibi idola sutilia. Volo adhuc exponere, quæ sunt idola sutilia, quæ quidem de vestibus consuerunt. Vestes divinæ Scripturæ sunt, et sensus, qui est in eis. Consciderunt has vestes hæretici, et consuerunt, dictum dicto, verba verbis jungentes, sed non cum opportuna junctura aptaque, et consuentes, impia sibi simulacra fecerunt, quibus illexerunt quosdam credere, et consentire ad cultum eorum, et fictam suscipere disciplinam. Deus vero omnes nos ab his et aliis simulacris liberet, ut magnificemur in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA SEPTIMA.

De eo quod dicitur : *Sumens de vestimentis meis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta* usque : *Et ne sic satiata es* ( Cap. XVI).

**945** Catalogus peccatorum Jerusalem, utcumque fuerit intellectus, ædificat audientem. Quomodo enim, si in domo sua quempiam de familia Dominus corripiat, et peccata ejus exponat, alius qui nuper emptus est servus, videns patris familiæ disciplinam, quæ culpet, quæve collaudet, instruitur ad non facienda ea quæ priores fecere conservi, et ad hoc omni labore festinat, ut ea faciat, per quæ alii honoris locus, quo induimur, assumentes viscera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, longanimitatis, ad sufferendum invicem. Has varias vestes, et pulchros amictus, quos nobis largitus est Deus, si laceramus, atque conscindimus, et circumdamus falsæ doctrinæ ad deceptionem hominum, non dubium est, quin variis vestibus operiamus idola. Intelliges autem hoc quod dicitur, si ipsam rem manifestius describamus. Vide mihi aliquem Marcionistam, sive discipulum Valentini, aut certe cujuslibet hæresis defensorem, et considera, quomodo idola sua, id est, figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine et castitate vestiat, ut in aures audientium A rem, et libertatem a Domino promeruerunt : ita et nos audientes, in quibus culpet Deus sive Jerusalem, sive universam Judæam, sive unam quamlibet ex tribubus specialiter delinquentem, non parum utilitatis accipimus, ne et in hæc corruamus, in quæ cæteri corruerunt. Est autem principium hodiernæ lectionis, quia vestes a Deo acceperit Jerusalem, et fecerit ex his sibi sutilia quædam simulacra, et fornicata sit super eis. De quibus juxta possibilitatem meam in priori sermone disserui, docens istos, qui Scripturas lacerant, et a verbis verba disrumpunt consuentes ea, et commentitia dogmata componentes, servire idolis, quæ earum vestibus induerunt. *Non in tabernaculum meum intrabis, foris es, et foris manebis.* Scit Scriptura, sanctos intus, peccatores foB ris esse. Igitur Jerusalem, quia talia **946** peccata commisit, ut non mereatur intrare repromissiones Dei, et dicatur ad eam : *Et non intrabis :* caveamus ne forte et nobis dicatur, *et non intrabis. Neque fiet.* Non est completum hoc, quod dicitur : *neque fiet*, et ideo subaudiendum *extrinsecus*, ut sensus possit expleri. Ea quæ tibi repromissa sunt bona, et acceptura eras, non fient. Sequitur aliud delictum : *Et accepisti vasa glorificationis tuæ de argento tuo, et de auro tuo, ex quibus dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas.* Secundum communem sensum sic intelligi potest : Vasa glorificationis, de quibus Moyses scripsit in Numeris, thuribula, phialas, candelabrum aureum, arcam ab intus et a foris deauratam (*Num.* VIII), et cætera cepisti, et conflasti ea, et fecisti effigies masculinas, et fornicata es in eis. Secundum allegoriam vero ita explanabitur : Vasa aurea et argentea, id est, thuribula, phialas et cætera istiusmodi habemus in sacris litteris ; quando ergo torquemus sensus Scripturæ in alterum sensum, qui est contrarius veritati, verba divina conflamus, et res Dei in alias mutamus effigies. Quæ facientes incidimus in peccatum, quod nunc commiserat Jerusalem. Vasa glorificationis nostræ sunt lex et prophetæ ; super his exsultamus, in his efferimur. Quos cum aliter exponimus **947**, quam se veritas habet, convertimus vasa glorificationis nostræ de argento rationabili, et de auro sensibili, quod nobis dedit Deus ; et facimus nobis imagines masculinas, et fornicamur in eis. Sequitur : *Accepisti vestimenta varia et operuisti illa.* Varia vestis est : et hinc unus de Scriptu- C D

facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat. Et cum hoc fecerit, intellige eum assumpsisse vestem variam morum, et conversationis optimæ, et idolis subjecisse, quæ ipse construxit. Ac juxta mei quidem animi sensum multo nocentior est hæreticus bonæ vitæ, et plus in doctrina sua habet auctoritatis eo, qui doctrinam conversatione maculet. Qui enim vitæ pessimæ est, non facile homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per umbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem. Qui vero sermone perversus est, et disciplinis saluti contrarius, mores autem compositos et ornatos habet, nihil facit aliud, nisi accipit indumenta varia instituti boni et conversationis quietæ, et circumdat ea idolis suis, ut magis decipiat audientes. Idcirco sollicite caveamus hæreticos, qui conversationis optimæ sunt, quorum B forte vitam non tam Deus quam diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, ut facilius aves capiant per oblectamentum gulæ, sic (ut audacius dicam) est quædam castitas diaboli, id est, decipula humanæ animæ, ut per istius modi castitatem, et mansuetudinem, et justitiam, possit facilius capere, et falsis sermonibus irretire. Diversis diabolus pugnat **948** insidiis, ut miserum perdat hominem, et bonam malis tribuit vitam ad decipiendos videntes, et malam bonis inurit conscientiam. Mihi ipsi, qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, ut totam Ecclesiam ex mea conversatione confundat. Et ideo plus hi, qui sunt in medio, oppugnantur ab inimico, ut per ruinam unius hominis, quæ celari non potest, omnibus scandalum C fiat, et impediatur fides per conversationem pessimam clericorum. Omnia, ut diximus, diabolus operatur, et ea quæ videntur esse bona, nec sunt, et ea quæ per naturam suam mala sunt, omnia adversum humanam commentatur animam. Unde qui curam habet vitæ suæ, neque mansuetudine hæreticorum capitur, ad consentiendum doctrinæ eorum, neque meis delictis, qui videor in Ecclesia prædicare, scandalizabitur; sed ipsum dogma considerans, et pertractans Ecclesiæ fidem, a me quidem aversabitur, doctrinam vero suspiciet, secundum præceptum Domini qui ait : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia quæcumque vobis dicunt, audite et facite : juxta opera autem illorum nolite facere : dicunt quippe, et non faciunt* (*Matth.* XXIII). Iste sermo D de me est, qui bona doceo, et contraria gero, et sum sedens super cathedram Moysi quasi Scriba et Pharisæus. Præceptum, tibi est, o populе, si non habueris accusationem doctrinæ pessimæ et alienorum ab Ecclesia dogmatum, conspexeris vero meam culpabilem vitam, atque peccata, ut non habeas juxta dicentis vitam tuam instituere, sed ea facere quæ loquor. Nullum imitemur, et si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Jesus. Descripti sunt actus apostolorum, et prophetarum gesta de sacris voluminibus agnoscimus : illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur : si vero A quærimus nobis culpabiles, ad æmulandum, ut cum dicamus : Ille docet, et his quæ docet, facit ipse contraria, adversum præceptum Domini facimus, qui mandavit doctrinas magistrorum magis considerari debere, quam vitas. Hæc dicimus de eo, quod scriptum est : *Accepisti vestem tuam versicolorem, et operuisti illa*, id est vasa glorificationis, quæ in idola commutasti. Sequitur : **949** *Et oleum meum, et incensum meum posuisti ante faciem eorum* (*Apoc.* VIII). Scriptura docente, didicimus, quia sanctorum oratio sit incensum. Ait enim : *Incensum autem orationes sanctorum sunt.* Si ergo instituti ad orationem cum illam Deo debeamus offerre, id est, Deo Legis et Prophetarum, Deo Abraham, Deo Isaac, Deo Jacob, et Patri Jesu Christi offerimus, quæ ipsi confinximus, intantum ut incensum Dei proponamus idolis, facimus id quod dicitur in præsenti : *Oleum meum, et incensum meum posuisti ante faciem eorum.* Verum iste de incenso sit intellectus. Quid respondebimus de oleo? Oleum est, quo vir sanctus ungitur, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ. Cum ergo accepit aliquis hoc oleum, quo ungitur sanctus, id est Scripturam sanctam instituentem quomodo oporteat baptizari : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :* et pauca commutans unxerit quempiam, et quodammodo dixerit : Jam non es catechumenus, consecutus es lavacrum secundæ generationis : talis homo accipit oleum Dei, et incensum, et ponit illud ante faciem idolorum. *Et panes meos, quos dedi tibi, simila, et melle, et oleo cibavi te.* Ecce panes nostri simila mundissima in Scripturis, et mella apum Prophetarum. Ista omnia dedit nobis Deus, et cibavit nos de panibus Prophetarum, et de simila Legis, melle Evangelii, e quibus cibati ponimus eadem ipsa idolis. Cum enim ex dogmatis falsis volentes assumere defensionem, dixerimus, scriptum est in propheta, testatur Moyses, loquitur Apostolus, quid aliud facimus, quam accipientes panes veritatis, proponimus eos simulacris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, et proposuit ei panes Scripturarum. Valentinus, Basilides cæterique hæretici fecerunt similiter. *Et posuisti illa ante faciem eorum in odorem suavitatis.* Naturaliter suavissimi odoris sunt hæc, quæ nobis largitus est Deus. Quem odorem suavissimum ante idola ponit, qui adversum potestatem Scripturarum aut gerit, aut intelligit. *Et factum est, dicit Adonai Dominus, et accepisti filios tuos, et filias tuas, quas genuisti, et immolasti illos in consumptionem.* Cum genuerit peccatrix Jerusalem filios et filias, finis eorum, qui nascuntur, occisio est. Neque enim salus **950** finis est pessimorum. Idcirco scriptum est : *Immolasti eos in consumptionem. Quam modica fornicata est : interfecisti natos meos, et dedisti eos.* Proprie ait : *Accepisti filios tuos :* significanterque addidit : *Occidisti natos meos.* Quicumque enim nascuntur in hæreticorum doctrinis, et ibi fidei suæ principia sumpserunt, hi filii sunt fornicariæ et peccatricis Jerusalem. Qui autem natus est in

Ecclesia, et deceptus postea fuerit hæretica falsitate, iste cum Filius Dei sit, apprehensus est a peccatrice Jerusalem, et positus victima idolis ejus. *Hoc supra omnem fornicationem tuam, et abominationes tuas.* Filios Ecclesiæ accipere, immolare idolis, hoc supra omne peccatum tuum est. *Et non fuisti memor diei infantiæ tuæ cum eras nuda, et turpiter agens.* Præfatus est de nuditate et turpitudine Jerusalem. Oportuit ergo in iniquitate meminisse quomodo pennas meas expanderim super te, et assumpserim te de sanguine tuo, et laverim te. Tu vero horum omnium oblita fuisti. Hæc, quæ condecent nudam, et turpiter agentem, et commixtam in sanguine suo. *Et factum est post omnes malitias tuas : Væ, væ tibi, dicit Adonai Dominus. Et ædificasti tibi domum meretriciam, et fecisti tibi expositionem in omni platea.* Si consideres animam expositam amatoribus suis, videbis quomodo faciat domum meretriciam, et suscipiat omnes, quos prædiximus amatores. Intellige vero quod dicimus, ex sequentibus, id est, qui sunt amatores Jerusalem. Anima humana multum speciosa est, et mirabilem habet pulchritudinem. Artifex quippe ejus cum eam primum conderet, ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Quid hac pulchritudine et similitudine pulchrius? Quidam ergo adulteri, et sordidi amatores, decore ejus illecti, desiderant eam corrumpere et fornicari super eam. Quamobrem sapiens vir Paulus dicit : *Timeo autem, ne forte ut serpens decepit Evam in nequitia sua, sic corrumpantur sensus vestri* (II *Cor.* XI). Sensus nostri in fornicatione carnali corrumpuntur : in spiritalibus vero stupris sensus corrumpitur, et ipsa anima vulneratur. *Et contaminasti speciem tuam.* Etiamsi non homo in peccatis maximis constitutus, tamen quia ingens est animæ pulchritudo, minorum quoque societate turpatur. Respice virtutes animæ, **951** quæ ei insitæ sint a Deo, vide pulchritudinem ejus, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem, cujus sit ingenii, quomodo primum intelligat, inde intellecta dijudicet, ut incitetur ad sensus, ut menti sensa commodet, quos habet impetus, quos cogitatus de Deo. Hæc possidens magnæ pulchritudinis est, sed hæreticorum sectis, et extranea religionis institutione corrumpitur. *Et transierunt crura tua per omnem transitum, et multiplicasti fornicationem tuam.* Est [*Al.* et] fornicatio a fornicatione differens: et quomodo in fornicatione carnis est aliquis non nimiæ fornicationis, et tamen fornicatione pollutus, alius vero multiplicans fornicationem suam : sic et in ea fornicatione, quæ animam suam sensumque commaculat, alius multitudine fornicationis obruitur, alius vero non tam a fornicatione est seductus. Idcirco qua mensura mensi fuerimus remetietur nobis. *Et fornicata es in filios Ægypti confines tuos.* Filii Ægypti contrariæ fortitudines sunt. Nec mirum est si confines nostri Ægyptii dicantur : confines Ægypti et Jerusalem in sua civitate sunt positi, qui sunt magnis carnibus. Non quia isti Ægyptii ingentes carnes habeant (et quidem honeste videtur pudenda eorum, immutato vocabulo, significasse, id est magnis carnibus), sed quia carnei intellectus magnarum nos carnium faciant : ut econtrario est quædam caro deficiens, de qua dicitur : *Quomodo caro mea in terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Fornicatur igitur Jerusalem super filios Ægypti, confines suos, et magnarum carnium. Et *multipliciter*, inquit, *fornicata es ad me exasperandum.* Multas species fornicationis commisisti ad me concitandum. *Quod si extendero manum meam in te, auferam legitima tua, et tradam te in animas eorum qui te oderunt, filios alienigenarum.* Vides quia in animas alienigenarum traditur, quæ indigna sit usu Legis et sermonum Dei. *Qui te diverterunt de via tua, impie egisti, et fornicata es super filios Assur.* Primum super filios Ægypti, deinde super filios Assur. Hæ species peccatorum sunt. Nam et cum captivos acceperunt Assyrii filios Israel, sanctum est quidem id quod Scriptura refert, scriptum est autem propter frequentem nostram captivitatem quæ a spiritalibus **952** Assyriis perpetratur : de quibus Apostolus dicit : *Non est nobis certamen adversus carnem et sanguinem, sed adversum spiritalia nequitiæ. Et nec sic satiata es et fornicata es, et non satiaberis.* Quando quis non impletur delinquens : sed semper prioribus peccatis nova peccata conjungit, colligans ut funem longo, et sicut loro jugi vitulæ iniquitates, numquam se ad meliora convertens, neque pœnitentiam agens super malis suis, dicitur ad eum : Et non satiaberis, *Et multiplicasti testamenta tua ad terram Chanaam.* Quando Deus ad nos facit testamenta, et nos consentimus ei, beati sumus : quando vero fornicamur ad spiritalia nequitiæ (*Eph.* VI), tunc convertimus Dei testamenta ad terram Chanaam, pactum (*Al.* factum) statuimus cum ea. Hoc autem mihi intellige et in Chaldæis, et in cæteris gentibus, quando in quolibet aliquo peccato reprehendimur. *Et testamenta ad Chaldæos, et nec sic satiata es.* Post catalogum peccatorum, ad peccatricem loquitur Jerusalem. *Quid constituam in te, dicit Adonai Dominus, cum facias tu hæc omnia opera mulieris fornicariæ procacis?* Ascendamus paulisper eloquio, quia non semper utile est de fornicationibus loqui, et procul absit, ut aliquis in Ecclesia sit, qui dehortatoriis a fornicatione indigeat sermonibus. Nam si quis necesse habeat audire : *Non fornicaberis* (*Exod.* XX), sed illud : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (I *Cor.* III) : iste similis est his, quos Apostolus dicit : *Justo Lex non est posita, sed iniquis, et non subditis, impiis, et peccatoribus.* Quomodo ergo justo Lex non est posita, verum iniquis et non subditis : sic doctrina ea quæ a fornicatione monet recedendum, casto non est posita, sed iniquis, et fornicatoribus, et inobedientibus. Non habemus itaque necessarium, ut discamus a fornicatione discedere, verum ad perfectiora tendamus a principiis elementorum Christi (*Rom.* XIII). Etenim cum deberetis, ait, magistri esse propter tempus, rursum indi-

getis, ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo (*Heb.* v). Omnis sermo, qui præcepit, Non fornicaberis, non adulterabis, non furaberis, non solida esca est, sed quasi lac præbetur infantibus. Athletarum cibus est de omnipotenti Deo, de mysteriis ejus, quæ tecta sunt, et latenter **953** in Scripturis significata sentire. Vide quomodo ad Corinthios Paulus loquitur : *Lacte vos potavi, non cibo, necdum enim poteratis, sed neque nunc potestis* (I *Cor.* III). Et quia lacte adhuc indigebant, et discunt quæ discere parvuli solent : *Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem* (I *Cor.* VII), et cætera. Rursumque instituuntur, ne immolatitia comedant. Ista omnis doctrina lac parvulorum est, et adhuc infantium in Christo. Quomodo vero Ephesiis scribitur, solidum illis præbet cibum. Non auditur quippe in Epheso fornicatio, non auditur in Epheso idololatria, et esus immolationum. Ex quibus docemur quid sit solidus cibus, et quod rationabile et sine dolo lac : moralis locus, quod sit solidus cibus mysticus intellectus. Beatum est igitur, ut festinemus ad ea, quæ imperfectiora sunt principia transeuntes. Et quod moralis locus lac sit, Apostolus docet, cum jam aliqua de lacte dixisset addens : *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis* (*Hebr.* VI). Tales omnes sunt qui adhuc lacte potantur : perfectus autem aliis indiget disciplinis. Hæc in medio dicta sint, quia sermone conscenderam, **954** ne ab alterius expositione fornicationis statim aliam fornicationem incurrerem, quam nunc explanabo. Dicitur quippe ad Jerusalem : *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.* Quid est quod ait, quod tripliciter fornicata est in filiabus suis Jerusalem? Dei indigemus auxilio, ut ipse nobis obscuritatem istius loci edisserat. Et quomodo Moses audiebat Deum, et deinde ea quæ a Deo audierat, proferebat ad populum : sic nos indigemus Spiritu sancto loquente in nobis mysteria, ut orationibus nostris Scripturam possimus audire, et rursum quod audivimus, populis intimare. Quid est ergo : *Tripliciter fornicata es in filiabus tuis?* Si intelligas fornicationem carnis, et animæ, et spiritus, et videas aliquem fornicari in his omnibus, videbis tripliciter fornicantem Jerusalem. Qui vero tripliciter castus est, iste ab Apostolo meretur audire : *Deus autem pacis sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus noster, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (II *Tim. ult.*), cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA OCTAVA.

De eo quod scriptum est : *In quo constituam cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis?* usque ad illud : *Dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis.*

**958** Quæ primum lecta sunt, exposuimus hodie, sumamus exordium ab eo, quod scriptum est : *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis? Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis* : Hucusque jam diximus. Sequitur : *Quando lupanar tuum ædificasti in capite omnis viæ, et basem tuam fecisti in omni platea, et non es facta ut meretrix congregans mercedes. Mulier, quæ mœchatur similis tibi, a viro suo accepit mercedes, et tu dedisti mercedes : omnibus amatoribus suis dedit mercedes, et tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis, et honorabas eos, ut venirent ad te in circuitu a fornicatione tua.* Et homo hominem constituere potest, malus in malo, bonus in bono. *Corrumpunt enim mores bonos confabulationes pessimæ.* Nec dubium quin loquentis **954** sermo auditorem ad pejora sollicitet, cum hæreticus loquens constituat auditorem suum in hæretica pravitate. Et ut ad meliora veniamus, si potest prodesse, qui loquitur, et vita ejus cum sermone consentit, in bonis constituit auditorem suum. Nos qui minimi sumus loci, si audierimus verbum de castitate præcipiens, constitui super eos conamur. Si ipsi loquimur de pudicitia, et nosmetipsi auditores statuimus in pudicitia. Si de justitia prædicamus, ad justitiam impellimus. Si de fide, fidem insinuamus, ut digne majestati divinæ obediamus in Domino. Si ergo nos homines cum simus mali, solemus constituere cor audientis, sive in bonis, si boni sumus, sive in malis, si male agimus : putasne quod Deus non habeat potestatem quempiam in melioribus constituere? aut certe derelinquens **955** eum, fieri ei occasio, ut in pessimis constituatur? Multum utique juxta præsens eloquium peccavit misera Jerusalem, quam sæpissime voluit Deus per prophetas suos in melioribus constituere : sed quia noluit consilia audire, noluit Dei recipere præcepta, dubitat Deus, et se dicit nescire quid faciat. *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus?* Quid faciam? in quo constituam? Multis peccatorum vinculis stringeris, delicta tua prohibent vitam tuam, ut a meis sermonibus constituaris. Ego ipse frequenter constituere volui, loquens tibi per sanctos meos, et non audisti. Nunc ignoro quid faciam, et dico tibi : *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus, cum tu facias hæc omnia opera mulieris meretricis et procacis?* Sæpe diximus, quia fortitudines contrariæ amant pulchritudines animæ humanæ, et quando suscipit anima humana semina amatorum suorum, quodammodo fornicetur cum eis : sed quia et in communi vita sunt aliquæ meretrices, quæ fornicantur cum verecundia latere cupientes : aliæ vero, quæ non solum pudore delicta non velant, sed cum omni se procacitate prostituunt : ideo assumpsit exemplum animæ meretricis in peccatrice ista Jerusalem, et ait eam similem factam mulieris fornicariæ procacis in fornicatione sua. Sæpe a nobis talia committuntur. Qui enim a religione non penitus recesserunt, vincuntur vero a peccato, et peccantes latere desiderant, similia faciunt meretrici erubescenti. Qui vero religionem penitus aversantur intantum, ut non curent de episcopo, de presbyteris, de diaconis, de fratribus, sed cum omni procacitate delinquunt, similes fiunt meretrici cum fiducia prostitutæ. Queritur ergo

in præsenti loco de peccatrice Jerusalem Deus, quia facit opera mulieris meretricis inverecundæ, et dicit ad eam : *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.* Exposuimus hoc, quando nobis dictum est : *Ædificasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et basem tuam fecisti in omni platea.* Volumus autem et nunc interpretari quid sit ædificare lupanar, non similiter in omni via, sed in capite omnis viæ, ne suffecisse videatur ædificasse lupanar in capite omnis viæ, sed insuper et basem suam posuisse in omni platea. Duo ergo generalia peccata peccavit, cum ædificavit lupanar suum in capite omnis **956** viæ, et cum fecit basem, et constituit eam in omni platea meretrix Jerusalem. Quæ sunt ergo istæ viæ? *State in viis, et interrogate semitas Domini æternas, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Multæ sunt viæ sempiternæ, si retinetis eam expositionem, quam frequenter exhibui. Scitis et Moysem viam esse, et singulos prophetarum. Et quomodo multæ sunt margaritæ, quas necesse est possidere eum qui venturus est ad unam pretiosissimam margaritam : sic oportet ingredi multas vias Mosi, et prophetarum omnium eum, qui venturus est ad dicentem : *Ego sum via.* Sed dicit mihi aliquis : Quid ad propositum pertinet, quod locutus es? Cui sic respondebo : *Ædificavit in omni via Jerusalem lupanar suum.* Si consideraveris hæreticos omnes alienos a veritate, ædificantes domum ex his sermonibus, qui in Mose leguntur, ex his, quos in Isaia, et Jeremia, et prophetis reliquis invenerunt, intelligis novas doctrinas fornicationem esse Jerusalem, quæ ædificat lupanar suum in omni via, sed in capite omnis viæ. Si enim præventus quis fuerit post principium Mosi, exordium prophetarum, ad profundum ejus, et scientiam omnium pervenire, nihil potest facere ista meretrix ædificans lupanar in capite omnis viæ : eum quærit, qui primum Ecclesiam ingreditur, qui fidei elementa suscipit, qui rudis est in sacramentis, eum, qui in exordio fidei constitutus est, vult introducere in lupanar suum, ædificans meretricem domum. Et quia frequenter fornicatio in Scripturis nominatur, exponere volo sermonis istius causam. Ecclesiastici, qui in Ecclesia sunt magistri, mores purgant tam suos quam suorum, et ex hac diligentia ædificavit domum Dei Ecclesiam, et opus eorum ædificatio Dei est. Hæretici ædificant lupanar in omni via : ut puta magister de officina Valentini, magister de cœtu Basilidis, magister de tabernaculo Marcionis et cæterorum hæreticorum, ædificant meretrici domum. Congregatio enim omnium malignorum lupanar est. Sed quid dicit Scriptura? *Fili, ne intendas in malam mulierem ; mel enim distillat de labiis mulieris meretricis* (*Prov.* v). Unde ei mel distillat? Distillat enim mel de labiis mulieris meretricis. Ingressa est ad Mosen, ad Isaiam, ad Jeremiam, et de Scripturis eorum sibi mella collegit. **957** Vade ad hæreticos loquentes : Hæc dicit Moses, hæc Isaias, hæc Jeremias, et videbis quomodo de labiis eorum non fluant mella, sed distillent decerpentium de Scripturis verba paucissima. Et ideo, *mel distillat de labiis mulieris meretricis* (*Prov.* v). In capite ergo omnis viæ ædificat lupanar. Esto, intellectum sit lupanar, interpretemur et basem, quam in omnibus plateis posuit meretrix Jerusalem. Scriptum est in alio loco, quomodo in plateis manifeste advocat prætereuntes meretrix : varie quippe peccatum nos ad se trahere festinat, sive per hæresim, sive per gentilem conversationem. Et per hæresim quidem, quando ædificat lupanar in capite omnis viæ; per gentilem autem conversationem, quando basem ponit in omnibus plateis. *Lata est* enim, *et patens via, quæ ducit ad perditionem* (*Matt.* VII). Cum ergo quæ dicit, et in quibus audientes instruere conatur, de Scripturis asserit, ædificat lupanar in capite omnis viæ. Cum vero moralis locus fuerit dissolutus, et luxuriosa præcipiens, lascivum fecerit auditorem, quid aliud fecit, quam basem posuit in omni via? *Non est facta ut meretrix, congregans mercedes.* Videamus meretricem mercedes congregantem, et aliam rursus non congregantem. De hac enim quæritur quasi de meretrice non congregante mercedes. Cum videro esse meretricem, quæ non congreget mercedes, et legero ad istam dictum, quia facta sit ut meretrix non congregans mercedes, dicam congregari mercedes, esse peccando divitem fieri, peccando gloriam in sæcularibus comparare, peccando feliciter in mundo agere. Quando per peccatum, ut dixi, ista nascuntur, fornicatur anima, et congregat mercedes fornicationis suæ, gloriam, divitias et reliqua quæ in perditionem animæ suæ conquisivit : quando vero fornicatur, et non agit prospere in sæcularibus rebus, sed per hoc, quod peccavit, etiam infeliciter vivit in sæculo, **958** meretrix est non congregans mercedes, et contraria faciens, id est, fornicariis mercedes ultro tribuens. *Et tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis.* Nonnumquam anima divites facit amatores suos, lætantes in eo, quod acceperint mercedes ab ea. Sed dicit mihi auditor : Manifestius expone quomodo fornicetur anima, mercedes tribuens de rebus viri sui. Sic enim ait et in præsenti, et in aliis frequenter locis sermo divinus, quia sustulerit ea, quæ sunt viri, et dederit meretrix Jerusalem amatoribus suis. Quid est hoc, quod largitus est ei vir suus, quæ postea facta adultera, omne quod accepit, donat amatoribus suis? Vir animæ sermo Dei est, sponsus amator verus, qui dedit ei castitatem, dedit justitiam, dedit cætera bona. Quando ergo voluerit anima sequi fortitudines contrarias, id est (ut planius dicam) decem annis pudice vivens ad extremum fuerit fornicata, accipit bona viri sui, quæ multo tempore cum labore quæsierat, et dat ea amatoribus suis. Qui sanguinarii amatores rapiunt ad se virtutes miseræ animæ, et incedunt jactabundi super divitiis ejus, et dicunt : Abstuli ei decennalem castitatem, eripui ab ea quinquennii justitiam, vindicavi mihi fortitudines ejus : oblitus est omnium bonorum ejus Deus, quæ aliquando fecit, quoniam comprehensa est in peccato, et oblitus es

ejus, quia confessa est nobis amica nostra secreta, quæ audierat, et tradidit omnia bona nobis amatoribus suis. Quæ discentes omni custodia servemus cor nostrum, et attendamus, ne quando ea quæ viri sunt tradantur amatoribus suis : quin potius invitemus sponsum sermonem et veritatem, ut nobis faciat ornamenta aurea variis expressa signis, per varia præcepta, et ornati effecti præparemur viro nostro Jesu Christo : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA NONA.

Super Ezechielem de eo quod dicitur : *Mater vestra Cethæa et pater Amorrhæus*, usque : *Et manum egeno et pauperi non porrigebat* (Cap. XVI).

**959** Qui legit in principio prophetiæ Jerusalem, quomodo increpata sit, quasi habens radicem, et generationem de terra Chanaam, patrem Amorrhæum, matremque Cethæam : is si legerit etiam hæc, quæ nunc interpretari nitimur, putabit eadem repeti, et unum sermonem dupliciter prædicari. Sed qui diligens lector est, et ad curam ejus divinæ Scripturæ significantia pertinet, et confert præterita præsentibus, et verbum verbo componit, videbit differentiam non fortuitam. Ibi quippe, *radix*, inquit, *tua et generatio tua de terra Chanaam*, quod in præsenti non dicitur : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa*, quod nunc non significatur. Et iterum ibi primum ponitur, pater tuus Amorrhæus : secundum, mater tua Cethæa; hic vero : mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. Ibi quasi ad unam sermo fit : hic quasi ad plurimas. Nec enim (ut superius dixerat) ait, mater tua, sed mater vestra. Quando ergo diffunditur peccatum, et longius malitia procedit, et peccatores sua inter se peccata discerpunt, tunc non peccator unus, verum in uno sunt plurimi; sicut in exordio, quando erat principium delinquendi, necdum erant tantæ, quantæ nunc sunt multitudines. Unde utile mihi videtur a præsenti sermone paululum recedentem, naturam considerare peccati atque virtutum. Ubi peccata sunt, ibi est multitudo, ibi schismata, ibi hæreses, ibi dissensiones; ubi autem virtus, ibi singularitas, ibi unio, ex quo omnium credentium erat cor unum et anima una. Et, ut manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo : principium autem bonorum coangustatio, et a turbis in singularitatem redactio : ut puta nos omnes, si salvandi sumus, ad unionem, ut perfecti efficiamur in eodem sensu, et in eadem sententia, et simus unum corpus et unus spiritus. Si vero tales simus, ut non nos unitas **960** A circumscribat; sed et de nobis dici possit : *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ* (I *Cor.* I); et adhuc a malitia scindimur, atque dividimur, non sumus futuri ubi sunt illi, qui rediguntur in unionem. Nam ut pater et filius unum sunt, sic qui unum spiritum habent, in unionem coarctantur. Ait quippe Salvator : *Ego et Pater unum sumus.* Et : *Pater sancte, rogo, ut sicut ego, et tu unum sumus, ita et isti in vobis* [Al. *nobis*] *unum sint* (*Joan.* XVII). Et in Apostolo legitur : *Donec occurramus omnes in virum perfectum, et in mensuram ætatis plenitudinis in unitatem Christi* (*Eph.* IV). Et rursum : *Donec perveniamus omnes in unitatem corporis et spiritus Christi.* Ex quo significatur, quia virtus ex plurimis unum faciat, et necesse nobis sit unum per eam fieri, et fugere multitudinem. Et hæc quidem dicta sunt, quia in præterita lectione conscriptum est : Pater tuus, et mater tua, et radix generationis tuæ; in præsenti vero : Mater vestra, et pater vester. Ibi non didicimus, licet fuerit sermo de patre Amorrhæo et de matre Cethæa, sorores habere Jerusalem : hic vero addit : *Mater*, inquiens, *vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus, et soror vestra senior Samaria, hæc et filia ejus, quæ habitat a sinistris tuis, et soror tua junior, quæ habitat a dextris, Sodoma.* Quomodo virtus me facit filium Abrahæ, si secundum eam vixero : opera quippe Abrahæ faciens, filius est Abraham : sic vitia faciunt me filium diaboli. *Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo natus est* (*Joan.* III). Virtus me facit etiam fratrem habere Christum, ut cum bonus ac bene moratus fuero, dicat Patri suo : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo te* (*Psal.* XXII). Et loquitur ad eam, quæ nuntiare poterat verba ejus : *Vade, et dic fratribus meis.* Quomodo autem virtus fratrem mihi facit Dominum Jesum, ita malitia plurimos fratres acquirit, et hos peccatores : et hæc ipsa tunc mihi fratres generat, cum **961** creverit. Siquidem quando exordium erat peccatricis Jerusalem, necdum habebat sororem Samariam, necdum ei erat germana Sodoma : cum vero processit in scelere, ut præteritus sermo monstravit, effecta est media duarum sororum, senioris Samariæ, et junioris Sodomæ. Quæ sunt istæ duæ sorores peccatricis Jerusalem? Schisma et separatio populi fecerunt Samariam. Siquidem eo tempore cum decem tribus cesserunt dicentes : *Non est nobis pars in David, nec sors in filio Jesse* (III *Reg.* XII), tunc duæ vaccæ aureæ constitutæ sunt a Jeroboam, et facta est Samaria scissio : quæ magis post captivitatem decem tribuum crevit, quando [a] custodes ab

[a] Paria habet Tom. XXVI in Joannem, quæ sic Latine sonant : *Hebræi Somer dicunt custodem, sicque tradunt Samaritanos primum appellatos fuisse, quod missi fuerint ab Assyriorum rege ad custodiam terræ Israel, post captivitatem Israelis, qui diversus erat a Juda*, etc. Ipse etiam Hieronymus cum alibi, tum præcipue ex Eusebio in Chronico : *Sennacherib, rex Chaldæorum, ad custodiendam regionem Judæam, accolas misit Assyrios qui, æmulatores Judææ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt.* Et constat tamen, non ad custodiendam, sed ad replendam Judæam, et non Assyriorum tantum, sed diversarum quoque nationum colonias missas. Quamobrem et Origenes, et qui eum secuti plerique deinceps sunt, falso petunt a *custodiendo* Samaritani nominis etymologiam. Coarguit vero illos et locus III Reg. XVI, 24, *Emitque* (Amri rex Israel) *montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti, et ædificavit eum, et*

Assyriis ad Israelis terram missi sunt, qui vocantur Samaritani. *Somer* enim *custos* interpretatur lingua Hebræorum. Ergo (ut dicere cœperam) necdum soror mea est Samaria; quamdiu a peccatis longe sum: quando vero peccavero, crescunt mihi duæ sorores, senior Samaria, et junior Sodoma. Quæ cujus figuram habeat; consideremus. Quicumque promittunt verba divina, et non sicut pollicentur, habent in se prædicationis veritatem, hi in Scripturis figuraliter Samaria nominantur. Væ, inquit, spernentibus Sion, et fidentibus in monte Samariæ (*Amos* VI): vindemiasti principatus gentium. Quasi dixerit: Væ his qui spernunt Ecclesiam, et confidunt super arrogantia et verbis tumentibus hæreticorum. Hoc enim est spernere Sion, et confidere in monte Samariæ. Si ergo peccamus et nos Ecclesiastici, non sunt a nobis alieni hæretici in dogmatum pravitate. Male enim credit, quicumque peccat. Si conversationem malam habemus, Sodoma soror nostra est. Gentiles quippe sunt Sodoma. Atque ita fratres sumus hæreticorum atque gentilium, quando delinquimus; quia Samaria accipitur in hæresi, et Sodoma in gentilitate. Habitat autem a sinistris peccatricis Jerusalem Samaria; a dextris Sodoma. Honorabilius quippe apud eam peccatum est quod facto committitur, et ideo a dextris ejus **962** Sodoma est. Rursumque nec Samaria longe est, quia a sinistris ejus commoratur, et increpatur, quia ambulaverit cum filiabus et sororibus suis in omnibus iniquitatibus, et intantum ambulaverit, ut comparatio delictorum ejus illarum iniquitates fecerit justitiam. Unde oportet agnoscere iniquitates Sodomorum, ut edoctus custodiam me ab eis; nec capiar ignoratione, quæ sunt iniquitates Sodomorum. *Verumtamen iniquitates Sodomæ sororis tuæ.* Quæ iniquitas? Superbia. *In saturitate panum et in abundantia affluebant ipsa, et filiæ ejus, et manum pauperis indigentis non suscipiebant.* Quod inæqualia sint peccata Scripturis utentibus nulli dubium est. Alia quippe magna, alia minora ab iis esse dicuntur. Cum autem sunt inæqualia, hoc est, parva, vel maxima, forsitan aliquis inquirat, quod inter universa peccata sit majus, et proclive suscipitur, omnium peccatorum esse majus, sive fornicationem, sive immunditiam, sive quodcumque libidinis inquinamentum. Sunt quidem et ista vere abominabilia atque polluta, sed non talia quale hoc, quod nunc ab Scriptura quasi majus omnium condemnatur, a quo nos observare debemus. Quod ergo est peccatum majus omnibus peccatis? utique illud propter quod, et diabolus corruit. Quod est hoc peccatum in quo tanta sublimitas cecidit, ut elatus in judicium incidat diaboli? Ait Apostolus: *Inflatio, superbia, arrogantia peccatum diaboli est* (I *Tim.* III): et ob hæc delicta ad terras migravit de cœlo. Unde, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et quid superbit terra et cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercoribus immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? Quid enim ait Scriptura? *Quid superbit terra et cinis* (*Eccl.* X)? et in vita ejus projecit interanea ejus? Superbia peccatis omnibus major est, et ipsius diaboli principale **963** peccatum. Si quando Scriptura diaboli peccata describit, invenies ea de superbiæ fonte manantia. Ait quippe: *Viribus faciam, et sapientia intellectus auferam fines gentium, et fortitudine eorum depascar, et commovebo civitates, quæ inhabitantur, et orbem terrarum universum comprehendam, ut nidum, et quasi confracta ova auferam* (*Isai.* X). Vide sermones ejus, quomodo superbi sint, quomodo arrogantes, et universa pro nihilo ducant. Tales sunt omnes jactatione et superbia inflati. Materia superbiæ, divitiæ, dignitas, gloria sæcularis. Frequenter causa superbiæ est ei, qui ignorat habere Ecclesiasticam dignitatem, sacerdotalis ordo, et Leviticus gradus. Quanti presbyteri constituti obliti sunt humilitatis: quali idcirco fuerint ordinati, ut humiles esse desisterent. Quin potius humilitatem sequi debuerant, quia dignitatem fuerant consecuti, dicente Scriptura: *Quanto magnus fueris, tanto humilia te ipsum.* Et dilectum Synagogæ te facit, nobilius submitte caput tuum: ducem te instituerunt, noli elevari, noli fieri ex eis, quasi unus ex ipsis. Oportet humilem, oportet esse dejectum, oportet fugere superbiam malorum omnium caput. Considera Evangelium quasi condemnatione Pharisæi superbia et jactatio feriatur. Stabat Pharisæus et talia intra se orabat: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum ut cæteri homines, raptores, iniqui, adulteri, et ut iste Publicanus: jejuno bis in sabbato* (*Luc.* XVI). At vero Publicanus, humiliter et mansuete longius stans, non erat ausus neque oculos levare, et dicebat: *Propitius esto, Deus, mihi peccatori.* Et descendit in domum suam Publicanus justificatus. Non simpliciter justificatus, sed justificatus comparatione Pharisæi. Observandus quippe est diligentissime omnis Scripturæ sermo, ordo, junctura. Aliud est justificari, aliud ex alio justificari. Simile est Publicanum a Pharisæo justificatum fuisse illi, quod Sodoma et Samaria ex comparatione peccatricis Jerusalem justificatæ sunt. Et necesse est nos id scire, quia unusquisque nostrum in die judicii ab alio justificetur, et ab alio condemnetur. Etiam cum fuerimus justificati ex alio, justitia illa non tam laudis, quam criminis loco ponitur. Ut puta, si inventus fuero Sodomitica habere peccata, et alius protrahetur **964** in medium, qui duplicia scelera commiserit, justificor quidem, sed justificor non ut justus, verum ut ex comparatione ejus, qui plura commisit, judicor justus, cum a justitia longe sim. Væ illi homini, qui a multis peccatoribus justificatur: ut econtrario multum beatus, qui comparatione justorum justus ostenditur. Invenimus in Scripturæ laudibus positum, bonis esse meliorem: ut puta, nullus sic fecit rectum ante fa-

*vocavit nomen civitatis, quam exstruxerat, nomine Somer Domini montis, Samariam.*

ciem Domini, ut ille, et ille, nullus sic pascha celebravit ut Josias. Ex quo ostenditur comparationem fieri justorum, et illum vere esse justum, qui sic justificari mereatur. Utinam et ego collatus sapientibus sapiens reperiar, et justis judicer justus! Nolo quippe justificari ab iniquis, quia talis justitia criminosa est. Hæc anticipans locutus sum quia in his quæ lecta sunt, dicitur: *Justificasti sorores tuas in omnibus iniquitatibus tuis, quas fecisti* (II *Par.* XXV). Justificatæ sunt enim Samaria et Sodoma ex iniquitatibus Jerusalem. *In omnibus iniquitatibus tuis, quas fecisti illas super te.* Idcirco diligentius attendamus, ut possimus agnoscere, omnes nos in die judicii a pejoribus nostris justificandos, et rursum a nobis alios justificari. Unus solus est qui justificatur ab omnibus, et ipse nullum justificat. Ut puta, Sodoma justificatur ab Jerusalem, quia ab se sceleratiora commisit: et forte Jerusalem ab alia aliqua, quæ se pejor est, civitate. Sic est quidam justificandus ab Antichristo, qui ad illum comparatur, et illius iniquitate ac sceleribus minor reperitur. Pessimus vero dæmon est, et (ut aiunt) miser, qui ab illo justificatur: forte et pater illius ab eo non justificatur, multo illo sceleratior repertus. Dominus vero meus Jesus Christus justificatur juxta dispensationem carnis, quam ob nostram salutem circumtulit, ab Abraham, ab Isaac, ab Jacob, et a reliquis prophetis. Quando enim omnibus justis, et prophetis, ac beatis, quibusque in comparationem missis invenitur contrarium huic, quod dicitur de Sodoma et Jerusalem, magis glorifico Salvatorem nostrum. Quod autem dico istiusmodi est, et Deo largiente, orantibus vobis, præbebo de Scripturis explanationem. Fecit Sodoma peccatum: Samaria quoque peccavit, iniquitatibus obruta est Jerusalem, **965** sed minora peccata a majoribus justificantur sub exemplo, quo Sodoma justificatur a sorore sua Jerusalem. Quomodo igitur iniquitas justificat, sic condemnat aliquando justitia. Verum, quæso, exspecta paulisper, donec docearis quemadmodum dicatur condemnare justitia. Iniquitas mea justitia est comparatione majoris iniquitatis. Sic et justitia mea ex comparatione multiplicis justitiæ iniquitas reputatur. Propterea *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Fuerit licet justus Abraham, et justus Moyses, justus unusquisque illustrium virorum: sed ad comparationem Christi non sunt justi. Lux eorum cum ejus luce composita tenebræ reperiuntur. Et quomodo lumen lucernæ ad solis radios obscuratur, et velut alia quædam cæca materies contenebrescit: sic, licet fulgeat justorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Christum. Luceat quippe lumen vestrum, non simpliciter dictum est, sed luceat ante homines (*Matth.* V). Ante Christum non potest lumen fulgere justorum. Ut splendor lunæ, et micantia cœli sidera, priusquam sol oriatur in stationibus suis rutilant, orto vero sole, absconduntur: sic lumen Ecclesiæ, ut lumen lunæ, priusquam oriatur lumen illud verum Solis justitiæ resplendet, et clarum est ante homines: cum autem Christus venerit ante eum, contenebrescit. Dicitur et alibi: *Lux in tenebris lucet* (*Joan.* I). Quæ est ista lux, quæ lucet in tenebris? Justorum lux in tenebris lucet. In quibus tenebris? ubi est nobis certamen adversus rectores tenebrarum istarum (*Eph.* VI). Hæc qui diligentius longiusque discusserit, non poterit inflari, videns lumen suum ad comparationem majoris luminis tenebras reputari. Quid est justitia mea, etiamsi Paulus Apostolus fiam? quid castitas, etiamsi Joseph? quid fortitudo, etiamsi Judas Machabæus exsistam? quid alia virtus sapientiæ, etiamsi Salomon apparear, ad comparationem Dei, et ad eorum qui meliores sunt? Ergo, ut dicere cœperamus, iniquitas justificat, et justitia aliorum comparatione condemnat. Idcirco: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (*Psal.* L), dicitur ad Deum. Si me vult salvare Deus non affert in judicium lumen suum: si vult esse incolumem, non defert lumen **966** Christi sui: alioquin puniet me; defert vero lumen minorum, comparans mihi inferiores quosque. Quanto amplius majores mihi melioresque contulerit, tanto plus justus ero, si illi a me reperti fuerint minores. Similiter est illud intelligere, quod ab Apostolo dicitur: *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum: stella enim a stella differt in claritate: sic resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41). Verbi gratia: fulgens et illud sidus non in conspectu lucidioris stellæ, sed obscurioris micat. Quis nostrum potest ad instar fulgere lunæ? Quis lucidioris siderum coruscare lumine? Secundum id quod scriptum est in Daniele: *Fulgebunt sicut stella in sæcula* (*Dan.* XII). Et hæc quidem necessario disputamus, ut procul a superbia recedamus: Sodomiticum quippe peccatum est superbi iniquitas. Hæc Sodomorum sororis tuæ superbia unde nascatur, et quas habeat radices, adjungit: *In saturitate panum, et in abundantia affluebant* (*Gen.* XIII). Si soli litteræ attendas, multa abundantia antiquitus in Sodomis fuit. Erat quippe terra eorum ut paradisus Dei, et ut terra Ægypti. Si autem a carnali intellectu ad spiritalem conscenderis, ut videas quomodo superbia Sodomorum in saturitate panum et in abundantia fluxerit, utilitatem capies et ad vitæ officium, et ad alia quædam majora majoribus corrigenda. Proponamus primum id, quod ante multos dies lectum est, divitem vestitum bysso et purpura, quotidie deliciis luxuriaque lætantem, et Lazarum vulnerum tabe et vermium pedore confectum, quærentem, solatium famis suæ, micas, quæ de mensa ejus decidebant (*Luc.* XVI). Opportune autem nunc in hunc locum exemplum istud incidit, ut perspicuum fiat quæ iniquitas divitis fuerit. Locuples erat, abundabat deliciis. Non enim accusavit eum Scriptura, quasi divitias in iniquitate possederit: non eum criminatus est sermo divinus, quod meretricibus dedit: non homicidam, aut aliud quodcumque scelerum facientem. Sed si consideres hoc, quod in præ-

senti scriptum est, et illud quod in Evangelio dicitur, videbis quia et illius maximum peccatum inter universa peccata superbia fuerit : in saturitate panum et in abundantia affluens non habuit miserationis affectum ad eum, qui ante portas suas **967** confectus ulceribus jacebat : sed in tantam superbiam elatus est, despiciens paupertatem : ut non computaret neque inferorum supplicia, neque communia humanitatis jura, quia oporteret hominem humana sapere, et in alienis calamitatibus pro simili conditione sui quodammodo misereri. Est igitur et dives ille Sodomita. Si enim talia erant peccata Sodomæ, ut in saturitate panum et in abundantia fuerit, talis autem est et dives, qui in Evangelio describitur, nulli dubium quin dives ille Sodomita sit. Quomodo autem Sodoma, et filiæ Sodomorum superbæ fuerunt, tales sunt arrogantes animæ et filiæ Sodomorum, quæcumque nesciunt dictum : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Hoc erat ei et filiabus ejus. Dehinc sequitur aliud Sodomæ delictum, quod debemus dicere, ne in simili crimine reperiamur : *Et manum pauperis et egentis non suscipiebat.* Considera diligenter enumerationem peccatorum Sodomæ. Ego ipse si juxta vires meas manum pauperis et egentis non adjuvero, Sodomiticum habeo peccatum. Sequitur alia accusatio : *Et superbe gloriabatur.* Et jactatio gloriæ Sodomiticum crimen est. Sunt autem quædam Ægyptia peccata, quædam Sodomitica : sunt alia Babylonica, alia Assyria, alia Moabitica, et alia Ammantica, *Quis sapiens, et intelligit ista? aut quis intelligens, et agnoscet ea* (*Ose.* XXIV, 10)? Quotiescumque legimus ea, quæ de Sodomorum subversione conscripta sunt, non dicamus, miserabiles Sodomitæ, quorum ulterius fructus terra non affert : miserabiles multumque plangendi, qui tam lugubria et tam dira perpessi sunt ; quin potius convertamus hunc in corda nostra sermonem, scrutemur renes et cogitationes nostras, et tunc videbimus eos quos plangimus, in nobis intrinsecus contineri, et quia Sodomitica, et Ægyptia, et Assyria, et alia universa peccata, quæ castigans Scriptura enumerat, versentur in nobis. Polliciti supra sumus majus aliquid de Scriptura dicturos. Sodomæ in saturitate panis, et in abundantia, atque deliciis, et istius modi peccatis delinquenti lex loquitur : *Attende tibi, ne comedens et bibens repletus, et domos bonas ædificans, ovibus tuis et bobus tuis multiplicatus tibi, argento et auro* **968** *multiplicatus obliviscaris Dominum Deum.* Et in alio loco : *Manducavit et bibit, et saturatus est et incrassatus, recalcitravit dilectus* (*Deut.* XXXII). Similia his Salomon in Proverbiis ait : *Constitute* [Al. *constituite*] *mihi autem necessaria et sufficientia, ut non repletus mendax fiam, et dicam : Quis me videt? aut egens furer, et jurabo nomen Dei.* Simpliciterque dicendum, quia nihil sic in arrogantiam elevet, ut divitiæ et saturitas, et cibus opum plurimarum, dignitas quoque et potestas. Est autem etiam ad altiora transgressum videre, quia superbiam frequenter nutriam si divinum sermonem intellexero, si sapientior cæteris fuero. Scientia quippe inflat (I *Cor.* VIII) : non ego dico, sed Apostolus. Et ideo vereor, ne et ipse sustollar. Dantur et charismata ad id, quod expedit. Si ad hoc dantur, quod expedit, quis est ille cui non expedit? Et cur non expediat, audi. Inferior sufficit inflationem, et quamdam placitionem sui, dum se putat inter cæteros eminere. Sæpe igitur saturitas panum, et abundantia materia est arrogantiæ. Sæpe autem et de spiritualibus donis superbiæ crimen exoritur, et non est utrobique discrimen. Tantus vir Apostolus Paulus necessarium habuit colaphum angeli Satanæ ut eum colaphizaret, ne elevaretur multum (II *Cor.* XII) : quia orans et deprecans Deum, impetravit pro multis sæpe, quod petiit : cum autem etiam pro hoc petiisset, nec esset quod petierat consecutus, dictum est ei : *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.* Oportet itaque timere eum, qui adhuc in genere humano, et in hac præsenti luce versatur, non solum ea, quæ bona putantur in sæculo, sed etiam quæ vere bona sunt : quia magna non possumus sustinere. Exhibeo ad probationem præsentis sententiæ historiam David, in qua conscribitur in Uriam eum commisisse peccatum. Ante Uriam nullum delictum reperitur in David : beatus homo erat, et sine querela in conspectu Dei. Quia vero conscius sibi vitæ immaculatæ locutus est quod non debuerat, dicens : *Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationi meæ, auribus percipe orationem meam non in labiis dolosis : de vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates : probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas* (*Ps.* XVI) : **969** et hæc dixit, quia visitatio Dei propter conscientiam, et vitæ beatitudinem eidem præsentaretur, tentatus est, et nudatus auxilio, ut videret quid humana possit infirmitas. Recedente quippe præsidio Dei, ille castissimus, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat : *Si mundi sunt pueri maxime a muliere* (I *Reg.*) : et acceperat Eucharistiam quasi mundus, non potuit perseverare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi quasi continens applaudebat. Si quis ergo conscius puritatis suæ seipsum glorificaverit, non habens memoriam illius dicti : *Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV)? **970** relinquitur, et derelictus discit experimento, quia in his bonis quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui exstitit causa quam Deus, qui virtutum omnium fons est. Ex quibus apparet et saturitatem panum, et dona spiritalia ei qui ea non potest sustinere, generare superbiam. Idcirco fugiamus a Sodoma et peccatis ejus : fugiamus a Samaria et criminibus, quibus castigatur misera Jerusalem, ut in universis Deo nobis fortitudinem ministrante, humilitatem et justitiam consequamur in Christo Jesu : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA.

Super Ezechielem, de eo quod scriptum est : *Ergo*

*et tu confundere, et porta ignominiam tuam*, usque: *Et suscitabo ego testamentum meum tecum* (Cap. XVI).

**969** Primum quidem est, nullum opus facere confusionis; sed omnia talia, quæ possunt Deum libera fronte respicere. Quia vero (ut homines) sæpe peccamus, sciendum secundam, ut ita dicam, navem post confusionis opera esse erubescere, et pro sceleribus suis verecundos oculos dejicere, neque sic procaci vultu incedere, quasi nihil omnino peccaverit. Bonum est quippe post confusionis opera confundi: quia sæpe et hoc malitiæ artifex inoperatur, ne peccator ad pœnitentiam redeat, et sic agat quasi adhuc in justitia perseveret. Videre possumus, et ex quotidiana vita discere, multos hominum post peccata sua non solum non lugere, quod fecerunt, verum etiam procaci fronte defendere proprias ruinas. Grande itaque beneficium in Jerusalem conservatur, si tamen credat dicenti Domino: *Et tu confundere*. Neque putes ad Jerusalem tantum hæc esse dicta, et non ad singulos nostrum, qui delictis tenemur obnoxii. Unusquisque enim seipsum consideret, quid fecerit confusione dignum, quid turpe locutus sit, super quo non habeat audaciam quasi dicto bono, quid cogitarit tale quod rubore dignum videtur, ab eo qui cordis et renis occulta considerat: et cum diligenter perviderit cogitationes, facta, **970** sermones, tunc audierit prophetam dicentem: *Et tu confundere*. Post quod a Propheta jungitur: *Et accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas.* Sequitur confusionem ignominia, et dat Deus ei, qui confusione digna gessit, etiam ignominiam: dixitque ad eum, *Et accipe ignominiam tuam*. Poteris autem intelligere quod dicitur, si consideraveris quæ quotidie in civitatibus fiant. Inhonoratio civi est de patria sua exsulare, et infamia decurioni eradi de albo curiæ, et cujuscumque alterius conditionis homini relinqui quidem in vita, sed cum ignominia, sive in operibus publicis, sive in insula aliqua solitudinis vivere. Intellige autem mihi justum judicem ei, qui digna infamia fecerit, dicentem: O tu, qui pœnæ reus es, noli exsilium tuum cum mœrore suscipere: non enim mereberis misericordiam, si irasceris ad pœnam: quin potius intellige digne te pati quod pateris: et cum te humiliaveris, atque dixeris justum de te factum esse judicium, forsitan misericordiam consequeris ab eo, qui potest post condemnationem ad pristinum statum revocare. Quomodo enim licet magno principi liberare aliquem de insula, et de exsilio, et de publicis vinculis: multo magis licet universitatis Deo eum, qui **971** inhonoratus est, in honorem pristinum restituere, si tamen sentiens delictum suum confessus fuerit digne se sustinuisse quod passus est. Dabo et aliud exemplum de Ecclesiastica consuetudine. Infamia est a populo Dei et Ecclesia separari. Dedecus est in Ecclesia surgere de consessu presbyterii, projici de diaconatus gradu. Et quidem eorum qui abjiciuntur, alii seditiones commovent, alii vero judicium in se factum cum omni humilitate suscipiunt. Quicumque igitur exiguntur, et dolore depositionis suæ congregant populos ad schisma faciendum, et sollicitant multitudinem malignorum, non accipiunt inhonorationem suam in præsenti, sed thesaurizant sibi thesaurum in die iræ. Qui autem cum omni humilitate sive digne, sive indigne, depositi sunt, Deo judicium derelinquunt, et patienter sustinent, quod de se judicatum est, isti et a Deo misericordiam consequentur, et frequenter etiam ab hominibus revocantur in pristinum gradum et in gloriam quam amiserant. Doctrina ergo optima est: quomodo hoc quod dicitur: *Et tu confundere*, sic et illud quod sequitur: *Et accipe ignominiam tuam*. Et hæc dico, ut profundiorem aliquem sensum de futura inhonoratione interponam. Et ibi quippe erit aliqua ignominia his, qui dignum opus ignominia fecerant. Siquidem resurgent alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, et confusionem æternam (*Dan.* XII). Quid autem est hoc aliud nisi pœnam infamiæ sustinere? Dum ergo adhuc licet nobis, debemus minorationem nostram patienter ferre, ut cum hic tristitiam fortiter sustinuerimus, in futuro sæculo moveamus (ut ita dicam) viscera misericordiæ Dei, et benignitatem ejus, ut nos revocet in pristinum statum de ignominia et confusione: quomodo e contrario impossibile est lapidei cordis aliquem, et penitus non sentientem delictum suum, et ante vultum Dei omnipotentis superbientem, misericordiam consequi. Videmus enim quosdam bonos quidem libenter de se latam ferre sententiam, et ob salutem suam Dei justificare judicium: malos vero blasphemare adversus providentiam Dei, et dicere: Non sum digne adjudicatus huic infamiæ, injuste ista perpetior. Si justificamus providentiam, solvimus nostram infamiam. Si vero non recipimus judicia Dei, multiplicamus **972** infamiam. Quomodo autem infamiam, sic et supplicia, sic et cætera. Quæ sunt enim huic, accidere consuerunt his qui a Deo pro delictis propriis condemnati sunt. *Et tu confundere, et accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas.* Plus meremur ignominiam, quando talia facimus, quibus peccatores alii justificentur, ut comparatione delictorum meorum, malorum scelera antiquitus condemnata misericordia liberet, eo quod ego subsequens pejora commiserim. Dicitur ergo ad peccatricem Jerusalem: *Accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas.* Deinde si quis complevit hoc, quod scriptum est: *Confundere:* si quis prosecutus est sententiam Dei sequentem: *Accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas:* videat etiam gratiam, quomodo pro confusione vicissitudo clementiæ restituatur, quia non contempserit judicium Dei, sed cum omni humilitate susceperit quod de se fuerat judicatum. Quid ergo repromittitur? *Avertam aversiones eorum aversione Sodomorum, et sororum ejus in eo, quod justificasti sorores tuas, Sodomam et Samariam.* Sodomam minorem, et Samariam seniorem, ut in præteritis diximus. Avertam aversionem eorum, id est, trium, quarum averterat aversionem,

ad meliora convertit: primo Sodomorum, deinde Samariæ, tertio vero Jerusalem. Cum autem, ait, avertero aversionem Sodomorum, et Samariæ, et Jerusalem, tunc in antiquum restituentur: primum Sodoma, cujus priores averterit aversiones: secundo Samaria, quam secundo converterit: tertio Jerusalem, cui tertiæ aversiones tribuuntur. Igitur sanitates peccantibus in aversione Sodomorum, et filiarum ejus, in aversione ipsius Jerusalem: et tribuuntur his, qui magis amantur a Deo, tardius. Sodoma quippe justificata ab Jerusalem, prima consequitur misericordiam, id est, gentiles. Samaria vero, hoc est, hæretici, in secundo loco accipiunt sanitatem. Tertio vero, quasi indigni velocioris medelæ in pristinum statum restituuntur, qui fuerunt de Jerusalem. Ante ergo gentiles, ante hæretici clementiam consequentur quam nos: si tamen fuerimus impii, si et nos peccata depresserint. Quanto enim propiores fuerimus Deo, et ad beatitudinem **973** viciniores, tanto cum peccaverimus longius fiemus ab ea, proximi terribilium maximarumque pœnarum. Justum est quippe judicium Dei, et potentes potenter tormenta patiuntur (*Sap.* VI). Qui autem minimus est, meretur citius misericordiam. Minima est Sodoma: et post eam in comparatione Jerusalem minima, non tamen sicut Sodoma Samaria est: et ideo primum illarum avertit aversiones, et postea Jerusalem dicens: *Avertam et aversionem tuam.* Tertio enim gradu hoc dicitur ad Jerusalem. Unum quando avertit aversionem meam, si inventus fuero Jerusalem, et peccator in medio sororum mearum. Cum audiero: *Ut feras tormentum tuum.* Ideo tertio loco ait: *Avertam aversionem tuam*, et post omnes: *Ut feras tormentum tuum, et dehonesteris de omnibus quæ fecisti.* Est quædam mensura peccati, quam unusquisque recipiet pro eo, quod peccavit. Si habuero quinquaginta peccata, quinquaginta habebo ignominias: si centum, duplicabitur mihi pœna pro factis, et pro magnitudine delictorum tribuetur mihi ignominia. Maximis peccatis magnus cruciatus adjungitur. Deus autem solus verus Judex magnitudines peccatorum, et ignominiæ qualitates, et peccati numerum potest pervidere. Dicitur itaque ad Jerusalem: *Ut feras tormentum tuum, et dehonesteris de omnibus, quæ fecisti in exacerbando me.* Vide econtrario satisfacientem Deum, quodammodo per hæc verba tenentem, quod iram ipse non habeat, sed peccator sibi ad iram concitat Deum. Unde et Apostolus ait: *An divitias bonitatis, et mansuetudinis ejus, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducat? Juxta autem duritiam tuam, et impœnitens cor thesaurizas tibi iram* (*Rom.* I). Separavit hic sermo iracundiam a Deo. Revera enim iracundia aliud quiddam a Deo est, nec ei ut insita copulatur. Unde et de peccatoribus dicitur: *Emisisti iram tuam, et comedit eos* (*Psal.* LXXVII). Nemo quod sibi socium est et cognatum emittere potest, verum emittitur quod aliud est ab eo, qui emittit. Sic et nos peccando **974** irritamus Deum ut mittat iram, quam ipse non habet. Post hæc, id est, post aversionem dicitur: *Sodoma, soror tua et filiæ ejus restituentur sicut erant ab initio.* Venio ad imagines et figuras, et video quanto tempore excruciata Sodoma restituatur in antiquum. Si autem id quod per figuram dictum est, ita se habet, quid de eo fiet, qui vere Sodoma fuerit? Statim post diluvium decima generatione passa est Sodoma ea quæ in Genesi leguntur (*Gen.* XIII). Erat enim prius quasi paradisus Dei, et quasi terra Ægypti: verumtamen factum est Sodomæ id quod etiam nunc vestigiis regionis ejus perspici licet. Ecce quanti jam temporum circuli transierunt, ecce tria millia annorum sunt, et Sodoma nondum est restituta: non illa Sodoma, quæ in signo et in ænigmate ponitur, sed illa, quæ in veritatis ratione perspicitur. Aiunt Hebræi Sodomam in eumdem statum [a] restituendam, in quo et antea constitit, ut rursum paradiso Dei et terræ Ægypti comparetur. Si hoc se sic habet, et sive futurum est, sive non: quærentur enim istiusmodi res apud eos qui doctissimi sunt; ut autem fiat quod dicitur, complebuntur mihi annorum tria millia, et tunc restituetur excruciata [*Al.* excruciatur] tribus millibus annorum Sodoma, id est, anima mea: Sodoma, meis pœna peccatis. Grande intervallum temporis inter restitutionem et ruinam positum est. Etiamsi restituaris ita ut antiquitus eras, vide quanta exhaurias mala, quantis primum calamitatibus opprimaris. Hoc autem quod de Sodoma diximus, et de Samaria quoque intelligere debemus. Et ipsa quippe necdum est restituta, sed ex eo tempore, quo decem tribus ejectæ sunt de Judæa et de Samaria, et captivitatem sustinuit, et nomen accepit, non habens accolas suos. Restituetur autem et illa, sicut in principio fuit, cum decem tribus fuerint reversæ, ut solvatur id quod scriptum est: *Captivus ductus est populus in Assyrios usque in hodiernum diem* (IV *Reg.* XVII). Si autem tanto post tempore restituetur id, quod præcessit in signum, quando tu restitueris, si tamen restitueris, Samaritana et hæretica anima, quæ simulacris, et **975** feriis non veris, ac figmentis de Jeroboam corde venientibus credidisti? Quando restitueris, o anima infelix, cum post tanta sæcula restituatur exemplum tui? Si autem hoc super Sodoma et Samaria fit quæ justificatæ sunt ab Jerusalem, quid dicendum est de ipsa Jerusalem, quæ supradictarum scelera [*Al.* scelere] justificavit? Et restituemini sicut ab initio fuistis. Et tu et filiæ tuæ restituemini sicut fuistis in principio. Scit hoc, quod dicit: *Sicut fuistis in principio*, et Isaias di-

[a] Notanda, ut caveas, quam sæpe Adamantius inculcat, falsa doctrina ex Hebræorum cœnosis fontibus derivata, de pœnis damnatorum aliquando finiendis. Quamquam enim incertus et fluctuans in ea opinione videri possit ex eo, quod subdit: *Si hoc se sic habet, et sive futurum est, sive non: quærentur enim istius modi res apud eos qui doctissimi sunt*: et expressius paulo post: *si tamen restitueris*: sunt tamen in ejus passim scriptis pleraque alia, quæ fluctius in Origen. recitat, de ejusmodi ἀποκαταστάσει, sive in pristinum restitutione testimonia, ob quæ male continuo audiit apud Ecclesiæ Patres.

cens : *Et constituam judices tuos ut prius, et consilia-rios tuos ut in exordio* (*Isai.* I). Et nisi esset Sodoma soror tua in auditu, in ore tuo, in diebus superbiæ tuæ, quemadmodum nunc opprobrium es filiarum Syriæ, et omnibus, quæ sunt in circuitu tuo filiarum alienigenarum, quæ circumdant te in gyro. *Impietates tuas tu porta.* O clementissimum Deum satisfacientem de restitutione, atque dicentem : *Impietates tuas, et iniquitates tuas porta!* Non frustra dico restitueris : sed cum impietates tuas, et iniquitates tuas exhauseris, tunc in locum pristinum restitueris. Quomodo vulnera, quæ in corpore sunt, sæpe parvo tempore accidunt : medelæ vero vulnerum cum tormentis adhibentur ingentibus, non juxta æqualitatem temporis, quo illatæ sunt, sed juxta rationem curationis : verbi gratia, in puncto horæ [a] fractura manus et pedis contritio accidit : hoc quod in modico factum est, mensibus fere tribus, ac longo tempore vix curatur : sic et voluptas, quæ nervos animæ succidit, et luxuria, et semel universa peccata, cum in parvo tempore infelicem animam illexerunt, et ad vitia traxerunt, magnum postea tempus in suppliciis et cruciatibus promerentur. Propter quod hoc dicit Dominus : *Et faciam in te sicut fecisti, sicut sprevisti hæc prævaricando testamentum meum, et memor ero.* Primum quomodo fecisti faciam tibi, deinde memor ero testamenti mei, quod feci tecum in diebus infantiæ tuæ. Fecit quippe testamentum in diebus infantiæ ejus. Diximus autem supra quomodo cum ea fecerit testamentum. Et suscitabo tibi testamentum in æternum. *Ego occido, et ego vivificabo*, ait. Qui cum ista promittit, dolores facit, et rursum **976** restituet. Percus sit, et manus ejus sanabunt. Dicitur in Michæa : *Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet ipse causam meam* (*Mich.* VII). Quomodo justificatur causa mea? Quando iram Domini sustinuero, qui divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contempsi, et juxta meam duritiam et impœnitens cor thesaurizavi mihi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. Et dehonestaberis in eo, quod suscepisti sorores tuas seniores cum adolescentulis, et dabo tibi eas in ædificationem. Supra unam dixit sororem Sodomam, et aliam Samariam, nunc repetit, et dicit sorores tuas seniores, cum senior tantum Samaria sit, et adolescentior Sodoma ; verum quia filiæ earum eis connumerantur, dicit omnium unam esse speciem. Quantæ autem filiæ Sodomorum sunt, tantæ et Samariæ. Et dabo tibi eas in ædificationem, et non ex testamento tuo, et suscitabo ego testamentum meum tecum. Considera finem repromissionis et cognosces quia ego Dominus, ut memineris, et confundaris, id est, cum receperis peccata tua, et rememorata fueris, tunc confunderis. Et ultra non erit tibi os aperire. Cum recepero peccata mea, et restitutus fuero, facto mecum testamento, tunc amplius intelligo mala mea, et confundor, et conscius mihi ultro memet punio. Vide autem quid mihi eveniat. *Ut ultra non sit liberum os aperire a facie ignominiæ, et quando eveniat in eo, quod propitietur tibi.* Nec tunc quidem, quando propitiatur mihi multa peccanti, possum os aperire : nec quando ignoscit sceleribus meis, alienus sum ab ignominia, sed sentiens scelera mea, perpetuo conscientiæ meæ igne discrucior. Idcirco quia ignominia et confusio æterna nobis reposita est, si peccaverimus, omni corde precemur Deum, ut det nobis, usque ad finem et animæ et corporis nisu pro veritate contendere : ut etiamsi aliquod tempus constiterit, quod nostram examinet fidem (nam ut aurum probatur in fornace, sic fides nostra in periculo et persecutionibus examinatur), etiamsi persecutio eruperit, inveniat nos præparatos, ne domus nostra in hyeme corruat, ne ædificatio quasi in arena constructa tempestatibus dissipetur : ut cum flaverint venti diaboli, id est, spiritus pessimi, opera nostra persistant, quæ usque ad hanc diem perstiterunt, si tamen non sunt occulte subruta, et in expeditionis accinctu manifestemus charitatem nostram, quam habemus ad Deum in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA UNDECIMA.

De eo quod dictum est : *Fili hominis, propone ænigma, et dic parabolam ad domum Israel, et dices : Aquila magnarum alarum*, etc. (Cap. XVII).

**977** Exercitatio corporum, et in totum fortitudinem comparat iis, qui exercentur, et per partes unumquodque membrum sensusque membrorum vegetiores facit ad sufferendum quid, aut ad sentiendum; ut puta oculorum acies, si exercitetur in visu, acutior fiat ad videndum : aures, si frequentius audiant, melius possunt vocum capere dissonantias. Hoc autem et in cæteris membris licet deprehendere, quod in paucis ostendimus. Verum quid mihi prodest ad beatitudinem et ad vitam sempiternam, si corpus exercitationibus roboretur? Quod mihi est emolumentum, etiamsi fortissimo corpore fiam, etiamsi omnibus membris vegetus incedam? Econtrario autem, si sensus animæ habuero excercitatos ad sentiendum quid, ad discendum dies noctesque contrivero, non solum in hac vita mihi conducit, sed etiam recedentem de corpore prosequetur. Idcirco in parabolis et in ænigmatibus locutus est Deus, ut extenderet se mens nostra, vel potius in unum colligens dictorum intueatur acumina, et a corporis vitiis recedens, dum intelligit veritatem, vitæ suæ cursum secundum eumdem dirigat. Hæc in proœmio diximus, quia sermo Dei factus est ad Ezechielem, dicens : *Fili hominis, narra narrationem, et dic parabolam ad domum Israel.* Pro hoc autem quod Septuaginta interpretes posuerunt *narrationem*, alius, de interpretibus transtulit, *propone* [b] *problema;* alius

[a] Vitiose antea legebatur, *factura.*

[b] In Hexaplorum collectione hic locus desideratur. Ex romanæ tamen editionis τῶν LXX annotationibus colligere est, Aquilam posuisse αἴνιγμα, Symmachum et Theodotionem πρόβλημα.

*profer problema*, alius *significa ænigma*. Igitur et problema et ænigma et parabola est quod lectum est. Si quando illuminatione indiguimus scientiæ Dei, nunc vel maxime et necessarie indigemus, ut non tam ego, quam, orantibus **978** vobis, gratia Dei in me edisserat solutionem problematis, et ænigmatis, sive parabolæ. Quæ est ergo parabola aquilæ, quam in præsenti Spiritus sanctus ostendit? Quæ non solum aquila, sed etiam comparatione cæterarum aquilarum, magna aquila, et ingentium alarum, et longa extensu, et plena unguibus, sive (ut quidam interpretatus est) plena plumis scribitur. Non solum his, quæ diximus, major est cæteris aquilis, verum in eo vel præcipua est, quod ductum habet intrandi in Libanum. Nam ingrediens illic ab arbore cedri, quæ in Libano sita erat electa, teneritudines, et summa quæque decerpsit, et attulit in terram Chanaan, in civitatem sive negotiatorum, sive negotiatricem, sive translatorum, sive certe (ut Septuaginta interpretati sunt) muratam, et posuit hoc, quod de cedro Libani sumpserat, ut plantaretur et cresceret in terra Chanaan. Post hæc eadem aquila de semine terræ unde sumpserat summitates cedri, et extrinsecus sibi semen accepit, et plantavit illud in campo frondifero super aquam multam. Hoc autem ipsum, quod de terra Chanaan fuerat assumptum, ab ea, quæ Libani summa quæque decerpserat, id est, quod secunda vice acceperat, factum est in vitem non fortem, sed infirmam, verum etiam statura pusillam : et palmites hujus vitis infirmæ reclinati sunt, pro eo quod de Libano et cedro fuerat assumptum, intantum ut radices suas sub ipsius trunco consitas haberet. Et quidem facta est vitis, et fecit propagines, et extendit arbusta sua. Et post hæc venit alia aquila, et ipsa magna magnis alis, et copiosis vel plumis, sive unguibus : et **979** ecce ista vitis, de qua nunc diximus, veniente secunda aquila declinavit testamentum suum ad eam, spernens id testamentum, quod prius cum arbore fecerat, in qua reclinata vitis fuerat effecta, et propaginibus factis, arbusta latius fuderat, et complexa est secundam aquilam, et radices suas a priore transtulit ad sequentem. Deinde palmites emisit ad aquilam secundam, ut irrigaret eam cum gleba plantationis ejus in campo bono : et aqua multa. Et quidem irrigata est hæc ipsa vitis et translata ad aquilam secundam, ut faceret incrementa, ut afferret fructum, ut fieret in vitem magnam. Idcirco prophetæ imperatur ut dicat, quia testamentum transgrediens vitis, quod fecerat cum aquila priore, et statuens illud cum secunda, non dirigatur, neque radices teneritudinis ejus efflorcant : quin potius fructus ejus propter transcensionem ejus putreant et arescant omnia quæ de ea oriebantur, et jam ultra non habeat brachium magnum et populum multum; evellatur autem radicitus, et licet irrigata sit, tamen non perseveret, et non dirigatur in ubertatem, statimque ut contigerit eam ventus urens, arescat, et cum gleba plantationis suæ siccetur. Hoc propositio ipsius historiæ exposcit, ut quæ obscurius dicta sunt, quibusdam adjunctis sermonibus planius enarremus. Et si tantus labor est, ut ipsum, quod dicitur, intelligatur : quid necesse est dicere, ipsam quæstionem quantam habeat obscuritatem, quæ sit aquila prior, quid sit Libanus, quæ cedrus, quæ summa cedri, quæ aquila secunda, quæ translatio vitis a priore ad sequentem? Si aliquando Dei indiguimus auxilio, semper autem in intellectu Scripturarum Spiritu sancto indigemus: nunc profecto tempus est, quod nobis præstet auxilium, et pendat ipse quæ dixit. Quomodo Salvator noster in Evangeliis quasdam parabolas ipse interpretatur : sic et nunc propheta in secunda prophetia, quæ in reliquis lecta est, significat, quia Aquila prior Nabuchodonosor sit rex Babylonis, qui ingressus est in Libanum, id est, Jerusalem : et accepit de summis cedri, id est, regem Jerusalem, et principes ejus, et attulit ea in terram Chaldæorum, scilicet in Babylonem. Plantavit quippe in captivitatem accipiens filios Israel, et de regio semine, **980** et de genere principum in eadem terra constituit. Post hoc autem, et post regiam stirpem, alia quoque multitudo capta est ab eo, et vitis effecta est, non tam robusta quam fuerat cum fuisset in vinea Dei, et in terra sancta, ubi sacrificia Dei celebrantur, sed erat in Babylone translata vitis infirma. His ita gestis, inter Pharaonem regem Ægypti, et Nabuchodonosor regem Babylonis, bellum ortum est. Igitur populus, qui cum regibus suis ac stirpe optimatum ab Assyriis fuerat afflictus, reperta occasione, qua jugum Nabuchodonosor abjiceret, et ejus imperio liberaretur, intulit se ad secundam aquilam grandem, magnarum alarum, id est, Pharaonem (IV *Reg.* xxv). Deinde, sic ordine currente rerum, quia Deus non Pharaoni tradiderat, sed Nabuchodonosor, et illi non sustinentes judicium et imperium ejus, excusserant jugum Nabuchodonosor de cervicibus suis, et ad Pharaonem transgressi fuerant, ira Dei super eos ingruit, et contra evenit, quam putaverant. Oportet quippe eum, qui a Deo damnatur, non fugere sententiam ejus, nec voluntatem judicantis velle mutare, verum patientissime sustinere, donec ipse Deus liberet qui damnavit. Igitur, quia ad Pharaonem transtulit se populus, relinquitur ab auxilio Dei, et pejora patitur, quam ante perpessus est a Nabuchodonosor. Diximus solutionem parabolæ juxta litteram, et id quod scriptum est : sequitur durior interpretatio, et difficilis ad intelligendum, secundum verum Nabuchodonosor, et verum Pharaonem, et ea verba, quæ de aquilis prædicta sunt. Idcirco autem ante interpositionem sequentis lectionis, hanc expositionem summatim strictimque prædiximus, ut et præsens locus facilius intelligatur, et nihilominus servetur loco suo plenior expositio, et consequens parabola etiam juxta allegoriam latissime disseratur. Verum nunc pauca debemus assumere, et quasi quodam armamento futuræ interpretationi viam sternere de his, quæ nobis Dei gratia largitur, scientes quid in sequenti plenius exponemus. Ac primum quidem videndum est, quare

Nabuchodonosor et Pharao aquilæ dicantur. Forsitan quærit quispiam, qui non otiose et transitorie Scripturas legit : Nabuchodonosor aquila **981** est magna, et magnarum alarum, et hic Pharao alia aquila magna similiter alarum ingentium, et in Lege inter immunda animalia posita est aquila : quare et justus dives effectus præparat sibi alas aquilæ, ut possit converti in domum principis sui? quare etiam repromissio quædam est apud Isaiam prophetam dicentem : *Justi accipient pennas ut aquilæ, current, et non laborabunt, gradientur et non esurient?* Si enim immunda est aquila, non oportet nos pennas accipere ut aquilam, cum justi fuerimus : neque cum divitiæ nobis creverint, oportet præparare nos nobis pennas aquilæ. Cui primum respondendum est, quædam nomina animalium in Scriptura in utroque genere, id est, in malo ac bono posita : ut puta leo, in bonam accipitur et in malam partem. In bonam sic : *Catulus leonis Juda ex germinatione, fili mi, ascendisti, accumbens dormisti, ut leo, et ut catulus leonis : quis suscitabit eum* (*Gen.* XLIX)? In malam vero partem sic : *Adversarius noster diabolus, ut leo rugiens, quærens devorare circuit, cui expedit nos resistere firmos in fide.* Sed et malignus supplantare cupiens insidiatur in occulto, ut leo in spelunca sua insidiatur, ut rapiat pauperem. Quomodo ergo leo dicitur et in malam partem et in bonam, non est incongruum etiam aquilam in utramque partem accipi. Et, ut ego suspicor, justus non est aquila, sed quasi aquila, æmulatur quippe aquilam. Et quomodo serpens æreus typus fuit Salvatoris : neque enim serpens erat vere, sed imitabatur serpentem, dicente Domino : *Ut Moyses elevavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis* (*Joan.* III) : eodem modo et justus non tam aquila est, quam aquilæ similis, quia ei utile est imaginem aquilæ sectari. Juxta hunc intellectum et in alio loco præceptum accepit justus, ut sit sapiens sicut serpens, non ut fiat serpens, sed ne a veri serpentis capiatur astutia. Si autem sermo Dei Scripturas diligenter excutiens, et spiritus, de quo scriptum est : *Spiritus omnia scrutatur etiam alta Dei* (I *Cor.* XII), in alicujus animam venerit, manifestissime ostendet de Scripturis, et aquilam et leonem in partem mundorum animalium posita : Cherubim Dei habere faciem hominis, et faciem leonis a dextris quatuor partium, et faciem vituli, et **982** faciem aquilæ a sinistris quatuor partium ; et hæc, quæ in Cherubim videntur, id est, aquila et leo, munda sunt. Nihil quippe immundum est in curru Dei. Et quomodo tu de gentibus credens, mundus effectus es : *Et quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris*, dicitur de omnibus, quæ de cœlo pendentia ostensa sunt Petro : sic mundatus est leo et aquila, quæ in Cherubim apparuerunt. Nec non est aliud, quod in Christi adventu futurum prædicatur : novit mundum leonem, mundam et aquilam, quæ nuncupatur immunda : *Lupus enim et agni pascentur simul* (*Isai.* XI). Lupus enim qui cum ove innoxius pascitur non est ultra observandus. Non mihi dicitur de tali lupo : *Attendite ab eis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII). Signanter locutus est dicens : *Intus autem sunt lupi rapaces.* Sunt quippe alii non rapaces, quando lupi et agni pascentur simul, et vitulus et taurus, et leo pariter edent. Cum autem fuerit tam diversarum inter se naturarum in fide Christi facta sociatio, leo non erit jam immundus, verum feritatis suæ obliviscetur, et universa animalia, quæ in lege Dei dicuntur immunda, conditionis antiquæ recipient puritatem. Hoc autem et ex parte jam factum est, et plenissime [*Al.* planissime] in secundo complebitur adventu. Prævenit igitur sacramentum, quod ostensum est in Cherubim, rei veritatem : et intantum leonis et aquilæ facies cum aliis faciebus cognatæ sunt, ut majus nobis videatur vitulo, et tauro, et leone simul pascentibus, id quod apparuit in Cherubim. Ab Isaia quippe nihil de his, quæ prædicta sunt, sibi cohærens, et invicem connexum repromittitur. In Cherubim vero unumquodque animal cum alio cognatum est, facies vituli faciei leonis, et vultus hominis vultui aquilæ. Non igitur magnopere mireris cum Pharao, et præcedens eum Nabuchodonosor, aquilæ nuncupantur : justus vero pennas assumere dicatur ut aquila, et in Dei parte dives effectus aquilæ sibi pennas præparet ad volandum. Verum ut ad propositum redeam, specialiter quiddam significatur de Nabuchodonosor, quia magna et magnarum alarum, et sui extensione longissima, intantum ut ausus fuerit dicere : *Viribus faciam, sapientia intellectus auferam fines gentium, et virtutem eorum* **983** *depascar, et commovebo civitates, quæ inhabitantur, et orbem terrarum universum comprehendam manu ut nidum, et quasi confracta ova auferam* (*Isai.* X). Ecce ista est extensio alarum ejus. Nec hoc ei sufficit, verum unguibus plenus est, et multis plumis, et habet ductum intrandi in Libanum, ut cedri ejus summa decerpat. Quamdiu hi, qui commorabantur in Libano, non peccaverunt, id est, quamdiu in Jerosolymis positi, [*Supp.* non] sunt in sceleribus deprehensi, non accepit potestatem ista magna aquila, ut ingrederetur in Libanum, neque assumpsit sibi electa, et cedri semen regium, et principum stirpem. Ista quippe sunt teneritudinis ejus, quæ quodam tempore non fuerunt duro corde : attamen rapuit ea, quia peccaverunt in Dominum. *Aquila ista grandis*, etc., totius arboris cacumina in Chanaan transtulit, quia figuraliter Babyloniorum terra maledicti Chanaan dicitur. De quo ait Noe : *Maledictus puer Chanaan, famulus erit fratribus suis* (*Gen.* IX). In civitate quoque negotiatorum, sive negotiatrice, sive transferentium, aut certe murata, posuit hoc, quod de cedro abstulerat, et accepit sibi de semine terræ, jam non de altioribus solum, sed etiam de minoribus, et de populo Judæorum, et dedit illud in campum frondiferum, super aquam multam respiciendum constituit illud, et exortum est, et factum est in vitem firmam. Infirmatus est vere populus Dei in Babylone, et ideo

neque canticum Domini cantare poterat, dicens : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI)? Revera non poterat infirma non esse, quæ plantata fuerat in Babylone. Quo pacto vires pristinas reservaret, quæ vitis Babylonia esse cœpisset. Quæ quia in sancta terra fructus non fecerat, ideo translata ab aquila, et in terra posita Chanaan, facta est in vitem infirmam, et in pusillam statura. Quamdiu in terra sancta fuit, ingens vitis erat : quando vero translata est in fines peccatorum, et infirma et parva effecta est. Et tu igitur, vitis, quæ me audis, si vis esse magna, noli exire de Ecclesiæ finibus, permane in terra sancta Jerusalem. Quod si propter peccata in pejora corrueris, transfereris in aliam terram, et eris in vitem pusillam, et palmites tui decident, et radices tuæ siccabuntur, intantum ut postea desideres requiescere super aliam aquilam, **984** ut nunc dicitur, magnarum alarum et plurimorum unguium. Bonum est condemnatum in condemnationis permanere sententia, quamdiu ei libet qui damnavit. Non curramus volentes ad Pharaonem; si enim ad eum currimus, contra Deum facimus, qui dixit : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis* (*Deut.*). Ad Nabuchodonosor enim non tam sponte properamus, quam condemnati, et pertracti ad eum sumus. Sequitur : *Et factum est altera aquila magna magnis alis, et copiosis unguibus, et ecce vitis ista amplexabitur eam*, id est, secundam aquilam. Evenit sæpe, ut ab una contraria fortitudine ad aliam transferamur. Jusserat enim Deus, ut Israelitarum populus sub Nabuchodonosor jugum colla submitteret, ut legimus in Jeremia, intantum ut comminaretur ei, qui ab ejus servitio declinaret : et eo tempore, quo Jeremiam exposuimus, ea quæ nobis gratia Dei, orantibus vobis, largita est, sive certe utcumque sensimus exponere conati sumus. Noluit autem id facere, quod fuerat imperatum; sed palmites suos extendit ad Pharaonem in gleba plantationis ejus, ab eo constituta est in campo super aquam multam, ut fructus afferret uberrimos : et deserta Ægypto, rursum Ægyptum concupivit, putans se ubertatem pristinam consecuturam : hoc in primis cogitans, quod si Nabuchodonosor ad Pharaonem transcenderet, radices firmaret, evelleret staturam, fructus afferret. Sed in contrarium quam putavit omnia reciderunt. Fructus quippe ejus omnis computruit, et pullulationes, quæ saltem modicæ in Babylonem venerant, mutatione regionis exaruerunt, intantum ut radicitus evulsa sit, ne ultra in brachio magno, aut in populo plurimo convalesceret. Quid in se hæc tanta, vel talia continent sacramenta? quid unusquisque sermo significat? Possumus, si tamen habeamus auditores, ad aliam quamdam Jerusalem conscendere, et ibi demonstrare quomodo aquila magna ductum suum fecerit, et in hanc, quam nunc nos possidemus, Babylonem summitates ejus detulerit. Possumus secretiora quædam de Pharaone loqui : verum, quia tempore coarctamur, et forte audenter promittimur, quod non valemus implere, ad minora redeamus, et secundum mensuram intellectus **985** nostri sic potius exponamus : Venit ad istum Libanum, hoc est, Ecclesiam, ubi hostiæ Dei, ubi incensum orationum ejus celebratur, ista magna et vera aquila, Nabuchodonosor, id est diabolus, et rapuit. Absit autem a temporibus nostris : ut de summis cedri, id est, de principibus et de regio semine in Chanaan transferat. Oremus, ne fiat quod sæpe factum est. Assumpti enim sunt quidam, et in Babylonem translati, qui in Ecclesia principes fuerunt, et propter peccatum suum de Libani summitate sublati. Super his dicendum est quia aquila magna magnorum unguium, plumis extensa acceperit de cacuminibus cedri, et deraserit eos de Libano, id est, de Jerusalem, et plantaverit in terra Chanaan. Non solum autem aquila ista summa cedri, id est, de optimatum genere, sibi vindicat, **986** sed et terræ semen rapit, et transfert in terram Chanaan quando quis de populo peccat, et de Dei plebe diaboli laqueis præpeditur. Quapropter diebus et noctibus tam pro nobis quam pro fratribus nostris Dei imploremus auxilium, ne quis de Jerusalem transferatur in Chanaan, ne sententia ejus deserta, a voluntate illius ad aliam tendamus aquilam, et veniat super nos ira major, et putrescat universa plantatio, et fructus pariter cum radicibus arescat. Plantatio quippe Jerusalem non potest in alia terra ferre fructus, non facit palmites in finibus alienis; sed statim cum gleba sua siccatur, si non perseveraverit in voluntate Dei, et in Ecclesia ejus, id est, et factis et sermonibus et scientia veritatis Christi Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DUODECIMA.

De eo quod scriptum est : *Fili hominis, dic ad domum exasperantem, nescitis quid ista significent* (Cap. XVII).

**985** Ea, quæ jam supra memoravi de duabus aquilis magnis, et magnarum alarum, et magnorum unguium, nec non quæ prima et secunda aquila gesserunt, nunc quasi in prophetia, scilicet figurata, vult ex parte sermo divinus exponere, nobis ad intelligendum relinquens quæ ipse dimisit intacta. Ac primum quidem, licet sæpe jam dixerim, tamen etiam nunc aliquid non novum inferre conabor, quod nostræ animæ tribuat salutem, in eo, quod dictum est ad prophetam : *Dic ad domum amaricantem*, sive *exacerbantem*. Non enim addidit domum exacerbantem, sive exasperantem me. Et si volumus videre cujusmodi sit peccatum exasperatio, audiamus quam dulcia ei, qui intelligit, eloquia Dei sunt, dicenti : *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua* (*Is.* CXVIII). Hæc naturaliter dulcia cum assumpserint credentes, aut [*Al.* ut] bene vivunt, aut vere contrarium faciunt. Et siquidem juxta divinam regulam ingrediuntur, reservant eloquia Dei in eo dulcore quo nata sunt. Juxta mei autem animi motum puto, quia

conversationis bonitate et augeant eloquiorum Dei suavitatem, miscentes dulcedinem vitæ dulcori sermonis. Sin vero quis peccet, et extra præcepta Dei perversus incedat, **986** iste accipiens dulcissima eloquia Dei per naturam amarissimi peccati (amarum quippe peccatum est, quod dulcedinem sermonis exterminat), in amarum saporem omnem redigit suavitatem. Quod dicimus plenius animadvertes, accipiens exemplum. Herba quæ absinthium nominatur, naturaliter amara est : hanc si secundum qualitatem, et quantitatem mellis in mel injicias, amaritudine sua vincit ejus suavitatem et cogit amarum esse quod dulce est. Hujus herbæ vim habet peccatum. Si plura peccavero, plus amaritudinis mitto in dulcedinem sermonum Dei. Si grande fuerit quod delinquo, totum dulcorem mellis verto in acerbum saporem. Et idcirco Deus, qui sermonem suum a peccatoribus conculcatum ulciscitur, unicuique pro qualitate amatoris vitæ, et pro modo intentionis, amaritudinem pœnarum suppliciorumque restituit. Et siquidem nos, qui hæc dicimus, et semel credimus Deo, peccaverimus, exasperare nitimur sermonem ejus : qui vero penitus a fide ejus recesserunt, neque ingressi sunt Ecclesiam, hi non faciunt amara eloquia Dei. Quomodo enim possunt suavitatem exasperare sermonum quibus nondum crediderunt? Ideoque nobis alia servantur **987** tormenta qui videmur credere, et in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio, qui ne initium quidem credulitatis habuerunt. Et ne solummodo putemus verbum nos exasperare Domini si peccemus, delictum nostrum usque ad ipsius Dei injuriam pervenit. Scriptum est enim, quod qui peccat, per prævaricationem legis Deum inhonorat. Parum erat si dixisset : inhonorat angelum : nunc autem, per prævaricationem, inquit, legis Deum inhonorat. Quotiescumque prævaricamur legem Dei, toties inhonoramus Deum, et quanto majora delinquimus, tanto majoribus contumeliis afficimus Deum : quanto plura peccamus, tanto plus inhonoramus Patrem et Christum ejus, sicut scriptum est : *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Igitur quicumque peccat exasperat et contumeliam facit, et inhonorat tam Dei eloquia, quæ suscepit, quam eum, qui docuit. *Dic nunc ad domum exasperantem : Nescitis quid sint ista*, id est, quæ in parabola dicta sunt aquilarum. *Dic, cum venerit rex Babylonis ad Jerusalem, et acceperit regem ejus, et principes ejus.* Quantum ad historiam pertinet prophetantis, expositum est : Quod Nabuchodonosor venerit in Jerosolymam, et captivos duxerit Sedechiam regem Judææ, et principes, qui erant cum eo, partem populi Judæorum (IV *Reg.* xxv) : nec non etiam illud addemus, quomodo plantaverit eos in terra Babylonis. Sed non stemus in littera, nec hæreamus in historia, magis autem tu, qui in Scripturis Dei profectum habes, et nosti quia *ista omnia figuraliter contingebant illis, scripta sunt autem pro nobis, in quos fines sæculorum decurrerunt.* Instat ecce verus Nabuchodonosor, quærens aliquos capere de nobis. Et primum quidem cupit (si fieri potest) de principibus Ecclesiæ captivos sibi ducere. Verum quamdiu Ezechias, Josias, aut certe quicumque justus rex regnat in populo, non potest iste Nabuchodonosor vinctos abducere, aut principes aut populum de Judæa. Si autem nos, qui videmur Ecclesiæ præesse, peccaverimus, locum dantes diabolo adversum Pauli præceptum dicentis : *Nolite locum dare diabolo* (*Eph.* IV) : quodammodo per delicta nostra, quæ fecimus in Jerusalem, occasionem **988** tribuimus Nabuchodonosor, ut ingrediatur civitatem sanctam, et abducat quoscumque voluerit. Qui vero non peccat excludit Nabuchodonosor, ut non possit in terram Dei ingredi. Ergo omnibus viribus excludamus Nabuchodonosor, ut ad beatum istius Ecclesiæ conventum non appropinquet. Excludamus autem eum assumentes clavem scientiæ, excludamus eum conversatione, et factis bonis, ut non rapiat regem Jerusalem, et principes ejus, ut non abducat eos in Babylonem captivitatis suæ triumphum. Si vero aliquem ex nobis vincere potuerit sævus inimicus, ducit eum in Babylonem, non in locum amplum alicujus terræ, sed in Babylonem animæ, id est, confusionem. Frequenter diximus Babylonem confusionem interpretari. Quicumque enim ab eo victus abducitur in confusionem mentis suæ transfertur in Babylonem. Respiciamus ad quotidianam vitam. Si quando viderimus animam a peccatis, a vitiis, a tristitia, ab ira, a desideriis, ab avaritia confundi, sciamus istam esse quam diabolus abducat in Babylonem. Si vero principali cordis tranquillitas, serenitas, pax fructum fecerit, sciamus quia Jerusalem versetur in ea, visio quippe pacis intrinsecus est. *Et ducit eos ad se in Babylonem, et sumit de semine regni, et disponit ad ipsum testamentum.* Omnes qui sermonem Dei suscepimus, regium semen sumus. Etenim genus electum vocamur, et regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (I *Pet.* II, 9). Si quis ergo ex nobis, qui in ordine regalis seminis constituti sumus, per peccatum suum captivus abducitur a diabolo, haud dubium est, quin de regio genere sit abductus in Babylonem, et faciat testamentum cum Nabuchodonosor, quia jam testamentum Dei spreverit. Impossibile quippe est hominem sine testamento esse. Si habes testamentum Dei in te, non potest testamentum tecum facere Nabuchodonosor. Porro si repulisti testamentum Dei per prævaricationem mandatorum ejus, suscepisti testamentum Nabuchodonosor. Scriptum est enim : *Disponit ad eum testamentum suum, et inducit eum in maledictionem.* Deus in benedictione nobiscum testamentum facit : Nabuchodonosor vero testamentum suum in maledictione constituit. Non potest in benedictione esse qui pactum fecerit cum Nabuchodonosor. Sed dicit mihi aliquis, qui in Scripturis divinis est eruditus : Invenio in **989** lege Moysi maledictiones constitutas in pecca-

torem : si ergo præcepto Dei maledictum constitutum est in peccatores, cur non et econtrario apud diabolum quædam benedictio sit, ut alii apud eum in benedictione fiant, alii in maledictione? Huic ergo acute et acerrime interroganti sic conabor occurrere et dicere quia et quædam sit benedictio a Nabuchodonosor, quam Deus procul abjiciat a nobis : et maledictio, de qua nunc dicere debemus, quæ digne super peccatores venit. Quæ est igitur benedictio Nabuchodonosor? Quando aliquis in mundo isto locuples fuerit et feliciter gesserit, et omnia ei prospero cursu fluxerint, intantum ut illud, quod scriptum est, ei possit aptari, *Bos ejus non faciet abortionem* : et si universam sæculi habuit prosperitatem, benedictio Nabuchodonosor super eum est. Maledictio vero in eo, quando aliquis recedit a Deo, et nihilominus in parte diaboli constitutus miseriis suppliciisque torquetur. Vult igitur Deus, ut nunc Scriptura commemorat, testamentum Israeli maledictionem esse apud Nabuchodonosor. Et ideo quia voluit spernere testamentum Nabuchodonosor rex Jerusalem, et mittens angelos suos in Ægyptum, testamentum cum Pharaone facere conatus est, ait sermo divinus : *Non dirigetur, non salvabitur*. Quapropter oportet nos ferre patienter, cum a Deo tradimur ultioni. Tradidit quemdam de cœtu Ecclesiæ Apostolus diabolo in interitum carnis : et tradidit in carnis interitum, non ut perderet traditum, sed ut spiritum traditi conservaret. Ex quo Scriptura ait : *Tradere istius modi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die judicii Domini Jesu* (I *Cor.* v). Traditur autem tormentis peccator, ut recipiat in præsenti supplicia, et pro peccatis suis cruciatus, in futuro refrigerium consequatur, et dici possit de eo : Recepit mala sua in vita sua. Si quis igitur pœnis excruciatus juxta maledictum, in quo Deus posuit peccatores, maluerit fugere supplicia, et mittere ad Ægyptum pro auxiliis comparandis, ad Pharaonem, a quo liberavit Deus populum suum, non dirigetur, non salvabitur. Si quis autem patienter maledictionem sustinuerit, et supplicia Nabuchodonosor, et tempus peccatorum suorum in cruciatu compleverit : quomodo ille qui secundum Epistolas Pauli excruciatus est, ut spiritus ejus salvus fieret in die judicii, iste **990** finem optimum consequetur. Inducit ergo eum maledictionem, et duces terræ ejus accipiet, ut fiant in regnum infirmi. Infirmum efficitur regnum, quod de sancta terra in Babylonem transfertur. Nullus quippe fortis in Babylone, id est, in confusione mentis suæ. Omnino non potest extolli homo, qui confusus est, ut custodiat testamentum meum, ut statuat illud, et discedat ab eo, ut mittat nuntios suos in Ægyptum : Iste, quia Nabuchodonosor propter peccata sua tormenta perpetitur, et mittit nuntios suos in Ægyptum, non ferens traditionem, qua hosti concessus est a Deo, ut det ei equos et populum multum, id posuit quod in loco prohibitum est. *Non enim multiplicabis tibi equos* (*Deut.* XVII), ait Scriptura. Si dirigatur, si salvabitur qui facit adversa, et prævaricans testamentum. Oportuerat eum, qui traditus fuerat testamento Nabuchodonosor, sustinere supplicium : verum non sustinet, et idcirco dicitur de eo, Non salvabitur. *Vivo ego, dicit Dominus Adonai, nisi in loco regis qui constituit eum, qui spernit maledictionem meam, et transgressus est testamentum meum*. Est quidam qui inhonorat maledictionem Dei, est et alius qui honorat eam. Nec dubium est quin in præsenti de isto quæratur Deus, qui maledictionem suam inhonoraverit. Cum enim quis traditus fuerit suppliciis, ut castigetur, et non sustinuerit quod præceptum est, inhonorat maledictionem Dei. Si vero sustinuerit cum omni mansuetudine, et benedictione, et gratiarum actione ad Deum, iste honorat maledictionem, et cum honoraverit maledictionem, necesse est ut etiam benedictionem illius consequatur : *Et transgressus est testamentum meum, cum ipso in medio Babylonis morietur, et non in virtute magna, neque in turba multa faciet Pharao bellum*. Non potest ei, qui transgressus fuerit et inhonoraverit maledictionem Dei, Pharao tribuere auxilium; verum in medio Babylonis pro sua prævaricatione morietur. Deinde sequitur et narrat quid peccatores passuri sunt, et post hæc prosperiora quæque commemorat, dicens : *Accipiam ergo de electis cedri, et de vertice cordis eorum avellam, et plantabo ipsum in monte excelso*. Post maledictiones, quas supra memoravimus, repromissio beatitudinis et dulcissimæ pollicitationis in fine sermonis profertur : quia jam qui suppliciis indigebant, fuerant pro peccatis suis tormenta perpessi. **991** Intra memetipsum vero considerans, et diligenter istius loci sensum pertractans, arbitror de apostolis prophetari. Isti quippe sunt de electis cedri, de summitate, de vertice, quos dedit Deus in virorem sæculi, radens corda eorum, et plantans eos in monte excelso Jesu Christo Domino nostro. *Et suspendam ipsum in monte alto Israel, et plantabo, et producet propaginem, et faciet fructum*. Fecerunt isti propagines, attulerunt fructus. *Et erit in cedrum magnam*. Considera magnitudinem et sublimitatem Ecclesiæ Christi, ut intelligas juxta promissionem Dei factum esse, quod dicitur : *Et erit in cedrum magnam, et requiescit super ea omnis avis, et omne volatile sub umbra ejus requiescet*. Assume tibi pennas sermonis Dei, et poteris repausare sub hac arbore, quæ plantata est in monte excelso. *Et requiescet, et propagines ejus restituentur*. Vide quomodo in bona parte prophetia finiatur. Sequitur enim : *Et cognoscent omnia ligna campi, quod ego Dominus, qui humilio lignum* **992** *altum*. Lignum altum populus Judæorum est, qui nunc humiliatus, sceleris sui pœnas luit, quia in Deum nostrum Jesum Christum manus ausus est mittere. *Et extollo lignum humile*. Tu eras lignum humile, lignum dejectum, lignum terræ hærens, verum sublimavit te Deus. *Et arefacio lignum viride*. Lignum viride circumcisionis est populus, qui quondam pullulans et florens fuit, verum nimia nunc siccitate contabuit. Ubi quippe nunc vividus sermo apud eos? ubi virtutum chorus?

*Et revirescère facio lignum aridum.* Tu fuisti lignum aridum, et fecit te revirescere Christi adventus. *Ego Dominus locutus sum, et faciam.* Quibus dictis, ut et nos revirescamus, ut fructus valeamus afferre, ut germinans lignum et non siccum efficiamur, ut nunquam ad radices nostras ponatur securis, quæ in Evangelio prædicatur, attentius Jesum Christum Dominum nostrum cum Patre suo precemur, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA TERTIA.

De eo quod dicitur : *Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et pone faciem tuam contra Sidonem* (Cap. XXVII).

**991** Præcipitur nobis ab episcopis discutere sermonem principis Tyri, ut laudes ejus culpasque dicamus : nec non jussum est, ut de Pharaone rege Ægypti aliqua retractemus. Plangitur itaque princeps Tyri : nec putandum est hunc hominem esse. In medio quippe Cherubim nullus hominum est creatus, et in paradiso Dei, si simpliciter litteram sequimur, hominum nullus est enutritus. Et cum in paradiso deliciarum, sicuti diximus, nemo fuerit : nunc dicitur princeps Tyri in paradiso deliciarum natus atque nutritus. Quis est iste princeps Tyri ? Veniamus ad Danielem, et occasionem intelligentiæ reperientes, dicamus non esse principes corporeos, de quibus nunc quæritur. Post Danielem ab Apostolo petamus exemplum. Deinde rursum prophetarum testimonia vocemus. His omnibus etiam ille copulandus est locus, qui a Moyse in Deuteronomio non tacetur. Age nunc replicemus exempla, incipientes a Daniele. *Princeps,* ait, *videtur Michael.* Ibique rursum, *princeps Israel,* (*Dan.* x) : et in consequenti : *Michael adjuvabat principem regni* **992** *gentium.* Ad hæc addat Apostolus : *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco.* Et adjuvare principem Israelitarum, principem regni Græcorum, fortasse jam factum est. In adventu quippe Domini mei Jesu Christi, princeps Israel adjuvit principem regni Græcorum, ut gentes consequerentur salutem, et illi credendo, salvarentur. Atque ita in hunc modum dicitur quidam princeps regni Persarum, sicut dictus est Michael princeps Israelitarum, et alius Græcorum. Non sunt ergo hi homines, nec secundum locorum vocabula, in quibus imperant, nominantur. Unde et Apostolus quasi non de hominibus disputans, ait : *Sapientiam enim loquimur inter perfectos, sapientiam autem non hujus sæculi, neque* [Al. *nempe*] *principum sæculi istius, qui destruuntur ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconsam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nullus principum sæculi istius cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II). Et quod istius sæculi principes crucifixerunt Salvatorem **993** et Dominum, prophetia testis est, dicens : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Unde et alibi in Psalmis scribitur : *Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes : vos autem ut homines moriemini, et tamquam unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI). Et est ibi sermo de nullo penitus principe corporali. Si igitur est quidam princeps regni Persarum, si est princeps Israelitarum Michael, consequenter et Tyri princeps est : et de his nunc principibus propheticus sermo loquitur. Quoniam autem et de Moyse testimonium polliciti sumus, ausculta quod sequitur : *Quando dividebat Altissimus gentes, cum disséminavit filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei,* sive, ut melius habet (*secundum numerum filiorum Israel*) *et facta est pars Domini populus ejus Jacob* (*Deut.* XXXII). Alii principi facta est pars Tyrus, alii Babylon, aliis aliæ nationes : atque ita in hunc modum principes possederunt omnes fines gentium. Si quis autem putat legens in Scripturis quasi de hominibus dictum, intelligat altius spiritalis, et a nullo judicatus. Dignoscuntur enim quædam de Nabuchodonosor rege Assyriorum, quæ non conveniunt personæ ejus. Dixit enim : *In fortitudine faciam, et sapientia intellectus auferam fines gentium, et commovebo civitates inhabitatas, et orbem terrarum omnem comprehendam, et ascendam super sidera cœli, et nubes,* et reliqua, *et ero similis altissimo* (*Isai.* X). Hæc Nabuchodonosor. Sic et princeps Tyri et Pharao. Neque enim intantum agitatus est furiis verus et corporeus Pharao, ut diceret : *Mea sunt flumina, et ego feci ea.* Hoc autem ante lectum est in prophetia, quæ est adversum Pharaonem. Neque umquam principem illum, id est, corporeum Pharaonem, draconem nuncupasset, dicens : *Ecce ego super Pharaonem draconem, qui sedit in medio fluminum Ægypti, qui dicit, mea sunt flumina, ego feci ea* (*Ezech.* XXIX). Verum hoc in loco proprio reservetur, quod nunc idcirco assumpsimus, ut per notionem Scripturarum manifestius fieret id quod videbatur occultum. Adversum hos principes est nobis pugna. Et beati apostoli qui missi fuerant ad prædicandum, quando ab his, qui fines gentium possederant, homines abducebant, patiebantur insidias. Verbi gratia dictum sit : Ingressi sunt apostoli Tyrum, persecutus est eos princeps Tyri : ascenderunt Antiochiam, impugnavit eos princeps regni **994** Syriæ : iste erat, qui bellabat adversus eos, non omnes qui putabantur, ut Judas proditor. Quomodo enim ille non principaliter putandus est prodidisse Salvatorem : sic etiam apostolis omnibus, qui persecutionem passi sunt, alius fuit princeps persecutionis. Scriptum est quippe de Juda : *Et post buccellam introivit in illum Satanas* (*Joan.* XIII). Non est enim nobis pugna adversus carnem et sanguinem, licet videantur ex carne et sanguine qui nos persequuntur. Non eos oderimus, quin potius diligamus, licet inimici nobis velint permanere; misereamur eorum, dæmonium habent, patiuntur insaniam. Non tam hi sunt adversum nos, qui nos persequuntur, quam illi, qui corda eorum repleverunt. Verum Do-

mini deprecemur auxilium, ut infirmos habeant conatus tanti adversarii contra humanam animam dimicantes, et dicamus : *Nisi quia Dominus erat in nobis, in eo cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos.* Igitur est quidam princeps Tyri, et prophetia non de Hyram nos docet; hoc quippe nomen in tertio Regnorum libro scriptum est (III *Reg.* v), non de alio principe Tyri, neque de quoquam homine; non nos humana docent eloquia, sed divina, et quædam ineffabilia, et sacrata sub personis hominum. Pharao homo est : aliud quiddam erudior intelligere Pharaonem. Et Nabal Carmeli homo est, et Hyram homo (I *Reg.* xxv) : sed aliud sub eorum doceor effigie. Quis est tantus et talis, qui a corporalibus conscendat, qui a visibilibus invisibilia contempletur, et possit unumquodque horum secundum Dei intelligere voluntatem? Quis est ergo princeps iste, discamus, ut cognoscentes lamentationem, etiam quod nunc super ea dicitur, evitemus. Plangitur princeps Tyri. Quam bonus Deus, qui etiam eos, qui se negaverunt, deflet! Et hoc venit etiam ex amoris affectu. Nemo quippe plangit quem odit : et qui plangitur, plangitur quidem ut mortuus : verum quasi adhuc quæratur, quasi vivis desiderio sit, diligitur. Et Jerusalem quando plangitur, scriptum est : *Et factum est postquam captus est Israel, et desolata est Jerusalem, sedit Jeremias flens, et lamentans lamentationem istam super Jerusalem, et ait : Quomodo sedet sola civitas, quæ abundat populis, facta est ut vidua quæ multiplicata erat in nationibus : princeps in regionibus facta est in tributum* (*Thren.* I). Plangitur et Nabuchodonosor. Ubi sunt hæreses, ubi sunt qui aiunt istos in perditionem creatos esse? Criminantur **995** Creatorem, ut se criminibus absolvant. Accipe lamentationem istam super regem Babylonis, et dices : *Quomodo cessavit qui repetebat? quomodo quievit qui exigebat?* In regem Babylonis ista dicuntur : *Quomodo cecidit Lucifer de cœlo, qui mane oriebatur, contritus est in terram* (*Isai.* XIV)? Et ille de cœlo cecidit, *et iste signaculum similitudinis, corona decoris, in Paradiso deliciarum nutritus.* Ecce omnes de cœlo cecidisse, non descendisse referuntur. Dominus vero meus de cœlo descendit, *et qui descendit, ipse est filius hominis.* At non sicut satanas. Non enim descendit de cœlo, neque ei mali quicquam acciderat, si descendisset. Audi Jesum dicentem : *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x), non descendentem. Verum non solum Salvator e cœlo descendit : quotidie multitudo descendit, et ascendit super filium hominis (*Joan.* I). Videbis enim cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis. Et tu exspecta ascensionem tuam. Tantum a ruina consurge, et audi : Exsurge, Jerusalem, a ruina tua. Spera quia scis ascensurus in cœlum, et cave ne tibi quoque dicatur : *Numquid qui cadit, non resurget? aut aversus non convertetur* (*Jer.* VIII)? Væ qui convertuntur conversione pessima, dicit Dominus. Et iste itaque de his unus est, qui ruerunt, et plangitur ab homine princeps, cum princeps hominem flere debuerit. Homo est Ezechiel, et filius hominis : qui vero plangitur, Nabuchodonosor est, rex Babylonis. Accipe et tu lamentationem tuam super regem Babylonis, et dices : *Quomodo quievit qui repetebat?* et reliqua. Considera in quantam spem vocatus sis, o homo, qui carne circumdatus dicis : *Quasi lac me emulsisti, coagulasti autem me ad similitudinem casei, cute et carnibus me vestisti, ossibus et nervis me contexisti* (*Job.* x). Tu ergo, qui de conditione tua dolebas, ecce plangis, et ille qui carne non est circumdatus, a te plangitur : vocatus es enim in eam spem, de qua ille cecidit. Peccato Israel, salus gentibus subintravit. Audebo aliquid sacratius dicere, in locum angelorum, qui ruerunt, tu ascensurus es, et mysterium quod aliquando illis creditum est, tibi credendum erit, de quo dicitur : *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur?* Tu vero lux factus es mundi, tu pro illo factus es Lucifer : unus de stellis erat Lucifer, qui de cœlo ruit, et tu si tamen de semine es Abraham, inter stellas cœli computaberis. Eduxit enim **996** Abraham foras, et dixit ei Deus : *Respice, sic erit semen tuum* (*Gen.* xv). Hoc autem tunc erit, quando stellæ cadent ut folia de cœlo, et erit alia gloria solis, et alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. *Stella enim ab stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* xv). Verum noli gloriari adversum istiusmodi ramos, qui in infidelitate ceciderunt, et fracti sunt (*Rom.* XI) : tu quia in fide stas, fide et ascendes. Et per hoc quod plangis principem Tyri, et ea cum lamentatione deploras, quæ superius interposuimus, edocere, ne forte in his bonis repertus, quæ princeps Tyri habuit, etiam tu incipias ruere, si paululum fueris gloriatus, et non custodieris omni custodia cor tuum. Vide quippe quid dicat ad principem Tyri : *Tu signaculum similitudinis.* Volo nosse quid fuerit, ut signaculum similitudinis nuncupatus sit. Cum profeceris, accepisti signaculum; quoniam Deus vere hujus pater quem signavit, et misit, et ideo semper credentes signantur a Domino. Jam autem et commune proverbium venit, ut dicamus : ille, et ille non accepit signaculum, et ille signaculum habet. Quis habet signaculum? Ille quem signavit Deus. Audebo aliquid dicere, quia signaculo isto ille signatus est, qui baptizat in Spiritu sancto, et igne, ille qui largitur imaginem cœlestis, qui format te ad superiora, ut ultra non portes imaginem terrestris. Cave, homo, ne sæculum istud egrediens, signaculo diaboli sis impressus. Habet quippe ille signaculum. Sicuti portavimus imaginem terrestris, unde, vel quando, vel qui significavit, hoc signo portaverimus imaginem terrestris. Circuit diabolus, et lustrat omnia, volens et ipse signare subjectos sibi. Signat autem singulorum corda considerans, et imprimit in eis figuram terreni per peccata, per vitia, ut portent imaginem terrestris. Audi Jesum quid respondeat, quando imaginem et inscriptionem Cæsaris postulatur : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI); Nam quia non habebat eam imagi-

nem quam petebatur, neque ipse, neque discipulus suus, docet ubi valeat reperiri imago quæ quæritur. *Vade*, inquit, *ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, et aperies os ejus : et cum inveneris staterem, tolle illum, et dabis pro me et te* (*Matth.* XVII). Neque ego habeo hanc imaginem, et superscriptionem, neque tu, si tamen vere discipulus meus es, si portæ inferorum non prævalent adversum te. Ergo Jesus aliter dat pro se imaginem **997** de mari illam accipiens, quæ in pisce fuerat inclusa, similis his piscibus, de quibus hodie lectum est, qui adhærent in squamis draconis, qui sedet super flumina Ægypti. Vere quippe istiusmodi pisces ibi adhærent. Quanti et hodie pisces sunt quorum rex est iste qui in aquis multis regnat? Scriptum est quippe de invisibili dracone, quia ipse rex sit omnium qui sunt in aquis ; verum tu non es in aquis, sed in ea terra, quæ tibi repromittitur. Et hæc dicta sunt, ut diligentius ventilaremus, quod sit signaculum similitudinis. Quam beatus fuit in illo tempore quo signaculum similitudinis erat. Tibi adhuc deest ut similitudo signaculi fias, et procul es ab ejusmodi munere. Dixit quidem Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I): attamen necdum consecutus es similitudinem. Fecit quippe Deus hominem, ad imaginem Dei fecit : ubi Dei est similitudo. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III). Ego sic accipio et hoc quod dicitur a propheta, *Deus, quis similis tibi* (*Psal.* XXXIV)? quasi illud : *Quis putas, fidelis et sapiens dispensator?* sicut et hoc : *Cum enim apparuerit, similes ei erimus.* Quis est, qui assimiletur ei? Pauci admodum sunt, qui receperunt similitudinem ut apostoli. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Iste ergo, qui nunc plangitur, signaculum erat, et plenus sapientia, quem et tu planges, si factus fueris Ezechiel. Nescio autem si et tu sapientia plenus fueris : interim iste, qui plangitur, plenus erat sapientia, et erat decoris corona. Considera qualis fuerit, qui fuit corona decoris. Non simpliciter decor, nec gloria erat in eo, sed corona gloriæ. Hunc autem decorem noli extra te quærere, sed circa animæ religionem, cogitatorium, ubi [*Al.* ibi ait meditatorium] ubi intellectuale consistit, ubi vera est pulchritudo. Quod si volueris ibi quærere decorem, ubi caro est et sanguis, humor et venæ, ubi materia corporalis, non poteris invenire. Siquidem verus decor in Salvatore est, et ita ab illo juxta largitudinem et misericordiam ejus in cunctorum divisus est animas. *Accingere gladium tuum circa femur tuum, potentissime, specie tua, et decore tuo, et pulchritudine tua* (*Psal.* XLIV, 3). Est igitur aliquis decor in principali cordis nostri, et in anima. Quia autem istiusmodi decor etiam ad animam pertingat humanam, **998** prophetes te doceat dicens : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi, et domus patris tui, quia concupivit rex decorem tuum* (*Ibid.*, 11), id est, sponsus. Quis ita habet pulchram animam, quis tantum possidet decorem, quis ita est extraneus ab omni fœditate, ut possit ei dici : Concupivi rex decorem tuum? Et tu quidem adhuc istum quæris decorem, et niteris ad placendum : iste vero a decore, quem habuit, in turpitudinem concidit. Et quomodo in corporibus sæpe videmus accidere, ut mulier speciosa, et pulchra facie ab ægrotatione decorem suum perdat, et per senectutem splendorem vultus amittat, eodem modo et anima, quæ pulchra erat, per infirmitatem amittit decorem, et per senectutem deformis efficitur. Cum enim susceperit veterem hominem cum actibus suis, senectute ejus pristinum perdit decorem. Venit Jesus ut transferat nos a vetere homine, et senectutis insignibus : ruga quippe, senectutis indicium est : ut ait Apostolus : *Ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid istiusmodi, verum, ut sit sancta et immaculata* (*Ephes.* V). Licet igitur a senectute et ruga ad juventutem transcendere : et hoc est in hac parte mirabile, quod corpus ab adolescentia pergit ad senium : anima vero, si venerit ad perfectum, a senecta in adolescentiam transmittitur. Idcirco etiamsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Oportuit te nosse decorem, quem rex concupiscit ; oportuit te scire eum, qui aliquando fuit decoris corona : et tu cum fueris consecutus hanc gloriam, cave ne corruas. Siquidem et iste qui corruit, signaculum erat similitudinis, plenus sapientia, et decoris corona. *In deliciis paradisi Dei tui inquinatus es.* Non ait simpliciter in paradiso, sed in paradiso deliciarum. Quæro utrum sint quædam paradisi differentiæ, et cum quis in paradiso Dei fuerit, tamen non sit in paradiso deliciarum : sicut latro ille prima hora cum Jesu ingressus est paradisum : si a te rogem, putasne, in paradisum introgressus est, an non? non dubium quin eum respondeas introgressum. Deinde si rursum a te quæram, quid ergo introgressus paradisum, statimne deliciarum loco exceptus est? dicas forsitan quia prima hora ingressus sit paradisum, in paradiso **999** deliciarum Dei factus non est. Sin autem jam videris eum accipientem de ligno vitæ, et de cunctis arboribus, quas non interdixit Deus, ita ut de omni ligno paradisi vescentem : si aspexeris eum et illius ligni, et omnium quæ nunc prohibita non sint, cibum edere : et a te rogem, putasne, iste non solum in paradiso factus est, verum etiam in paradiso deliciarum Dei? quid mihi aliud responsurus es, nisi eum in paradisi deliciis constitutum? Ad hanc beatitudinem tu festinas, qui videris plangere. Iste vero, qui plangitur, fuit quondam in deliciis Dei : omnem lapidem bonum indutus est, sardinum et carbunculum, sapphirum et beryllum, et hyacinthum, et jaspim, et reliquos duodecim lapides. Difficilis est, et ultra vires nostras naturamque hujus loci se expositio sustollit. Quis enim potest naturam uniuscujusque lapidis exponere, et describere sive colorem, sive vim ejus, ut sic valeat reperire, quare lapides isti assumpti sint? Attamen licet non simus tales,

qui cuncta intelligere possimus, pauca videamus, quomodo duodecim istis lapidibus indutus fuerit. Si cui divinæ litteræ curæ sunt (ad quam rem sæpe exhortamur adolescentes, sed ut video, nihil proficimus, tantummodo tempora consumentes : non enim potuimus aliquos eorum ad id perducere, ut sacris voluminibus insisterent) et duodecim illos lapides, et cætera requirat in Scripturis, inveniet et in Apocalypsi eodem modo, atque ordine nuncupatos. Qui ibi primus : et hic primus est positus, qui secundus secundus, qui tertius tertius, qui quartus quartus, atque ita usque ad duodecimum lapidem, ordo servatus est. Cur ergo, et super quo lapides isti in Apocalypsi nuncupati sunt? Utique super portas Jerusalem cœlestis, ibique dicitur, quia prima porta topazium sit, secunda smaragdus, tertia carbunculus, quarta sapphirus, atque ita in hunc modum in singulas portas singuli lapides distribuuntur. Si intellexeris portas Jerusalem, et portas filiæ Sion, ubi et oportet te canere Deo. *Cantabo quippe*, ait, *omnes laudes tuas in portis* **1000** *filiæ Sion* (*Psal.* IX, 15) : si animadverteris quomodo indutus sit aliquis duodecim lapidibus, et ingressus Jerusalem, et per alias portas ingressus, conspicies virgines duodecim. In libro Pastoris, [a] in quo angelus pœnitentiam docet, duodecim virgines habent nomina sua, Fides, Continentia, et cætera : potestis quippe legere, si vultis. Deinde quando turris ædificatur, cum assumpseris fortitudines virginum, pariter accipies et id quod de portis dicitur : ornamentum quippe tibi est unaquæque virtus, atque ita in hunc modum superædificant fundamento Christi, non solum aurum et argentum, verum et lapides pretiosos. Prohibitum est autem ædificare ligna, fenum et stipulam (I *Cor.* III). Intus est igitur iste lapis duodecimus. Et nobis adhuc imperatum est, ut dicamus de Tyro et Sidone, et Pharaone : angustia temporis neque superiora quæ cœpimus implere permisit, et hæc quæ volumus enarrare, quasi commenti more perstringenda sunt breviter. Comminatio est in Sidonem, quæ interpretatur [b] *venatores. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (*Psal.* CXXIII). Si Hebraice legis, habes, *de laqueo Sidoniorum*. Igitur Sidonii venatores sunt, et comminatio, quæ fit in eos, propter te fit, quoniam volunt te capere, et diligenter observant quomodo auditores Scripturarum de Ecclesia avellant, quomodo de finibus Judææ ad fines Sidonis transferant : verum tu omni custodia serva cor tuum, et disce quia comminatio in venatores tui causa sit. De Pharaone vero jam aliqua sermo memoravit, affirmans eum draconem sedentem in medio fluminum atque dicentem : *Mea sunt flumina, et ego feci illa* (*Ezech.* XXIX). Novi ego differentias fluminum, et scio flumina in quibus draco sedeat, super quæ flumina hi, qui de Israel capti fuerant, sedentes, cum carmen Sion canere non possent, flebant, secundum id quod in Psalmis scriptum est : *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus* (*Psal.* CXXXVI, 1). Et scio aliud flumen, cujus impetus lætificat civitatem Dei, juxta Psalmistæ vocem dicentis : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Vis audire quis est iste fluvius, cujus impetus lætificat **1001** civitatem Dei? Jesus Christus Dominus noster est fluvius, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Iste est qui ait per Isaiam : *Ecce ego declino in vos quasi fluvius pacis* (*Isai.* LXVI). Scio ego quosdam esse fluvios repromissos, qui ex hoc fluvio manant. Omnis enim, qui biberit ex aqua ista, sitiet rursum : *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dedero*, ait Jesus, *non sitiet in æternum, sed erit fluvius in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, et flumina de ventre ejus egredientur* (*Joan.* IV). Habes igitur fluvios sanctos, a quibus procul est draco. Quomodo enim tria sunt impossibilia mihi ad intelligendum, via serpentis supra petram, *Petra autem erat Christus*, et non est via serpentis ubi est Jesus : sic non possum in **1002** his fluminibus draconis invenire vestigia. Est autem quidam fluvius, quem draco fecit, dicit quippe draco, et comminatur Deus tam draconi, quam fluviis in quibus est draco : *Mea sunt flumina, et ego feci illa*. Audi hæreticum cum omni versutia et ingenio prædicantem, necdum venisse Jesum Christum. Ista sunt flumina, in quibus versatur draco, et ipse fecit ea, et dicit draco : *Mea sunt flumina, et ego feci illa*. Idcirco diligenter attende, cum aquam biberis, ne forte de illo fluvio bibas, in quo sedit draco : sed bibe ex aqua viva, et de eo fluvio, in quo est sermo Dei, in quo Dominus noster Jesus Christus, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA DECIMA QUARTA.

De eo quod dicitur : *Porta hæc clausa erit, non aperietur, et nemo per eam transibit, quia Dominus Deus transibit per eam* (Cap. XLIV).

**1001** *Et ait Dominus ad eum : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et nemo per eam transibit, quia Dominus Deus Israel transibit per eam, et egredietur. Et erit clausa.* Portas plures templi describit, specialiter Ezechiel filius hominis, et quod de singulis descripserit portis, nunc rursus exponit his, qui habent aures ad audiendum, de porta sanctorum exteriore quæ respicit contra Orientem, et clausa sit semper. *Et ait Dominus ad eum : Porta hæc clausa erit, non aperietur, et nemo per eam transibit, quia*

[a] Habes hæc lib. III, Simil. 9, cap. 2 et cap. 16. Sæpe hunc Pastoris, sive Hermæ librum laudat Origenes, nec tamen pro Canonico umquam obtrudit. Quin immo homil. 9 in Num. *In libello*, inquit, *Pastoris : si cui tamen Scriptura illa recipienda videtur, similia designantur.*

[b] Hieronymo imposuisse hic ipse videtur Origenis locus, scribenti in comment. in Ezechielem cap. XXVII, de hoc psalmi testimonio : *Ubi nos legimus*, Venantium, *in Hebraico scriptum est*, Sidoniorum. Monuimus vero nos in eum locum, in Hebræo יוקשים *Jocesim*, non *Sidonim* legi, et *Joces*, *aucupem*, *venatorem* vero proprie dici, *Sajad* צוד. Vide quæ ad excusandum memoriæ lapsum in Hieronymo Victorius congerit, nobisque notata sunt ad laudatum Ezechielis caput supra pag. 307; not.

*Dominus Deus Israel ingredietur per eam, et egredietur, et erit clausa.* Et aliam causam addit cur clausa sit porta, non solum quia Dominus Deus transibit per eam, sed quia et dux sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino secundum viam Eloam, quod interpretatur *vestibulum portæ. Et ingredietur secundum viam ejus, et egredietur.* Dominus Deus universitatis conditor per aliquam portam, quæ ex sensibili materia est, atque clausa semper ingreditur et egreditur, et ejus causa, qui cœlum terramque fundavit, ingrediens et egrediens nusquam porta reserabitur. Verum alia ratio est portæ exterioris, et secundum viam sanctorum. Quæ est ergo illa ratio, ut clausa permaneat? Supradictus dux ibi sedet, ut nemo eum videat sedentem [*Leg.* edentem] panem in conspectu Domini. Qui hæc observate legit, nonne quodammodo **1002** Scripturam audit loquentem : *Surge qui dormis?* Nonne stimulatur ut exsurgat a mortuis, et ea, quæ clausa sunt, quærat? Ego audenter dicam, secretiora quæque clausa esse, et manifestiora reserata, et non esse clausa. Aperientes ea quæ clausa sunt, hæc nos dicimus ; sed Evangelia testantur : *Væ vobis, scribæ, et pharisæi hypocritæ, et vobis legis doctoribus væ, quia tulistis clavem scientiæ, et ipsi non intrastis, et ingredientes prohibuistis* (*Luc.* XI). Est igitur quædam clavis scientiæ ad ea, quæ sunt clausa, reseranda : et sunt plurimi, neque ipsi ingredientes, neque eos permittentes, qui ingredi volunt. Et in alio loco sensus Scripturarum liber dicitur esse signatus : *Et erunt sermones libri istius, quasi sermones libri signati : quem si dederint homini litteras nescienti, dicentes ei, lege, et dicet, nescio litteras : et dabunt eum homini scienti litteras, dicentes ei, lege, et dicet, non possum legere, signatus est enim* (*Isai.* XXVIII). Manifestius autem voluntatem hujus exempli, Apocalypsis Joannis continet, memorans : *Circuivit angelus dicens, quis dignus aperire signacula, et solvere ea, et legere quæ scripta sunt? Et nemo inventus est in cœlo, neque in terra neque sub terra, qui possit aperire signacula, et legere quæ scripta erant in libro. Sed ego flebam. Et venit quidam ad me et dixit mihi : noli flere. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix et* **1003** *genus David, aperire librum et solvere signacula ejus. Et aperuit, qui erat de tribu Juda, et manifestavit quæ erant scripta* (*Apoc.* V). Quamdiu non venit Deus meus, clausa erat lex, clausus sermo propheticus, velata lectio veteris Testamenti, et usque ad hanc diem, quando legitur Moyses, velamentum in corde Judæorum est positum. Sunt autem quidam, qui amant velamentum, et oderunt eos qui de velamine interpretantur : sed nos convertamur ad Dominum, ut, ablato velamine, dicamus : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdam imaginem transformamur a gloria in gloriam* (II *Cor.* III). Verum est quædam porta, et una, et clausa, per quam nemo transiit. Sunt quippe quædam A universæ creaturæ incognita, et uni tantummodo nota. Neque enim quicquid novit filius, hoc mundo aperuit. Non capit creatura, quod capit Deus ; et ut ad majora veniam, non capiunt signa æqualiter cognitionem. Plus erat in Paulo quam in Timotheo, cum esset vas electionis. Et vere magnum in domo vas, Thimotheus rursum capit quæ ego capere non possum. Et est forsitan aliquis, qui etiam me minus capiat : sunt quædam quæ solus Christus capit, et idcirco clausa est janua templi Dei. Quæ est enim ista? obsecro. Exterior, quæ extra mundanas res, et incorporeas, et, ut ita dicam, immateriales aperit. Neque enim frustra positum est, exteriorem januam semper esse clausam. Quæ est ista janua exterior? Sanctorum. Quare clausa? quia Dominus Deus Israel B solus ingreditur et egreditur per eam. Quare ingreditur? ut cognoscatur. A quo? a duce. Quis ad clausam portam dux iste? Salvator est, qui panem comedit, qui portam cum Patre claudit, qui spiritali pascitur cibo. *Meus cibus est*, dicens, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam* **1004** *opus ejus* (*Joan.* IV). Clausa est itaque janua ut nemo videat magnum sacerdotem panem in sanctis sanctorum comedentem. Ad hæc autem probanda quæ dicimus, qui Leviticum legit (*Levit.* VII), ablato ex corde suo velamine, poterit agnoscere mysterium sacerdotum. Ibi quippe de sacrificiis et cibis, quæ soli sacerdotes comedunt, refertur. Sunt quidam cibi sacerdotales, quos non comedit sacerdos in domo sua, non cum filiis, licet sacerdotales sint, non cum uxore, licet legitime ei C nupserit ; sed in loco sancto comedit eos, et comedit ibi escam in sanctis [*Al.* sancta] sanctorum. Quomodo sacerdos non comedit escam in domo sua, aut in alio quoquam loco, sed in sanctis sanctorum : sic Salvator meus solus comedit panem, nullo valente comedere cum eo. Est autem quidam locus, in quo comedens, et me secum attrahit ad vescendum : *Ecce enim*, inquit, *ad ostium sto, et pulso, si quis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum* (*Apoc.* III). Ex quo apparet, et alium posse cœnare cum eo. Porro quædam esca est, qua solus tantummodo vescitur. Excellens quippe ab universa conditione natura ejus, et ab omnibus segregata, facit eum quotidianum panem de Patris natura comedere. Unusquisque nostrum petit panem quotidianum, et D petens quotidianum panem, non eumdem nec ejusdem mensuræ eum accipit, verum semper in orationibus puris, et munda conscientia, in factis justitiæ, quotidianum comedimus panem. Si quis vero minus purus est, alio modo quotidianum comedit panem. Dominus autem, qui omnium judex est, det nobis panem viventem, ut cibati eo, et corroborati possimus in cœlum iter facere, glorificantes Deum omnipotentem, per Christum Jesum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.]

# APPENDIX.

## ADMONITIO IN TRACTATUM SEQUENTEM.

*Appendix tomi tertii Vallarsianæ editionis, præter tractatum sequentem in Lamentationes Jeremiæ, in Job Commentarios dubiæ fidei continebat. Sed quemadmodum Italicus editor hos commentarios ibi collocarat ut nimiam voluminis exilitatem effugeret : sic nos, lectori ab incommoda voluminis amplitudine præcaventes, ad tomum sequentem eos rejecimus. Cæterum rationi favebit transpositio.*

*Quod vero spectat ad Commentariolum in Lamentationes, loquatur editor.* Porro, *inquit*, tractatum in *Lamentationes Jeremiæ* Erasmus in priore sua editione recensuerat inter gnesia cum reliquis tribus libris. Edoctus est postmodum esse istud operis aut certe videri Bedæ, cujus hoc præcipuum fuit studium ut ex Veterum libris contexeret suorum commentariorum veluti centones, in quibus quædam reperias de aliorum monimentis ad verbum descripta.

## IN LAMENTATIONES JEREMIÆ.

*Et factum est postquam in captivitatem ductus est Israel, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias flens, et planxit lamentationem hanc in Jerusalem, et dixit : Aleph. Quomodo sedet sola civitas plena populo.* Sicut inter omnia cantica veteris et novi Testamenti, primatum tenet Canticum quod Salomon cecinit in persona Christi et Ecclesiæ, in tantum ut præ magnitudine sui Canticum Canticorum appelletur : ita inter omnia lamenta veteris et novi Testamenti Lamentationes Jeremiæ primatum possident, in tantum ut recte possint Lamentationes Lamentationum appellari. Sciendum denique est has Lamentationes, quas Græci Threnos vocant, ratione metri apud Hebræos compositas esse : et in principio omnium sententiarum, alphabeti series distincta est per ordinem ; sed interpres qui transtulit eas de Hebræo in Latinum, noluit moras innectere, ut hoc observaret, sed tantummodo elementa litterarum in principio posuit, quia sensus sententiæ ex interpretatione litteræ pendet. Sed etiam hoc sciendum quia possunt hæc lamenta historialiter referri ad plebem Israeliticam, spiritualiter vero, etiam ad litteram, et ad sanctam Ecclesiam quæ est civitas, et plebs Dei, et moraliter ad unamquamque animam.

*Aleph.* Aleph interpretatur *doctrina*. Doctrina vera est cognitio sanctæ Trinitatis, et ut cognoscat homo crementum et incrementum sui, hoc est, in quibus rebus possit crescere, et in quibus decrescere. Sed quia Judæi istam cognitionem licet haberent, non observaverunt : idcirco sedit tunc, et sedet modo ipsa plebs sola. Quomodo ergo sedebat sola civitas, si plena erat populo? Dupliciter potest solvi : sedebat tunc sola, quæ quondam plena fuerat populo temporibus David et Salomonis. Vel sedebat plena populo ipsa civitas, id est, illa plebs, quia maximus erat ibi numerus hominum ; sed sola erat a Dei auxilio. Et est metonymicos intelligendum, ut per civitatem intelligatur populus in captivitate positus. *Facta est quasi vidua domina gentium*, id est, Jerusalem, quæ multis gentibus quondam dominata fuerat, quando habebat virum Dominum omnipotentem, ducta in captivitatem quasi vidua fuit. Sed non fuit vidua ex toto, sed quasi vidua : quia vir suus misertus est ejus, et post septuaginta annos conjunxit illam sibi *princeps provinciarum*, subauditur illarum, quas subjugaverant reges Israel, *facta est sub tributo*, Chaldæorum. Similiter sancta Ecclesia, et anima quælibet plerumque propter vitia sua, sedet sola destituta auxilio Dei, et ducitur a diabolo in confusionem peccatorum, et efficitur desolata a viro suo, quæ domina erat gentium plurimarum. Et quæ fuit princeps multarum provinciarum in apostolis, de quibus Psalmista dicit : *Constitues eos principes super omnem terram*, redigitur sub tributum diaboli, serviendo vitiis.

*Beth.* Beth interpretatur *domus*. Significat illam domum, hoc est, plebem Israeliticam, quam alloquitur Isaias propheta, inquiens : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.* Ista domus Israelitici populi *plorans ploravit in nocte*, dum duceretur in captivitatem : *et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Quantum ad litteram pertinet, ideo in nocte plorabat, quia non audebat in die propter dominos suos, sed in nocte se consolabatur plorando. Quantum vero ad altiorem intelligentiam pertinet, in nocte plorabat, id est, in captivitate et tribulatione. Et quod bis dixit : *plorans ploravit*, augmentum præstat repetitio verbi. *Lacrymæ ejus in maxillis ejus*, id est, in principibus ejus ; licet enim omnes plorarent, tamen illi maxime qui scientiam habebant. Ideo autem principes et sapientiores per maxillas intelliguntur, quia sicuti a maxillis cibus in corpus deducitur : ita et ab illis doctrina descendere debuerat in populum. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus :* ex prophetis videlicet, Regibus et sacerdotibus, post Domini ascensionem. Hæc verba proprie ad ultimam vastationem pertinent, post quam non habuerunt ullum principem. Nam in Babyloniæ captivitate habuerunt Danielem et socios ejus, Ezechielem et alios multos. *Omnes amici ejus*, id est, reges gentium, *spreverunt eam*, sive pro nihilo reputaverunt, *et facti sunt ei inimici.* Si vero ad Ecclesiam referimus, omnes angeli sancti amici ejus, pro nihilo deputabant eam, videntes eam a Creatore suo esse dejectam : et vi-

dentur ei esse inimici, dum solitum auxilium ab ea subtrahunt.

*Gimel.* Gimel interpretatur *plenitudo.* Ista est plenitudo peccatorum, de qua dixit Dominus Judæis : *Implete mensuram patrum vestrorum*, hoc est, quod illi minus fecerunt peccando, vos adimplete. Et in Genesi : *Nondum enim*, inquit, *impleta sunt peccata Amorrhæorum.* Quia ergo Juda istam plenitudinem peccatorum habuit, *migravit de terra sua propter afflictionem*, qua affligebatur a Chaldæis tunc temporis, et postea a Romanis : *Et propter multitudinem servitutis*, qua servivit diabolo, *habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Omnes persecutores ejus*, Chaldæi scilicet et Romani, *apprehenderunt eam inter angustias.* Similiter potest referri ad sanctam Ecclesiam, quæ sæpe propter peccata affligitur a paganis, ab hæreticis, et plerumque captivatur tam ab hostibus, quam dæmonibus.

*Deleth.* Deleth sonat in Latina lingua [a] *tabulatum.* Et cujus rei tabulatum? Domus Domini ; domus siquidem Domini tabulata habet ex lignis imputribilibus. *Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem.* Quomodo possunt viæ lugere? translative dictum est. Viæ, inquit, Sion lugent, hoc est illi qui quondam soliti erant in præcipuis festivitatibus tendere gressus per vias Jerusalem ad domum Domini constructam ex tabulatis, positi in captivitate lugent, id est, transeuntes, illorum nullus erit qui veniat ad solemnitatem Domini. Vel aliter : Viæ Sion lugent, id est, transeuntes per se provocant ad luctum. Spiritualiter vero per vias Sion debemus intelligere principes qui in subsequentibus designantur per portas et sacerdotes; principes enim et sacerdotes, qui debuerant populo ducatum præbere, et portas vitæ suæ prædicatione aperire, positi in captivitate lugebant, quia destructi et desolati erant. *Virgines ejus squalidæ, et ipsa* Sion *oppressa est amaritudine.* Non virgines solummodo corpore squalidæ, id est, sordidæ effectæ sunt, quæ antea erant speciosissimæ ; sed virgines mente, quæ integritatem fidei habebant, ut Daniel sociique ejus squalidi erant præ nimia captivitate. Vel qui debuerant esse virgines, integritatem fidei habendo, sordibus peccatorum squalidi effecti sunt. Hæc omnia ad Ecclesiam similiter possunt referri, cujus viæ et portæ sunt prædicatores prælati.

*He.* He interpretatur *ista;* et est sensus : Ista quæ hic scribuntur, a Domino prædicta sunt in Deuteronomio, quando præcepit Moysi scribere maledictiones et benedictiones : *Si*, inquit, *non custodieris mandata mea, tradam te hostibus tuis, erisque tu in cauda, et inimici tui in capite.* Tamen non ideo hæc venerunt, quia a Domino prædicta sunt : sed quia ventura erant, ab illo prædicta sunt : et quia illi peccaverunt, idcirco hæc venerunt : *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt*, id est, divites facti sunt divitiis illius : *quia Dominus locutus est super eam*, sicut paulo supra diximus, quæ antea erat in capite domina aliarum gentium, facta est ancilla et tributaria. Cætera quæ sequuntur pertinentia ad sensum hujus litteræ, sufficienter patent.

*Vau.* Vau interpretatur *et*, quod est copulativa conjunctio conjungens præcedentia subsequentibus; ac si diceret aliis verbis : Et quia peccaverunt, *egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* Quis erat decor ejus? Reges et principes ejus, sacerdotes et prophetæ, altare aureum, et templum magnificum, civitas et omnia ornamenta ejus. Ista omnia egressa sunt a filia Sion, quando Sedecias cæcatus ductus est in Babylonem in cavea ut leones, principes ejus interfecti, altare confractum, templum ejus incensum, civitas destructa, vasa aurea et argentea in Babylonem ducta. *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua*, quando oppressi sunt obsidione a Chaldæis per spatium unius anni et dimidii. *Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis*, scilicet hostis, quia nullus illorum potuit resistere Chaldæis. Similiter possunt referri ad extremam captivitatem et ad Ecclesiam, tam historialiter quam spiritualiter, cujus principes sæpe quærunt pascua verbi Dei, sed non inveniunt, quia Dominus misit famem in terram.

*Zai.* Zai interpretatur *hæc*, et est sensus : Hæc vindicta omnipotentis Dei super Jerusalem, ut caderet in manu hostili. Itaque hoc modo constructio est hujus sententiæ : *Dum caderet Jerusalem, et populus ejus in manu hostili, recordata est dierum afflictionis suæ*, qua affligebatur : *et recordata est prævaricationis*, scilicet mandatorum Dei, cognoscens quia propter peccata sua talia patiebatur. *Et recordata est omnium desiderabilium suorum*, id est, omnium bonorum, *quæ habuerat a diebus antiquis*, ex quo de Ægypto egressa est. *Viderunt eam hostes*, Chaldæi, *et deriserunt sabbata ejus*, quæ volebat observare in captivitate, sicuti modo deridentur Judæi a Christianis. Jerusalem quæ interpretatur, *visio pacis*, sanctam Ecclesiam significat, quæ dum traditur in manibus hæreticorum et paganorum, recordatur prævaricationis mandatorum Dei ; cujus sabbata, id est, otium ab omnibus operibus, hostes ejus, maligni videlicet spiritus, derident; quia postquam sua suggestione nos decipiunt, et faciunt quiescere a bono opere, insultant nobis, et derident nos.

*Heth.* Heth interpretatur *vita :* et pertinet interpretatio hujus elementi ad aliud quod in fine hujus sententiæ dicitur, *Ipsa autem gemens, et conversa retrorsum.* Conversa autem retrorsum in hoc loco in bonam partem accipio; idcirco etenim Deus inducit afflictionem super quemlibet hominem, ut convertatur ab errore, et vivat : et qui corruit in mortem propter peccatum, convertatur de vitiis ad virtutes, et per lamentum ac gemitus redeat ad vitam æternam.

*Teth.* Teth interpretatur *bonum.* Cujus verbi interpretatio ad finem similiter sententiæ spiritualiter refertur, ubi dicitur : *Vide, Domine, afflictionem meam;* bonum est enim si quando, vel generaliter Ecclesia sancta, vel spiritualiter unaquæque anima cognoscens reatum suum, convertatur ad Dei clementiam et dicat : Vide, Domine, afflictionem meam, et miserere mei, *quoniam erectus est inimicus meus*, diabolus, *in superbiam contra me. Sordes Jerusalem in pedibus ejus*, id est, in illis a quibus debuerat portari. *Nec recordata est finis sui*, id est, malorum illorum quæ poterant ei evenire instante fine mortis, vel etiam Christo adveniente in mundum : non est recordata Christi qui est initium et finis. *Deposita est vehementer*, de solio regni et sacerdotii; *non habens consolatorem.* Spiritum sanctum qui dicitur Paraclitus, id est, consolator.

*Ioth.* Ioth sonat *principium* in Latina lingua. Quæ hinc sequuntur principia sunt malorum vel Jerusalem, vel Ecclesiæ, vel unicuique animæ. Principium ergo ruinæ Jerusalem istud fuit, quia *misit hostis*, Nabuchodonosor, vel Romanorum exercitus, *manum suam, et tulit omnia desiderabilia ejus*, hoc est, regnum, sacerdotium, templum et civitatem. Spiritualiter hostis noster diabolus est, qui quando mittit manum suam, hoc est, operationem et suggestionem malignam, aufert virtutes, bonaque opera, quæ designantur per desiderabilia Jerusalem, et insuper in Babylonem, id est, in confusionem ducit nos; quod tunc pertulit Israel, vel quotidie patitur Ecclesia, vel unaquæque anima.

*Caph.* Caph interpretatur *manus.* Manus, id est, operatio Dei, reddens illi qualia merentur. *Omnis populus ejus gemens et quærens panem.* Quia ergo manus Domini percussit populum, ideo gemebat et lugebat, dum duceretur in captivitatem.

*Lamed.* Lamed interpretatur *disciplina cordis.* Dis-

[a] Vocum similitudine *tabularum* et *tabulatum* deceptus est Auctor. Vide not. ad Hieron. epist. 30, n. 5.

ciplina cordis est, quando homo intelligit malum suum, et de malo ad bonum convertitur, et justum omnipotentis Dei judicium aliis prædicat, sicut Jerusalem quæ dicebat : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus ; quoniam vindemiavit me* per Chaldæos et per Romanos ducendo in captivitatem, qui quondam plantaverat in terra repromissionis. Et hoc fecit *sicut locutus est*, per servos suos prophetas, *in die furoris sui*, hoc est, in die vindictæ.

*Mem.* Mem interpretatur *ex ipsis*. Quid ex ipsis? ex ipsis Judæis, qui perierant per infidelitatem, fuerunt apostoli, quos modo appellat Ecclesia *ossa*, quia fuerunt fortissimi ad toleranda adversa ; et sicut corpus sustentatur ab ossibus, ita Ecclesia illorum exemplis, et fide, et doctrina. Super illos ergo *misit ignem* de cœlo, quando die Pentecostes Spiritus sanctus in linguis igneis super eos descendit. *Expandit rete*, mandatorum suorum, *pedibus meis ; convertit me retrorsum*, hoc est, de vitiis ad virtutes, ne pergerem secundum opera carnis. *Posuit me desolatam*, a bonis temporalibus [*Al.* temporibus], vel a suo auxilio, et a sua præsentia, *tota die*, id est, toto tempore, *mœrore confectam*. Ecce diximus secundum spiritualem intelligentiam, primum propter interpretationem litteræ, quæ proprie ad eumdem sensum pertinet : videamus et ad litteram. Dicit ergo Jerusalem : *De excelso* solio suo *misit ignem*, tribulationis et captivitatis, *in ossibus meis : et erudivit me*, per tribulationem, quæ nolui erudiri per pacem et suavitatem. Cætera patent in sensu.

*Nun.* Nun interpretatur *sempiternum*. Notandum quia ista, quæ in hac sententia dicuntur, proprie ad tempus ultimæ captivitatis pertinent. Id est, ad diem judicii, quando tradentur omnes reprobi pœnis sempiternis. *Vigilavit jugum*, vel damnatio, *iniquitatum mearum*, hoc est, tempus vindictæ advenit. *In manu ejus*, in potestate omnipotentis Dei coadunatæ sunt omnes iniquitates meæ, *et impositæ collo meo*. Quis umquam vidit vigilare jugum? Per jugum, ut diximus, intelligitur vindicta et damnatio, quæ tunc vigilare dicitur, quando punit reos, dormire vero quando a flagello cessat.

*Samech.* Samech interpretatur *adjutorium*. Et quia adjutorium omnipotentis Dei recessit ab Jerusalem, *abstulit* ipse *Dominus omnes magnificos ejus de medio ejus*.

*Ain.* Ain interpretatur *fons*, vel *oculus*. Fons ergo lacrymarum est oculus : et quia Dominus torcular tribulationis filiæ Sion, idcirco propheta plorabat, et oculus ejus deducebat aquam lacrymarum.

*Fe.* Fe interpretatur *oris*, subauditur *demonstratio*. *Expandit Sion manus suas*. Per extensionem manuum debemus intelligere tribulationem maximam, quæ plerumque extensione manuum ostenditur ; solent enim mulieres parturientes in nimia tribulatione et anxietate positæ, extendere manus, suspectam habentes mortem, quia volunt parere, et non possunt, et præ nimio dolore quod ore non valent exprimere, extensione manuum ostendunt. Sic et Jerusalem posita in maxima angustia, expandit manus suas, sed *non fuit qui consolaretur eam*.

*Sade.* Sade sonat *justitiam* : et justum, vel justitia est, ut homo in tribulatione constitutus, confiteatur vel justo judicio Dei talia se pati, et majoribus supA pliciis dignum esse : quia prævaricator exstitit mandatorum Dei, dicens cum Jerusalem : *Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi*.

*Coph.* Coph interpretatur *vocatio*. Allusit ergo propheta ad interpretationem litteræ, et dixit : *Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me*, promittentes mihi pacem.

*Res.* Res interpretatur *capitis*, subauditur, *intellectus*. Per caput ergo debemus intelligere principalitatem mentis ubi est intellectus ; quia sicut a capite reguntur membra : ita a mente disponuntur voluntates et cogitationes. *Vide, Domine, quoniam tribulor, venter meus conturbatus est*. Quid per ventrem debeamus intelligere, idem propheta alibi ostendit dicens : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*, hoc est, sensus cordis mei conturbati sunt.

*Sen.* Sen interpretatur *dentium*. Quid per dentes intelligere debemus? Dentes qui frangunt cibum et molunt, et a quibus in corpus traducitur, debemus B intelligere doctores et prædicatores qui mandata Dei ruminant, et qui plangunt suos et aliorum reatus et casus. Ex quorum persona loquitur propheta dicens : *Audierunt inimici mei quia ingemisco : et lætati sunt, quoniam tu fecisti*, id est, tu permisisti, ut ego ingemiscerem, et illi exsultarent. Quod vero subjungit, *Adduxisti diem consolationis, et fient similes mei*, qui me afflixerunt, ad tempus extremum referendum est, et est præteritum pro futuro positum. *Adduces*, inquit, *diem consolationis meæ*, et cætera quæ sequuntur. *Fient similes mei*, non in gloria, sed qualia mihi fecerunt, talia recipient. In hoc ergo fient mei similes, quia sicut ego fui mœrens et dolens, dum affligerer ab eis : ita et illi erunt dolentes et gementes positi in pœnis.

*Tau.* Tau interpretatur *signa* plurali numero. Judæi sicut habent viginti duas litteras, in quarum ordine ultima est *tau* : ita et viginti duos libros in quibus plena est cognitio sanctæ Trinitatis, quæ in viginti duobus libris consistit. Et quia mandata omC nipotentis Dei, quæ in illis narrantur, observabant, loquitur propheta dicens : *Ingrediatur omne malum eorum coram te, et vindemia illos, sicut vindemiasti me propter iniquitates meas*. Possumus et aliter dicere de interpretatione hujus litteræ. Volo noveritis, quia huc usque apud Samaritanos, *tau* littera similitudinem crucis habet, quamquam apud Hebræos corrupta sit ; ideoque per *tau*, quod interpretatur *signa*, intelliguntur illi qui signaculum crucis Christi in fronte et in corde ferunt, et per fidem passionis Christi, credunt se salvari posse. Exposito unius alphabeti ordine, reliqui tres qui sequuntur, eodem sensu sunt intelligendi : ideoque dignum duximus non esse necessarium idipsum per singulos repetere.

Sed admoneo te, o lector, ut quamvis aliam interpretationem istarum litterarum in aliis locis reperias, non ideo ista abjicias, quia suis in locis propriam expositionem et sensum requirunt, ut conjungi possint sequentibus : sicut in Psalmis invenitur D a diversis auctoribus esse expositum. Quadruplici ergo alphabeto composuit Jeremias Lamentationes suas, quia illos deplorabat qui ex quatuor elementis constantes, iram omnipotentis Dei contra se excitaverant, transgrediendo præcepta illius, et sequendo voluptatem carnis.

# INDEX

## RERUM ET VERBORUM INSIGNIORUM QUÆ IN QUINTO OPERUM HIERONYMI TOMO CONTINENTUR.


### A

Abraham fides commendatur, 403. Hebræus, id est, transitor, dictus, 65.

Adorare cadens, quid? 638. Adorare non licet statuas et imagines regum, 641.

Non Adulandum impiis, 637.

Adulter dicitur, qui sancta violat, casta corrumpit, etc., 206.

Ædificatio Dei, 756. Ædificatio diaboli, *ibid.*

Ægypti sacerdotes utebantur lineis vestibus, 547.

Ælia Jerosolyma, 891.

Æris materia cunctis metallis vocalior est, 465.

Ætas matura perquirit prudens consilium, 78. Ætas matura errores adolescentiæ condemnat, 457.

Æternitati omne tempus comparatum, breve est, 359.

Æthiopia vicina est Ægypto, 356.

Alexandri Magni regnum, cur æneum? 634. Alexandri Magni victoriæ et mors, 703. Ejus successores, *ibid.* Velox Alexandri victoria, 668. Alexander Tyrum obsedit et cepit, 305. Idem Darium vicit in Lycia, *ibid.*

Alienis a se parcit Deus propter propriam mansuetudinem, 877.

Non intelligitur quomodo Altare, in quo ignis succendendus erat, nihil ab eo patiatur, 503.

Anatholh quid significet? 816.

Angeli rebus omnibus præsident, 818. Angelorum officia, 669. Quatuor angelis principalia regna commissa, 663. Apostropha ad angelum custodem, 889. Angeli Dii sæpius nuncupantur, 643. Imitamur angelorum officia, 647. Mali angeli tormentis præpositi sunt, 362.

Animæ puræ a Deo conditæ, 257. Animarum, quæ de sanctitate pristina corruerunt, vastitas et miseria, 171. Animæ fœditas cum adulterat in vitia, 267. Anima tripartita, 898. Animæ pulchritudo, 951.

Annus unde dicitur? 11.

Antichristus, Judæorum Christus, 468. Sicut Christus sanctos habuit in typum, sic Antichristus, 715. Superbia Antichristi in quo posita, *ibid.* Multi ex nostris putant, Domitium Neronem fore Antichristum, 715.

Antilogia conciliata, 577.

Antiochus Philopator, 674. Judæorum pars Antiochum concitavit ad persecutionem, 49. Antiochus cupit spoliare templum Dianæ, 675. Mors ejusdem, *ibid.* Antiochus propter quid punitus, 719. Ejus luxuria, *ibid.*

Qui ab Apostolis e mari, liberatus est, eum in collibus habitare decet, 857.

Aqua gelu constricta dicitur apud Græcos crystallus, 20. Aquæ quomodo in bonam et malam partem accipiuntur, 587.

Aquila inter aves regnum tenet, sicut leo inter bestias, 664.

Arabia abundat gregibus, 317.

Arabum insula notatur, 309.

Liberum Arbitrium in omnibus, 395, 885, 892. Liberum hominis arbitrium cum præscientia Dei, 24.

Argus centoculus, 17.

Arianorum hæresis notatur, 670. Locus intelligendus de Arianis episcopis, 545.

Arrogantiæ fuga, et gratiarum actio, 631.

Avaritiæ vitium damnat Hieronymus, 283.

### B

Baal statua vocabatur idolum Zeli, posita erat ad viam Aquilonis, 84.

Babyloniam regum cur leæna dictum, 644.

Balthasar rex non fuit filius Nabuchodonosor, 651. Quid scribit Josephus de rege Balthasar, 656.

Baptizantur alii baptismo ignis, alii Baptismo Spiritus sancti, 868. Mundamur in baptismate fide Christi, 441. Gratia salutaris baptismi ostenditur, 588. Nihil in baptismo commutandum est, 949.

Basilides hæreticus, 784, 818.

Barbæ decor indicium est virilitatis, 49.

Barbarorum corpora Romanis corporibus rectiora erant, quare? 147.

Beatitudinis finis, cognoscere Deum, 460.

Beati qui propter justitiam vexantur, 755.

Belis idolum, Assyriorum religio erat, 264. Hanc consecravit Ninus in honorem patris sui Belis, *ibid.*

Quem per Beneficia non intelligimus, sentimus per tormenta, 79.

Berosus scripsit historiam Chaldæorum, 651.

Qui Bestiarum diversarum assumunt imagines, 136.

Bethsaida, quid significet? 339.

Bona vera non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlo, 859. Non statim sequitur, ut quod Bonum non est, malum sit, 231. Boni indigent assiduo præceptore, 34. Unionis bonum, 960.

Bonitas nostra ex Deo, peccata ex nobis, 865.

Britannia et Mauritania tempore Origenis Christianæ, 917.

Byssus nascitur in Ægypto, 306.

### C

Cæsarea Philippi, hodie appellatur Paneas, 317.

Cæsaries et barba virilitatis indicium est, 49.

Chaldæa, terra Chanaan, 170.

Chaldæi qui? 890.

Calix supplicii, et calix benedictionis, 822, 829.

De Cambyse Cyri filio quid traditur? 352.

Cancer morbus, 927.

Cantantium laudes Domini dignitas et perfectio, 490.

Capitis calvitium, luctus est signum, 73.

Castitas diaboli, 947.

Catina auctor, et ejus sententia, 12.

Chobar, quid? 5.

Chodchod, quid significet, nescit Hieronymus, 313.

Christiani soli polluunt nomen Domini, 523. Christiani, cur in Scripturis Judæi dicuntur, 871.

Christi imitatores petræ sunt, 858. Christus cum advenit, adventus ipsius a Judæis exspectabatur, 804. Christus cum advenit, mortificata est terra, et quando? 808, 809. Divinitas separat Christum a cunctis creaturarum substantiis, 537. Idem infusus, et circumfusus omnibus, *ibid.* Rex est et pastor, 439. In eo recapitulantur omnia, 474. Tam veniens ad nos, quam ad cœlestia conscendens, sua usus est libertate, 576. Baptizatus est anno ætatis suæ trigesimo, 518. Baptisma ejus quinta die Januarii, non dies Natalis, 6. Christus agnus immaculatus et anniculus, 580. Sacramentum corporis et sanguinis Christi instituitur, 498. Descendit ad fornacem inferni, 643. Sanguis Christi, pretium redemptionis, 571. Salvator omnium hominum, maxime fidelium, 572. Carnibus ejus alimur, et ejus sanguine potamur, 571. Nemo potest mysteria ejus passionis, corporis et sanguinis pro majestate rei cognoscere, 537. Christus αὐτοαγιασμός, 797. Christus αὐτοδικαιοσύνη, *ibid.* Christus αὐτουπομονή, *ibid.* Christus deficit in maledicentibus, proficit in benedicentibus, 847. Christus descendit quoque ad sanctos, antequam corpus assumeret, 801. Christus reliquit pro nobis omnia sua, *ibid.* Christum relinquit quisquis peccat, 797. Christum sequi possumus absque labore, 799. Christus thesaurus thesaurorum, 800. Pro varietate causarum diversis

donatur nominibus, 580. Probat lapides ædificii sui, 471. Salvator nullum doctrinæ suæ volumen reliquit, 555. Ante Christum cœli clausi, 888.
Cibus solidus mysticus intellectus, lacteus moralis, 953.
Cidaris, quid? 250.
Cinctorium Jeremiæ, quid? 811.
Circumcisio vera, quæ? 541.
Cleopatræ morte regnum Ægyptiorum destructum, 341.
Clericatus utilitas in quo sita sit? 809.
Comam dimittere, luxuriosorum est et barbarorum, 547.
Concupiscentiæ titillationem vix ullus est, qui non sentiat, 590.
Confessio peccatorum, et confessio laudis, 680.
Non Confidendum in hominibus etiam sanctis, 139.
Cogitationum thesaurum malarum pectus, 205. Deus non punit primos et secundos stimulos Cogitationum, 200, 201.
Conjugatis dantur monita, 206.
Conscientia peccatorum lucet in facie, 73. Portat tormentum suum, qui propria torquetur Conscientia, 183.
Consolatio in miseria, quæ? 650.
Consummatio duplex est, 599.
Conversatio felix, in qua inimici nullam reperiunt occasionem, 658. Malæ Conversationis exemplum multos corrumpit, 185.
Cor in Scriptura, pectus et mamillæ quæ nominentur, 145. Cor novum Israelis, et cor novum gentium in quo positum, 217. Non revertendum Corde in Ægyptum, 360.
Alia Correptio est adversariorum, alia filiorum, 126.
Creator mundi contemptus ab hæreticis, qui non recipiunt vetus Testamentum, 6. Omnis creatura ad comparationem Creatoris immunda est, 575. Ex creaturarum ordine et constantia cognoscimus Creatorem, 493. Ex creaturis Creator intelligitur, 642.
Omnis Creatura bona a Deo condita est, et perfecta, 335. Omnis Creatura Dei notitiam fulgurat, 16.
Crucis Christi titulus, cur tribus generibus appellatur, 568.
Cubitum et Cubitus, idem est, 472.
Cyrus regnavit in Persis, subverso Astyage rege Medorum, 41. Babylonem cepit et Crœsum, 226.

## D

Daniel Eunuchus, 920. Quibus linguis conscriptus est liber Danielis, 627. Calumniatores historiæ Danielis rejiciuntur, 635. Calumniator Ecclesiæ Danielem reprehendit, et confutatur, 635. Quare Noe, Daniel et Job, cæteris omissis, soli nominantur, 137.
Darii tres, 677. Darius et Cyrus imperium Chaldæorum subverterunt, 651. Unum fuit sub Dario et Cyro regnum Persarum et Medorum, 659. Darius victus ab Alexandro, 673.
In decem Decadarum numero plenus et perfectus numerus, 479.
Decalogus non solida esca, sed lactea, 952.
Decimarum variæ species, 565. Hebræorum de iis traditio, *ibid.*
Deus benignus et severus, 872. Deus prudentia extendit cœlum, 795. Deus fundavit terram fortitudine, 793. Deus fundavit terram saplentia, 793. Deus ignis consumens, 861. Deus quo sensu ignis et lumen appelletur, 868. Deus impressit imaginem suam animæ nostræ, deinde Diabolus suam per peccatum, 865. Deus inchoat a tristibus, in lætis desinit, 756, 767. Deus loquitur per angelum, 858. Deus non est omnium, 805. Deus percutit primum, deinde sanat, 861. Deus præceptor sacrorum Scriptorum, 813. Deus in puniendo lentus, 744. Nomen Dei quatuor litterarum ineffabile, 327. Nullo concluditur loco, quia omnia pugillo concludit, et palmo, 485. Id quod hæretici appellant in Deo crudelitatem, sonat clementiam, 236. In Deo nihil est corporale, 82. Clementiæ Dei est, male ficta subvertere, 362. Ubi similitudo Dei est, ibi et plenitudo sapientiæ, 339. Futurorum scientia solius Dei est, 628. Alta et profunda Dei, cur vulgo non proferenda? 549. Vult omnes salvos fieri, 205. Dormire et vigilare Dei quid? 679. De Deo etiam vera dicere periculosum, 891. Nomen Dei tetragrammaton, quid proprie significet, 922. Mente et sermone Deo inserviendum, 501. Præsentia Dei impedit ne peccemus, 88, 255. Oblivio Dei unde? 182. Omnia quæ absque Deo sunt, non sunt, 302. Non hominibus, sed vitiis irascitur, 649. Percutit delinquentes, ut percussos corrigat, 23, 64, 68, 276. Locus ejus est omnis, in quo hospitium invenit, 31. Non considerat verba loquentium, sed corda, 135.
Dii, qui appellantur, 552.
Diaconus publice recitabat offerentium nomina, 209.
Dierum parvitatis meditatio, quid in nobis operatur, 359.
Difficile semper, quod facimus inviti, 239.
Diospolis parva civitas Ægypti, 357.
Discipulorum salus, præmium magistrorum est, 560.
Divitis Evangelii quæ improbitas, 966. Multi probantur divitiis et paupertate, 320.
Doctores theologi Græci et Latini Judaizantes, 422. Distantia inter doctum sanctum et simplicem sanctum, 733.
Doctrina vetus et nova simul excolenda, 552.
Doctrina magistrorum magis consideranda quam vita, 948.
Dogmatum perversorum magistri ac turpitudinis, qui? 174.
Duodecim, numerus perfectus, 373.

## E

In Ebrietate status mentis evertitur, 551. Non solum in potione vini, sed in omnibus rebus ebrietas ostenditur, *ibid.*
Ecclesia capit bonos et malos, 892. Non potest habere munditiam, qui extra Ecclesiam Domini est, 74. Nihil profuit gentibus et hæreticis insultasse Ecclesiæ tempore persecutionis, 423, 424. Quomodo arcanum Dei violatur in Ecclesia, 76. Simulacra reperiuntur in Ecclesia, 205. Simplici contentus fide, quomodo versatur in ea, 61. Solent principes ejus opprimere plebem, 207. Superbia præpositorum multos ejicit de ea, 412. Periculosum est de sententiis magistrorum Ecclesiæ judicare, 682.
Ecclesiastici ab hæreticorum terrore non sunt securi, 391. Graviora peccant, 180.
Editio LXX repudiata a magistris Ecclesiæ, 645.
Electrum auro argentoque pretiosius, 8, 812.
Eleemosyna cui facienda, 208. De furto non debet fieri, *ibid.*
Eliam esse Phinees Hebræi ex Apocryphis persuasum habent, 813.
Emath vocant Syri Epiphaniam, 598.
Engaddi et Engallim, quid sint, et significent, 591.
Ephi, batus, corus, siclus, mina sive mna, quid? 563.
Epiphaniorum dies venerabilis tempore Hieronymi, 6.
Epiphanius, et Ninius Secundus scripserunt de natura lapidum et gemmarum, 534. Uterque laudatur, *ibid.*
Episcopi prohibentur et omnis ordo Ecclesiasticus inducere in Ecclesiam incircumcisos corde et carne, 541, 542. Eorum supercilium, et vitia damnantur, 410.
Epistola B. Petri ad Hebræos, cur ei contradicitur et dubia est, 535.
Epistola B. Barnabæ inter Scripturas apocryphas, 531.
Alios debemus Erudire, 416.
Esau et Elias viri pilosi, 416. Etymologiæ nominum Esau, 201.
Ethnici mercedem recipiunt, si quid boni fecerint, 353.
Etymologiæ falsorum nominum non sunt fingendæ, 319.
Eusebii librum Origenis nomine Pamphyli martyris donavit, 207.
Lex in Evangelio, et Evangelium de Lege nascitur, 511. Juncta sibi sunt Evangelia, hærentque mutuo, 13. Nihil in iis, quod non luceat, 18. In Evangelio virtutis augmentum supra Legem, 210. Evangelium Hebræum Nazaræorum, 158.
Evilmerodach filius Nabuchodonosor, 651.
Expedit ut non exaudiantur a Deo, qui nesciunt quid illis prosit, 91.
Excelsa periculosius stant, 655.
Exploratores Terræ sanctæ Geometræ fuerunt, 524.
Expositionem ridiculam affert Hieronymus, 323. Quædam aliæ non probantur, 218. Falsa expositio non est recepta in Ecclesia; 640.
Ezechiel quare vocatur filius hominis, 891. In expositione visionis Ezechielis mutæ sunt Judæorum synagogæ, 7. Ezechiel et Abacuc non in spiritu, sed in ipso corpore translati, 32. Ezechiel typus Christi, 884. Octo circumstantiæ visionis Ezechielis, 891.
Ezechiel volens, et non coactus vaticinatur, 934. Prudentia ejus, 369.

## F

Fabula gentilis exponitur, 88.
Fames Judæorum, quæ? 817.
Fatuitas a scientia, 778, 800.
Fatuum Dei sapientius est hominibus, 800.
Filia Feminarum, pleonasmus, 710.
Fenestræ toxicæ, quæ? 476.
Fide sua unusquisque coronabitur, et impietate damnabitur, 216. Servanda Fides etiam inter hostes, 195.
Figmenta et fabulæ Veterum, 658.
Figura rotunda pulchrior, 498.

Filios malos multi parentes sancti habent, et econtrario, 201. Famis necessitate matres comederunt Filios, 51.
In Fornace Dominus Salvator cum tribus pueris juxta quosdam, 643.
Fugitivorum urbes, quæ? 604.
Fulgura ex nubium collisione generantur, 798.
Furor sumptus pro eo, quod mentis consolidat mollitiem, 302.

## G

Gabriel, Raphael, et Michael, quid significent? 675.
Galaad et Auran, quid? 600.
Gentilitas non ignoravit majestatem Dei, 156. Gentium religio adorat omnia genera bestiarum, 86. Error Gentilium qui omne quod supra se est, deos putant, 646. Vocatio Gentium notatur, 577. Gentes fortissimæ, quæ? 309. Una gens quinque appellata nominibus, 291.
Genuflectere. Quibus temporibus genua sunt flectenda, 659.
Geometria ars philosophorum propria, 524.
Gergesa quid significet? 751.
Gloria Deo quomodo danda? 832.
Gloriari quibus de rebus deceat, 810, 811.
Gloriatio arrogans statim punita, 650.
Græcorum auctorum non debemus acquiescere auctoritati, 297.
Ex Gratia, non ex merito plena perfectio, 577. Interdum Gratia Dei est resistere imprudentiæ, 30.

## H

Hæreseon compugnatio inter se, nostra victoria est, 451. Hæresis sævissima, quæ? 331.
Hæretici sunt lignum frondosum et sterile, 873. Hæretici oratores sermonis elegantiæ, non auditorum emendationi studentes, *ibid.* Hæretici notantur, 362, 363. Superbia eorum quanta? 205, 476. Dicti gigantes potentissimi, 389. Princeps eorum diabolus, *ibid.* Omnes insani, 391. Cavendi sunt, 393. Vulpium similes, 124. Quare volucres dicti et bestiæ, 459. Habitant in parietinis et desertis, 403. Cor eorum, thesaurus dogmatum perversorum, 56. Cito corruunt dogmata hæreticorum, 127. Hæreticorum conversatio dissoluta, 908. Hæreticus bonæ vitæ nocentior, 947. Hæretici colloquium periculosum, 954. Quasi tempestas veniunt contra Ecclesiam, 448. Pereunt extra Ecclesiam, 580. Imitantur viros ecclesiasticos, 459. Oblatio eorum non in Dei cultum, sed in dæmonum cibum proficit, *ibid.* Quando hæretici doctores Ecclesiæ putant sibi traditos ad devorandum, 418. Eorum tela igne S. Spiritus a doctoribus succendenda, 455. Deum crudelitatis notant, 67. Doctrinam veteris Testamenti rejiciunt, 178, 199. Non utuntur testimoniis Scripturarum sibi cohærentibus, 380. Vocantur bestiæ vitiis efferatæ, 381. Quantum in se est, Scripturas maculant, 412. Consuetudo eorum in usu Scripturarum arguitur, 161. Turpi sonitu Deum blasphemant, 91. Lavacra eorum, 146. Impellunt hæretici ut celanda efferantur in publicum, 882.
Hebræorum traditio de Cain, 516. Fabula eorum de rege Hiram, 337. Longæ fabulæ, 658. Hebræis incumbendum, 498.
Heraclius tyrannus, 329.
Herodotus plenissime scripsit de Cambyse et de omni Ægypto, 382.
Hieronymus solebat adhuc puer cryptas martyrum ingredi et circuire, 468. Pulchre eas describit, *ibid.* Hieronymus contra Helvidium scripsit, 538. Non uno modo semper vertit, 527. Quæstionem proponit et solvit, 649. Non curat vitia sermonis, sed, etc., 472. Fatetur obscuritatem scripturæ, 475. Servat consuetudinem loquendi propter indoctos, 590. De verborum generibus cur disputat, 653. Humilitas Hieronymi et modestia, 201, 298, 452, 462. Seipsum castigat, 469. Socraticum dictum suum facit, 510. Citat opus auctoris suæ ætatis non ignobilis, 403. Vitat æmulos et calumniatores, 387. Invidos arguit, 401.
Hircus, quare in sacrificiis offertur? 533.
Historia eisdem lineis currit, quibus et tropologia, 483. Scriptores historiarum Barbararum, qui? 651.
Holocaustum, quid? 568.
Homines, qui non sunt, 911. Imago Dei in homine facta in creatione, similitudo in baptismate, 331. Duo interiores homines, 641.
Humilitas cordis commendatur, 642. Arrogans mens offendit Deum; humilis ad misericordiam provocat, 522. Quantocumque studio ad altiora tendimus, in inferioribus nos putemus collocatos, 530. Quanto quis sublimior fuerit, debet timere, ne corruat, 160.

## I

Illusiones nocturnæ ab inimico, 589.
Imaginem cœlestis gerit anima nostra ex creatione, et per pœnitentiam: imaginem vero terrestris per peccatum, 865. Nullus hominum qui aliquam imaginem non habeat, sive sanctitatis, sive peccati, 86.
Impii se abscondunt a facie Dei, 859.
Impii seminant triticum, et metunt spinas, 809.
Impiorum res prosperæ in hac vita, 818.
Inaures unde dicantur, 155.
Infantium corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent, 146. Solent etiam ab obstetricibus sale contingi, 147.
Infernus vocatur lacus, 340.
Infidelis nihil in mundo possidet, 564.
Reversio ab Iniquitate, est cogitare veritatem Dei, 679.
Insidiæ declinandæ, 659.
Interpretatio periculosa, 118.
Ira Dei necessaria, 879.
Iris, quid? 22. Numquam apparet nisi in pluvia, *ibid.*
Isaias et Jeremias quid differant? 752.
Israel peccavit primum, deinde Juda, 869. Israel levius peccavit quam Juda, *ibid.* Israel penitus a Deo repudiatur, 871. Israeli datus est libellus repudii, 871. Israelis repudium Judam non emendavit, 869. Israelitæ colebant idola in Ægypto, 261. Qui perierunt in deserto, non sunt deleti de libro viventium, 229.

## J

Januarius, hiberni frigoris continet principatum, 341. Unde sic dictus? *ibid.*
Javan Etymologia, 311, 316.
Jejuniis, et vigiliis Deus flectendus, 661.
Jeremias et Ezechiel eadem, et eodem tempore prophetaverunt, 116. Jeremias ab utero sanctus, 791. Jeremias a cunabulis propheta, 845. Jeremias propheta eximius, 746. Jeremias quo tempore prophetaverit, 745. Jeremias figura Christi, 747, 844. Pleraque ad Jeremiam dicta Christo conveniunt, 741. Differentia Jeremiam inter et Isaiam, 792.
Jerichontini fluvii sacramentum, 590.
Jerusalem in medio mundi sitam, Propheta testatur, 49. Paulatim gloria Domini recedit de ea, et quomodo, 112. Impietate ejus, quantæ? 271. Multo sceleratiora peccavit quam Samaria et Sodoma, 264, 779. In capite XVI Ezechielis sub persona adulteræ et meretricis exponitur, 143. Leæna appellatur, 218. Templi et urbis Jerusalem subversio, 277.
Job quo tempore, 919.
Jonas quo fugere cupiebat, 698.
Jordanis, unde nomen habet? 317.
Josephus omnia Hebraicarum gentium nomina exposuit, 446.
Josias in peccatis populi peccatoris mortuus est, 138.
Juda peccavit post Israelem, 868. Juda gravius peccavit quam Israel, 869. Juda penitus a Deo repudiatur, 871.
Judæa regio pulcherrima, 225. Si Judæi terram a Deo promissam non receperunt causa est eorum incredulitas, *ibid.*
Judæi eorumque magistri decalogum circumdabant capitibus suis, 280. Azymorum dies et Scenopegiæ solemnitates eorum, 388. Quando celebrabantur, *ibid.* Statuam Baal posuerunt in templo, 271. Quidam sibi vindicarunt frustra regnum Judaicum, 231. Impudentia populi Judaici, et Dei erga eum pietas, 235. Catalogus impietatum ejusdem, 320. Cassa eorum vota, 41. Usque hodie velamen habent positum in veteris Testamenti lectione, 27. Quærebant per prophetas quid scire cupiebant, 222. Audiebant prophetas ad aurium voluptatem, non ad animæ salutem, 404. Non ultra merentur habere prophetas, 69. Ridebant discrepantiam verborum in codicibus Latinis, 432. Eorum interpretationes, 444, 453. Quo cibo pascuntur, 44. Propter bona hujus sæculi operantur, 46. Deus non vult mortem eorum, 217. Populi Judaici et Christiani discrimen, 602.
Judicii dies pavendus, 359.
Jovis simulacrum stans in templo, 716.
Juramenti fides inviolabilis, 194. Finis est controversiæ, 150.
Justitia in omnibus custodienda, 564. Quomodo iniquitas justificet, et justitia condemnet? 964.

## L

Labyrinthi descriptio, 561.

Lacus, quid? 661. Lacus Tyberiadis, Larius, et Benacus, 390. Lacus pro cisterna, *ibid.*
Lamentationes, carmen, et væ quibus conveniunt? 27.
Lana Miletæa, 316.
Lapis specularis, 501.
Leænæ natura, 664.
Lectio varians notatur, 589.
Leonum rabies in fovea conclusa ab angelo, quare? 664.
Leviticæ tribui civitates XLVIII dantur ad habitandum, 603.
Lex repudii qualis? 871. Legem occulte audire, quid? 833, 834. Ejus interpretatio, sacerdotis officium est, 78. Docendi filii et filiæ juxta Legem Dei, 724. Præceptum Apostolicum in Lege manifestum, 583.
Liber duplex, bonus et malus, 669.
Libertas humani arbitrii, 790.
Lignum in panem mittere, quid? 815.
Lini incombustibilis genus, 503.
A Littera interdum discedendum necessario, 905. Amaritudo intelligentiæ litteralis, 587. Parvitas litterarum Hebraicarum, 239.
Luci in templo ne plantentur, 873.
Ludentes propter peccati periculum fugiendi, 853.
Luna apud Græcos a mense nomen accepit, 353.
Lupanar cœtus hæreticorum, 956.

## M

Madianitarum opes in gregibus, 285, 286. Adjacent terræ Arabiæ, 286. Appellantur Saraceni, *ibid.*
Ad Majora pervenimus per minima, 514.
Maledictus qui non audit verba Dei, 805.
Malitia nostra inebriat Deum, 679. Princeps Malitiæ et ejus discipuli, diaboli nominantur, 345.
Malis prementibus, majorem habemus fiduciam in proximo, quam in nobis, 46.
Marcion hæreticus, 784. Marcionis dogma et blasphemiæ, 90, 91.
Mare Mortuum quare sic dictum, 590. Vocat Scriptura pro Sinu terræ Judææ, mare occidentem, 583.
B. Maria semper virgo, 538.
Medorum regnum majus est quam Persarum, 656.
Nihil prodest vidisse et audisse, nisi ea quæ videntur et audiuntur, in Memoriæ thesauro reponantur, 466.
In Memphi templum est Apis, 357. In eo oracula consulta respondent, 157. Metropolis superstitionis, *ibid.*
Mens juncta Deo provocat ejus clementiam, non vicinitas Ecclesiarum, 523.
Mensis secundum lunæ cursum supputatur apud Hebræos, 353. Menses Hebræi numerant juxta lunæ cursum, 683. Mensium ratio, 6.
Metallorum species non facile dignoscunt rustici, 257.
In Metu semper debemus esse, etiam post victoriam, 614.
Michael princeps populi Israelitici, 528.
Ministrorum Ecclesiæ superbia decutitur, 591. Servientes ministerio Dei, virtutibus sint præditi, 491.
Misericordiam ad præsens non mereri, magnæ interdum felicitatis est, 92.
Montanus confutatur, 933.
Montes tenebrosi et lucidi, qui? 832.
Morticinium, quid? 45.
Morum diversitas variis signatur nominibus, 451. Unusquisque pro Moribus suis sortitur vocabulum, 25.
Mulierum aurei circuli, 155.
Mundus in sex diebus factus, 472. A Græcis Cosmos dicitur, 493. Dei misericordiæ est, ut mundi hujus pereat abundantia, 349. Redarguendi qui putant mundum non esse periturum, 632. Quot annos enumerabant aliqui usque ad consummationem sæculi, 41. Mundi hujus omnis gloria instabilis, 35. Omnia orta in mundo occidunt, et aucta senescunt, 79.
Munera quæ parva sunt, majoribus sunt præposita, 610.
Munitiones, aggeres, castra, arietes, 37.

## N

Nabuchodonosor furor et amentia, 650. Successores ejus, qui? 651.
Naphtha, quid? 641.
Naves Liburnæ, 704. Secunda navis post naufragium, erubescere, 969.
Necessariis quomodo utimur, et corpus circumcidimus, 541.
In Nili inundatione mos Ægyptiorum, 358.
Nominum diversorum interpretationes, 598. Nomina et verba Hebraica in translationibus corrupta, 470. Unde vocabula et Nomina Hebræa varie interpretantur, 316.
Nonus numerus, doloris et pœnarum est, 277.
Nosse peccatum, et nosse justitiam, quid significet? 813, 814.
Nubes allegorice sanctos significat, 796, 797. Nubes est unusquisque sanctus, 797.
Numerus dualis apud Hebræos, 671. Mos Hebræorum et veterum Latinorum in numeris supputandis, 695.
Nuntiorum consuetudo, 631.

## O

Oblivio veritatis velox, 635.
Obolus, quid? 564.
Obscuritas sermonis nascitur ex tribus rebus, 507. Cur multa narrantur obscure, 564.
Occidens Occidentis, quomodo dicitur Canticum Canticorum, etc., 308.
Octavus numerus perfectus, 483.
Offerentium nomina, quæ sanctificata sunt Domino, non sunt eorum quibus data sunt, sed ejus cujus nomine possidentur, 607.
Opera bona sola prosunt, 79.
Operandum, dum dies est, 831.
Oppianus Cilix poeta doctissimus, 593.
Orationis necessitas, 499. Clausula olim addita in Oratione Dominica, 604.
Origenes presbyter, 810. Origenes multorum odio, et invidia laborabat, 800. Origenes se pro erudito haberi agnoscit, 801. Origenes Hebræum audit, 925. Ejusdem allegoriæ improbantur, *ibid.* Arguitur, 697. Notatur, 644.
Otiositas vitanda, 183.

## P

Pammachii et Marcellæ mors nuntiatur Hieronymo, 1.
Parabolæ et ænigmatis notiones, 190.
Paradisus mons Dei, 335.
In Parentibus et proximis contaminari, quid? 553. Parentes post Deum diligantur, *ibid.*
Partem petere cum Christo, cum Prophetis, cum apostolis, quid? 851, 852.
Passiones quatuor notantur, 12. De his plenissime scripsit Cicero, *ibid.* Quatuor virtutes eis oppositæ, de quibus idem auctor disputat, *ibid.*
Ad episcopos, presbyteros, et diaconos sermo divinus dirigitur, 409.
Patres nostri duplices, 807.
Paulus nomine Benjamin intellectus, 920. Apostolus Paulus poetam Græcum vocat prophetam, 121.
Peccatum mortem sonat, 725. Peccata nostra causa omnium malorum, 55. Quo sensu Deus punit peccata patrum in tertia et quarta generatione, 199, 224. Peccata non æqualia, contra quosdam et maxime Stoicos, 99. Peccata levia pro necessitatibus carnis, 551. Non temere indulgentia Peccatoribus pollicenda, 649. Tormenta, eorum remedia, 269. Unusquisque sibi parat supplicia, dum non vult errata corrigere, 136. Mortui Peccatis quomodo resurgunt, 436. Quid prodest peccatoribus, 525. Duo genera peccatorum, 900. Peccati et virtutis comparatio, 959. Male credit quicumque peccat, 961. Inæqualia peccata, 962. Peccatorum superbia, *ibid.* Qui peccat, ex diabolo natus est, 807. Peccatores a Deo separantur et disperguntur, 824. Peccata nostra animis nostris inscripta, 864. Peccata nostra ex nobis, bonitas nostra ex Deo, 865. Peccata diversa, diversis remediis curanda, 867. Peccata quædam sanantur poa et nitro, quædam spiritu combustionis et pœna, 867. Peccata sua duplicia recipiunt quidam, quidam simplicia, 863. Dignitas Peccatoris majorem habet pœnam, 184. Non liberantur de gehennæ ignibus meritis parentum. 138. Domini propitiatione solvantur, 529.
Pelusium appellatur robur Ægypti, 353. Habet portum tutissimum, *ibid.* Cur a poeta vocatur lentis Pelusiaca? *ibid.*
Perdix animal callidum, 782. Perdix animal salax, et impurum, 783. Perdix symbolum diaboli, *ibid.* Perdix pullos suos æstu servat, *ibid.*
Perfectio in quo posita, 537. Gradus ad Perfectionem, qui? 588, 589. Exhortatio ad perfectionem, 577. De duplici perfectione loquitur Apostolus, *ibid.*
Persecutio fuit in toto orbe sub Diocletiano et Maximiano, 435.
Persidis reges post Cyrum, 665, 691, 692, 702. Successio regum Persarum, 39. Mos apud Persas et Indos,

697. Persarum et Lacedæmoniorum victus parcior, 664, 665.
Petræ, qui sint? 852.
Pestilentia morbos animorum creat, et regiones vastat, 212.
Pestilens homo universa populatur, *ibid.*
Pharaonis etymologia, 341.
Philosophi et doctores multi cum suis sententiis notantur, 130. Quasdam eorum sententias non probat Hieronymus, 10, 11. Error quorumdam, 88.
Pignus cui debitori reddendum, 207.
Piscatio piscium, et piscatio hominum quid differant? 851.
Piscium genera, quot? 595.
Plantationes peccatorum, 753.
Poa herba, 865.
Poderis unde dicta, 94.
Pœnæ pro modo graduum, 930. Quidam dicunt pœnas impiorum non esse perpetuas, 302. Sanctificatio Dei est Pœna peccantium, 337. Separatio a Christi corpore pœna perpetua est, 142. Signum misericordiæ, differre pœnam peccati, 199. Non insultandum his qui Dei judicio pœnis traduntur, 110.
Per Pœnitentiam omnis homo etiam impius potest salvari, 395, 397, 398. Provocamur ad pœnitentiam priorum peccatorum, 540. Anni centum viginti pœnitentiæ constituti ante diluvium, 678.
Cn. Pompeius primus Judæam subegit Romano imperio, 599. Qua occasione cepit Jerusalem, 50.
M. Popilii Lenæ factum, 715.
Quis Populum Dei dispergit, 582. Varii populi notantur, 387.
Porphyrius scripsit contra prophetam Danielem, 619. Ejus impietas, quæ? *ibid.* Eusebius Cæsariensis, Apollinaris, et Methodius ei responderunt, *ibid.* Calumnia retunditur, 670. Refellitur, 634. Porphyrii expositio, 683. Judæorum et impii Porphyrii explanatio confutatur, 721.
Portæ singulæ ex propriis causis ducunt origines nominum, 673.
In Possessionum emptione naturale est lætari, in venditione lugere, 96.
Prædicatores et doctores falsi, qui? 414. Auditores prædicatorum, 420.
Prædicandi munus periculosum, 752.
Prælati et Presbyteri attente legant quæ dicuntur, 395.
Preces sanctorum iræ Dei possunt resistere, 124.
Primi et extremi terræ, qui? 782.
Primitias laborum et virtutum offerre, quid? 566. Populus offerre debet primitias principi, et princeps offerre pro populo victimas, 567.
Principibus monita dantur, 560. Vicinia principum lædit humiliorem, *ibid.*
Prisca et Maximilla falsæ prophetissæ, 130.
Profectus universorum redundant in principem, 560. Semper ad altiora proficiendum, 479.
Non Promittere, melius est, quam promittere, et non facere, 550.
Prophetiæ obscuritas, 564.
Prophetæ multi in captivitate Babylonica, 879. Consuetudo Scripturæ sacræ in prophetarum nomine, 121. Nomen prophetarum bonis malisque commune, 122. Vaticinium futurorum quæritur a propheta, 78. Magna fides, et grandis audacia prophetarum, 144. Prophetæ prophetabant sponte et non ex necessitate spiritus, 933. Prophetæ medici animorum, 840. Prophetæ vexationibus obnoxii, 752. Prophetæ omnibus periculis obnoxii, *ibid.* Qui prophetarum felicitatem assequi student, vitam ipsorum imitantur, 855. Non sequuntur in quibusdam ordinem historiæ, 665. Donum prophetiæ non semper fuit in prophetis, 415. Cur repetunt quæ Moses scripsit, 555.
Proverbium pro metaphora sumptum, 275.
Providentia Dei omnia gubernantur, 9.
Proximus hominis, omnis homo accipiendus, 205. Vix ullus qui non opprimat proximum suum, 207.
In Psalmis carmen Lyricum, 351. Ordo historiæ non quæritur in eis, *ibid.* et 665. Quæstio de ordine Psalmorum, 664. Titulus psalmorum quorumdam, 638. Psalmi VIII et LXXXIII pro torcularibus inscripti, 566. Psalmus XLIV pertinet ad sacramentum Christi et Ecclesiæ, 608. Psalmus CXVIII plenus præceptorum et justificationum, 212.
Ptolemæus Philadelphus, 704. Ptolemæus Lagi filius, 705.
Pygmæi, unde dicti? 310.
Pyrrhus rex Epirotarum, 705.

## Q

Quadraginta numerus afflictionem significat, 349, 494. Quinquagenarius numerus perfectus, 478.

## R

Rabbath metropolis filiorum Ammon, 249. Philadelphia nominatur, 285.
Rabdomantia, quid? 249.
Rapina omnis mixta est violentiæ, 208. Sancta violentia et Rapina quæ? *ibid.*
Rationem quidam reponunt in arce cerebri, 10.
Rebla nunc vocatur Antiochia Syriæ, 599. Nobilissima est, *ibid.* Irrigatur aquis fontis Daphnidis, *ibid.*
Regiones variæ notantur, 49 et seqq., 444.
Regina peccatorum quæ? 753.
Reges a majoribus suis nomina sortiuntur et retinent, 341. Successio regum Judæorum, 39.
Regis latus, quid? 658.
Rebus novis nova finguntur nomina, 154. Quid fit in aspectu rei novæ et inusitatæ, 60.
De Resurrectione generali non dubitat Hieronymus, 435. Argumentum ejus ad eam probandam validum et manifestum, *ibid.* Resurrectio credita a Judæis et Christianis, 432. Hæresis negans Resurrectionem corporum, 492.
Restitutio omnium, 855.
Retro non ambulandum, 840.
Rhodus gloriosa navali prælio, 312. Receptaculum est omnium mercatorum, quare? *ibid.*
In Romano imperio unum facta sunt omnia regna, 666. Nulli bestiæ comparatur, cur? *ibid.* Fortitudo et imbecillitas ejus, 634.
Turbæ Romanorum fugientium Barbaros, 239.
Rotunditas omnium figurarum pulcherrima, 12.
Rufini discipuli notati, 401.
Ruina animæ prius sanctæ, 300. Ruinæ aliorum, exempla justorum sunt, 301.

## S

Sabbatum et circumcisio in signum data sunt, 228.
Sacerdotum virtutes, 552. Commonentur sacerdotes, 568. Attente legant quæ dicuntur, 549, 550 et seqq. Altari servientibus castitas commendatur, 549. Munda conscientia et mundis vestibus debent sacerdotes ingredi in sancta sanctorum, etc., 547. Nec rasis capitibus, nec coma dimissa accedant, *ibid.* Non tantum gaudendum est sacerdotibus ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutantur indigne, 555, 556. Grandis eorum dignitas, sed grandis ruina si peccant, *ibid.* Victimæ populi, refrigeria eorum, 585. Quomodo debent uti bonis Ecclesiæ, 581 et seqq. Congregatio divitiarum in ipsis damnatur, *ibid.* De sacerdotalibus vestibus librum edidit Hieronymus, 548. Sacerdotes Serapidis et Isidis radebant capita sua, 547.
Sacrificia, quibus delectatur Dominus, 535.
Nihil in hoc Sæculo perpetuum, 521.
Unius Sæculi tempus ostenditur, 324.
Salomon egit pœnitentiam, 524.
Pro Salute servorum Dei reges adversus alios consurgunt, 367.
Samaria dicitur major et senior, quare? 261.
Samson typus Christi, 550.
Sancta sanctorum quinam polluerunt, 76.
Sanctus omnis amatur a Deo, 698. Nullus fodit cisternam, 390. In Sanctis nihil sinistrum, 506. Ad ruinam Sanctorum gaudent homines hujus sæculi, 287, 295.
Sancti a Deo congregantur, 824.
Sancti scribuntur in cœlo, 790.
Sancti vexationibus obnoxii, 752.
Sancti non se abscondunt a facie Dei, 859.
Sancti debitores non sunt, sed suum tribuunt unicuique, 842.
Sanctus a Deo gignitur, 806.
Sanctus amaritudine plenus, 854.
Sanctus unusquisque nubes est, 797.
Sanir juxta litteram est mons, etc., 305.
Liber Sapientiæ inscriptus nomine Salomonis, 155.
Apud Salaminam certamen navale, 702.
Scipiones fratres, 710.
Scorpii plaga, 25.
Scientiarum utilitas, 596. Sacramenta intelligentiæ Scripturarum exponuntur, 515. In divinis libris interpres nihil debet auferre, cur? 15. Triplex modus intelligendi Scripturas, 172. Natura humana totos Scripturæ thesauros non potest percipere, 27. Mysteria Scripturæ, humanus sermo non potest explicare, 503. Verba Scripturarum in opera vertenda, 79. Quidam sibi promittunt Scri-

pturarum intelligentiam absque Dei gratia, 724. Abusus testimoniorum Scripturæ ædificat lupanar, 172. Propositum Scripturæ, non externam historiam texere absque Judæis, sed, etc., 704. Regula in Scripturis observanda, 394. Consuetudo Scripturæ sanctæ, 652. Scriptura quibusdam fons, quibusdam puteus, 166.

Scruta vendentes, 313.

Seniores plures reprobati, et juniores electi, 308.

Sententia audax, 551.

Sephama Apamiam vocant Hebræi, 599.

Septentrionalis plaga juxta Hebræos, 597.

Septuaginta editio repudiata a magistris Ecclesiæ, 645. LXX decepti similitudine litteræ, 600. LXX translatio scriptorum atque lectorum vitio depravata, 54, 401, 474. Schola omnis Judæorum quinque tantum libros Moysi a LXX translatos asserit, 53. LXX mutantes ut voluerunt Hebraica nomina, 474. Quædam in LXX interpretibus omittuntur, quare? 159.

Sermones Dei potest quis tacere triplici ex causa, 33.

Sexus non est in cœlestibus, 20, 94.

Siclus, drachma, hin, quid? 44.

Signa apud Barbaras nationes quare fiant per servos Dei? 662.

Similitudo et æqualitas in quo differunt? 331.

Simon Magus baptizatus in aqua, sed non in salutem, 146.

Solis cursus, et aliorum siderum definitur, 17.

Solemnitates duæ notantur, quæ non sunt in lege Mosaica, 569.

Solus quis sedeat, 853, 854.

Somnia prophetica soli Deo patent, 635.

Spectacula damnantur, 226.

Superbia proprium diaboli peccatum, 181.

Omnis Superbia offendit Deum, 77.

Materia Superbiæ divinæ, 963.

Superbiam ruina sequitur, et humilitatem gloria, 238.

Supplicia sanctitatem pariunt, 818.

Supplicia impiorum aliis prosunt, 825.

Susis metropolis Elamitarum, 672. In ea Daniel exstruxit turrim excelsam, ubi conduntur corpora regum Persarum et Medorum, *ibid.* Hujus custos et Sacerdos Judæus est, *ibid.*

Syene turris in extremis finibus Ægypti sita est, 356, 360. Ejus descriptio, 345.

In Syris ingenitus negotiationis ardor, 313.

## T

Taphnis, civitas regia, 359.

Templum Libanus appellatur, 190. Vox de ejus adytis exisse dicitur, etc., 110. Nihil absque ratione et mensura factum est in templo Dei, 502. Omnes ejus parietes diversis idolorum imaginibus pingebantur, 85. Antiochi idolum, 712, 722. Tribus annis pollutum, 721. Templum ab Ezechiele descriptum, multo angustius quam templum Salomonis, 464. Per portam Aquilonis ingredi in templum, et egredi per portam Meridianam, et econtrario, quid? 578.

Terra promissionis ab Australi plaga juxta terminos Ægypti, Rhinocorura et torrente finitur, 613. Quomodo inter Tribus divisa? 612. Terra quatenus exterminata sit, 809.

Thabor mons in Galilæa, 612.

Thamar hodie Palmyra nuncupatur, 601. Hanc Salomon miris operibus exstruxit, *ibid.*

De littera Thau, quid dicitur? 96.

Themistoclis mors, 702.

Nihil Theoria et scientia dulcius, 466.

Thesauri Dei varii, 798.

Tiara, quid? 639.

Inter Tribum Juda et Tribum Benjamin urbs et templum collocabantur, 612.

Trinitatis mysterium in una divinitate, 492, 511. Una substantia, et potestas Patris et Filii, 208. Mysterium SS Trinitatis adumbratum, 488. Trinitas cingit et vallat omnia, 518. In SS Trinitate vera datur propitiatio, 530. Omnis intelligentia tam litteræ quam Spiritus, etc., pertinet ad sacramenta SS. Trinitatis, 481.

Tristatæ qui sunt, 266.

Tyrus metropolis Phœnicis, 294. Ejus vastatio, 296. De ea fit quæstio et solvitur, 297. Ex insula facta est peninsula, 299. Pulchritudo et divitiæ navium Tyri, 306, 307. Describitur quid unaquæque provincia mittat Tyrum, 307. In Tyro usque hodie commercia omnium gentium exercentur, 303, 311.

## U

Unicus numerus perfectus, 493.

De Usura in omni specie prohibita locus celebris, 210.

Rubor Vultus, pudoris indicium est, 73. Obfirmatio vultus, severitatis indicium est, 38.

Uter omnis implebitur vino et quatenus, 821.

Uxore bona nihil viro amabilius, 206.

## V

Valentiniani confutantur, 898. Valentinianus hæreticus, 818.

Vas luteum, vas testaceum, 792.

Vaticinium juge non potest humana fragilitas sustinere, 394.

Venerea omnia purgatione indigent, 719.

Ventorum et spirituum thesauri, 798.

Verba interioris hominis erumpentia pro signo sunt, 85.

Veritatem non meretur audire, qui tentandi animo interrogat, 134. Velox oblivio veritatis, 655. Libentius errant aliqui quam discant verum ab æmulis, 387.

Verbum Dei destruit et ædificat, 755.

Vinum sanctorum, 823. Vinum impiorum, quid? 119, 823.

Virtus vitio antiquior, 865.

Naturale est, ut timore cogente, Vesica laxetur, 245.

Vetustas omnia consumit, 80.

Victorinus Rhetor citatus, 507.

Viginti quinque numerus numquam in bonam partem sumptus, 107.

Cur Villæ pertinent ad jura urbium, 610.

Alia Vincula Domini, alia diaboli, 42.

Vinea licet pulchra, si calamos subtraxeris, arescit calore, 221.

Virginitas non exigitur, sed offertur, 579. Privilegium Virginale in quo positum? 554.

Vitia nostra Deum amarum efficiunt et crudelem, 113. Per parva vitia majora monstrantur, 85. Jugulat qui vitia non increpat, 409. Quidam æstimant ad Deum non pertinere vitia nostra, 88.

Virtus rara est, 388. Non certa virtutis possessio, 609. Semper virtutibus contradicitur, 602. Per virtutes, nomen et dignitatem ducis consequimur, 574. Primus ad virtutem ingressus, qui? 480. Qui una virtute caret, omnibus caret, 14. Catalogus Virtutum justi, 203.

Quod Vivificavit Deus, ab ipso, aut ab alio occidi non potest, 755.

## X

Xenophon scripsit historiam Cyri, 651.

Xerxis ortus et victoriæ, 702.

Xysti Pythagorici pulchra sententia, 280.

## Z

Zephrona appellatur hodie Zephyrium oppidum Ciliciæ, 598.

Zorobabel unde nomen accepit, 219.

S. EUSEBII

# HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# OPERA OMNIA,

POST MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI

SED POTISSIMUM JOANNIS **MARTIANÆI** HUJUS ORDINIS RECENSIONEM,
DENUO AD MANUSCRIPTOS ROMANOS, AMBROSIANOS, VERONENSES ET MULTOS ALIOS,
NEC NON AD OMNES EDITIONES GALLICANAS ET EXTERAS CASTIGATA,
PLURIMIS ANTEA OMNINO INEDITIS MONUMENTIS,
ALIISQUE S. DOCTORIS LUCUBRATIONIBUS SEORSIM TANTUM VULGATIS AUCTA,
INNUMERIS NOTIS, OBSERVATIONIBUS, CORRECTIONIBUS ILLUSTRATA,

*STUDIO ET LABORE*

## VALLARSII ET MAFFÆII

VERONÆ PRESBYTERORUM,
OPERAM NAVANTIBUS ALIIS IN EADEM CIVITATE LITTERATIS VIRIS.

EDITIO PARISIORUM NOVISSIMA

EX SECUNDA AB IPSIS VERONENSIBUS EDITORIBUS CURIS POSTERIORIBUS ITA RECOGNITA,

ATQUE EX **RECENTIUS DETECTIS** SIC DITATA
UT PRÆSENS EDITIO, AMPLITUDINE SOLA, CÆTERIS OMISSIS EMENDATIONIBUS,
PRÆCEDENTES OMNES EDITIONES, ETIAM BENEDICTINAS,

***tertia parte seu triente materialiter superet,***

ACCURANTE ET AD ULTIMUM RECOGNOSCENTE **J. P. MIGNE**, *CURSUUM COMPLETORUM* IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

**TOMUS SEXTUS.**

VENIT APUD EDITOREM,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

# ELENCHUS OPERUM

## QUÆ IN SEXTO OPERUM HIERONYMI TOMO CONTINENTUR.


In Osee commentariorum libri tres.
In Joelem liber unus.
In Amos libri tres.
In Abdiam liber unus.
In Jonam liber unus.
In Michæam libri duo.
In Naum liber unus.
In Abacuc libri duo.
In Sophoniam liber unus.
In Aggæum liber unus.
In Zachariam libri tres.
In Malachiam liber unus.

# PRÆFATIO.

In duodecim minores prophetas Commentariorum viginti libros, quos nempe sunt, quotque fuerunt abs Hieronymo elucubrati, tomus iste in ejus partitione operum sextus complectitur. Tantum ab hac illud excipias recensione *Specimen Commentarii in Abdiam*, quod suæ facturus eruditionis periculum, *in adolescentia provocatus ardore et studio Scripturarum* adumbravit: postmodum ingenio per ætatem magis subacto, delevit ipse, ex ejusque animi sententia jam diu olim intercidit. Nam quod ab his alios autumant docti viri, Tillemontius ex eoque Martianæus, exstitisse *Breviores in duodecim Prophetas Commentarios*, quos vel ipse S. Doctor postea respuerit, cum idem opus uberiori est calamo persecutus, vel sequior ætas ultro passa sit interire: nos in generalis præfationis parte altera (ubi de hujusmodi Hieronymi scriptis egimus, quæ doctorum hominum judicio intercidisse temporum injuria existimantur, nobis econtrario numquam exstitisse persuasum est) ab omni veritatis specie abhorrere contendimus, bonisque opinor argumentis ita evicimus, ut nullus dubitationi locus videri reliquus possit. Errorem diximus ex eo natum, quod putarint eruditi viri, quando se ait S. Doctor, *in duodecim Prophetas* aliquid esse commentatum, singulos quosque debere intelligi, quibus interpretandis operam suam collocarit: cum econtrario ἁπλῶς ille *duodecim Prophetas* nominans, eum proprie Librum, quid sic inscribitur, intellexerit. Allatis ibi in hanc rem sive testimoniis, sive exemplis, hoc demum sane luculentum accedat corollarii loco ex Dialogo contra Luciferianos, num. 5, ubi Osee locum hunc singularem ex cap. IX laudaturus S. Pater: *Sacrificia eorum tamquam panis luctus: Omnes qui manducant ea, contaminabuntur*, hoc ait, in DUODECIM *prophetis* inveniri (*a*). Cætera, ne actum agam, ex laudata generali præfatione, num. 29, si tanti sunt, malim ut repetas.

Nunc, ut de his dicam Commentariis, quos tomus hic exhibet, atque unice S. Doctor elucubravit, mirari hoc primum subit, cum sint omnes ab uno auctore adornati, eademque ratione splendidissimis ex omni antiquitate sententiis ad nativum Scripturæ sensum investigandum referti, alii tamen præstare aliis videantur, meliorique apud lectores fortuna uti. Sunt qui eos velint cæteris antecellere, qui Aggæum interpretantur; aliis elegantior Naumi expositio dicitur, quam ipse Auctor in Abdiæ, et Abacuchi, et Sophoniæ Prologis laudat. Hac item de causa alii Osee explanationem, utpote quam in Joele et Amoso commendet, reliquis præferunt. Ego si hanc iniero disputationem, deque unius præstantia contenderim facturusne operæ pretium sim, nec satis scio, nec si sciam, dicere ausim: quippe qui et summa omnes cum dignitate stare videam, et malim econtrario legentium animos ad ipsa acriter intendi, quæ divinarum in ipsis litterarum veræque sapientiæ instituta continentur. Attamen silentio illud prætereundum non sit, quod Commentariis in Jonam sanctus Augustinus tantum tribuendum putavit, ut nedum magna illos voluntate complecteretur, sed et nuper exortæ Pelagianorum hæresi quasi propugnacula murosque tutissimæ fidei tota confidentia opponeret. Peccati originalis catholicum dogma testimoniis exinde petitis *insigniter* constabiliri datis Epistolis, quas et nos inter Hieronymianas recensuimus, non semel professus est. Multo autem luculentius lib. III, de Peccatorum meritis et remissione n. 12.: *Illud*, inquit, *scio, quod etiam S. Hieronymus, qui hodieque in litteris Ecclesiasticis cum excellentis doctrinæ fama ac labore versatur, ad quasdam solvendas in suis libris quæstiones, etiam hoc certissimum adhibet sine ulla disceptatione documentum: nam in eo, quod in Jonam prophetam scripsit Commentario, cum ad eum venisset locum, ubi commemorantur etiam parvuli jejunio castigati:* Major, *inquit*, ætas incipit, et usque ad minorem pervenit. Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus, et numerabiles anni vitæ illius. Si enim stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et hi qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii. *Hunc doctissimum virum*

(*a*) Vide etiam præfat. interpretationis ex Hebræo.

*si facile interrogare possimus, quam multos utriusque linguæ divinarum Scripturarum tractatores et Christianarum disputationum scriptores commemoraret, qui non aliud, ex quo Christi Ecclesia est constituta, senserunt, non aliud a majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt?* Quibus gemina hæc sunt libro primo contra Julianum, cap. 7 : *Nec Sanctum Hieronymum, qui presbyter fuit, contemnendum arbitreris : qui Græco et Latino insuper et Hebraico eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in litteris sacris usque ad decrepitam vixit ætatem, omnesque vel pene omnes, qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legit : nec aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam : qui cum exponeret Jonam prophetam, appertissime dixit : Quod etiam parvuli peccato offendentis Adam tenerentur obnoxii.* Placuit vero isthæc proposuisse tantæ auctoritatis testimonia, ut si quid alii Hieronymianæ gloriæ æmuli, tum veteres, cum recentiores, obganniant, in nullo ponas discrimine, et surda aure pertranseas. Certe Rufinus, ut eum hic interim de nomine adducam, qui tanta inimicitia magis inclaruit, seu verius incertus auctor libri in Oseam, qui Rufino subjungitur, cum ait in hisce Commentariis in minores prophetas totum in eo fuisse Hieronymum, ut alienas, præcipueque Origenis interpretationes, traditionesque Hebræorum congereret, nihil *de perquirenda consequentia* sollicitum : seipsum magis invidentiæ crimine condemnavit, quam S. Doctorem obtrectando læserit. Quid enimvero est, quod magis Hieronymo cordi fuerit, quam ut ipsæ allegoriæ una invicem serie necterentur, atque ad historiæ veritatem sponte sua fluerent? Quin eum videas sexcentis locis non alia de causa alienas expositiones, quam quod aut prioribus aut consequentibus non satis apte jungerentur respuere. Hoc nimirum tam sæpe facit, ut ipsa illustriora loca strictim velle perstringere, hominis foret otio abutentis suo.

Melius autem id quam ratione ulla alia, legendis hiscemet scriptis intelligas : quorum ut fructum lectu debitum facilius percipias, primum historiam, ut ita dicam, ætatemque de more exponam : hocque ipsum laboris mei præmium petam, ut quod postea exposuero ab ipso prius discas auctore, qui præfatione libri tertii in Amos ad Pammachium rem totam per singulas partes ita edisseruit. *Præpostero ordine, atque confuso, duodecim prophetarum opus et cœpimus, et Christo adjuvante, complebimus. Non enim a primo usque ad novissimum juxta ordinem quo leguntur : sed ut potuimus, et ut rogati sumus, ita eos disseruimus. Naum, Michæam, Sophoniam, et Aggæum primo* φιλοπονωτάταις *Paulæ ejusque filiæ Eustochio* προσεφώνησα; *secundo in Abacuc duos libros Chromatio Aquileiensi episcopo delegavi; tertio, post longi temporis silentium, Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui : præsenti anno, qui sexti Consulatus Arcadii Augusti, et Anitii Probi fastis nomen imposuit, Exuperio Tholosanæ Ecclesiæ Pontifici Zachariam, et ejusdem urbis Minervio et Alexandro monachis, Malachiam prophetam interpretatus sum. Statimque recurrens ad principium voluminis, Osee et Joel et Amos tibi negare non potui.* Hoc jam ordine constituto, expeditum sit, suis unumquemque librum temporibus assignare. Nempe quatuor, quos primo loco nominat, in Naum, Michæam, Sophoniam et Aggæum, quemadmodum et quintus in Abacuc anno nonagesimo secundo supra trecentesimum affigendi sunt : idque persuadet, quæ eorum sit postremo loco mentio in Catalogo, quem fuisse hoc ipso anno a S. Doctore adornatum, nihil est dubium. Paulo autem, quod et notatu dignum est, ab eo quem superius exposuit, diverso hic ordine recensentur. *Scripsi*, ait, *in Michæam Explanationum libros duos. In Sophoniam librum unum. In Naum librum unum. In Abacuc libros duos. In Aggæum librum unum : multaque alia de opere prophetali nunc habeo in manibus, et necdum expleta sunt.*

Tres equidem ferme abhinc annos aliis distentus occupationibus incepto abstinuit; neque enim ante trecentesimum nonagesimum septimum, Jonæ, quos tertio loco memorat, Commentariis admovit manum. Hujus quoque rei in prologo testis accedit ipse longe locupletissimus : *Triennium*, inquiens, *circiter fluxit, postquam quinque prophetas interpretatus sum, Michæam, Naum, Abacuc, Sophoniam, Aggæum; et alio opere detentus non potui implere quod cœperam.* Tum paulo inferius : *Igitur tanto post tempore, quasi quodam postliminio, a Jona interpretandi sumo principium.* Idem confirmat, cum ex his quæ interea dum scripsit, *Epitaphium* quoque *Nepotiani* memorat, sive Epistolam in nostra recensione 60, quam ad proxime superioris anni priorem partem certissime pertinere, suo loco ostendimus. Nec moramur adeo Tillemontium, qui testimonium illud sollicitat, et ut minus, *quadriennium*

pro *triennio* rescribendum contendit, reclamantibus una omnibus mss. editisque libris, et quod pluris est, recta ipsa temporum ratione. Satis abunde hanc confutavimus conjecturam eruditissimi cæteroquin viri, et cui summa omnia tribuimus, ad epistolarum in nostra recensione 57 et 60 Chronologicas Notas. Quamquam aliud prætermittere non possum, quod illum ex præconcepta opinione in errorem induxisse video, cum ad Sophoniæ caput tertium laudari abs Hieronymo Commentarios in Jonam contendit. Cumque non dubitet, hosce illis posteriores esse, immo plus æquo etiam disserat; ut ab hac se expediat difficultate, *Breviores alios Commentarios*, quos supra ostendimus nusquam exstitisse, ibi quasi digito notari ait, hocque sibi putat palmarium invenisse quomodo opus astrueret, auctore, ut sibi videtur, fidejubente. At vero nihil eorum, quæ sibi fingit, eo loco, aut ullibi invenias. Quin econtrario cum passim ibi Jonæ testimonia pro re nata laudet S. Pater, nullam nec verbo tenus abs se adornati in eum prophetam Commentarii mentionem ingerit; estque hoc ipsum silentium exsufflandæ illi opinioni utilissimum. Cæterum ut ad genuinam, qua de sermo erat, explanationem Jonæ redeam, illam neque serius eo quem diximus, nonagesimo septimo supra trecentesimum anno differre patitur alterum ejusmet S. Patris testimonium in Commentariis in Matthæi caput duodecimum. *De hoc*, inquit (signo scilicet Jonæ) *plenius in Commentariis Jonæ prophetæ disputavimus*. Scilicet nihil est dubium, et suo nos loco certissimis argumentis probabimus, S. Doctorem ad medium insequentis anni 398 Matthæum per quam properante calamo exposuisse.

Explanationem Abdiæ huicmet anno, cui Commentarios in Jonam, pari consensu ascribunt eruditi, quin etiam his illam ordine ac temporis prærogativa præcessisse autumant. Ac rationem quidem, quæ prima fronte certissima videatur, ex ipso repetunt Hieronymi testimonio, quod modo laudavimus e præfatione Commentariorum in Amos: *Tertio post longi temporis silentium Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui.* Nihilosecius multo mihi aliter persuasum est, ac pace dixerim receptæ vulgo sententiæ, tantum abest, ut συγχρόνους hasce putem lucubrationes, quin potius alteram, sive quæ Abdiam explanat, integro recentiorem esse velim quinquennio. Et vero dicam, cur non sit illi testimonio acquiescendum, aut certe qua sit acceptione explicandum. Nam Hieronymus par istud prophetarum sub una jungens recensione, non quo utrumque anno exposuerit, sed quem ipsi, habito ad reliquorum explanationem respectu, ordinem, sive locum obtinerent, docuisse voluit. Sub tertia igitur serie ac veluti classe locat, idque ut verissimum, ita et proposito suo satis abunde fuit: neque enim quot annorum periodo classis ipsa definiretur, dicere instituerat; et cum ait, *post longi temporis silentium* duobus hisce prophetis interpretandis admovisse manum, integrum lectori reliquit, immo, si quid video, non obscure innuit, longum illud tametsi incerti temporis spatium, necdum ab iis quos secunda classe recensuit, sed inter ipsorum invicem prophetarum Jonæ Abdiæque expositionem putare. Profecto nec ad Hieronymi quidem est mentem, quod triennio concluditur, longum tempus; bene vero, si quod posuimus, illud, et quinquenni, quod insuper intercessit ab Jona, spatium una computavit. Proinde nec debuit S. Pater in duas utramque lucubrationem classes dispertiri, in suam quamque pro temporis ratione tribuens; nam etsi multum inter se ætate distent, quin et major ab Jona ad Abdiam, quam a superiori classe ad ipsum Jonam interstitium sit: consulto tamen una comprehendi serie, cum non alios prophetas tota illa periodo fuerit interpretatus, hosque ipsos uni eidemque Pammachio inscripserit. Hoc prænotato, qui unus fuerat institutæ disputationis scopus, non alia de causa Abdiam recensendo præposuit, quam quod sibi succedentes prophetas ad Scripturæ obvium magis ordinem memoravit. Alioquin huic primum existimare impendisse operam, neque per adversarias rationes licet. Quid his nempe clarius est verbis prologo in ipsum Jonam: *Tanto post tempore a Jona interpretandi sumo principium?* Nihil est igitur quo vulgaris innitebatur fundamento sententia: jam qua de causa nos quinquennio, sive ad annum usque quadringentesimum tertium hosce Commentarios protelemus, aperiendum est. Palmare argumentum ipsiusmet auctoris præfatio in hunc librum suppeditat ex rerum quas narrat serie. Sed ait ab eo tempore quo specimen hujus Commentarii *in adolescentia* tentaverat, *triginta jam annos in Dei opere ac labore sudasse*: illudque ipsum tempus quale fuerit, inferius declarat, *quando egressi*, inquiens, *mi Pammachi, scholam rhetorum, diverso studio ferebamur: quando ego et Heliodorus charis-*

*simus pariter habitare Chalcidis solitudinem nitebamur*. Est vero isthæc perspicua anni trecentesimi septuagesimi tertii nota, quam ex Hieronymianæ peregrinationis, ejusque priorum scriptionum indiciis satis manifesto constituimus, ut videre est ex epistolarum a prima ad duodecimam usque chronologicis argumentis. His porro trecentis septuaginta tribus annis si alios triginta addideris, qui ab eo, ut ipse ait, *puerilis ingenii* præludio, ad *hoc maturæ senectutis* opus intercesserunt, ipsum jam teneas quadringentesimum tertium, cui anno librum ascripsimus. Atque huic quidem rationi tantum tribuimus, ut hac una salva res sit; si alias inire velis, et Hieronymi vitæ vestigia, et plurium ex ejus scriptis ordinem atque ætatem susdeque vertas.

De reliquis in Zachariam et Malachiam, tribusque aliis in Oseam, Joelem, et Amosum Commentariis expedita res est ex toties laudato S. Patris testimonio, quod criticis observationibus nihil reliqui fecit; satisque luculenter uno omnes illigavit *anno, qui sexti consulatus Arcadii Augusti, et Anitii Probi fastis nomen imposuit*. Hic est annus quadringentesimus sextus (non octavus, ut post Victorium falso Martianæus colligit) consentientibus in banc epocham monimentis Veterum universis.

---

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM

# IN OSEE PROPHETAM

LIBRI TRES

## AD PAMMACHIUM.

## Prologus.

Si in Explanationibus omnium prophetarum sancti Spiritus indigemus adventu, ut cujus instinctu scripti sunt, illius revelatione pandantur : et in Isaia atque Apocalypsi signatum legimus (*Isa.* XXIX; *Apoc.* V) librum, quem Scribæ et Pharisæi, qui Legis litteras nosse se jactant (*Joan.* VI), non possunt legere, quia signatus est, nullusque inveniri potuit, nisi leo de tribu Juda, quem signavit Deus Pater, qui ejus posset reserare mysteria : quanto magis in explanatione Osee prophetæ orandus est Dominus, et cum Petro dicendum : *Edissere nobis parabolam istam* (*Matth.* XIII, 16). Præsertim cum obscuritatem voluminis in fine testetur ipse, qui scripsit : *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et cognoscet ea* (*Osee* XIV, 10)? Quod non pro impossibili, sed pro difficili debemus accipere, juxta illud Evangelii : *Quis putas est servus fidelis et prudens quem constituit* A *Dominus super familiam suam* (*Matt.* XXIV, 65)? Quis enim non statim in fronte libri scandalizetur, et dicat : Osee primus omnium prophetarum meretricem accipere jubetur uxorem, et non contradicit? Non saltem nolle se simulat, ut rem turpem facere videatur invitus; sed exsequitur lætus imperium, quasi optaverit, quasi multo tempore eum pudicitiæ vacasse pœniteat : cum honestiora et absque peccato sanctos viros renuisse, Domino [b] jubente, legerimus. Moyses mittitur ad Pharaonem, et dux Israelitici populi constituitur : et tamen non imbecillitate, sed humilitate respondet : *Provide alium quem mittas* (*Exod.* IV, 13). Jeremias puerum esse se dicit, ne peccantem arguat Jerusalem (*Jerem.* I). Ezechiel de omni genere leguminis ac sementis unum subcinericium panem facere, et coquere illum in humano B stercore jubetur, et ait : *Nequaquam, Domine, quia*

[a] Universos in duodecim prophetas, qui hoc continentur tomo, Hieronymi Commentarios exegimus ad duos mss. codices Palatino-Vaticanos antiquissimos, alterum 173, alterum 174, numeris prænotatos. Sex quoque posteriores prophetas ad reginæ Suecorum codicem num. 93, sane perquam vetustum, atque emendatum. Ex parte autem nunc hos, nunc illos, cum aliis consuluimus optimæ notæ mss. quos suo quosque loco laudabimus.

[b] Vox *jubente* in Palatinis mss. et Victorii editione non habetur.

*numquam immundum introivit in os meum* (*Ezech.* IV, 14). Et Osee audiens a Domino : *Accipe uxorem fornicariam* (*Osee* I, 2), non frontem rugat, non mœrorem pallore testatur, non verecundiam, mutato [*Al.* verecundia mutato] genarum rubore, demonstrat; sed pergit ad lupanar, et scortum ducit ad lectulum. Et non [a] initiat illam pudicitiæ matronali; sed se luxuriosum ac nepotem probat. Qui enim adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur (I *Cor.* VI). Hæc igitur audientes quid possumus respondere nisi illud propheticum : *Quis sapiens et intelliget ista, intelligens et cognoscet ea?* (*Osee* XIV, 10.) Unde et nobis dicendum est cum David : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de legè tua* (*Ps.* CXVIII, 18); ut introducat nos rex in cubiculum suum (*Cant.* I), et velamen quod ante oculos Moysi positum fuit in lectione veteris Testamenti (*Exod.* XXXIV), tollat a nobis (II *Cor.* III). Statim enim ut locutus est Dominus : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, et hæc dicens exspiravit* (*Luc.* XXIII, 46), velum templi scissum est, et omnia Judæorum secreta patuerunt. Et fons qui egrediebatur de domo David [*Al.* Domini], ingressus est mare solitudinis; et verus Elisæus aquas steriles atque mortiferas sapientiæ suæ condivit sale, et fecit esse vitales (IV *Reg.* IV) : [b] Maraque Legis, quæ interpretatur *amaritudo*, ligno patibuli dulcorata est (*Exod.* XV). Intelligimus enim quis sit Judas patriarcha electus in regem, nec miratur cur ad Thamar quasi ad meretricem vir sanctus introierit (*Genes.* XXXVIII); quare Samson, qui interpretatur *sol*, Dalilam amaverit, quæ transfertur in *pauperem*; et propter eam irrisus et mortuus adversariorum millia trucidarit (*Judic.* XVI); cur Salmon virum justum Booz de Raab meretrice generarit, qui Ruth Moabiten pinna pallii sui operiens, et jacentem ad pedes, ad caput Evangelii transtulerit (*Ruth.* I, II, III). Quid causæ sit ut cum David tot habuerit uxores, nullum alium regni sui fecerit successorem nisi eum qui de Bethsabee procreatus est (III *Reg.* I) : ut non solum meretrices, sed etiam adulteræ Deo placere videantur. Unde et in hoc ipso propheta legimus, quod junctus primum meretrici, secundo adulteræ copuletur, dicente ad eum Domino : *Adhuc vade, dilige mulierem dilectam amico* (*Osee* III, 1), sive diligentem mala [*Al.* Malam], *et adulteram.* Hæc est mulier meretrix et adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lacrymis lavit, crine detersit, et confessionis suæ honoravit unguento, indignantibusque discipulis, et maxime proditore, quod non fuisset venditum, et pretium illius in alimenta pauperum distributum, Dominus respondit : *Quid molesti estis mulieri, opus bonum operata est in me, pauperes enim semper habebitis* [*Al.* habetis] *vobiscum : me autem non semper habebitis* (*Matth.* XXVI, 10, 11). Et ne putaremus leve esse quod fecerat, et nardum pisticum, id est, unguentum fidelissimum, ad aliud quid, et non ad Ecclesiam esse referendum, dat nobis occasionem intelligentiæ et magnæ fidei, magna præmia repromittit, dicens : *Amen, amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus* [*Al.* mei]. Hæc est meretrix de qua loquitur Dominus ad Judæos : *Amen dico vobis, meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei* (*Matth.* XXI, 31). Vos enim missum ad vos Filium patris familiæ et Dominum vineæ, qui plantavit eam, suscipere noluistis. Ista meretrix exploratores meos duos fortissimos juvenes, quorum alterum in circumcisionem misi, alterum ad gentes, humanitate suscepit, abscondit studio, levavit in tectum, operuit lini stipula (*Jos.* II). Quæ cæsa persecutionibus, et lota in baptismate, immutat colorem, et de tetro in album vertitur. Nec mirum si in figura Domini Salvatoris, et Ecclesiæ de peccatoribus congregatæ, hæc facta memoremus, cum ipse in hoc eodem dicat propheta : *Loquar ad prophetas; ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* (*Osee* XII, 10); ut quidquid prophetæ jubentur operari, ad meam referatur similitudinem. Cujus uxor Æthiopissa est, contra quam Aaron et Maria, carnale sacerdotium Judæorum, et prophetia litteræ serviens, mussitant et offendunt Deum (*Num.* XII) : quæ dicit in Cantico Canticorum : *Fusca sum et formosa, filiæ Jerusalem* (*Cant.* I, 4). Alioquin si omnia quæ præcipiuntur ob causas, ut in similitudinem fiant, vere facta contendimus : ergo et Jeremias accinctus lumbari, vestimento muliebri, inter innumerabiles nationes et Assyrios atque Chaldeos, gentes inimicissimas Judæorum, ivit ad Euphratem, ut ibi absconderet lumbare suum, et post multa tempora reversus, invenit illud computruisse quod nulli esset usui (*Jerem.* XIII). Quomodo exire poterat, et ire tam longe obsessa Jerusalem, exstructis per circuitum munitionibus, fossa, vallo, atque castellis? Qui cum semel ad Anatoth viculum suum in tertio milliario ab urbe situm voluisset exire, in porta capitur [*Al.* captus], et reductus ad principes, quasi proditor verberatus in carcerem mittitur. Si illud in typo, quia fieri non potuit : ergo et hoc in typo, quia si fiat, turpissimum est. Sed respondebis, Deo jubente, nihil turpe est : et nos dicimus, nihil Deus præcipit nisi quod honestum est, nec jubendo turpia, facit honesta quæ turpia sunt. Sed quia scimus nihil Deum velle nisi quod honestum est, hoc præcepit quod honestum est. Hæc in principio prolixius sum locutus, ut difficillimam primum solverem quæstio-

[a] Hoc quoque verbum *initiat* in altero Palatino ms. desideratur.

[b] Hunc locum depravant, dum corrigere volunt, Erasmus et Marianus; neque enim fidem mss. codicum attendunt, sed conjecturis propriis nimium tribuentes mutant quæcumque volunt. Legunt itaque, *Marah* aut *Marath aquæ legis, quæ interpretatur amaritudo*, etc. Nos contextum et auctoritatem mss. sequentes restituimus, *Maraque legis*, etc., ut legit codex ms. S. Cygirani, licet alii retineant *myrra* pro *mara*. MART. — Veteres vulgati, *Marah* (aut *Marath*) *aqua legis*, etc.

nem, et [a] obsitum in ipso exitu scopulum Dei auxilio prætergrediens, ad tuta decurrerem. Cæterum non ignoro, Pammachi charissime, a multis Ecclesiasticis prætermissam : et qui exponere sunt conati, apud Græcos reperi Apollinarem Laodicenum, qui cum in adolescentia sua breves et in hunc et in alios prophetas commentariolos reliquisset, tangens magis sensus, quam explicans, rogatus est postea, ut in Osee plenius scriberet : qui liber venit in nostras manus ; sed et ipse nimia brevitate ad perfectam intelligentiam lectorem ducere non potest. Origenes parvum de hoc propheta scripsit libellum, cui hunc titulum imposuit, *περὶ τοῦ πῶς ὠνομάσθη ἐν τῷ Ὡσηὲ Ἐφραΐμ*, hoc est, *quare appellatur in Osee Ephraim*, volens ostendere quæcumque contra eum dicuntur, ad hæreticorum referenda personam. Et aliud volumen *ἀκέφαλον καὶ ἀτέλεστον*, quod et capite careat et fine. Pierii quoque legi tractatum longissimum, quem in exordio hujus prophetæ die vigilarium Dominicæ passionis extemporali et diserto sermone profudit. Et Eusebius Cæsariensis in octavo decimo libro *Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως*, quædam de Osee propheta disputat. Unde ante annos circiter viginti duos, cum rogatu sanctæ et venerabilis socrus, immo matris tuæ Paulæ (illud enim nomen carnis, hoc spiritus est : quæ monasteriorum et Scripturarum semper amore flagravit) essem Alexandriæ, vidi [b] Didymum, et eum frequenter audivi, virum sui temporis eruditissimum, rogavique eum, ut quod Origenes non fecerat, ipse compleret, et scriberet in Osee Commentarios : qui tres libros[c], me petente, dictavit, quinque quoque alios in Zachariam. Nam et in ipsum duo tantum Origenes scripsit volumina, vix tertiam partem a principio libri usque ad visionem quadrigarum edisserens. Hæc dico, ut noveris quos in Prophetæ hujus campo habuerim præcursores : quos tamen ut simpliciter et non superbe (sicut quidam meorum amicorum semper insibilet) tuæ prudentiæ fatear, non in omnibus sum secutus; ut judex potius operis eorum quam interpres existerem, diceremque quid mihi videretur in singulis, et quid ab Hebræorum magistris vix uno et altero acceperim. Quorum et apud ipsos jam rara avis est, dum omnes deliciis student et pecuniis, et magis ventris quam pectoris curam gerunt, et in hoc se doctos arbitrantur, si in tabernis medicorum de cunctorum operibus detrahant. Sed jam tempus est ut prophetæ verba ponentes, ea quæ scripta sunt, disseramus.

[a] Ita legit ms. Codex Cluniacensis Monasterii, quem secuti sumus. Aliud exemplar S. Martini a Campis, retinet diversam lectionem, nempe *et oppositum in ipso exitu scrupulum*. Id ipsum legimus in mss. codicibus S. Albini Andegavensis et S. Cygiranni, nisi quod pro *scrupulo* legunt *scopulum*. Erasmus maluit de suo ponere *abditum in ipso*, etc., quod Marianus imitatur. MART. — Nostri mss. *obpositum*, *vel oppositum* legunt, quemadmodum et nonnulli penes Martianæum.

[b] Sic autem intelligito, ut plenos in Osee Commentarios scripsisse Origenem neget, non vero parvos et in aliquot ejus prophetæ partes libellos. Vide hac de re Huetium Origenian. p. 251, n. 11.

[c] Quin sibi etiam inscripsit, ut in Catalogo, et Apologia ultima contra Rufinum ipse Hieron. tradit. Hoc ipsum testatur Palatini codicis scriptor, qui legit *tres libros ad me*, *me potente*, etc. Ex Didymi opere fragmenta quædam recitat Damascenus in Parallelis.

# *LIBER PRIMUS.*

**1** (Cap. I. — Vers. 1.) Verbum *Domini quod factum est ad Osee filium Beeri*. LXX similiter. Verbum Domini, quod in principio erat apud Deum Patrem, et Deus erat Verbum, factum est ad Osee filium Beeri, ut prophetam quoque Deum faceret, Salvatore dicente : *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, blasphemas : quia dixi, filius Dei sum* (*Joan.* x, 35, 36). Ut quomodo Deus deos facit, et stat in syngoga deorum, in medio autem deos dijudicat (*Psal.* LXXXI); et cum ipse sit verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), ad apostolos loquitur : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14), sic et ipse Salvator prophetam suum faciat salvatorem. *Osee* enim, in lingua nostra, *salvatorem* sonat : quod nomen habuit etiam Josue filius Nun (*Num.* XIV), antequam ei a Deo vocabulum mutaretur. Non enim (ut male in Græcis codicibus legitur et Latinis) *Ause* dictus est, quod nihil omnino intelligitur; sed *Osee*, id est, *salvator*; et additum est ejus nomini Dominus, ut *salvator Domini* dicere-

tur. Iste ergo salvator filius est *Beeri*, id est, *putei mei*, quos puteos fodit Abraham, Isaac, et Jacob, et Allophyli eos semper conabantur obruere (*Gen.* XVI, XXI, XXVI, XLVI). Inter puteum et lacum, id est, cisternam, hoc interest, quod puteus perpetuas aquas habet, et de vivo fonte manantes. Cisterna, quæ refrigerat, aquas suas externas et adventitias possidet. Unde per Jeremiam **2** prophetam loquitur Deus : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ aquas non valent continere* (*Jerem.* II, 13). De hoc fonte ad Deum psalmista proclamat : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10). Unde quidam putant *Beeri*, interpretari, *lumen meum;* sed superior vera translatio est.

*In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda; et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel.* LXX similiter. Azarias, qui vocatur et Ozias, de stirpe David regnavit in Jerusalem super duas tribus, quæ appellabantur Juda, annis quinquaginta duobus, cui successit in regnum filius ejus Joatham, qui et ipse regnavit annis sedecim : post quem filius ejus

Achaz regnavit annis similiter [a] sedecim. Post Achaz regnavit filius ejus Ezechias annis viginti novem, cujus anno sexto decem tribus, quæ appellabantur Israel, captæ sunt a Salmanasar rege Chaldæorum, et in Medorum montibus collocatæ. Ex quo perspicuum est, prophetante Osee, Isaia, et Joel, et Amos, et Abdia, et Jona et Michæa, qui σύγχρονοι ejus fuerunt, regnum decem tribuum esse finitum, quod a primo rege Jeroboam usque ad ultimum Osee, permansit annis ducentis quinquaginta. Eo autem tempore, quo Ozias regnare cœpit super Judam, [b] super Israel regnabat Jeroboam pronepos Jehu, cui Dominus repromiserat usque ad quartam generationem sobolem illius regnaturam : eo quod percussisset duos reges impios, 3 Juda et Israel. Hoc dicimus ut tibi breviter ostendamus, Osee prophetam, et ante B captivitatem Israel, et post captivitatem ejus vaticinatum, et tam vicinam, quam præsentem, et præteritam [c] vidisse, et denuntiasse venturam, et luxisse ingruentem, et in emendationem Judæ retexuisse præterita ; quod in ipso propheta juxta historiam conabimur approbare. Ozias interpretatur *fortitudo Domini* ; Joatham, *Domini consummatio*, atque *perfectio* ; Achaz, *virtus* ; Ezechias, *imperium Domini*. Hi regnabant in populo *Juda*, cujus nomen, *confessio*, est. Porro in Israel qui sibi idola fecerat, et a Dei populo fuerat separatus, regnabat Jeroboam [d], qui interpretatur χρονισμὸς, id est, *temporalitas*, sive *mora* : quod mundum amaverit, et in ipso morari diu, vitam putaverit, sempiternam, nequaquam futuris, sed præsentibus delectatus.

(Vers. 2.) *Principium loquendi Domini* [*Al.* Domini *et Vulg.* Domino] *in Osee.* LXX : *Principium verbi Dominiad Osee.* Quia, ut supra diximus, et aliis prophetis præferuntur in titulo, Ozias, Joatham, Achaz, et Ezechias, quibus regnantibus prophetaverunt : idcirco nunc dicit quod inter omnes hos primum in Osee Dominus sit locutus, et postea ad cæteros. Aliud est autem loqui Dominum in Osee, aliud ad Osee. In Osee, non ipsi loquitur Osee, sed per Osee ad alios ; ad Osee vero loquens, ad ipsum significatur conferre sermonem. Alii autem non primum omnium prophetarum volunt fuisse Osee, ex eo quod dicitur : *Principium loquendi Domini in Osee :* sed ostendi quod hæc quæ sequuntur, primum ad Osee Dominus sit locutus.

*Et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum.* LXX : *Et dixit Dominus ad Osee : Vade, tolle tibi uxorem fornicationis.* Verbum Hebraicum [e] ZANUNIM (זנונים), non *fornicariam* et *fornicationem*, ut plerique æstimant, sed *multas fornicationes* sonat. Ex quo ostenditur mulier ista, quam propheta sumit in conjugem, non semel, sed frequentius fornicatam, ut quanto illa 4 sordidior est, tanto sit propheta patientior, qui talem uxorem duxerit. Quodque additur :

*Ac* [*Vulg.* Et fac tibi] *filios fornicationum : quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* LXX : *Et filios fornicationis : quia fornicans fornicabitur terra post Dominum.* Ἀπὸ κοινοῦ subauditur : Sume tibi uxorem fornicationum, et sume tibi filios fornicationum. Utrumque potest intelligi, quod et fornicariæ priores

[a] Totum huncce locum restitui ex ms. codice S. Albini Andegavensis, cum depravatissime legatur in aliis mss. exemplaribus et in Erasmiana Editione. MART. Pro *sedecim*, hoc et superiori versu, *quindecim* præferunt Palatini mss. qui et pari consensu impressam olim lectionem ita continuant : *cujus anno undecimo decem tribus, quæ appellabantur Israel, captæ sunt a Salmanasar rege Chaldæorum, et in Medorum montibus collocatæ. Post Achaz regnavit filius ejus Ezechias annis viginti et octo.* Ad hunc vero, quo nunc est, modum, restituta prius a Victorio fuit, cujus de antiqua lectione hoc erat judicium. Falsam, inquit, et erroneam esse, dubio vertetur nemini. Errores in ea conspicui duo. Primus, quod tempore Achaz decem tribus asserat captas, idque factum anno ejus undecimo : cum tamen illæ in captivitatem venerint sub Ezechia anno illius sexto, ut clare constat IV Reg. XVIII, his verbis : *Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam et oppugnavit eam, et cepit.* Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est, nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria, et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala, et in Habor fluviis Gozam, in civitatibus Medorum. Secundus error, quod dicat Ezechiam regnasse annis viginti octo, cum tamen ille regnaverit viginti novem, IV Reg. XVIII, et II Paralip. XXIX. Menda sacrorum codicum ope sublata sunt in hunc modum: *Post quem filius ejus Achaz regnavit annis similiter sedecim. Post Achaz regnavit filius ejus Ezechias annis viginti novem, cujus anno sexto, decem tribus, quæ appellabantur Israel, captæ sunt a Salmanasar rege Chaldæorum*, etc. Erratum primum facile sublatum est suo loco versiculo, qui inferius jacebat, reposito. Porro et Martianæus ex ms. S. Albini Andegavensis asseruit. Vide Chronicon ad n. 1272.

[b] Sine numero annorum legit ms. codex Monasterii Cluniacensis, quem cæteris præferre non dubito, cum propter antiquitatem, tum propter elegantem scripturam et accuratam manum qua exscriptus est. Alii legunt, *duodecimum annum super Israel regnabat*, quod falsum esse Marianus ostendit contra Erasmum. Videsis eorumdem Editiones. MART. — Iterum Palatini mss. cum olim impressis libris interserunt, *duodecimum annum*, quæ duo verba Martian. ad Cluniacensis ms. fidem expunxit. Victorius satis habuit animadvertisse in Notis : Hæc quoque, inquiens, vetus lectio falsa : Pro *duodecimum* enim legendum est, *vicesimum septimum*, IV Reg. XV : *Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda.* Eumdem autem esse Oziam et Azariam nemo ambiget, si legerit IV Reg. XV et II Paral. XX.

[c] Verbum *vidisse*, neque habent mss. nostri, neque Victorius novit.

[d] Per quam crudite, utque opinor, verissime notatum est Drusio, nomen Joas hic librariorum vitio ex Hieronymi textu excidisse, supplerique locum ita oportere : *regnabat Jeroboam, filius Joas, qui interpretatur* χρονισμὸς. Equidem χρονισμὸν, sive *temporalitatem*, aut *moram*, sonare Jeroboam nequit, aut hanc apud Veteres sui nominis etymologiam umquam obtinuit : quæ Joas propria continuo fuit ; ut econtrario ille δικασμὸς λαοῦ, *judicatio populi*, vulgo interpretatur. Hieron. ipse in Amos c. I. vers. I : *Jeroboam*, δικασμὸς λαοῦ, *id est, judicatio, vel causa populi : Joas*, κυρίου χρονισμα, *id est, Domini mora, sive temporalitas.* Suppleri duas voculas sacer ipse textus Osee jubet : *In diebus Jeroboam filii Joas, regis Israel*, etc.

[e] In uno Palat., ZANNIN.

[ *Al.* prioris ] de fornicatione susceptos recipiat filios, et ipse ex meretrice generet filios, qui idcirco fornicationis appellandi sunt filii, quod sint de meretrice generati. Nec culpandus propheta, interim ut sequamur historiam, si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo ; sed qui malus est, in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum ; sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam antea non habebat : præsertim cum beatus Osee, non ob causam luxuriæ, non libidinis, non propria fecerit voluntate, sed Dei paruerit imperio, ut quod in isto carnaliter legimus, in Deo factum spiritualiter probaremus. Qui suscepit Synagogam, hoc est, populum Judæorum fornicationi et libidini servientem. Ad quam Dominus loquitur per Ezechielem : *Et tu, meretrix, audi verbum Domini : Fractæ enim sunt in Ægypto mammæ ejus* (*Ezech.* XXIII, 3) ; et volutabatur in sanguine, et fuerat polluta usque ad verticem, ut nulla pars corporis atque membrorum ejus esset, quæ turpitudinis maculam non haberet. Operuit talem Dominus pallio, et suis junxit amplexibus, dedit ei mel et oleum et similam manducare, et induit eam vestibus pretiosissimis, posuit in collo ornamenta gemmarum, aures ornavit auro et lapide pretiosissimo, armillas quoque brachiis præbuit ut bonis uteretur operibus. Et nihilominus hæc contempta largitate et bonitate viri, prioris immemor turpitudinis, **5** amatores Chaldæos et Assyrios et Ægyptios, qui magnarum sunt carnium, secuta est. De Salvatoris et Ecclesiæ typo in præfatiuncula diximus, quod sumpserit sibi uxorem fornicariam, quæ prius idolis serviebat. Si quis autem contentiosus, et maxime gentilium, noluerit figuraliter dictum recipere, et irriserit prophetam fornicariæ copulatum, opponamus ei illud, quod solet laudare Græcia, et philosophorum scholæ concinunt. Qua ratione prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum juvenem inter psaltrias atque tibicines et impudicas mulieres ebrium et [a] hedera coronatum fecit obedire sapientiæ, et adolescentem turpissimum mutavit in sapientissimum philosophorum. Cur Socratem ad cœlum levent, qui Phædonem, ex cujus nomine Platonis liber est, de lupanari, ob crudelitatem et avaritiam domini, multorum libidini servientem, in Academiam transtulerit? Et quidquid illi de philosophiæ magistris responderint, nos ad Prophetæ defensionem referimus. Hæc adversum ethnicos et eos, qui Ethnicorum sunt similes, dixerimus. Cæterum nostris, qui tamen volunt suscipere veritatem, illud breviter ostendamus, ex eo quod dicitur : *Quia fornicans, fornicabitur terra a Domino*, non tam prophetam junctum esse meretrici, quam omne hominum genus a societate Domini recessisse. Potest quoque ex eo quod non est additum, *omnis terra*, nunc Judæa accipi, vel proprie Samaria et Israel, id est, decem tribus, quæ eo tempore quo hæc dicebantur, a Domino recesserant.

(Vers. 3, 4.) *Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim : et concepit et peperit* [Vulg. addit *ei*] *filium. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrael : quoniam adhuc modicum et visitabo sanguinem Jezrael super domum Jehu : et quiescere faciam regnum domus Israel.* LXX : *Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaim : et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrael : quia adhuc modicum et ulciscar sanguinem Jezrael super domum Juda : et quiescere faciam regnum domus Israel.* Prophetæ sic multa post sæcula de adventu Christi et vocatione gentium pollicentur, ut præsens tempus **6** non negligant, ne concionem ob aliud convocatam non docere de his quæ instant [*Al.* stant], sed de incertis ac futuris ludere videantur. Itaque et hæc Gomer filia Debelaim, quæ ab Osee uxor accipitur, et concipit ex eo, et parit ei filium nomine *Jezrael*, qui interpretatur *semen Dei*, in cujus sanguinis ultionem, regnum subvertit *Jehu*, sive, ut male error obtinuit, *Juda*, sic ad vocationem referenda est nationum, ut illi tempori congruat, sub quo filium generasse memoratur. Et ne longo tractatu lectoris aviditatem differam, duæ istæ mulieres quarum una vocatur Homer, et est meretrix, paritque tres liberos, primum Jezrael, secundam puellam, quæ vocatur absque misericordia, et tertium masculum, qui et ipse appellatur *non populus meus* : et altera mulier, quæ conducitur argenteis quindecim, et coro, et dimidio coro hordei, et vocatur adultera, referuntur ad Israel et ad Judam, id est, ad decem tribus quæ erant in Samaria sub rege Jeroboam, qui fuit de Ephraim, et ad Judam, qui regnabat in Jerusalem de stirpe David. Hæ sunt duæ mulieres, quæ in Zacharia upupæ, sive milvi, sive herodii pennas habere dicuntur, et ire in terram Sennaar, ubi Babylon condita est. Has mulieres sub nomine duarum sororum Oola significat et Ooliba : hæ in duabus virgis, quas Ezechiel in unam virgam sociat, demonstrantur. Et quia commentarios, non lata volumina scribimus, singulis capitulis explanationes proprias in suis locis reservantes, nunc tantum de præsenti capitulo disputemus. *Gomer* interpretatur τετελεσμένη, id est, *consummata*, atque *perfecta* : alii θώρακας, id est, *loricas*, significari putant. Sunt qui *mensuram*, sive *amaritudinem* suspicentur, qui [*Al.* quod] recte dicerent, si Gimel litteram non haberet. *Debelaim* παλάτας sonat, quarum in Palæstina permagna copia est, et quas Isaias propheta ulceri Ezechiæ regis jubet apponi (IV *Reg.* II, et *Isa.* XXXVIII). Est autem massa pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illæsæ permaneant, calcant atque compingunt. Igitur et Israel consummata in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quæ

[a] Palatini mss. voeem *hedera* ignorant.

fruentibus suavis videtur et dulcis, in typo Domini Salvatoris 7 ab Osee uxor accipitur : et primus ex ea Dei filius generatur, id est, *Jezrael;* est autem civitas metropolis decem tribuum, in qua interfectus est Naboth [*Al.* Nabutha], ob cujus sanguinem suscitatur Jehu, qui delevit domum Achab et Jezabel. Verum quia et ipse Jehu, ultor sanguinis justi, ingressus est per vias Jeroboam filii Nabath, qui fornicari fecit Israel, et constituit vitulos aureos in Dan et in Bethel (III *Reg.* XII), regnum quoque ejus dicitur subvertendum : sub cujus pronepote Jeroboam prophetare cœpit Osee : quo mortuo, filius ejus Zacharias successit in regnum; quem sexto mense imperii sui occidit Sellum de alia stirpe generatum (IV *Reg.* XV). Quam ob causam nunc dicitur : *Adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrael,* id est, occisionem populi mei, super domum Jehu regiam, quæ eo tempore præerat Israel. Nec mirum si domus Jehu subvertatur, cum etiam regnum domus Israel, hoc est, decem tribuum post non multos annos omnino sit delendum. A Zacharia enim filio Jeroboam, cujus atavus fuit Jehu, usque ad nonum annum Osee, sub quo decem tribus ductæ sunt in captivitatem, supputantur anni quadraginta et novem. Occisoque Zacharia, qui fuit ultimus de stirpe Jehu, statim reges Assyrii ceperunt Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse, quæ erant trans Jordanem ; et deinde multas civitates Samariæ, et deinde totam Nephtali, ad extremum omnes reliquas tribus. Pro *Jehu* in Editione Vulgata legitur *Juda :* sed hoc mihi videtur non vitio Septuaginta interpretum, sed scriptorum inolevisse imperitia, qui ignorantes *Jehu :* quod magis tritum erat, scripserunt *Juda.* Typus autem seminis Dei, et ultio sanguinis ejus refertur ad Domini passionem, propter quam et domus Juda et regnum universi Israel dicitur subvertendum.

(Vers. 5.) *Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrael.* LXX similiter. Quando ultus fuero sanguinem Jezrael super domum [a] Jehu, et regnum Israel, Assyrio vincente, delevero, tunc illa die, et in illo tempore conteram omne robur exercitus Israel in valle Jezrael. Supra diximus Jezraelem, quæ nunc juxta Maximianopolim est, fuisse metropolim 8 regni Samariæ [b] prope quam sunt campi latissimi, et vallis nimiæ vastitatis, quæ plus quam decem millium tenditur passibus. In hoc commisso certamine, ab Assyriis cæsus est Israel, id est, decem tribus, quæ ob Jeroboam de tribu Ephraim, qui primus schisma fecit in populo, appellatæ sunt Ephraim. Interdum propter Joseph, qui fuit pater Ephraim, vocatur Joseph : nonnumquam Samaria, quæ et ipsa altera urbs fuit metropolis decem tribuum, quæ postea ab Augusto Cæsare appellata est, Augusta, id est, Σεβαστὴ, in qua ossa Joannis Baptistæ condita sunt. Post divisionem ergo duarum et decem tribuum, ob maximam partem multitudinis quæ Jeroboam secuta est, nomen pristinum Israel remansit in decem tribubus. Et propter tribum Juda, quæ regnavit in Jerusalem, aliæ quæ tribus appellatæ sunt Judas : simulque typi veritas explicatur. Quomodo enim propter sanguinem Naboth [*Al.* Nabutha], qui effusus est in Jezrael, deleta est domus Achab, ut Eliæ vaticinium compleretur : sic propter sanguinem veri Jezrael, hoc est, seminis Dei, regnum destructum est Judæorum. In omnibus quidem prophetis, sed præcipue in Osee, decem tribus referuntur ad hæreticos, quorum multitudo maxima est : duæ autem tribus quæ appellantur Juda, Ecclesiæ personam possident, quæ sub stirpe David regnabant [*Al.* regnant]. Arcus igitur hæreticorum, de quibus scriptum, est : *Filii Ephraim intendentes, et mittentes arcum, conversi sunt in die belli* (*Psal.* LXXVII, 9), confringetur in valle seminis Dei, de quo humilia et terrena senserunt.

(Vers, 6, 7.) *Et concepit adhuc, et peperit filiam, et dixit ei : Voca nomen ejus, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel ; sed oblivione obliviscar eorum. Et domui Juda miserebor : et salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in* [c] *gladio, et in arcu, et in bello, et in equis, et in equitibus.* LXX : *Et concepit adhuc, et peperit filiam, et dixit ei : Voca nomen ejus, Absque misericordia ; quia nequaquam addam ultra misereri domui Israel : sed adversans adversabor eis : filiorum autem Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu, neque in gladio, neque in bello,* 9 *neque in equis, neque in equitibus.* Postquam contritus est atque confractus arcus Israel, in valle Jezrael, et regnum decem tribuum destitutum, ita ut ducerentur in captivitatem, nequaquam jam Jezrael, id est, semen Dei, nec masculini sexus filius nascitur : sed filia, id est, femina fragilis sexus, et quæ victorum pateat contumeliæ, et vocatur Absque misericordia. Idcirco enim captiva ducta est, quia misericordiam Dei non habuit. Et consideranda Domini indignatio. Quod nequaquam domui Israel se dicat misereri ultra, sed eos de memoria sua æterna oblivione delere ; quia usque hodie Persarum regibus serviunt, et numquam est eorum soluta captivitas. Domui autem Juda misericordiam pollicetur, et dicit, quia eos salvet in Domino Deo suo, vel in seipso qui loquitur : vel Pater salvet in Filio, juxta illud quod scriptum est : *Pluit Dominus a Domino* (*Genes.* XIX, 24). Salvavit eos enim [*Al.* etiam] quando Israel Assyriis traditus est, de manu Sennacherib, non in arcu et gladio et bello et in equitum multitudine, sed in suo robore, quando misit Angelum, et percussit de exercitu Sennacherib regis Assyriorum una nocte centum octoginta quinque millia (IV *Reg.* XIX). Juxta typum dicimus, eos qui propter sanguinem seminis Dei vocantur Absque misericordia, et dicere ausi sunt : *Sanguis ejus super nos, et super filios*

[a] Duo Palatini, *domum Juda,* pro *Jehu.*
[b] Iidem, *propter quam,* pro *prope.*
[c] Transponi Victorius mavult, *in arcu et gladio,* ad Hebræum, Græc. Latinumque contextum.

nostros (*Matth.* XXVII, 25), hucusque servire Romanis. Domum autem Juda, eos videlicet ex Judæis, qui Dominum sunt confessi, non in exercitus fortitudine, sed in Evangelii prædicatione salvatos. Quod in Israel et Juda tam juxta historiam, quam juxta typum, interpretati sumus, referamus ad hæreticorum conciliabula, et ad Ecclesiam Domini Salvatoris, quod, illis absque misericordia derelictis, regnumque perdentibus, Ecclesia Dei sui virtute superarit.

(Vers. 8, 9.) — *Et ablactavit eam quæ erat absque misericordia : et concepit, et peperit filium, et dixit : Voca nomen ejus, Non populus meus : quia vos non populus meus, et ego non ero vester.* LXX similiter. Qui vocabatur semen Dei versus in feminam [*Al.* femininam] et propter imbecillitatem virium, offensamque Dei, ductus in captivitatem, quia Domini misericordiam non habebat, nequaquam ablactatus dicitur, **10** sed ablactata : viri enim jam robur amiserat. Qui ablactatur, recedit a matre, parentis lacte non vescitur, alimentis sustentatur externis. Ita et Israel projectus a Domino, et captivitatis circumdatus angustiis, atque in Babylone cibis sustentatus immundis, vocatur non populus Dei, et æterna gentis alienæ feritur sententia, ut dicatur non populus meus, et abjiciatur [*Al.* abdicetur] in perpetuum. Quod recte intelligere possumus, et in omni populo Judæorum, qui propter offensam seminis Dei captivitati traditus, regnum perdidit, et provinciam, appellaturque non populus Dei.: et in persona hæreticorum. Si quis autem contentiosus interpres noluerit recipere ista, quæ diximus, sed meretricem nomine Gomer filiam Deblaim, primum, et tertium masculos, secundam, quæ media est, feminam intellexerit procreasse, hoc volens Scriptura sonare quod legitur, respondeat quomodo in Ezechiel illud exponat, ubi jubetur a Domino portare iniquitates domus Israel, id est, decem tribuum, et trecentis nonaginta diebus in uno latere sinistro dormire perpetuo, licet in LXX centum et nonaginta scripti sunt, et dormire ita ut numquam evigilet, nec mutet latus, nisi forte sopore satiatus paululum aperuerit oculos ad sumendum sordidissimum cibum subcinericii panis, qui de frumento, et hordeo, et faba, et lente, et milio coctus sit in humano stercore. Hoc enim rerum natura non patitur, ut quisquam hominum per trecentos nonaginta dies in uno semper latere dormiat. Et rursus, inquit : *Suscipies iniquitates domus Juda, et diebus quadraginta dormies in latere dextro.* Hi autem dies pro annis supputantur [*Al.* supputabantur], quibus Israel et Juda obsidione et captivitate longissima [a] detinentur, ita ut vincti et immobiles, de altero in alterum latus se versare non possint. Si illa et cætera his similia, quæ in Scripturis sanctis legimus, facta non potuerit approbare, sed aliud quid significare contenderit : ergo et meretrix ista mulier, et alia adultera mulier, quæ aut prophetæ jungebantur, aut servabantur a propheta, non turpem stupri conjunctionem, sed sacramenta indicant futurorum.

(Vers. 10.) *Et erit numerus filiorum Israel quasi* **11** *arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis, filii Dei viventis. Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra : quia magnus est dies Jezrael.* LXX : *Et erit numerus filiorum Israel sicut arena maris, quæ non mensurabitur, nec numerari potest. Et erit in loco ubi dictum est eis : Non populus meus vos : vocabuntur filii Dei viventis. Et congregabuntur filii Juda et filii Israel simul : et ponent sibi principatum unum, et ascendent de terra, quoniam magnus est dies Jezrael.* Legimus abjectionem decem tribuum, et non [b] mensurabilem Israel, nec ultra populum Dei, indignatione perpetua condemnatum. Nunc discimus quomodo filii Juda et filii Israel pariter congregentur, et ponant sibi caput unum sive principatum [*Al.* principium], et ascendant de terra, et in loco ubi prius dicebatur, Non populus meus, appellentur filii Dei viventis, et hoc fieri, quia magnus sit dies Jezrael. Ambigenti et in varias sententias fluctuanti illud occurrit Pauli apostoli ad Romanos scribentis : *Quod si volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus : sicut in Osee dicit : Vocavi non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans et brevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut prædixit Isaias* (*Cap.* 1, 9) *: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorra similes fuissemus. Quid ergo dicemus : Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam ? justitiam autem quæ ex fide est : Israel vero sectans legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit* (*Rom.* IX, 22, *seqq.*). Igitur beatus apostolus Osee prophetæ assumens testimonium, et exponens illud super vocatione gentium, **12** et eorum fide qui ex Judæis credere voluerunt, omnem nobis difficultatem interpretationis abscidit, asserens Christi temporibus esse completum, ut scilicet in Israel eligantur duodecim tribus, hoc est, omnis populus Judæorum, et in Juda hi qui ex gentibus [c] Jesum Dominum confitentur. Si quis autem alienus a fide

[a] Rursum duo Palatin. mss. *deprimentur*, pro *detinentur*.

[b] Rescripsimus, *mensurabilem*, ex iisdem codicibus mss. cogente ipso sacro textu, qui Israelem *sine mensura* futurum denunciat antea erat *miserabilem*.

[c] Pro, *Jesum Dominum*, Palatin. mss. *imperium Domini*, præferunt.

Christi, et non recipiens auctoritatem novi Testamenti, sed de numero circumcisionis, responderit filios Juda et filios Israel duas tribus sonare et decem, de quibus crebro diximus, et in hoc dantes manus, nihil fidei nostræ nocere monstrabimus. Sed postquam fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris in toto orbe dispersus, et omnem supputationem vicerit populi multitudo, tunc habebit licentiam Israel, qui hodie quoque captivus est, et qui prius dicebatur absque misericordia, et non populus meus, cum duabus tribubus, id est, Juda et Benjamin, quarum magna pars in Christum credidit, inire concordiam, ut corporibus separatos jungat fides, et unum sibi caput ponant et principem, de quo scripsit Ezechiel : *Et princeps unus in medio eorum, David servus meus, et resuscitabuntur quasi ab inferis mortui* (*Ezech.* XXXIV, 24), Juda scilicet et Israel qui in infidelitate mortui erant. Et hæc omnia fient, quia magnus est dies seminis Dei, qui interpretatur *Christus*. Ex quo perspicuum est, ideo in typo Naboth [*Al.* Nabutha] Jezraelitis sanguinem præcessisse, ut veritas compleretur in Christo. In hoc enim et non in illo magnus est dies Jezrael, de quo dicitur. *Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII, 24). Interpretationis tertiæ quam suscepimus, Israel in hæreticis, Juda in Ecclesiæ hominibus exponendis, hic sensus est : Ut postquam Dominus in claritate sua venerit regnaturus, hi qui ante vocabantur, non populus ejus, vocentur filii Dei viventis : cum Judæ, id est, Ecclesiæ Dei fuerint copulati, et unum caput Christum habuerint, et ascenderint de terra, id est, de terrenis sensibus et humilitate litteræ, et susceperint magnum diem seminis Dei. Pro οὐκ ἠλεημένη, id est, *absque misericordia*, in quibusdam fertur exemplaribus, οὐκ ἠγαπημένη, **13** id est, *non dilecta* [a]. Sed veriora sunt exemplaria, quæ habent, *absque misericordia* ; maxime quia ad distinctionem Israelis, cui non miseretur, infert Deus : *Domui autem Juda miserebor.*

(Cap. II.—Vers. 1.) *Dicite fratribus vestris, populus meus, et sorori vestræ, misericordiam consecuta* [Al. *consecutæ*]. LXX : *Dicite fratri vestro, populus meus, et sorori vestræ, misericordiam consecuta.* Quia magnus est dies Jezrael, in quo Judas et Israel unum habebunt principem, et nequaquam dicetur Israeli, non populus meus : sed econtrario vocabuntur filii Dei viventis : idcirco, o homines tribus Juda, nolite desperare decem tribuum salutem, sed eas quotidie et sermone et voto et litteris ad pœnitentiam provocate, quia frater vester appellantur et soror : frater, ex eo quod dicitur, *populus meus :* soror, ex eo quod appellantur, *misericordiam consecuta.* Aliter : Qui in Christum creditis, et estis tam ex Judæis quam ex gentibus, dicite fractis ramis, et priori populo, qui projectus est : populus meus, quia frater tuus est, et misericordiam consecuta, quia soror tua est. Cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus, sed provocemus ad pœnitentiam : et illorum salutem germanitatis optemus affectu.

(Vers. 2, 3.) *Judicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus : auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum : ne forte exspoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ.* LXX : *Judicamini cum matre vestra, judicamini, quia hæc non uxor mea, et ego non vir ejus, et auferum fornicationem ejus a facie mea, et adulteria ejus de medio uberum illius : ut exspoliem eam nudam, et restituam eam juxta diem nativitatis suæ.* Hucusque ad Israel populum, hoc est, decem tribus sermo directus est. Nunc alterum caput incipit, et præcipitur filiis, id est, populo, ut ineant judicium adversum matrem suam, quæ eos genuit, quæ de meretrice uxor effecta, mores pristinos non reliquit, et rursum fornicata est cum amatoribus suis. Et vide clementiam viri. Jam repudiata est, jam abjecta est, **14** jam ei locutus est : *Hæc non uxor mea, et ego non vir ejus :* tamen præcipit filiis, ut nequaquam ad uxorem patris [b] quam ille dimisit, sed ad matrem suam loquantur quæ eos genuit. Loquantur autem ad pœnitentiam provocantes, ut auferat fornicationes a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum. Fornicaria est, quæ cum pluribus copulatur. Adultera, quæ unum virum deserens, alteri jungitur. Quorum utrumque est Synagoga, quæ si permanserit in fornicatione et adulterio, auferet ab ea Deus vestem et ornamenta quæ dederat. De quibus scribit Ezechiel : *In die quando nata es, non ligaverunt mamillas tuas, et sale non es salita : et transivi per te, et inveni te nudam, et deturpatam, et conspersam in sanguine* (*Ezech.* XVI, 4, 5). Et post paululum : *Indui te byssino et subtilibus, et ornamenta circumposui tibi, et dedi armillas circa manus tuas, et monile circa collum tuum.* Hæc tunc ei dedit maritus largissimus, quando invenit illam in Ægypto idololatriæ libidine constupratam et divaricantem omnibus pedes suos. Et nunc comminatur, si ad virum suum noluerit reverti, ita eam futuram absque Deo [c] et viro, sicut prius in Ægypto fuerat. Ne semper triplici explanatione tendamus volumina, hoc raro admonuisse sufficiat, quæ dicta sunt convenire et Judæis negantibus Christum, et hæreticis fidem Domini relinquentibus : quorum fornicatio proprie inter ubera est, et in artificio idolorum et variorum dogmatum corde versatur, qui revertentur ad diem nativitatis suæ, ut si non egerint pœnitentiam, ethnicis comparentur.

*Et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti* [Vulg. *in*

[a] Alteram lectionem, sive, *et non dilectam dilectam*, præfert S. Doctor epist. 120, ad Hedibiam quæst. 10. Vulgata simul utramque retinet.

[b] Sic Palatini habent mss. Antea erat *quem ille dimisit.*

[c] Vitiose quidam libri *absque Deo vero et æterno.*

*siti*]. LXX: *Et ponam eam ut desertum, et statuam eam sicut terram sine aqua, et occidam illam in siti.* Si noluerit ad meliora converti, faciam illi quod feci in solitudine, ut ducti in captivitatem cadant in terra aliena, patientes sitim omnium bonorum, et ad patriam suam redire non valeant. Vel certe audiant in Evangelio: *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII). Et mittet ei Dominus non famem panis, nec sitim aquæ; sed famem audiendi **15** verbum Domini (*Amos.* VIII). De quo et Isaias loquitur: *Erunt sicut paradisus aquam non habens* (*Isai.* I, 30). Hæretici qui abjecti sunt a Domino, si non redierint ad pristinam domum, sic omnium rerum patientur penuriam, ut etiam quod falsum habere videntur, redigatur ad nihilum.

(Vers. 4, 5.) *Et filiorum illius non miserebor, quoniam filii fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum: confusa est quæ concepit eos, quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, et oleum meum, et potum meum.* LXX: *Et filiorum ejus non miserebor: quoniam filii fornicationis sunt, quia fornicata est mater eorum: confusa est quæ peperit eos, dixit enim: Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes meos et aquam meam, et vestimenta mea, et linteamina mea, et oleum meum, et omnia quæ mihi necessaria sunt.* Hoc plus faciam ei cui dixi, non uxor mea, et ego non vir tuus, et ponam eam quasi solitudinem, et faciam eam velut terram inviam. Quando enim de Ægypto eduxi eam, interfectis parentibus, filii eorum terram repromissionis ingressi sunt. Nunc autem fornicariæ matris liberi peribunt cum matre meretrice, quoniam filii fornicationis sunt, et mali ex malis geniti. Quibus in Evangelio dicitur: *Generatio viperarum* (*Matth.* III, 7): quæ in tantam venit impudentiam, ut audiret per Jeremiam: *Facies meretricis facta est tibi: impudorata es tu* (*Jerem.* III, 3). An non est hoc duræ frontis et meretriciæ impudentiæ, ut in suo scelere glorietur, et dicat: *Sequar amatores meos;* vadam ad idola quæ mihi et ad victum et ad vestitum necessaria præbuerunt. Omnia quæ propheticus sermo describit, spiritualiter a Domino accepere Judæi. Et quia Dei filium negaverunt, eligentes sibi Barabbam latrocinii et seditionis auctorem, et crucifigentes Filium Dei (*Joan.* XVIII). Propterea usque hodie sequuntur dæmones, et Dei beneficia ad illos referunt, qui cultorum suorum animas perdiderunt. Panes et aquas habent et hæretici, quorum panis luctus est, et aquæ eorum cœnosæ, quæ suffocant et interficiunt baptizatos. Habent et lanam de scabidis ovibus, et linum in nigredine perseverans, oleumque, de quo propheta dicit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CLX, 5), et potum aquarum Ægypti, de quibus clamat **16** Jeremia: *Quid tibi et viæ Ægypti, ut bibas aquam Geon* (*Jerem.* II, 18)? Et: *Quid tibi et viæ Assyriorum ut bibas aquas fluminum?* Breviter cuncta percurrimus, ut ad reliqua transeamus.

(Vers. 6, 7.) *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos et non inveniet, et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.* LXX: *Propterea ecce ego sepiam viam ejus in sudibus, et obstruam vias illius: et semitam suam non inveniet. Et persequetur amatores suos, et non apprehendet illos, et quæret eos, et non inveniet; et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc, quam nunc est.* Dixerat meretrix: Vadam post amatores meos, qui omnium rerum mihi abundantiam præbuerunt. Respondit Dominus: Ego sepiam viam tuam spinis, sive sudibus, ne possis ire quo desideras, et interponam maceriam, sive murum et semitas tuas quas crebro triveras pede, non invenies, ne apprehendas eos quos tanto studio sequebaris, ut rerum necessitate compulsa revertaris ad virum tuum, et dicas illud de Evangelio: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi: Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ex quo intelligimus quod providentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, et variis oppressi calamitatibus hujus sæculi ac miseriis, ad Dei servitutem redire cogamur. Amatores autem Jerusalem et gentis Judææ, secundum historiam illius temporis, Assyrios atque Chaldæos et Ægyptios nationesque cæteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata est, a quibus bellorum tempore, et prementibus malis frustra speravit auxilium. Hos amatores juxta intelligentiam spiritualem sequuntur hæretici, a quibus sæpe deserti, malorum pondere ad sinum matris Ecclesiæ revertuntur. Per omnia enim flagella atque tormenta eruditur Israel.

(Vers. 8.) *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei et aurum, quæ fecerunt* **17** *Baal.* LXX: *Et ipsa nescivit quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei: hæc autem argentea et aurea fecit ipsi Baal.* Ad superiora respondit, dixerat enim: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam, et linum, et oleum, et potum meum, quæ universa susceperat, ut in Dei cultum verteret. Illa vero panem et vinum, qui confirmat, et quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII), et oleum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), et argentum de quo sæpe diximus: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* XI, 7). Et aurum de quo legimus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in virore auri* (*Psal.* LXXXVII, 14), vertit in idola, et fecit *Baal*, quod interpretatur *superior et devoratio*: dum aut majora se putat habere dogmata quam Ecclesia, aut in ipsa falsæ opinionis scientia devoratur. Quod autem

juxta litteram, auro et argento et cunctis opibus abundaverit Jerusalem, et fecerit idola Baal dæmoni Sidoniorum, sive, ut quidam rectius arbitrantur, Babylonio, ex quo et *Bel* dicitur, Ezechiel plenius in suo ponit volumine, et omnis prophetarum narrat chorus.

(Vers. 9.) *Idcirco revertar* [Vulg. *convertar*] *et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam, et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.* LXX : *Propterea revertar et tollam triticum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et auferam vestimenta mea, et linteamina mea, ne operiant ignominiam ejus.* Gravior pœna est, quando in tempore messis et vindemiæ speratæ fruges auferuntur et vinum, et quodammodo tentæ tolluntur e manibus. Sin autem in tempore areæ et prœli et torcularis, quando sterilitatem præteritam novis frugibus terra fecundat, omnium rerum penuria est, quid de reliquo anni tempore, quando vetera conservantur, æstimare debemus? Liberatur autem lana et linum, sive vestes et linteamina, ne ultra ignominiam operiant meretricis : ut scilicet Dei nudetur auxilio : et omnium ab eo angelorum tutela **18** discedat. Unde et apostolus [a] liberari dicit creaturam a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). Multi accepere aurum et argentum sapientiæ et eloquentiæ, de quibus facerent candelabrum septem lucernarum ex auro purissimo, et mensam propositionis auream, et propitiatorium, et Cherubim auri splendore radiantia, et bases columnarum argenteas, et triticum sermonis Dei, et vinum gaudium Spiritus sancti : vestimenta quoque et linteamina quibus credentes vestirentur in Christo : quæ universa verterunt in idololatriæ cultum, varia errorum dogmata componentes, et decepti alios deceperunt. Quæ omnia auferet Deus, ut qui ex copia datorem non senserant, sentiant ex penuria.

(Vers. 10, 11, et 12.) *Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus : et* [Al. *et nullus*] *vir non eruet eam de manu mea, et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus : et corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei : et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri.* LXX : *Et nunc revelabo immunditiam ejus in conspectu amatorum illius; et nullus eruet eam de manu mea : et avertam omnes lætitias ejus, solemnitates illius, et neomenias, et sabbatha, et cunctas festivitates illius, et disperdam vineam ejus, et ficus illius, quæ dixit : Mercedes meæ istæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei : et ponam eam in testimonium, et comedent eam bestiæ agri :* [b] Quod sequitur : *Volatilia cœli et reptilia terræ,* ÷ obelo prænotandum est. Pro saltu quoque, quod Hebraice dicitur [c] JAR (יער), unde CARIATH JARIM (קרית יערים), interpretatur *villa silvarum*, LXX transtulerunt *testimonium*. RES ET DALETH litterarum falsi similitudine. Si enim pro RES DALETH legatur, *testimonium* dicitur : ita dumtaxat, ut JOD littera non præcedat. Liberatis ergo veste et linteamine, ne operirent ultra ignominiam fornicariæ, omnis turpitudo Jerusalem, sive stultitia, per quam operata est turpitudinem, revelabitur in conspectu amatorum ejus, ut quam velatam desiderabant, apertam contemnant. Cumque tradita fuerit **19** amatoribus suis Assyriis, sive dæmonibus, quibus et ipsa et Assyrii serviunt, nullus, inquit, eam de manu mea poterit eripere, probata imbecillitate dæmoniaca, quod quos rebus omnibus abundantes receperant, oppressos malis liberare non possunt. Tradita autem Babyloniæ servituti, nequaquam tres solemnitates Paschæ et Pentecostes et Tabernaculorum celebrare poterit. Non neomeniæ, id est kalendarum, non sabbati exercere lætitiam, nec omnes festivitates quas uno nomine comprehendit. Vinea quoque et ficus et rerum omnium abundantia corrumpetur : in vinea lætitiam, in ficu suavitatem et dulcedinem intellige, quæ auferuntur gravissimæ servitutis malis : et auferentur idcirco, quia non a Deo sibi donata quasi conjugi; sed ab amatoribus suis quasi meretrici pro libidinis mercedibus arbitrata est. Tunc nequaquam habebit arbores pomiferas, sed omnia vertentur in saltum. Et quia semel metaphoram a silvis ceperat, finit in reliquo, ut hostes a quibus devoranda sunt omnia, bestias nuncupet. Hæc et juxta historiam et juxta tropologiam infelix Judæa perpessa est, cujus omnis turpitudo in oculis gentium revelata est, et nullus eam eruere potuit de manibus Dei. Cessaverunt universæ cæremoniæ, in luctum est versa festivitas : omnia quæ sibi putabat dari a dæmonibus, nunc ob offensam Dei ablata cognoscit. Devoraverunt eam primum Assyrii atque Chaldæi, Medi et Persæ atque Macedones, ad extremum sævissima laceravit bestia, Romanorum imperium, cujus in Daniele nomen tacetur, ut major formido his qui devorandi sunt, augeatur. Quæ de Judæa diximus, refer ad hæreticos, qui prima fronte doctrinam et scientiam promittentes, egressi de Ecclesia deseruntur a Deo, et omnis eorum ignominia in conspectu amatorum ponitur, quos prius deceperant, et traditi bestiis quas propheta declinat, dicens : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 19), earum morsibus derelinquentur.

(Vers. 13.) *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua, et monili suo : et ibat post amatores suos : et mei oblivisceba*tur, *dicit* **20** *Dominus.* LXX : *Et ulciscar super eam dies Baalim, in quibus immolabat eis : et circumdabat sibi inaures suas, et monilia : et ibat post amatores suos : mei autem oblita est, dicit Dominus.* Ser-

[a] Olim, erat *liberatam*, pro quo maluisset Victor, *liberandam*, ad Græc. Ἐλευθερωθήσεται.

[b] Expunximus ad mss. fidem verba, *volatilia cœli, et reptilia terræ*, quæ hic in antecessum ponebantur, cum statim suo loco recurrant.

[c] Palatini mss. JAIR legunt.

vat personam meretricis, quæ auro ornatur et gemmis, ut placeat amatoribus suis, et quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit. Has inaures, quibus aures ejus doctrina Dei fuerant adornatæ, et has margaritas quæ ex collo pretiosæ pendebant, ita ut sponsus ad eam diceret et maritus : *Collum tuum sicut monilia* (*Cant.* I, 9), misit ante porcorum pedes, et dedit sanctum canibus (*Matth.* VII). Et impletum est quod in Proverbiis legimus : *Sicut inauris aurea in naribus suis : ita mulieri pessimæ pulchritudo* (*Prov.* XI, 12). Hæc autem universa faciebat, ut sequeretur amatores suos, et relinqueret virum. Tantumque fuit desiderium voluptatis ac libidinis, ut omnem memoriam amiserit maritalem, et oblita sit fuisse se conjugem. Quamobrem in ipsis solemnitatibus quibus incendebat thura dæmonibus, visitabitur in plagis, et corripietur in pœnis. Baal, numero singulari, Baalim pluraliter, eadem idola nominantur genere masculino. Ubicumque enim in fine Hebraici sermonis IM syllabam legimus, numero plurali est, genere masculino : ubi autem OTH, numero plurali, genere femininо. Ergo Seraphim et Cherubim plurali intelligimus numero, genere masculino. Sabaoth autem quod interpretatur *militarium*, vel *exercituum*, vel *virtutum*, numero plurali, genere feminino. Itaque et Baalim masculino genere, numero sunt plurali : [a] licet quidam male τῇ Βαὰλ et ταῖς Βααλείμ [*Al.* βαλίμ] legant genere feminino. Quomodo autem decipiant hæretici amatores suos, et componantur eloquii venustate, structuraque verborum, ut [b] mendacia simulent veritatem, et conjugalem pudicitiam derelinquant, et incendant Baalim, id est, idolis, quæ de suo corde finxerunt, quotidie cernimus. Non enim habent curam rusticæ simplicitatis, quæ meretricia ornamenta non quærit; sed artificeis elegantisque mendacii, ut amatoribus suis diabolis et dæmoniis placeant.

(Vers. 14.) *Propter hoc ecce ego lactabo eam : et ducam eam in solitudinem, et loquar ad* **21** *cor ejus.* [c] *Et dabo ei vinitores ejus, ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem.* LXX : *Ideo ecce ego seducam eam, et ponam illam quasi desertum; et loquar ad cor ejus, et dabo ei possessiones suas inde, et vallem Achor ad aperiendam intelligentiam ejus.* Pro eo quod nos diximus, *ad aperiendam spem*, et LXX verterunt, *ad aperiendam intelligentiam ejus*, interpretatus est Symmachus εἰς θύραν ἐλπίδος, id est, *in ostium spei*, Theodotion [d] ἀνεῴξασθαι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς, id est, *aperire patientiam*, vel, *exspectationem ejus.* Postquam revelata fuerit ignominia Jerusalem, sive Judææ meretricis in oculis amatorum ejus, et cessaverit universa solemnitas, vineam et ficum vel siccitas vel grando corruperit, et redacta in silvas atque infructuosas arbores, a bestiis fuerit devorata, et reddiderit ei Dominus cruciatus atque tormenta; quia dæmonibus Baalim thura succenderat, et nequaquam se ultra de cineribus ac favillis putaverit posse consurgere, tunc, hoc est, in adventu Christi Filii sui, aperiet spem salutis, et dabit locum pœnitentiæ, et blandietur ei : hoc enim significat, *lactabo eam*; ut post pœnarum magnitudinem, dolores pristinos repromissione mitiget prosperorum. *Et ducam eam*, inquit, *in solitudinem*, id est educam ex malis, sicut et prius de Ægyptiaca eduxeram servitute : *et loquar ad cor ejus* verba mollia, verba consolatoria, ut tristitiam gaudio temperem, juxta idioma Scripturarum : quibus verbis et Sichem locutus est ad cor Dinæ (*Genes.* XXXIV), et Joseph in Ægypto fratribus suis tristibus atque metuentibus (*Genes.* XL), ut mœror gaudio mutaretur. Quod sequitur.

(Vers. 15.) *Et dabo ei vinitores ejus, ex eodem loco.* [e] Quia blanditias et solitudinem in præteritæ historiæ exemplum de Ægypto similitudine præmiserat, in qua Moyses et Aaron de eadem gente Judæorum principes exstiterunt, etiam nunc pollicetur, quod vinitores ejus de eodem loco daturus sit. Vineam intelligi Israel, omnis et veteris Instrumenti et novi Scriptura testatur. **22** *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est* (*Isa.* V, 7) : Et : *Vineam ex Ægypto transtulisti* (*Psal.* LXXIX, 9). Et in Evangelio (*Matth.* XXI). Paterfamilias locavit vineam suam, fructusque non recepit. Et interfecto filio suo, novissime locavit eam aliis vinitoribus. Hoc igitur prophetalis sermo promittit, quod principes hujus vineæ exeuntes de gentibus et de captivitate hostium, sive vitiorum, de ipso sint genere Judeorum, id est, apostoli : et locus tumultus, vallisque turbarum, hoc enim interpretatur *Achor*, mutetur in ostium spei, sive ad aperiendam spem atque patientiam, quod idcirco supplicia et tormenta perpessa sit, ut per hæc ad prospera perveniret. Quod autem vallis *Achor*, in qua interfectus est [f] Achan ob furtum eorum, quæ Deo fuerant consecrata, *conturbatio et tumultus* interpretetur; non ut quidam putant διαστροφή, id est, *perversitas*, ipse Jesus interpretatur loquens ad Achan : *quia turbasti nos, conturbet te Dominus in die hac* (*Josue* VII, 23). Unde appellatus est locus ille [g] EMEC ACHOR (עמק עכור), id est,

[a] Omittunt articulos Græcos τῇ et ταῖς veteres editiones; quos tamen retinent mss. codices, ac sine illis sensus non est liquidus. MART.

[b] Nostri mss. *mendacio*, æque bene : et mox. *simplicis rusticitatis*, pro *rusticæ simplicitatis*.

[c] Subdidimus ex isdem mss. hoc loco reliquum versum : *et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem*. Et ad LXX cohærenter, *et dabo ei possessiones suas inde, et vallem Achor ad aperiendam intelligentiam ejus.* Quæ contra subnexæ expositionis seriem, et S. Doctoris mentem altero capitulo distinguebantur in hactenus vulgatis libris.

[d] Pro ἀνεῴξαθαι, nostri mss. AIANOIΞAI, quod est, διανοῖξαι præferunt, quo verbo et LXX usi sunt.

[e] Hic quoque contextum ad mss. Palatinos, cogente recta orationis serie, restituimus.

[f] Videque ad librum Locorum ad nomen Achor annotavimus tom. III, col. 144.

[g] Duo palatini mss. ANEC, lege AMEC. Erat paulo post *prope fluenta*, pro *propter*, codicum mss.

*vallis conturbationis.* Simulque et in hoc intelligimus, quæ in principio terræ sanctæ, juxta Jericho, quando de solitudine egressus est populus, propter fluenta Jordanis, in prima Israelis victoria, mœror in gaudium commutatus sit. Ibique aperta est spes, ubi fuerat desperatio : ut, punitis his qui peccavere in Christo, et commisere sacrilegium, salventur ex eis qui blasphemantes Judeos fuerint detestati, et quantum in se est interfecerint. Hæc [a] Circumcisio et nostri Judaizantes ad mille annorum regnum referunt, quæ et in principio per apostolos vinitores et credentium multa millia ex Israel videmus esse completa, et compleri quotidie in his qui credere voluerint. Quodque nos diximus : *Lactabo eam*, et LXX interpretati sunt : *Seducam eam*, ad Antichristi tempus referunt : ut qui Christi non receperint veritatem, illius recipiant mendacium, et postea, Christo adveniente, salventur.

*Et canet ibi juxta dies juventutis suæ,* **23** *et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* LXX : *Et humiliabitur juxta dies infantiæ suæ, et juxta dies ascensionis de terra Ægypti.* In eo loco ubi nos posuimus, *canet*, et LXX transtulerunt, *humiliabitur ;* in Hebraico scriptum est ANATHA (ענתה), quod Symmachus interpretatus est *affligetur*, Theodotion *respondebit*, Aquila *obediet*, id est, ὑπακούσει : nos ab Hebræo κατὰ λέξιν magis accipimus, id est, *præcinet :* ut quia semel jactationem et eductionem in solitudinem, et vinitores ex eodem loco, et vallem Achor, posuerat, et totam historiam exeuntium de Ægypto et pergentium ad terram sanctam brevi sermone perstringens, etiam nunc historiæ similitudinem conservaret. Ut quomodo eo in tempore, quando egrediebantur de terra Ægypti, submerso Pharaone in mari Rubro, arripuit Maria tympanum, et præcinens cæteris, exsultavit et dixit : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare* (*Exod.* xv, 1) : sic nunc quoque secundum dies juventutis suæ, sive adolescentiæ suæ, quando egressa est de terra Ægypti, canat atque lætetur, et regnum Christi ac suam salutem inter Ecclesiæ choros concinat. Et animadverte quia quando eximus de Ægypto, et ad meliora transimus, dicamur ascendere : quia Jerusalem in montibus sita est, de qua qui in Jericho descendere voluerat, vulneratus est (*Luc.* x). Ad eos autem qui Ægypti, id est, sæculi hujus quærunt auxilia dicitur : *Væ qui descendunt in Ægyptum propter auxilium* (*Isa.* xxxi, 1). Interpretatio Aquilæ et Theodotionis, e quibus alter ὑπακούσει posuit, id est, *audiet*, alter ἀποκριθήσεται, id est *respondebit*, nobiscum facit, [b] quod præcinentibus aliis, alii respondeant concinentes. *Humiliabitur* autem et *affligetur*, quod LXX et Symmachus transtulerunt, non convenit tempori lætitiæ, nisi forte imitabitur Paulum, qui postquam vocatus est apostolus, plangit antiqua peccata, et se dicit indignum vocatione apostoli, quia persecutus sit Ecclesiam Dei (I *Cor.* xv) : ut humiliatio et afflictio in conscientia præteriti vulneris, non in dolore malorum præsentium accipiatur.

**24** (Vers. 16 et 17.) *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, et non vocabit me ultra Baalim : et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.* LXX similiter. Primum omni Asiæ regnasse Ninum, Beli filium, omnes et Græcæ et Barbaræ narrant historiæ : qui apud Assyrios Ninum sui nominis condidit civitatem, quam Hebræi vocant Niniven. Hujus uxor Semiramis, de qua multa et miranda referuntur, muros Babylonis exstruxit : de qua insignis poeta testatur (*Ovid. Metam.* iv, 58) dicens :

Quam dicitur olim
Coctilibus maris cinxisse Semiramis urbem.

Hic adversus Zoroastrem magnum, regem Bactrianorum, forti certamine dimicavit : et in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum, qui Hebraice dicitur BEL (בעל), et in multis prophetis, maximeque in Daniele juxta Theodotionem, sub idolo Babylonis, hoc appellatur nomine. Hunc Sidonii et Phœnices appellant [c] BAAL (בעל) : eadem enim inter BETH et LAMED litteras consonantes, AIN vocalis littera ponitur, quæ juxta linguæ illius proprietatem nunc *Beel*, nunc *Baal* legitur. Unde et Dido Sidonia regii generis, cum Æneam suscepisset hospitio, hac patera Jovi vina delibat, [d] qua *Belus et omnes a Belo soliti.* Didicimus exordium dæmonis, immo hominis in dæmonem consecrati : omnia enim idola ex mortuorum errore creverunt. Audiamus cætera : Lingua Hebræa et Syra BAAL interpretatur ἔχων, id est, *habens*. Si voluerimus dicere, *habens me*, dicamus BAALI (בעלי) : et apud utramque gentem uxores viros suos vocant *Baali*, id est *vir meus*, quod intelligitur, *habens me :* et est sensus, qui me habet in conjugio. Eadem Hebræorum lingua vocatur vir is (איש) : unde et uxor quæ de viro sumpta est, in Genesi appellatur ISSA (אִשָּׁה, *Gen.* ii, 1), quasi a viro : virago.

Quod ergo dicit Dominus, hoc est : cum utroque [e] sermone, ISSI et BAALI appelletur *vir meus*, sive *maritus meus*, tantum odi idolorum nomina, ut etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem

[a] Ineptis-ime suo more hoc verbum *circumcisio* mutat Marianus in *concisionem* et pericopen, non intelligens *Judæos* vocari abs Hieronymo *Circumcisionem*, juxta consuetudinem apostoli Pauli. MART. — Victorio legenti, *concisio*, quasi textus περικοπήν, unus e nostris mss. secunda manu assentitur. Liquet vero circumcisionem hic Judæorum gentem appellari.

[b] Vitiose erat, *qui præcinentibus*, etc.

[c] Nostri mss. constanter aspirant, *Bahal.*

[d] Virgilius sub libri prioris Æneidos finem :

Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti, etc.

[e] Iidem mss., *utroque sermone, hoc est, Is, et Bahali.*

et verbi similitudinem, nequaquam velim dici, sed appellari me ISSI, magis **25** quam BAALI : ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, et virum nominans, idolum cogitet. Ignosce obscuritati, quæ tribus nascitur modis : aut rerum difficultate, aut magistri imperitia, aut discentis nimia tarditate. Neque enim Hebræum prophetam edisserens, oratoriis debeo declamatiunculis ludere, et in narrationibus atque epilogis Asiatico more cantare, sed auxilio orationum tuarum, et incredibili discendi studio, aperire quæ clausa sunt. Denique Aquila diligens et curiosus interpres : *Vocabit*, inquit, *me vir meus, et non vocabit me ultra habens me*, id est, BAAL.

(Vers. 18.) *Et percutiam eis fœdus in die illa cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra : et dormire eos faciam fiducialiter.* LXX : *Et disponam eis testamentum in die illa cum bestiis agri, et cum volatilibus cœli, et cum reptilibus terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra : et habitare eos faciam in spe.* Quando omnia religionis adversæ vocabula fuerint ablata de populo Dominum confitente, et vocaverit me, inquit, *vir meus*, et nequaquam *Baali*, id est, *idolum meum*, tunc percutiam eis fœdus atque concordiam cum bestiis agri, et volucribus cœli, et reptilibus terræ. De hoc tempore et Isaias loquitur : *Habitabit lupus cum agno; et pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, et simul requiescent catuli eorum : et leo quasi bos comedet paleas* (*Isa.* XI, 6, 7); nequaquam carnem sanguinemque desiderans, sed mundis atque simplicibus vescens cibis. Quando Petro, ut Cornelium susciperet ex nationibus (*Act.* X, 15), revelatum, jussumque est ut comederet omnes bestias, et nihil immundum esse cognosceret, quod cum gratiarum actione perciperetur : super quibus audit postea : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Ephes.* II, 1). Ergo in adventu Domini Salvatoris, post resurrectionis ejus triumphos, et ascensum ad Patrem, duo parietes angulari lapide copulati sunt ab eo, qui fecit utrumque [*Al.* utraque] unum. Et vocavit eam quæ dicebatur, absque misericordia, misericordiam consecutam : et eum qui dicebatur non populus meus, populum suum : pacatisque omnibus, arcus et gladius conteretur ac bellum. Non enim erunt **26** necessaria instrumenta pugnantium, cum qui pugnent, defuerint. Jungetur Israel gentibus, et implebitur illud Deuteronomii : *Lætamini gentes cum populo ejus* (*Deut.* XXXII, 43). *Notus* enim *in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Et : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV), hoc est, in Ecclesia, in qua confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum : quibus fractis atque contritis, dormient credentes fiducialiter, et sub uno pastore requiescent, sive sperabunt, in his quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se (I *Cor.* I).

(Vers. 19.) *Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in* [Vulg. absque *in*] *miserationibus : et sponsabo te mihi in fide : et scies quia ego Dominus.* LXX similiter. O quanta clementia Dei! meretrix quæ cum multis amatoribus fornicata est, et ob crimen bestiis tradita, postquam revertitur ad virum, nequaquam reconciliari ei dicitur, sed despondi. Et vide quid sit inter Dei conjunctionem et hominum : homo cum uxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id est, non virginem; Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in virgines, juxta illud quod adulteræ dicitur per Jeremiam : *Non ut dominum me invocasti, aut patrem, aut principem virginitatis tuæ* (*Jer.* III, 4). Unde et apostolus post fornicationem et idolorum cultum credentibus Corinthiis loquitur : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 1). Quærimus cur tertio desponsionis nomen repetierit. Primo enim ait : *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Secundo : *Sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus.* Nec hoc fine contentus jungit et tertium : *Sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* Primo despondit eam in Abraham, sive in Ægypto, ut uxorem habeat sempiternam. Secundo in monte Sinai, dans ei pro sponsalibus Legis justitiam atque judicium, et junctam Legi misericordiam, ut quando peccaverit, tradatur captivitati, cum egerit pœnitentiam, revocetur in patriam, et misericordiam consequatur. De his sponsalibus in diversis locis psalmista decantat : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Ps.* CII, 2). Et : *Misericordia et veritas* **27** *obviaverunt sibi, et justitia et pax deosculatæ sunt se* (*Ps.* LXXXIV, 11). Quos duos calices in septuagesimo quarto psalmo legimus : *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in illum :* de justitiæ calice in calicem misericordiæ, et rursum de calice misericordiæ in calicem justitiæ. *Si iniquitates*, inquit, *observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est* (*Psal.* CXXIX, 3, 4). Ista igitur meretrix, quæ primum voto sponsi in [a] æternos fuerat juncta complexus, ut numquam a vinculo recederet maritali, quia recessit et in Ægypto fornicata est, rursum per Legem assumitur : quam quia præteriit, prophetis quasi sponsi sodalibus, qui ad se missi fuerant, interfectis, novissime venit Dei Filius, Dominus Jesus : quo crucifixo, et a mortuis resurgente, desponsatur nequaquam in Legis justitia, sed in fide et gratia Evangelii, ut cum cognoverit Unigenitum, cognoscat et Patrem. Dicit enim ipse ad Philippum : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?*

[a] Mss. Palatini, *in exteros fuerat*, etc., et paulo post *per legitima assumitur*.

*Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum : quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem ? non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 10, 11). Qui in fide fuerit desponsatus et crediderit Evangelio, statim sciet, quia ipse sit Deus, credens in eum quem prius negaverat.

(Vers. 20 seqq.) *Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus : exaudiam cœlos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum et vinum et oleum, et hæc exaudient Jezrael, et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia, et dicam non populo meo, populus meus es tu : et ipse dicet, Deus meus es tu.* LXX : *Et erit in die illa, dicit Dominus : Exaudiam cœlum, et cœlum exaudiet terram, et terra exaudiet frumentum, vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrael, et seminabo eam mihi super terram,* [a] *et miserebor ejus quæ fuit absque misericordia, et dicam non populo meo, populus meus es tu : et ipse dicet, Dominus Deus meus es tu.* In die illa et in illo tempore, quando te mihi in fide despondero, et cognoveris quod ego sim Dominus, exaudiam cœlos, qui enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII), et cœli exaudient terram, ut eam cœlesti pluvia **28** irrigent, et terra, de qua orta est veritas (*Psal.* LXXXIV), et in cujus agrum paterfamilias egreditur, ut seminet semen suum (*Matth.* XIII, 3) exaudiet triticum et vinum et oleum, de quibus supra diximus, et hæc omnia exaudient Jezrael, id est, semen Dei, ut intelligatur omnium rerum abundantia atque fertilitas ob Dei semen, qui [*Al.* quod] Christus est, condonari, quod Dei semen seminatur in terra, ut multiplices fructus afferat, centenarium, sexagenarium, et tricenarium (*Ibid.*, 8). Et illa meretrix, quæ Deo fuerat copulata, et tres ediderat liberos, duos masculos, et unam feminam; primum Jezrael, secundam, absque misericordia; tertium, non populus meus, videat propter semen Dei mutata esse rerum vocabula, et in Christi fide consecutam misericordiam, quæ absque misericordia erat, et vocatum populum Dei, qui prius, non populus vocabatur. Ex quo prospicimus posse universa quæ dicta sunt referri et ad decem tribus quæ Israel vocantur, et sub nomine meretricis tres liberos ediderunt, et ad omnem gentem Judaici nominis. De exauditione cœli et terræ, et frumenti, vini, et olei, et Jezrael, hoc quidam sentiunt, quia postquam Christus advenerit, omnia suo currant ordine, et utilitati hominum cuncta deserviat creatura, ut ab initio condita est. Quæ omnia Judæi et nostri Judaizantes post Antichristum in fine mundi corporaliter præstolantur.

(Cap. III. — Vers. 1.) *Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade, dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respectant* [Vulg. *respiciunt*] *ad deos alienos, et diligunt vinacia uvarum.* LXX : *Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade et dilige mulierem diligentem mala et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel : et ipsi respiciunt ad deos alienos, et amant coctiones cum vinaciis.* Priori mulieri in typum decem tribuum, vel totius Judaici populi fornicantis, propheta conjungitur, et abjectos filios atque cruciatos tandem recepit in salutem : hic jubetur ut adhuc diligat adulteram mulierem. Quando dicitur, *adhuc*, ostendit quia prius amaverit fornicariam : quæ adultera, vel diligat illa mala, **29** vel diligatur ab amico et proximo : RE (רע) enim verbum Hebraicum, vel *malum* legitur, vel *amicus*. Et ne putemus dilectionem prophetæ in adulteram, aliud quid significare quam Dei dilectionem in filios Israel, intulit : *sicut diligit Dominus filios Israel*. Ergo quia propheta diligit adulteram, et tamen non ei matrimonio copulatur, nec fornicatione conjungitur, sed tantum diligit delinquentem, typus Dei est, qui filios Israel pessimos diligit, qui cum diligantur a Domino, ad deos alienos idolaque respiciunt, et diligunt vinacia uvarum, quæ vina non habent, et pristinam gratiam perdiderunt, sicut dæmones qui lapsi de propria dignitate, et nihil antiquæ gratiæ possidentes, aridi sunt, et veteri siccitate marcentes. Unde pro *vinaciis*, quod Hebraice dicitur, ASISE (אשישי). Aquila interpretatus est παλαιὰ, id est, *vetera*. Symmachus ἀκάρπους, id est, *steriles* : et non solum vinacia sunt, sed et vetera vinacia, ut antiqua delicta testentur. Et notandum quia hæc adultera præsens tempus significet Judæorum, qui absque Deo et notitia Scripturarum et gratia Spiritus sancti diligantur a Domino, qui omnium expectat salutem, et aperit januam pœnitentibus, et nihilominus illi res inutiles amant, traditiones hominum et δευτερωσέων somnia diligentes, et nequaquam uvas habeant et vinum et plena musto torcularia, sed vetera vinacia quæ projecta sunt. Pro *pemmatibus* quæ LXX transtulerunt, et comeduntur cum uvis passis, sive vinaciis, *placentas* Latine possumus dicere, vel *crustula*, quæ idolis offeruntur, et Græce appellantur πόπανα. Filii autem Israel in præsenti loco duodecim vocantur tribus ; supra vero decem quæ erant in Samaria, et possidebant metropolim, Jezrael.

(Vers. 2.) *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei, et dixi ad eam.* LXX : *Et conduxi eam mihi quindecim argenteis, et gomor hordei, et nebel vini, et dixi ad eam.* Pro Gomor in Hebraico scriptum est OMER (עמר), quod omnes interpretes, absque LXX, *corum* interpretati sunt, sermone Græco et maxime Palæstino, qui habet triginta modios. Et pro nebel vini, in Hebraico legitur LETHECH [b] SEORIM (לתך שעורים) **30** quod cæteri interpretes ἡμίχορον hordei transtulerunt, id

[a] Pro hisce, et *miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia*, quæ Alexandrini, atque Aldini codicis lectio est, substituunt mss. nostri, *et diligam non dilectam*, quæ Græcorum ferme et omnium est codicum, καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην.

[b] In Hebræo tamen archetypo est, שערים, absque Vau.

est, *mediam partem cori*, quæ facit quindecim modios. Quodque jungitur in editione Vulgata : *Neque eris alteri viro : alteri* in Hebraico non habetur, sed simpliciter, *non eris viro*. Si enim ponatur *alteri*, subauditur quod a suo habeatur viro. Quando autem absolute dicitur, *non eris viro*, intelligimus quod nulli jungatur omnino, et absque coitu maritali sit. Mensuram autem cori in Ezechiel legimus (*Ezech.* XLV), et in Evangelio (*Luc.* XXVI). Fodit itaque eam sibi, id est, adulteram, sive conduxit quindecim argenteis. Quando dicit, *fodi*, ostendit vineam, quæ a Domino plantata est, et in multis locis ponitur Scripturarum, significans populum Judæorum. Sin autem legerimus, *conduxi*, adulteræ pretium est, non ut cum propheta dormiat ; sed ut contenta mercede sua, adulterare desistat, nec passim cæteris copuletur. Foditur etiam, sive conducitur coro hordei, et dimidio coro hordei, id est, quadraginta et quinque modiis, et hac mercede suscepta, audivit a Domino :

(Vers. 3.) *Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te.* LXX : *Dies multos sedebis mihi : et non fornicaberis, nec eris alteri viro, et ego tibi.* Hoc est, nec aliis amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi, viro a quo conducta es, legitime conjungeris. Ac ne putes factam tibi injuriam, quia dixi *exspectabis me*, par pari referam, *et ego exspectabo te.* Quinta decima die illucescente mensis Nisan percussa sunt Ægyptiorum primogenita, et Israelis de Ægypto eductus est populus, ac in servitutem Dei mercede conductus (*Exod.* XII). Denique pro primogenitis Israel quæ plagam non sensere communem, quinos argenti accipe siclos (*Num.* III), qui in templi donaria conferuntur. Plerique nostrorum *quindecim*, ad hebdomadam Legis, et ogdoadem referunt Evangelii, id est, sabbatum, et diem resurrectionis, quo exercetur circumcisio spiritualis. Sed quomodo adultera mulier quæ hordeo pascitur, et a viro aliena est, utrumque in mercedem accipiat Testamentum, explanare non possunt. Quadragesimo quinto die ad montem Sina pervenit populus, statimque altero die ut sanctificentur **31** a coitu feminarum per triduum, et se præparent ad accipiendam legem Dei, edicitur (*Exod.* XIX). Transactis tribus diebus, quinquagesimo die Moyses ascendit in montem, et decalogum suscepit. Sedet itaque populus Judæorum, qui quondam quindecim argenteis, et quadraginta quinque hordei modiis est conductus, post adventum Domini Salvatoris, et viri sui exspectat adventum. Quodque dicit : *Non fornicaberis, et non eris viro*, hoc ostendit quod interim modo idolis non serviat, nec tamen habeat Deum ; sed et amatoribus et viro spoliata sit. Et quia virum non habet, non vescitur cibo hominum, frumento et legumine, sed hordeo irrationabilium jumentorum, ruminans vilitatem litteræ, quæ interficit, et non habens spiritum vivificantem.

Unde et in lege mulier, quæ a marito accusatur adulterii, in potione ἐλεγμοῦ, id est, *convictionis*, quando arguitur in peccato, farinam accipit hordei (*Num.* V), quæ enim imitata est equos et mulos, quibus non est intelligentia (*Psal.* XXXI), equorum atque mulorum sustentatur alimentis. Pro dimidio coro hordei, *nebel vini* Septuaginta transtulerunt, quod penitus in Hebraico non habetur. Et possumus dicere, in nebel vini, hoc est, mensura plena atque perfecta inebriatam adulteram, et plenis afflictam esse suppliciis. Unde et Jeremias calicem meri propinat gentibus et Jerusalem (*Jer.* XV). Vir quoque sedet, immo exspectat adulteræ pœnitentiam, ut postquam plenitudo gentium subintraverit (*Rom.* XI), et novissimus crediderit Israel, ita ut qui fuerat caput, vertatur in caudam (*Deut.* XXVIII), et cauda vertatur in caput, tunc fiat unus grex et unus pastor.

(Vers. 4, 5.) *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine teraphim. Et post hæc revertentur filii Israel et quærent Dominum Deum suum et David regem suum : et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum.* LXX : *Quia diebus multis sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus* (quæ Græce dicuntur δήλοι). *Et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum :* **32** *et stupebunt ad Dominum, et super bonis ejus in novissimo die.* Pro *ephod et theraphim* (תרפים) Septuaginta ἱερατείαν, id est, *sacerdotium*, et δήλους, id est, *manifestationes* interpretati sunt. Sciendum autem, ut crebro diximus, ephod significare indumentum sacerdotale, quod in Exodo et Levitico a LXX ἐπωμὶς dicitur, id est, *superhumerale*, ab Aquila ἐπένδυμα, id est *superindumentum*. Theraphim autem proprie appellant μορφώματα, id est, *figuræ* et *simulacra*, quæ nos possumus in præsenti dumtaxat loco *Cherubim* et *Seraphim* sive alia quæ in templi ornamenta fieri jussa sunt, dicere. Verum quia Septuaginta δήλους interpretati sunt, pro quibus Aquila φωτισμούς transtulit; et hæc ipsa sunt in λογείῳ, id est, in *Rationali*, hoc intelligimus, quia in pectore et corde pontificis ἀλήθεια et φωτισμοί, id est, *veritas* esse debeat atque *doctrina :* ut non solum sciat rectam fidem ; sed et quod noverit, possit ore proferre. Quod et apostolus Paulus scribit ad Titum, docens qualis episcopus ordinandus sit : *Oportet enim episcopum sine crimine esse tamquam Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum* [a] *sanam doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (*Tit.* I, 7-9). Ephod ac theraphim et in Judicum libro legimus (*Judic.* XVII et

[a] Nostri mss. non interserunt *sanam*, quam vocem Græcus quoque textus hoc loco ignorat.

xviii), quæ sibi fecerat Levites, qui postea cum sexcentis de tribu Dan armatis profectus est. Post passionem Domini Salvatoris usque in præsentem diem, [a] paulominus quadringentesimus annus expletur, et quantum temporis resideat usque ad diem judicii, nec angeli noverunt, nec Filius. Qui ideo ignorare se dicit, quia nobis non expedit discere [*Al.* scire]. Hi sunt ergo multi dies, quibus infelix Synagoga et mulier adultera hordeo pascitur, et sedet contracta, quia cum Christo stare non potest. Sine rege, de quo locutus est Pater : *Suscitavi regem cum justitia* (*Isa.* xlv, 13). Et ipse dicit in Psalmo : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* ii, 6). Sine principe, vel ipso Domino Salvatore, vel certe pontifice, de quo scriptum est : **33** *Principi populi tui non maledices* (*Exod.* xxii). Et sine sacrificio, et sine altari. Subverso enim templo, et incensa Jerusalem, nec sacrificium, nec sacerdotium Judaica gens exercere potest. Et sine ephod et sine theraphim, id est, instrumentis sacerdotalis habitus. De hoc rege et Jacob in benedictione Judæ Patriarchæ loquitur : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* xlix, 10). Ergo postquam defecit princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, et Herodes alienigena et proselytus suscepit imperium, intelligimus venisse cui regnum repositum est, et ipse erat exspectatio gentium. Hæc est cæcitas quæ ex parte accidit Israeli, ut subintraret plenitudo gentium, et tunc omnis Israel salvus fieret (*Rom.* xi) : et multo post tempore revertentur, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, qui de David stirpe generatus est, et interpretatur *fortis manu*. Ipse enim solvit captivitatem populi sui, et dedit vinctis remissionem. Cumque eum viderint filii Israel, qui a suis fratribus denegatus est, in Patris et sua majestate regnantem, pavebunt, et stupebunt ad Dominum et ad bonum ejus. Qui bonus filius, de bono natus est patre, sive ad bona Domini, de quibus sanctus loquitur : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* xxvi, 13) : hæc enim quam incolimus peccatores, terra est mortuorum. Præsens capitulum, alii Judæorum super Babylonica captivitate interpretantur, quando septuaginta annis desolatum est Templum, et altare et victimæ ac sacerdotium non fuerunt, et postea sub Zorobabel in sedes pristinas sunt reversi. Alii, ut nos, in futurum tempus differunt [*Al.* deserunt], et quæ sit causa tam grandis offensæ, ut tanto tempore relicti sint, maxime cum idola non colant, præter interfectionem Salvatoris, aliam non valent invenire.

(Cap. IV. — Vers. 1, 2.) *Audite verbum Domini, filii Israel; quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et* **34** *adulterium inundaverunt : et sanguis sanguinem tetigit.* LXX : *Audite verbum Domini, filii Israel; quia judicium Domino ad habitatores terræ, quia non est veritas, neque misericordia, neque scientia Dei super terram. Maledictio, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium effusum est super terram, et sanguinem sanguini miscuerunt.* A principio prophetæ usque ad hunc locum sub meretricis descriptione et adulteræ, quarum post gravissimas pœnas et relictionem longissimam, postea fit in pristinum, vel in meliorem statum restitutio, decem tribuum, vel duarum, et in commune omnium peccata numerantur. Nunc rursum ad Israel, id est, decem tribus sermo convertitur, exponens non frustra iratum Deum tam gravia comminari et inferre supplicia : ne forsitan non ex judicii veritate, sed ex potentia Dei injuste videatur in eos qui non peccaverunt, lata sententia [b]. Audite, inquit propheta, verbum Domini, o filii Israel : quia vult Dominus cum suo populo judicari et exponere causas indignationis suæ. Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Nec veritas enim absque misericordia sustineri potest, et misericordia absque veritate efficit negligentes : unde alterum miscetur alteri, quæ qui non habuerit, consequenter et Dei notitiam non habebit. Sed e contrario pro veritate mendacium, et pro misericordia maledictum, homicidium, furtum, adulterium. Non dixit, *est;* sed ut delictorum abundantiam demonstraret, intulit, *inundaverunt* (*Al.* *redundaverunt*) : et pro scientia Dei, quæ non est in terra, sanguis sanguinem tetigit, sive sanguinem sanguini miscuerunt, ut augerent peccata peccatis, et novis vetera cumularent. Recte autem qui habitatores terræ sunt et non incolæ, ad judicium provocantur : quia a facie Aquilonis exardescunt mala super habitatores terræ (*Jerem.* i). Et in Apocalypsi Joannis : Væ, væ, væ dicitur super habitatores terræ (*Apoc.* vi). Qui autem potest cum propheta dicere : *Advena sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* xxxviii, 1), et pertransit mundum istum quasi incola et peregrinus, veritatem sequitur et misericordiam, **35** et scientiam Dei, ne inundatione maledicti atque mendacii, homicidii, et furti, et adulterii et sanguinis opprimatur.

(Vers. 3.) *Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea : in bestia agri et in volucre cœli, sed et pisces maris congregabuntur.* LXX : *Ideo lugebit terra, et minuetur cum omnibus qui habitant eam, cum bestiis agri,* [c] *cum serpentibus terræ, et cum volatilibus cœli, et pisces maris deficient.* Quia

[a] Deerant tantum anni 25 aut 27 ad expletionem quadringentorum annorum : unde dicit *paulominus*, etc.

[b] Delevimus, quæ hic addebatur, *prophetiæ* vocem, utpote superfluam, et quam nostri mss. et quos Victor. consuluit, qui sunt numero tredecim, non agnoscunt.

[c] Isthæc, *cum serpentibus terræ*, in altero Palat. non sunt, quæ in Græco Complut. desunt.

non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei super terram, sed e regione maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit: idcirco lugebit terra cum habitatoribus suis, et infirmabitur, ut non habeat bestias agri, et volucres cœli, et pisces maris deficient. Cum enim captivitas decem tribuum venerit, habitatore sublato, bestiæ quoque et volucres cœli et pisces maris deficient; iramque Domini etiam muta elementa sentient. Hoc qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannonias, omnemque terram, quæ a Propontide et Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, et probabit cum hominibus et animantia cuncta deficere, quæ in usus hominum a Creatore prius alebantur. Sin autem voluerimus, ut quidam putant, feros homines bestias interpretari, et volucres cœli eos, qui elevantur in superbiam, et omnia humana contemnunt, et pisces maris, qui irrationabiles sunt, et ita bruti, ut nihil omnino sapiant, et aerem liberum cœlumque non videant: hoc non tam irati quam clementis est Domini, ut quæ mala sunt, auferantur de terra.

(Vers. 4, 5.) *Verumtamen unusquisque non judicet, et non arguatur vir: populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti, et corrues hodie, et corruet etiam propheta tecum.* LXX: *Ut nullus neque judicetur, neque arguatur quisquam: populus autem meus quasi sacerdos, cui contradicetur, et infirmabitur per diem, et infirmabitur etiam propheta tecum.* Secundum Septuaginta interpretes, hoc quod posuimus, *ut nullus neque judicetur, neque arguatur quisquam*, superiori capitulo coaptandum est: sed nos Hebræos **36** sequimur. Provocati ad judicium Dei, filii Israel, qui habitabant in terra ut causas Dominicæ indignationis audirent, et præterita peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur, nunc quia in sceleribus perseverant, et impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: Non necesse est ut veniatis ad judicium, ut in vestris flagitiis arguamini; quia tantæ estis impudentiæ, ut nec convicti quidem, pudorem habeatis et verecundiam; sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro sacerdoti plebecula contradicat, quæ non habet sacerdotii dignitatem. Et quia tales estis, ideo hodie corruetis [*Al.* corruitis, et ducimini, et perditis], id est, ducemini in captivitatem, et perdetis regnum Israel. Quod dicit, *hodie*, aut præsens tempus significat, aut non fraude et insidiis, sed clara in captivitatem luce ducemini, tantaque erit vestri infirmitas, ut etiam prophetæ, qui vobis solebant prophetare mendacium, vobiscum corruant, et sentiant captivitatem. Hic prophetas, aut pseudoprophetas debemus accipere, aut certe omnem gratiam prophetalem. Quamdiu enim non sunt captæ decem tribus, habuerunt et Eliam prophetam et Elisæum, et cæteros filios prophetarum, qui prophetaverunt in Samaria. Unde et Amos propheta qui de tribu Juda erat, et de viculo Thecue, cogitur redire ad patriam suam, ne in alieno regno et Samaria prophetaret.

(Vers. 6.) *Nocte tacere feci matrem tuam, conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te et ego* [Vulg. tacet *et ego*], *ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.* LXX: *Nocti assimilavi matrem tuam, et assimilatus est populus meus quasi non habens scientiam: quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: oblita es legis Dei tui, et ego obliviscar filiorum tuorum.* Non quod alia mater sit, et alii filii, matrem vocat et filios; sed quomodo Dominus loquens ad populum Judæorum dicebat: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregabat pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 5)? Non quod alia **37** Jerusalem, et alius populus ejus: neque enim absque populo ad cæmenta urbis et ligna et lapides loquebatur. Sic mater vocatur populi frequentia et omnis turba nationis Hebrææ, ad quam loquitur: filii autem, vel singuli ex populo, vel per oppida villasque dispersi. In nocte ergo ac tenebris captivitatis et mœroris et prementis angustiæ traditur Israel, et populus ejus æterno silentio conticescit; quia non habuit legis scientiam, nec Dei præcepta servavit, recepitque quod fecerat. Ipsa enim Dei repulit legem, et ideo sacerdotium perdidit in æternum, colens vitulos aureos in Dan et Bethel: et quia oblita est legis Dei, et penitus Ægyptiis se idolis mancipavit, idcirco et Dominus obliviscetur filiorum ejus, tradens eos æternæ captivitati: *Qui* enim *ignorat ignorabitur* (I *Cor.* XIV), et in Psalmis legimus: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* (*Ps.* LXXXI, 5). Omnia quæ dicuntur ad decem tribus, referre possumus ad hæreticos, qui reliquerunt regnum David et Jerusalem, id est, Christum et Ecclesiam: et ideo æterna nocte cooperti sunt, nec habent scientiam Dei, et repelluntur a Domino ne sacerdotio fungantur ei, et filiorum quos genuerint, numquam meminit, quia filii alieni facti sunt ei.

(Vers. 7 seqq.) *Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum, et erit sicut populus, sic sacerdos, et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes illius reddam ei.* LXX: *Secundum multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi, gloriam eorum in ignominiam ponam* [Al. *pandam*]: *peccata populi mei comedent, et in iniquitatibus eorum accipient* [a] *alii animas eorum, et erit sicut populus, sic*

[a] Vocem, *alii*, non habent Palatini mss. sed neque Græcus, excepto cod. Aldino, textus. In uno Barberinio, pro ἄλλοι, est λαοί.

*et sacerdos, et ulciscar super eum vias ejus, et cogitationes illius reddam ei.* Quot homines habuit Israel, tot aras exstruxit dæmonibus, in quorum victimis peccavit mihi. Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, et Deo idola præferebant, in ignominiam commutabo, ut et sacerdotes capiantur et populi. Siquidem **38** sacerdotes peccata populi mei comedunt, de quibus scriptum est: *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis* (*Ps.* XIII, 8). Et idcirco peccata populi mei comedunt, consentientes sceleribus delinquentium: quia cum eos peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant atque sustollunt, et beatos prædicant. De quibus et Isaias loquitur: *Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum supplantant* (*Isai.* III, 12). De his et per Psalmistam clamat: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (*Ps.* IX, 24). Unde æqualiter populus et sacerdos indignantis Dei sententiam sustinebunt; quia non solum opera eorum visitabit, quæ appellantur *viæ*, in quibus ingrediuntur; sed et cogitationes, quibus ut talia facerent, tractaverunt. Non solum enim opus, sed et cogitatio mali operis pœnas luet. De hæreticis facilis intelligentia est, quod quanto plures fuerint, tanto magis delinquunt Deo, et glorientur in populis: et idcirco decipiant infelices, ut peccata populi comedant, et per dulces sermones devorent domus viduarum (*Luc.* XX). Cum enim viderint aliquos delinquentes [a] aiunt: Nihil aliud quærit Deus nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Hæc enim dicentes, in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant pœnitentiam, nec humilientur; sed gaudeant in sceleribus suis, et erecta cervice gradiantur. Unde et populus et sacerdos, et hi qui docti sunt, et hi qui docuerunt, pari judicio constringentur.

(Vers. 10 seqq.) *Et comedent, et non saturabuntur: et fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo: fornicatio, et vinum, et ebrietas aufert cor. Populus meus in ligno suo interrogavit: et baculus ejus annuntiavit ei. Spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.* LXX: *Et comedent, et non implebuntur: fornicati sunt, et non dirigentur: quia Dominum reliquerunt, ut non custodirent: fornicationem et vinum, et ebrietatem suscepit cor populi mei: in auguriis interrogabant:* **39** *et in virgis suis annuntiabant ei: quoniam spiritu fornicationis seducti sunt* [b] *et fornicati sunt a Deo suo.* Voluptas insatiabilis est, et quanto magis capitur, tanto plus utentibus se famem creat. Econtrario beati esurientes et sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Mat.* V). Sicut justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, [c] vana comedentes fraude deludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit. Fornicati sunt, et non cessaverunt. Vires in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit. Fornicatæ sunt et decem tribus cum idolis Jeroboam filii Nabaoth: et reliquerunt Dominum Deum suum, non custodiendo quæ jusserat, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Deut.* VI, 13), ἐμφατικῶς autem legendum: Fornicatio et vinum et ebrietas aufert cor. Sicut enim vinum et ebrietas eum qui biberit, mentis suæ impotem facit: ita et fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumque debilitat: et de rationali homine, brutum efficit animal, ut ganeas et lupanaria et libidinum lustra sectetur. Cumque ita cor loco suo motum fuerit, ligna et lapides deos putat, et adorat opera manuum suarum. Unde et propheta quasi stupens et mirabundus eloquitur: Populus meus qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogavit et virgas: quod genus divinationis Græci ῥαβδομαντείαν vocant. Unde in Ezechiel legimus, quod virgas suas miscuerit Nabuchodonosor contra Ammon et Jerusalem, et exierit virga contra Jerusalem (*Ezech.* XXV): causaque hujus amentiæ fornicationis est spiritus, qui decepit eos, ut fornicarentur a Deo suo. Fornicationem [d] autem idololatriam nominat, juxta illud quod in Jeremia legimus: *Et mœchabantur in ligno et lapide, et dixi: postquam fornicati sunt cum his omnibus, revertere ad me, et non est reversa in toto corde sed in mendacio.* Et rursum: *Me dereliquisti et dixisti: Vadam super omnem collem excelsum, et diffundar in fornicatione mea subter omni ligno frondoso* (*Jer.* III, 5, 6). Et **40** in Psalmo dicitur: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Ps.* LXXII, 27). Principium enim fornicationis, idolorum inventio. Numquam hæretici suo errore satiantur, nec cessant a fornicationis turpitudine, et quotidie non custodiendo Legem et Scripturas sanctas, Dominum derelinquunt, insaniunt et inebriantur, et, perdito mentis judicio, adorant idola, quæ de suo corde finxerunt, fornicationisque spiritu possidentur.

(Vers. 13.) *Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama: subtus quercum et populum et terebinthum, quia bona erat umbra ejus.* LXX: *Super verticem montium sacrificabant, et super colles immolabant: subter quercum et populum et ne-*

[a] Quam apposite, inquit Victorius, novatores nostri depingit temporis, qui fidem tantum necessariam esse, opera autem nequaquam, tam perfricta adlatrant fronte. Explosit a principio hanc hæresim D. Jacobus, et veluti male intellectum Paulum declaravit, dum fidem absque operibus inanem prorsus esse, ac mortuam tam eruditis verbis asseveravit; sed mala herba, quantumvis sæpius evellatur, semper repullulat; dum quilibet maxime probat opinionem, qua dicitur, hominem ex otio et deliciis in cœlum transferri, militemque sine certamine aliquo coronari.

[b] Verba, *et fornicati sunt*, deerant, quæ ex nostris mss. suffecimus, astipulante subnexa expositione, et Græco quoque textu, ἐπλανήθησαν καὶ ἐξεπόρνευσαν. Vocula *sunt* bis repetita oscitantes fefellit librarios, qui ex prima ad alteram transierunt.

[c] In uno Palatin. *bona comedentes fraude*, etc.

[d] Mss. nostri, *fornicatio autem idololatriam sonat*, *juxta*, etc.

*morosas arbores*, *quia bonum erat umbraculum*. In Lege præceptum est ut non sacrificetur Domino, nisi in loco quem elegerit Dominus Deus : et juxta altare lucus et arbores non plantentur, ne scilicet passiva et voluptuosa religio austeritatem unius et veræ religionis evertat. Econtrario Israel sacrificabat in montibus, et in collibus adolebat incensum, excelsa terræ diligens loca, quia excelsum reliquerat Deum, et umbram quærens perdiderat veritatem. Hoc est quod legimus de singulis regibus : *Verumtamen excelsa non abstulit : adhuc populus immolabat et sacrificabat in excelsis* (III *R.* XXII, 44), quod Hebraice appellatur BAMA (במה). Hæretici sublimitatem sibi dogmatum repromittunt, et sacrificant subter quercum et populum et terebinthum, infructuosas arbores, ficum et vineam non habentes, sub quibus Sanctus requiescere dicitur. Assumunt autem sibi interdum terebinthum, [a] quæ juxta Isaiam folia non habet, ut Abrahæ imitari videantur exemplum (*Isai.* VI).

(Vers. 14.) *Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur* [Vulg. *versabantur*], *et cum effeminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulabit.* LXX : *Propterea fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ mœchabuntur, et non visitabo* 41 *super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus miscebantur ; et cum initiatis immolabant, et populus* [b] *non intelligens adhærebat meretrici.* Verbum CADESOTH (קדשות), quod Aquila ἐνηλλαγμένων, Symmachus ἑταιρίδων, Septuaginta τετελεσμένων, Theodotion κεχωρισμένων interpretati sunt, nos *effeminatos* vertimus, ut sensum verbi nostrorum auribus panderemus. Hi sunt quos hodie Romæ, matri, non deorum, sed dæmoniorum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Atys (quem eunuchum dea meretrix fecerat) sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, ut [c] qui urbem Romanam ceperant, hac feriantur ignominia. Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beelphegor ob obscœni magnitudinem, [d] quem nos Priapum possumus appellare. Unde et Asa rex tulit excelsa de populo, et hujuscemodi sacerdotes, et matrem de augusto deposuit imperio, sicut Scriptura testatur, dicens : *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus, et abstulit effeminatos de terra, purgavitque omnes sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus quem consecraverat : subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron. Excelsa autem non abstulit : verumtamen cor Asa perfectum erat coram Deo cunctis diebus suis* (III *Reg.* XV, 11 *seqq.*). Sciendum autem quod in præsenti CADESOTH, *meretrices*, [e] ἱερείας, id est, *sacerdotes*, Priapo mancipatas vocet. In aliis autem locis viros exsectos libidine, CADESIM (קדשים) legimus, Isaia dicente, *Et* [f] *illusores dominabuntur eorum*, pro quo in Hebræo scriptum est : *Et* CADESIM *dominabuntur eorum*, quod nos in *effeminatos* vertimus. Aquila autem [g] ἐνηλλαγμένους interpretans, id est, *mutatos*, 42 hoc ostendere voluit, quod suam naturam mutaverint, et de viris facti sint feminæ. Symmachus ἑταιρίδας proprie *meretrices* appellavit. Septuaginta τετελεσμένους, id est, *consecratos, et initiatos*, ut cultores idolorum ostenderent : Theodotion, κεχωρισμένους, id est, *a populo separatos*, qui sibi videbantur a vulgo aliquid plus habere. De verbo breviter disseruimus, nunc ad sensum capituli revertamur. Grandis offensa est postquam peccaveris, iram Domini non mereri. Fornicatus fuerat Israel a Domino Deo suo, et spiritu fornicationis seductus : ideo fornicantur et filiæ ejus et sponsæ, et absque ulla vindicta in suo scelere relinquuntur, ut quod filii et uxor vero parenti fecerant et marito, hoc in liberis suis et uxoribus sentiant, et ex proprio dolore intelligant dolorem Dei, qui intantum iratus est, ut nequaquam percutiat delinquentes. Quod et Apostolus ad Romanos scribens, mystico sermone testatur : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum* (*Rom.* I, 22 *seqq.*). Et quia cum idolis fuerant fornicati, tali feriuntur sententia : *Propter quod tradidit illos*

[a] Notatum Victorio, alludi caput Genesis XVIII, ubi enim legitur apparuisse Dominum Abrahæ in convalle Mambre, pro convalle, באלני est in Hebræo, quam vocem Septuaginta *quercum* transtulerunt, alii *terebinthum*, eo quod terebinthus אלה dicatur, ut constat Genesis XXXV, item I Reg. XVII et III Reg. XIII. Quamvis I Par. X, pro quercu accipiatur. Ab אלה autem ducitur אלני.

[b] Abest a Palatinis mss. negandi particula, Græco ipso textu renuente, tum Symmachi quoque nomen, et Græca interpretatio desideratur. Porro pro Aquilæ verbo ἐνηλλαγμένων, iidem mss. cum hic tum infra, ubi vox eadem recurrit, præferre videntur ἐνδιηλαγμένων, quod et magis placet.

[c] Gallorum gentem, a quibus capta Roma olim fuit, male, ut videtur, Hieron. cum cognominibus Gallis Cybeles sacerdotibus, a *Galles* in Phrygia flumine ita nuncupatis, confundit. Errorem ex ὁμωνυμίᾳ sic perbelle canit Ovidius lib. IV Fastorum v. 316 :

> Cur igitur Gallos, qui se excidere vocamus?
> Cum tanto Phrygia Gallica distet humus.
> Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celenas
> Annis it insana nomine Gallus aqua.

Hujus fluminis in Phrygia, a quo Galli sacerdotes nomen accepere, meminit etiam Plin. l. V, c. ultimo.

[d] Vid. contra Jovinianum lib. I, c. 12.

[e] Rescribimus ἱερείας, cum ex nostris, tum ex aliorum mss. Antea erat ἱερεῖς, vel ἱερεῖς, minus bene.

[f] Haud scio, cur Græcum hic textum præponant mss. nostri, καὶ ἐμπαῖκται κυριεύσουσιν αὐτῶν.

[g] Nostri, ut supra monuimus, mss. præferunt ἐνδιηλλαγμένους.

*Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ, potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.* Ut autem sciamus, visitationem quasi vulneratorum et languentium ideo inferri a Deo, ut veluti cauterio et amarissimis potionibus recipiant sanitatem, et morbis careant, per prophetam loquentem audiamus Dominum : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eo* ( *Ps.* LXXXVIII, 33, 34 ). Qui igitur amatur, corripitur : qui negligitur, suis peccatis dimittitur. Tantusque fuit numerus [a] fornicatorum Israel, ut cesset ultio, desperans emendationem. **43** Quid enim turpius quam viros meretricum cultui copulari, et cum effeminatis immolare hostias libidinis suæ? Quod autem jungit : *populus non intelligens vapulabit*, pro quo Septuaginta transtulerunt : *Et populus* [b] *non intelligens adhærebat meretrici*, hoc significat quod vapulet in captivitate, et diversis afficiatur plagis, ut per dolorem recipiat disciplinam. De hæreticis facilis intelligentia est, quod filii eorum fornicentur, et sponsæ, id est, animæ quas in errore genuerunt, et suis dogmatibus desponsarunt. Istiusmodi indigni sunt correptione Dei : quoniam omnis eorum cultus fornicatio est, et turpes turpibus commiscentur, et propterea vapulabunt, ut aliquando per plagas intelligant quem requirant Deum. Quando videris peccatorem divitiis affluere, jactare se potentia, sanitate gaudere, delectari conjuge, corona circumdari liberorum, et impleri illud [*Al.* aliud] quod scriptum est : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Ps.* LXXII, 5), dicito in illo comminationem Prophetæ esse completam : *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras cum adulteraverint.*

(Vers. 15, 16.) *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda, et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis, vivit Dominus, quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel. Nunc pascet* [Al. *pascit*] *eos Dominus quasi agnum in latitudine.* LXX : *Tu autem, Israel, ne ignores, et Juda, nolite ingredi in Galgala, ne ascendatis in domum ὢν, et ne juretis, vivit Dominus : quoniam sicut vacca asylo percussa insanivit Israel. Nunc pascet eos Dominus sicut agnum in spatioso.* Pro domo ὢν in quibusdam exemplaribus, et maxime in Theodotione legitur *domus iniquitatis*, quod Aquila et Symmachus interpretati sunt domum ἀνωφελοῦς, id est, *inutilem*, quæ nihil prosit, et alio verbo *idolum* nuncupetur. Est autem *Bethel :* et quæ prius vocabatur *domus Dei*, postquam vituli in ea positi sunt, **44** appellata est *Bethaven*, id est, *domus inutilis*, et *domus idoli*, quod nos ut in Hebræo legitur expressimus. Videtur autem mihi idcirco et populus Israel in solitudine fecisse sibi caput vituli, quod coleret, et Jeroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant ἆπιν et μνεῦιν, qui sub figura boum coluntur, esse deos, hoc in sua superstitione servarent. Dicamus sensum capituli : Si semel, o Israel, errore deceptus es, et te cum meretricibus miscuisti, ita ut quicumque impleret [*Al.* impleverit] manum vel suam vel regis, offerendo [*Al.* afferendo] et dando ei munera, sacerdos fieret excelsorum : saltem tu, Juda, qui possides Jerusalem, et habes ex Lege Levitas, et exerces templi cæremonias, non debes sororis quondam tuæ Oollæ in fornicatione exempla sectari, et cum [c] ea idola colere. Non ingrediaris Galgala, de qua in hoc eodem propheta legimus : *Omnis malitia eorum in Galgalis* ( *Osee* IX, 15 ), in qua Saul unctus est in regem: in qua exiens populus de deserto, primum castrametatus, secunda circumcisione purgatus est. Ex quo tempore religionis adversæ, in loco celebri error inolevit. Et ne ascendas in Bethaven, id est, quæ quondam vocabatur Bethel, quia postquam aurei ibi vituli positi sunt a Jeroboam filio Nabath, non Domus Dei appellatur, sed domus idoli. Pro qua miror cur Septuaginta domum ὢν interpretati sunt: [d] nisi forte errore consueto pro JOD littera media, quæ ALEPH et NUN litteris ex utraque parte vallatur, VAU, quæ sola differt magnitudine, putaverunt. *Neque juraveritis, vivit Dominus.* Nolo enim per os vestrum nominis mei fieri mentionem, quod idolorum recordatione pollutum est. Sicut enim vacca lasciviens et abjiciens jugum : ita Israel, id est, decem tribus, declinavit a Domini servitute. Pro lasciviente vacca, Septuaginta transtulerunt παροιστρῶσαν, quæ œstro, asyloque percussa sit, quem vulgo *tabanum* vocant. De quo et **45** Virgilius in tertio Georgicorum libro refert :

..... Cui nomen asilo,

[a] Duo Palatini, *numerus fornicantium in Israel, ut ultio desperet emendationem.*

[b] Hic iterum nostri mss. negandi particulam respuunt. Tum legunt, *quod vapulet Israel captivitate*, etc.

[c] In Palatin. ms., *et cum Deo idola colere.*

[d] Labi hic Hieronymum manifesto, editores et critici omnes clamant, qui falsos in eo dicat LXX, quod recte *vau* legere voci אוֹן intermedium : cui ut suppetias ferat Victorius, in contrarium sensum S. Doctoris textum mutat, *nisi pro* vau *littera media, quæ* aleph *et* nun *litteris ex utraque parte vallatur*, jod, *quæ sola differt magnitudine, putaverunt*. Quamquam nec bonis se testibus hæc tuetur lectio, nec levior in ea superat difficultas, qui potuerint LXX, si *jod* intermedium putaverunt, אוֹן, non *in*, aut *en*, sed *on* pronuntiare. Manifestum porro est in Hebræo, non ut hic Hieron. opinatur, per *jod*, sed per *vau* scribi אָוֶן, quæ vox et *Aven* et *Aun* et *On* legi potest, sicque est pro lubito ab antiquis interpretibus reddita. Quin ipse S. Doctor hoc ipso in loco per *vau* legit, *Bethaven :* idque eo certius est, quod *domum idoli*, seu *vanitatis* interpretatur. Quamobrem mirum est magis, dici ab eo potuisse, LXX, ut Ὢν verterent, *vau* pro *jod* accepisse. Alioqui enim scio et *Bethaim* a Græcis lectum, quod Bonfrerius ad librum Locorum Eusebii, sive Hieronymi notat.

Romanum est : œstrum Graii vertere vocantes,
Asper acerba sonans : quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta : furit mugitibus æther
Concussus, silvæque et sicci ripa Tanagri.

Quia ergo insanivit Israel, et percussus fornicationis spiritu, incredibili furore bacchatus est, ideo non multo post tempore, sed dum propheto, dum spiritus hos regit artus, *pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine*. Quia metaphoram a vacca lasciviente, sive œstro ceperat, servat in reliquis, ut captivitatem in Assyrios, et in latissimam Medorum terram dispersionem populi Israel quasi in campo latissimo et in spatiosa terra gregis et agnorum pasturam vocet. Super hæreticis prona intelligentia est, ad quos, vel de quibus dicitur : Si semel fornicaris, hæretice, saltem tu, ecclesiastice, ne delinquas, nec [*Al.* ne] ingrediaris in Galgalam, hæreticorum conciliabula, ubi peccata omnium revelantur [*Al.* relevantur], et instar porcorum volutantur in cœno. Ne te ascendere putes ad superbas et arrogantes falsorum dogmatum fictiones. Non est enim ibi domus Dei, sed domus idoli. Nec juraveris per nomen Christi, cujus majestatem miscendo idolis polluisti. Sicut enim vacca percussa asilo, percussi sunt hæretici ardentibus diaboli sagittis, et Legis notitiam reliquerunt : ideo pascentur in lata et in spatiosa via, quæ ducit ad mortem, et patientia Domini bonique pastoris eos nutriet ad interitum.

(Vers. 17 seq.) *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum, separatum est convivium eorum : fornicatione fornicati sunt ; dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus, ligavit spiritus eum* [Vulg. *eam*] *in alis suis ; et confundentur a sacrificiis suis.* LXX : *Particeps idolorum Ephraim posuit sibi scandala, provocavit Chananæos, fornicantes fornicati sunt, dilexerunt ignominiam ex fremitu ejus ; turbo spiritus* [a] *sibilabit in alis ejus et confundentur ex altaribus suis.* Ephraim, de qua tribu Jeroboam filius Nabath, qui primus aureos vitulos in Bethel Danque **46** constituit, rex est decem tribuum. O igitur Juda, cui supra dixi, si fornicatur Israel, non delinquat saltem Juda, audi consilium meum, prophetæ verba non spernas ; quia Ephraim semel idolorum amicus et particeps est, dimitte eum, ne sequaris impietatem ejus, cujus cultus et religio et cibus a tuo convivio separatus est. Illi enim semel idolis serviunt, et dæmonibus immolant, et quotidie fornicantur, et diligunt fornicationem suam : immo principes et protectores ejus, id est, reges dilexerunt ignominiam afferre populo, id est, vitio principum, infelix populus suscepit cultum idolorum, quorum immundus spiritus ligavit Israelem in alis suis, et eum libere volitare non patitur. Confundentur igitur in sacrificiis suis, et ignominiam principum in sua confusione suscipient. Symmachus pro eo quod nos interpretati sumus, *ligavit spiritus eum in alis suis*, hoc modo vertit in Græcum, velut si quis liget ventum in alis venti, ut scilicet et principes et populum, immo et dæmones et Israelem, vanos vanis, inanibus inanes asserat copulatos. Ventus enim et spiritus apud Hebræos uno verbo appellantur RUA (רוח). Id quod Septuaginta transtulerunt [*Al.* posuerunt] *provocavit Chananæos*, in Hebraico non habetur : tamen sic interpretari potest, ut dicamus tantum studium habuisse Israelem in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananæos, id est, ethnicos ; sed ad imitationem sui eos provocarit erroris. Hoc ipsum et ad hæreticos referri potest, et dicitur ad Judam, id est, ad virum ecclesiasticum, quia Ephraim qui interpretatur καρποφόρος, falsam sibi doctrinæ ubertatem, et frugifera dogmata promittit, et semel amicus est dæmonum, dimitte eum atque contemne : præsertim cum sacrificia eorum a tuis sint sacrificiis separata. Hoc est enim quod dicit separatum est convivium eorum, semel fornicati sunt, et principes eorum infelicem populum deceperunt ; et pro Dei cultu imbuerunt eos ignominia idolorum, et ligavit eos diaboli spiritus in alis suis, qui circumferuntur omni vento doctrinæ ; et stabili in Ecclesia pede permanere non possunt. Qui vere in suis sacrificiis confundentur, quia panis eorum panis luctus est. **47** Quodque dicitur, *provocavit Chananæos*, eodem sensu referri potest ad hæreticos, quod tam spurca plerique hæreticorum et nefanda confinxerint, habeantque immunda sacrificia, ut idololatria inferior sit. Vel certe quia *Chananæus* interpretatur, *negotiator*, sive μετάβολος, id est, *translator*, omnes qui domum Patris faciunt domum negotiationis (*Joan.* II), et lucra quærunt de populis, et Ecclesiæ veritatem transferunt in mendacium, Chananæi appellandi sunt.

(Cap. V. — Vers. 1, 2.) *Audite hæc* [Vulg. *hoc*], *sacerdotes, et attendite, domus Israel, et domus regis, auribus* [Vulg. tacet *auribus*] *auscultate, quia vobis judicium est : quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum.* LXX : *Audite hæc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis, auribus percipite, ad vos enim est judicium, quia laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super Itabyrium, quod qui capiunt, venationem confixerunt.* Sacerdotes decem tribuum ad judicium vocantur, et reges, non quod sacerdotes sint de tribu Levi, sed quod sacerdotes vocentur a populo. Unde et sacerdotes Baal, et prophetæ quadringenti quinquaginta quos interfecit Elias ( I *Reg.* XVIII ), et postea Jehu filius Namsi (IV *Reg.* IX, 10), præsente Jonadab filio Rechab, appellati sunt sacerdotes ; sed et Israel, id est, populus, vocatur ad judicium, et nullus excipitur, ut et sacerdotes et populus et reges, qui induxerant populum, et constituerant sacerdotes, simul audiant quid fecerint, et cur tradantur inimicis. Speculatores, inquit, vos posui, et princi-

[a] Pro *sibilabit* verbo, mss. Palatini *tu es* præferunt, quemadmodum et in Græco codice plerique σὺ εἶ, pro συριεῖ.

pes in populo, et in excelso dignitatis culmine constitui, ut populum regeretis errantem. Vos autem facti estis laqueus, et non tam speculatores et principes, quam venatores appellandi. Expanditis enim rete super montem Thabor, quem Septuaginta Ἰταβύριον transtulerunt (Mss. *Itabyrium*), hanc habentes consuetudinem, ut Hebræa nomina Græco sermone declinent, sicut Edom, hoc est, Esau, et Seir, semper Idumæam interpretantur. Est autem Thabor mons in Galilæa, situs in campestribus, rotundus atque sublimis, et ex omni parte finitur æqualiter. De hoc monte et in psalmo legimus : *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt* (*Ps.* LXXXVIII, 13). Hunc montem et in Jeremia **48** Septuaginta *Itabyrium* transtulerunt, in quo aves laqueis capi solent. *Et victimas*, inquit, *declinastis in profundum* (*Jer.* XLVI), ut nullus ageret pœnitentiam, nec occisus elevaret caput. Prohibuerunt et reges, et sacerdotes ire populum ad templum Jerusalem : idcirco in profundum victimas declinasse dicuntur. Juxta tropologiam, accusatur populus ne se alienum arbitretur a crimine, si inductus sit a regibus et a sacerdotibus, quos hæreticorum principes intelligimus. Ipsi quoque principes accusantur, quod quasi laqueus, ceperint populum, et positi speculatores in Ecclesia, eos duxerint in errorem. Et in monte *Thabor* excelso atque pulcherrimo, qui interpretatur *veniens lumen*, insidias posuerunt, ut deceptos quosque pertraherent in profundum, et immolarent dæmonibus, et in barathrum victimas declinarent, ne aliquando resipiscerent, ne domum Dei Ecclesiam suspirarent. Quidam Thabor interpretari putant lacum, id est, cisternam, et præsenti sensui convenire, quod hæretici foderint lacum, et inciderint in foveam quam fecerunt (*Ps.* LVI).

(Vers. 3, 4.) *Et ego eruditor omnium eorum, et ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me : quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel : non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.* LXX : *Ego enim magister vester : ego cognovi Ephraim, et Israel non recessit a me, quia nunc fornicatus est Ephraim, commaculatus est Israel : non dederunt cogitationes suas ut reverterentur ad Dominum Deum suum, quia spiritus fornicationis est in eis : Dominum autem non cognoverunt.* O sacerdotes et reges, qui meum populum decepistis ; et tu, popule, qui deceptus es, tam graviter deliquistis, ut non solum occideritis victimas, sed et in profundum eas miseritis inferni : nolite arbitrari magnitudine sceleris vos a me penitus recessisse. Ego sum magister vester, immo eruditor, qui emendare cupiam, non punire ; et salvare, non perdere. Ego, inquit, scio Ephraim, id est, Jeroboam, a quo seductus est populus, et omnes reges qui eum et dignitate et scelere sunt secuti, et Israel non est absconditus a me, id est, decem tribuum populus, quia fornicante rege, contaminatus est Israel. Rex primo **49** cepit a Dei cultu fornicari, vitulos aureos cupiens adorare, et volens secutus est populus, paremque impietatem pari studio compleverunt (III *Reg.* XII). Denique non revertentur ad Dominum, quia quod voluerant, invenerunt, et spiritus fornicationis, qui juxta apostolum operatur in filiis diffidentiæ, possidet eorum corda captiva, et idcirco illo regnante, Dominum nescierunt, immo obliti sunt Creatoris sui (*Ephes.* II). Unde et principes dogmatum perversorum et populum Dominus [*Al.* Domini] non ignorat : non quod ejus notitia digni sint, sed quia nihil eum lateat eorum quæ occulte faciunt, quorum alii deceperunt, alii sunt decepti. Nec dabunt cogitationes suas ut agant pœnitentiam, qui semper in perditione proficiunt. Spiritus enim fornicationis quo fornicati sunt in Ecclesia, et a vero matrimonio recesserunt, versatur in medio eorum : ideo Dominum non cognoverunt.

(Vers 5.) *Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus, et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Juda cum eis.* LXX : *Et humiliabitur injuria Israel in faciem ejus : et Israel et Ephraim infirmabuntur in iniquitatibus suis, infirmabitur etiam Judas cum eis.* Verbum GAON (גאון) Septuaginta et Symmachus interpretantur *injuriam*, Aquila et Theodotion *superbiam*. Quidquid igitur fecit Israel, vel superbe agens contra Dominum, vel in injuriam Creatoris idola venerans, respondebit in facie ejus ut non abeat impunitus, sed humilietur ejus contumelia, et populus et reges in iniquitate sua pariter corruant, sive infirmentur, ut qui fortes erant in scelere, infirmi ad Dominum redire cogantur. Et hoc non solum eveniet Israeli et Ephraim, id est, decem tribubus et regibus earum, ut ducantur in captivitatem ; sed etiam Judas, id est, duæ tribus quæ regnabant in Jerusalem, sequentur vestigia captivorum, ut quorum imitantur scelera, imitentur et pœnam. Hæretici matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper altiora scire se jactitant, et in Ecclesiæ contumeliam debacchantur. Sed infirmabitur arrogantia eorum et populus ac magistri pariter corruent : Judas quoque qui videtur esse in domo Dei, et in Ecclesia, non mente **50** sed corpore commoratur : et eamdem habet cum hæreticis in errore sententiam ; frustra nomen ecclesiasticum repromittit, quia et ipse cum hæreticis puniendus est. Manifesta transcurrimus, ut in obscurioribus immoremur.

(Vers. 6, 7.) *In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient : ablatus est ab eis : in Domino* [Vulg. *Dominum*] *prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt, nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.* LXX : *Cum ovibus et vitulis ibunt et* [a] *quærent Dominum, et non invenient eum, declinavit ab illis, quia Dominum reliquerunt :*

[a] Mss. Palatini, *ut quærant*, perinde atque in Græco τοῦ ἐκζητῆσαι.

*quia filios alienos genuerunt sibi, nunc devorabit eos rubigo, et cleros eorum.* Non solum Israel et Ephraim ibunt cum gregibus et armentis ad Dominum requirendum, sed etiam Judas, de quo supra scriptum est: *Ruet etiam Judas cum eis*, hoc habentes omnes certamen, ut quem prævaricationibus offenderant, hostiis placare nitantur; et non invenient quem requirunt, quia a recedentibus et ipse discessit. Præsertim cum et alibi loquatur: *Numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum bibam?* Et iterum: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos* (*Ps.* XLIX, 13, *et* IX). Et in Isaia: *Holocausta arietum, et adipem agnorum, et sanguinem hircorum atque taurorum nolo* (*Isai.* I, 11). Prævaricati sunt enim in Domino; quia fornicantes cum idolis, non Deo filios genuerunt, sed dæmonibus. Alii putant hoc significari quod in Esdra multo post (I *Esdræ* X) tempore dicitur, quando uxores alienigenas assumpserunt, creantes ex eis liberos, et postea repudiare compulsi sunt. Sed hic melius est alienos filios accipere, qui in idolorum errore generati sunt, sive quos ducentes per ignem, idolis consecrarunt. Quia igitur hoc fecerunt, non multo post tempore, non annorum spatiis infinitis, et ut solitus eram prius, longe post futura prædicere; sed nunc et in præsentiarum adveniet Assyrius, atque Chaldæus, et devorabunt eos cum partibus, sive cleris suis, id est cum possessionibus quas in divisione terræ ad mensuram funiculi susceperunt. Pro eo quod nos diximus, *devorabit eos mensis*, Septuaginta *rubiginem* transtulerunt: *proderunt eis* (*Jerem.* XII, 13, *secundum* LXX).

[a] Idem mss., *quod eleemosynis redimant*, etc.

cum utique rubigo, id est, ἐρυσίβη HASIL **51** (חסיל) appelletur, ut ipsi quoque dixerunt in Propheta Joel: *Reliquias bruchi comedet rubigo* (*Joel.* I, 4), id est, HASIL. Mensis autem HODES (חדש) dicitur: denique Aquila *neomenias*, id est, *Kalendas* interpretatus est: Symmachus et Theodotion *mensem;* et est sensus, per singulos menses hostis adveniet, et cuncta vastabit. Legamus Regum et Paralipomenon libros, et inveniemus sub rege Phasee, qui regnabat decem tribubus, venisse Teglathphalasar regem Assyriorum, et magnam partem populi Samariæ in Assyrios transtulisse, quo tempore apud Græcos secundus annus primæ Olympiadis fuit; et apud Latinos (nec dum Roma condita) Albæ vicesimo anno Amulius imperabat, quem postea Romulus regno pepulit. Hæretici suspicantur quod in sacrificiorum **52** multitudine placent Deum; et ecclesiastici, quod [a] faciendo eleemosynas, redimant peccata, in quibus permanent: cum omne sacrificium præterita scelera deleat, non præsentia; ideo non inveniunt Dominum, qui aufertur a talibus, et procul recedit. Isti vere [*Al.* vero] prævaricati sunt in Deum, et alienos filios non Christo, sed diabolo procrearunt: ideo omni tempore maledicta sunt opera eorum, et cuncta quæ faciunt, cruenti coloris rubigo populatur, quia sanguini et interfectioni proxima sunt. Rubigo autem proprie descendere dicitur in rore nocturno, ac lactantia in spicis frumenta maculare colore minii, vel sinopidis, et congrue juxta ἀναγωγήν vastat cleros hæreticorum, de quibus dicitur: *Cleri eorum non proderunt eis* (*Jerem.* XII, 13, *secundum* LXX).

# *LIBER SECUNDUS.*

**51—52** Qui sæpe navigat, aliquando patitur tempestatem: qui viam frequenter ingreditur, aut sustinet latronum impetus, aut certe metuit, omnique in arte, tam gloria quam obtrectatio, secundis adversisque ventis oritur, dum aut amici plus merito laudant, aut inimici plus justo detrahunt: rarumque invenias qui in utramque partem non favore, aut odio, sed rerum æquitate ducatur. Quod mihi in Scripturarum explanatione sudanti accidere [*Al.* accidisse] video. Alii enim quasi parva contemnunt, et quidquid dixerimus, [a] contracta nare despiciunt: alii odio nominis nostri, non res, sed personas considerant: magisque aliorum silentium, quam nostrum studium probant. Sunt qui audacter nos facere assentur, quod arripuimus opus, quod nullus ante nos Latinorum tentare ausus est. Quidam in eo se disertos arbitrantur et doctos, si alieno operi detrahant, et non quid ipsi possint, sed quid nos non possimus dijudicent. Tu autem, Pammachi, qui nos facere præcepisti hoc, necesse est ut fautor sis imperii **53—54** tui [*Al.* imperio tuo], et [b] Amafionios ac Rabirios nostri temporis, qui de Græcis bonis, Latina faciunt non bona; et homines eloquentissimos, ipsi elingues transferunt, Evangelico calces pede: hydramque [*Al.* viperamque] et scorpium juxta fabulas poetarum, aduras cauterio, solea conteras: et Scylleos canes ac mortifera carmina sirenarum surda aure pertranseas: ut pariter audire et nosse

[a] Pro duobus verbis, *contracta nare*, quæ ex nostris mss. recto id exigente sensu, substituimus, hactenus obtinuit in vulgatis libris *contrectare*, quod verbum hic nihil erat, satisque manifesto apparebat pro duobus, *contracta nare*, scripturæ compendio positum.

[b] Sic *Amafinios* restituimus ad historiæ veritatem, nostrorumque mss. fidem. Vitiose antea obtinebat *Amasinios*, pro quo *Amasios* minus recte substituendum Victorius conjecerat, quod Amasis maximus quidam prædo apud Herodotum, lib. I, fuerit. At de Amafinio, ac Rabirio non semel Cicero cujus testimonia Hieronymus alludit. Vide Academicar. Quæst. lib. I, n. 2, et Tusculanar. lib. IV, n. 3, in eumque notas Lambini, Gruteri, aliorumque. Notum præterea ex Terentii prologo in Andr. sumptum illud:

De Græcis bonis, Latina faciunt non bona.

valeamus quid vaticinetur Osee propheta, in cujus explanationem secundum dictabimus [*Al.* dictamus] librum. Cumque tuo læter adminiculo; et in prima urbe terrarum, primum et nobilitate et religione habere me gaudeam defensorem: tamen magis optarem illud mihi contingere, quod Titus Livius scribit de Catone, cujus gloriæ neque profuit quisquam laudando, nec vituperando [a] nocuit: cum utrumque summis prædíti fecerint ingeniis. Significat autem M. Ciceronem et C. Cæsarem: quorum alter laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri. Dum enim vivimus, et in vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus, quam eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens sylva succreverit, tunc sine nominum dignitate, sola judicantur ingenia: nec considerat qui lecturus est, cujus; sed quale sit quod lecturus est: sive ille episcopus, sive sit laicus, imperator et dominus, miles et servus; aut purpura et sericio, aut vilissimo panno jaceat: non bonorum [*Al.* bonorum] diversitate, sed operum merito judicabitur.

(Vers. 8, 9.) *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven post tergum tuum Benjamin: Ephraim in desolatione erit in die correptionis, in tribubus Israel ostendi fidem.* LXX: *Clangite tuba super colles, sonate super excelsa, prædicate in domo* ὢν: *mente excidit Benjamin, Ephraim in desolatione factus est in diebus correptionis, in tribubus Israel ostendi fidelia.* Ephraim et Israel et Juda menses singuli, sive rubigo cum suis partibus devorabunt. Quamobrem præcipio vobis qui auditis, ut non voce sublimi, sed clara buccina concrepetis: claro enim auditu opus est, ut omnes audiant qui in circuitu sunt. *Clangite buccina in Gabaa*, cujus etymologiam in *colles* Septuaginta transtulerunt: et *tuba in Rama*, quæ interpretatur *excelsa*: istæ autem duæ sunt in tribu Benjamin, vicinæ sibi mutuo civitates, id est, Gabaa, in qua natus est Saul; et Rama, quæ est juxta Gabaa, in septimo lapide a Jerosolymis sita; et quam rex Israel occupare conatus est, ut exitum et introitum clauderet tribui Judæ. In Gabaa itaque et in Rama clara buccina et tuba personate; quorum buccina pastoralis est, et cornu recurvo efficitur: unde et proprie Hebraice SOPHAR (שופר), Græce κεράτιον appellatur. Tuba autem de ære efficitur, vel argento, qua [quæ] in bellis et solemnitatibus concrepabant [*Al.* concrepat]. Super Bethaven, quæ quondam vocabatur Bethel, et est in tribu Ephraim, in qua vitulus aureus erat, non clangore et sonitu, sed ululatu opus est: quia vicina captivitas est. Et pulchre dixit quod Bethaven post tergum sit Benjamin: ubi enim tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim, hæc urbs condita est. Idcirco autem dico atque præcipio: Clangite buccina in Gabaa, et tuba in Rama, et ululate in **55** Bethaven; quia domus regia Ephraim, sive ipse Ephraim, hoc est imperium Israel, jam in desolatione erit; et instat vicina captivitas. In die correptionis atque supplicii decem tribuum Israel, ostendi mea fidelia verba, quæ per prophetas comminatus sum: ut quod sermone prædixeram, opere comprobarem. Quidam Bethaven juxta Septuaginta qui dixerunt domus ὢν, *civitatem solis*, interpretati sunt: et solem justitiæ Christum dicentes, urbem illius Ecclesiam esse voluerunt. Quod mihi displicet: neque enim domus idoli, quam Aquila interpretatus est, *domum inutilem*, juxta tropologiam ad Ecclesiam referri potest. Sed hoc dicamus, quod Hæretici qui in Gabaa et Rama, excelsam sibi scientiam pollicentur, jubeantur ululare [*Al.* jubilare] in domo idoli; et non sint ante faciem Benjamin, qui interpretatur, *filius dexteræ*: sed post tergum ejus, ubi oculos non habet. Omnis enim Ephraim jactantia, quæ interpretatur *ubertas*, brevi in desolatione erit, et cum judicii, inquit, dies et tempus correptionis advenerit, verba mea non esse inania rebus ostendam. Pro eo quod nos transtulimus *post tergum tuum Benjamin*, Septuaginta verterunt, *mente motus est Benjamin*: semper ἔκστασιν, id est, *mentis excessum*, Benjamin, viro ecclesiastico coaptantes. Unde et in sexagesimo septimo psalmo (*v.* 28) dicitur: *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Et in benedictionibus Jacob, sub persona Benjamin, de qua tribu Paulus apostolus fuit, scriptum legimus: *Benjamin lupus rapax: mane comedet prædam et ad vesperam dabit escam* (*Gen.* XLIX, 27). Qui enim in principio persequebatur Ecclesiam, postea in toto orbe Evangelii credentibus alimenta largitus est. Unde et Saul qui de tribu Benjamin fuit, in mentis excessu, tota die usque ad vesperum vaticinatus est inter prophetarum chorum (I *Reg.* X).

(Vers. 10.) *Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum; super eos effundam quasi aquam iram meam.* LXX: *Facti sunt principes Juda quasi transferentes terminos: super eos effundam sicut aquam impetum meum.* Ductis Ephraim et Israel in captivitatem, et redacta terra eorum in solitudinem, principes Juda qui flere debuerant, et suum populum cohortari ut recederent ab idololatria, ne et ipsi similia sustinerent, cœperunt gaudere atque lætari, quod pateret sibi terra eorum ad possidendum latius: et facti sunt **56** quasi assumentes terminos Israel, transeuntes fines suos; et in locis quondam eorum regnum suum et possessionem dilatare cupientes. Quamobrem dicit Dominus: Et super ipsos principes Juda venient Babylonii; et ita eos quasi aquæ impetus occupabunt: non suis viribus, sed indignatione mea. Dicit quoque et ad principes Juda, hoc est, Ecclesiæ.

[a] Addunt denuo impressi libri, *quisquam*, quod mss. ignorant.

quod non debeant exsultare ; et hæreticorum perditionem suam salutem æstimare : sed potius plangere, quod illi perierint. Unde et apostolus Paulus docet ecclesiasticos viros, ne glorientur super fractione Judaicorum ramorum, sed potius timeant ne et ipsi frangantur (*Rom.* XI). Et in alio loco : *Quis*, ait, *scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* II, 29) ? Alioquin super tales principes qui in aliorum miseriis glorientur, et idcirco se stare putant, si alii corruant, effundet Dominus quasi aquam iram suam. Pro ira Septuaginta ὅρημα id est, *impetum* transtulerunt ; et putant quidam pro benedictione accipiendum, juxta illud quod alibi legimus : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 4). Sed rectius (ut omnes præter Septuaginta transtulerunt) ira accipienda est : præsertim cum nomen [nomini] effusionis et iræ conveniat, dicente propheta ad Dominum : *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos* (*Ps.* LXVIII, 25). Transferunt principes Juda terminos quos posuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem ; et aliud prædicant quam ab apostolis acceperunt.

(Vers. 11.) *Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio, quoniam cœpit abire post sordem.* LXX : *Oppressit Ephraim adversarium suum, conculcavit judicium, quia cœpit abire post vana.* Si impius est Ephraim, et propter impietatem suam erit in desolationem, quomodo nunc dicitur : *calumniam patiens Ephraim fractus judicio ?* qui enim calumniam patitur, et frangitur, judicium ejus inique opprimitur, maxime cum causa justa ponatur, quare sit traditus captivitati. Sequitur enim : *quoniam cœpit abire post sordem*, hoc est, post idola quæ sordibus comparantur. Quod ergo dicit, hoc est : opprimitur Ephraim ab Assyriis, primum a Phul, deinde a Teglatphalasar (IV *Reg.* XV), postea a Salmanasar ; non quod illi justi fuerint, qui eum oppresserunt, et idcirco traditus eis sit ; sed quod qui quondam fuerunt populus meus, me eos deserente traduntur ad pœnas, et in hoc videtur esse calumnia, **57** non Deo [*Al.* a Deo], qui justam infert sententiam : sed his qui tormenta sustinent, dum pejoribus se adversariis conceduntur. Redditque causam Dominus, idcirco eos in hac parte calumniam sustinere, et tradi pejoribus, et erga illos judicium non servari : quia cœpit Ephraim, id est, Jeroboam abire post idola, et Deum derelinquere : ipse enim aureos fabricatus est vitulos. Secundum Septuaginta interpretationem, oppressit Ephraim, id est, Jeroboam adversarium suum Roboam, id est, tribum Juda et in eo oppressit : quia deserta Jerusalem et templo, Ægyptiarum sordium simulacra sectatus sit. De hæreticis manifestus est sensus : quod falsis sophismatibus suis et arte dialectica sæpe opprimant ecclesiasticos : sed cum hoc fecerint, non munditiam veræ fidei, sed sordes sequuntur mendacii, qui traditi diabolo et angelis ejus, videantur sibi calumniam pati, et in se fractam esse judicii veritatem. [a] Taliter vastatur Israel ; et omnes labores ejus Assyrio vincente populantur : Deumque perdidit [*Al.* perdit] præsulem, et idcirco fractus judicio est ; quia secutus est idola.

(Vers. 12.) *Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.* LXX : *Et ego quasi conturbatio Ephraim, et quasi stimulus domui Juda.* AS lingua Hebraica (עש) *tinea* dicitur : RECOB (רקב) *putredo et caries ;* quorum alterum vestes, alterum ligna consumit : pro quibus LXX, παραχήν, id est, *tumultum*, vel *conturbationem*, *et stimulum* transtulerunt. Et notandum quod tinea referatur ad Ephraim, et putredo ad domum Juda. Quomodo igitur tinea vestimenta consumit, et putredo vel caries ligna : quod utrumque longo fit tempore : ita Deus et decem tribubus, et postea tribubus duabus longo tempore dans locum pœnitentiæ, et eos provocans ad salutem, thesaurizantes sibi iram in die iræ, quasi tinea efficitur et putredo, non quod Deus tinea sit vel putredo, aut conturbatio vel stimulus, sed quod sustinentibus pœnas hæc universa videatur. Primus igitur consumptus est Ephraim et Israel, deinde secuta est et domus Juda : non ipse Juda, sed domus ejus ; alioquin reservabatur de genere Juda cui repositum fuit : Et ipse erat exspectatio gentium. Punitis autem hæreticis, qui **58** intelliguntur Ephraim, etiam Judas, scilicet hi qui cum Ecclesia permanent, et hæreticorum vel erroribus vel vitiis continentur, simili sententiæ subjacebunt.

(Vers. 13.) *Et vidit Ephraim languorem suum et Judas vinculum suum, et abiit Ephraim ad Assur : et misit ad regem ultorem, et ipse non poterit sanare vos : nec solvere poterit a vobis vinculum.* LXX : *Et vidit Ephraim infirmitatem suam, et Judas dolorem suum, et abiit Ephraim ad Assyrios, et misit ÷ legatos : ad regem Jarib, et ipse non potuit* [Al. *poterit*] *liberare vos, nec cessare faciet a vobis dolorem.* Legatos non habetur in Hebræo. Et ubi Septuaginta posuerunt *Jarib*, nos juxta Symmachum, *ultorem* vertimus : nam Aquila et Theodotion, *judicem* interpretati sunt. Quod autem JARIB (יריב) *ultorem* significet et *judicem*, nomen Gedeonis ostendit (*Judic.* VI), quem cum cultores Baal expeterent ad supplicium, eo quod lucum Baal arasque evertisset, respondit pater, *ulciscatur* se Baal, aut *judicet* eum *Baal*, et appellatus est, inquit, *Jerobaal*, id est, *ulciscatur se Baal.* Intelligens itaque Ephraim infirmitatem suam, et Judas vinculum suum, quo cum decem tribubus peccato fuerat colligatus, non a Deo qui solvere poterat, sed a rege Assyriorum quæsivit auxilium. Legimus, quod sub rege Manahen, qui decem tribubus præfuit (IV *Reg.* XV). Israel Assyriis dona transmiserit ; et Judas sub rege Achaz, præsidium flagitarit Teglathphalasar regis Assyriorum, qui eos adversante Deo liberare non potuerunt, nec captivitatis vinculum solvere. Possumus vinculum, pro quo in

[a] Nostri mss. *Aliter* pro *Taliter*, rectius ut videtur habent.

Hebræo scriptum est [a] MEZUR (מזור), et Aquila interpretatus est ἐπίδεσιν sive συνδεσμὸν, id est, *colligationem* sive *conjurationem*, et ad illud tempus referre, quando Rasin et Phasee filius Romeliæ multa de tribu Juda hominum millia vastaverunt (*Ibid.* XVI), quod frustra Judas adversus reges duos non Dei, sed Assyriorum auxilium flagitarit. Quidam juxta tropologiam Ephraim et Judam, ad hæreticos et ad viros ecclesiasticos referunt, eo quod et illi et Judas peccatorum vinculis colligati, juxta illud quod scriptum est: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22), miserint ad Assur et ad regem ultorem, id est, diabolum de quo legimus: *Ut destruas* **59** *inimicum et ultorem* (*Ps.* VIII, 3). Et quia non verum vel auxiliatorem vel judicem deprecati sunt; idcirco permanere eos fecit in dolore languoris et vinculis delictorum. Legi in cujusdam commentariis regem *Jarib*, Christum interpretari. Et quia sequitur: *Ipse non poterit sanare vos*, hoc argumento usus est, quod hæreticos vel ecclesiasticos peccatores Christus sanare non possit in tempore judicii, ubi nulla est misericordia, juxta illud quod scriptum est: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI)? Et quod sanare vel liberare non possit, nequaquam sua imbecillitate, sed eorum merito, qui sero auxilium postularint. Quomodo et Dominus dicitur signa in patria sua facere non potuisse: et causa cur non potuerit, exponit: *quia*, inquit, *non credebant in eum*. Hæc ille dixerit: nos in malam partem regem interpretemur ultorem. Pro eo quod nos exposuimus *Jarib*, id est, *ultorem:* alii male legunt JARIM per MEM litteram, quod transfertur in *sylvas:* unde et CARIATH JARIM, interpretatur *villa sylvarum*.

(Vers. 14.) *Quoniam ego quasi leæna* (V. *leæna*) *Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda.* LXX: *Quia ego sum quasi panther Ephraim, et quasi leo in domo Juda.* Illis euntibus ad Assur, et mittentibus ad regem vindicem, vel ultorem, qui eos sanare non poterit; nec solvere vinculum colligatum, ostendam quod me adversante omne hominum auxilium vanum sit: ero enim quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Pro leæna, quod Hebraice dicitur [b] SOHEL (שחל), Septuaginta interpretati sint *pantherem*, quæ Græce similiter dicitur et Latine, et tam nomen bestiæ quam omnis bestia accipi potest: ut quidquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius: in panthere velox per Assyrios [c] regni Samariæ significatur interitus; et in leone fortissimum contra Jerusalem et Judam aliquanto post tempore regnum ostenditur Chaldæorum. Et quia leænam sive pantherem, et leonem se esse dixerat, metaphoram servat, et dicit:

(Vers. 15.) *Ego ego capiam et vadam, et tollam et non est qui eruat: vadens revertar ad locum meum donec deficiatis, et quæratis faciem meam.* LXX: *Et ego rapiam, et* **60** *vadam et tollam, et non erit qui eruat: ibo et revertar in locum meum donec dispereant et quærant faciem meam.* Quæritur si capiente, et tollente, et tenente Deo, nullus de manibus ejus potest eripere, juxta illud quod scriptum est: *Nemo potest rapere de manu Patris mei* (*Joann.* X, 29) quomodo Judas de manu Dei proditione sit raptus? Ad quod breviter respondebimus, nullum posse rapere de manu Dei: posse autem eum, qui tenetur, propria voluntate de manu Dei excidere. Quodque sequitur: *Vadens revertar ad locum meum*, locum Dei, magnificentiam et majestatem ejus debemus accipere: ut nequaquam pro dispensatione descendat ad homines, irascatur, misereatur, obliviscatur, fiat quasi panther, vertatur in leonem, mutetur in bestias: sed res spernat humanas, et permittat eos quos antea protegebat hostibus subjacere, ut tabescant, et deficiant, et intereant, et postea quærant faciem Domini, et dicant: *Illumina faciem tuam et salvi erimus* (*Ps.* LXXIX, 4). Et: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Ps.* LXXXIV, 8). Hæreticis quoque et Ecclesiæ negligenti, Deus in pantherem vertitur et leonem; et tollet ab his prædam quam Ecclesiæ ante rapuerunt: ut capti salventur qui liberi perierant; et nequaquam habitabit in conciliabulis perversorum, sed revertetur ad locum suum, de quo dicit: *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 1) et eos spernet atque despiciet, donec deficiant in impietate, et quærant eum per pœnitentiam a quo fuerant derelicti. Alii locum Dei cœlum putant; quo offensus Deus ab his qui in terra habitant revertatur, et eos faciet disperire, qui clementissimum Dominum magnitudine peccatorum in ferarum sibi rabiem converterunt.

(Cap. VI.—Vers. 1, 2.) *In tribulatione sua mane consurgent ad me: venite et revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, et sanabit nos: percutiet et curabit nos; vivificabit nos post duos dies, et in die tertio suscitabit et vivemus in conspectu ejus: sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum.* LXX: *In tribulatione sua mane vigilabunt ad me, dicentes: eamus et revertamur ad Dominum Deum nostrum: quia ipse verberabit, et sanabit nos: percutiet, et curabit nos: sanos nos faciet post dies duos: in tertio resurgemus et* **61** *vivemus coram eo, et sciemus, et persequemur, ut cognoscamus Dominum.* Ideo Deus tradidit Ephraim et Judam captivitati, et nullus est qui de manu ejus possit eripere, et revertetur ad locum suum donec deficiant, et quærant faciem ejus, ut quem propitium præsentemque non senserant, iratum et absentem requirant, et in tribulatione sua, orto eis lumine pœnitentiæ, mane consurgant ad eum, juxta illud quod in Isaia legimus: *In tribulatione, Domini recordatus sum* (*Isa.* XXVI, *sec.* LXX). Et in primo graduum psalmo: *Ad Dominum cum tribularer clamavi,*

[a] Idem mss. MEZOR legunt.
[b] Nostri mss. codices SOHOL.
[c] Quod restituimus *Samariæ* nomen ex mss. editisque libris, Martianæus expunxerat.

*et exaudivit me* (*Ps.* CXIX, 1). Cumque ad Dominum mane surrexerint, quid loquentur? *Venite et revertamur ad Dominum*. Non sunt propria salute contenti, sed se mutuo provocant, ut revertantur ad Dominum quem reliquerant, quem propter peccata deseruerant, a quo fuerant derelicti. *Quia ipse cepit, et sanabit nos*: qui supra dixerat: *Ego ego capiam* [a] *et vadam*, percutiet, et curabit nos. Pro eo quod diximus, *curabit*, omnes similiter transtulerunt, μοτώσει proprie autem μότα appellantur *linteola* quæ inserun-tur [*Al.* inferuntur] vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias: artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, [b] et per dolorem reddere sanitatem. Percutit ergo Dominus, et curat nos: quia quem diligit Dominus corripit, et castigat omnem filium quem recipit (*Heb.* XII); et non solum curat, sed vivificat post dies duos et die tertio resurgens ab inferis, omne hominum secum suscitat genus. Cumque percussos curaverit, et curatos vivificaverit, et vivificatos suscitaverit, tunc vivemus in conspectu ejus, qui, illo absente, mortui jacebamus. Vivemus [*Al.* viventes] autem in conspectu ejus: sciemus eum, et omni studio sectabimur, ut cognoscamus Dominum, quo tertia die resurgente, resurreximus. His sermonibus explicatur illud quod sæpe jam admonuimus, et Israelem et Judam, id est, decem et duas tribus, tunc unum habituras esse pastorem, et regem David, cum crediderint in Dominum resurgentem: frustraque Judæi mille annorum sibi somnia pollicentur cum salus universorum die tertio repromissa sit, **62** qua Dominus ab inferis resurrexit. Hebræi diem secundum in adventu Christi sui interpretantur, et diem tertium in judicio, quando salvandi sunt. Quod ut concedamus, respondeant nobis, quæ sit dies prima, hoc est, primus Salvatoris adventus. Et cum respondere non potuerint, inferamus primum diem esse juxta quod ipsi volunt, in humilitate Salvatoris adventum, secundum in gloria, tertium in habitu judicantis. Qui autem secundum tertiumque suscipiunt, primum se perdidisse testantur: quia secundus et tertius sine primo non potest appellari.

(Vers. 3.) *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ.* LXX: *Quasi mane paratum inveniemus eum, et veniet nobis quasi pluvia temporanea et serotina terræ.* Venite, inquit, et revertamur ad Dominum, quia ipse qui cepit, et sanabit nos, percutiet et curabit nos, et vivificabit nos, post dies duos, et die tertio suscitabit nos, ipse et non alius, quasi mane et aurora paratus est nobis. De quo et vicesimi primi psalmi titulus est: *Pro assumptione matutina*: licet in Hebræo scriptum sit: *Pro cervo matutino*: eo quod interfecta morte, et tortuoso antiquoque serpente cupiat ad montana conscendere, et ipse, tenebris dissipatis, oriatur nobis sol justitiæ, ut nostram illuminet cæcitatem. Et pulchre, *præparatus est*, inquit, *egressus ejus*. De quo juxta tropologiam in octavo decimo psalmo legimus: *Et ipse tamquam sponsus egreditur de thalamo suo* (*Ps.* XVIII, 5). Qui non solum mane vocatur, et aurora, et diluculum: sed veniet nobis quasi imber temporaneus et serotinus terræ. Nos Christum [*Al.* Christi] recipimus temporaneum, quando fidei in nobis jacta sunt fundamenta et suscipiemus eum imbrem serotinum, quando maturis segetibus, fruges capiemus æternas, et in dominica horrea recondemur. Ergo Judæi, qui temporeneas pluvias non receperunt, et absque pluviis jecere semen, segetum fructus in ultimo tempore non recipient. Hæc est pluvia de qua Dominus pollicetur dicens: *Dabo vobis pluviam temporaneam, et serotinam* (*Deut.* XI, 14). Juxta allegoriam, datur **63** pluvia temporanea, quando ex parte cognoscimus: datur pluvia serotina, quando venit quod perfectum est. Semperque Dominus mane surgentibus paratus est, qui possunt dicere, *Consurgam diluculo* (*Ps.* LVI, 1). Et: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea* (*Ps.* LXII).

(Vers. 4, 5.) *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? misericordia vestra, quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens: propter hoc dolavi in prophetis, et occidi eos in verbis oris mei, et judicia tua quasi lux egredientur.* LXX: *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda? misericordia autem vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens: propterea succidi prophetas vestros, occidi eos in verbis* [Al. *verbo*] *oris mei, et judicium* [c] *tuum quasi lux egredietur.* Quando dicit: *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda?* parentis in perditos filios monstrat affectum, juxta illud quod in Isaia legimus: *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ et non feci ei* (*Isa.* V, 4)? Et in Michæa: *Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi; quia eduxi te de terra Ægypti, de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam* (*Mich.* VI, 2, 4). Quid igitur faciam tibi, Ephraim, quid faciam tibi, Juda? misericordia vestra, qua vobis semper misertus sum quasi nubes matutina pertransiit, et quasi ros mane consurgens, qui, orto sole, siccatur. Jam enim captivitas prope est, jam vos cerno duci in Assyrios et in Babylonios catenatos: dolavi vos in prophetis, et verbis terribilibus comminatus sum, scalpellum, ignes et cauteria protuli, ut qui clementem contemnebatis, timeatis offensum, et occidi negligentes in verbis oris mei, ut ante peccatores verborum terrore punirem, quam captivitas immineret. Et hæc universa feci, ut judicii, quo te judicaturus sum, veritas appareret, nullusque dubitaret vos juste quæ patimini fuisse perpessos. Pro eo quod est, *dolavi in prophetis*, Septuaginta transtulerunt, *succidi prophetas vestros*, ipsos pseudoprophetas oc-

[a] Voces, *et vadam*, reticent mss. nostri: tum *sanabit*, pro *curabit*, unus et alter præferunt.

[b] Martian. post Erasm. *et pro dolore*, renuentibus nostris mss. et Victorio.

[c] Non est in Palatin. mss. *tuum*: Græci autem plerique codd. μου habent, id est, *meum*.

cisos a Domino intelligentes : ut qui causa erroris fuerant, prospera promittentes, interfecti verterentur in occasionem salutis. Et est sensus : Ne **64** diceretis, prophetis credidimus, etiam ipsos interfeci : ut omnis vobis peccandi tolleretur occasio. Legimus in Regum volumine [a] quadringentos quinquaginta Prophetas Baalim interfectos sub Elia ( III *Reg.* XVIII ), et aliam innumerabilem multitudinem sub Jehu (IV *Reg.* X ), qui subvertit domum Achab. Hæc eadem et ad hæreticos, et ad verum [*Al.* virum] Judam, qui similia perpessurus est, dicta sentimus, quod provocet eos Dominus ad misericordiam, et reverti cupiat ad salutem. Sed illi delicias hujus sæculi et refrigeria quasi nubem et rorem, qui cito transeat consectentur, quibus in Evangelio dicitur : *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te : quæ autem parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20 )? Et dives ille purpuratus, qui ante januas suas jacentem Lazarum contemnebat (*Luc.* XVI), omne quod fruitus est, instar nubis ac roris transisse cognovit. Semper autem prophetas hæreticorum interficit Deus : dum æterna eis supplicia comminatur, et aufert de vera vita, et morti scelerum derelinquit. Nos autem nubem diligamus illam, quæ perpetua est, et quæ a mundi hujus ardore nos protegit, cui sedens Dominus venit in Ægyptum, et omnia Ægyptiorum simulacra confregit. Amemus illum rorem, de quo Moyses loquitur : *Descendant sicut ros verba mea* (*Deut.* XXXII, 2). Et de que Isaias dicit : *Resurgent mortui, et resuscitabuntur qui in sepulcris sunt : ros enim qui a te est, sanitas eorum est* (*Isai.* XXVI, 19, *sec.* LXX). Sunt qui prophetas interfectos vere [ *Al.* viros ] sanctos æstiment, eo quod causa populi peccatoris etiam prophetæ occisi sint, et hostibus traditi.

(Vers. 6, 7.) *Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plus quam holocausta ; ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum : ibi prævaricati sunt in me.* LXX : *Quia misericordiam volo, et non sacrificium, scientiam Dei magis quam holocausta: ipsi vero sunt sicut homo præteriens testamentum.* [b] Quod sequitur in Septuaginta : *Ibi contempsit me Galaad civitas, quæ operatur vana*, et reliqua, sequenti capitulo coaptanda sunt [*Al.* aptandum est ] : nos quod proposuimus, disseramus : Dolavi eos in prophetis, occidi in verbis oris mei, gravia comminatus sum, ut misererer pœnitentium, ut lapsis atque surgentibus porrigerem manum. **65** Neque enim sacrificiis delector et victimis, et holocaustorum multitudine. Victimæ meæ et holocausta, salus credentium, et conversio peccatorum est. Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat, pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent. Et ibi, hoc est, in paradiso, omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adam. Non enim mirum si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur. Quotidie Deus et eos qui extra Ecclesiam sunt, et qui peccant in Ecclesia commorantes, provocat ad pœnitentiam, et dicit eis : *Misericordiam volo, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* Illi vero offerunt panem sacrilegum, et dant eleemosynas, et sectari videntur humilitatem : quæ ego, si vere fiant, holocausta interpretor. Cum autem scientiam Dei reliquerint, frustra, truncato capite fidei, cætera membra habere se jactant, prævaricati sunt enim pactum Dei in Ecclesia, sicut Adam prævaricatus est in paradiso; et imitatores se antiqui parentis ostendunt, ut quomodo ille de paradiso, sic et isti ejiciantur de Ecclesia.

(Vers. 8.) *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine, et quasi fauces virorum latronum* (sive *viri latronis*) [c] utrumque enim legi potest. LXX: *Ibi contempsit me Galaad, civitas quæ operatur vana, et conturbat aquam, et fortitudo tua viri piratæ.* Legimus in Ramoth Galaad unctum esse in regem Jehu (IV *Reg.* IX), qui sanguinem sanguini miscuit, et Achab subvertit domum, et ante solis ortum acervos capitum filiorum ejus jussit statui ; in hac urbe trans Jordanem in possessione tribus Gad, idolum consecratum est : quæ habitabatur a sacerdotibus, nam et ipsa fugitivorum civitas fuit. Quanto igitur celebrior et majoris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata, tanto trans Jordanem habitanti Israel principium idololatriæ, et malorum omnium fuit, ut qui primi peccaverant, primi ab Assyriis caperentur. Et quoniam **66** ipsa provincia plena est latrociniorum, comparat eos latronibus, ut quomodo illi viatoribus, sic sacerdotes simplicitati populi insidiati sunt. Porro secundum tropologiam, *Galaad* interpretatur *transmigratio testimonii;* et contemnit Deum, dum testimonia Scripturarum ad perversa depravat dogmata, et omnia opera illius vana sunt, conturbatque Ecclesiæ aquas, et de purissimis fontibus cœnosos et sordidos rivos facit, qui maculent potius quam mundent baptizatos. Omnisque fortitudo hujus urbis, quasi viri piratæ est, dum imitatur diabolum, qui in hujus sæculi mari, in quo naves pertranseunt, insidiatur his qui ad portum pervenire contendunt. Denique Symmachus manifestius interpretatus est, dicens : *Et fauces tuæ quasi viri insidiatoris.* De istiusmodi piratis in Job legimus : [d] *Non est dilatio piratis* (*Job* XXV, 3, *sec.* LXX). Quamvis enim in præsenti sæculo se jactare videantur, e conturbare aquas, et operari vana, et exercere pira-

[a] Idem mss., *trecentos prophetas*, dumtaxat.

[b] Amovimus hinc verba, *Ibi enim contempsit me*, quæ frustra, et contra mss. fidem bis ponebantur, cum statim post suo loco Hieronymus semel subdiderit.

[c] Contextum hunc ex mss. refiximus ad Hieronymi proponentis mentem. Antea verba, *Utrumque enim legi potest*, postponebantur ipsi τῶν LXX interpretationi, cui et deerant verba, *Ibi contempsit me Galaad*, quæ huic copulanda capitulo superius S. ipse Pater docuerat.

[d] Notatum Victorio, testimonium istud inveniri apud LXX in Job. cap. XXV, in hæc verba, μή γάρ τις ὑπολάβοι ὅτι ἐστὶ παρέλκυσις πειραταῖς. Quo in loco editio nostra legit : *Numquid est numerus militum ejus ?* παρέλκυσις autem dilationem significat, ab ἕλκειν trahere; Suidæ quoque ὑπερθεσις exponitur.

ticam, tamen non est mora pœnarum, quæ eos velociter comprehendent.

(Vers. 9.) *Particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.* **LXX** : *Absconderunt sacerdotes* [a] *viam Domini, interfecerunt Sicima : quia iniquitatem operati sunt.* Symmachus hunc locum ita interpretatus est : *Societas sacerdotum in via interficiebant Sichem :* Theodotion hoc modo, *Absconderunt sacerdotes viam, interficiebant in dorso :* Aquila, *Participatio sacerdotum in via occidebant humeros :* quorum cum intelligentiam juxta historiam quæreremus ab Hebræo, ita nobis expositum est : Sacerdotes Bethel, immo fanatici Bethaven, temporibus Paschæ et Pentecostes, et Scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodie Neapolis appellatur, eundum erat Jerosolymam, ubi solum licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et in Bethaven, quam in Jerosolymis et in templo adorarent Deum. Quod autem dicit : *Participatio et societas sacerdotum*, conjurationem eorum **67** significat, et in malam partem consensum. Sin autem legerimus, ut nos interpretati sumus : *particeps sacerdotum*, ad Galaad, inquit, referendum est, quæ operatur idolum : est et supplantata sanguine, quod sacerdotum impietatem secuta sit, et latrociniis vacet ac sanguini. Hoc illi dixerint : Nos autem dicamus intercludere hæreticos viam, ne de Sichem, id est, de bonis operibus pergamus in Jerusalem, id est, in Ecclesiam. Isti sunt quasi fauces virorum latronum, et interficiunt eos, qui per hujus sæculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur [b] Ὦμοι, id est, *humeri :* in humeris opus intelligimus, et omnes falsi sacerdotes abscondunt viam, et occidunt homines malis operibus, ne perveniant Jerusalem. Quod autem humerus opus significet illud ostendit : *Da cor tuum in humerum tuum* (*Genes.* IV, 9, 15), hoc est, quæ intelligis, verte in opera. Et de Issachar legimus, quod supposuerit humerum suum ad laborandum, et vir agricola sit.

(Vers. 10, 11.) *In domo Israel vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel; sed et, Juda, pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.* **LXX**: *In domo Israel vidi horribilia, ibi fornicationem Ephraim, contaminatus est Israel et Juda : incipe vindemiam tuam cum convertero captivitatem populi mei.* De hoc scelere et horrore terribili est [*Al.* et] Jeremias locutus [*Al.* loquitur] : *Obstupuit cœlum super hoc, et exhorruit terra vehementer* (*Jerem.* II). Quid enim horribilius, quam decem tribus ad idolorum cultum repente transgressas ? Unde ad metropolim earum dicitur : Aufer vitulum tuum, Samaria, in qua primus fornicatus est Ephraim, id est, Jeroboam de tribu Ephraim, et illo fornicante, contaminatus Israel est, populus videlicet Samariæ, qui magna est parte commune Israelis nomen obtinuit. Unde et ad Judam sermo convertitur : Tu quoque Juda, pone messem tibi, et est sensus : Non te putes esse securum, quod Israel captivus abducitur : tu quoque præpara tibi segetes, ut metantur; non multo enim post tempore duceris captivus in Babylonem, et messionis tuæ tempus adveniet. Cumque te Chaldæi **68** messuerint, convertam rursum captivitatem populi mei, et sub Cyro rege Persarum, et Artaxerxe reducam populum meum. Et nota quam significanter Judæ captivitas, et regressio pariter prophetetur ; de Israel autem, hoc est, de decem tribubus, et nunc tacitum est, et si quando prosperum quid dicitur, in Christi differtur adventum. In domo autem hæreticorum quotidie videmus horrenda : fornicantibus primum magistris, et populo qui ab eis inducitur sordidato. Judæ quoque, hoc est, Ecclesiæ præcipitur, ut et ipse propter peccata paret sibi messem, sive vindemiam, cum judicii tempus advenerit. Sed huic ignoscitur, et veniam Dominus pollicetur, quia quem diligit corripit, et castigat omnem filium quem recipit (*Heb.* XII), ut probatum et purgatum condat in thesauros suos. Quidam hoc quod dicitur, *Juda, incipe vindemiam tuam*, sive, *pone messem tibi*, ad bonam partem referunt, ut punito Israel, iste operum suorum fructus recipiat juxta illud quod scriptum est : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV, 6). Nobis superior sensus magis placet.

(Cap. VII. — Vers. 1.) *Cum sanare vellem Israel,* [c] *revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Samariæ : quia operati sunt mendacium, et fur ingressus est, spolians latrunculus foris.* [d] **LXX** similiter. Multa sæpe Israel idololatriæ accepit vulnera, et maxime illud, quando in eremo vituli conflaverunt caput, atque dixerunt : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII, 4). Unde ego qui malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem (*Ezech.* XVIII, XXXIII), et postea loquor in Evangelio : *Non indigent sani medico, sed hi qui male habent* (*Luc.* V, 31), vulnera populi mei sanare conatus sum. Et cum hæc omni arte tractarem, ut miserabilis populus curaretur, subito exstitit Jeroboam de tribu Ephraim, qui vitulos aureos faceret, et malitia Samariæ revelata est, sequentis regem impium : operati sunt enim et rex et populus mendacium, hoc est, idolum. Sicut enim contrarium est simulacrum Deo, ita mendacium veritati. Ipse autem rex instar furis ingressus est ad populum Israel, et quasi latrunculus infelicem **69** plebem Dei expoliavit auxilio. Et est sensus : Cum vellem vetera populi mei peccata de-

[a] Nostri mss. *in via*, tantum absque addito *Domini*, quod nomen in Alexandrino dumtaxat, atque Aldino exemplaribus legitur, Hebræo archetypo dissentiente. Ad Symmachi quoque interpretationem, quæ subsequitur, reticent nomen *Sichem*.

[b] Iidem mss. ΩΜΗΑCIC hoc litterarum ductu preferunt. Porro Ωμίας qui repandis est humeris, appellatur.

[c] Post Victorium expunximus copulam supervacaneam *et*, editionum omnium testimonio.

[d] Hic verba, *LXX similiter*, quæ in antea vulgatis deerant, suffecimus ex nostris mss.

lere, propter antiquam idololatriam, Ephraim et Samaria nova idola repererunt. Sed et hoc dici potest, quod Domino Salvatore post effusionem sanguinis sui, et Ecclesiam suam tam de Judæis quam de gentibus congregatam, volente populi peccata sanare, et eos ad pœnitentiam reducere ; subito Ephraim, qui ubertatem falsorum dogmatum repromittunt, et populus Samariæ qui se dicit Dei præcepta servare, surrexerunt et operati sunt idolum falsorum dogmatum, et per illos ingressus est fur et latro diabolus in Ecclesiam : sive ipsa doctrina hæreticorum ingressa est, quasi fur et latrunculus, de quibus Salvator dicit in Evangelio : *Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt et latrones* (*Joan.* x, 8). Fures insidiantur, et occulta fraude decipiunt : latrones audacter aliena diripiunt. Qui enim furantur, nocte furantur et in tenebris. Unde significanter ait, quod fur ingressus clam sit, et latrunculus exspoliet foris. Non enim possunt exspoliare veste Christi quos docucerunt, nisi eos de Ecclesia foras eduxerint, et in perversa doctrinarum suarum via fecerint ambulare. Fures et latrones qui venerunt ante Dominum, non Moysen et prophetas qui semper Salvatoris ore laudantur, sed pseudoprophetas debemus accipere, et postea hæreticos, qui non missi sunt a Domino, sed sua voluntate venerunt.

(Vers. 2.) *Et ne* [a] *forte dicant in cordibus suis, omnis malitiæ* [Vulg. *omnem malitiam*] *eorum me recordatum : nunc circumdederunt eos adinventiones suæ : coram facie mea factæ sunt.* LXX : *Ut concinant quasi canentes in cordibus suis, omnes malitias eorum recordatus sum : nunc circumdederunt eos cogitationes suæ, contra faciem meam factæ sunt.* Ne forsitan, inquit, dicant in cordibus suis : vetera nobis Deus peccata restituit, et patrum delicta persolvimus : illi comederunt uvam acerbam, et dentes [b] filiorum obstupuerunt (*Jerem.* xxxi) ; idcirco quæ nunc et in præsentiarum, me vidente, fecerunt, et quotidie faciunt, sequenti sermone narrabo, et ostendam illis adinventiones suas, sive cogitationes quibus mala studiosissime conseclati sunt, **70** et quæ me præsente gesserunt, non timentes faciem meam. Quod autem in Septuaginta legimus, *ut concinant quasi canentes in cordibus suis*, ad illud referendum est, quod ideo fur ingressus, sive latrunculus exspoliaverit foris, ne in pristinis divitiis et vestibus permanentes, repellerent furis latronisque consensum ; sed cum spoliati fuerint, concinant cum eis, et uno corde efficiantur (*Dist.* 4, *de Pœnit.*, *cap. Cum ita*) : idcirco recipient quæ fecerunt, et omnes cogitationes eorum vel opera meum non merebuntur aspectum. Hæretici quoque non possunt vetera contra Deum peccata causari ; cum quotidie antiquis operibus novam addant impietatem, et cum perditis pereant, suisque A ligentur erroribus, et cum Deum se cœlare putent, oculos ejus vitare non valeant.

(Vers. 3.) *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.* LXX : *In malitiis suis lætificaverunt reges, et in mendaciis suis principes.* Exponit quæ coram facie ejus fecerunt : In malitiis suis lætificaverunt regem Jeroboam, et in mendaciis suis principes qui sub Jeroboam populo præfuerant. Hæretici quoque in malitia operum suorum lætificaverunt regem diabolum, et in mendaciis dogmatum perversorum principes, haud dubium quin mundi hujus, quorum falsam sapientiam destruit Deus. Possumus regem apud hæreticos dicere, qui primus hæresim reperit, et principes eos qui præpositi hæreticorum populis, falsum sibi vindicant sacerdotium. Et simul notandum, quod in peccatis nostris B gaudeant contrariæ fortitudines et rectores ac principes tenebrarum istarum.

(Vers. 4.) *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente : quievit paululum civitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* LXX : *Omnes adulterantes quasi clibanus ardens ad coquendum in deustionem flammæ a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Qui in malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes, omnes adulteri sunt, et instar clibani ab Jeroboam idololatriæ igne succensi, ut panem coquerent impietatis, qui cum erroris in animas eorum misisset incendium, quasi caminus et clibanus primo igne succensus, paululum conquievit, ut non vim faceret **71** populo, sed suæ eum dimitteret voluntati, donec fermentaretur omne mendacium : quidquid enim necessitate fit, cito solvitur : quod voluntate arripitur, perseverat. Ideo et hic quia translationem a clibano sumpserat, qui ad coquendos panes succenditur, servat in reliquis, ut in commixtione fermenti totius populi monstret assensum : quo scilicet et rex et populus pari in idololatria ardore corruerint. Hæreticorum corda diaboli igne succensa, ut in eis panes coquantur Antichristi, nemo ambigit : qui idcirco primum quiescunt in Ecclesia, et loquuntur occulte, et omnia pacifica [c] repromittunt, ut cancer paulatim serpat in populos, et fermentum doctrinæ eorum (quod et Dominus intelligens loquitur : *Cavete a fermento Pharisæorum* (*Matth.* xvi, 6) cum intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpunt insaniam, et impletur in eis quod a Joanne Apostolo dicitur : *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis : si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* ii, 19).

(Vers. 5 seq.) *Dies regis nostri : cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus :* [d] *qui applicuerunt quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis. Tota nocte dormivit coquens eos, mane*

[a] Interseruimus verbum, *forte*, ad mss. nostrorum et Vulgatæ editionis fidem.

[b] Duo Palatini, *et dentes nostri obstupuerunt.*

[c] Martian. post Erasm., *pacificare promittunt.* Peccatum est, inquit Victorius, in distinctione. Florentini quatuor codices veram retinuerunt lectionem : *Et*] *omnia pacifica repromittunt.* Loquitur autem de hæreticis, qui semper prospera et felicia pollicentur, et sine laboribus operibusque, cœlorum regnum sibi vindicant : quæ lues nostro tempore mirifice per Ecclesiam serpit.

[d] Maluit Victorius, *quia*, pro *qui*, ex Hebræa

*ipse succensus quasi ignis flammæ : omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderant, non est qui clamet ad me ex* [Vulg. *in*] *eis.* LXX : *Dies regum vestrorum. Cœperunt principes furere à vino : extendit manum suam cum pestilentibus, quia succensa sunt quasi clibanus corda eorum, cum præcipitarentur tota nocte. Ephraim* [Al. *Israel*] *somno repletus est : mane factum est : incensus est quasi ignis flammæ* [Al. *flamma*]. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus* [a] *ignis ardens, et ignis devoravit judices suos. Omnes reges eorum ceciderunt : non est in eis qui invocet me.* Obscurus locus et attento lectoris sensu indigens, ut primum historiam cognoscamus. Paulum Israel et Samariæ civitas conquievit, recepto in se erroris ardore, donec tota massa fermento similis fieret, et cresceret atque erumperet, ac **72** populus intumescens clamaret ad fores Jeroboam regis, et diceret : Hic est dies Jeroboam regis nostri, hic est festus dies quem nobis constituit imperator noster : hunc celebramus, hunc canimus, in hoc exsultamus et ludimus, in hoc vitulos aureos adoramus. Clamante populo, principes non irati sunt, ut quidam putant ; sed et ipsi cœperunt furere a vino, et intelligentiam suæ mentis amittere, oblivisci Dei, et in idolorum ligna impingere. Quodcum rex cerneret, clamare scilicet populum et dicere : dies iste regis nostri est, et principes quasi temulentos et fanaticos, nescire quid dicerent, extendit manum suam illusoribus, populavit assensum his qui ei vanis laudibus illudebant. Qui illusores, cum insidiaretur eis rex suus, et eos a Deo suo abduceret, præbuerunt ei quasi clibanum cor suum, ut eos succenderet et idololatriæ flammis ardere faceret. Idcirco enim assensus est populo, quia intellexit omni eos ad errorem mente conversos. Quodque sequitur : *tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus est quasi ignis flammæ,* hoc significat : postquam misit ignem in clibanum cordis eorum, et vidit eos furere, et nullum esse qui suæ resisteret voluntati, tota nocte dormivit, id est, securus fuit : versatus in tenebris est, dum illi coquerentur et impietatis panem efficerent. Unde postea surrexit mane, et scelerum suorum flammam aperta ostendit insania ; ut nequaquam per insidias, sed impudenter a Dei cultu ad idolorum cæremonias transilirent. Quid plura ? omnes quasi clibanus, idololatriæ igne calefacti sunt, et devoraverunt judices suos, ut etiam qui bonus esse potuerat per naturam, et religionis Domini recordari, videns et principes et populum vitulis subditos, et illos putare deos, etiam ipse a scelere devoraretur. Denique omnes reges ceciderunt Israel, et ambulaverunt in viis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, et nullus invenitus est qui, desertis idolis, reverteretur ad Deum. **73** Hæc juxta Hebræorum traditionem audacter magis quam scienter locuti sumus, fidem dictorum auctoribus relinquentes. Nunc ad spiritualem intelligentiam transeamus : Infelices populi, qui a rege diabolo, et ab ejus principibus seducuntur : sive qui ab hæreseos principe, et ejus ducibus solemnitates alias susceperunt, relinquentes Ecclesiam, et veritatem conculcantes fidei, solent clamare et dicere : Hæc est dies regis nostri : verbi gratia, Valentini, Marcionis, Arii, atque Eunomii. Quod audientes qui eis præpositi sunt, non inebriantur vino, ne leve putetur esse peccatum ; sed insaniunt ex vino, de quo Moyses scripsit in Cantico Deuteronomii : *Furor draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis* (*Deut.* XXXII, 33) : hi enim comedunt cibos impietatis, et vino iniquitatis inebriantur. De quo dicit et Apostolus : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18). Et in Proverbiis legimus : *Principes vinum non bibant : ne obliviscantur sapientiæ, et recta judicare non possint* (*Prov.* XXXI, 5). Unde deceptis et populis et ducibus, princeps extendit manum suam vel illusoribus et pestilentibus, quales erant filii Heli, et de quibus in primo psalmo legimus : *In cathedra pestilentium non sedit* (*Ps.* I, 1); de quo dicitur : *Ejice pestilentem de consilio, et egredietur cum eo contentio* (*Prov.* XXII, 10) : quorum succensa sunt corda, ut allidant quos deceperint. Hoc enim juxta Septuaginta significant *cataractæ*, quæ non sursum levant, sed allidunt deorsum. Quodque dicit : *Tota nocte Ephraim in somno repletus est*, ostendit hæreticos dormientes lucem solis justitiæ non videre. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt : quia oppressus est sensus eorum. Et de his in Psalmis legimus : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt* (*Ps.* LXXV, 6). Horum corda calefiunt variis perturbationibus : ira, amore, avaritia ; et devorant judices suos, vel si quid possunt in animo habere virtutum, vel sensus quibus mala discernunt a bonis. Sive hoc dicendum quod duces hæreticorum a suis populis devorentur, ut quorum domos devorant turpis lucri gratia, ipsi eorum devorentur assensu. Omnes hæreticorum principes ceciderunt : quamvis clamet ad Dominum, nullus est qui invocet nomen ejus : *Omnis enim qui invocaverit nomen* **74** *Domini, salvus erit* (*Rom.* X). *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum, et ipse exaudiebat illos* (*Psal.* XCVIII), qui hæreticorum reges et principes non exaudit, quia non est inter eos qui clamet ad Dominum.

(Vers. 8-10.) *Ephraim in populis ipse commiscebatur, Ephraim factus est subcinericius* [b] *panis, qui non reversatur : comederunt alieni robur ejus, et ipse nesci-*

Græca, Latinaque editionibus. Mss. autem libri nulli suffragantur.

[a] Palatini duo mss. pressius sic ad Græcum : *Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et comederunt principes suos, omnes reges coram ceciderunt ; non est,* etc. Græce: Πάντες ἐθερμάνθησαν ὡς κλίβανος, καὶ κατέφαγον τοὺς κριτὰς αὐτῶν· πάντες οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ἔπεσαν. Impressa lectio Alexandrino aut Aldino codicibus magis hæret.

[b] Hebræus textus tantum habet עגה, nec addit לחם panis. Vetus quoque auctor commentarii in Osee, qui Rufinus olim audit, Hieronymianam editionem sequi professus, legit tantummodo *subcineritius qui*, etc., panis nomine prætermisso.

*vit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit ; et humiliabitur superbia Israel in facie ejus : nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his.* LXX : *Ephraim populis suis commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius, qui non reversatur : comederunt alieni fortitudinem ejus, ipse vero nescivit, et cani efflоruerunt ei, et ipse ignovit : et humiliabitur contumelia Israel in facie ejus, et non sunt reversi ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his.* Factum est regnum decem tribuum, sicut omnium nationum, quia recesserunt a Domino : et sicut subcineritius panis, qui non reversatur, hoc est, non agit pœnitentiam, comederunt Assyrii atque Chaldæi fortitudinem ejus, et quidquid virium habere poterat, devoraverunt. Tantæque vecordiæ fuit, ut devoratum esse se nesciret : aut certe ignoraret causam propter quam fuisset devorantibus traditus : denique usque ad senectutem, id est, usque ad ultimam captivitatem, in cœpto errore permansit. Unde humiliabitur superbia Israel non multo post tempore, sed nunc et in præsenti : hoc est enim quod dicit, *in facie ejus* : humiliabitur autem, quia se erexerat et non in Deo, sed in multitudine confidebat exercitus. Et quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacob.* IV) ; pro superbia, id est, GAON (גאון), more suo Septuaginta ὕβριν, id est, *injuriam*, transtulerunt. Et quia supra dixerat : *Ephraim factus est subcinericius panis qui non reversatur*, et videbatur ambiguum, nec satis sonare quid diceret, nunc ponit manifestius : *Non sunt reversi ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his.* Quod si fuissent reversi ad Dominum Deum suum, audissent utique per Jeremiam loquentem Deum, *Revertimini ad me, et ego revertar* **75** *ad vos.* Et cum tanta fecerint, non quæsierunt eum, quem suo vitio perdiderunt. Cum autem debeat [a] Ephraim, ut ad sensum alium transeamus, docere populos, et ad similitudinem sui trahere, ipse populis commiscetur, et similis eorum efficitur, juxta quod supra dictum est : *Erit sicut populus, sic sacerdos.* Sive Ephraim populis et gentibus commiscetur, ut omnes hæretici nihil differant ab errore gentilium. Et qui quondam fuit princeps in Ecclesia, factus est subcinericius panis, ex omni parte immundo cinere et ignium ardore circumdatus, ut non reverteretur ad Dominum, sed in cœpto permaneret errore. Comederunt dæmones robur ejus : isti sunt enim alieni et hostes omnium Christianorum, et ipse nescivit, adversarios amicos putans, et devoratores suos arbitrans esse convivas ; sed et cani effusi sunt in eo, immo efflоruerunt, id est, multo erravit tempore ; et nihilominus ignoravit senectutem et vetustatem suam, de qua scriptum est : *Quod veteratur et senescit, prope exterminium est* (*Hebr.* VIII, 13). Et si ad justum virum, et ad ecclesiasticum dicitur : *Cani hominis sapientia ejus* (*Sap.* IV, 8) : quare non dicatur ad iniquum, et ad hæreticum : *Cani hominis stultitia ejus?* De hac senectute Daniel dicebat ad presbyterum : *Inveterate dierum malorum* (*Dan.* III, 52). Unde et in libro Pastoris (si cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermæ primum videtur Ecclesia cano capite, deinde adolescentula, [b] et sponsa crinibus adornata. Cumque humilietur superbia hæreticorum, sive contumelia, quam quotidie faciunt ecclesiasticis viris, non revertuntur ad Dominum ; sed in omnibus his nequaquam requirunt eum : quia calefacti sunt quasi clibanus, et non quæsierunt eum : devoraverunt judices eorum, et reges pariter conciderunt, nec est qui clamet ad Dominum. Quæ universa perpessi sunt, ut Dominum quærerent, quem quærere noluerunt.

(Vers. 11, 12.) *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt : et cum profecti fuerint, extendam* [Vulg. *expandam*] *super eos rete meum, quasi volucrem* [Al. *volucres*] *cœli detraham eos, cædam illos secundum* [c] *auditionem* **76** *cœtus eorum.* LXX : *Et erat Ephraim quasi columba insipiens non habens cor. Ægyptum invocavit* [Al. *invocabit*], *et in Assyrios abierunt sicut ibunt. Mittam super eos rete meum, ut volatilia* [Al. *volatile*] *cœli detraham illos, corripiam eos in auditu* [Al. *adventu*] *tribulationis eorum.* Præcepit Dominus in Evangelio (*Matth.* X), ut simus simplices quasi columbæ, et astuti quasi serpentes, ut imitantes simplicitatem columbarum, et serpentis astutiam, nec aliis nocere possimus, nec ab aliis patiamur insidias, sed simplicitate et prudentia exhibeamus hominem temperatum : quia prudentia absque bonitate, malitia est : et simplicitas absque ratione, stultitia nominatur. Factus est ergo Ephraim quasi columba seducta, quod Hebraice PHOTHA (פיתה) : ab Aquila et Symmacho, θελγομένη, vel ἀπατωμένη dicitur, id est, *lactata*, sive *decepta* : et a Septuaginta *insipiens*, sive *insensata* : ἄνους enim utrumque exprimere potest. Et pulchre columba seducta, sive insipiens appellatur, quia est columba et sapiens, quæ dicit in Psalmis : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam* (*Ps.* LIV, 7)? Cujus pennæ deargentatæ sunt, et posteriora dorsi ejus in virore auri. Ephraim autem columba insipiens, et non habens cor, intantum brutæ mentis ostenditur, ut Ægyptum invocans, ad Assyrios perrexerit. Qui enim deprecatus Ægyptiorum auxilium est, ab Assyriis captivus abducitur. Baculus arundineus Ægyptus, cui qui innixus fuerit, statim conteret eum, et fractus atque contritus manum transforat incumbentis. Et ut ostenderet Deus, quod commutantes

[a] Pro *debeat*, mss. Palatini *videatur* legunt, aut *videat*. Porro pro *transeamus*, et quod subsequitur, *trahere*, Martian. cum Erasmo retinuit *transferamus*, et *subtrahere*, quæ Victorius verba ex quatuor Florentin. codicibus, tribusque Brixianis jam emendaverat.

[b] Cotelerius maluit, *ut sponsa*. Innuit vero S. Doctor ejus libri Hermæ visionem 1, cap. 2, et vis. 4, cap. item 2.

[c] Palatini mss., *secundum adinventionem cœtus*, etc.

loca, oculos ejus vitare non possumus, et semper Dei regimur potestate : Cum, inquit, profecti fuerint in Assyrios , etiam ibi extendam rete meum, et si exaltati fuerint ut volucres, inde detraham illos. Deiraham illos autem non in perditionem, sed ut cædam quasi filios : et cædam non in pœnarum magnitudine, sed in timore, ut audientes ventura [*Al.* vetera] supplicia, solis terroribus emendentur. Quæritur cur Ephraim non aliis avibus, sed columbæ comparatus sit. Aves cæteræ pullos suos etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant, **77** et cum ad nidum suum accipitrem, colubrum, corvum, sive cornicem accedere viderint, huc illucque volitant, et immittunt se morsu, et unguibus lacerant, et dotorem parentis querula voce testantur; sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit : et ideo huic recte comparatur Ephraim, quod vastatum per partes populum non sentiat, sed negligens sit salutis suæ. Quodque dicit, *cædam eos secundum auditionem cœtus eorum*, hoc significare potest : sicut juncto consilio omnes idola fabricati sunt : ita me irato, omnes pariter vastabuntur. Magistros contrariorum dogmatum, qui Christum reliquere sapientiam, et de Ecclesia sunt egressi, recte insipientem et excordem columbam possumus dicere, qui terrena desiderantes, Assyriis traditi sunt. Et cum profecti fuerint de Ecclesia, expandit Dominus super eos rete suum , testimoniis Scripturarum, et artifici sapientiæ sermone contextum, ut elevantes se contra sapientiam Dei, et instar avis ad excelsa volitantes, ad humilia detrahat, et corripiat eos comminatione, et auditione pœnarum, ut correcti non pereant in æternum.

(Vers 13.) *Væ eis, quoniam recesserunt a me : vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Ego* [Vulg. *Et ego*] *redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia, et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis.* LXX : *Væ eis, quoniam recesserunt a me : manifesti sunt, quoniam impie egerunt in me : ego vero redemi eos : ipsi vero locuti sunt contra me mendacium, et non clamaverunt ad me corda eorum, sed ululabant in cubilibus suis.* Me extendente rete meum, ut eos comprehenderem, et quasi volucrem cœli de superbia deponerem, et cæderem in auditu angustiæ, illi recesserunt et resilierunt a me, hoc enim significat ἀπεπήδησαν, quod Septuaginta transtulerunt : et propterea *vastabuntur, quia prævaricati sunt in me.* Pro eo quod nos diximus, *vastabuntur*, et in Hebræo scriptum est SOD LAEM (שד להם), id est, *vastatio eis :* Symmachus, *interitum :* **78** Theodotio, *miseriam* interpretati sunt. Porro in editione Vulgata dupliciter legimus; quidam enim codices habent, δῆλοί εἰσιν, hoc est, *manifesti sunt :* alii δειλαῖοί εἰσιν, hoc est, *meticulosi*, sive *miseri sunt.* Vastabuntur igitur et miseri erunt, et semper timentes ac formidantes, quia prævaricati sunt in Deum, adorantes vitulos aureos, et relinquentes eum qui redemit eos de Ægyptia servitute, et eduxit in excelso brachio. Ipsi vero locuti sunt contra Dominum mendacia, dicentes de idolis : *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* XXXII), et non clamaverunt ad Dominum in corde suo, sed in idololatriæ fornicationibus volutabantur. Sive quia dæmonum cultum sequitur libido et luxuria, qui colebant dæmones, consequenter instar porcorum in cœno libidinum versabantur. Et pulchre cantica idolis servientium, non carmina in Deum, sed ululatum appellat. Super hæreticis facilis interpretatio est, quod væ habeant sempiternum, quia recesserunt a Deo, et miseri sunt, quia reliquerunt Creatorem suum qui redemit eos sanguine suo : et ipsi loquuntur contra eum mendacia, impia falsitatis dogmata componentes, et non clamant in cordibus suis, sed ululant semper in conciliabulis, quæ pulchre cubilia appellat, et ferarum lustra. Istiusmodi non possunt dicere : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7) : sed volutantur in sordibus libidinum, vacant stupris, et quidquid loquuntur et putaverint se in laudem Dei dicere, ululatus luporum et [a] baccharum insanientium sonitus est. Raro hæreticus diligit castitatem, et quicumque amare pudicitiam se simulant, ut Manichæus, et Marcion, et [b] Arius, et Tatianus, et instauratores veteris hæreseos, venenato ore mella promittunt. Cæterum juxta Apostolum, quæ secrete agunt, turpe est dicere (*Ephes.* V).

(Vers. 14 seq.) *Super triticum et vinum ruminabant : recesserunt a me, et ego erudivi* [c] *et confortavi brachia eorum : et in me cogitaverunt* **79** *malitiam : reversi sunt, ut essent absque jugo : facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ : ista subsannatio eorum in terra Ægypti.* LXX : *Super tritico et vino* [d] *dissecabantur : eruditi sunt in me, et ego confortavi brachia eorum, et contra me cogitaverunt mala : conversi sunt in nihilum, facti sunt quasi arcus intentus, cadent in gla-*

[a] In Palatin. mss., *vaccarum*, quod non passim obvia *b* et *v* litterarum in pronuntiando similitudine, sed consulto factum ad superioris contextus normam videatur.

[b] Nihil simile ad Arii mores et hæresim referas. Optime vero ad *Aerium*, qui Encratitarum sectæ, cujus et Tatianus, aut alumnus, aut ἔξαρχων fuit. Omnino igitur rescribi hic velim *Aerius* : quod præterea ex Philastrii probaverim testimonio, ubi, « Aerii, inquit, ab Aerio quodam sic appellati sunt, qui abstinentiis vacant, et in provincia Pamphylia quam plurimi commorantur, qui et Encratitæ dicuntur, id est, abstinentes. Ili non possident aliquid, escas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit. »

[c] Victorius voculam *eos* addit, ex Vulgata editione, et Hebraico. Hieronymiana autem editio illa, quam auctor commentarii in Oseam sub nomine Rufini laudat, minime agnoscit.

[d] Mss. Palatini, *concidebantur* : et paulo post, *ista est subsannatio*, pro *sic est*, etc.

*dio principes eorum propter imperitiam linguæ eorum; sic est subsannatio eorum in terra Ægypti.* Propter abundantiam, inquit, rerum omnium corruerunt. Quod etiam Ezechiel in Sodomis et Gomorrhis factum esse commemorat (*Ezech.* XIX), ut nihil aliud nisi cibos et luxuriam ruminarent : pro quo Septuaginta transtulerunt, *super frumento et vino dissecabantur*, in exemplum prophetarum Baal, qui præsente Elia, concisione membrorum pluvias precabantur (III *Reg.* XVIII). Simulque ut ostenderet eos jumentorum similes, non dixit, comedebant, sed ruminabant : et ideo recesserunt a Domino qui dicit : ego eos erudivi, ego fortitudinem præbui, et contra me suas erexere cervices ; non quod aliquid possint facere et nocere Creatori suo : sed quod solum facere potuerunt, cogitaverunt mala contra me. Et quomodo a principio fuerunt, priusquam vocarem eos per Abraham, et postea per Moysen et Aaron, et erant absque jugo legisque notitia, et cunctis nationibus miscebantur : ita etiam nunc reversi sunt in pristinum statum : ut absque jugo et frenis deferrentur per præcipitia, et mutarentur in arcum dolosum, ut [a] quem Deus contra adversarios intenderat, ipsi contra suum Dominum verterent, et mitterent adversus eum blasphemiarum sagittas. Unde principes eorum, qui infelicem populum deceperunt, cadent gladio propter furorem linguæ suæ, quod vitulos aureos deos appellare sunt ausi, ut hoc facerent in terra repromissionis, quod in Ægypto didicerant : colentes Apim Ægyptium, et omnia eorum portenta venerantes : ita enim et in solitudine, quando egressi sunt de Ægypto, Dominum subsannaverunt, dicentes : *Isti sunt dii tui, Israel* (*Exod.* XVI, 3). Et : **80** *Utinam essemus in terra Ægypti, ubi sedebamus super ollas carnium* (*Exod.* XXXII, 4), et cætera. Super tritico et vino, [b] et falsis mysteriis corporis et sanguinis Christi, qui dicit in Evangelio : *Nisi ceciderit granum tritici in terram, et mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII, 24) : Et in alio loco : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV, 1) : Et : *Nisi biberitis sanguinem meum* (*Ibid.*, VI, 54). Super hoc ergo tritico et vino hæretici conciduntur, et diversa sibi construunt tabernacula : sive præciduntur ab Ecclesiæ corpore, et legem Dei meditari, et ruminare se simulant. Sed hoc facientes recedunt a Domino qui docuit eos in Ecclesia, et dedit eis fortitudinem, qua contra adversarios dimicarent. Illi vero cogitaverunt malitiam contra Dominum, impiissimas hæreses exstruentes, et reversi sunt in statum gentilium, ut essent absque Dei notitia et jugo : sive reversi sunt in nihilum, non quod desierint esse, sed quod ad comparationem ejus, qui loquitur ad Moysen : *Vade, dic populo Israel : Qui est misit me* (*Exod.* III, 14), omnes qui contra Dominum sapiunt, non esse dicantur [*Al.* dicuntur]. Juxta illud quod in Esther legimus in Septuaginta [c] dumtaxat : *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt* (*Esther* XIV, 11, *sec.* LXX), haud dubium quin idola significet. Si enim Deus est veritas, quidquid contrarium veritati est, mendacium est, et nihil nominatur. Hoc hæreticis convenit, qui instructi de Scripturis sanctis, adversum Dominum Legis et Prophetarum et Evangelii verba vertunt : et sunt quasi arcus dolosus sive perversus. Dolosus arcus atque perversus est, qui percutit dirigentem, et vulnerat dominum suum. Sive facti sunt quasi arcus intentus, parati semper ad pugnam et contentiones, in subversionem audientium. Unde principes eorum, id est hæresiarchæ, Domini mucrone feriuntur, propter insaniam linguæ suæ, qua Dominum blasphemaverunt : hoc idem facientes in falsi nominis Ecclesia, quod faciebant eo tempore quo in Ægypto sæculi morabantur, hoc est, quando gentiles erant. Omnes enim hæreticorum et gentilium quæstiones eædem sunt, quia non Scripturarum **81** auctoritatem, sed humanæ rationis sensum sequuntur.

(Cap. VIII. — Vers. 1 seq.) *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini : pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. Me invocabunt* [Al. *invocabant*], *Deus meus, cognovimus te Israel. Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi. Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* LXX : *In sinu eorum quasi terra sicut aquila super domum Domini : pro eo quod transgressi sunt testamentum meum, et contra legem meam impie egerunt. Me invocaverunt* [Al. *invocabant*], *Deus, cognovimus te : quia Israel* [d] *aversatus est bona : inimicum persecuti sunt, ex semetipsis regnaverunt, et non per me : principes exstiterunt, et non indicaverunt mihi : argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut dispereant.* Hoc quod interpretati sumus, *in gutture tuo sit tuba*, pro quo in Hebræo scriptum est, ALECHCHAC SOPHAR (אלחכך שופר), Aquila et Symmachus et Theodotio similiter transtulerunt. Soli Septuaginta dixerunt : *in sinu eorum quasi terra* : quod quid significet, incertum est. Quidam enim æstimant sinum dupliciter accipi, et inferiorem partem vestimenti a genitalibus usque ad pedes : et colpum maris, id est, sinum, verbi gratia, Hadriatici, et Ionii, et Propontidis, falsosque magistros, qui blasphemiam Ægypti sunt

[a] Sic ad fidem quatuor Florentiæ codicum correxit Victorius, *quem Deus*, ut subintelligas arcum. Martian. post Erasmum retinuit, *quos*.

[b] In uno Palatino, *falsi mysterii*, in altero, ipsa vox, *falsi* expungitur.

[c] Hoc quoque notatum Victorio est, ideo dici, *secundum LXX dumtaxat*, quia in Hebraico non invenitur capitulum quartum decimum, ubi id proditur, sicut nec tria alia superiora. A dimidio enim decimi capitis, ea quæ postea leguntur in Esther, ex Vulgata LXX editione accepta sunt : desunt enim penes Hebræos.

[d] Ita et nostri cum Victorio mss. *aversatus* : Martian. cum Erasmo, *adversata*. Redolet vero scioli glossatoris manum, quod statim in iisdem mss. subditur, *iniquum secuti sunt*, pro *inimicum persecuti sunt* : Græc. ἐχθρὸν κατεδίωξαν.

secuti, omnia in sinu suo libidini servientia et terrena retinere : vel certe in portu et refugio navigationis suæ, nihil pretiosarum mercium, sed terrena conquirere. Nos autem sequentes veritatem Hebraicam, cœptæ explanationis texamus ordinem. Præcipitur prophetæ, et dicitur ad eum : *In gutture tuo sit tuba*, hoc est, sic exalta vocem tuam, ut tubæ similis sit : ut plurimi audiant, quia plurimi peccaverunt. Cumque exaltaveris vocem tuam, hoc dicito cum clamore, quasi aquila super domum Domini, et est sensus : Veniet Nabuchodonosor cum omni exercitu suo tam raptim, tam velociter, ut aquilæ imitetur volatum festinantis ad prædam : et veniet non ad alium locum, sed ad Jerusalem, in qua templum Dei situm est, **82** ut eam destruat atque subvertat. De hac aquila et Ezechiel plenius loquitur (*Ezech.* XVII) : magnarum alarum plumarumque et unguium, quæ habet ductum intrandi in Libanum, hoc est, in templum Dei. Juxta Zachariam prophetam, in quo scriptum est : *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas* (*Zach.* XI, 1). Hoc autem, o propheta, quod tibi dico atque præcipio : *In gutture tuo sit tuba*, ut vociferéris et dicas, quasi aquila super domum Domini, regem venire Chaldæorum, non aliam ob causam jubeo, nisi quod transgressi sunt fœdus meum, et meas cæremonias reliquerunt. Unde tempore necessitatis et angustiæ, quando captivitas venerit, me invocabunt et dicent : *Deus meus, cognovimus te, Israel;* nos qui appellamur Israel, scimus te atque cognoscimus, et nomen Jacob, qui tibi placuit, servamus antiquum, ut dicamur Israel. Quibus respondit Dominus : Quomodo vocamini Israel, cum Israel projecerit bonum, id est, Dominum Deum suum, a quo appellatus est Israel? Ideirco quia Israel projecit bonum, inimicus, hoc est, Assyrius persequetur eum, atque comprehendet : qui, me rege deserto, petierunt sibi regem, sicut et gentes reliquæ, et fecerunt contra voluntatem Dei [*Al.* meam]. Denique Samuel ideo eis dura regis exponit imperia, et filios eorum ac filias dicit regibus servituras, ut ad Dominum regem clementissimum convertantur (I *Reg.* XVIII) ; sed illi absque voluntate Dei principes exstiterunt. Et non eis sufficit hoc scelus, nisi majori impietate facinus duplicarent, ut argentum suum et aurum quod acceperant ad divitias et ornatum, in idola verterent. Ergo Saul non ex voluntate Dei, sed ex populi errore rex factus est. Et quia radicem pietatis non habuit, statim ut regnare cœpit, impietate succensus est. Potest hoc quod dicit : *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi*, etiam de Jeroboam accipi filio Nabath, et de cæteris principibus, qui ei in imperio successerunt. Nec statim, quia Deus Salomoni iratus, regnum ejus dividi voluit, idcirco Israel bene suscepit regem. Debuerat enim juxta legis præcepta interrogare Dominum, an vellet hoc fieri. Nam de Salvatore **83** dicitur : quod oporteat quidem tradi Filium hominis, sed væ illi, per quem tradendus sit (*Mat.* XXVI). Diabolum qui ponere cupit supra astra cœli nidum suum, aquilam sæpissime legimus : *Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te, dicit Dominus* (*Abdiæ* I, *4*). Oculus quoque qui irridet patrem, et despicit senectutem matris, effodietur a corvis, et devorabunt eum pulli aquilarum (*Prov.* XXX) : per diabolum ac dæmones, clarum visionis suæ lumen amittens. Unde in Lege præcipitur, ut non comedamus aquilam (*Levit.* XI). Hæc igitur aquila venit super hæreticorum conciliabula, quæ quondam fuerant domus Domini : et idcirco venit, quia prævaricati sunt fœdus ejus, et legem Dei dereliquerunt : et sine causa invocant eum, et dicunt : Deus meus es, et cognovimus te, nos qui vocamur Israel, cernentes Deum, et vocamur nomine Christiano. Frustra, inquit, hæc faciunt, cum ipsi sibi reges constituerint, et contra meam fecerint voluntatem, et principes habeant adversarios meos, quos ego nescio, quia mei notitiam non merentur. Argentum quoque suum, et aurum, et quidquid habere poterant naturaliter, sermones ac sensus verterunt in idola, quæ de suo corde finxerunt : et verterunt, non ut interirent; sed quia verterunt, ideo interierunt. Neque enim hac ratione fecerunt, ut perirent; sed quia fecerunt, idcirco perierunt.

(Vers. 5, 6.) *Projectus est vitulus tuus, Samaria. Iratus est furor meus in*[a] *eis : usquequo non poterunt emundari? quia ex Israel et ipse est : artifex fecit illud, et non est Deus : quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* LXX : *Projice vitulum tuum, Samaria : concitatus est furor meus super eos : usquequo non poterunt emundari in Israel? et hoc artifex fecit, et non est Deus : quia seducens erat vitulus tuus, Samaria.* In eo loco, in quo nos posuimus *aranearum telas*, in Hebraico scriptum est SABABIM (שבבים), per IOD litteram penultimam : non ut quidam falso putant, SABABUM (שבבום), id est, per VAU, quod Septuaginta et Theodotion, πλανῶν interpretati sunt, id est, *seducens*, atque *decipiens* : Aquila *errantibus*, sive *conversis* : Symmachus, *inconstans*, vel *instabile*, id est, ἀκαταστατῶν : **84** Quinta editio, ῥεμβεύων, *vagus* et *fluctuans*. Nos ab Hebræo didicimus SABABIM proprie nominari *aranearum fila* per aerem volantia, quæ dum videntur intereunt, et in atomos atque in nihilum dissolvuntur. Et recte his Samariæ vitulus comparatur, quem eo tempore pro pretii magnitudine, quia aureus erat, populus adorabat. Hoc quod supra dixerat : *Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent*, nunc exponit manifestius : *Projectus est vitulus tuus, Samaria, iratus est furor meus in eos :* vel in vitulos, quia duos fecerant : vel in Samariæ habitatores, qui eos adorabant. Porro quod in Septuaginta legimus : *Projice vitulum tuum, Samaria*, cohortatur habitatores ejus, non unius urbis, sed omnium decem tribuum, quæ appellantur Samaria (alioquin in urbe Samaria vituli non

[a] Victorius ex Vulg. Edit. juncto Hebraico, *in eos*. Item, *artifex fecit illum*, id est, vitulum, de quo in præcedenti sermone. Nulli vero mss. suffragantur.

erant, sed in Dan et in Bethel), ut projiciat vitulos super quos iratus est Deus : sive ἀποτρίψεται, id est, *defricet :* ut quos multo tempore coluerat, paulatim [a] a se defricet et emundet. Illisque non audientibus, convertitur ad alios, et quasi ad tertiam personam loquitur : *Usquequo non poterunt emundari?* Quæ ista, inquit, insania est, me dante [*Al.* mediante] locum pœnitentiæ, illos ad sanitatem nolle converti Et quia dixerat : *Projice vitulum tuum, Samaria,* exponit quis iste sit vitulus : quia ex Israel et ipse est : non ab aliis ait, vitulum gentibus accepistis, ut Baal et Astaroth a Sidoniis, ut Chamos a Moabitis, ut Moloch ab Ammonitis (IV *Reg.* XXIII); sed vos ipsi, et rex vester Jeroboam, quod in Ægypto didiceratis, fecistis in Israel. Aut qualis ille est deus, qui manu formatur artificis ? Denique ut aranearum fila dissolvuntur in ventum, ita vitulus Samariæ redigetur in nihilum. Projicit Dominus hæreticorum vitulos et Samariæ, qui se dicunt legis præcepta servare : qui vituli hærent humo, et operantur in terra, non spiritu, nec oculos ad cœlum levant; et ideirco iratus est furor Domini super eos, et miratur quæ sit tanta perversitas, ut nolint reliquere idola, quæ sibi fabricati sunt, et ament [*Al.* amant] sordes hæreticas pro Ecclesiæ munditiis. Quos vitulos non accepit Israel, qui Dominum videre se fingit **85** a cæteris gentibus : sed de Scripturis sanctis sibi ipse conflavit intelligentiæ pravitatem, et artifex est Dei sui, qui cito peribit et aranearum telas imitabitur, quæ levi rumpuntur attactu.

(Vers. 7.) *Quia ventum seminabunt, et turbinem metent : culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.* LXX : *Quia corrupta vento seminaverunt, et subversio eorum suscipiet ea : manipulus non habens vires ut faciat farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.* Aranearum telis, Samariæ vitulum comparat : idcirco metaphoram servat in reliquis, ut quos aranearum telas dixerat, comparet vento, et turbini, culmisque non stantibus : et si steterint, farinam non habentibus ; et si farinam, inquit, fecerint, ab aliis devorabitur. Et quia tam de hæreticis quam de his, qui in Samaria fabricati sunt idola, communis est sensus, communiter disputandum est. Isti ventum seminant, sive [b] quæ a vento corrupta sunt semina, quæ medullam non habent, quam Græci ἐντεριώνην vocant, et idcirco vacua seminantes, inania vacuaque recipiunt : immo seminantes in carne, de carne metunt corruptionem, et circumferuntur omni vento doctrinæ. Cumque ventum seminaverint, metent turbines et tempestates, et primum quidem culmus, hoc est, stipula non erit ex his seminibus, nec aliquam poterunt speciem segetis habere fecundæ. Quod si raro acciderit, ut Ecclesiastici quid dogmatis simile habere videantur : ipsum germen et spica farinam non faciet. In cujus farinæ satis tribus mittit fermentum Evangelica mulier (*Matth.* XIII) : ut et spiritus quo sentimus, et anima qua vivimus, et corpus quo incedimus, in unum sanctum Spiritum redigantur, juxta Apostolum : *In ipso vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII, 18). Quod si raro acciderit hæreticis, ut farinam quoque sementis eorum faciat, de hac farina fiet subcinericius panis, qui non reversatur, et quem alieni comedent. Unde et nunc ait : *Quod et si fecerit farinam, alieni comedent eam.* **86** Alienos autem illos debemus accipere, de quibus scriptum est : *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Ps.* XVII, 46). Et in octavo decimo psalmo : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Qui si justo viro non fuerint dominati, tunc immaculatus erit, et mundabitur a delicto maximo.

(Vers. 8.) *Devoratus est Israel, nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.* Septuaginta pro immundo, *inutile* transtulerunt, [c] cætera similiter. Immundum vas, sive inutile, Hebræi matulam vocant, qua ad suscipienda et projicienda stercora uti solemus. Huic immunditiæ idololatras et hæreticos comparat, qui miscentur gentibus, dum Dei non custodiunt veritatem, et facti vas in honorem, conversi sunt in vasa [*Al.* vas] contumeliæ. Quid enim immundius dæmonico spiritu, et hæreticorum dogmatibus, quæ eos ethnicis miscuerunt ? Talis erat Jechonias idolis mancipatus, de quo per Jeremiam loquitur Deus : *Inhonoratus est Jechonias, sicut vas cujus nulla est utilitas* (*Jer.* XXII, 18). Econtrario Paulus qui dicere poterat : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII)? appellatur vas electionis aureum et argenteum : quia habebat sapientiam, et eloquium, quo Christi Evangelium prædicabat. Quod autem dicit, *devoratus est,* vel *absorptus,* hoc significat, quod mixtus idolis et nationibus, proprium Israelis et Christiani nomen amiserit.

(Vers. 9, 10.) *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi : Ephraim munera dederunt amatoribus, sed et cum mercede conduxerunt nationes : nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab onere regis et principum.* LXX : *Quia ipsi ascenderunt ad Assyrios, germinavit apud semetipsum Ephraim : munera dilexerunt : idcirco tradentur in gentibus, nunc suscipiam eos, et quiescent parvum, ut ungant reges et principes.* Devoratus est, inquit, Israel, et factus est tamquam vas inutile, sive immundum, de quo non

[a] Voculas, *a se,* nesciunt mss. nostri.

[b] Interserit Victorius Græcum vocabulum ἀνεμόφθερα, quod mss. ignorant. De ἐντεριώνη alibi Hieron. ubi Origenis sententiam impugnat lib. contra Joan. Jerosolymit. num. 26 : *Neque enim in grano tritici radices, culmus, folia, aristæ, paleæ sunt dissolutæ : sic et in ratione humanorum corporum manent quædam surgendi antiqua principia, et quasi* ἐντεριώνη, *id est, seminarium mortuorum sinu terræ confovetur.* Et inferius ex suomet sensu : *Quid potentiam Dei calumniaris ? qui potest de medulla, et de seminario vestro* ἐντεριώνη *non carnes tantum de carnibus, sed corpus educere, et aliud ex alio facere,* etc.

[c] Ex nostris mss. suffecimus verba, *cætera similiter,* quæ in hactenus vulgatis libris desiderabantur.

supersit testa, in qua hauriri possit aqua, aut modicum quid igniculi. Et quia factus est vas immundum, ideo ascenderunt ad Assyrios imitantes onagrum solitarium : **87** nequaquam ut oves pasti a Domino, sed male abutentes libertate sua, et educti in captivitatem, quos propheta plangit et dicit : *Ephraim munera dederunt Assyriis, et conduxerunt mercede amatores suos*, de quibus scribit Ezechiel : *Omnibus meretricibus dantur mercedes : tu autem dedisti mercedes amatoribus tuis* (*Ezec.* XVI, 33), et econtrario factum est in te. Cumque dederit dona gentibus, et mercede ad auxiliandum sibi conduxerint nationes, congregabuntur ad pugnam, et vincti pariter abducentur. Et quia amant offerre adversariis munera, ideo paulisper beneficium consequentur, ut non solvant stipendia regi et principibus, donec perveniant in Assyrios, ubi nequaquam tributa, et stipendia dabunt ut liberi ; sed redigentur in ultimam servitutem. De hæreticis non ambigimus, quin juxta errorem mentis suæ euntes ad Assyrios, ascendere se putent, et non descendere. Unde dicitur ad eos per Isaiam : *Quid factum est tibi nunc, quia ascendistis omnes in tecta vana* (*Isa.* XXII, 1) ? quorum Assyriorum princeps est sensus magnus. Unde in semetipso germinavit Ephraim, præsumptione sui æstimans se crevisse. Sive onager factus est solitarius, ut non Ecclesiæ consita, sed diaboli deserta penetraret. Amavit munera pro errore suo, ipse sibi præmia repromittens, sive turpis lucri gratia omnia faciens. Vel certe dedit amatoribus suis dæmonibus munera atque mercedes, et cum hoc fecerit, tradetur gentibus. Sicut enim nationes corporalia simulacra venerantur : sic isti idola deos putant, quæ de suo corde finxerunt, et ideo reputabuntur in numero nationum. Sin autem, inquit, nunc, et in præsenti sæculo egerint pœnitentiam, et susceperim eos, cessabunt parvum super se regem constituere et principes ejus. Ut intelligamus parvum regem diabolum, ad distinctionem magni regis, qui societatem cum Belial habere non potest ; sed statim ut receptus fuerit, de corde credentium fugat parvum regem et principes ejus. Juxta Hebraicum autem, congregabuntur in Ecclesia Dei qui fuerant antea dispersi, et mercede sibi conduxerant nationes, et quiescent ab onere regis, **88** super quo Apostolus scissos ab Ecclesia increpat, dicens : *Sine nobis regnatis : atque utinam regnetis* (I *Cor.* IV, 8), et a principibus quos habent in synagogis diaboli constitutos.

(Vers. 11.) *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum.* LXX : *Quia multiplicavit Ephraim altaria : in peccatum* [a] *sunt ei altaria dilecta.* Ducti, ait, in captivitatem cessabunt paulisper ab onere regis et principis. Et hoc patientur quia Ephraim princeps eorum multiplicavit altaria, non in quibus immolaret Domino, sed in quibus peccatis peccata conjungeret : quæ altaria, id est, aræ vertentur ei in delictum, ut quanto plura fuerint, tanto illius scelera multiplicentur. Deinde ut supra dixerat : *Quid faciam tibi, Ephraim ? quid faciam tibi, Juda ?* velut ambigens et requirens, quo medicamine sanaret infirmum, et quibus consiliis peccantem retraheret ad salutem.

(Vers. 12.) *Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ* [Vulg. *computatæ*] *sunt : hostias offerent* [Vulg. *afferent*], *immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas.* LXX : *Scribam eis multitudinem : legitima ejus in aliena reputata sunt altaria* [b] *: quia si immolaverint hostias, et comederint carnes, Dominus non suscipiet eas :* quas prius dederam per Moysen. Sed quid prodest ultra alias scribere, cum contempserit eas quas ante susccpit ? Annon contemptus Dei est, quando, me jubente, ut unum in Jerusalem esset altare, per omnes montes et colles idola fabricati sunt, quibus irritarent Dominum ? Altaria quoque idcirco fecerunt, non ut mihi placerent ; sed ut, multis hostiis immolatis, carnes earum comederent, juxta illud quod Dominus loquitur in Evangelio : *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa ; sed quia manducastis de panibus, et saturati estis* (*Joan.* VI, 16). Omne enim studium victimarum in eo habent, ut devorent hostias, non ut per eas placeant Deo : nec suscipiet eas Dominus quas non illi, sed suo ventri immolaverunt et gutturi. Unum autem esse altare in Ecclesia, et unam fidem, et unum baptisma apostolus docet (*Ephes.* IV), quod hæretici deserentes, multa sibi altaria **89** fabricati sunt, non ad placandum Deum, sed in delictorum multitudinem. Propterea leges Dei accipere non merentur, cum eas quas acceperant, ante contempserint. Et si quid dixerint de Scripturis, nequaquam divinis verbis, sed [c] ethnicorum sensibus comparandum est. Isti multas immolant hostias et comedunt carnes earum, unam Christi hostiam deserentes : nec comedentes ejus carnem, cujus caro cibus credentium est. Quidquid fecerint, sacrificiorum or-

[a] Est hoc alterum inepti glossatoris commentum in Palatinis mss., *facta sunt ei altaria delicta*, pro *dilecta*, contra Græci textus fidem, εἰς ἁμαρτίας ἐγένοντο αὐτῷ θυσιαστήρια ἠγαπημένα.

[b] Interserunt hoc quoque loco Palatini mss. *altaria delicta*, pro quibus reponendum ex Græco sit, *altaria dilecta*, θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα. Hunc præterea versiculum cum ex Hebræo, tum ex LXX superiori proposito jungunt, sicque post verba *retraheret ad salutem*, Hieronymianam expositionem continuant : *Scribam*, inquit, *eis rursus leges, quas primum dederam per Moysen. Sed*, etc.

[c] Vitiose erat, *sed et ethnicorum*. Porro Victorius : Placuit, inquit, hæc verba ante lectorum oculos ponere, ut ex his quilibet discere possit, quam apposite novatores nostri temporis in priscis illis hæreticis Hieron. describat. Nostri tamen tanto illis pejores sunt, quanto sacrificium, quo terrarum orbis numquam caruit, ab Ecclesia tollunt : Christique incruentam victimam, mente tantum agitandam, non etiam reipsa offerendam contendunt : contra illud quod Christus ipse in Apostolis nobis præcepit, cum dixit : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Audis etiam veram Christi carnem in Eucharistiæ sacramento nos sumere, non umbram illius, aut figuram, ut iidem blasphemant.

dinem ritumque simulantes, sive dederint eleemosynam, sive pudicitiam repromittant, sive humilitatem simulent, fictisque blanditiis simplices quosque decipiant, nihil de hujuscemodi sacrificiis Dominus suscipiet.

(*Vers.* 13, 14.) *Nunc recordabitur iniquitates* [Vulg. *iniquitatis*] *eorum, et visitabit peccata eorum : ipsi in* [Vulg. *ad*] *Ægyptum convertentur, et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra, et Judas multiplicavit urbes munitas, et mittam ignem in civitate ejus, et devorabit ædes illius.* LXX : *Nunc recordabitur iniquitates eorum, et ulciscetur injustitias eorum : ipsi in Ægyptum conversi sunt, et oblitus est Israel eum qui fecit illum, et ædificaverunt delubra, et Judas multiplicavit urbes munitas* [Al. *muratas*], *et emittam ignem in civitates ejus, et devorabit fundamenta ejus.* Inter ἀνομίαν, id est, *iniquitatem*, *et peccatum*, hoc interest, quod iniquitas ante legem, peccatum post legem est, et qui permanent in delictis, iniquitates eorum Dominus recordabitur, quas ante legem commiserant : peccatorum autem non recordabitur, sed faciet ultionem. Ideo autem et veterum iniquitatem recordabitur, et peccata pristina visitabit : quia in Ægyptum sunt reversi, vel auxilia postulantes, vel eosdem colentes deos, in quibus prius erraverant, ἄπιν et μνεῦιν. Oblitus est enim Israel factoris sui, et ædificavit delubra in excelsis, totos colles et montes, et umbrosas arbores, Baal et Astaroth, et aliis idolis consecrans. Judas quoque intelligens Israelem de Dei amore recessisse, et visitata eorum peccata esse, non est conversus ad Dominum, sed in urbium munitione confisus est, quas Dominus destructurum esse se dicit, [a] et usque ad fundamentum illius voraturum. *Illius*, haud dubium, quin Judam [*Al.* Juda] significet : licet quidam fundamenta *earum*, id est, urbium pro *illius* legant. Secundum autem anagogen iniquitates, id est, ἀνομίαι et ἀδικίαι vocantur, quas ante baptismum commisimus, et quæ nobis in baptismate sunt dimissæ : peccata autem quæ post baptismum egimus, de quibus et in psalmo scriptum est : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Ps.* XXXI). Quæ omnia imputabuntur hæreticis ut et veteres iniquitates, et nova eis peccata reddantur. Qui enim de Ægypto exierant per confessionem Christi, perfidia in Ægyptum sunt reversi. Oblitus est Israel factoris sui, et Creatore contempto, alium sibi finxit dominum. Judas quoque, id est, vir Ecclesiasticus, in malis operibus, vel in sanctarum Scripturarum interpretatione perversa, ædificavit sibi urbes munitas, non auxilio Dei, sed artifici [Al. *artificis*] mendacio : quas Dominus igne sui spiritus succensurum esse se dicit, et devoraturum [b] βάρεις ejus, id est, magnas et in modum turrium ædificatas domos : et fundamenta male posita subversurum, ne possint sacrilega contra Deum delubra construere. Quidam urbes a Juda munitas in bonam partem accipiunt, et illud quod huic sensui contrarium videbatur : *immittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius*, ita temperare nituntur, ut postquam venerit quod perfectum est, id quod ex parte est, destruatur. Quod juxta LXX interpretes legimus, ÷ *et in Assyriis immunda comederunt*, in Hebraico non habetur, et idcirco obelo prænotandum est. Possumus autem **91** dicere, quod desiderantes Ægyptum Israelitæ, capti ab Assyriis, ibi immunda comederint, juxta Ezechielem, qui eos in Chaldæa idolothyta comedisse describit (*Ezech.* IV) : et in tantum idolorum polluta sordibus, ut humano stercori comparentur. Hæretici quoque, quorum principes sunt Assyrii (de quibus crebro diximus), comedunt apud eos immunda, dum illorum sordibus inquinantur.

(Cap. IX.—Vers. 1, 2.) *Noli lætari, Israel : noli exsultare sicut populi : quia fornicatus es a Deo tuo : dilexisti mercedem super omnes areas tritici. Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis.* LXX : *Noli gaudere, Israel, et noli lætari sicut populi : quia fornicatus es a Deo tuo : dilexisti munera super omnem aream tritici. Area et torcular non cognovit eos, et vinum mentitum est illis.* Qui a Deo recesserunt, cum in profundum venerint peccatorum, et desperaverint salutem suam, universa contemnent (*Prov.* XVIII). Denique et Israel recedens a lege Dei, et colens idola, ex multis gentibus unam gentem esse se dicit : gaudens et gratulans quod a Dei notitia recesserit, et sit gens mixta cum cæteris, et propterea nunc corripit eos, et dicit : Ne gaudeas, ne læteris, nec putes te talem esse, ut sunt cæteræ nationes. Aliter enim nesciens Deum, aliter punitur recedens a Deo, quia servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit [c] multum (*Luc.* XII). Mercedem fornicationis tuæ areas multas et torcularia reputasti, ut rerum omnium abundantia fruereris : ideo area et torcular, triticum vinumque non facient, et mentietur eis torcular, sive negabit vinum suum, quo se inebriandos putabant. Legimus sud Acab rege Israel, et Elia propheta, famem gravissimam fuisse in Samaria : ita ut matres filiorum suorum cadaveribus vescerentur (III *Reg.* VI). Eo tempore, juxta litteram, area et torcular non pavit eos, et vinum mentitum est eis, et in egestate tabuerunt. Dicitur

[a] In uno Palat., *destructurum esse se dicit usque ad fundamentum illius voraturum ædes. Illius haud dubium*, etc. In altero, *et usque ad fundamenta voraturum*, etc.

[b] Corrupte hactenus editi scribunt βαρεῖς : et jam non *magnas domos*, sed *grave* quid notant ; non enim a βαρὺς, sed a βάρις vocabulum istud deducitur. Errorem hunc nos alibi cavimus, docente ipso Hieronymo epist. 65 ad Principiam num. 14 de ps. XLIV, ubi, *Pro eo*, inquit, *quod nos transtulimus*, a dòmibus eburneis, *quia in Græco scriptum est*, ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, *quidam Latinorum ob verbi ambiguitatem*, a gravibus *interpretati sunt ; cum* βάρις *verbum sit* ἐπιχώριον *Palestinæ ; et usque hodie domus ex omni parte conclusæ, et in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum*, βάρεις *appellentur*. Vide quæ in hunc locum fusius annotavimus.

[c] Victor. ex quatuor Florentiæ codicibus, et Vulgata editione, *vapulabit multis*.

et ad hæreticos, ne exsultent atque lætentur, et putent se cæterarum similes nationum. Illæ enim **92** non crediderunt in Deum; isti vero sub nomine Dei idola colunt, et fornicantur a Deo suo: et plures sibi areas, et torcularia infinita multiplicant, et comedunt triticum, de quo efficitur panis luctus, et bibunt vinum Sodomorum, quod cum aspidum felle calcatur. Et quia sibi plura torcularia, et multas areas præpararunt: ideirco de vera et de una area, et de torcular quod calcavit Dominus Jesus, non vescentur, et non bibent; sed quodcumque se habere putaverint, mendacio depravabitur.

(Vers. 3 et 4.) *Non habitabunt in terra Domini. reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit: Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei sacrificia eorum, quasi panis lugentium, omnes qui comedunt* [Vulg. *comedent*] *illum, contaminabuntur, quia panis eorum, animæ ipsorum, non* [a] *intrabunt in domum Domini.* LXX: *Non habitaverunt in terra Domini, habitavit Ephraim in Ægypto, et in Assyriis immundum comedit: non libaverunt Domino vinum, nec placuerunt ei sacrificia eorum:* [b] *quasi panis luctus ejus: omnes qui manducaverint ea, contaminabuntur; quia panes animarum eorum non intrabunt in domum Domini.* Non solum area, et torcular non pavit eos, et vinum mentitum est in terra Israel, quando per triennium, et menses sex cuncta [c] perierunt, sed et ipsi habitatores recedent de terra Domini, et ducentur in terram alienam, ne habitent in terra sancta quam suis fornicationibus polluerunt. *Reversus est*, inquit, *Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit.* De hoc loco quidam supra addiderunt: *et in Assyriis pollutum comedit*, quod in Hebraico non habetur, de quo jam diximus. Cum autem fuerint in Chaldæa absque templo et absque altari, non libabunt Domino vinum, sed dæmonibus, et non placebunt ei, qui libant diis alienis, et qui in captivitate retinentur atque in Assyriis idolothyta comedunt, et quasi panes lugentium sunt. Non est enim licitum de sacrificiis comedere lugentium, et si comederit, immundum fiet quod licite oblatum est. Lugentium **93** cœnas Græci [d] νεκρόδειπνα vocant, nos *parentalia* possumus dicere, ab eo quod parentibus mortuis immolentur. Et non solum qui obtulerit, sed etiam qui comederit de hujuscemodi cibis immundus erit: panis enim eorum, hoc est cibus quem offerunt, non intrabit in domum Domini, quæ destructa est, quæ Babylonio igne succensa est; sed erit animæ eorum. Et est sensus, suæ gulæ, et suæ provident voluptati; cæterum mihi non placent polluta. Non habitabunt in terra domini, qui ab Ecclesia recesserunt, et reversi sunt mente in Ægyptum, et Assyriorum, id est, dæmonum comedunt [*Al.* comederunt] sacrificia: nec libant Domino vinum quo inebriati sunt in luxuriam, et non placent ei nec illa quæ offerunt, nec ipsi qui offerunt. Sacrifia hæreticorum panis luctus est et lacrymarum: omnia enim quæ faciunt vertentur in fletum. Nec audire poterunt: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matt.* v, 5); sed econtrario audient: *Væ ridentibus, quia ipsi lugebunt* (*Luc.* vi, 25). Quidquid offerunt non Deo, sed mortuis offerunt: his videlicet qui sceleratas hæreses confinxerunt; et quicumque de eorum comederit victimis, contaminabitur, Cæci in foveam ducentur a cæcis. Quidquid fecerint, deliciarum causa faciunt, ut populum decipiant, ut domos devorent viduarum. Panem luctus possumus dicere, verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum: qui panis non ingreditur in domum Dei: hæreticorum enim conciliabula, non domus Dei appellantur, sed speluncæ latronum.

(Vers 5. et 6.) *Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini? Ecce enim profecti sunt a vastitate: Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos, desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.* LXX: *Quid facietis in die conventus, et in die solemnitatis* **94** *Domini? Ideo ecce ibunt de miseria Ægypti, et suscipiet eos Memphis, et sepeliet eos Machmas, argentum eorum interitus possidebit, spinæ in tabernaculis eorum.* Cum venerit, inquit, dies captivitatis et sævissimus hostis ingruerit, quæ mea solemnitas est? quam ego placabilem habeo hostiam? quia me de meis hostibus vindicat, et injuriæ ponit modum, et flagellat impios filios. Quid igitur facietis in die festivitatis Domini? Respondete. Illisque tacentibus, sibi ipse respondet, immo quæ facturi sint, divinis oculis intuetur: Ecce, inquit, miseria et vastitate prementibus, et Assyrio atque Chaldæo captos ligare cupientibus, ad Ægyptum confugerunt. Ibi Memphis sepeliet eos, quæ eo tempore erat metropolis Ægypti, antequam Alexandria, quæ prius appellabatur NO (נֹא), ab Alexandro Macedone et magnitudinem urbis et nomen acciperet. Quod autem in Septuaginta dicit, *sepeliet eos Machmas*, in Hebræo non habetur; sed [e] MAMAD (מַמַד), quod appellatur *desiderabile*. Ex quo perspicuum est,

[a] Victor. substituit minori numero, *intrabit*, ex Vulgata editione, et Hebraico לֹא־יָבוֹא: intellige autem, inquit, de pane. Unde Hieronymus: Panis eorum, hoc est cibus, quem offerunt, non intrabit in domum Domini, quæ destructa est. Apud LXX enim legitur, *non intrabunt*, et hoc, quia transtulerunt *panes*.

[b] Palatini mss. *quia panis luctus eis*. Et vero *eis*, pro *ejus*, ad Græcum αὐτοῖς, placet magis.

[c] Ita Victor. ex quatuor Florentiæ mss. Antea, quod et Martian. retinuit, *perierint*.

[d] Non immuto, quod vulgati omnes libri præferunt; verius tamen id puto esse, quod nostri habent mss., περίδειπνα, quo nomine *silicernia*, seu *cœnas funebres*, Græci appellant; Latini, *parentalia*. Econtrario νεκρόδειπνα an hoc intellectu a bono aliquo Scriptore umquam usurpatum sit, atque omnino an Græcum sit verbum, dubito. Certe alibi Hier. περιδείπνου vocabulo continuo utitur. In Commentariis in Jer. cap. xvi: *Moris est*, inquit, *lugentibus ferre cibos, et præparare convivium, quæ Græci* περίδειπνα *vocant, et a nostris vulgo appellantur Parentalia, eo quod parentibus justa celebrentur.*

[e] Nomen *Mamach* sive *Mamachas* restitui in contextu Septuaginta Interpretum, ac in Commentario S. Hieronymi, apud quem vitiatum inveni propter

falsos eos esse similitudine litterarum DALETH (ד) et CHAPH (ך); et pro *Mamad*, quod [a] omnes *desiderabile* transtulerunt, putasse *Machmas* Ægypti civitatem esse. Possumus hoc quod dicitur: *Ecce enim profecti sunt a vastitate, Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos*, et de tribu Juda accipere: quando, interfecto Godolia ab Ismaele, quem Nabuchodonosor terræ præposuerat, reliquiæ populi cum Jeremia propheta ad Ægyptum transfugerunt, et ibi persequentibus postea Chaldæis, vel captæ sunt, vel sepultæ (IV *Reg.* XXV). Desiderabile autem argentum eorum, quod urtica possedit, villas et omnia ornamenta villarum intelligemus, quæ pretio emuntur argenti. Quodque sequitur, *lappa in tabernaculis eorum*, longam significat vastitatem, ut ubi quondam domus eorum erant, ibi lappæ et urticæ nascantur **95** ac spinæ. Dicitur B et ad hæreticos: Cum dies solemnis advenerit, quid facturi estis? Pro *die solemni*, Aquila interpretatus est, *tempus*. Ex quo manifestum est, non festum diem sonare, sed tempus retributionis: statim enim sequitur: *Venerunt dies ultionis, venerunt dies retributionis tuæ*. Ecce vastati estis a multis hostibus: Assyrii vos Chaldæique jugularunt, fugistis ad sæculum, et cæteris estis nationibus comparati: ibi vos *Memphis* sepeliet, quod interpretatur *ex ore*; et est sensus: juxta vestras blasphemias recipietis, et quod locuti estis, in suppliciis sentietis: desiderabilia, hoc est, dogmata quæ vobis artifici composueratis eloquio, quod interpretatur argentum, possidebit urtica, quæ vos æterno ardore consumet: et erit lappa vel spina in tabernaculis vestris, spinæ quippe orientur in ma- C nibus eorum, qui inebriati sunt calice Babylonio (*Jer.* LI). Et in Evangelio legimus, turpes cogitationes et curas hujus mundi, et inhærentia vitia, spinas appellari, quæ [b] surgentia in herbis frumenta suffocent (*Matth.* XV).

(Vers. 7.) *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis:* [c] *scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, et multitudinem amentiæ:* LXX: *Venerunt dies ultionis, venerunt dies retributionis tuæ, et affligetur Israel sicut propheta insaniens, homo qui habebat spiritum, propter* A *multitudinem iniquitatum tuarum, multiplicata est amentia tua.* Et in hoc loco error est solitus: ubi enim nos interpretati sumus, *scitote, Israel*, hoc est, Israelitæ, et in Hebræo legitur JADAU (ידעו), Septuaginta transtulerunt *et affligetur*: JOD litteram VAU putantes, et pro DALETH legentes RES: quorum alterum scientiam, alterum afflictionem, vel malitiam sonat. Venerunt igitur dies visitationis, de quibus supra (Vers. 5) dixerat: *Quid facietis in die solemni, et in die festivitatis Domini? Venerunt dies retributionis.* O Israel, nunc tua verba cognosce, qui prophetam tibi vera dicentem, et prophetantem Spiritu sancto, stultum et insanum vocabas, juxta illud quod in Ramoth Galaad principes locuti sunt ad Jehu: *Quid venit ad te iste vesanus* (IV *Reg.* IX, 11)? Igitur propter multitudinem **96** iniquitatum tuarum, quibus B in scelere diu debacchatus es, non prophetam meum, sed te insanum esse cognosce, qui ad hoc laborasti, ut mea verba calcares. Pro *amentia*, Aquila vertit ἐγκότησιν, quam nos vel *iracundiam*, vel *memoriam doloris*, in Latino possumus dicere. Diem ultionis et retributionis, quidam interpretantur diem judicii, quando affligetur Israel, qui nunc Deum se videre jactat, et non sancto Spiritu regitur, sed dæmoniaco in partes varias circumfertur, nesciens quid loquatur: dicens Dei Filium creaturam, sanctum Spiritum Deum negans. Et rursum alium Deum bonum, alium mundi asserens creatorem: quorum vesania multiplex est, quia et iniquitates fuere quamplurimæ. Quem nos stultum prophetam diximus, septuaginta pseudoprophetam interpretati sunt. Et ne eadem sæpe repetentes, videamur lectoris prudentiæ diffidere, breviter admonemus, quidquid de Israel et de Ephraim in hoc propheta dicitur, ad hæreticos esse referendum, qui vere insanientes, contra Deum loquuntur mendacia

(Vers. 8. et 9.). *Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinæ* [d] *super omnes vias ejus: insania in domo Dei ejus, profunde peccaverunt: sicut in diebus Gabaa, recordabitur iniquitates eorum, et visitabit peccata eorum.* LXX: *Speculator Ephraim cum Deo propheta: laqueus tortuosus super omnes vias ejus, insaniam*

ignorationem linguæ Hebraicæ; nisi enim hoc modo legerimus, inepta erit atque veritati contraria observatio S. Doctoris, qua nos docuit Septuaginta deceptos fuisse similitudine litterarum *daleth et caph*, ד, ך, Ergo pro *Mamad* מחמד, legerunt *Mamach* מחמך; et non *Machmas* מחמש, cum *Schin* in fine, quod elementum nullam habet similitudinem cum Daleth. Porro in libro Locorum Hebraicorum, idem nomen scribitur Græce Μαχὸ, et Latine *Machaas*. Unde exploratum nobis est vocem hanc ubique apud LXX depravatam fuisse; cum pure legatur in libro Hebraicorum Nominum S. Hieronymi et hic in cap. IX Osee. MART. Martianæus, nullo quidem suffragante ms. libro, hic et superius continenter, *Mamachas* supposuit, pro *Machmas*, aut *Magmas*. Una hæc illi mutandi nominis causa fuit, quam pluribus in Notis exaggerat: quod nisi hoc modo legerimus, inepta erit, atque veritati contraria observatio S. Doctoris, qua nos docuit LXX deceptos fuisse similitudine litterarum, *Daleth, et Caph*, ד ך: unde pro מחמד, *Mamad*, legerint מחמך *Mamach*. Scripsisset igitur ipse etiam *Mamach*, non *Mamachas*. Profecto si semel ex præconcepta opinione liceat Scriptoris sui textum immutare, nihil non pro hominum captu refigendis auctoribus liceat. Nos veterem lectionem, quæ omnium quoque mss. est, restituimus, maxime cum in ipso archetypo Græco constanter sit Μαχμὰς: neque porro dixerit Hieronymus, si quam pro *Daleth* Septuaginta accepere, in prima posuerint, an altera syllaba.

[a] Vocem, *omnes*, quam temere Martian. expunxit, mss. nostri post Victorium restituunt. In iisdem paulo post, *desiderabile autem argenti*.

[b] Palatini mss. *quæ turgentia et in herbis*, etc.

[c] Iidem mss. *Scito, Israel, te stultum*: et paulo post, *multitudo amentiæ*.

[d] Interserunt, juxta Vulgatam, Palat. mss., *factus est*. Porro pro *iniquitates*, Victorius rescribit, *iniquitatis*, in gignendi casu, ex eadem Vulgata, atque Hebraico. Leviora quædam nos infra emendamus.

*in domo Dei confinxerunt : corrupti sunt secundum dies collis : recordabitur iniquitates eorum, ulciscetur super peccata eorum.* Idcirco Deus principes dedit, ut populum corriperent delinquentem, et ad rectum iter retraherent : unde et ad Ezechiel loquitur : *Speculatorem te dedi domui Israel* (*Ezech.* v, 17). Ergo Jeroboam quasi speculator datus in populo est, et quasi propheta cum Deo meo, hoc est, cum Deo, qui hæc Osee loquitur. At ille juxta id quod supra scriptum est : *Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, et victimas declinastis in profundum*, etiam nunc populi Israël laqueus appellatur, eo quod omnes in laqueo ejus corruant, maxime cum insaniam in domo Dei posuerit, sive confinxerit, id est, in *Bethel* vitulum aureum **97** fecerit, hoc enim interpretatur domus Dei : et tam profunde in scelere peccaverit, sicque in impietatis barathrum sit demersus, ut vincat scelus, quod quondam gestum est in Gabaa, quando uxorem levitæ revertentis de Bethleem illicito necavere concubitu (*Judic.* XIX). Possumus dies Gabaa et illud tempus accipere, quando pro Deo elegerunt sibi regem de urbe Gabaa, id est, Saul. Et multo nunc eos dicit majora peccasse, eligendo Jeroboam et adorando idola, quam eo tempore, quo elegerunt Saul : hic enim schismati etiam idololatria copulata est : ibi vero Dei cultus permansit in populo. Ideo recordabitur iniquitates eorum, qui nunc per patientiam putatur oblitus, et visitabit [*Al.* visitat] peccata eorum, et vulnera, quæ longo tempore computruerunt. Veteres scrutans historias, invenire non possum scidisse Ecclesiam, et de domo Domini populus seduxisse, præter eos qui sacerdotes a Deo positi fuerant et prophetæ, id est, speculatores. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum, ut quicumque per vias illorum ingressus fuerit, corruat, et in Christo stare non possit, variisque abducatur erroribus, et semitis tortuosis ad præcipitia deferatur. Ili sunt speculatores Ephraim, qui insaniam in domo Domini confinxerunt, hoc est, in Ecclesia, sive in Scripturis sanctis, perverse eas interpretantes, vel certe in unoquoque credentium, qui domus Dei rectissime nominatur. Propterea corrupti sunt, et interierunt juxta dies collis, quando iniquitatem in excelsos locuti sunt, et ascenderunt in tecta vana. Recordabitur Deus iniquitatis eorum, per quam inique gesserunt in proximum, educentes eum de Ecclesia, et visitabit peccata eorum, quibus in suas animas peccaverunt. Hoc est quod in psalmo legimus : *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* (*Ps.* CXXXIX, 6). Nisi enim quis Dei viderit semitam, id est, Christi nomen audierit, non ingredietur per eum. Idcirco et hæretici sub nomine Christi juxta semitam ponunt laqueos, ut qui A in Christo calcare se credit, de quo legimus, quod ipse sit via, calcet et in eorum laqueis, qui insaniam in domo Dei confinxerunt.

(Vers. 10, 11.) *Quasi uvas in deserto inveni Israel,* **98** *quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum, ipsi autem intraverunt ad Beelphegor, et alienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* LXX : *Sicut uvam in deserto inveni Israel, et sicut ficum in arbore ficus temporanea vidi patres eorum, ipsi autem ingressi sunt Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles sicut dilecti.* Pro quo in aliis exemplaribus legimus : *et facti sunt dilecti, quasi abominabiles*, quod magis congruit veritati. Cum omnis orbis esset desertus, et Dei notitiam non haberet, inveni, ait, populum Israel quasi uvam in solitudine, et quomodo B eum invenerit, dicit : Sicut prima poma ficulneæ, in cacumine ejus vidi patres eorum. Ergo in Abraham, in Isaac, et Jacob inventus est populus. Et nota proprietatem, parentes videntur, populus invenitur et in utroque vinea est, et ficulnea, sub quibus re quiescere dicitur qui confidit in Domino. Ipsi autem educti de Ægypto, fornicati sunt cum Madianitis (*Num.* XXV), et ingressi sunt [*Al.* egressi] ad Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. [a] Denique interpretatur *Beelphegor*, idolum tentiginis, *habens in ore*, id est, in summitate, *pellem ;* ut turpitudinem membri virilis ostenderet. Et quia intraverunt ad Beelphegor, idcirco abalienati sunt a Deo, confusioni suæ, id est, idolo C mancipati, ut propter quod recesserant a Deo, illud colerent, secundum quod scriptum est : *A quo enim quis superatur, hujus et servus est* (II *Petr.* II, 19), et sicut gulæ servientes, habent ventrem Deum (*Philip.* III) : ita qui libidini deserviunt, habet Deum Beelphegor. *Et facti sunt*, inquit, *abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*, juxta illud quod scriptum est in Psalmis : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Ps.* CXXXIV, 18), ut non solum idololatræ, sed idola nuncupentur. Dicente autem Domino in passione sua : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXIII, 3). Et in psalmo : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Ps.* II, 1). Cum omnis mundus teneretur in peccato, et gentes ignorarent Deum, et Israel repulisset quem ante cognoverat, primum in apostolis, et in apostolicis vi- D ris, invenit Dominus Israel **99** populum Christianum, et sensu videntem Deum : et dulcissimis eorum satiatus est fructibus, uva et ficu, quæ si in deserto inveniantur, et necdum maturo tempore, ob raritatem majoris sunt gratiæ. Ipsi autem, hoc est, Israel, qui sibi Christianum nomen assumunt (neque enim de patribus intelligendum est), intraverunt ad idolum

[a] Omnia corrumpunt veteres editiones, ubi occurrit nonnulla lectionis difficultas. Hic igitur reclamantibus mss. codicibus turpem hujuscemodi ac falsa retinent lectionem, *Denique interpretatur Beelphegor, idolum, tentigines habens in ore, id est, in summitate pellem. Quod quam* sit absurde positum cum ex etymologia nominis Beelphegor, tum ex consequenti commentario, ubi dicitur, *intraverunt ad idolum Beelphegor, quod habet in ore pellem*, manifeste declaratur. Ergo Beelphegor non interpretatur, *tentigines habens in ore ;* sed erat *idolum tentignis*, quod propter nomen בעל־פעור, *Beelphegor*, interpretatur *habens in ore pellem*. MART. — Nostri mss., *id est idolum tentiginis.*

Beelphegor, quod habet in ore pellem. Quidquid enim loquitur hæreticus, mortiferum est, et a vivente Dei sermone sejunctum. Sive intraverunt ad libidinem : difficile est enim hæreticum reperire, qui diligat castitatem, non quod eam præferre desistat in labiis, sed quod non servet in conscientia, aliud loquens, et aliud faciens ; unde et abalienati sunt a Deo, et habent gloriam in confusionem suam, et facti sunt abominabiles, qui prius diligebantur in patribus. Si autem voluerimus legere, *facti sunt abominabiles, sicut dilecti*, quod tamen in Hebraico non habetur : dicemus ita factos esse gentiles, qui sunt abominabiles, quomodo et hæreticos qui prius diligebantur in patribus, hoc est, ut et hi, et illi pariter abominabiles sint et culpæ rei.

(Vers. 12.) *Ephraim quasi avis avolavit : gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu : quod et si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus. Sed et væ eis cum recessero ab eis. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine : et Ephraim educet ad interfectorem filios suos.* LXX : *Ephraim quasi avis avolavit : gloria eorum in partu, et in parturitionibus et conceptu : quia etiam si enutrierint filios suos, sine filiis erunt in hominibus : quia et væ eis est : caro mea ex eis. Ephraim, sicut vidi, in captionem præbuit filios suos : et Ephraim, ut educeret ad interfectionem filios suos.* Multum in hoc loco inter se discordant interpretes. In eo enim loco, in quo nos diximus, *væ eis cum recessero ab eis*, Septuaginta et Theodotion transtulerunt, *væ eis, caro mea ex eis :* quærensque causam cur sit tanta varietas, hanc mihi videor reperisse : *Caro mea*, lingua Hebræa dicitur BASARI (בשרי) : rursum si dicamus, *recessio mea*, sive, *declinatio mea*, dicitur BASORI (בשורי). Septuaginta igitur et Theodotion pro eo, quod est *recessio mea*, et *declinatio mea*, verterunt, *caro mea*. Rursum ubi nos posuimus : *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat*, **100** Septuaginta interpretati sunt, θήραν, id est, *venationem*, sive *capturam :* Aquila et Symmachus et Theodotion, *petram durissimam*, id est, silicem, quæ lingua Hebraica appellatur SUR (צור) ; quod si legamus SOR, *Tyrus* dicitur. Putantes autem Septuaginta interpretes ob litterarum similitudinem RES et DALETH, non esse RES, sed DALETH, legerunt SUD, id est, *venationem*, sive *capturam*, unde et BETHSAIDA (ביתצידה) *domus* dicitur *venatorum*. Diversitatem interpretum diximus : revertamur ad sensum. Ephraim, id est, decem tribus, quasi avis avolavit in captivitatem, et de suo recessit loco. Avem autem appellavit, ut velocem in Babylonem transitum demonstraret. Sin autem legerimus, *quasi avis avolavit gloria eorum*, hoc dicimus, quod Dei ab eis recesserit et avolaverit auxilium. Quodque sequitur, *a partu, et ab utero, et a conceptu*, dupliciter intelligi potest, ut gloria quæ avolavit ab Ephraim, etiam a partu, et ab utero, et a conceptu eorum recedat, hoc est, deserat filios eorum, et posteros derelinquat. Aut certe dicimus, omnem gloriam Israel habuit in multitudine, et in eo se majorem arbitratus est Juda fratre suo, quia ipse decem tribubus, ille duabus præfuit. Unde Dominus loquitur, quod etiam si enutrierint filios, et liberorum multitudinem congregaverint, tradentur neci : et nunc eis verum incumbat væ, cum ab eis recesserit Deus. Et consequenter exponit, qualis quondam fuerit Ephraim, qui tunc desertus est : tam pulcher, inquit, erat, et sic Dei vallabatur auxilio, ut Tyrus quæ mari cingitur, vel certe, ut scopulus durissimus, qui fixus in terra, omnes contemnit procellas, et de turbinibus ventisque non curat. Ipse autem, id est, Ephraim, sive Tyrus, quæ erat fundata in maris pulchritudine [*Al.* plenitudine], educet ad captivitatem filios suos. Multi hoc capitulum ad Azaelis tempora referunt, qui obsedit Samariam, et longo tempore afflixit fame, ut levius arbitrarentur obsessi gladio perire, quam inedia (IV *Reg.* VI, VII, *et* VIII). Nos autem dicamus juxta tropologiam, Ephraim, id est, hæreticos, quasi avem de Ecclesia recessisse, et omnem habere gloriam in partu, et in utero, et in conceptu, si multos genuerint filios, quos Dominus comminatur, etiamsi enutriti fuerint, et **101** puniendos, non ab alio quolibet, sed ab ipso Domino, quoniam filios fornicationis generarint, et verum illis sit væ, cum Deus recesserit ab eis. Simulque replicat qualis fuerit Ephraim : quando, inquit, in Ecclesia erat, ita sæculi hujus tentationibus, quasi Tyrus maris fluctibus tundebatur, et tamen nihil adversi poterat sustinere, quia habebat fundamentum Christi, super quo ædificata domus, everti non potest (*Matth.* VII). Nunc autem filios suos educit ad interfectorem : hoc est, ad diabolum. Et pulchre dixit, educit, id est, de Ecclesia facit exire foras. Possumus filios Ephraim, cogitationes pessimas dicere, et contraria dogmata veritati, quæ interficit Dominus spiritu oris sui, et eos tales liberos habere non patitur, et æterno interitui derelinquit. Quod autem in Septuaginta legimus, *Caro mea ex eis : Ephraim, quomodo vidi, in venationem præbuit filios suos*, ita intelligimus : Si Christus caput est corporis, id est, Ecclesiæ, omnes nos Christi et Ecclesiæ membra sumus. Qui ergo de Ecclesia recesserit, Christi corpus lacerat : igitur et Ephraim caro fuit et membrum Domini Salvatoris. Sed in venationem præbuit filios suos, in venationem autem eorum, de quibus scriptum est : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (*Psal.* CXXIII, 7). Et eduxit de Ecclesia liberos suos, ad occisionem, sive ad vulnerandum : ut vulnerentur ab his qui mittunt ardentes sagittas, ut percutiant pariter et exurant.

(Vers. 14.) *Da eis, Domine : quid dabis eis? da eis vulvam sine filiis* [Vulg. *liberis*], *et ubera arentia* [a] LXX similiter. Si his quæ Deus pro benedictione donavit, male abutamur, et in contrarium quam ab eo data sunt convertantur, expedit ut auferantur a nobis. Denique lingua data est ad laudandum Domi-

[a] Verba *LXX similiter*, quæ deerant, ex nostris mss. suffecimus.

num Deum, et quæ bona sunt eloquenda : Si quis ea abutatur in blasphemiam, contra hunc Psalmista Dominum deprecatur : *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione* (*Ps.* xxx, 19). Et in alio loco : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam* (*Psal.* xi, 4). Quia igitur Ephraim gloriabatur in utero, et in conceptu, et in partu, et in populorum multitudine, **102** Propheta Dominum deprecatur et dicit : *Da eis, Domine*. Sibique ipse respondit : *Quid dabis eis?* et statim infert : *Da eis vulvam sterilem, et ubera arentia*, ne habeant causas superbiæ, ut in quo sibi gloriari solent, in eo confundantur. Quod et de magistris contrariorum dogmatum intelligi posse, perspicuum est, qui in populorum multitudine gloriantur, et in iis liberis quos nutrierint in interitum, ut educerent eos de Ecclesia et inducerent ad interfectorem. Tot enim diabolus jugulat, quot hæretici in errore genuerint filios. De istiusmodi anima dicitur : *Beata sterilis immaculata, quæ non cognovit cubile in peccato* (*Sap.* iii, 12). Beatus est enim vir Ecclesiasticus, qui comparatione hæretici in errore filios non procrearit. Et in alio loco legimus : *Melius est filios non habere cum virtute. Ex iniquo enim concubitu semen peribit* (*Sap.* iv *et* iii, *sec.* LXX) : et cum longi fuerint temporis, reputabuntur in nihilum et ignobilis in novissimis erit senectus eorum : fecunda enim impiorum multitudo ad nihilum est utilis; neque enim æstimare debemus, quod vulvam sterilem, et ubera arentia corporaliter deprecatus sit.

(Vers. 15.) *Omnes nequitiæ eorum in Galgal : quia ibi exosos habui eos.* [a] LXX similiter. In Galgal Saul unctus in regem est, Samuele iram Dei populo nuntiante (I *Reg.* x). *Ibi*, inquit, *exosos habui eos*, et sibi regem hominem postulantes, a meo imperio recesserunt. Sive quia Galgala idololatriæ locus est, ubi omnia scelera commiserunt. Verum quia Galgala interpretatur *revelatio*, aut κυλισμοί, id est, *volutabra*, omnes malitias hæreticorum dicit eo tempore revelandas, cum eis dederit Deus vulvam sterilem et ubera arentia, et viderint ignominiam suam. Et qui se jactabant per superbiam, quod ad excelsa conscenderint, devolventur in terram, sive ad inferos pertrahentur. Vere hæretici odio Dei digni sunt, qui loquuntur contra Dominum mendacium, de quibus dicit in consequentibus :

*Propter malitiam adinventionum eorum de domo mea ejiciam eos. Non addam ut diligam eos : omnes principes eorum recedentes*, sive *inobedientes*. [b] Quod et Septuaginta similiter. Et de hæreticis quidem non est dubium, quin de domo **103** Dei ejecti sint, et non addat ut diligat eos, quamdiu in errore permanserint, omnesque principes eorum recedentes a Deo sunt, sive inobedientes, ut Valentinus, Marcion, et cæteri. Possumus principes hæreticorum dæmones dicere, qui vere a Deo recesserunt, et appellantur principes, juxta quod Dominus loquitur in Evangelio : [c] *Veniet princeps hujus mundi, et inveniet in me nihil* (*Joan.* xiv, 30). Et Apostolus adversus potestates, principatus et rectores tenebrarum istarum pugnare nos dicit (*Ephes.* vi). Quæritur autem juxta historiam, quomodo de domo sua ejecerit eos, id est, decem tribus, cum in domo Dei non fuerint? Sed domum Dei, vel terram sanctam appellabimus, in quam introducti sunt, vel falsum nomen Israelis, vel quod ad eos quasi ad populum Dei mittebantur prophetæ. Quod autem non addat, ut diligat eos, et omnes reges Israel a Deo fuerint recedentes, perspicuum est : usque hodie enim permanent in captivitate. Alii hoc quod scriptum est, *de domo mea ejiciam eos*, ad regnum Juda referri arbitrantur, quod et ipsi ducendi sint in captivitatem. Sed quomodo eis poterit adaptari, *non addam ut diligam eos*, cum postea Jerosolymam sint reducti : et *omnes principes eorum sint recedentes*, cum legerimus David, Asa, Josaphat, Ezechiam, et Josiam reges fuisse justos? Unde ad Christi tempora transeundum est, quod in adventu ejus ejecti sint de domo Dei, et nequaquam salventur ut Israel, sed ut populus Christianus. Unde et Dominus fecit sibi flagellum de funiculis, et ejecit eos de templo : quia domum Patris ejus fecerant domum negotiationis (*Joan.* ii).

(Vers. 16 et 17.) *Percussus est Ephraim : radix eorum exsiccata est : fructum nequaquam facient : quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. Abjiciet eos Deus* [d] *meus, quia non audierunt eum : et erunt vagi in nationibus.* LXX : *Doluit Ephraim radices suas : arefactus est, fructum nequaquam affert : quia et si genuerint, interficiam desiderabilia uteri eorum. Repellet eos Deus, quia non audierunt eum : et* **104** *erunt vagi in nationibus.* Metaphoram sumit ab arbore, cujus si radices aruerint, fructum afferre non poterit, et si paululum fecerit, statim in ipso flore siccabitur. Dicit autem de Ephraim, cujus radix aruit, quia Deum, in quo fundatus erat, perdidit, sive patres suos Abraham, Isaac, et Jacob, in quibus radicem miserat, habere non meruit : et propterea fructum justitiæ non facit; quod et si fecerit, *Interficiam*, inquit, *amantissima uteri ejus*, juxta id quod supra dixerat : *Si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus* : unde et abjecit eos Deus, et fecit ire captivos. Et *erunt vagi in nationibus*. Possumus hoc ipsum et

[a] Eadem rursum verba, *LXX similiter*, supplent nostri mss.

[b] Iterum et tertio addidimus e nostris mss. quæ deerant verba, *Quod et LXX similiter.*

[c] Victorius, *venit* et mox *invenit*, ex Vulgata editione et Græco codice, cui lectioni, inquit, non solum impressa omnia sacrorum codicum exemplaria, sed etiam quæ sunt apud me collata mss. omnia assentiuntur. Sunt autem illa numero quadraginta sex, quorum quindecim Longobardicis characteribus exarata, e monasterio Montis Cassini accepta, annorum sunt non minus noningentorum. Locus est Joan. xiv : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.*

[d] Palatini mss. reticent, *meus*.

de omnibus Judæis dicere quorum quia principes a Deo recesserunt, commoventes populum, ut eum ad mortem expeterent : propterea ejecit eos de domo sua, et non addet, ut ultra diligat eos. Percussit radicem eorum et exsiccavit, et fructum ultra non facient : quod et si fecerint, et visi fuerint Scripturam sanctam, Legemque meditari, et quasi [a] amantissimos filios aliquid scientiæ atque doctrinæ de suo corde protulerint, adversante Domino, succidetur. Abjecit enim eos Deus omnium prophetarum, quia non audierunt eum : et vagi erunt in nationibus, non habentes altare, non sedem, non civitatem propriam. Unde et David loquitur in psalmo : *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei : disperge illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII, 12). Et in alio loco : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine* (*Psal.* V, 12). De hac arbore etiam in Evangelio legimus : *Jam securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matt.* III, 10). Hæreticos fructus facere non posse virtutum, quia Dominum perdiderunt, super quo [*Al.* quod] juxta Apostolum radicati esse debuerant et fundati (*Ephes.* III), nemo dubitet : quod et si fecerint, et aliquos uteri sui fecunditate generarint, Domino adversante, morientur. Sive quia fructus eorum sunt universa quæ fingunt, et de suo corde generant, arefient et peribunt : et erit **105** cunctis perspicuum, siccam radicem fruges afferre non posse. Isti abjicientur, immo abjecti sunt a Deo : quia non audierunt eum dicentem : *Ne transferas terminos quos posuerunt patres tui* (*Deut.* XIX, 14). Et idcirco vagi erunt in nationibus, nunc ad has, non ad illas sententias transeuntes : dum non eis placet, quod semel repererint, sed semper vetera mutant novis, et ethnicorum imitantur errores.

(Cap. X.—Vers. 1.) *Vitis frondosa Israel : fructus adæquatus est ei : secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria : juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* LXX : *Vitis frondosa Israel : fructus abundans in ea : secundum multitudinem fructuum suorum multiplicavit altaria : juxta bona terræ eorum ædificabunt titulos.* Pro *vite frondosa*, Aquila interpretatus est, ἔννυδρον, quam nos *aquosam*, vel [b] ἔξοινον, possumus dicere, eo quod vini perdat saporem : Symmachus [c] ὑλομανοῦσαν, quæ tota in frondibus creverit. Vites quæ putatæ a vinitore non fuerint, in flagella frondesque luxuriant, et humorem quem debuerant in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdunt : istiusmodi vitis damnosa est agricolis. Talis fuit Israel, crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolæ Deo debitos. Dicamus et aliter : Vitis frondosa sive juxta Septuaginta εὐκληματοῦσα, id est, bonas habens propagines, et flagella fructifera, multos botros attulit, et uvarum fecunditas, ramorum magnitudinem coæquavit : sed hæc quæ prius talis erat antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offensæ multitudinem : ut quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria, et abundantiam terræ numero vinceret idolorum. Pro simulacris, Septuaginta verterunt στήλας, quas nos *statuas*, vel *titulos* appellamus, qui proprie dæmonum sunt, aut hominum mortuorum. Ita et hæretici dum essent in Ecclesia plantati, et crescerent in domo Dei, vocabantur vinea Sorec, et afferebant uberrimos fructus : postea vero quanto plures facti sunt, tanto sibi multiplicaverunt altaria, **106** ut pro uno altari quod verum est, plures erroris sui aras exstruerent, et juxta ubertatem terræ suæ exuberaverunt simulacris. Hæreticorum terra fecunda est, qui a Deo acumen sensus et ingenii percipientes, ut bona naturæ in Dei cultum verterent, fecerunt sibi ex his idola. Nullus enim potest hæresim struere, nisi qui ardentis ingenii est, et habet dona naturæ; quæ a Deo artifice sunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctissimos legimus. Talis Bardesanes, cujus etiam philosophi admirantur ingenium. Isti ergo terræ suæ bona verterunt in titulos mortuorum, quia omnis doctrina eorum non ad viventes refertur, sed ad mortuos, tam eos quos colunt, quam illos quos decipiunt.

(Vers. 2.) *Divisum est cor eorum : nunc interibunt : ipse confringet simulacra eorum : depopulabitur aras eorum.* LXX : *Diviserunt corda sua : nunc peribunt : ipse suffodiet altaria eorum : affligentur tituli eorum.* Tradunt Hebræi hujuscemodi fabulam, suspicionem suam Scripturarum auctoritate confirmantes : Quamdiu et reges et populi pariter vitulos aureos adorabant, et habebant in impietate consensum, non venit captivitas. Extremus rex decem tribuum fuit Osee, de quo scriptum est (IV *Reg.* XVII), quod fecerit quidem malum Osee in conspectu Domini, sed non sicut reges Israel, qui fuerunt ante eum, cujus nono anno Salmanasar, rex Assyriorum, cepit populum Israel, et eduxit eos in Assyrios, et habitare fecit juxta flumen Gozan in civitatibus Medorum. Quæritur ergo quare sub pessimis regibus [d] capti non fuerint, sed sub eo qui cœperat ex parte aliqua ad meliora converti? Ad quod hæc inferunt : excusabat se primum populus, et dicebat, Regum paremus imperiis, nec possumus eorum resistere tyrannidi : colimus vitulos quos adorare compellimur. In diebus autem Osee ab eodem rege præceptum est, ne tanto studio

[a] Martian. post Erasmum, *amantissimi filii*, in recto, contradicentibus mss. Pro *succeditur*, paulo post, mss. Florentiæ codd. apud Victor., *succidentur*, quod commode referas ad eos, qui protulerint.

[b] Pro ἔξοινον, quæ vox proprie *temulentum*, *vinoque madidum* sonat, nostri mss. ἐξίτηλον legunt, quod omnino verius puto, ac velim, veteri lectione expuncta, substitui. Significat enim *evanescentem*, *elutum*, sive perdentem alicujus rei saporem. Hocque ipsum est, quod Hieron. notat, dictam ab Aquila vineam aquosam, quæ exolesceret, seu perderet saporem vini.

[c] Vitiose legebatur antea ὑλομένουσαν, quod nostri mss. emendant. Thema est ὑλομανέω, quod *silvescere*, aut *luxuriare* arborum proprie sonat.

[d] In nostris mss., *captivi non fuerint*.

vituli colerentur, sed qui vellet iret in Jerusalem, et in Templo sacrificaret Deo; huic, aiunt, sententiæ populus contradixit. Et hoc est, quod nunc dicit: *divisum est cor eorum*, hoc est, regis et populi, **107** et nulla excusatione remanente, nunc interibunt, et tradentur æternæ captivitati; statim enim ut populus dissensit a rege, venit interitus. Quodque sequitur: *ipse confringet simulacra eorum*, de Deo dicit: *arasque depopulabitur*, non quia Deus ipse propria hoc fecerit manu, sed quod per hostes voluntas ejus expleta sit. Hæreticorum inter se corda divisa, et contrariis repugnare sententiis, etiam ipsi non negant, dum diversa sentiunt. Unde disperdentur, et confringet, sive suffodiet Dominus simulacra, vel altaria eorum, quæ de suo corde finxerunt, et vastabit titulos, quibus singuli suis appellantur nominibus, et vocaverunt nomina sua super terras suas, ut nequaquam Christi Ecclesiæ, sed illius vel illius esse dicantur.

(Vers. 3 et 4.) *Quia nunc dicent, non est rex nobis: non enim timemus Dominum, et rex quid faciet nobis? Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus, et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri.* LXX: *Propterea nunc dicent, non est rex nobis, quia non timuimus Dominum, rex autem quid faciet nobis? Loquens verba, occasiones mendaces: disponet testamentum, orietur sicut gramen judicium super desertum agri.* Postquam confregerit Deus simulacra Israel, et depopulatus fuerit aras, vel statuas eorum, et extrema captivitas venerit, dicent: *Non est rex nobis.* Et ne in longum tempus putent sententiam protelari, addidit: *Nunc dicent*, quando vastabuntur, quando sentient Osee regem ultimum a se esse sublatum: ideo rex ablatus a nobis est, quia non timuimus Dominum verum regem: homo enim rex prodesse quid poterat? Dicite quid vultis, errores veteres suspirate, pollicemini vobis prospera, quæ vertentur in contraria, fœdus ferietis, nequaquam cum Deo, sed cum mendacio. Et post *fœdus*, quod Septuaginta interpretati sunt, *testamentum*, germinabit vobis, non seges fecunda frumenti, non saltem jumentorum cibus, hordeum, non legumina varia, non vites quæ fructus **108** suos in musta desudant, non poma arbores germinabunt, quæ humorem terræ in varios mutant sapores; sed orietur vobis amaritudo, immo amaritudinis judicium, sive ἄγροστις, quam Latine in *gramen* vertimus. Est enim genus herbæ calamo simile, quæ per singula geniculа fruticem sursum et radicem mittit deorsum, rursusque ipsi frutices et virgulta alterius herbæ seminaria sunt, atque ita in brevi tempore si non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium similes facit. Denique etiam si sicca ejus aliqua pars, dummodo geniculum habeat, super cultam terram ceciderit, omnia replet gramine. Hæc diximus juxta LXX interpretes. cæterum in Hebraico ROS (ראש) scriptum habet, quod in amaritudinem vertitur, hoc est, amaritudinis judicium, de quo et Dominus loquitur in Evangelio: *In judicium ego in mundum istum veni* (*Joan.* IX, 39): et de aliis scriptum est, quod *recipiant amplius judicium* (*Marc.* XII). Discipuli quoque contrariorum dogmatum, cum eorum fuerint contrita mendacia, et aræ lucique subversi, sero dicent: Non habemus reges qui nobis prius imperaverant, quibus decipientibus, Dominum non timuimus; quid enim nobis profuit illos sequi, quorum in necessitate non sentimus auxilium? Hæc loquentur quærentes aliquam excusationem, ut non per se, sed per doctores pessimos errasse videantur. Unde et LXX verba eorum, excusationes falsas transtulerunt, quas propheta devitat, dicens: *Ne declines cor meum in verba malitiæ*, ad *excusandas excusationes in peccatis* (*Ps.* CXL, 4). Libenter vitiis nostris applaudimus, et superati voluptatibus, obtendimus carnis infirmitatem, aut dura majorum imperia: unde verba et visiones hæreticorum inutiles erunt. Et ferient fœdus, nequaquam cum Deo, sed cum amaritudine, quæ cum dies judicii advenerit, germinabit super sulcos agri eorum, ut qui seminaverunt in gaudio, metant in lacrymis: qui riserunt, fleant: qui habuerunt consolationem, lugeant.

# *LIBER TERTIUS.*

**109-110** Non ignoro, Pammachi, difficillimum me duodecim Prophetarum opus [*Al.* opusculum] cudere, certe[a] interpretatum Latinis, et quod magis temeritatem nostram possit arguere, quam scientiam prodere. Sed quia tibi hortanti, immo imperanti, negare nihil possumus, et pro offerentium viribus in gazophylacium Dei, multorum divitias duo mulieris pauperis æra superarunt (*Luc.* XXI): quidquid possumus, primum Deo, deinde tibi, qui Dei es, [b] solvimus: illiusque semper versiculi recordamur: *Pollio et ipse facit nova carmina.* Cumque apertum fautorem pro jure amicitiæ esse te gaudeam, tacitum eruditionis tuæ judicium pertimesco: magisque te laudantem, quam adversarios detrahentes metuo. Illis enim æmulatio detrahit fidem, et non tam judices quam accusatores vocandi sunt. Tu autem qui [*Al.* quod]

[a] Malim utique *ininterpretatum* uno verbo rescribi. Quamquam Victorius, *certe interpretatum*, inquit, idem est, quod Græce dicitur, ἀκριβῶς ἡρμηνευμένον, *diligenter interpretatum*. At vero luculenter Hieronymus superioris præfatione libri ad Pammachium: *Sunt*, inquit, *qui audacter nos facere asserant, quod arripuimus opus, quod* NULLUS *ante nos Latinorum tentare ausus est.*

[b] Duo mss., *tibi, qui Dei es pontifex, solvimus.*

diligis, nequaquam personarum, sed rerum promis sententiam : quamquam et amor recipiat errorem, pulchrumque sit illud [a] Θεοφράστου, quod Tullius magis ad sensum, quam ad verbum interpretatus est, τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον, id est, *amantium cæca judicia sunt.* Attamen in istam partem [b] peto magis ut labaris, non odio, sed amore. Tertium in Osee prophetam dictamus librum, et ad vaccas Bethaven usque pervenimus : nobisque interpretationis vela pandentibus, tu debes propheticum illud dicere : *A quatuor ventis cœli veni, spiritus*, ut celeri cursu [c] varios insidiantium scopulos transeuntes, merces Dominicas, ex omni parte sæviente naufragio, ad portus tutissimos perferamus.

(Vers. 5 et 6.) *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit super eum populus ejus : et ædituí ejus super eum exsultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ultori, confusio Ephraim capiet : confundetur Israel in* [Al. *a*] *voluntate sua.* LXX : *Apud vitulum domus* Ὦν *morabuntur qui habitant in Samaria : quia luxit populus ejus super eum. Et sicut irritaverunt illum, gaudebunt super gloria ejus : quia translata est ab eo, et ipsum in Assyrios ligantes, tulerunt munera regi Jarib in domo. Ephraim suscipiet confusionem : confundetur Israel in consilio suo.* Quæ sit Bethaven, pro qua LXX transtulerunt, *domum* Ὦν, et qui sit rex Jarib, qui interpretatur *ultor*, supra plenius disputavimus. In Bethaven igitur, id est, Bethel, vaccas aureas coluerunt habitatores Samariæ, quas cum irrisione non vitulos sexus masculini, sed vaccas, id est, feminas appellavit : ut videlicet Israel non solum deos vitulos, sed deas vaccas coleret. Et ut ostenderet vaccas Bethaven, unum in Bethel vitulum sentiendum, non intulit, luxit super eis populus, sed, *super eo*, id est, vitulo aureo. Si autem luxit populus, quare ædituí ejus super eo exsultaverunt? Tradunt Hebræi vitulos aureos a sacerdotibus **111** [d] furto esse sublatos, et pro his æneos et deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis et angustiæ, etiam vitulos aureos inter munera cætera Assyriis regibus et maxime regi Sennacherib ab Israel rege esse directos, exsultabant ædituí, quod fraus eorum nequaquam posset argui vel deprehendi. Et hoc est quod ait, *ædituí ejus*, id est, vituli, super eo exsultaverunt in gloria populi, hoc est, in vitulo, quem habebant pro gloria ; quia migrasset ab eo, id est, a populo, et translatus esset ad Assyrios. Et ut sciamus, inquiunt, hoc esse quod dicitur, A perspicue sequens versus ostendit : *Siquidem ipse in Assur delatus est, munus regi ultori.* Statimque sequitur : *Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua*, sive, *in consilio suo.* Deprehensa enim fraus deauratorum vitulorum regi Israel litteris indicatur, et unde se placere æstimaverant, inde vel maxime confunduntur, et offendunt eos quibus munera miserant, æstimantes [*Al.* æstimantium] non furto sacerdotum ; sed fraude regum atque consilio hoc esse perfectum. Legimus in Regum volumine, regem Israel Manahen regi Assyriorum Phul mille argenti talenta misisse, ut esset manus ejus cum eo, id est, ut ei præberet auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos esse [e] directos. Pro Jarib in præsenti loco Symmachus interpretatus est B [f] ὑπερμάχοντι, id est *præsuli* et *defensori.* Juxta spiritalem intelligentiam laborandum est, quomodo omnia hæreticis coaptemus. Vaccas Bethaven, sive, domus Ὦν, quod interpretatur *labor*, coluerunt hæretici, qui se in custodia mandatorum Dei, hoc est, Samaria habitare jactabant, dieque judicii quando germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri, lugebit populus super eum, hoc est super vitulum, et super dogma perversum, quod putabat Deum. Sed et ædituí, non dixit, exsultabunt, sed exsultaverunt, ad præteritum tempus referens super gloria sua, qua quondam gloriosa confixerant, eo quod migrasset populus a Deo, sive quod ipsa gloria Dei migrasset a populo, a quo fuerat derelicta. Quidquid autem loquuntur hæretici, et pulchro sermone com- C ponunt, **112** mittunt munera regi suo diabolo, ad illum cuncta referentes, unde confusio eos capiet in æternum, et confundentur in voluntatibus suis. Quidam et supra et in præsenti loco in commentariis suis scriptum reliquit, regem Jarib, id est, ultorem, Christum intelligendum. Quod nobis omnino displicet. Impium enim est quod juxta historiam intelligitur de rege Assyrio, juxta tropologiam ad Christum referri.

(Vers. 7 et 8.) *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ, et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel.* LXX : *Projecit Samaria regem suum sicut cremium super faciem aquæ, et auferentur aræ* Ὦν, *peccata Israel.* Pro *spuma*, quam LXX et Theodotio φρύγανον, id est, *cremium*, transtulerunt *aridas*, [g] scilicet herbas siccaque virgulta, quæ D camino et incendio præparantur, Symmachus posuit ἐπίζεμα, volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, et in spumam bullasque assurgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant. Sicut igitur spuma, quæ

[a] Iidem mss. illud Θεοφράστιον, æque bene.

[b] Brixiana, inquit Victorius, exemplaria legunt : *Attamen in istam partem peccato magis, ut labaris non odio, sed amore :* quæ lectio non displicet. Estque sensus : Cum in aliorum scriptis judicandis odio, vel amore peccare quis magis soleat : tu in istam partem, mea dijudicando, magis peccato, ut labaris non odio, sed amore.

[c] Rectius ferme nostri mss. *avaros*, pro *varios* legunt.

[d] Fabulam hanc narrat Seden-Olam a quo Hieronymus hoc uno abludit, quod Sennacheribo regi fraudem factam tradit : quod Judæi libro illo dicunt Salmanassaro.

[e] Alii mss. *delatos*, alii *derelictos* præferunt.

[f] Quamquam idem est sensus, magis tamen placet Palatinor. codd. lectio ὑπερμαχητῇ.

[g] Ita mss. et Victor. Antea *scilicet* deerat. Leviora infra castigantur.

super aquam est, cito dissolvitur : sic regnum decem tribuum velociter finietur, et peribunt excelsa, id est, BAMOTH (במות), de quibus scriptum est : *Verumtamen adhuc populus immolabat et adolebat in excelsis* (III *Reg.* XXII, 44). Ipsa autem excelsa ὦν sunt, sive AVEN (אוֹן), id est, idoli, quod interpretatur *inutile*, quod idolum et inutile peccatum est Israel. Dissipato autem idolo et excelsis ejus.

(Vers. 9.) *Lappa et tribulus ascendet super aras eorum, et dicent montibus, operite nos, et collibus, cadite super nos.* LXX : *Spinæ et tribuli ascendent super altaria eorum, et dicent montibus, operite nos, et collibus, cadite super nos.* Signum ultimæ solitudinis, ut ne parietes quidem et extrema ædificiorum vestigia relinquantur. Eo tempore, *dicent montibus, operite nos, et collibus, cadite super nos.* Quod Dominus in ultimo tempore captivitatis Judaicæ dicit esse complendum. Quidquid ergo nunc contra decem tribus, sive contra omnem dicitur Israel, sciamus τυπικῶς etiam ad totum populum posse transferri, ut quando Romani ceperint Jerusalem, et subverterint templum, sive cum judicii dies venerit, ut alii suspicantur, **113** dicant magno horrore metuentes, montibus, *operite nos*, et collibus, *cadite super nos*, mori magis optantes quam cernere quæ afferunt mortem. Sed et spiritalis nequitiæ Samaria, quæ se a populo Dei diviserat, fecit regem suum transire velociter, sermonem videlicet hæreticorum, atque doctrinam quasi spumam, sive cremium super faciem aquæ, quorum aliud dum videtur, repente dissolvitur, aliud facile est tollere de aquarum summitatibus, et in ignem mittere. Tales sunt hæretici spumantibus verbis tumentes, et arsura præcepta Christi baptismati ac sermonibus illius commiscentes. Quæ omnia pertransibunt, et verba magnifica in quibus laboraverunt, quod interpretatur ὦν, illico dispergentur, in quibus peccavit Israel : tantaque erit solitudo doctrinæ pessimæ, ut spinæ et tribuli ascendant super aras eorum. Spinas et tribulos ibi nasci, ubi agrorum nulla cultura est, omnibus patet. Istæ spinæ sunt, quæ suffocant sementem, et crescere non sinunt quæ nascuntur in manu temulenti, quas pro uva fecit Israel. Dominus enim exspectavit ut faceret uvas, et fecit spinas, sive labruscam habentem uvæ similitudinem, et amaro gustu vescentium ora torquentem. Ideo cum judicii tempus advenerit, et fuerint cuncta subversa, dicent montibus, quos prius excelsos putabant, et magistris quondam suis, *operite nos* : collibusque, *cadite super nos*. Sed quia in montibus posuit, *operite nos* : et in collibus, *cadite*, sacratius aliquid explanandum est. Montibus, id est, sanctis qui veram habent et non fictam altitudinem, dicent : *operite nos. Beati enim quorum opertæ sunt iniquitates* (*Psal.* XXXI). Et collibus qui non habent altitudinem naturalem, quos dudum putabant habere aliquid summitatis, loquentur : *cadite super nos* : montes enim operient, et colles cadent : hæc autem fient præ pavore et incredibili formidine, per quam et montes et colles humiliabuntur.

(Vers. 9, 10.) *Ex diebus Gabaa peccavit Israel : ibi steterunt. Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis : Juxta desiderium meum corripiam eos : congregabuntur super eos populi, cum corripientur* **114** *super* [a] *duas iniquitates suas.* LXX : *Ex quo colles sunt, peccavit Israel : ibi steterunt : non comprehendit eos in colle bellum super filios iniquitatis : venit ut corriperet* [Al. *corrumperet*] *eos : et congregabuntur super illos populi, quando correpti fuerint in duabus iniquitatibus suis.* Ex eo die quo uxorem Levitæ turpiter atque crudeliter interfecit Benjamin in urbe Gabaa, peccavit mihi omnis Israel (*Judic.* XIX) : non quia ultus est injuriam, et scelus sanguine vindicavit ; sed quia dolore maritali prosilivit ad pugnam, et sacrilegium in Deum suum noluit vindicare : eo quod in domo Michæ ephod et theraphim quæ pro idolis adorabantur, [b] neglexerint. Hic igitur stetit Israel : ibi suum repressit gradum, ne ultra ambularet in viis Domini : idcirco non eos comprehendet propter Gabaa prælium, sive captivitas, sicut ipsi putant : ibi enim bene fecerunt ut persequerentur filios iniquitatis ; sed corripiam, inquit, eos atque erudiam tota animi mei voluntate, et congregabo adversus illos populorum multitudinem, quia duas fecerunt iniquitates, vindicando hominem, et Dei sui injuriam negligendo. Sive duas iniquitates : quia primum peccaverunt in idolis Michæ, secundo in vitulis Jeroboam : vel certe [c] duos vitulos Samariæ in Dan et Bethel, possumus duas iniquitates appellare, de quibus et Jeremias loquitur : *Duo pessima fecit populus meus : dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquas continere* (*Jerem.* II, 13). Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi erupere præcepta, in quibus dicitur : *Ego Dominus Deus tuus : non erunt tibi dii alii absque me* (*Exod.* X, 2, 3). Septuaginta *Gabaa*, *colles* interpretati sunt : A diebus ergo collium peccavit Israel : quando montes Ecclesiæ dereliquit, et ad colles, sive clivos descendit hæreticos : doctiorem se putans quam Ecclesia est, et sublimius aliquid reperisse : *ibi steterunt*, hoc est, in errore perseveraverunt. Quodque sequitur : *Non comprehendet eos in colle prælium*, quidam sic interpretati sunt : quia genuerunt filios iniquitatis, et de Ecclesia recedentes, cœperunt esse in collibus, cum persecutio advenerit, non eos comprehendet prælium, diabolo suos impugnare **115** nolente. Alii ita : Quoniam ex diebus collium peccavit Israel, et ibi stetit et ultra ambulare non potuit : nonne oportet eum in collibus a prælio comprehendi ? Nonne debent pugnare adversus eum viri Ecclesiastici, ut illos destruant super filios iniquitatis ? qui si fuerint comprehensi et superati, ultra generare non poterunt. Simulque Dominus polliceatur, quod corripiat eos atque

[a] Pro *super*, Victor. *propter*, ad Vulgatæ lectionem.

[b] Idem ad Brixianos codd. *neglexerit*, quod idem est.

[c] Unus Palatin., *vel certe duas iniquitates, duos vitulos*, etc., expressius.

erudiat, ut cum superati fuerint magistri, congregentur adversus eos discipuli sui, quos ante deceperant, et videant correptionem propter duas iniquitates, quia et Ecclesiam fontem Domini reliquerunt, et foderunt sibi lacus contritos, speluncas scilicet hæreticorum, qui non possunt aquas, id est, doctrinam Salvatoris et sacramentum baptismi continere.

(Vers. 11.) *Ephraim vitula docta diligere trituram: et ego transivi super pulchritudinem colli ejus, et ascendam super Ephraim: arabit Judas: confringet sibi sulcos Jacob.* LXX: *Ephraim vitula* (sive *vacca*: etenim quod Hebraice dicitur EGLA (עגלה), id est, μόσχος et δάμαλις, utrumque significat), *Ephraim* ergo *vitula edocta diligere contentionem: ego autem veniam super pulchritudinem colli ejus:* [a] *superponam Ephraim, et reticebo Judam: roborabitur sibi Jacob.* Locus iste, immo omnia quæ hoc capitulum sequuntur, magnis obscuritatibus involuta sunt. Unde et nos qui explanare conamur, et prudens simul lector attendat, ut si non veritatem, quod difficillimum est, saltem suspicionem verisimilium investigare valeamus. Hanc habet consuetudinem sermo divinus, ut per tropologiam et metaphoram historiæ exprimat veritatem. Igitur Ephraim similis est vaccæ vel vitulæ, quæ a juventute sua didicit aream terere, et ferreos orbes super acervos segetum trahere, ut paleæ a tritico separentur: et non solum didicit, verum nimia consuetudine cœpit amare, quod docta est. Et ego, inquit, transivi super pulchritudinem colli ejus. Verbum Hebraicum [b] ABARTHI (עברתי), id est, *transivi*, maxime quando a Deo dicitur, semper plagas et adversa significat. Denique et exterminator in Ægypto transisse memoratur. Quia ergo Ephraim vacca vel vitula **116** diligit aream terere, *ego*, inquit, *transivi super pulchritudinem colli ejus*, et tumentes cervicum toros jugo imposito edomui. Quid memorem Legis jugum? ipse ascendi super eam, et me ita laborante, Judas, hoc est, duæ tribus cœperunt arva scindere vomere, et in sulcos terram reclinare. Portante autem jugum Ephraim, et arante Juda, confregit sibi sulcos Jacob. Hic Jacob ad distinctionem Israel et Judæ, duodecim tribus intelligamus: quod cœperint aratris [*Al.* rastris] glebas frangere, terramque comminuere: ut emollita recipiat sementem, et fecunda post modicum seges pullulet. Pro *tritura*, vel *area*, *contentionem* Septuaginta transtulerunt, et est sensus: Quia Ephraim non vult Legis recipere jugum, ego transibo et ascendam super pulchritudinem colli ejus: ut discat contentiosa vacca atque lasciviens laborare, quod non vult. Judas autem arabit sponte sua: quia habet templum, et moratur in lege, ut tota certatim duodecim tribus arva præparent ad serendum. Quodque sequitur juxta eosdem Septuaginta: *Superponam Ephraim: et reticebo Judam, roborabitur sibi Jacob,* hic esse sensus potest: Ephraim qui contentiosus est et non vult Legis onera portare, imponam captivitatem. Judam autem parumper relinquam, et nihil loquar de eo: quicumque autem tam de Ephraim, quam de Juda mea præcepta servaverit, roborabitur sibi et vocabitur Jacob. Secundum ἀναγωγήν hoc dici potest, quod Ephraim qui eruditus fuit in lege Dei, ut tereret aream Scripturarum, et meditaretur in ea die ac nocte, cœpit diligere contentionem et jugum Legis abjicere, et contendere contra Ecclesiasticos in subversionem audientium. Unde Dominus elevatam cervicem et sibi sublimia promittentem, vel jugo premet, vel ipse transiens calcabit pedibus suis, et ascendet super eum, ut sciat se habere Dominum. Judas autem, hoc est, Ecclesiasticus arabit, in cœpto opere perseverans. Sive: *Retinebo*, inquit, *Judam. Non* enim *sani indigent medico, sed qui male habent* (*Luc.* v). Jacob vero qui interpretatur *supplantator*, et quotidie supplantat vitia atque peccata, et accipit primitiva fratris sui, et hæres paternæ **117** possessionis est, et dormit in Bethel, quod interpretatur *domus Dei*, sulcos glebasque confringet, ut molli sinu jactatam sementem terra suscipiat, et faciat centum modios hordei, sive, ut habetur in Hebræo, centuplum. Neque enim credendum est quod patriarcha Isaac hordeo studuerit, et non frumento. Usque hodie vir Ecclesiasticus Jacob glebas historiæ et litteræ duritiam confringit in partes, et spiritaliter dividit, ut possint fruges reddere spiritales. Quod quidem et Dominum fecisse legimus, ut quinque Legis panes, quos integros populus comedere non poterat, in frusta concerperet: ut per apostolorum manus vescendos credentibus daret (*Luc* IX). Quod autem dicit juxta Septuaginta, *roborabitur sibi Jacob*, ostendit sibi omnem laborantem laborare, ut fructus capiat sempiternos.

(Vers. 12.) *Seminate vobis in justitia, metite in ore misericordiæ. Innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.* LXX: *Seminate vobis in justitia, vindemiate* [c] *fructum vitæ: illuminate vobis lumen scientiæ, quoniam est tempus: quærite Dominum, donec veniant fruges justitiæ vobis.* Servat ab agricolis semel cœptam translationem. Dixerat Ephraim vitulam edoctam trituram areæ amare ac diligere, et se ascendisse super collum ejus, et arasse Judam, et confregisse sulcos, sive glebas Jacob. Nunc præcipit ut seminent sibi per pœnitentiam, et seminent in justitia, id est, in Lege, metantque in misericordia, id est, in gratia Evangelii. Ibi enim: *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI): hic legimus: *Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram* (*Matt.* V, 39). Cumque seminaveritis in justitia, et messueritis in misericordia, innovate vobis læta novalia. Redditque causas cur seminent, cur metant, cur innovent læta

[a] Legimus ex nostris mss. *superponam*, juxta Græcum ἐπιβήσω, vel ἐπιθήσω, ipsumque Hieronymum inferius, ubi locum hunc replicat. Antea erat *supponam*.

[b] Iidem mss. aspirant, *Habarthi*.

[c] Interserunt Palatini mss. *vobis*, hic atque inferius, ubi iste recurrit locus: estque revera et in Græco Alexandrino codice ἑαυτοῖς.

novalia. *Tempus*, inquit, *requirendi Dominum est*, *cum venerit*, Christus atque Salvator, *qui docebit vos justitiam*, quam nunc speratis in Lege : *Finis enim Legis Christus est ad justitiam omni operanti bonum* (*Rom.* x). Pro eo quod nos diximus, *metite in ore misericordiæ*, Septuaginta transtulerunt, *vindemiate fructum vitæ :* magisque semini convenit messio, quam vindemia : fructus autem vitæ ipse est, qui et lignum vitæ. Et **118** pro eo quod nos posuimus, *innovate vobis novale*, illi verterunt, *illuminate vobis lumen scientiæ*, ut ex operibus atque mandatis Legis notitiam habere mereamur, juxta illud quod in quodam libro legimus : *Desiderasti sapientiam : serva mandata, et Dominus dabit eam tibi* (*Eccli.* I, 33). Qui enim mandata in opera verterit, seminat in justitia, et metet ex ea fructus vitæ. Unde et alibi legimus : *Mandatum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9). Et Isaias ad Dominum dicit : *Lux præcepta tua super terram.* Et in alio loco : *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII). His quoque, qui ab Ecclesia separati sunt, et falsum sibi Christianorum nomen assumunt, præcipitur ut agant pœnitentiam, et utrumque recipiant Testamentum : in Veteri justitiam seminent, in Novo metant misericordiam : et illuminent sibi lumen scientiæ, sive innovent sibi novalia, et requirant Dominum, qui docere eos potest veram justitiam, falsosque magistros destruant, a quibus non discunt justitiam, sed iniquitatem.

(Vers. 13.) *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis : comedistis frugem mendacii.* LXX : *Quid reticetis impietates, et iniquitates ejus vindemiastis : comedistis fructum mendacem.* Cogor contra voluntatem meam sæpius de Hebrææ linguæ proprietatibus disputare : neque enim rhetorum more sententias repetimus, verba construimus, et audientes vel legentes in laudes nostras declamationibus suscitamus : sed quæ obscura sunt, maxime alienæ linguæ hominibus explanare nitimur. Supra ubi nos interpretati sumus, *arabit Judas*, in Hebraico legitur JEROS (יהרוש) per JOD primam litteram, quam Septuaginta VAU (והרוש) putantes, interpretati sunt, *et tacebo.* Nunc quoque in Hebræo scriptum est ARASTHEM, (הרשתם) quod nos vertimus, *arastis* : pro quo Septuaginta transtulerunt, *quid reticetis :* simili errore quo supra, *silentium* pro *aratione* interpretantes. Est autem sensus iste dictorum : Super collum vitulæ Ephraim contentiosæ amantisque trituram ego transivi, et ego ascendi, ut, arante Juda, et confringente sulcos, Jacob tereret aream, et solis ferret calorem. Monuique eos ut seminarent in justitia, et meterent in misericordia, et facerent sibi novalia : tempusque requirendi Dominum illud esse **119** cognoscerent, quo venturus est qui docebit nos justitiam. Me hæc jubente, et volente de lætis novalibus fructus justitiæ ac misericordiæ accipere, araverunt mpietatem, qua egerunt impie contra Dominum, relinquentes Creatorem, et colentes idola, et messuerunt iniquitatem, de malo semine malas fruges recipientes, de quibus fecerunt non solum panem subcinericium, sed fraudulentum atque mendacem, qui vana spe deciperet comedentem. Istiusmodi sunt hæretici, qui arant sermone composito, et protegunt vel tacent impietatem : ne impietas esse videatur, sed credatur pietas. Unde quia dixerunt in corde suo, non est Deus (*Psal.* XIII), corrupti sunt et abominabiles facti sunt, et messuerunt, sive vindemiaverunt iniquitates. Quomodo enim radix omnium malorum est avaritia (I *Tim.* VI) : sic peccatorum scelerumque cunctorum radix est impietas, quam qui araverit, sive seminaverit, metet iniquitates. Qui igitur araverunt impietatem, et messuerunt iniquitates, comederunt fructum mendacii : omnia quæ falsa sunt deceptis populis prædicantes, ut non quærant panem verum, qui de cœlo descendit : sed panem mendacii, qui suffocat et interficit devorantes.

(Vers. 14 et 15.) *Quia confisus es in viis tuis : in multitudine fortium tuorum consurget tumultus in populo tuo, et omnes munitiones tuæ vastabuntur : sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui vindicavit* [Vulgat. *judicavit*] *Baal in die prælii, matre super filios allisa, sic fecit vobis Bethel a facie malitiæ nequitiarum vestrarum.* LXX : *Quia sperasti in curribus tuis, in multitudine fortitudinis tuæ, consurget perditio in populo tuo, et omnia murata tua abibunt ; sicut principes Salmana de domo Jerobaal in diebus belli, matrem super filios alliserunt, sic faciam vobis, domus Israel, a facie malitiarum* **120** *vestrarum.* Ideo [a] comedistis frugem mendacii, et in cunctis quæ proposuistis, spes vos vana decepit ; quia confisus es, o Ephraim, in viis idololatriæ tuæ : hæ sunt enim viæ tuæ, et in multitudine fortium tuorum, non in Deo habens spem, sed in exercitus robore. Itaque consurget tumultus in populo tuo, quod Hebraice dicitur, SAON (שאון), id est, *sonitus* et *fremitus* ululantis exercitus, quibus clamantibus, omnes munitiones tuæ vastabuntur, et ea quæ munita arbitrabaris et tuta, patebunt hostibus, et sic vastabuntur, quomodo vastatus est atque contritus Salmana princeps Madianitarum, qui interfectus est a domo Jerobaal (*Judic.* VIII). Haud dubium quin Gedeonem significet, qui ex eo quod destruxit fanum Baal, lucumque succidit, et ille se vindicare non potuit, cognomentum *Jerobaal* sortitus est, id est, *ulciscatur se Baal ;* ut quomodo Salmana interfecit filios coram matribus suis, ipsis quoque matribus deinceps interfectis : sic et filii tui, o Ephraim, te præsente interficiantur [*Al.* interficientur], qui et ipse trucidandus es. Quærimus, ubi scriptum sit, quod Salmana matrem super filiis occiderit : legimus in Judicum libro loquente Gedeone ad principem Madian [b] : *Quomodo absque liberis fecit gladius tuus multas matres, ita sine filiis erit inter mulieres mater tua* (*Judic.* VIII). Sicut

[a] Sic fermé elegantius mss. Antea erat *comedetis.*
[b] Victorius ait : Hæc non Gedeonis ad Salmana, sed Samuelis ad Agag verba sunt, ut constat II Reg. XV. Gedeonis autem et Salmana historia scribitur Judicum octavo capite : in quo hoc tantum proditur quod a Salmana occisi fuerint in Thabor fratres Ge-

igitur vastatus est Salmana ab Jerobaal, quem male quidam arbitrantur Jeroboam filium Nabath, qui decem tribubus præfuit, et vastatus est, ut in Hebræo continetur, ab ARBEL (ארבאל), id ipsum significante, quod et *Jerobaal*, sed breviori disertioque sermone : sic fecit vobis, o Israel, a facie malitiarum vestrarum Bethel, in qua vitulum aureum posuistis, et estis venerati Ægyptios deos. Pro *Bethel*, quod interpretatur *domus Dei*, LXX transtulerunt *domus Israel*, **121** quod in Hebræo penitus non habetur. Evasimus utcumque de confragosis locis : nunc in altum vela tendentes, allegoriæ pelagus transeamus. *Quia confisus es*, o Ephraim, *in viis*, sive, *in curribus tuis*, de quibus scriptum est : *Hi in curribus et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur* (*Psal.* xix, 8) : et confisus es in multitudine fortium tuorum, quos tibi falsa scientia roborasti : ideo consurget tumultus et sonitus in populo tuo. Quidquid enim loquuntur hæretici, non habent vocem sententias explicantem, sed tumultum clamoremque et sonitum. *Et omnes munitiones tuæ*, sive quæ murata sunt, *vastabuntur* (non enim testimoniis Scripturarum, sed arte dialectica, et argumentis philosophorum munita sunt atque constructa) *sicut vastatus est quondam Salmana* a Gedeone, matre super filiis interfecta. Cujus historiæ et octogesimus secundus psalmus meminit : ubi inter cæteros duces Madian etiam Salmana fuisse commemorat, dicens : *Fac eis, Domine*, haud dubium quin eos significet qui contra Dominum inierunt pactum sive testamentum, *sicut Madian et Sisaræ* (*Ps.* lxxxii, 12, 13). Et post reliqua : *Pone*, inquit, *principes eorum sicut Oreb et Zeb, et Sebee, et Salmana, omnes principes eorum qui dixerant : hæreditate possidemus sanctuarium Dei.* Et in hoc eodem psalmo duces hæreticorum describuntur, qui altare Dei sibi vindicare conati sunt. Quodque sequitur : *Sicut fecit vobis, Bethel, a facie malitiæ nequitiarum vestrarum*, proprie hæreticorum principibus coaptatur, quod eis fecerit Bethel quam ipsi vocant Bethel, hoc est, *domum Dei*, et falsam Ecclesiam ; ut sit sensus : Sic vobis faciet Ecclesia vestra quam vocatis domum Dei : cæterum ex quo a vobis tenetur, appellanda est Bethaven, id est, *domus idoli*, propter multitudinem malitiarum vestrarum. deonis uterini : propterea que Gedeonem ad eum dixisse : *Vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem*. Veram tamen fuisse historiam, quam Hieronymus prodit, negari non potest, asseverante illam Osee propheta hic, dum ait : *Sicut vastatus est Salmana a domo ejus, qui vindicavit Baal in die prælii, matre super filios allisa.* Sicut enim in libro Judicum uterinos Gedeonis fratres occisos, ita hic una cum illis matrem quoque necatam a Salmana scribitur. Nec refert quod in libro Judicum hujusmodi verba non recenseantur, quando alioqui tunc dicta ex utroque loco, Samuelis exemplo Hieronymus conjicit. Jungit enim ipse sæpius testimonia, et ex diversis locis unam contexit historiam. Constat hoc Zachariæ capite undecimo, ubi ea Prophetæ verba : *Non pascam vos*, veluti ad Moysen dicta interpretatur, dum scribit : *Quamobrem indignatus dixi ad Moysen : non pascam vos, dimitte me, et disperdam*

(Cap. XI. — Vers. 1 et 2.) *Sicut mane* [a] *transiit, pertransit rex Israel : quia puer Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum : vocaverunt eos : sic abierunt a facie eorum : Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant.* LXX : *Mane projecti sunt, projectus est rex Israel, quia parvulus Israel, et ego dilexi eum, et ex Ægypto vocavi* **122** *filios suos. Sicut vocavi eos, ita abierunt a facie mea ipsi : Baalim immolabant, et sculptilibus adolebant* [b]. Diversis figuris eumdem explicat sensum. Qui supra dixerat : *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ ;* eo quod spuma et bullæ in aquarum summitatibus natantes celeriter dissolvantur : nunc eamdem rem sub alia ponit similitudine. Sicut enim ortus auroræ et diluculum et principium diei, quod appellatur mane, inter noctis solisque viciniam transit celeriter ; ita ut finiatur nox et clarescat dies : sic rex Israel, id est, decem tribuum velociter transiet. Exponitque beneficia quæ in ipsum contulerit Deus. Dum, inquit, esset puer et parvulus, et captus in Ægypto teneretur, intantum eum dilexi, ut mitterem servum meum Moysen, et ex Ægypto vocarem filium meum, de quo dixi in alio loco : *Filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* iv). Et quia Israel singulariter quidem dicitur, sed pluraliter intelligitur : quomodo et populus et Ephraim et Judas : siquidem in numero singulari multus est numerus, qui hoc numero continetur, veteris recordatur historiæ, quod vocaverit quidem eos per Moysen et Aaron, qui vocaverunt eos, ut egrederentur de Ægypto : ipsi vero vocati ab eis recesserunt a facie eorum, vertentes ei terga, et mentis duritiam gestu corporis indicantes. Nec eis suffecit vocantes contemnere, nisi immolarent Baal et sculptilibus suis, sive simulacris adolerent incensum. Adorasse eos Baal primum sub Achab rege Israel legimus, qui Sidonii regis filiam Jezabel duxit uxorem, et Babylonium ac Phœnicis idolum transtulit in Samariam. Ergo distantia peccata temporibus, uno sermone conjungit : quomodo primum vocati sint de Ægypto et appellati filii, deinde in solitudine recesserint a Deo, Beelphegor magis colentes, quam Deum, et postea in terra sancta Baalim et Astaroth, et cæteris idolis servierint. Et transire hæreticos instar diluculi, et regem eorum diabolum, vel hæresiarcham intelli*eos*. Et paulo inferius scripta ab Isaia, veluti in eremo ad populum dicta sint, prodit in hæc verba : *Quibus et in eremo locutus sum : Si audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis.* Hæc enim verba non nisi Isaiæ primo capite reperiuntur : Sic Paulus Apostolus Rom. ix, ex Genesi et Malachia connectens testimonium, veluti unius loci illud sit, ponit, dum ait : *Quin major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sic Marcus cap. i, Malachiæ et Isaiæ testimonia jungens, Isaiæ tantum, non etiam Malachiæ nomen apponit. Itaque toto aberrant cœlo, qui hic memoria lapsum D. Hieronymum putant.

[a] Victor. *transit*, ex Vulgata et subnexa Hieronymi expositione. Sed et *pertransiit* continuo legendum erat ex eadem Vulgata : ut et duo præferunt Palatini codd.

[b] Addunt mss. duo Palatini *incensum*.

gimus, quos in infantia (quando crediderunt in Ecclesia, et erant parvuli, et Christi nomine censebantur) dilexit eos Deus, et vocavit 123 illos de tribulatione et tenebris Ægypti. Vocavit autem per apostolos et doctores Ecclesiæ. Cumque a meis, inquit, ducibus sint vocati, recesserunt a facie eorum, et adoraverunt Baalphegor, hoc est, suis vitiis et libidini servierunt, et postea immolabant Baalim et simulacris, quæ sibi conflaxerant. Singuli enim hæreticorum habent deos suos, et quodcumque simulaverint, quasi sculptile colunt [*Al.* ponunt] atque conflatile. Pro eo quod nos diximus : *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II), Septuaginta transtulerunt : *Ex Ægypto vocavi filios ejus*, quod in Hebraico non habetur : nullique dubium est, Matthæum de hoc loco sumpsisse testimonium juxta Hebraicam veritatem. Ergo qui detrahunt nostræ translationi, [a] dent Scripturam, de qua Evangelista hoc testimonium sumpserit, et interpretatus sit in Domino Salvatore, quando de Ægypto reductus est in terram Israel. Et cum invenire non quiverint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare. Hunc locum in septimo volumine Julianus Augustus quod adversum nos, id est, Christianos evomuit, calumniatur, et dicit : quod de Israel scriptum est, Matthæus evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breviter respondebimus : Primum Matthæum Evangelium Hebræis [b] litteris edidisse, quod non poterant legere nisi hi qui ex Hebræis erant. Ergo non propterea fecit, ut illuderet ethnicis. Sin autem Hebræis illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit : stultus, si apertum finxit mendacium ; imperitus, si non intellexit, de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter ordinateque compositum est : imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam Legis habuisse cognoscimus. Superest ut illud dicamus quod ea quæ τυπικῶς præcedunt in aliis, juxta veritatem et adimpletionem referantur ad Christum ; quod Apostolum in duobus montibus Sina et Sion, et in Sara et Agar fecisse cognovimus. 124 Neque enim non est Sina mons, et non est Sion : non fuit Sara, et non fuit Agar ; quia hæc apostolus Paulus ad duo retulit Testamenta (*Gal.* IV). Sic igitur hoc quod scriptum est : *Parvulus Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum*, dicitur quidem de populo Israel, qui vocatur ex Ægypto, qui diligitur, qui eo tempore post errorem idololatriæ quasi infans et parvulus est vocatus : sed perfecte refertur ad Christum. Nam et Isaac in typo Christi fuit quod futuræ mortis ligna sibi ipse portaverit (*Genes.* XXII) : et Jacob quia Liam dolentem oculos, et Rachel pulchram habuerit uxorem (*Gen.* XXIX). In Lia quæ major erat, cæcitatem intelligimus Synagogæ, in Rachel pulchritudinem Ecclesiæ : et tamen qui ex parte typi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia quæ fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat : quod si totum præcedat in typo, jam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est. Hæc breviter ut in Commentariis diximus : nunc ad reliqua recurramus.

(Vers. 3, 4.) *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur.* LXX : *Et ego colligavi* [Al. *collocavi*] *Ephraim, suscepi eum super brachium meum ; et non cognoverunt ut sanarem illos in corruptione hominum : extendi eos in vinculis charitatis meæ. Et ero illis, quasi dans alapas homo super maxillas ejus : et respiciam ad eum prævalens ei.* Multum inter se Hebraicum et Septuaginta interpretum editio dissonant. Tentemus igitur juxta Hebræos historiam ; juxta LXX, ἀναγωγήν texere. Qui supra dixerat : *puer Israel et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum ;* et postea intulit quod perpetraverit nefas, *Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant*, nunc narrat quo Israel amore dilexerit, secundum illud quod in Deuteronomio legitur : *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulasti, donec venires ad locum istum* (*Deut.* I, 31). 125 Et in alio loco : *Expandit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis* (*Ibid.* XXXII, 11). Ego, inquit, qui pater eram, nutritius factus sum, et parvulum meum in ulnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, et ne vel æstu vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna (*Exod.* XIII) : ut quos protexeram, meo illustrarem et sanarem lumine, cumque peccassent, et fecissent sibi vituli caput, dedi locum pœnitentiæ, et ignoraverunt quod curarem eos, et vulnus idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, et pristinæ redderem sanitati. Curavi autem eos propter funiculos et vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Isaac, et Jacob astrinxeram. Pro *Adam* enim Aquila et Symmachus et Septuaginta et Theodotio, [c] *homines* transtulerunt : ut dicerent, *in funiculis hominum traham eos, in vinculis charitatis.* Quodque sequitur : *Ero eis quasi exaltans jugum*, pro quo interpretatus est Symmachus : *et putaverunt quod imponerem jugum super maxillam eorum*, dupliciter accipitur : aut abstuli ab eis jugum cunctarum per circuitum nationum : aut Legem meam quasi gravissimum jugi

[a] Mendose hactenus obtinuit, *videant Scripturam*, neque enim aut ipse locum innuit Hieronymus, aut ut scrutentur de Scripturis, auctor est ; sed æmulos provocat, si sciunt, ut digito locum notent. Frequens est S. Doctori isthæc provocandi formula : *Dent Scripturam : indicent locum.* Nos ad mss. fidem correximus, e quibus alter Palatinus etiam pro verbis, *de qua Evangelista* repetit, *dentque unde Evangelista.* Mox quoque *sit* reposuimus pro *est.*

[b] Propius tamen ad fidem est, Græcis fuisse litteris ab ipso Evangelista conscriptum. Vide quæ hac de re notavimus ad Catalog. cap. 3.

[c] Duo Palatini mss., *universi homines.*

pondus arbitrati sunt. Et dedi eis escam manna in deserto (*Exod.* XVI), quo vescerentur, hoc est enim, quod ait, *declinavi ad eum, ut vesceretur* : pro quo interpretatus est Symmachus, *et declinavi ad eum cibos*. Non quod Deus ad eum declinaverit, sed quod cibum mannæ ad eum fecerit declinare. Aliter : Intantum dilexi eos, et tam clemens pastor fui, ut morbidam ovem humeris meis ipse portarem (*Luc.* XV) : ipsi vero ignoraverunt quod mea illos passione curarem : et qui amator sum omnium hominum, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis, juxta illud quod in Evangelio scriptum est : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Et arbitrati sunt jugum meum leve, esse gravissimum : et declinavi ad eos deserens regna cœlorum, ut cum eis [a] vescerer, assumpta forma hominis, sive dedi eis esum Corporis mei : ipse et cibus et conviva. Transeamus ad intelligentiam spiritualem, juxta Septuaginta duntaxat interpretes : ne si utrumque et secundum historiam, et **126** secundum ἀναγωγὴν voluerimus exponere, tendamus libri magnitudinem. Illis immolantibus Baalim quæ de suo corde finxerunt, et me vocante, fugientibus a facie mea (ita enim in Septuaginta continetur), ego clementissimus Dominus ligabam pedes Ephraim, ne a me longius fugerent : hoc enim significat συνεπόδισα. Ligabam [b] autem testimoniis Scripturarum, et disputatione magistrorum Ecclesiæ, ut ligatos per patientiam suis brachiis contineret, non intelligentes quod patientia Dei salutis eorum esset occasio. Unde in corruptione hominum, videlicet magistrorum, qui eos deceperant contractos perfidiæ frigore, extendi calorem fidei, et quasi repugnantes vinculis meæ dilectionis astrinxi. Et quia non sua sponte currebant, sed vincti funibus trahebantur, paululum maxillas eorum alapis verberavi, non puniens; sed corrigens et emendans. Judex lacerat carnes, torquet funiculis, flagellis atque ignibus cruciat. Qui autem pater est, lascivientem filium palma percutit manus [*Al.* manu]. Et pulchre non dixit, ero eos alapis verberans, sed quasi homo maxillas manu percutiens. Percutit autem Deus filios aberrantes comminatione pœnarum, Evangelica lectione, et testimoniis prophetarum. Cumque sic percusserit in maxilla, ut hæreticorum panem atque doctrinam excutiat de ore polluto : tunc respicit ad eum, dicente sibi filio verberato : *Respice in me, et miserere mei* (*Psal.* LXXXV, 16). Et iterum : *Respice et exaudi me, Domine Deus meus* (*Psal.* XII, 4). Cumque eo respexerit, prævalebit, sive proderit eis, id est, superabit adversarios, et de fugitivis servos faciet. Sive dabit eis verum et dulcem cibum, qui prius hæreticorum mendacia et cibos amarissimos devorabant.

(Vers. 5, 6 et 7.) *Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse* [Vulg. addit *est*] *rex ejus, quoniam noluerunt converti. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus : et comedet capita eorum, et populus meus pendebit ad reditum meum. Jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.* LXX : *Habitabit Ephraim in Ægypto, et Assur ipse rex ejus : quia noluit converti. Et infirmatus est gladius in civitatibus ejus, et requievit* **127** *in manibus illius, et comedent de cogitationibus suis : et populus ejus suspensus est ex incolatu suo, et Deus super pretiosa ejus irascetur, et non exaltabit eum.* Quando dicit : *non revertetur in terram Ægypti*, ostendit quod reverti cupiat, sed ire non possit. Reverti autem cupiebat Israel ab Ægyptiis auxilium efflagitans; sed possessus est ab Assyrio, qui cepit eum, et dominatus est illius jure victoris, et hoc passus est, quia converti noluit, nec agere pœnitentiam. Vel certe dicamus, quod reversus sit in terram Ægypti, quando Ægyptios in terra sancta adoravit deos, vel illo sensu accipiendum, quo supra dictum est : *Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.* Cœpit itaque gladius in civitatibus ejus, sive *irruet*, ut interpretatus est Aquila, aut *vulnerabit*, ut Symmachus transtulit. Et vide quantum pondus sit miseriarum, ut non agri vel possessiones ac rura vastentur; sed medias civitates hostis introeat, et consumat electos ejus, sive *brachia* illius, ut interpretatus est Symmachus, quod Hebraice dicitur BADDAU (בדו). Cumque consumpserit gladius electos, et principes, sive robur exercitus, et devoraverit vel capita vel consilia eorum, ut non possint aliquod invenire præsidium, tunc plebs miserabilis quæ ad me reverti noluit, meum ad se reditum præstolabitur. Et sero aget pœnitentiam, hostibus cuncta vastantibus. Itaque quia peccata grandia grandibus sunt punienda suppliciis, imponent eis qui derelicti fuerint de populo (rege eorum ac principibus Assyrio mucrone truncatis) jugum gravissimum servitutis, et imponent pariter quod non auferetur juxta litteram, nisi spiritualiter tollatur in Christo. Juxta Septuaginta [c] habitabit Ephraim in Ægypto, terram sanctam se habere dicens, et Ecclesiam Domini Salvatoris; sed vitiis atque peccatis et perversitate fidei semper in Ægypto commoratus est. Quia igitur habitavit in Ægypto, sensus magnus Assyrius erit rex ejus : noluit enim reverti ad Ecclesiam, et virtute perdita, id est, Christo, qui est Dei virtus et Dei sapientia, semper in languore versatus est, et infirmus fuit, cunctis dæmonibus ac perturbationibus subjacens; idcirco gladius, **128** hoc est, scientia spiritualis, vel sermo Ecclesiastici viri, vastans atque debellans semper versabitur in urbibus ejus, quas impie exstruxit

[a] Iidem mss., *cum eis versarer* : et corruptius paulo post, *dedi eis optime sensum corporis mei*, etc.

[b] Corrigit Victor. *Ligabat* ex quatuor Florentiæ codicibus, mutari sentiens personam. Nostri vero mss. non suffragantur. Tantum pro *patientiam*, quod bis paulo post nomen recurrit, legunt *potentiam*, et inferius *attraxi* pro *astrinxi*.

[c] Rursum Victorius ex Florentinis codd. emendat *habitavit* juxta Græcum κατῴκησεν : itemque inducit copulam *et* in hunc modum, *terram sanctam habere se dicens Ecclesiam Domini Salvatoris*.

contra Dominum, et ipse gladius requiescet in manibus ejus, ut occisus ab alio, alium non possit occidere, nec contra adversarium levare manum. Denique recipient, et vorabunt secundum consilia sua. Infelix autem populus et vulgus indoctum suspirabit antiquam patriam, et captum se esse sentiet, sive pendebit in incolatu suo, nesciens quid agat, et quo vertatur ignorans. Deus vero super pretiosa eorum, aurum videlicet et argentum quæ acceperant ab eo, de quibus sæpe diximus, irascetur, et nequaquam liberabit eum qui suo vitio corruit. Hoc juxta LXX; eumdem autem sensum et Hebraico coaptabimus.

(Vers. 8 et 9.) *Quomodo dabo te, Ephraim : protegam te, Israel? quomodo dabo te sicut Adama : ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum : pariter conturbata est pœnitudo mea. Non faciam furorem iræ meæ : non convertar, ut disperdam Ephraim : quoniam Deus ego sum* [Vulg. tacet *sum*] *et non homo : in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.* LXX : *Quid faciam tibi, Ephraim : protegam te, Israel? Quid faciam tibi? sicut Adama ponam te, et sicut Seboim : conversum est cor meum* [a] *in ipso : simul conturbata est pœnitudo mea. Non faciam juxta iram furoris mei. Non derelinquam ut deleatur Ephraim : quoniam Deus ego sum, et non homo : in te sanctus : et non ingrediar civitatem.* In eo loco ubi nos et LXX interpretati sumus : *protegam te, Israel?* in Hebraico scriptum est AMAGGENACH (אמגנך) quod Aquila transtulit, ὅπλῳ κυκλώσω σε, id est, *scuto circumdabo te.* Quod cum in bonam partem putaremus intelligi, et significare protectionem, ex editione Symmachi contrarius nobis sensus subjicitur, dicentis, ἐκδώσω σε, id est, *tradam te.* Ex translatione quoque Theodotionis non prospera, sed adversa demonstrantur : ἀφοπλίσω σε quod significat, *nudabo te,* et auferam a te ὅπλον, hoc est, *scutum*, quo te ante protexeram : et hic sensus magis convenit Domino comminanti. Quod igitur dicit, hoc est : quoniam noluerunt converti, et Assur factus est rex eorum, devorabit gladius et urbes et **129** principes et populum, et imponetur eis jugum, quod non auferetur ab eis : et quia videbatur dura sententia, nequaquam eis locum pœnitentiæ derelinquens, nunc Deus parentis ad Israel loquitur affectu : *Quid tibi faciam, Ephraim?* quomodo te meo auxilio denudabo? quid tibi faciam? qua te arte corripiam? quo potero sanare medicamine? Sicut Adama et Seboim ponam te, quæ duæ sunt quinque urbium, sicut in Genesi legimus : *Sodoma et Gomorrha, Adama, et Seboim et Bale, quæ est Segor,* et Syro sermone *Zoara* dicitur. Ponam itaque et vertam te in solitudinem, et delebo usque ad cineres ac favillas, sicut delevi Adama et Seboim. Cumque duram, immo crudelem sententiam protulisset, rursum parentis affectu misericordia vincitur, et austeritatem judicii pietate mitigat patris. Dicit enim : *Conversum est in me cor meum : pariter conturbata est pœnitudo mea.* Statim ut locutus sum, me Ephraim et Israel sicut Adama Seboimque positurum, mea commota sunt viscera. Pœnituit me meum quondam populum delere in perpetuum : idcirco non faciam secundum furorem iracundiæ meæ, nec de mea clementia commutabor, ut disperdam Ephraim : non enim percutio ut perdam in perpetuum; sed ut emendem. Crudelitas mea pœnitentiæ et pietatis occasio est : *Deus* enim *ego sum, et non homo.* Homo ad hoc punit ut perdat, Deus ad hoc corripit ut emendet. *In medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem,* hoc est, non sum unus de his, qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam, quibus jus summum summa malitia est; mea autem lex meaque justitia est salvare correctos. Possumus et aliter dicere : quia primus Cain parricida exstruxit civitatem in nomine filii sui Enoch, in hujuscemodi urbem Dominus non ingreditur, quæ ex scelere et sanguine et parricidio fabricata est. Sin autem voluerimus legere, *quomodo dabo te, Ephraim, protegam te, Israel?* Sic intelligendum est : Quid tibi faciam? num protectione dignus es, qui tanta fecisti? Notandum quoque quod ubi contra Judam dicitur, id est, populum Dei, non Adama ponitur et Seboim, sed Sodoma et Gomorrha. Legimus enim in Isaia : *Audite legem Dei,* **130** *principes Sodomorum : attendite verbum Domini, populus Gomorrhæ* (*Isai.* I, 10). In Evangelio quoque civitas, quæ et apostolos non receperit, excutientibus eis pulverem pedum suorum, dicitur de ea, quod in die judicii tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ, quam civitati illi (*Mat.* X). Et ad Jerusalem prophetalis sermo dirigitur : *Justificata est Sodoma ex te* (*Ezech.* XVI). Datur ergo nobis suspicio, quod Sodoma et Gomorrha principes fuerint in peccato, et Adama et Seboim earum exempla sectatæ sint, quod potentes potenter tormenta patiantur (*Sapien.* VI) : et servus qui scit voluntatem Domini sui, et non facit eam, vapulet multis (*Luc.* XII). Unde et Ecclesiastici viri, si iisdem quibus hæretici sceleribus continentur, nequaquam Adamæ et Seboim, quæ inferiores sunt; sed Sodomæ et Gomorrhæ, quæ majorum criminum esse dicuntur, cruciatibus subjacebunt. Ad hæreticos quoque deceptumque ab eis populum loquitur Dominus, quod nisi egerit pœnitentiam, ponantur sicut Adama et Seboim, ut nullam spem habeant salutis. Rursum ut clementissimus pater dicit se suam mutare sententiam, et pœnitere quod talia sit locutus, ut illos quoque ad conversionem et ad pœnitentiam provocet. Non faciam, inquit, in furore meo, non disperdam Ephraim. Quantum, inquit, in me est, quantum ego cupio, si errorem veritate correxerit, si me magis amaverit quam principes hæreseos, *Deus* enim *ego sum, et non homo,* lapsis manum porrigam, errantes ad salutem vocabo. Et quia sanctus sum, propterea non ingrediar civitatem, id est, conciliabula et urbes hæreticorum. Foras exeuntes de ur-

[a] Voces *in ipso*, tum ad subsequentis finem versiculi, *in te*, mss. Palatini ignorant.

bibus suis, libenter recipio : in civitates eorum non ingrediar. Hoc quod dixit, *non ingrediar civitatem*, et juxta LXX sequitur : *post Dominum ambulabo*, quidam sic interpretati sunt, ut dicerent Domino populum respondisse, et esse sensum : Quia conversum est cor tuum in te, et non secundum peccata nostra fecisti nobis; sed imitaris clementiam tuam, et nostra delicta non punis, et polliceris te sanctum et clementem in nostri medio versaturum; idcirco et ego malorum hominum non ingrediar civitatem : nec ero de numero peccatorum ; sed ambulabo post Dominum Deum meum. Hebræi autem ex persona Dei ita edisserunt : **131** Non te derelinquam : non ibo ad aliam gentem : nec ingrediar alteram civitatem.

(Vers. 10 et 11.) *Post Dominum ambulabunt : quasi leo rugiet : quia ipse rugiet : et formidabunt filii maris, et volabunt* [Vulg. *avolabunt*] *quasi avis* [Al. *aves*] *ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum : et collocabo eos in domibus suis , dicit Dominus.* LXX : *Post Dominum ambulabo : sicut leo rugiet : quia ipse rugiet , et formidabunt filii aquarum , [a] et volabunt quasi avis ex Ægypto , et quasi columba de terra Assyriorum : et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Domino prospera pollicente, populus convertetur ad eum : et ambulabit post Dominum ; quia Dominus rugiet quasi leo. De quo et Amos propheta commemorat : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam* (*Amos* I, 2). Rugiet [b] autem quando dicit : *sicut Adama, ponam te ut Seboim.* Cumque ille rugierit, tunc formidabunt filii maris, sive aquarum, ut LXX transtulerunt. Etenim verbum MAIM (מים), quod per tres litteras scribitur MEM, JOD, MEM : si legatur MAIM , *aquas* significat : si MEJAM , *de mari* intelligitur. Hæc Hebræi ad adventum Christi referunt, quem sperant esse venturum. Nos jam transacta convincimus; quia et de Ægypto, et de Assyriis, hoc est , ab Oriente et Occidente, et ab Aquilone et a Meridie venerunt, et quotidie veniunt qui discumbant cum Abraham , Isaac et Jacob (*Matt.* VIII). Filios autem maris , sive aquarum , eos possumus appellare , qui sagena Domini comprehensi sunt , et abstracti de mari hujus sæculi (*Matt.* XIII, 47). Cumque capti fuerint de morte ad vitam, collocabuntur in domibus suis : quæ horrea vocat Evangelium (*Matt.* XIII), in quibus electa et a paleis separata frumenta conduntur. Natura leonum esse dicitur : ut cum infremuerint et rugierint, omnia animantia contremiscant, et fixo gradu se movere non possint : tantus pavor est et tanta formido. Itaque et Dominus cum instar leonis rugierit, et intonuerit, ac dederit vocem suam, cunctæ aves et universa volatilia perhorrescent : et ibunt ad nidos, id est, ad domos suas in quibus Dominus habitabit cum eis. Dicamus et aliter : Cum verus leo infremuerit, falsus leo qui est **132**, juxta apostolum Petrum, adversarius noster (I *Par.* V), illico conticescet, et omne dogma perversum os suum aperire non poterit : quique ante ab eo capti fuerant, rugitu leonis soluti et comminatione terribili , sequentur Dominum Deum suum. Tunc timebunt filii maris, sive aquarum, qui in amaritudine et [c] salsis hæreticorum aquis fuerant procreati ; et assumptis pennis, volabunt quasi aves ex Ægypto , et quasi columba de terra Assyriorum, et dicent : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam* (*Ps.* LIV, 7)? ut qui apud hæreticos laboraverant, requiescant in Ecclesia, et habitent in domibus suis, de quibus fuerant errore seducti. Ægyptum, id est, MESRAIM (מצרים) *tribulationem* interpretari, et *angustiam* novimus : Assyrios quoque, *dirigentes*, sive, ut melius arbitramus, *arguentes*. Ab his ergo liberabuntur hæretici, cum habitare cœperint in domibus suis, et malis parentibus dixerint : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matt.* XXIII).

(Vers. 12.) *Circumdedit me in negatione sua* [Vulg. abest *sua*] *Ephraim : et in dolo domus Israel : Judas autem testis descendit cum Deo et cum sanctis fidelis.* LXX : *Circumdedit me in mendacio Ephraim : et in impietate domus Israel et Juda : nunc cognovit eos Deus : et populus sanctus vocabitur Dei.* Tradunt Hebræi hujuscemodi fabulam : In exitu Israel ex Ægypto, quando ex alia parte mons , ex alia Rubrum mare, et ex alia Pharaonis cingebat exercitus , et inclusus populus tenebatur, cæteris tribubus desperantibus salutem , et aut reverti in Ægyptum , aut bellare cupientibus, solus Juda fideliter ingressus est mare, unde et regnum meruit accipere, et hoc esse quod nunc dicatur : Judas testis sermonum Dei, et astipulator ac vindex descendit cum Deo in mare, et inter sanctos fuit fidelissimus , ut verbis jubentis crederet Dei. Hoc illi dicunt. Nos cœptæ explanationis sequamur ordinem, quod circumdederit Ephraim regia tribus et domus Israel, populus qui tribui regiæ serviebat, et circumdederit eum in negatione sive mendacio, dum Dominum negant, et idola confitentur. Judas autem, hoc est, duæ tribus, quæ habebant Templum , Legem , Prophetas, et servabant præcepta **133** legalia, erant testes , gradientesque cum Deo et cum sanctis fideles. Sanctos possumus dicere vel angelos , vel patriarchas ac prophetas , et cæteros qui Dei imperio serviebant. Ad comparationem enim illius temporis quo hæc dicebantur, aberrante penitus Ephraim , et decepto in idolorum cultu Israel, solus Juda remanserat, qui in Dei cultu et testimoniis versaretur, et posset descendere cum eo , sive fortis esse cum forte : RAD (רד) enim et *descensionem et fortitudinem* significat : pro quo Aquila transtulit [d] ἐπικράτειαν. Juxta ἀναγωγὴν circumdant hæretici Dominum in mendacio,

[a] Pro reliquo versiculi contextu Palat. mss. habent *Cætera similiter :* eadem nempe utrobique sunt.

[b] Victor. ex Florentinis quatuor codd. *Rugit autem quando dicit, sicut Adama ponam te, et ut Seboim.*

[c] Martian. retinuit *falsis :* tametsi erroris manifesti Victorius pridem admonuisset.

[d] Sic habent rectissime cum Victorii editione Pal. mss. ἐπικράτειαν, tametsi nonnihil corrupte scribant

immo in negatione. Quidquid enim loquuntur, negatio, immo mendacium est : et circumdant eum in dolo, sive in impietate domus Israel; dum universa quæ simulant, artifici sermone componunt, et impietatem loquuntur contra Dominum. Judas autem, hoc est, vir ecclesiasticus, non superbit, non inflatur tumore hæretico, sed humiliatur cum Deo, et cum sanctorum choro fidelis est et robustus : dum ædificat domum suam super petram, quæ nulla tempestate quatiatur (*Matt.*). LXX multo aliter transtulerunt : quod et Ephraim et domus Israel et Judas circumdederint Deum in mendacio et in impietate, et tantæ clementiæ sit Deus ut non ab eis abscindat spem salutis; sed cognoscat illos, et paratus sit vocare populum sanctum et populum Dei, qui nunc impietate perversus est. Juxta tropologiam quoque, B velle Deum et hæreticos salvari, et ecclesiasticos peccatores, et omnes suo vocabulo nuncupari. Qui autem vere sanctus est, non circumdat Deum in mendacio, sed in veritate, Psalmista dicente : *Potens es, Domine ; et veritas tua in circuitu tuo* (*Psal.* LXXXVIII, 9).

(Cap. XII. — Vers. 1.) *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat : et fœdus cum Assyriis iniit : et oleum in Ægyptum ferebat.* LXX : *Ephraim autem pessimus spiritus, prosecutus est æstum : tota die inania et vana multiplicavit, et testamentum cum Assyriis pepigit, et oleum in Ægypto mercabatur.* Sacra narrat historia, Manahen regem Israel, pace facta cum Assur, ab Ægyptiis auxilium postulasse (IV *Reg.* XV), **134** et C hoc est quod nunc dicitur, Ephraim pascere ventos, id est, spe vana se decipere, sequique [a] καύσωνα, hoc est, *æstum*, et ire ad Meridiem, nihilque aliud agere tota die nisi sibi illudere. Et dum huc illuc que discurrat, vastitatem et eversionem suis urbibus præparare. Annon est vastitas atque mendacium, pepigisse fœdus cum Assyriis, et oleum tulisse in Ægyptum? συνεκδοχικῶς a parte totum, quod videlicet munera Ægyptiis miserit. Licet quidam arbitrentur quod nequaquam in Ægypto oleum gignitur; sed pretiosissimum missum esse ab Ephraim, cujus terra Samaria olei fertilissima est. Porro secundum tropologiam omnes hæretici pessimo dæmonum spiritu continentur, de quo et in Apostolo scriptum est : *Adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, D 10). Et immundus spiritus cum exierit ab homine, et requiem non invenerit, septem alios spiritus nequiores se sibi copulat, et ad pristinam revertitur domum (*Luc.* XII). Spiritu igitur pessimo sequuntur καύσωνα, id est, *ariditatem*, sive *ventum urentem*, qui contrarius floribus est, et germinantia cuncta disperdit, tota die inania vacuaque sectatur, nec proprio errore contentus est, sed multos discipulos, immo comites suæ vanitatis errorisque multiplicat. Fœdus quoque facit cum Assyriis, quorum princeps est sensus magnus, ut quæcumque finxerit, sapien-

A ter simulasse videatur, ea sapientia quæ destruitur a Deo, quam et Apostolus præcipit declinandam, dicens : *Videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi* (*Coloss.* II, 8). Sed et oleum fert in Ægyptum, sive mercatur Ægypti sapientiam, Ecclesiasticis cupiens miscere dogmatibus oleum unctionis, quo ungebantur prophetæ ac sacerdotes, quo ungebantur et reges. Hoc oleum habent et sancti, de quibus dicitur : *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Ps.* CXXVII, 4). Et bona oliva in qua oleaster noster insertus est. Quamvis autem conentur hæretici veritati miscere mendacium, oleum aquis et cæteris humentibus atque liquentibus rebus non potest copulari. Semper veritas supra est, deorsumque mendacium. **135** Omnes aliæ species, id est, hæreses, quæ non habent, ut diximus, oleum veritatis, possunt sibi misceri, et de pluribus unum effici corpus. Sed harum oleum quod defertur in Ægyptum, et de terra sancta ad Pharaonis regna descendit, detestatur propheta, dicens : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5).

(Vers. 2, 3 et seqq.) *Judicium ergo Domini* [Al. *Dei*] *cum Juda : et visitatio super Jacob : juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet* [Al. *reddere*] *ei. In utero supplantavit fratrem suum : et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum, et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus, et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.* LXX : *Et judicium Domino* [Al. *Domini*] *cum Juda, ut ulciscatur Jacob, juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei. In utero supplantavit fratrem suum et in labore suo prævaluit Deo, et confortatus est cum angelo, et potuit : fleverunt et deprecati sunt me : in domo ὧν invenerunt me, et ibi dictum est ad eos : Dominus autem Deus omnipotens erit memoriale ejus, et tu in Deo tuo converteris, misericordiam et judicium custodi : et appropinqua Deo tuo semper.* Ephraim semel pascente ventos, et sequente mendacium, qui in tantam venit amentiam, ut inter duas gentes adversarias dubius fluctuaret, faciens pacem cum Assyriis, et oleum portans in Ægyptum, nunc mihi omne judicium est cum Juda, et visitatio super Jacob. Visitationem autem vocat flagella atque supplicia, ut qui Ephraim reddidit, quod merebatur, Judæ quoque, qui de Jacob ortus est semine, reddat juxta vias et juxta adinventiones suas, qui non tantum fortuito errore deceptus est, et humana concidit fragilitate; sed inquisivit et adinvenit in quibus peccaret et ruoret. Exponit autem quanta bona Judas, hoc est, Jacob acceperit, et in patre filius nominatur, veterisque recordatur historiæ, ut et Dei misericordia erga Jacob, et illius contra Dominum duritia cognosca-

ἐπικράτειαον : Martian. retinuit vitiosum ἐπικράτων.

[a] Unus Palatin. καῦμα, quod idem sonat. Et paulo post, *At non est* ; al., *Aut non est vastitas*, etc.

tur. Dum adhuc esset in utero Rebeccæ, supplantavit fratrem suum Esau (*Gen.* xxv), non utique fortitudine propria, qui sentire non poterat; sed misericordia Dei, qui cognoscit et diligit eos, quos prædestinavit. **136** Et non solum in utero supplantavit fratrem suum; sed in fortitudine quoque directus est cum angelo, quando ad torrentem Jacob adversum angelum tota nocte pugnavit (*Gen.* xxxii). Et quia directus est cum angelo, propterea εὐθυτάτου [*Al.* εὐθύτατον], quod Hebraice dicitur ISAR (ישר), hoc est, *dirigentis*, sive *directi*, nomen accepit. *Et invaluit*, inquit, *adversum angelum;* et ejus benedictione quem vicerat, confortatus est, Flevit quoque, et rogavit eum, id est, angelum, dicens : *Non te dimittam, nisi mihi benedixeris* (*Ibid.*, vers. 26). Cumque patris matrisque consilio in Mesopotamiam fugeret, invenit eumdem angelum in Bethel, qui locutus est ad eum, locutus est nobiscum, id est, in patre locutus et filiis est, et in Jacob dilexit et Judam : ex quo tempore usque ad præsens, nominis ejus quod illi ab Angelo et a Deo impositum est, memoria perseverat. Cum hæc se habeant ita, et tu, o Juda, imitare parentem tuum, plora et roga Dominum exercituum, et ad eum convertere. Custodi et misericordiam et judicium, et cum utrumque feceris, spera in Deo tuo semper, bonis operibus ad majora proficiens. Pro eo quod in Hebraico habet, *flevit et rogavit eum : in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum*, legimus in editione Vulgata : *fleverunt et rogaverunt me, in domo ὦν invenerunt me, et ibi dictum est ad eos;* ὦν interpretatur *dolor*. Si quis igitur flet, et agit pœnitentiam, et Dominum deprecatur, invenjet eum in dolore cordis sui, et cum eum invocaverit, sibi audiet respondentem. Possumus Judam Ecclesiasticum virum intelligere, qui a Domino corripitur, quod non sit pristinorum in se beneficiorum ejus memor, sed quotidie peccatis peccata consocjet, et exponit quæ sint ipsa beneficia : Cum te, inquit, nascentem in fide Ecclesia parturiret, supplantasti Judæum sive gentilem fratrem tuum, et ejus accepisti primogenita, et in fortitudine tua directus es cum angelo, vel vincens adversarias fortitudines, vel roboratus benedictionibus angeli, qui ipse est Deus, et invaluisti per figuram contra angelum, ut invalesceres contra homines, et confortatus es. Cumque esses victoriam consecutus, flevisti, et rogasti angelum Domini, et peccatorum veterum recordatus, invenisti eum in Bethel, hoc est, in domo Dei, quæ est Ecclesia, **137** sive in domo ὦν, doloris et lacrymarum et pœnitentiæ. Et ut sciremus quis esset iste Judas, ibi, inquit, locutus est nobiscum, hoc est, nobis Christianis, et ex eo tempore usque in præsentem diem, Christi censemur nomine, et ipso dirigente corrigimur. O itaque, vir Ecclesiastice, qui appellaris Judas, et confitens, convertere quotidie per pœnitentiam ad Dominum tuum, et si forte peccaveris, imitare prophetam dicentem : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Ps.* vi, 7). Nec hoc dixisse sufficiat, sed Dei cerva mandata, fac in alios misericordiam, ut et ipse misericordiam consequaris. Judicium verum judica, ut in quo judicaveris, judicetur de te. Et spera in Deo tuo semper, sive appropinqua Deo tuo jugiter, ut omni tempore in virtute proficiens, appropinques Deo tuo.

(Vers. 7, 8.) *Chanaan in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit, et dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi, omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi.* LXX : *Chanaan in manu ejus statera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit : et dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum : inveni requiem mihi, omnes labores ejus non invenientur ei, propter iniquitates in quibus peccavit.* Monuerat Judam ut converteretur ad Dominum Deum suum, et misericordiam servaret atque judicium, et speraret in Domino semper, sive appropinquaret ei jugiter. Nunc ad Ephraim, hoc est, ad decem tribus sermo convertitur, quem vocat Chanaan, juxta illud quod loquitur Daniel ad presbyterum, qui utique erat de semine Juda : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te* (*Dan.* xiii, 56). Et in Ezechiel ad Jerusalem dictum legimus : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* xvi, 3). Et in Isaia dicitur ad tribum Juda : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum : percipite auribus legem Domini nostri, populus Gomorrhæ* (*Isai.* i, 10). In Zachariæ quoque extremo versiculo legimus : *Et non erit Chananæus ultra in domo Domini* [Al. *De civitate*] (*Zach.* xiv, 21). Dicit autem Chanaan, hoc est, Ephraim, habere in manu sua stateram dolosam, sive iniquam, jubente Scriptura, *Æqua sint tibi pondera* (*Levit.* xix); et non solum habere stateram iniquam ac dolosam; sed diligere calumniam, et opprimere homines per **138** potentiam. Et ne putaremus Chanaan alium quempiam sentiendum, ponit manifestius qui sit iste Chanaan. Dixit Ephraim : *Verumtamen dives effectus sum;* et est sensus : Non refert unde possideam, dummodo possideam. Hoc morbo laborant plurimi, de quibus scriptum est : *Divitiæ congregatæ inique evomentur* (*Job* xx, 15) : *Redemptio enim animæ viri, propriæ divitiæ* (*Prov.* xiii, 8). Unde præcipitur, ut faciamus nobis amicos de iniquo mammona, qui nos possint recipere in æterna tabernacula (*Luc.* xvi), Ephraim autem qui gloriatur et dicit : *Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi*, sive ἀνωφελὲς, hoc est, AVEN (אוֶן), quod non prosit possidenti, casso labore sudavit. Sicut autem gulosi et luxuriosi venter deus est, ita et avarus adorat auri idolum, et dicit in corde suo : inveni quod quærebam : sed audiet : *Stulte, hac nocte rapietur anima tua a te : quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Luc.* xii, 20)? Cumque semel oculos ejus divitiarum, non dicam fulgor, sed cæcitas occuparit, loquitur : Omnes labores mei non invenient iniquitatem meam, in qua peccavi. Et est sensus : quidquid peccavero, si habuero divitias ab his, qui meo indigent auxilio, mihi non poterit imputari, secundum illud quod scriptum

est: *Et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Ps.* IX) : Divitum enim amici multi. Unde et ad hæreticos hoc ipsum refertur. *Chanaan* quippe interpretari potest, *quasi moventes*. Et nota quod dixerit, *quasi moventes* [Al. *moventis*], non *moventes*. Moventes sunt, eos quos deceperint, quasi moventes, illos quos tentaverint. Sed quia fundati sunt super petram (*Matth.* VII), nullo possunt turbine concuti, nec pedum suorum mutare vestigium. In istiusmodi Chanaan manu, hoc est, operibus, statera dolosa est et iniqua ; quidquid enim hæreticus loquitur, Dei justitiam non habet, et plenum est doli et fraudium ; unde et calumniam diligunt, dum deprimunt innocentes, sive opprimunt eos per potentiam. Opprimitur pauper ecclesiasticus verbositate et argutiis hæreticorum, qui postquam aliquos deceperint, solent dicere : Divites facti sumus, habemus plurimam multitudinem ; discipulorum turba nos sequitur ; invenimus idolum vel refrigerium nobis. Idcirco enim vel maxime hæreses componuntur, ut devorent domos viduarum, quæ semper discunt, et numquam ad scientiam perveniunt **139** veritatis (II *Tim.* III). Et pulchre, *inveni*, ait, *idolum mihi*. Omnia enim hæreticorum figmenta idola sunt et simulacra gentilium : nec multum differunt in impietate, licet in nomine discrepare videantur. Solentque dicere, quidquid fecero, quidquid egero, mihi non poterit imputari : habeo enim divitias meas, argumenta philosophorum, habeo populi multitudinem, quam qui aspexerit, me peccare non arbitrabitur.

(Vers. 9 et 10.) *Et ego Dominus Deus tuus* [a] *qui eduxi te de terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis sicut in diebus festivitatis, et locutus sum super prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.* LXX : *Ego autem Dominus Deus tuus eduxi te de terra Ægypti : adhuc habitare te faciam in tabernaculis, sicut in diebus solemnitatis, et loquar ad prophetas, et ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum.* Tu quidem tanta peccasti, ut lætareris in scelere, et multitudinem peccatorum putares esse divitias, et diceres : Dives effectus sum, inveni idolum mihi : omnes labores mei peccata mea invenire non poterunt. Ego autem Dominus Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti (*Exod.* V), quando serviebas Pharaoni, et ædificabas de luto et paleis civitates, adhuc tribuo tibi locum pœnitentiæ, et magnitudine promissorum hortor, ut ad me redeas, adhuc enim sedere te faciam in tabernaculis sicut in diebus festivitatis. Diem festivitatis, Scenopegiam vocat, septimo mense, quintadecima die mensis, quando de Ægypto egressi sunt filii Israel. Sicut, inquit, in eo tempore te de Ægypto liberavi, et habitasti in tabernaculis ad terram sanctam, et ad locum templi ire festinans : sic etiam nunc educam te de tribulatione et angustiis, et imminente captivitate, si tamen feceris quæ præcepi. Ego enim sum qui per omnes prophetas et varia genera visionum assimilatus sum hominibus, et te ad pœnitentiam provocavi. An non est humanæ similitudinis, quando Moyses in altum extollens manus orat, ut Jesus vincat Amalec (*Exod.* XVII), et crucis in eo sacramenta monstrentur ? Nonne in manibus prophetarum assimilatur **140** Deus, quando Jonas tribus diebus ac noctibus in profundo est, ut Dominum significet die tertia ab inferis resurgentem ? Multiplicatas autem visiones in omnibus prophetis legimus, quando [b] Ezechiel Dominum cernit in aurigæ modum sedentem super Cherubim (*Ezech.* XVII). Et Isaias, *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et duo Seraphim in circuitu ejus clamantia ad invicem, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isai.* VI, 1, 2). Et Abacuc stabat in specula [*Al.* spelunca] sua, ut cornua videret in manibus Salvatoris, in quibus abscondita est fortitudo ejus (*Abac.* III). Unde et Psalmista conclamat : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Ps.* LXXXIV, 9). Ut autem sciamus omnem prophetiam in Scripturis sanctis appellari visionem : *Et omnis*, inquit, *populus videbat vocem Domini* (*Exod.* XXVIII, 18) : unde et prophetæ ante dicebantur videntes. Ad eos quoque qui ab hæreticis seducti sunt, dicitur ut revertantur ad Dominum, qui mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem (*Ezech.* XVIII) : ipsum enim esse qui eos eduxerit de terra Ægypti, id est, de tenebris et errore gentilium. Et ne forsitan peccati memores tardius revertantur : adhuc, inquit, sedere vos faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis : ut quod facit baptisma, hoc faciat pœnitentia, et habitent in tabernaculis Salvatoris, hoc est, in Ecclesiis, de quibus dicitur : *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt* (*Ps.* XCI, 14). Et ne putent hæresiarchas et principes erroris sui, Dei locutos spiritu : Ego sum, inquit, qui locutus sum ad prophetas, et non ad magistros vestros : et ego visiones multiplicavi, et in manu prophetarum meorum qui sunt in Ecclesia constituti, assimilatus sum.

(Vers. 11.) *Si Galaad idolum, ergo* [Al. *tamen*] *frustra erant in Galgal bobus immolantes ; nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri.* LXX : *Si non Galaad est, ergo falsi erant in Galgala principes immolantes, et altaria eorum quasi testudines super desertum agri.* Pro eo quod nos transtulimus, *bobus*, qui Hebraice appellantur SURIM (שורים), LXX interpretati sunt, *principes*, qui vocantur SARIM (שרים), verbi similitudine atque ambiguitate decepti. Rursum ubi nos posuimus, *acervos*, **141** qui Hebraice appellantur GALLIM (גלים) et proprie [c] θῖνας significant, hoc est, ex arena tumulos

[a] Verba, *qui eduxi te*, Hebr. et Vulgata editio penitus nesciunt. Legunt vero, *Ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*, etc.

[b] Delevimus *in*, præpositionem, quæ sensum in Benedictina editione pervertebat.

[c] Aut si mavis θίνας, quamquam mss. θεῖνας præferunt : male enim Martian. θινὰς. Consule Commen. Ezechiel. XLVII, 8, et infra in Joel III, 4.

congregatos, qui maxime in deserto, et in littoribus flante vento, vel augentur, vel minuuntur, LXX transtulerunt, *testudines* (χελῶνας): pro quibus [a] Symmachus, *acervos lapidum*, interpretatus est: Theodotio *colles*. Et revera si θῖνας respicias, habent similitudinem magnarum testudinum in deserto agro, vel in ripis atque littoribus paululum humo eminentium. Quod ergo dicit, hoc est, *si in Galaad*, de qua scriptum est: *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine*, falsi sunt dii et perversa religio, et est trans Jordanem ubi duæ tribus habitant, Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, ergo et Galgal de qua in hoc eodem propheta legimus: *Omnis malitia eorum in Galgala, quæ est post tergum Bethaven;* quicumque idola colunt, non boves diis immolant, sed bobus offerunt sacrificia, imitantes errorem Samariæ. Eo enim tempore quo hæc prophetabantur, Galaad in regno decem tribuum erat; et Galgal sub imperio duarum tribuum, quæ appellabantur Juda. Ergo et decem tribus et duæ pari idololatriæ errore deceptæ sunt, et altaria eorum sicut acervi et tumuli de lapidibus congregati, sive de arenis. Cumque et illi et hi in captivitatem fuerint abducti, aræ quondam eorum absque cultoribus testudinum vel tumulorum habebunt similitudinem. Quia vero *Galaad* interpretatur, *translatio testimonii*, et *Galgal*, *volutabrum*, hoc dicere possumus, quod principes hæreticorum testimonia veritatis transferant in mendacium, et quidquid colunt, idolum sit, et sacrificia eorum habeant similitudinem, vel acervorum de lapidibus congregatorum, vel testudinum. Quomodo enim θίνες [*Al.* θεῖναι], et acervi hinc atque illinc de lapidibus et sabulo congregantur: ita et hæretici de sapientia sæculari et argutiis hominum, fraude atque mendacio simulacra componunt. Et cum hoc fecerint, tardis gressibus in uno moventur loco, et totum orbem occupare **142** non possunt. Testudo tardigrada et onerata, immo oppressa pondere suo, non tam ambulat quam movetur, hæreticorum gravissima peccata significans, qui suis in cœno et volutabro luti erroribus immolant, adorantes opera manuum suarum, et instar boum cuncta pro terrenis frugibus laborantes.

(Vers. 12 et 13.) *Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxore, et in uxore servavit. In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto, et in propheta servatus est.* LXX: *Et recessit Jacob in campum* [Al. *campos*] *Syriæ, et servivit Israel in uxore, et in uxore custodivit, et in propheta eduxit Dominus Israel de Ægypto, et in propheta servatus est.* Videtur absque ratione et ordine prophetali post idolum Galaad et Galgal et altaria acervis lapidum similia, subito historiam Geneseos de Jacob voluisse narrare: quod statim solvit, qui supra de Jacob legisse se meminit: *In utero supplantavit fratrem suum, et in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est: flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum.* Iste igitur Jacob non frustra ab angelo confortatus est; sed quia tota nocte pugnavit, et vicit adversarium, ut ex hoc fratrem disceret non timere, cujus metu in Syriam fugeret ad Laban avunculum suum (*Gen.* XXVII), et servivit in uxore Rachel septem annis, et pro Lia oves soceri Laban, eodem annorum spatio custodivit. Et quia semel Jacob dixerat Israel, patrem filiosque conjungit, et sequentis recordatur historiæ, quando in propheta Moyse eduxit Dominus Israel de Ægypto, et duodecim tribus, quæ generatæ sunt de Israel, propheta educente, servatæ sunt. Non errabit qui supplantatorem Jacob, et Israel videntem Deum, in typo Domini dixerit præcessisse, et Rachel primum sterilem atque formosam, quam plurimum dilexit Jacob, significare Ecclesiam: Liam autem, lippientibus oculis atque fetosam, Synagogæ sacramenta monstrare, et quod ipse credentium populum eduxerit de **143** tenebris hujus sæculi, et ad dulcissima Jordanis, id est, baptismi fluenta pervenerit.

(Vers. 14.) *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, et sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium illius restituet ei Dominus suus.* [b] LXX similiter. Cum ergo Ephraim tanta præstiterim, ut nudum et exsulem et solum, divitem dominumque reducerem, et multorum filiorum parentem, deseruit me Ephraim, immo ad iracundiam provocavit: et amaritudine sua amarum fecit esse qui dulcis sum. Unde sanguis ejus super eum veniet, id est, ipse erit causa mortis suæ, secundum id quod David loquitur ad eum, qui Saulis nuntiavit interitum, et a se regem Israel cæsus esse memorabat: *Sanguis tuus super caput tuum* (II *Reg.* I, 16). Non mea sententia, sed Saulis [*Al.* pro Saulis] sanguine tuus sanguis effundetur. Quodque sequitur: *Et opprobrium ejus restituet ei Dominus*, illi sensui congruit quem Nathan loquitur ad David: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter hanc rem* (I *Reg.* XII), hoc est, propter hoc peccatum quo interfecisti Uriam, ipsa blasphemia atque opprobrium, quo per te Dominus blasphematus est, vertetur in caput tuum. Semper hæretici ad iracundiam provocant clementem Dominum, et eum qui mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem, duritia cordis sui punire compellunt, et sanguis eorum, quo et suum et multorum effuderunt sanguinem, veniet super caput eorum, et opprobria quibus Dominum blasphemaverunt, restituet eis Dominus suus, non quod eorum

[a] Ex uno Palat. ms. qui habet, *pro quibus Symmachus acervos interpretatus est, acervos lapidum, Theodotio*, etc., facile conjicias nomen excidisse Aquilæ, quod ita fortasse supplendum est, *Symmachus, acervos, Aquila acervos lapidum*, etc. Concinit fere et Palat. alter, qui post Symmachi nomen inane restituendæ lectioni spatium reliquit. Quamquam secus multo habet codex hexaplaris Barberinius a Montfauconio laudatus, ubi Theodotio *ranas*, Aquila *vulpes* dicuntur transtulisse. Sed Ezechielis XLVII, 8, versum ab Aquila θῖνας nihil est dubium.

[b] Addidimus hic quoque ex mss. verba, LXX *similiter*: quæ in Vulgatis libris desiderabantur.

Dominus sit, sed quia quondam Dominus eorum fuit.

(Cap. XIII.—Vers. 1, 2.) *Loquente Ephraim horror invasit Israel et deliquit in Baal, et mortuus est, et nunc addiderunt ad peccandum : feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum : factura artificum totum est, his ipsi dicunt : immolate homines, vitulos adorantes.* LXX : *Juxta verbum Ephraim justificationes accepit ipse in Israel, et posuit ad* [Al. absque *ad*] *Baal, et mortuus est, et nunc apposuit ut peccaret, et fecerunt sibi conflatile*[a] *ex auro et argento suo, secundum imaginem* **144** *idolorum, opera artificum completa ; his ipsi dicunt, immolate homines, vituli enim defecerunt.* Pro eo quod LXX interpretati sunt, *immolate homines, vituli enim defecerunt ;* et nos vertimus, *immolate homines, vitulos adorantes,* Symmachus interpretatus est, *immolate, homines vitulos adorent ;* ut sit sensus : Immolate, hoc est, sacrificate idolis, et hucusque distinctio sequatur : rationale animal, homines, adorent vitulos, muta animantia. Loquente ergo Ephraim, id est, Jeroboam filio Nabath de tribu Ephraim, horror invasit Israel, id est, decem tribus. Pro *horrore* qui Hebraice dicitur RATHATH (רתת), quem Symmachus et Theodotio *tremorem* interpretati sunt ; nescio quid volentes, δικαιώματα, id est, *justificationes*, LXX transtulerunt. Et tantus Israelem horror invasit, ut[b] delinqueret et offenderet Deum in Baal et moreretur perdens eum qui dicit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII). Et Apostolus : *Vidua*, inquit, *quæ in deliciis est, vivens mortua est* (I *Tim.* V, 6). Et non solum mortuus est in Baal, sed addidit peccata peccatis, ut ex argento quod Dominus dederat, idola fabricaretur, opera manuum hominum. Quibus ipsi dicunt, id est, sacerdotes et principes qui populum bona docere debuerant : *Immolate homines, vitulos adorantes* : quod quidem et in psalmis dicitur : *Immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis* (*Ps.* CV, 37). Pro eo quod juxta Symmachum et Theodotionem vertimus, *adorantes ;* Aquila interpretatus est καταφιλοῦντες, id est *deosculantes*. Qui enim adorant, solent deosculari manum suam : quod Job fecisse se negat, dicens : *Si osculatus sum manum meam apponens ori meo, et hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur* (*Job* XXXI, 27, 28). Sin autem ut quidam volunt, dæmones loquuntur ad populum : *Immolate homines, vituli enim defecerunt*, ostenditur ingluvies eorum, qui sanguine victimarum aluntur, et holocaustorum fumo : quod deficientibus hostiis, homines sibi cupiant immolari, quorum non solum interitu, sed et cruore lætantur. Loquentibus autem hæreticis, immo principibus hæreticorum, id est, Ephraim, horror et tremor invasit [*Al.* invadet] infelicem populum ; et deliquit [*Al.* delinquet] **145** in idolis, quæ de suo corde confinxit, et mortuus est cum populo quem seduxit. Et non sufficit corruisse, nisi linguam quam ad canendum Deum acceperat, vertat in imagines idolorum, et artifici eloquio simile veritati dogma componat, quod nihil est aliud, nisi excogitatio pravitatis humanæ. Præcipiuntque discipulis suis, ut et ipsi immolent homines, hoc est, furentur de Ecclesia Dei, et introducant ad hæreticos, et occidant quos deceperint ; Quodque sequitur, *Vituli enim defecerunt*, hunc habet sensum : Nolite quærere quos seducatis de gentibus, qui vocantur bruta animalia ; sed eos rapite, eos immolate, qui in Ecclesia constituti, Christi censentur nomine, et homines appellantur[c].

(Vers. 3.) *Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus pertransiens* [Vulg. *præteriens*], *sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario.* LXX similiter : hoc solum quod in ultimo est immutantes : *et sicut vapor de locustis*, sive *de lacrymis*, quia in plerisque codicibus ἀκρίδων, in aliis δακρύων positum reperimus. Quia, inquit,[d] homines pro vitulis immolaverunt, et adoraverunt vitulos : idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros mane pertransiens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. Quæ omnia videntur ad tempus et subito dilabuntur, juxta illud quod dixerat : *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* Et iterum : *Sicut mane transit, pertransit rex* [Al. *pertransiet rex*] *Israel.* Et nubem quidem aut rorem transire velociter, et pulverem ex area, et fumum de fumario, nemo ambigit, juxta illud quod scriptum est : *Sicut deficit fumus, deficiant* (*Psal.* LXVII, 2). Quærimus autem quare LXX pro *fumario*, quod Theodotio transtulit καπνοδόχην (Editi legunt καπνοδόχον), *locustas* interpretati sunt ? Apud Hebræos locusta et fumarium, iisdem scribitur litteris ALEPH, RES, BETH, HE. Quod si legatur ARBE (ארבה), *locusta* dicitur ; si OROBBA [Al. *arobba*], *fumarium* : pro quo Aquila καταράκτην, Symmachus *foramen* interpretati sunt. Cataractam autem proprie vocat foramen in pariete fabricatum, per quod fumus **146** egreditur. Si quis autem contentiosus et nolens recipere Hebraicam veritatem, locustæ sensum quæsierit, audiat Ephraim[e] ἀτμῷ, id est, *vapori* sive *auræ* et *spiritui* comparari : qui ita tenuis de ore locustæ egreditur, ut non sentiatur : quod si econtrario objecerit, quare non aliis, quæ minora sunt, perituram Ephraim assimilaverit : verbi gratia pulici, qui omnia membra habet, caput, oculos, pedes, ventrem, et cætera : quæ licet oculis non videamus, tamen sensu intelligimus ; intantum ut os pulicis ac dentes non videntes oculis, morsibus

[a] Voces, *ex auro*, quæ neque in Græco resonant, uno Aldino codice excepto, nostri mss. non agnoscunt. Moxque pro *completa* legunt *conflata* : estque revera in Complutensi Græco exemplari, συγκεχωνευμένα.

[b] Mss. nostri et Victorius sic legunt. Martianæus cum Erasmo prætulit, *derelinqueret*.

[c] Subdunt continuo sensu mss. nostri, *juxta illud propheticum, escæ autem electæ.*

[d] Idem mss. *homines vitulos adorantes*, pro *vitulis, immo vitulis immolarunt, et adorarunt*, etc.

[e] Verius fortasse mss. ΑΤΜΙΔΙ ; tametsi idem est intellectus.

sentiamus. Respondendum est ei, quod ideo vapori locustæ, sive auræ tenuissimæ, perituroruin gloria comparata sit : quia locusta noxia est, et sic inimica mortalibus, ut famem faciat, et segetum cultia populetur : intantum ut arbores quoque et vineas decorticet : quod plenius in Joel Propheta legimus (*Joel* I *et* II). Et huic locustæ et nubi matutinæ et rori et pulveri hæretici comparantur, de quibus et in Epistola Catholica dicitur : *Hi sunt nubes sine aquis* (*Judæ* XII). Habent enim speciem prophetarum, et nubium apostolicarum, ad quas Dei veritas pervenit : sed non habent aquas, id est, gratiam Spiritus sancti, dicente Domino in Evangelio : *Qui credit in me, (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem*, inquit, *dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 38, 39). De lacrymis autem, quæ sermone Græco habent aliquam similitudinem locustarum, δακρύων καὶ ἀκρίδων, manifestus error est, quibusdam pro *locustis*, *lacrymas* æstimantibus.

(Vers. 4.) *Ego autem Dominus Deus tuus* [a] *qui eduxi te de terra Ægypti.* Pro quo in LXX legitur : *Ego autem Dominus Deus tuus : firmans cœlum, et creans terram : cujus manus creavit omnem militiam cœli, et non ostendi ea tibi, ut ambulares post ea* *⁂ *Et ego eduxi te de terra Ægypti.* Quæ quoniam et in Hebraico non habentur, et a nullo vertuntur Interpretum, in antiqua quoque editione LXX non leguntur, obelo prænotanda sunt : præsertim cum sensus eorum perspicuus sit. Unde ad reliqua transeamus, cum his quæ sequuntur **147** jungentes superius capitulum.

(Vers. 5 et 6.) *Ego autem Dominus Deus tuus* [b] *qui eduxi te de terra Ægypti, et Deum absque me nescies : et salvator non est præter me : ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis : juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt : et elevaverunt cor suum et obliti sunt mei.* LXX : *Ego autem Dominus Deus tuus, et ego eduxi te de terra Ægypti : et Deum præter me non cognosces, et salvator non est absque me. Ego pascebam te in solitudine, in terra inhabitabili, secundum pascua sua : et repleti sunt in saturitate, et elevata sunt corda eorum : idcirco obliti sunt mei.* Qui [*Al.* quia] supra dixerat : Fugit Jacob in regionem Syriæ : et servivit Israel in uxore, et in uxore servavit; in propheta eduxit Dominus Deus Israel de Ægypto, et in propheta servatus est : etiam nunc quid eis præstiterit, refert : Ego Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, qui tibi mandavi per Moysen : attende, ne forte comedas et satureris, et obliviscaris Dei tui, qui eduxi te de terra Ægypti : non est enim alius Deus præter me, et qui possit salvare, nullus est alius. Ego qui conditor omnium sum, cognovi, sive pavi te in deserto et in terra inhabitabili, ubi A rerum omnium penuria, ubi nullæ aquæ : dedi tibi manna de cœlo, et aquarum fontes produxi de petra durissima. Qui juxta illud, quod alibi scriptum est : *Incrassatus est, impinguatus, dilatatus, et recalcitravit dilectus* (*Deut.* XXXII, 15) : nunc quoque comederunt et saturati sunt, et elevaverunt cor suum, et obliti sunt ejus, cujus beneficiorum memores esse debebant. Neque enim per tantam eremi vastitatem, ubi non solum fruges et arbores vineæque, sed nec herba quidem gignitur, et nullæ aquæ ardorem temperant solis, quadraginta annis poterat Israel ad terram pervenire Jordanis, nisi Dominus omnia præstitisset. Hæreticos quoque eduxit Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis, et de camino ferreo : qui primo serviebant regi Pharaoni et ducibus ejus : præcepitque eis in Ecclesia, ut alium nescirent Deum, nisi B eum qui creator est omnium, et novit salvare quos fecit. Ipse cognovit eos et pavit in terra solitudini ; ita **148** ut possint dicere : *Dominus pascit me et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquam refectionis educavit me* (*Ps.* XXII, 1, 2). Deditque eis angelorum panem manna de cœlo, quod in Ægypto numquam comederant, et aquas de sequenti eos petra. Petra autem juxta Apostolum Christus est (I *Cor.* X) : qui comederunt et impleti sunt, et cibos Domini non tulerunt. Quibus idem Apostolus loquitur : *Jam saturati estis, et jam divites facti estis : sine nobis regnatis, atque utinam regnetis, ut et nos regnemus vobiscum* (I *Cor.* IV, 8). Comederunt enim in sanctis Scripturis panem qui de cœlo descendit, et cum David dixerunt : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L, 8). Impletique et saturati elevaverunt contra Creatorem cor suum : et alterum sibi finxerunt deum, quidquid biberant et comederant, suis meritis, non Dei misericordiæ deputantes. Idcirco obliti sunt Dei, qui præceperat eis, ut Legis verba religarent inter oculos et in manibus, atque in fimbriis palliorum, ne unquam obliviscerentur Dei sui.

(Vers. 7, 8.) *Et ego* [c] *ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum : occurram eis quasi ursa raptis catulis : et disrumpam interiora jecoris eorum : et consumam eos ibi quasi leo : bestia agri scindet eos.* LXX : *Et ero eis quasi panther, et sicut pardus in via Assyriorum ; occurram eis sicut ursa indigens cibo, et disrumpam interiora cordis eorum, et devorabunt eos ibi catuli silvarum, bestiæ agri disrumpent eos.* Illi adimpleti sunt et saturati : elevaverunt corda sua, et obliti sunt mei. Ego autem, inquit, ero eis quasi leæna, sive panther, de quo supra plenius diximus : et sicut pardus in via Assyriorum, quando ducentur captivi ab Assyriis : et occurram illis quasi ursa raptis catulis, sive indigens cibo : et disrumpam eorum universa vitalia. Aiunt qui de be-

[a] Verba, *qui eduxi te*, hic quoque, ut supra, et rursum, ubi idem versiculus infra recurrit, ignorant Hebraic. et Vulgata editio, quin et Palatini ex Hieronymianis mss.

[b] Vulgata, sive Hieronymian. ipsa versio tacet, *qui eduxi te* : secus in expositione subnexa. Vid. superior, annotationem.

[c] Induximus hic vocem *ego*, quam præter Hebraic. et Vulgat. editionem, ipsi respuunt Palatini Hieronymiani mss.

stiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse ursa sævius cum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis; et non solum pantheræ, pardi, et ursæ ferociam comminatur, sed leonis quoque et omnium bestiarum, quæ gignuntur in saltibus : et in hæc omnia dicit se esse vertendum, quando ierint ad Assyrios : ne cum ibi dura fuerint perpessi, non **149** potentiæ et indignationi Domini, sed hostium fortitudini assignent miserias suas. Simulque consideremus, quod qui in Evangelio credentibus loquitur : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos : jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI, 28, 29), nunc per prophetam incredulis, et nolentibus agere pœnitentiam, panther, pardus[a], ursa et leo efficitur : non solum Israelitis, quia [*Al.* qui] propter idololatriam in Medorum urbibus sive montibus collocati sunt : sed etiam hæreticis; quia [*Al.* qui] propter mentis superbiam, et falsorum dogmatum vanitatem, obliti sunt Dei sui, [a] finxerunt idola, et secuti sunt deos alienos.

(Vers. 9, 10 et 11.) *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Ubi est rex tuus? maxime nunc te salvum* [Vulg. *salvet*] *faciat in omnibus urbibus tuis; et judices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principes: dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* LXX : *Corruptioni tuæ, Israel, quis auxiliabitur? ubi est rex tuus iste? et salvum te faciat in cunctis urbibus tuis : judicet te de quo dixisti: Da mihi regem* [b] *et principem, et dedi tibi regem et principem, et dedi tibi regem in ira mea, et habui in furore meo.* Pro eo quod LXX interpretati sunt *habui*, omnes *abstuli* transtulerunt. Infelix Israel et dignus maledictione perpetua, qui in tantum impietatis descendit profundum, ut solius Dei salvetur misericordia. Potest autem in Hebræo et hoc sensu legi : Dispereas, Israel, quia nihil tibi reliquum est nisi ut mea solum clementia conserveris. In LXX autem alter est sensus: *Corruptioni tuæ, Israel, quis auxiliabitur?* id est, captivitati tuæ et ultimæ servituti quis ferre poterit auxilium eorum, quos tibi præsules æstimasti? Ubi est rex tuus, de quo dicebas ad Samuel : *Constitue super nos regem, ut judicet nos : sicut et gentes habent cæteræ* (II *Reg.* VIII, 5). Cumque ille contradiceret, respondebas : nequaquam, sed rex erit nobis, et erimus etiam nos sicut et gentes omnes, et judicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit pro nobis. De quo ergo tibi promiseras, quod tua bella bellaret, nunc in necessitate subveniat, et universas urbes tuas liberet de servitute. Ubi sunt judices tui? ubi reges? **150** Tu enim dixisti: *Da mihi regem et principes :* itaque dedi tibi Saulem regem in furore meo; intantum ut in diebus messis pluviam demonstrarem contra naturam Judææ provinciæ. Et abstuli, inquit, in indignatione mea regem, videlicet Sedeciam : ut quem cum furore dederam, tollerem cum indignatione. Alii arbitrantur datum in furore regem Jeroboam filium Nabath, et ablatum in indignatione Osee ultimum regem decem tribuum. Hoc quod exposuimus, dedi tibi regem et abstuli regem in indignatione mea, Hebræi ad futurum tempus referunt. Eo, inquit, tempore quo dicebas : da mihi regem et principes; ego tibi respondebam per Samuelem, quod daturus tibi essem in furore meo, et ablaturus in indignatione mea. Perditus est omnis hæreticus et corruptioni traditus; qui enim corrupit templum Dei, corrumpet illum Dominus : et in nullo alio habet auxilium, nisi in sola misericordia Dei, quam pœnitudine consequitur. Hujus rex et judices diabolus est et dæmones, sive omnes principes dogmatum perversorum, qui eos tempore necessitatis et angustiæ liberare non poterunt, qui dati sunt in furore, et auferentur in indignatione : non quod Dominus tales eos voluerit habere reges : alioquin non auferret quos sponte dederat, sed quod dimiserit eos voluntatibus suis : ut comedentes et incrassatis carnibus, nausearent, et evomerent per nares suas, et odisse inciperent eos, quos tanto studio sequebantur.

(Vers. 12 et 13.) *Colligata est iniquitas Ephraim : absconditum peccatum ejus : dolores parturientis venient ei, ipse filius non sapiens : nunc enim non stabit in contritione filiorum.* LXX : *Congregatio iniquitatis Ephraim : absconditum est peccatum ejus : dolores quasi parturientis venient ei : iste est filius tuus sapiens : quia nunc non sustinebit in contritione filiorum.* Quomodo si ligetur quid in sæculo, conservatur, et non perit ei cui ligatum est : sic omnis iniquitas qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei, et abscondita quasi in marsupio reservatur. Denique cum dies ultionis advenerit, et extrema captivitas, dolores quasi parturientis venient ei, sive apprehendent illum. Mulier **151** parturiens multo antequam pariat, ex eo tempore quo concepit, scit se esse parituram, et exspectat quotidie extrema tormenta cruciatusque venturos. Ita et Ephraim filius insipiens, de quo supra dixerat : *Ephraim columba insipiens, non habens cor in contritione filiorum et populi sui,* Cum [c] dies parturitionis et captivitatis advenerit, aut stare aut sufferre non poterit. Pro *Insipiente filio* in LXX per ironiam legitur : *Iste filius sapiens*, hoc est quem sapientem putabas, ut e contrario intelligatur insipiens. Omnibus autem hæreticis iniquitas colligata est, quam in excelso locuti sunt : et absconditum est peccatum eorum, dum se putant venena sui cordis abscondere et habere secreta : quæ cum dies parturitionis advenerit, dolore ejulationibusque pandentur. Iste Ephraim filius insipiens est, quia Dei sapientiam dereliquit, de quo in Jeremia scriptum est : *Norissi-*

[a] Duo mss. *et confinxerunt, et secuti sunt*, etc.

[b] Totam hanc pericopem, *et principem, et dedi tibi regem, et principem, et dedi tibi regem*, quæ solemni errore ob ejusdem vocis *regem* occursum in Benedictina editione fuerat prætermissa, nostrorum codicum ope suffecimus.

[c] Particulam *in*, quam cum bonæ locutionis damno Benedictina obtrudebat editio, post Victorium ad mss. fidem delevimus. Pleraque autem id genus alia taciti castigamus.

*num ejus erit insipiens* (*Jer.* XVII), et in contritione filiorum suorum quos interfecit, quos jugulavit Dei iram sustinere non poterit.

(Vers. 14.) *De manu mortis liberabo eos : de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors : ero morsus tuus, inferne. Consolatio abscondita est ab oculis meis : quia ipse inter fratres dividet* [Al. *dividit*]. LXX : *De manu inferni liberabo eos, de morte redimam illos : ubi est causa tua, mors? ubi est aculeus tuus, inferne? consolatio abscondita est ab oculis meis : quia ipse inter fratres dividet* [Al. *dividit*]. Secundum utramque intelligentiam Ephraim, hoc est, et decem tribuum, et hæreticorum, qui sustinere non poterunt in contritione filiorum suorum, cum dolores quasi parturientis advenerint, Dominus pollicetur de manu mortis se eos liberaturum, et de morte redempturum. Manum autem mortis appellat opera quibus interficit, juxta illud quod scriptum est : *In manu linguæ mors et vita* (*Prov.* XVIII, 21). Liberavit autem omnes Dominus, et redemit in passione crucis et effusione sanguinis sui : quando anima ejus descendit in infernum, et caro ejus non vidit corruptionem, et ad ipsam mortem atque **152** infernum locutus est : *Ero mors tua, o mors.* Idcirco enim mortuus sum, ut tu mea morte moriaris. *Ero morsus tuus, inferne*, qui omnes tuis faucibus devorabas. Vidensque mortis duram necessitatem, et quod nullus sit hominum qui vivat et non videat mortem (*Psal.* LXXXVIII), clementissimus pater sententiæ recordatur antiquæ : quia [*Al.* qua] in Adam omnes morimur (1 *Cor.* XV). Sive propheta intelligens fragilitatem suam, et conditionem carnis humanæ : *Consolatio*, ait, *abscondita est ab oculis meis*, et est sensus : Non valeo consolari, quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare, cernentis [*Al.* cernens], charissima inter se nomina morte sejungi : ipse enim [*Al.* inquit] infernus inter fratres dividit. Quidquid igitur separat fratres, infernus est appellandus : et maxime mulier meretrix, quæ vocans insipientem ad se, dicit in opibus prudentiæ : Panes occultos libenter attingite, et aquæ furtivæ dulcedinem [a] bibite : et nescit insipiens, quoniam terrigenæ apud eam pereunt, et in profundum inferni incurrunt. Quidquid enim non licet, magis desideratur, et quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. Et mel distillat de labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impinguat fauces insipientis, novissime autem amarius felle invenitur, et acutius magis quam gladius utrimque acutus (*Prov.* V). Quicumque terrigena est, et de cœlo non nascitur, interficitur ejus amplexibus, et ligatur institis lectulorum, et insipientiæ pedes deducunt eos, qui utuntur ea, cum morte ad inferos. Inter mortem autem et inferos, hoc interest : Mors est, qua anima separatur a corpore : infernus, locus in quo animæ recludantur, sive in refrigerio [b], sive in pœnis, pro qualitate meritorum. Hoc diximus, ut ostenderemus, id mortem facere, quod meretricem mulierem. Mors enim dividit fratres, hoc et mulier facit. In fratribus, omnem intellige charitatem, quod et mater dividatur a filia, et patera filio, et frater a fratre. Quod autem aliud sit mors, et aliud infernus, et psalmista **153** demonstrat, dicens : *Non est in morte qui memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI, 6) ? Et in alio loco : *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes* (*Ps.* LIV, 16). Pro eo quod nos interpretati sumus : *Ero mors tua, o mors : ero morsus tuus, inferne*, LXX, transtulerunt : *Ubi est causa tua, o mors ? ubi est stimulus tuus, inferne ?* Pro quo Apostolus posuit : *Absorpta est mors in* [c] *contentione ; ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (1 *Cor.* XV, 54 *et seqq.*)? Et exponens virtutem testimonii intulit : *Aculeus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex ; Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Itaque quod ille in resurrectionem interpretatus est Domini, nos aliter interpretari nec possumus, nec audemus. Potest mors, et infernus et diabolus accipi, qui Christi morte jugulatus est, de quo et Isaias loquitur : *Devoravit mors invalescens* (*Isai.* XXV, 8, *sec.* LXX). Et postea sequitur : *Abstulit Dominus omnem lacrymam ab omni facie.* Duos autem fratres inter se morte divisos, juxta historiam illius temporis, quidam Israel et Judam intelligunt : ut quod tunc figurabatur in parte, nunc sentiatur in toto, et cum omni humano genere Israel et Judas liberandus sit et redimendus. In eo loco, in quo LXX transtulerunt, *ubi est causa tua?* et nos diximus, *ero mors tua :* Symmachus interpretatus est, *ero plaga tua :* Quinta editio et Aquila : *ubi sunt sermones tui ?* [d] quod Hebraice scribitur DABARACH (דברך) : legentes DABAR, hoc est, *verbum*, pro DEBER,

[a] Verbum *bibite*, neque Victorius, neque nostri habent mss.

[b] De purgatorii loco post hanc vitam, ex hoc Hieronymi testimonio Victorius prolixe disputat : quod ut apposite faceret, et luculentissime, otio tamen abutatur, qui in eam rem conferre huc velit, quæ vix proprio opere, ingentibus autem libris theologi disseruere. Quid vero si nulla hic purgatorii sit mentio ? Equidem opinor quod ait Hieron. *in refrigerio*, beatorum sedes intellexisse, quibus opponit damnatorum pœnas. Nemo est autem hominum qui nesciat, commune esse præmiis ac suppliciis denotandis inferni nomen : nec aliud primitus significare quam, quod ipse notat S. Doctor, separatarum animarum locum.

[c] Sic vetus ferebat Latina interpretatio : Porro Victorius, Clarum, inquit, ex hoc loco apparet I Cor. XV, Hieronymum legisse νεῖκος, contentio, non νῖκος victoria, ut est in Vulgata editione, et eodem modo locum citat XIII Isaiæ capite, secunda expositione, scribens his verbis : *Unde et Apostolus Paulus, interfecta morte, ad quam per Osee sermo propheticus loquebatur : Ero mors tua, o mors ; ero morsus tuus, inferne : loquitur ad eam : Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Tertullianus quoque eodem modo locum citat. Et Cyprianus ad Quirinum ita scribit : *Tunc fiet verbum quod scriptum est. Absorpta est mors in contentionem : Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua ?* Vetustissimus Vaticanæ bibliothecæ Græcus codex hanc retinuit lectionem : εἰς νεῖκος enim habet, ubi nos habemus εἰς νῖκος ; est autem νεῖκος pugna, contentio, λοιδορία, jurgium, ut penes Homerum in Odyssea.

[d] Legit Hieronymus more Chaldaico *Dabarach*,

quod interpretatur *mors* : juxta illud quod in Isaia legimus : *Mortem misit Dominus in Jacob, et venit in Israel* (*Isai.* IX), hoc est, *deber*, pro quo nos interpretati sumus : *Verbum misit* [a] *Dominus in Jacob, et venit in Israel*, id est, *dabar*. Pro aculeo quoque, quem nos *morsum* transtulimus : Symmachus ἀπάντημα, id est, *occursum* : Theodotion et quinta editio, *plagam, et conclusionem* interpretati sunt.

(Vers. 15.) **154** *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.* LXX : *Adducet urentem ventum Dominus de deserto super eos, et siccabit venas ejus, desolabit fontes illius ; iste arefaciet terram ejus, et omnia vasa desiderabilia.* Legi in cujusdam Commentariis, ventum urentem quem adducet Dominus de deserto, illum esse qui percusserit domum Job in quatuor angulis, et fecerit eam super filios ruere convivantes (*Job.* I), et unum esse de his ventis, quos in Evangelio legimus flare et venire cum turbine, pluviis atque fluminibus, ut subvertant domum, quæ super petram ædificata est, sive super arenas (*Matth.* VII). Quod nequaquam mihi videtur : neque enim in Job scriptum est, quod ventum de deserto Dominus adduxerit ; sed nomen Domini tacitum est, ut ventus de solitudine, qui contra sanctum virum sua venerat voluntate, contraria possit accipi fortitudo, et venti qui domorum fundamenta subvertunt, utique ad bonam partem non poterunt referri. Superest ut ventum urentem quem adducet Dominus de deserto ascendentem, illum intelligamus, de quo et in Abacuc legimus : *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan* (*Abac.* III, 3) : qui utique in solitudine et in meridie situs est. Et in Cantico legimus : *Ubi pascis, ubi cubas in meridie* (*Cant.* I, 6) ? Hunc itaque ventum urentem, qui siccet venas mortis, et fontes ejus arefaciat, adducet Dominus de deserto ascendentem : de deserto autem humani generis, in quo et diabolus quærens requiem, invenire non potuit. Sive desertum intelligimus sanctæ Mariæ uterum virginalem, quod absque semine humano nullo [*Al.* nulla] frutice pullulaverit : sed virga simplex atque purissima et [b] unione fecunda ediderit eum florem qui dicit in Cantico canticorum : *Ego flos campi et lilium convallium* (*Cant.* II, 2). Et pulchre tam in **155** Isaia, quam in præsenti loco, flos ascendens et ventus ascendens dicitur ; quia de humilitate carnis ad excelsa conscendit, et nos secum duxit ad Patrem, dicens in Evangelio ; *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32). Ipse quasi radix ascendet de terra inhabitabili, et nequaquam mors in eum, sed ipse morti superveniet, neque enim mors in eo ullam suæ potestatis viam reperit, et hoc est, quod in Proverbiis dicitur : *Impossibile est super petram serpentis invenire vestigia* (*Prov.* XXX). Et ipse loquitur in Evangelio :. *Ecce veniet princeps mundi hujus, et inveniet in me nihil* (*Joan.* XIV, 30). Iste siccabit venas mortis, et desolabit fontes ejus. Venæ mortis et fontes et aculeus, peccata ab Apostolo nominantur : quibus arefactis, mors quoque ipsa siccabitur. Quodque sequitur ; *Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis*, dupliciter accipitur, sive quod desiderabilia sunt his, qui in morte habitant, sive vasa desiderabilia quæ in thesauro retinebantur inferni, sanctos intelligimus, quos alligatos forte Dominus [c] eripuit et tulit de inferis, et quasi vasa pretiosissima secum perduxit in paradisum. Pro *thesauro*, LXX *terram* transtulerunt ; terra haud dubium [d] quin mortem significet. Et in Psalmis legimus ; *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13). Et juxta Evangelium ; *Mites possidebunt terram* (*Matth.* V). Econtrario debemus accipere terram inferni non esse terram viventium, sed mortuorum, quæ diripitur atque vastatur, quando morte Christi vinctæ apud inferos animæ liberantur. Secundum tropologiam in eisdem (de quibus supra diximus) Commentariis legimus ventum urentem, diabolum intelligi et singulos hæresiarchas. Quod nobis displicet ; Neque enim diabolus venas mortis fontesque erroris siccare potest : cum ipse fons et initium mortuorum sit. Itaque sermo Ecclesiasticus, urens intelligendus est ventus, qui omnia hæreticorum dogmata arefaciat et perducat ad nihilum, et diripiat eos atque dispergat, qui hæreticorum doctrina in morte fuerant congregati.

(Cap. XIV. — Vers. 1.) **156** *Pereat Samaria : quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum : in gladio pereant : parvuli eorum elidantur, et fœtæ ejus discindantur.* LXX : *Disperdetur Samaria quoniam restitit Deo suo, in gladio corruent, et lactentes eorum elidentur ad* [e] *petram, et habentes in utero disrumpentur.* Sæpe diximus decem tribus appellari Samariam

non *Devarecha* juxta Massorethharum punctationem hodiernam. MART. — Fortasse *Dabarich* scripsit S. Doctor, nam et *Dabari* nostri legunt mss. et דבריך hodiernus quoque textus Hebraicus præfert.

[a] Deerat hic *Dominus* quod supplent mss. Pro *venit* Hieronymian. versio ipsa *cecidit*.

[b] Scilicet sui singularitate, aut *unitate*, absque hominis commercio. Vide quæ annotavimus in Epist. XXII ad Eustoch. de Virginitate, num. 19, ad ea verba : *Virga Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente, et ad similitudinem Dei* UNIONE *secunda.*

[c] Ex hoc loco multa obscuriora apud Hieronymum sunt explananda, nam conceptis verbis asserit animas vinctas apud inferos morte Christi liberatas. MART.—Sic mss. antea erat *eripuit, et rapuit, et tulit.*

[d] Eadem est in Apologia Pamphili pro Origene, quam Rufinus Latine vertit, tropologica hujus sententiæ expositio, ut terra ad mortem significandam accipiatur. Unde minime ferendus est Drusius, qui Hieronymi hanc interpretationem, quasi novam atque abnormem, sannis ac risu excepit. In uno Palatin. mss. *haud dubium quin mortis significet.*

[e] Victorius corrigit *ad terram*, pro *petram*, ex ipsa Hieronymi expositione subnexa, et novem mss. exemplaribus, Brixiæ quinque, Florentiæ quatuor. Vox Græca est ἐδαφισθήσεται : significat autem ἐδαφίζω prosterno, terræque allido : quippe cum ἔδαφος solum pavimentumque notet, non *petram*. Suidæ quoque ἔδαφος, hoc est, terra, exponitur, non petra.

a metropoli Samaria, quæ ex nomine Augusti nunc vocatur Augusta, id est, Sebaste. Cur autem Samaria dicta sit civitas, in Regum volumine legimus. Imperat igitur propheta, et, ut verius dicam, optativo modo loquitur, ut Samaria pereat. Cui cum Deus tanta præparârit bona, illa contra Deum faciat, et magis dæmonum simulacra sectetur. Symmachus autem non dixit *pereat*, sed μεταμελήσει, id est, *aget pœnitentiam*, suique eam pœnitebit erroris, quod dulcissimum Deum in amaritudinem verterit, ita ut bellatores ejus in gladio pereant, parvuli et lactentes elidantur ad terram, et fetæ ejus atque prægnantes disrumpantur in mortem. Quæ omnia ei accidisse credendum est tempore captivitatis et angustiæ, quando suam patriam perdiderunt, et qui evasere gladium, in servitutem perpetuam sunt abducti. De hæreticis facilis intelligentia est, quod vocentur Samaria, eo quod Dei præcepta servare se jactent, non quod custodes sint Legis ejus; sed quod hoc esse se dicant, in similitudinem schismatis Novatianorum, qui et ipsi καθαροὺς, id est *mundos*, se vocant, cum sint omnium immundissimi, negantes pœnitentiam, per quam peccata mundantur, juxta illud quod scriptum est: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Ps.* x). Et in Isaia: *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I, 16). Lavacrum autem non baptismum vocat, sed omnem pœnitudinem, quæ sordes abluit peccatorum. Pereat igitur hujuscemodi Samaria: quia quidquid loquitur, repugnat Deo suo, et clementiam ejus vertit in crudelitatem, usque adeo, ut qui viri sunt apud illam et ad malitiæ [*Al.* militiæ] ætatem venere perfectam, spirituali mucrone truncentur. **157** Qui autem parvuli atque lactentes, elidantur ad petram. De quibus et in psalmo legimus: *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Ps.* CXXXVI, 9). Fetæ quoque ejus atque prægnantes quæ de malo semine conceperunt, ideo disrumpentur, ne pessimos liberos faciant. Tale quid et in Evangelio nobis subjicitur: *Væ prægnantibus et nutrientibus in diebus illis* (*Luc.* XXI, 23): diebus videlicet tribulationis et angustiæ. Interficiuntur autem et bellatores Samariæ gladio, et lactentes eliduntur, et prægnantes disrumpuntur: ut, pereunte malo semine, zizaniisque ejus exustis, solum remaneat triticum, quod in Domini horrea recondatur.

(Vers. 2, 3 et 4.) *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua, tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum; dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum nostrarum, quia ejus qui in te est miserebeberis pupilli* [*Al.* populi]. LXX: *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quia infirmatus es in iniquitatibus tuis: sumite vobiscum sermones, et revertimini ad Dominum, dicite ei ut non tollatis iniquitatem, sed assumatis bona, et reddemus fructum labiorum nostrorum. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nequaquam ultra dicemus: Dii nostrii, operibus manuum nostrarum: qui in te est miserebitur pupilli*. Pereunte Samaria, et viris ejus, et parvulis et prægnantibus occisis, elisis atque discissis, totus Israel ad pœnitentiam provocatur: ut qui infirmatus est, sive corruit in iniquitatibus suis, revertatur ad medicum et recipiat sanitatem, vel stare incipiat qui corruerat: doceturque quomodo debeat agere pœnitentiam. *Tollite*, inquit, *vobiscum verba*, id est, preces, et delictorum confessionem, et convertimini ad Dominum tam verbis quam operibus; et dicite ei: *Omnem aufer iniquitatem*, nihil languoris in nobis et ruinæ pristinæ derelinquas, ne rursum mali seminis pullulent rediviva plantaria: *et accipe*, inquit, *bonum*: Nisi enim tuleris mala nostra, bonum tibi quod offeramus, habere non possumus, juxta illud quod alibi scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum, et reddemus*, ait, *vitulos labiorum nostrorum* (*Ps.* XXXVI, 27). Pro vitulis qui Hebraice appellantur **158** PHARIM (פָּרִים), *fructum* Septuaginta transtulerunt qui dicitur PHERI (פְּרִי), falsi sermonis similitudine. Vituli autem labiorum, laudes in Deo sunt et gratiarum actio: *Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus* (*Ps.* L, 19). Igitur illo jam tempore carnalibus victimis reprobatis, placabilis Deo hostia est pura confessio. Qui reddituros se esse dicunt labiorum vitulos, et Dei laudes perpeti voce canturos, etiam illud repromittunt quod nequaquam in Assyriis spem habeant, nec super equos Ægyptios, quia fallax equus ad salutem (*Psal.* XXXII), et ultra non adorent opera manuum suarum, vitulos aureos, quos in Dan Bethelque conflaverunt, et idcirco, inquiunt: Nequaquam operi manuum nostrarum dicemus: dii nostri, quia tu ejus qui in te est pupilli [*Al.* populi] miserebeberis, hoc est, populi Israel, de quo dixeras: *Filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* IV, 22). Et: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt* (*Isai.* I, 2). Et in alio loco: *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Ps.* XVII, 46). Pupillus autem vocatur, quia Deum perdidit patrem. Quidam autem pupillum exposuit eum qui a malo patre recesserit diabolo, et idcirco Dei misericordia sublevetur. Ad omne quoque dogma perversum quotidie propheta loquitur, et sectatores ejus ad pœnitentiam provocat, dicens: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, qui corruistis, sive elanguistis, Domini perdita sanitate: tollite vobiscum verba, veram fidei confessionem et dicite: Aufer iniquitatem quæ in nostro corde versatur, et accipe bonum fidei: *Quia* [Al. *quæ*] *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Vituli et victimæ, sive fructus labiorum, sunt in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et in passionem et resurrectionem Domini credere: quam qui obtulerit ei, nequaquam sperabit in rege Assyrio, de quo crebro diximus. Nec ascendet super equum quem præcipit Dominus nequaquam multiplicandum (*Deut.* XVII), quem habens Pharao, cum suo est demersus equitatu (*Exod*, XIV). Omnis enim hæreticus ascendit equos per superbiam, quos in errore suo ipse generavit. Et nequaquam ultra dicent operibus manuum suarum, quæ ipsi artifici elo-

quio confinxerunt, dii nostri. Gulosi venter deus est: avarus colit mammona, hæreticus dogma quod finxit; qui universa hæc deseruerit, id est, Assur et equum et **159** opera manuum suarum, revertetur ad Dominum, et placabit patrem suum a quo fuerat abjectus.

(Vers. 5 seqq.) *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eo* [Vulg. *eis*]: *ero quasi ros.* [a] *Israel germinabit quasi lilium, et erumpet radix ejus ut Libani : ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, et germinabunt quasi vinea. Memoriale ejus sicut vinum Libani. Ephraim quid mihi ultra idola : ego exaudiam et dirigam eum : ego ut abietem virentem, ex me fructus tuus inventus est.* LXX: *Sanabo habitatores eorum : diligam eos manifeste, quia aversa est ira mea ab eis, ero quasi ros : Israel florebit ut lilium, et mittet radices suas quasi Libanus : ibunt rami ejus, et erit quasi oliva fructifera, et odor illius quasi Libani, convertentur et sedebunt sub umbra ejus : bibent et* [b] *inebriabuntur frumento, et efflorebit ut vinea memoriale ejus quasi vinum Libani Ephraim. Quid ei ultra et idolis? ego humiliavi eum, et ego confortabo illum, ego sicut juniperus condensa : ex me fructus tuus inventus est.* Conversis ad pœnitentiam, et instar pupilli patrem quem reliquerant cognoscentibus, respondit Deus: *Sanabo contritiones*, vel *habitacula eorum* in quibus fuerant vulnerati, sive confracti, vel in quibus tam male habitaverant: *diligam eos spontanee;* quod LXX transtulerunt [c] ὁμολογουμένως, *perspicue* atque *aperte*, vel *absque ulla dubitatione*. Diligit autem Dominus diligentes se, de quibus et in alio loco ait: *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* VIII, 17). Qui enim prius irascebar eis propter peccata quæ fecerant: nunc miserebor propter clementiam meam. Et *ero eis quasi ros;* ut fornacem Babylonicam, et caminum æstuantis incendii meo rore restinguam, qui et per Isaac patriarcham ad Jacob servum meum locutus sum: *De rore cœli erit habitaculum tuum.* Quomodo enim Dominus fit credentibus lumen, via, veritas, panis, vinea, ignis, pastor, agnus, janua, vermis, etc.: sic qui indigemus illius misericordia, et peccatorum febribus æstuamus, in rorem nobis vertitur, ad quem dicit Isaias: *Ros enim qui a te est, sanitas* **160** *eorum est* (*Isai.* XXVI, 19, *sec.* LXX). Et in Deuteronomii Cantico Moyses loquitur: *Descendant sicut ros verba mea* (*Deut.* XXXII, 2). Cum autem nos Dominus suo rore resperserit, et siccitatem pectoris nostri suis pluviis irrigarit, germinabimus, immo florebimus ut lilium, imitantes Dominum Salvatorem, qui dicit in Cantico canticorum: *Ego flos campi et lilium convallium* (*Cant.* II, 1), et loquitur ad sponsam suam, quæ non habet rugam neque maculam: *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.* Cumque creverimus in Domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Harum arborum rami huc illucque tenduntur, ut veniant volatilia cœli et habitent in eis. Et ne forsitan putaremus, quia dixerat, erumpet radix ejus, sive emittet radices suas quasi Libanus, de cedris eum loqui et infructuosis arboribus, sanctum virum et conversum ad Dominum, olivæ frugiferæ comparat, qui dicit in alio loco: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI, 1). Cujus fructum quinque sibi sapientes virgines paraverunt (*Matth.* 25), ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accenditur, unguntur in agone certantes. Hæc oliva habebit odorem quasi Libani, vel thuris, quod genus est thymiamatis: ὁμωνύμως [d] apud Græcos et Hebræos et mons appellatur, et thus, vel certe montis Libani, qui fertilissimus et virens, densissimis arborum comis protegitur, ita ut possit oliva dicere: *Christi bonus odor sumus* (II *Cor.* II, 16). Qui autem conversi fuerint ad Dominum, accipient conversionis suæ præmium, ut sedeant in umbra ejus et dicant: *Sub umbra ejus requievi et sedi, et fructus ejus dulcis est in ore meo* (*Cant.* II, 3). Cumque sederint in umbra illius, vivent qui prius mortui fuerant, sive juxta Septuaginta, bibent et inebriabuntur tritico, hoc est, rerum omnium abundantia. Quod autem hic ebrietas non eversionem mentis, sed copiam rerum **161** omnium significet, versiculus ille declarat, dicens: *Visitasti terram et inebriasti eam* (*Ps.* LXIV, 10). Et Joseph convivium, in quo inebriasse dicitur fratres suos (*Gen.* XLIII). Et Dominus loquens ad apostolos: *Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, fratres* (*Cant.* V, 1). Sive quia Dominus noster ipse est frumentum et vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur. Denique sequitur: *Et florebit quasi vinea memoriale ejus sicut vinum Libani.* Vinum autem Libani possumus appellare mixtum et conditum thymiamate, ut odorem suavissimum habeat, vel vinum Libani quod Domino libatur in templo, de quo in Zacharia sub Libani vocabulo legimus: *Aperi* [e], *Libane, portas tuas* (*Zach.* XI, 1). Cum ergo

[a] Legendum nectendumque isocolon ita: Ero *quasi ros Israeli : germinabit*, etc. Consule quæ in Pseudo-Rufinum observamus.

[b] Martian. *inebriantur*, contra mss. et Græcum textum: μεθυσθήσονται.

[c] Palatini mss. ὁμολόγως, quod idem est.

[d] Apud Hebræos לבנון, *Lebanon*, significat thus et montem Libani, similiter apud Græcos *Libanus* est mons et thymiama: unde Hieronymus uno nomine dicit appellari montem et thymiama. MART. — Verius sane in Commentariis in Abacuc, cap. II, juxta Græcum dumtaxat sermonem ὁμώνυμον esse thuri Libanum dixit: quamquam enim haud constat, utrum ita appellatus a thure sit Libanus, immo propius ad fidem videatur, nomen sumpisse ab albedine, nivium scilicet, quibus tegitur, ut Alpes dictæ sunt ab *alpo*, sive *albo:* certum tamen est, Græce *Libanon* thus dici. In Hebræo autem quædam est vocis similitudo, nam incensum לבונה dicitur, mons ille לבנון.

[e] Victorius ait: De vino, quod inter Missarum mysteria, Christi sanguis effectum, Domino libatur, offerturque, intelligit: de qua re diserte Malachiæ

tanta rerum abundantia sit futura, o Ephraim omnis, qui agis pœnitentiam, et qui meus esse cœpisti, dimitte idola, simulacra contemne : ego enim sum qui humiliavi te, et ego exaltabo te, sive ego exaudiam et dirigam, et faciam eum quasi abietem virentem, ut de illo juxta Hebræos dicatur in psalmo : [a] *Abies domus ejus* ( *Ps.* CIII, 18 ). Aut certe ego ero quasi juniperus condensa, ut sub mea umbra requiescat. De ἀρχεύθοις, id est, *juniperis*, juxta Septuaginta Interpretes, Salomon januas templi fecisse memoratur, quia Christus, per quem ad Patrem accedimus, hanc habet naturam, ut semper floreat, semper novos afferat fructus, et numquam deponat virorem suum. Hæc juniperus sub umbra sua quiescentibus, ne mundi hujus ardore feriantur, et percutiat æstus caput eorum, sicut quondam percussit et Jonæ ( *Cap.* IV ), dat fruges, et non solum dormientibus requiem et sedentibus ; sed et saturitatem vescentibus præbet. Quidquid secundum ἀναγωγήν interpretati sumus, in adventu Domini Salvatoris, et in conversione veri Israel, hoc tam ad hæreticos et Judæos, quam ad gentes et ad omne dogma perversum referri potest : ut cum egerint pœnitentiam, veniam consequantur. **162** Si ergo plenitudo repromissionis adimpleta est in adventu Salvatoris, et quotidie impletur in Ecclesia, credendum est quod plenius impleatur, quando perfectione veniente, quod nunc ex parte est, destruetur. Notandum quod sæpe jam diximus, salutem Israelis et reversionis ad Dominum, et de captivitate redemptionem, non carnaliter accipere, ut Judæi putant, sed spiritualiter, ut verissime comprobatur.

( Vers. 10. ) *Quis sapiens et intelliget ista ? intelligens et sciet hæc ? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis, prævaricatores vero corruent in eis.* LXX : *Quis sapiens et intelliget hæc, aut intelligens et cognoscet ea ? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt* [ Al. *ambulant* ] *in eis : qui autem impii sunt, infirmabuntur in illis.* Quando dicit : *Quis sapiens et intelliget hæc ? intelligens et cognoscet ea ?* obscuritatem voluminis et difficultatem explanationis ostendit. Si autem ipse qui scripsit, vel difficile, vel impossibile confitetur : quid nos facere possumus, qui lippientibus oculis et peccatorum sordibus obscuratis, claris-simum jubar solis non possumus intueri, nisi dicere illud quod scriptum est : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* ( *Rom.* II, 33 ) ! Quis enim potest absque Christo docente cognoscere quid significet Jezrael : quid soror ejus, non misericordiam consecuta : quid tertius frater, non populus meus : quæ sit adultera, quæ sine lege Dei multo sessura sit tempore : quod sit pactum cum bestiis terræ, et cum volatilibus cœli : qui sit David ad quem populus reversurus sit, cujus sit die tertia resurrectio, et egressus ejus diluculo comparetur : quæ sit pluvia prima et novissima : qui sit quem propheta dicit esse venturum, qui nobis monstret justitiam, aut in cujus typo Israel educatur ex Ægypto, et portetur in brachiis, et ducatur in funiculis charitatis : qui sit qui **163** interficiat mortem, et siccet venas ejus et fontes arefaciat, et diripiat vasa quæ in thesauro condita tenebantur, et cætera quæ longum est retexere ? Unde quicumque sanctus et justus est, rectas vias Domini esse cognoscet. Vias autem Domini esse cognoscimus lectionem veteris et novi Testamenti, sanctarum intelligentiam Scripturarum. In his viis qui ambulat, nisi convertatur ad Dominum et ablatum ab eo fuerit velamen, quod erat ante oculos Moysi, rectum iter invenire non poterit. Sin autem dixerit cum David : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* ( *Ps.* CXVIII, 18 ), ambulabit in eis, et Christum inveniet : et Judæos atque hæreticos, quos vel prævaricatores vel impios Scriptura nunc nominat, offendere in eis, et infirmari atque corruere sentiet, juxta illud quod scriptum est : *Ecce iste positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel* ( *Luc.* II, 34 ).

primo capite his verbis prodit : Non in una orbis provincia Judæa, nec in una Judææ urbe Jerusalem, sed in omni loco offerri oblationem, nequaquam immundam, ut a populo Israel, sed mundam, ut in cæremoniis Christianorum. Item Ezechielis XLVI. : Sacrificium Deo, legitimum, juge, atque perpetuum : quod nulla intermittitur die, sed omni tempore orto sole semper offertur, ut impleatur quod in fine capituli hujus ponitur : *Faciet agnam in sacrificium : et oleum mane, mane holocaustum sempiternum.* Quæ verba quantum nostri temporis Novatores, qui sacrificium, quo numquam caruit terrarum orbis, ab Ecclesia tollunt, convincant, nemo non videt.

[a] Victorius : Psalmo, inquit, CIII, ubi nos juxta LXX legimus : *Herodii domus dux est eorum* : in Hebraico scriptum est ברושים בּיתה : vox autem בראש *abietem* significat, ut in Reg. V et II Par. III. Item Isai. XLI et LX, licet non ignorem LXX, II Par. II, vertisse ἄρκευθος, id est, juniperus.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM IN JOELEM PROPHETAM

LIBER UNUS.

AD PAMMACHIUM.

## Prologus.

**165 - 166** Non idem ordo est duodecim prophetarum apud septuaginta interpretes, qui in Hebraica veritate retinetur. Illi enim ponunt secundum Amos, tertium Michæam, quartum Joel, quintum Abdiam, sextum Jonam, septimum Naum, octavum Abacuc, nonum Sophoniam, decimum Aggæum, undecimum Zachariam, duodecimum Malachiam: Hebræi autem post Osee, qui apud utrosque primus est, secundum legunt Joel, tertium Amos, quartum Abdiam, quintum Jonam, sextum Michæam, septimum Naum, octavum Abacuc, nonum Sophoniam, decimum Aggæum, undecimum Zachariam, duodecimum, qui et ultimus est, Malachiam. Et quia semel omnes unius voluminis prophetas enumeravimus, utile nobis videtur ἐτυμολογίας singulorum et Græce et Latine breviter annotare. Osee interpretatur σώζων, quem nos *salvatorem* possumus dicere. Joel ἀρχόμενος, id est, *incipiens*. Amos, βαστάζων, qui apud Latinos *portans* dicitur. Abdias δοῦλος Κυρίου, id est, *servus Domini*. Jonas, περιστερά, hoc est, *columba*. Michæas, τίς ὡς [Al. ὁστισοῦν], ex duabus orationis partibus nomen compositum, quod apud nos sonat, *quis quasi*, aut *quis velut?* Naum, παράκλησις, id est, *consolatio*. Abacuc, περιλαμβάνων, id est, *amplexus* sive *luctans* [Al. *amplexans*]. Sophonias, κεκρυμμένος Κυρίου, hoc est, *arcanus Domini*. Aggæus, ἑορτάζων, quem nos *festivum*, sive *solemnem* possumus dicere. Zacharias, μνήμη Κυρίου, id est, *memoria Domini*. Malachias, ἄγγελός μου, id est, *nuntius meus*. Quæ omnia quo sensu accipienda sint, in suis voluminibus disseretur. Quatuor autem reliqui prophetæ, ut sedecim compleamus, Isaias, Ezechiel, Jeremias, Daniel, hanc habent intelligentiam: Isaias σωτηρία Κυρίου dicitur, id est, *salus Domini*: Ezechiel κράτος Κυρίου, quod nos *robur* vel *imperium Domini* **167-168** possumus appellare: Jeremias ὑψηλὸς Κυρίου, id est, *excelsus Domini*: Daniel, ἔκρινε με Κύριος, id est, *judicavit me Dominus*. Quæ cum ita se habeant, obsecro, mi Pammachi, qui omni arte [a] pugnandi adversum diabolum dimicas, ut nobis contra Amalec pugnantibus leves cum Moyse ad Dominum manus, et adversarios Israel orationibus superes. Nuper de Ægypto egressi sumus, et in Osee Pharaone submerso, Rubrum transivimus mare (*Exod.* XIV, XV): nunc post latam eremi vastitatem, multo nobis labore sudandum est, ut ad Septuaginta palmas et fontes apostolicos pervenire valeamus. Insurgat licet scorpio, et arcuato vulnere ferire conetur: tu comes itineris, et excantator venenatorum morsuum, [b] spiritualem nobis ψυλλέα randa, ut prudenti lectori manifestum est. MART. — Alludit, quam Plutarchus narrat, de Catone historiam, qui Libyæ deserta penetraturus, itineris comites et excantatores venenatorum morsuum Psyllos habuit. Psyllorum porro, hominum Cyrenaicam regionem olim incolentium, notissima ea est apud veteres scriptores ingenita virtus contra serpentes et feras, a quibus non modo ipsi non læderentur, sed et alios innocuos facerent. Videndus in hanc rem præ cæteris Strabo lib. XVII, et Dio Cassius in Cæsar. Octaviano, ubi Cleopatræ corpori, ut vitæ restitueret, Psyllos tradit adhibuisse. Plinius quoque lib. VII, cap. 2, et quæ Lucanus cecinit lib. IX:

Gens unica terras
Incolit a sævo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis;
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. Natura locorum
Jussit, ut immunes mixti serpentibus essent.

[a] Verbum *pugnandi* duo mss. ignorant. Alludit Pammachii nomen.

[b] Quanta sit depravatio hujus vocis et sententiæ Hieronymi, vix poterit mente comprehendere, qui eam oculis viderit in antiquis editionibus Erasmi et Mariani, qui absurdissimum ostendunt S. Hieronymum legentes Ψηφιστὴν, id est, *suffragatorem*, vel *calculatorem*, non ψυλλέα, hoc est, *Psyllum* juxta fidem omnium mss. codicum. Sunt autem Psylli populi Libyæ in Africa, a Psyllo rege dicti, quibus est virus ingenitum exitiale serpentibus, et cujus odore eos possunt sopire. Vide Plin. lib. VII, cap. 2. Scribit porro Plutarchus in Catone, eumdem Catonem per deserta Libyæ iter facientem, secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, ore trahentes venenum, et ipsos serpentes cantibus mitigantes. Totum hunc locum respicit S. Doctor, qui in Pammachio spiritualem cupit habere *Psyllum*, ad æmulorum atque hæreticorum virus ac venena supe-

exhibe : quodque sanctæ ac venerabili Paulæ parenti tuæ pollicití sumus, pius hæres suscipe, et quidquid vel ingenio vel doctrina minus tua exspectatione possumus, amici favore sustenta, nec in nobis vires consideres, sed voluntatem.

# *INCIPIT LIBER.*

**167** (Cap. I.—Vers. 1.) *Verbum Domini quod factum est ad Joel filium* [a] *Phatuel.* Septuaginta interpretes pro PHATUEL (פתואל) verterunt *Bathuel ;* quod apud Hebræos omnino nil resonat. *Phatuel* autem in linguam nostram vertitur *latitudo Dei,* vel *aperiens Deus,* ut in Marco legimus Salvatorem [b] ad surdum mutumque dicentem : EPHPHETA (אפתה), quod est, *adaperire* (*Marc.* VII). Quia enim cum Apostolo dicere poterat : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 11) : et audiebat a Domino : *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Ps.* LXXX, 11) : ipsa quoque oris adapertio, non in hominis, sed in Dei potestate est, Paulo dicente : *Ostium mihi apertum est magnum et evidens ; sed adversarii multi* (I *Cor.* XVI, 9) ; idcirco *aperiens* dicitur *Deus.* Cumque sanctus semper proficiat, ex parte cognoscens et ex parte prophetans, donec veniat quod perfectum est, de latitudine et adapertione generatus, appellatur *Joel* (יואל), quod apud nos sonat *incipiens,* vel *est Deus,* **168** dicente Apostolo : *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse* (*Phil.* III, 13); qua humilitate succrescens cum Moyse meretur audire : *Qui est, misit me* (*Exod.* III). Ad distinctionem enim eorum qui non sunt, de quibus et in Esther legimus : *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt* (*Esther* XIV, 11), Deus et sancti ejus esse [c] monstrantur. Hæc de nomine Joel et patris ejus perstricta sint breviter, ut recte verbum Dei, quod erat in principio apud Deum, factum esse narretur, Baptista Joanne referente : *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat* (*Joan.* I, 30). Porro factum esse sermonem ad meritum ejus refertur, cui fit, non ad conditionem illius qui fieri dicitur, ut alibi legimus : *Dominus mihi factus est in salutem* (*Ps.* CXVII, 21). Quomodo autem in Osee propheta, quem in principio duodecim prophetarum ante hunc librum explanavimus, sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpe memorantur : **169** sic in Joel, qui juxta Hebræos secundus est, omne quod dicitur ad tribum Juda, et ad Jerusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est, decem tribuum in hoc fieri mentionem. Tempora quoque, in quibus prophetavit, eadem debemus accipere, quæ et in Osee legimus : *In diebus Oziæ, Joathan et Achaz et Ezechiæ, regum Juda, et in diebus Jeroboam, filii Joas, regis Israel.*

(Vers. 2, 3.) *Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ, si factum est illud* [Vulg. *istud*], *in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum : super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteri.* LXX : *Audite hæc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ, si facta sunt talia in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum : pro his, filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum in generationem alteram.* Senes jubentur audire, habitatores terræ auribus percipere. Senibus non dicitur, Audite, omnes; habitatoribus terræ additur, *Auribus percipite, omnes.* Auditus enim in Scripturis sanctis non est iste qui in aure resonat : sed qui corde percipitur, juxta illud quod Dominus loquitur in Evangelio : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Mat.* XIII, 9). Quod autem nos interpretati sumus, *auribus percipite*, et apud Græcos et apud Hebræos unum verbum est, apud Græcos ἐνωτίσασθε ; apud Hebræos [d] EEZINU (האזינו), quod proprie non corde, sed aure percipitur. Et ut sciamus sacratiorem esse auditum, quam id quod in auribus resonat, Isaia loquente, discamus : *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra* (*Isai.* I, 2). Qui senes sunt et cœlestes, audiunt spiritaliter ; qui habitant in terra, appellanturque terreni, auribus percipiunt. Et hoc in omnibus Scripturis notandum, ubi hæc duo verba juncta ponuntur. Quod in Lamech quoque legimus peccatore, qui locutus est ad uxores suas Ada et Sella : *Audite verba mea, uxores Lamech, auribus percipite verba mea, quia virum occidi in vulnus*

Hic penes Hieronymum pro ψυλλέα aut ψύλλου, Erasmus et Victor. legerant ψηφιστήν, id est, *suffragatorem :* quos supra meritum acerbe castigat Martianæus, suam ipse annotationem e Calepino describens.

[a] Cave falsam horum verborum intelligentiam, ne imperitum invenias in lingua Hebraica S. Hieronymum, qui et ipse in libro Nominum Hebraicorum dicit nomen *Bathuel* significare ac resonare *virginem*, sive *filiam Dei.* Itaque sic intellige, quod hoc loco nomen Bathuel non resonat : nullus enim sensus congruus resonaret, Joel diceretur filius *Bathuel*, id est, patris *virginis Dei.* MART. — Mss. nostri *Patuel* et *Batuel* constanter absque aspirationibus legunt. Quod vero ait S. Doctor, *Bathuel* nihil apud Hebræos resonare, ita accipito, ut nihil hic velit esse, juxta Hebraicam etymologiam qua Bathuel *filia Dei* interpretatur : fuissetque perinde ac dicere, *Joel filium filiæ Dei*, quod et Martian. notat.

[b] Editi legunt Hebr. הפתח *Hippathehh*, cum legendum sit per Aleph ab initio אפתח *Eppethahh*, sive *Ephphetha* cum Antiquis et Evangelista Marco, cap. VII, v. 34 : Ἐφφαθά, ὅ ἐστι, Διανοίχθητι. A Syriaco igitur passivo אתפתח, *Ethphethahh*, *apertus fuit*, fit imperativum אפתח *Eppethahh*, sive *Epphetha*, id est, *adaperire.* MART.

[c] Magis Victorio placet *memorantur*, quæ Florentinorum est codicum lectio.

[d] Unus Palatin. *Hiezina, quod corde proprie, non aure percipitur.*

*meum*, *et juvenem in livorem meum* (*Gen.* IV, 23) : sciebat obscura esse quæ loquebatur, et idcirco uxores suas non ad simplicem tantum verborum sonum, sed ad reconditam quoque dictorum intelligentiam provocabat. Si quis igitur senex est, et maturæ **170** ætatis in Domino electus [Al. *et lætus est*] senex, ut in consequentibus juxta Septuaginta Interpretes legimus, ac parvulorum reliquit infantiam, audiat quæ dicuntur. Qui autem adhuc habitat in terra, et non potest dicere : *Advena sum et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII, 14), auribus percipiat. *Si factum est*, inquit, *istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.* Arte rhetorica ex rerum magnitudine attentum auditorem facit : nulla hæc, inquit, ætas meminit, quæ dicturus sum, nec vestro, nec patrum vestrorum atque majorum facta sunt tempore. Patres autem avos atavosque cognosce et filios filiorum, omnem deinceps sobolem, juxta illud Virgilianum (*Æneid. lib.* III) :

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis :

Et senes ergo et habitatores terræ, filiis vestris posterisque narrate ; qui senex est, liberos suos doceat sacramenta : qui habitator est terræ, simplicem narret historiam. Unde usque hodie nos qui in Christo credimus, quorum cum Moyse ablatum est velamen ab oculis, et de quibus dicitur : *Cani hominis sapientia ejus* (*Sapien.* IV, 8), filiis nostris secreta et mira narramus. Judæi autem qui habitant in terra, loquuntur terrena, et humi cohærentia, de quibus scriptum est : *Qui de terra est, de terra loquitur : qui de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* III, 31).

(Vers. 4.) *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* LXX similiter. Exordium sequitur narratio : ibi ut attentum faceret auditorem, magna et incredibilia se dicturum esse promisit, quæ nec vetus sciret historia, nec præsens ætas facta cognosceret. Hic erucam, et locustam, et bruchum, et rubiginem posuit, ut quæ singula raro eveniunt, omnia simul facta memorentur, et ideo mirabilia sint. Erucam quæ Hebraice GEZEM (גזם), Græce dicitur κάμπη, Hebræi Assyrios interpretantur, Babylonios atque Chaldæos, qui de uno orbis climate procedentes, tam decem tribuum quam duarum, hoc est, Israelitici populi cuncta vastarunt. Locustam autem, Medos interpretantur et Persas, qui subverso imperio Chaldæorum, Judæos habuere captivos. Bruchum, **171** Macedonas, et omnes Alexandri successores, maximeque regem Antiochum cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Judæa, et omnes priorum regum reliquias devoravit, sub quo Machabæorum bella narrantur. Rubiginem referunt ad imperium Romanorum, qui quarti et ultimi intantum oppressere Judæos, ut de suis finibus eos pellerent. Scribit plenius Josephus septem voluminibus, Vespasiani et Titi narrans triumphos. Elii quoque Hadriani contra Judæos expeditionem legimus, qui ita Jerusalem murosque subvertit, ut de urbis reliquiis ac favillis, sui nominis Eliam conderet civitatem. Hæc quatuor regna quæ subvertere Judæam, in quatuor cornibus Zacharias vidisse se scribit, dicente ad eum Angelo : *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam et Israel et Jerusalem* (*Zach.* I, 19). Et rursum : *Levavi*, inquit, *oculos meos et vidi, et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes, montes ænei : in quadriga prima, equi rufi ; et in quadriga secunda, equi nigri ; et in quadriga tertia, equi albi ; et in quadriga quarta, equi varii fortes* (*Zach.* VI, 1). Cumque propheta dixisset ad angelum qui loquebatur in eo : *Quid sunt hæc, Domine mi?* respondit angelus : *Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur ut stent coram Dominatore omnis terræ* : et est sensus : isti sunt qui egrediuntur a facie Domini, ut ejus impleant voluntatem. Cum habitatoribus terræ percepimus auribus quid eruca, locusta, bruchus, rubigo, significent : nunc cum senibus quod dictum est audiamus. Quatuor esse perturbationes, quibus animarum sanitas subvertatur, omnes philosophorum scholæ conclamant. Duæ præsentes sibique contrariæ, duæ futuræ mutuo dissidentes. Præsentes, ægritudo et gaudium. Ægritudinem animi dicimus, alioquin corporis non ægritudo, sed ægrotatio nominatur. Aut igitur tristes sumus, et mœrore conficimur, statusque nostræ mentis evertitur : unde et Apostolus monet, ne abundantiori tristitia absorbeatur frater (I *Cor.* II). Aut econtrario gaudemus, gestimusque lætitia, et bona nostra moderanter ferre non possumus ; justique et fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum. Diximus de **172** perturbatione præsentium ; dicamus et de futurorum, in quibus metus, aut spes est. Adversa timemus, prospera præstolamur ; et quod ægritudo et gaudium operantur in præsenti, metus et spes faciunt de futuro, dum aut adversa plus quam decet timemus esse ventura, aut prospera quæ speramus intantum nos faciunt exsultare, ut non teneamus modum, maxime in his quæ [a] incerta sunt, quia futura sperantur potius quam tenentur. Has perturbationes uno et nec pleno versiculo illustris poeta comprehendit (*Æneid. lib.* VI) :

Hi metuunt cupiuntque (*hoc de futuro*), dolent gaudentque (*hoc de præsenti*) neque auras, *inquit*,
Respiciunt, clausi tenebris et carcere cæco.

Qui enim perturbationum tenebris obvolvuntur, clarum sapientiæ lumen non valent intueri. Cavendum est igitur ne ægritudo, quasi eruca, nos comedat ; ne locusta vastet in gaudio, huc illucque volitans, et gestiente lætitia, per diversa se jactans ; ne bruchus, id est, pavor et futurorum metus, ra-

[a] Iterum contrario sensu Palatin. ms. *in his quæ certa sunt* : fortasse verius.

dices sapientiæ devoret, ne rubigo et desiderium futurorum res inutiles concupiscat, et nos perferat ad ruinam : sed ut in omnibus, quatuor quadrigas et quatuor cornua, et quatuor equos rufos, et varios, et albos, et nigros, id est, vel adversa, vel prospera, vel ex utroque sociata, frenis sapientiæ gubernemus. Ego reor erucam esse incipientem in animo passionem, quæ tarda est, et discurrere non potest, et mora ipsa ac pertinacia ebibit et exsugit omnem virorem : quam si non occiderimus, in nobis crescit et avolat, et nunc devorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens, pergit ad alia : revertensque ad pristinam sedem bruchus efficitur, ut non solum fruges, et folia et cortices, sed et ipsam medullam devoret tarditate. Sin autem evenerit, quod tamen rarum est, ut etiam post bruchum vitalis quippiam in nobis spiritus resideat, cuncta rubigo populatur, ita ut stipulam et vile fenum vertat in nigredinem, ut non solum esui, sed et fimo inutilia sint. De his quatuor perturbationibus, in principio quoque Amos, si vita comes fuerit, **173** disseremus : ubi scriptum est : *Super tribus sceleribus, et super quatuor Damasci, Gazæ, Tyri, Idumææ, filiorum Ammon, et Moab, et Juda, et Israel, non convertam eos, dicit Dominus* (*Amos* I, 3 *seqq.*). Quas nos *perturbationes* interpretati sumus, Græci πάθη appellant, quæ si κακοζήλως in *passiones* vertamus, verbum magis quam sensum verbi expresserimus.

(Vers. 5.) *Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro.* LXX : *Evigilate, qui ebrii estis in vino vestro : et plorate et plangite, omnes qui bibitis vinum in ebrietate : quoniam ablatum est de ore vestro.* Quasi senes atque presbyteri audire debemus : nulla res ita inebriat ut animi perturbatio. Est tristitia quæ ducit ad mortem : hæc abominanda ebrietas est. Est ira quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, mentis suæ impotem facit : intantum ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Recteque illud laudatur Archytæ Tarentini, qui cum villico suo esset iratus : *Jam te*, inquit, *occiderem, nisi iratus essem.* Quid referam de gaudio et voluptate, et maxime amore, qui excæcat cordis oculos : et nihil aliud, amantem, nisi id quod amat, [a] cogitare permittit. Annon est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum, et ignominiosam corporis partem, animæ libertas in serviles blanditias inclinatur ? cum laborem suum alterius facit esse delicias ? cum furto, scelere, atque perjuriis, opes futuræ præparet voluptatis ? et cum videatur ab omnibus, se existimat non videri : dummodo potiatur eo quod desiderat. Sed et avaritia excæcat animum ejus, cui nihil satis est : et muliebris timor, et dulcium cupido vitiorum. Unde dicitur ad eos : *Evigilate et expergiscimini, qui ebrii estis* : nequaquam vino, ut in solis LXX continetur, sed omni perturbatione vitiorum : Flete, et plangite, et agite pœnitentiam : et assumite tristitiam quæ ducit ad vitam, *et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine* (*Prov.* III), sive, *in ebrietate.* Dulcia enim sunt vitia : quia mel distillat de labiis mulieris meretricis : et idcirco in Dei **174** sacrificia non offertur : quoniam *periit*, sive *ablatum est de ore vestro* vinum, ebrietas atque dulcedo quæ vos deceperat. Sæpe quippe Dei fit providentia, ut qui non cognoverunt Deum in prosperis, cognoscant in adversis : et qui divitiis male abusi sunt, ad virtutes penuria corrigantur. Juxta hunc sensum audiant senes : habitatores autem terræ percipiant auribus, de illo vino nunc præcipi, in quo est luxuria, et quo qui inebriati fuerint, regnum Dei possidere non possunt (*Ephes.* V). Qui vini ebrietate sopitus est, evigilet et ploret ebrium se fuisse, et ululet : ut postea ululatus ejus et fletus vertatur in risum, et gaudeat se ebrietatis materiam non habere, quæ eum per abundantiam ebrium fecerat et vesanum.

(Vers. 6, 7.) *Gens enim ascendet* [Vulg. *ascendit*] *super terram meam fortis et innumerabilis : dentes ejus, ut dentes leonis, et molares ejus, ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam, et projecit : albi facti sunt rami ejus.* LXX : *Quia gens ascendit super terram fortis et innumerabilis : dentes ejus, leonis : et molares ejus, ut catuli leonis. Posuit vineam* [b] *meam in dissipationem, et ficos meas in confractionem : scrutans scrutatus est eam, et projecit : dealbavit ramos ejus.* Judæi putant in diebus Joel tam innumerabilem locustarum super Judæam venisse multitudinem, ut cuncta complerent : et non dicam fruges, sed vinearum quidem et arborum cortices ramosque dimitterent, ita ut, omni virore consumpto, [c] arentes arborum rami, et sicca vinearum flagella remanerent. Hoc utrum factum nec ne sit, liquido affirmare non possumus : neque enim Regum et Paralipomenon narrat historia (III *Reg.* XVII). Quod utique si fuisset, quomodo famem sub Elia trium annorum et sex mensium legimus, numquam Scriptura tacuisset. Tantum dicimus, quod sub metaphora locustarum, hostium describatur adventus, sive Assyriorum et Babyloniorum, qui tunc imminebant : sive Medorum atque Persarum, qui post futuri erant : sive Macedonum, quos multo tempore post fuisse cognovimus : sive ultimo Romanorum, de quibus supra diximus. Licet nunc nobis magis **175** de Babyloniis dici videatur atque Chaldæis, quorum crudelitas in populum Dei feritasque describitur : et, ni fallor, videor mihi in hoc Propheta aliquid reperisse. Narratur impietas hostium sub figura locustarum : et rursum sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus compa-

[a] Duo Palatini, *quod amat et cogitat, videre permittit.*

[b] Deerat vox *meam*, quæ et in Græco est textu, et in nostris mss.

[c] Unus Palatin., *albentes* : in quem sensum et Hier. infra, *Omni*, inquit, *virore consumpto, albos ramos et aridos derelinquat.*

rentur, ut cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas. Ascendit ergo gens locustarum de solitudine, sive exercitus Chaldæorum super terram Dei, et fortis, et innumerabilis. Quid enim locustis innumerabilius et fortius, quibus humana industria resistere non potest? Dentes ejus, [a] gentis videlicet locustarum (omnia autem τυπικῶς intellige), quasi dentes leonis; et molares illius, ut catuli leonis, ut qui in fortitudine et multitudine locustis cœquantur, in ferocitate et crudelitate leonibus comparentur. Hæc, inquit, gens posuit vineam meam in desertum, quam de Ægypto transtuli et plantavi, et ficum meam decorticavit, populum Judæorum [*Al.* meum Judaicum], ad quem venit Salvator, ut comederet fructus, et non invenit: maledixitque ei, et aruit in æternum (*Matth.* XI). Omnia autem sub metaphora locustarum, dicta noscamus: quæ intantum cuncta populantur, ut derodant arborum cortices, exutasque projiciant, et omni virore consumpto, albos ramos et aridos derelinquant. Diximus juxta historiam; transeamus ad intelligentiam spiritualem, ut cum senibus audire possimus: *Ascendit gens super terram Dei*, animam videlicet humanam. Omnes enim animæ Dei sunt: sicut anima patris, sic et anima filii. Et ascendit gens principum mundi istius, et tenebrarum, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus, adversum quos nobis est lucta atque certamen, de quibus dicitur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccl.* X, 4): cujus gentis dentes sunt sicut dentes leonis, de quo Petrus apostolus loquitur: *Adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I *Pet.* V, 8). Et molares illius quasi catuli leonis. Catulum leonis, vel cum intellige, qui elevatur contra omne quod dicitur, Deus et religio, vel certe omne dogma perversum. De cujus contritis molaribus, qui **176** intrinsecus latent et non videntur, ne facile vitentur, etiam Psalmista lætatur dicens: *Molas leonum confringet Dominus* (*Ps.* LVII, 7). Si ergo dederimus locum huic genti, ut ascendat in nobis, statim ponet vineam nostram in desertum, de qua vinum facere solebamus, quod lætificat cor hominis (*Ps.* CIII): et ficus nostras decorticat, sive confringit, ne habeamus in nobis Spiritus sancti dona dulcissima, ne sub nostra vinea et ficu vir sanctus requiescat; sub quibus cum fuerit, adversariorum impetus non timebit. Nec sufficit huic genti vineam dispergere, ficumque confringere, nisi scrutans scrutetur eas, et quidquid in illis vitale fuerit, interficiat: ut, omni virore consumpto, albi atque emortui ramusculi remaneant, et compleatur in nobis: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in sicco quid facient* (*Luc.* XXIII)?

(Vers. 8.) *Plange quasi virgo accincta sacco, super virum pubertatis tuæ* [Vulg. *suæ*]. LXX: *Plange ad me super sponsam accinctam cilicio, super virum* A *suum virgineum*. Vir pubertatis, sive, ut Septuaginta transtulerunt, παρθενικός, quem vulgo *virgineum* vocant, eo quod primus florem virginitatis abstulerit, non alius intelligitur nisi Deus, qui in Abraham, Isaac et Jacob despondit sibi virginem sponsam nulla idololatriæ sorde maculatam. Ad quam et per Jeremiam loquitur: *Non ut dominum me vocasti, et patrem, et principem virginitatis tuæ* (*Jerem.* III, 4). Unde et Apostolus ad credentes loquitur: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (I *Cor.* XI, 2). Quamdiu cum hac sponsa sponsus fuerit, non potest jejunare (*Matth.* IX), nec plangere, nec absentis sponsi desiderium lacrymis indicare. Cum autem ablatus fuerit sponsus ab ea, plangit et plorat, et accingit se sacco et cilicio, et pro zona reste circumdatur. Intelleximus quis sponsus sit virginalis: B verum quia iste sponsus, sive maritus, non solum virginem accepit sponsam, sed et meretricem in Osee ducit uxorem, propterea scriptum est in Deuteronomio: *Si egressus fueris contra inimicos tuos: et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem: introduces in domum tuam: quæ radet cæsariem, et circumcidet ungues suos, et deponet vestem* **177** *in qua capta est, sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense, et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua* (*Deut.* XXI, 10 *seqq.*). Hujusmodi [b] mulieris non est C maritus, id est, dominus virginalis, sed meretricem de gentium sordibus duxit uxorem. Quod et de omni anima credentium possumus dicere. Si a parva ætate credidit Domino, habet sponsum Dominum virginalem. Sin autem ex Judæis, sive gentilibus, et hæreticorum spurcissimis fæcibus, ad fidei venerit veritatem, et de tenebris ad lucem transierit, habebit quidem sponsum, sed non virgineum: et de hujuscemodi hominibus dicitur: *In Ægypto fractæ sunt mammæ tuæ, et ibi devirginata es* (*Ezech.* XXIII, 3).

(Vers. 9 seqq.) *Periit sacrificium et libatio de domo Domini: et luxerunt sacerdotes ministri Domini: depopulata est regio, luxit humus, quoniam devastatum est triticum. Confusum est vinum, elanguit oleum, confusi sunt agricolæ. Ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri: vinea con-* D *fusa est, et ficus elanguit; malogranatum, et palma et malum, et omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium a filiis hominum.* LXX: *Ablatum est sacrificium et libatio de domo Domini: lugete, sacerdotes ministri Domini, quoniam desolati sunt campi: lugeat terra, quoniam afflictum* [Al. *conflictum*] *est triticum, aruit vinum, imminutum* [Al. *immutatum*] *est oleum: aruerunt agricolæ* [Al. *ligna*]: *lugete, possessiones, pro frumento et hordeo, quia periit vindemia de agro,* [c] *vinea aruit, et ficus imminutæ sunt: malogranatum et*

[a] Pro *gentis*, Palat. mss. *dentes*: et pro τυπικῶς, fortasse rectius τροπικῶς præfert unus.

[b] Corrigendum contendit Victorius, *Hujuscemodi mulieri non est maritus dominus virginalis*, juxta codd. Florentinos.

[c] Mss. Palatin., *ficus aruit, et vineæ immutatæ sunt.*

*palma et malum et omnia ligna agri arefacta sunt, quoniam confuderunt gaudium filii hominum.* Quantum ad historiam pertinet, ob locustarum, sive hostium multitudinem, qui sub earum specie describuntur, vastatis omnibus atque consumptis, periit sacrificium et libatio de domo Domini : quorum alterum de simila, alterum de vino offerre soliti erant. Ideirco luxerunt sacerdotes, qui sunt ministri Domini, nec sacrificiis, nec libamentis rite celebratis : maxime quia et decimæ, quas accipere consueverant, nequaquam oblatæ sunt. Regio enim universa **178** populata est. Luxit humus, μετωνυμικῶς, pro eo quod est, hi qui [a] versantur in humo : triticum, vinum oleumque elanguit : ipsi quoque agricolæ et vinitores confusi sunt, et ululaverunt : quia non solum frumentum, sed hordeum quoque, quod vilius fertiliusque est, aruit. Et legumina quæ ego puto significari in eo quod ait, *periit messis agri*, id est, cuncta quæ solet humus gignere. Quid loquar de frumento, vino, oleoque et hordeo, cum etiam arborum poma siccata sint, ficus elanguerit, et malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna, vel infructuosa, vel frugifera, locusta vastante, consumpta sint? quæ facta sunt omnia, ut auferretur, sive confunderetur gaudium a filiis hominum. Possumus hæc eadem et post adventum dicere Salvatoris accidisse populo Judæorum, quando pari furore clamantes dixerunt : *Crucifige, crucifige talem : non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 9 et 15) ; quando circumdata est Jerusalem ab exercitu, et in tantam necessitatem venerunt famis ac pestilentiæ, ut filiorum necdum maturis corporibus vescerentur : [b] et sacrificia universa sublata sunt, et confusum est gaudium a filiis hominum, quia gaudium recipere noluerunt, de quo angelus loquitur ad pastores : *Annuntio vobis gaudium magnum* (*Luc.* II, 10). Juxta ἀναγωγὴν iste nobis sensus videtur : Postquam sponsa, quæ receperat doctrinam Dei, per peccata a sponso fuerit separata, et pro byssinis lineisque vestibus, cilicio circumdata, id est, habitum lugentis assumpserit, tunc peribit sacrificium, de quo scriptum est : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Ps.* L, 19), et vini libatio, quod lætificat cor hominis, de domo Dei, quæ est Ecclesia, dicente Apostolo ad Timotheum : *Ut scias quomodo in domo Dei converseris, quæ est Ecclesia Dei viventis* (I *Tim.* III, 15). Auferetur autem sacrificium et libatio de domo Domini, quando, multiplicata iniquitate, refrixerit charitas multorum (*Matt.* XXIV) : et principes populi ac ministri altaris viderint campos et plana credentium fructus non afferre virtutum ; sed omnia vitiis inhorrescere : quando frumentum et hordeum, vineasque et oleum, eruca, locusta, bruchus, **179** rubigo consumpserint, et nequaquam habuerimus calicem, de quo scriptum est : *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Ps.* XXII, 5) ! Et perierit oleum, de quo in Ecclesiaste legimus : *Omni tempore sint candida vestimenta tua, et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccl.* IX, 8) : quo exhilaratur facies, et caput jejunantis ungitur. Tunc confundentur agricolæ, cum viderint in possessionibus suis non nasci triticum, quo aluntur homines, et hordeum quo jumenta irrationabilia sustentantur, et confusam esse vineam, de qua scriptum est : *Vinea frondosa Israel, fructus abundans in ea* (*Isai.* V, 2) : exspectante Domino, ut faceret uvas, et fecit spinas. Ficus quoque elanguit sub qua fuit, antequam crederet, Nathanael (*Joan.* I), et malogranatum, cujus cortici genæ sponsæ in Cantico comparantur (*Cant.* VI), et palma quæ, perdito virore, siccata est, de qua olim dicebatur : *Justus autem ut palma florebit* (*Ps.* XCI, 13) : et malum de quo in eodem Cantico legimus : *Sicut malum in medio lignorum : ita fratruelis meus in medio filiorum* (*Cant.* II, 31). Quid necesse est omnes arbores percurrere, cum universa aruerint, et pro gaudio atque lætitia, filios hominum mœror oppresserit et confusio?

(Vers. 13, 14.) *Accingite vos et plangite, sacerdotes ; ululate, ministri altaris ; ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio ; sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum* [c] *Dei vestri, et clamate ad Dominum.* LXX : *Accingite vos et plangite, sacerdotes; lamentamini qui ministratis altari; ingredimini, dormite in saccis, ministri Dei, quoniam defecit de domo Dei vestri sacrificium et libatio; sanctificate jejunium, prædicate curationem* [Al. *prædicationem* curate]*; congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei* [d] *vestri, et clamate ad Dominum vehementer.* Qui sanctus sacerdos est, et comedit pascha Domini, accingatur balteo castitatis, et audiat cum apostolis : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Qui autem peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur et plangat, vel propria delicta, vel populi, et ingrediatur **180** Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, et cubet, vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (*Matth.* XV). Accingantur autem sacerdotes et plangant et ululent, et dormiant in sacco, propheta eos ad pœnitentiam cohortante, qui dicit : [e] Ministri Dei mei, quomodo interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio (*Joel.* II), de

[a] Rursum Victor. ex Florentinis codd. reponit *versabantur* : nam et ea, inquit, quæ præcedunt, et quæ sequuntur, præteritum respiciunt tempus.

[b] Unus Palatin., *et in sacrificia inversa sublata sunt.*

[c] Interserit Victor. *Domini*, quæ vox, inquit, in Hebraico invenitur, eamque habent tredecim antiquissima montis Cassini exemplaria, et aliquos Bononiensia : et quod ego multifacio, codex sancti Pauli in via Ostiensi a Carolo Magno illi ecclesiæ donatus : ut impressos multos et aliquot Florentiæ mss. omittam.

[d] Antea erat *nostri*, cum et Palatini mss. *vestri*, et Græcus quoque textus ὑμῶν præferant.

[e] Unus Palatin., *qui dicit, cubate in sacco, ministri Dei : quomodo interiit sacrificium*, etc.

quibus supra dictum est. Nec sufficit flere, vel plangere et habitum lugentis assumere, nisi sanctificent jejunium, et vocent cœtum. Si omne jejunium placeret Deo, [a] numquam diceret : *Sanctificate jejunium.* Et : *Non tale jejunium elegi, dicit Dominus* (*Isai.* LVIII). Et in Evangelio condemnantur qui exterminant facies suas, ut videantur hominibus jejunare (*Matth.* VI); et in diebus, inquit, jejuniorum vestrorum percutitis pugnis, et opprimitis pauperem. Idcirco nunc dicit: *Sanctificate jejunium.* Jejunat Manichæus, et multi hæretici, maximeque Encratitæ, quorum princeps Tatianus est, sed hoc jejunium saturitate et ebrietate deterius est. *Et vocate cœtum*, sive curationem, ut per pœnitentiam nostra peccata curemus. Pro *cœtu* in Hebraico legitur, ASARA (עצרה), quod Symmachus *synodum*, Aquila *diem collectæ* interpretatus est. *Congregate senes*, quorum ætas vicina morti, maturæque sententiæ, magis timorem et cultum suscipit Dei. Omnes quoque habitatores terræ, de quibus supra dixerat : *Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ*, ut et senes et habitatores terræ in domum Dei, quæ est Ecclesia, congregentur. Cumque fuerint in Ecclesia, et de dispari grege sacerdotum et populi, senum et habitatorum terræ, unus grex fuerit effectus, clamate, inquit, ad Dominum in cordibus vestris et dicite :

(Vers. 15.) *Ah, ah, ah diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas* [Al. *tempestas*] *a potente veniet.* LXX : *Heu mihi, heu mihi, heu mihi in die! quoniam juxta est dies Domini, et quasi miseria de miseria veniet.* Pro eo quod nos transtulimus, *a potente*, et Hebraice dicitur SADDAI (שדי), quod unum **181** esse de decem Dei nominibus, aliquoties diximus, LXX interpretati sunt *miseriam*, SOD (שוד), pro SADDAI legentes. Vox igitur sacerdotum et populi ad Dominum clamantis inducitur, ut tertio dicant, *Heu mihi!* credo, quia propter peccata quæ fecerunt, sanctam offenderant Trinitatem. Dies autem retributionis omnium delictorum illa est, de qua universi scribunt prophetæ, et maxime Isaias clamitat : *Ecce dies Domini insanabilis venit* [Al. *veniet*], *furoris et iræ, ut ponat universum orbem desertum, et peccatores perdat ex eo* (*Isai.* XIII, 9). Hic dies recte appellatur insanabilis; quia cum dies judicii venerit, non erit locus pœnitentiæ, qui [*Al.* quia] æternitati comparatus, prope est, et non longe. Quodque sequitur : *Et quasi miseria de miseria veniet*, sive, *vastitas a potente veniet*, hic sensus est, quod mala succedant malis, et omnis afflictio Deo judice dispensetur, qui potens est et corpus et animam perdere in gehennam (*Matth.* x). Quod generaliter de die judicii diximus, specialiter referamus ad tempus Judaicæ captivitatis, quando Jerusalem capta, templumque destructum est; non multo enim post tempore venit et decem et duarum tribuum ab Assyriis Chaldæisque captivitas : prædicturque ventura, ut cum venerit, non casu accidisse videatur, aut hostium fortitudine; sed ira et comminatione Dei, vel certe, agente populo pœnitentiam, non veniat, quæ ventura est, si permanserit in delictis.

(Vers. 16.) *Numquid non coram oculis nostris alimenta perierunt; de domo Dei nostri, lætitia et exsultatio?* LXX : *Ante oculos vestros alimenta perierunt : de domo Dei nostri lætitia et gaudium.* Ante oculos pereunt alimenta peccantium, quando jam speratæ fruges e manibus auferuntur, et prævenit locusta messorem, ut quod spe [*Al.* sæpe] in horreis conditum est, bruchus et rubigo consumant. His quoque qui in Ecclesia commorantur, pro qualitate meritorum, frumentum spiritus, et hordeum litteræ si peccaverint tollitur, ut patiantur famem sermonis Dei. Cumque fuerint alimenta sublata, consequenter gaudium et lætitia tollitur de domo Dei, ut qui audiebant ante Apostolum dicentem : *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* (*Philip.* IV, 4); postea Dominum audiant ad pœnitentiam provocantem : **182** *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5).

(Vers. 17, 18.) *Computruerunt jumenta in stercore suo : demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ, quoniam confusum est triticum; quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? quia non est pascua eis; sed et greges pecorum disperierunt.* LXX : *Subsaltaverunt vituli in præsepibus suis : dissipati sunt thesauri, suffossa sunt torcularia, quia arefactum est triticum: quid reponemus nobis? fleverunt armenta boum, quia non erant pascua eis, et greges ovium disperierunt.* Postquam alimenta perierunt, et de domo Dei gaudium lætitiaque sublata sunt, jumenta quoque computruerunt in stercore suo, sive, juxta intelligentiam spiritualem, lascivierunt in præsepibus suis, et calcitraverunt contra Creatorem suum, ut impleretur quod scriptum est : *Si saturati non fuerint, murmurabunt* (*Ps.* LVIII, 16). Computrescit in stercore suo cujus Deus venter est, et qui dicit: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (*Isai.* XXII, 16) : huic demolita sunt horrea [b] futuræ felicitatis, et apothecæ æternæ abundantiæ dissipatæ sunt, vel subversa sunt torcularia, quia si frumenta et vina non fuerint, frustra horrea et torcularia præparantur. Cumque omnia aruerint, tunc voce flebili querentur et dicent : *Quid reponemus nobis?* Quodque sequitur juxta LXX : *Fleverunt armenta boum, quoniam non sunt eis pascua*, compellit nos non de bobus et armentis accipere quæ dicta sunt; sed de his, qui propter simplicitatem boves vocantur et oves. De quorum pascuis Salvator loquitur : *Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* x, 3). Hæc autem omnia intellige sub metaphora, erucæ, locustæ, bruchi et rubiginis, quod, sublatis frugibus, atque vastatis, fames et pestilentia cuncta possederint.

[a] Martian. etiam absque interrogandi nota, *numquid;* mss. castigant.

[b] Verba, *futuræ felicitatis*, tum illa, *æternæ abundantiæ*, neque Victor. neque nostri mss. agnoscunt.

(Vers. 19, 20.) *Ad te, Domine, clamabo : quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis ; sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te : quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.* LXX: *Ad te, Domine, clamabo, quoniam ignis consumpsit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna agri, et jumenta campi suspexerunt ad te, quoniam arefactæ sunt emissiones aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.* Propheta clamante ad Dominum, vel populo **183** per prophetam : quia ignis comederit speciosa deserti, et flamma succenderit omnia ligna regionis, bestiæ et jumenta agri, sive campi, suspexerunt ad Dominum, quasi areola sitiens imbrem. Hoc enim uno verbo significat Aquila dicens, [a] ἐπρασιώθη : et suspexerunt ad eum, quoniam aruerunt fontes, vel emissiones aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti, quod scilicet hoc eruca, et locusta, et bruchus fecerint et rubigo, quod ignis in stipula, flamma in vepribus. Speciosa autem deserti, quæ Hebraice dicuntur NAOTH (נאות), intelligamus aut plana camporum, aut pratorum florentia, aut virentia herbis loca, quæ pascua præbuere jumentis. Clamare autem ad Dominum per prophetam, jumenta ad eum suspicere fecit ignis, qui devoravit speciosa deserti, et flamma quæ succendit omnia ligna regionis, ut fruges et poma pariter interirent, et quia siccati sunt fontes aquarum, [b] et quidquid in deserto poterat inveniri, vorax flamma consumpsit. Simulque consideremus, quod nisi propter angustiam, et ablationem deliciarum, nec propheta, nec bestiæ clamassent ad Dominum, aut ad Dominum suspexissent, quod quidem et ad justum quondam virum referri potest, qui cum declinaverit et fecerit malum, nequaquam ei virtutes pristinæ proderunt ; sed judicabit eum Dominus in quibus invenerit. Speciosa deserti appellare possumus, de quibus scriptum est : *Plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIV, 1). Flamma autem quæ succendit omnia ligna regionis, illa esse credenda est, quæ immittitur ardentibus diaboli sagittis, ut nihil in nobis bonarum frugum remaneat ; sed cuncta incendio consumantur. Omnes enim adulterantes [*Al.* omne semen adulterantis], quasi clibanus corda eorum ; et non solum propheta, vel populus per prophetam, qui rationale animal est (*Ose.* VII), sed jumenta quoque, de quibus dictum est : *Homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Ps.* XXXV, VII). Et alibi : *Quasi jumentum factus sum apud te* (*Psal.* VII, 23). Et iterum : *Seminabo eos semine hominum et jumentorum* (*Jer.* XXXI, 27), suspexerunt ad Dominum, et rorem illius misericordiæ flagitarunt ; quia exsiccati sunt fontes aquarum, **184** quos cervus desiderat. Et de quibus Dominus loquitur per Jeremiam : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* (*Jer.* II, 13). Siccatis autem fontibus aquarum, qui arentia quæque irrigant atque refrigerant, consequenter quidquid in nobis pulchrum fuit, ignis ardore consumptum est, de quo Dominus loquitur in Evangelio : *Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo* (*Luc.* X, 18).

(Cap. II. — Vers. 1 seqq.) *Canite tuba in Sion : ululate in monte sancto meo : conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis ; quasi mane expansum super montes, populus multus ac fortis, similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma ; quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti : neque est qui effugiat eum : quasi aspectus equorum, aspectus eorum, et quasi equites sic current, sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium, a facie ejus cruciabuntur populi : omnes vultus redigentur in ollam, sicut fortes current, quasi viri bellatores ascenderunt* [Al. *ascendent*] *murum : viri in viis suis gradientur* [Vulg. *vir.... gradietur*], *et non declinabunt a semitis suis : unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt. Sed et per fenestras cadent, et non demolientur, urbem ingredientur, in muro current, domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur : a facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus. Magnus enim dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum ?* LXX : *Canite tuba in Sion, prædicate in monte sancto meo :* [c] *conturbentur omnes habitatores terræ : quoniam adest dies Domini, quoniam juxta est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et pruinæ ; sicut mane fundetur super montes populus multus* **185** *et fortis, similis ei* [d] *non fuit a principio, et post eum non erit usque ad annos generationis generationum. Ante eum consumens ignis, et post eum flamma succensa. Sicut paradisus voluptatis terra ante faciem ejus ; et posteriora illius, sicut campus solitudinis, et qui salvetur non erit ei ; sicut aspectus equorum, aspectus eorum, et sicut equites sic persequentur. Sicut vox quadrigarum super vertices montium exsilient, et sicut vox flammæ ignis devorantis stipulam, et sicut populus multus et fortis præparatus ad prælium, a facie ejus conterentur populi, omnis vultus sicut adustio ollæ, sicut pugnatores current, et sicut viri bellatores*

[a] In unc Palatino, ἐπρασώθη. Aquilæ, πρασιάω verbum sonat *imbrem sitire* : quo et Psal. XLI, vers. 1, utitur, ubi nos habemus, *quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum*, etc.

[b] Inducit Victorius *et* copulam, Florentinorum codd. auctoritate. Erat quoque olim, *poterant invenire*, pro *poterat inveniri*.

[c] Victor., *confundantur*, pro *conturbentur*, vult legi, quod Græce sit συγχυθήτωσαν. At vero in aliis exemplaribus, et cum primis Alexandrino est συναχθήτωσαν, in Complutensi autem συνταραχθήτωσαν, quod proprie sonat *confundantur*.

[d] Unus Palatin., *similis ei non erit, nec fuit*, etc., qui et infra perperam a Græco dissentit archetypo.

*ascendent super muros, et unusquisque in via sua ambulabit, et non declinabunt a semitis suis, singuli a proximo suo non recedent, aggravati armis suis ibunt, et in jaculis suis cadent, et non consumentur, urbem apprehendent, et super muros discurrent : super domos ascendent, et per fenestras intrabunt sicut fures, a facie ejus confundetur terra, et commovebitur cœlum, sol et luna contenebrabuntur, et stellæ auferent lumen suum, et Dominus dabit vocem suam a facie fortitudinis suæ, quoniam multa sunt nimis castra ejus, quoniam fortia opera sermonum illius, quia magna dies Domini, magna et illustris nimis, et quis erit sufficiens ad eam?* Rursum per metaphoram locustarum, describitur impetus Chaldæorum, et jubetur propheta, immo per prophetam omnibus qui possunt Dei audire sermonem, ut quasi tuba exaltent vocem suam, et in Sion prædicent, et clangant in monte sancto ejus, ut ad strepitum clamoris et buccinæ omnis Jerusalem populus contremiscat. Cumque, ait, cecineritis, hoc dicite : Nequaquam dies Domini ultra differetur, id est, dies ultionis atque vindictæ ; adest vicina captivitas, jam de suo loco Babyloniorum est egressus exercitus, prope est dies tenebrarum, et angustiæ, dies caliginis et nubis et turbinis, in qua auferetur lumen omne lætitiæ [*Al.* justitiæ], et cuncta tenebris opprimentur. Sicut, inquit, mane et diluculum subito tenebras fugat, et cunctos montes aurora collustrat : ita Babyloniorum super omnem terram vestram fundetur exercitus. Nec putetis turbam esse invalidam, populus **186** multus et fortis est, cujus similis nec in præterito, nec in futuro, ulla gens alia poterit inveniri : quidquid attigerit, quasi vorax flamma consumet, nihilque post se integrum derelinquet ; quasi hortus et paradisus voluptatis omnis terra est, quam non tetigerit : quasi solitudo et desertum, quidquid fuerit deprædatus, neque ullus poterit inveniri qui illius effugiat manus. Aspectus eorum quasi ferocium equorum, et quasi equites huc illucque discurrent. Non quo Babylonii equitibus comparentur ; sed quo locustæ per translationem hostium quasi equites dicantur huc illucque discurrere : *Sicut sonitus*, inquit, *quadrigarum et curruum, sic erit sonitus locustarum.* Super capita montium exsilient, ut omnia excelsa conscendant ; et sicut stipulam cito flamma consumit, ita sonitus et terror vocis eorum cuncta populabitur. Quodque infert : *Velut populus fortis præparatus ad prælium*, rursum ad locustas refert, ut non quasi de hostibus, sed quasi de locustis referre videatur ; et tamen dum locustas legimus, Babylonios cogitemus. Tantus terror erit, ut omnes per circuitum nationes, et animo et corpore perhorrescant, immo crucientur ; et pavoris magnitudine, vultus omnium in ollæ similitudinem convertantur, quæ igne combusta, nigredinem et fuliginem fœdi monstret aspectus. *Discurrent*, inquit, *quasi viri fortes*, haud dubium quin locustæ : *et quasi viri bellatores ascendent murum*, ut murorum sublimitas impetum fortium prohibere non valeat, et nequaquam per portas, sed per muros ingrediantur : *Singulis in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis.* Hoc nuper in hac provincia [a] vidimus. Cum enim locustarum agmina venirent, et aerem qui inter cœlum et terram est occuparent, tanto ordine ex dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tesserularum quæ in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, et ne puncto quidem, et, ut ita dicam, ungue transverso declinent ad alteram. Et ut apertam faceret metaphoram, *et per fenestras*, ait, *cadent, et non demolientur.* Nihil enim locustis invium est, cum et agros, et sata, et arbores, et urbes, et domos, et **187** cubiculorum secreta penetrent. Hoc autem de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur. Quodque nos interpretati sumus *per fenestras cadent, et non demolientur*, LXX transtulerunt, *aggravati in armis suis ibunt, et in jaculis suis cadent et non consumentur :* quod nequaquam mihi videtur expositionis ordini convenire, sed in eo errorem esse generatum, quia SALA (שלה) verbum Hebraicum, illi *jacula*, nos *fenestras* intelleximus. Servatque cœptam narrationem, ut eos dicat urbem ingredi, in muris discurrere, domosque conscendere, et per fenestras intrare quasi fures, non quod furum timorem habeant qui victores sunt ; sed ut fures solent ingredi per fenestras, et occulte rapere, sic illi, clausis januis, ne ulla sit mora, per fenestras tota irrumpent audacia. *A facie istiusmodi locustarum terra contremuit, et cœli moti sunt*, quæ dicta hyperbolice sentiamus, non quod locustarum aut hostium tanta vis sit, ut possit movere cœlos, et terram concutere ; sed quod adversa patientibus præ terroris magnitudine, et cœlum ruere et terra fluctuare videatur. Denique præ multitudine locustarum obtexentium cœlum, sol et luna convertentur in tenebras, et stellæ retrahent splendorem suum : dum lumen in medio nubes posita locustarum, ad terram non sinit pervenire. Dominus quoque dabit vocem suam ante faciem tam potentis exercitus, quia multa sunt castra ejus, et magnitudo virtutis illius in parvis quoque animantibus demonstratur. Hæc autem multa castra, et innumerabilia fortia sunt nimis, et facientia verbum illius. Quo dicto ostenditur Babylonios Dei voluntate venturos, et illius imperio parituros. *Magnus est*, inquit, *dies Domini, quo capienda est Jerusalem, et valde terribilis, et nullus eum poterit sustinere*, et de necessitate captivitatis aut mortis evadere. Junctam et cohærentem sibi pericopen dividere nolui, ne quod sensu unum erat, diversis capitulis carperetur. Transeamus ad intelligentiam spiritualem, singula quæque repetentes. Tubarum buccinarumque clangorem non solum in Levitico et Numerorum libro legimus (*Num.* x), in quibus jubetur, ut duas argenteas tubas faciat Moyses, quibus et in kalendis, et in septimo mense, prima die mensis, et in jubilæo, et in **188** cæteris festivitatibus, et

[a] Nostri mss. *audivimus*. Tum pro *venirent*, et *occuparent*, Victorius ex Florentiæ codd. *venerint* et *occuparint*.

quando ad bella procedunt, canant hi qui huic officio mancipati sunt; sed etiam muros Jericho ad tubarum clangorem scriptum est corruisse (*Josue* VI). Et Dominus angelum missurum se dicit esse cum clangore tubæ (*Matth.* XXIV), et Apostolus resurrectionem mortuorum, ad tubæ sonitum fieri prædicat (I *Cor.* XV). Et in Apocalypsi quoque Joannis legimus, septem angelos accepisse tubas singulas, quibus per ordinem canentibus, facta sunt quæ Scriptura describit (*Apocal.* VIII). Præcipitur ergo nunc sacerdotibus et magistris, ut exaltent quasi tuba vocem suam, et impleant illud quod scriptum est : *In montem excelsum ascende qui evangelizas Sion : exalta vocem tuam qui annuntias Jerusalem* (*Isai.* XLVIII, 9), ut canat tuba in Sion, id est, in Ecclesia, quæ interpretatur specula atque sublimitas. Et in sancto Dei monte qui Christus est, ut conturbentur, sive confundantur omnes habitatores terræ, et confusio eos pertrahat ad salutem. Diem autem Domini, diem intellige judicii, sive diem exitus uniuscujusque de corpore. Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur. Dies tenebrarum est et angustiæ, dies nubis et turbinis; quia cuncta pœnarum plena sunt atque cruciatuum. Veniet angelorum populus multus et fortis, ut reddat unicuique secundum opera sua; et sicut mane et aurora consurgens primum occupat montes, sic judicium ab excelsis et potentibus incipiet, ut potentes potenter tormenta patiantur. Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque ad annos generationis et generationis (*Sapien.* VI). Omnia enim mala, quæ veteribus historiis continentur, et aut inundatione maris, aut illuvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hostium vastitate, hominibus acciderunt, his suppliciis, quæ in die sunt reddenda judicii, non poterunt comparari. Ante faciem hujus populi qui fortis et multus est, erit ignis vorans, sive consumens, ut omne in nobis fenum, ligna, stipulamque consumat. Unde et de Deo dicitur : *Deus ignis consumens est, et post eum urens flamma* (*Deut.* IV, 24); ut nihil absque suppliciis derelinquat. Quemcumque hic populus non attigerit, nec invenerit in eo combustionis materiam, horto Dei et paradiso assimilabitur voluptatis, qui **189** Hebraice dicitur EDEN (עדן). Si quem autem exusserit, quasi solitudinem in cinerem rediget ac favillas, nec est qui furorem ejus possit evadere, cujus crudelis aspectus frementium equorum habebit similitudinem, et sic discurrent ad cruciandos quos in potestatem acceperint, quasi equites huc illucque volitantes : terribilis erit sonitus eorum, quasi quadrigarum per prona currentium; et super capita montium exsilient, excelsos quosque et in Ecclesiæ culmine constitutos cruciare cupientes. Et quia ante faciem eorum ignis est vorax, atque consumens, sic cuncta vastabunt, quomodo stipulam flamma consumit : ita venient ad puniendum : ita expediti erunt et parati, ut populus fortis ad prælium. Tantus erit timor omnium, tanta conscientia peccatorum, ut nullus luceat, nec splendorem habeat gaudii, sed instar adustæ ollæ facies ejus vertatur in tenebras. Ascendent murum et omnem munitionem; injunctumque sibi explentes opus, non declinabunt in partem alteram; sed [a] inhiabunt miserorum suppliciis, nec tormentis eorum satiabuntur; sed unusquisque credita sibi in peccatores supplicia prosequetur. Sed et per fenestras intrabunt, sive cadent; vel aggravati armis suis ambulabunt, et in jaculis eorum [*Al.* suis] cadent hi, quos acceperint consumendos. Hæ sunt fenestræ, de quibus et Jeremias dicit : *Mors intrabit per fenestras nostras* (*Jer.* VI, 21) : omnes enim sensus nostros ingredi hostes desiderant, et capere urbem bonæ conscientiæ, et per nostra munimenta discurrere, domosque quas nobis bonis operibus ædificavimus, destruere. Omnia autem faciunt introeuntes per fenestras, quasi fur : libere enim non ingrediuntur, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* X). A facie istius populi, qui est multus et fortis, terra contremuit, et cœli commoti sunt. *Cœlum enim et terra transibunt, verbum autem Domini permanet in æternum* (*Matth.* 24). Sed et sol et luna tanta miserorum supplicia videre non poterunt, et mœrebunt, [b] non habentia officii sui justitiam, et pro claro lumine, tenebris operientur horrendis; stellæ quoque retrahent fulgorem suum, **190** dum etiam qui sancti sunt præsentiam Domini absque formidine non videbunt. In his omnibus dabit Dominus vocem suam, ante faciem exercitus sui. Quomodo enim Babylonii punientes Jerusalem, Dei vocantur exercitus : sic angeli pessimi (de quibus scriptum est : *Furorem et iram et angustiam, immissionem per angelos pessimos* (*Psal.* LXXVII, 49) Dei exercitus dicuntur, et castra illius nominantur, dum Domini faciunt voluntatem. Magnus est dies Domini atque terribilis, de quo alibi scriptum est : *Ut quid desideratis diem Domini* (*Amos* V)? et hic est tenebræ, et non lux; et terribilis valde; rarusque aut nullus eum poterit sustinere, quin in se præbeat materiam sæviendi.

(Vers. 12 seqq.) *Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu et planctu; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et* [c] *multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia : quis scit si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo nostro* [Vulg. *vestro*]? LXX : *Et nunc dicit Dominus Deus noster : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in* [d] *cilicio, in fletu, et in planctu; et scindite*

[a] Unus Palatin., *sed hærebunt suppliciis*.
[b] Idem negandi particulam respuit.
[c] Rursum idem ms., *et multus misericordia, et deprecabilis*; quod quidem postremum verbum in Canone Hebraicæ veritatis, ut Martian. vocat, codex Sangerman, pro variante lectione ad marginem, Carcassonensis in ipso præfert textu.
[d] Verba, *in cilicio*, nesciunt mss. nostri; nec nisi Aldinus e Græcis τῶν LXX codd. agnoscit.

*corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia misericors et miserator est, patiens et multæ misericordiæ, et pœnitens super malitiis: quis novit si revertatur et pœniteat eum, et dimittat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo nostro?* Superius capitulum ab eo loco ubi scriptum est: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo: conturbentur omnes habitatores terræ*, usque ad eum locum, ubi legimus: *Magnus est dies Domini et terribilis valde, quis sustinebit eum?* per translationem locustarum, adventum nuntiat Chaldæorum, et quæ mala ventura sint populo. Nunc eos ad pœnitentiam provocat, et converti ad Dominum cohortatur, ut tota mente correcti, non patiantur quæ Dominus comminatur, et est sensus: Omnia quæ sermone præterito continentur, propterea sum locutus, ut vos **191** comminatione mea terrerem. Unde convertimini ad me in toto corde vestro, et animi pœnitentiam jejunio et fletu et planctibus indicate; ut nunc jejunantes postea saturemini, nunc flentes postea rideatis, nunc plangentes postea consolemini. Et quia consuetudinis est, ut in tristibus atque adversis scindatis vestes, quod et pontifex ad Domini Salvatoris crimen augendum in Evangelio fecisse memoratur (*Matth.* XXVI), et Paulum et Barnabam audientes verba blasphemiæ, legimus perpetrasse (*Act.* XIV): idcirco ego præcipio vobis, ut nequaquam scindatis vestimenta, sed corda quæ plena sunt peccatis, quæ instar utrium, nisi scissa fuerint, sponte rumpentur. Cumque hoc feceritis, redite ad Dominum Deum vestrum, quem vobis priora peccata alienum fecerant: nec desperetis veniam scelerum magnitudine; quia magna peccata magna delebit misericordia. Est enim benignus et misericors, malens pœnitentiam peccatorum, quam mortem (*Ezech.* XXXIII), patiens et multus in misericordia, qui non humanam imitatur impatientiam; sed longo tempore nostram præstolatur pœnitentiam: et præstabilis, sive pœnitens super malitiis, ut si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, et ipsum pœniteat comminationis suæ, et mala quæ comminatus est nobis non inferat, nostræque mutatione sententiæ, et ipse mutetur. Malitiam autem in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, sed afflictionem, juxta illud quod alibi legimus: *Sufficit diei malitia sua* (*Matt.* VI, 34). Et: *Si est in civitate malitia, quam Dominus non fecerit* (*Amos* III, 6). Similiterque quia supra dixerat, benignus et misericors, patiens et multus in misecordia, et præstabilis, sive pœnitens super malitiis, ne forsitan magnitudo clementiæ nos faceret negligentes, ex persona Prophetæ jungit et dicit: *Quis scit si convertatur et ignoscat, et relinquat post se benedictionem?* Ego, inquit, hortor, quod meum est, ad pœnitentiam, et Deum ineffabiliter novi esse clementem, dicente David: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam* (*Psal.* L, 1, 2). Sed quia profundum divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, et opto potius quam præsumo, dicens: *quis scit si convertatur* **192** *et ignoscat?* Quod ait *quis*, aut impossibile, aut difficile sentiendum est: *Sacrificium et libamen Domino Deo nostro*; ut postquam dederit benedictionem, et nostra nobis peccata donaverit, Deo hostias offerre valeamus.

(Vers. 15 seqq.) *Canite tuba in Sion: sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum: sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera. Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo: inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine* [Vulg. add. *parce*], *populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum?* LXX: *Clangite tuba in Sion, sanctificate jejunium, prædicate curationem, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, eligite senes: congregate parvulos et sugentes ubera, egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. Inter crepidinem et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, populo tuo, et ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eorum gentes, ne dicant in nationibus: Ubi est Deus eorum?* Adhuc eos ad pœnitentiam cohortatur, antequam veniat hostilis exercitus. Supra, inquit, dixeram: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo*, et reliqua, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis, annuntians vobis populum multum et fortem esse venturum, qui vestras possessiones urbesque subverteret. Nunc quia benignus sum et misericors, patiens, et multus misericordia, rursum præcipio et dico: *Clangite tuba in Sion*, et pœnitentiam in populis prædicate; *sanctificate jejunium, prædicate curationem*, sive *cœtum*, de quibus jam ante diximus: *congregate populum*, ut qui dispersus peccaverat, congregatus peccare desistat. *Sanctificate Ecclesiam*, ut nullus in Ecclesia non sanctus sit, ne forsitan impediantur orationes vestræ, et modicum fermentum totam massam corrumpat (I *Cor.* V). *Coadunate*, sive *eligite senes*, ut non ætas in eis, sed sanctitas deligatur. *Congregate* quoque *parvulos et sugentes ubera*, ne ulla sit ætas quæ non convertatur ad Dominum. Parvulos atque lactentes, de quibus in Psalmis et in Evangelio legimus: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII, 3; *Matth.* XXI, 16). **193** Quos Petrus rationali et absque dolo dicit lacte nutritos (I *Petr.* II): quibus [*Al.* de quibus] Paulus loquitur: *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* III, 2): quorum et Salvator meminit: *Ne contemnpseritis unum de minimis istis* (*Mat.* XVIII, 10). *Egrediatur* quoque *sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo:* ut in tempore jejunii, vocationis et cœtus, sanctificationis Ecclesiæ, electionis senum, congregationis parvulorum et sugentium ubera, non serviat sponsus et sponsa operi nuptiali, quibus et Lege permissum est, ut ad bella non procedant. Unde et Apostolus recedendum parumper a coitu præcepit, ut vacare

possimus orationi (I *Cor.* VII). Ergo qui in castigatione victus, et jejunio atque eleemosynis dicit se agere pœnitentiam, frustra hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubili suo, et sanctum purumque jejunium pudica expleat pœnitentia. Quodque sequitur : *Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes*, pro *vestibulo* LXX *crepidinem* interpretati sunt : Symmachus [a] *προπύλαιον* : Aquila *πρόδομον* : Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit ULAM (אולם) : quam nos *ante fores* templi *porticum*que possumus dicere. Et nota quæ [*Al.* quod] sacerdotibus præcipiat qui sunt ministri Domini, ut plorent inter templum et altare, et dicant cum Apostolo : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29) ? Et : *Flere cum flentibus.* Locusque aptus pœnitentiæ et confessioni, templum est et altare : docetque quid dicere debeant sacerdotes, immo quomodo Dominum deprecari : *Parce, Domine, populo tuo* ; qui quando peccabat, vocabatur non populus tuus : nunc postquam recessit a vitiis, appellatur populus tuus. *Et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes.* Apertum est ænigma quod latebat. Populus enim ille multus et fortis, qui supra sub erucæ, et locustæ, et bruchi, et rubiginis descriptus est nomine, nunc manifestius qui sit ostenditur : *Ut dominentur*, inquit, *eis nationes.* Datur autem in opprobrium hæreditas Domini, quando servierint hostibus, et dixerint nationes : *Ubi est Deus eorum*, quem sibi præsulem, quem defensorem esse jactabant ? Possumus nationes interpretari et adversarias potestates, quæ quamdiu non **194** agimus pœnitentiam, dominantur nostri, et exprobrant et dicunt : *Ubi est Deus eorum?* Judæi istum locum ad Gog et Magog referunt, sævissimas nationes, quas in ultimo tempore contra Israel dicunt esse venturas, de quibus plenius scribitur in Ezechiel.

(Vers. 18 seqq.) *Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo : et respondit Dominus et dixit populo suo : Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum, et replebimini eo, et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus : et eum qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam : facies* [Vulg. *faciem*] *ejus contra mare orientale, et extremum ejus ad mare novissimum : et ascendet fetor ejus, et ascendet putredo illius, qui* [Vulg. *quia*] *superbe egit.* LXX : *Et zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo, et respondit Dominus, et dixit populo suo : Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum, et implebimini ex eis, et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus, et eum qui ab Aquilone est repellam a vobis, et educam eum in terram quæ est sine aqua, et disperdam faciem ejus in mare primum, et posteriora ejus in mare novissimum : et ascendet fetor ejus, et ascendet putredo illius, quoniam magnificata sunt opera ejus.* Postquam sacerdotes pro populo deprecati sunt, et dixerunt : *Parce, Domine, populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium*, fecitque populus quod præceptum est, ut sanctificaret jejunium, prædicaret curationem, congregaret [*Al.* cogeret] multitudinem, sanctificaret Ecclesiam, eligeret senes, parvulos et sugentes ubera congregaret, et egrederetur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo, et nequaquam carni et voluptati, sed animæ et fletibus inservirent. *Zelatus est Dominus terram suam*, quam prius quasi alienam contempserat, et passus fuerat locusta vastante populari, et intantum pepercit pœnitentibus, ut eos dignos sua responsione faceret, diceretque, quoniam omnes fruges vestras, locusta, bruchus, rubigoque vastavit : ideo dabo vobis frumentum, et cætera quæ propheta describit, et ultra vos non tradam captivitati. Et Assyrium atque Chaldæum qui ab aquilone [*Al.* a Babylone] est, procul faciam a vobis, de quo supra scriptum est : *Populus multus et fortis*, **195** *ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma, quasi aspectus equorum aspectus eorum. Et expellam*, inquit, *eum in terram solitudinis*, et primæ partes illius cadent in mare Orientale, et posteriores in mare novissimum, et ascendet fetor ejus, id est, qui ab Aquilone est, et putredo, quia superbe egit. Sæpe commonui sub translatione locustarum describi impetum Chaldæorum, quo Judæa vastata est. Itaque servat metaphoram in reliquis, et juxta situm provinciæ sic loquitur, quasi non de hostibus, sed de locustis referre videatur. Etiam nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Judæam, quæ postea misericordia Domini inter vestibulum et altare, hoc est, inter crucis et resurrectionis locum, sacerdotibus et populis Dominum deprecantibus atque dicentibus : *Parce populo tuo*, vento surgente, in mare primum et novissimum præcipitatæ sunt. Mare primum quod juxta solitudinem est, et vergit ad Orientem, illud intellige, in quo fuit quondam Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, [b] quod nunc Mortuum nominatur, eo quod nulla ibi vivant animantia. Mare autem novissimum, hoc quod ad Occidentem est, et quod ducit in Ægyptum, in cujus littore Gaza, et Ascalon, Azotusque et Joppe, et Cæsarea, et cæteræ urbes maritimæ sitæ sunt. Cumque littora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquæ evomuerant, implerentur, putredo earum et fetor intantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, et pestilentia tam jumentorum quam hominum gigneretur. Quærat eruditus lector ubi hoc juxta litteram factum sit de Chaldæis ? Non multo post tempore quam hæc prophetata sunt, siquidem in Isaia legimus, centum octoginta quinque millia Chaldæorum sub rege Ezechia in una nocte angelo sæviente percussa (*Isai.* XXXVII).

[a] Palatini mss. *πρόπυλον*, quod idem sonat.

[b] Id exaggerat in Commentariis in Ezechiel. cap. XLVII, col. 593 : *Hucusque nihil quod spiret, et possit incedere, præ amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest; ne cochleolæ quidem, parvique vermiculi et anguillæ, et cætera animantium, sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse, quam nomina.* Vide quæ in hunc locum observavimus.

Hoc juxta historiam dixerimus. Cæterum juxta tropologiam, omnis anima terra est Domini, in qua seminat paterfamilias sementem suam, quæ cum pro tritico zizania fecerit, id est, avenas et lolium, et offenderit Dominum suum, et postea egerit pœnitentiam, **196** plangensque dixerit : *Parce, Domine, populo tuo*, zelatur Dominus terram suam, et parcet ei quam dudum contempserat, suoque eam dignatur alloquio et dicit : Mittam tibi frumentum, de quo scriptum est : *Amen amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multos fructus facit* (*Joan.* XII) : et vinum quod lætificat cor hominis, et oleum quod exhilarat faciem, ut vetus tristitia peccatorum, frumenti et vini et olei, id est, virtutum lætitia temperetur, tantamque habebunt bonorum omnium abundantiam, ut repleantur eis atque saturentur. Eumque hoc fuerint consecuti, nequaquam tradentur in opprobrium gentibus, de quibus Apostolus loquitur : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates : adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Eum quoque qui ab Aquilone est (de quo Jeremias loquitur : *Ab Aquilone exardescent mala super omnes habitatores terræ* (*Jerem.* I, 14) : de quo et Salomon scribit : *Aquilo ventus durissimus*) procul, inquit, a vobis faciam, et expellam eum in terram inviam et desertam, quæ non habet notitiam Dei, in qua non habitat Spiritus sanctus. Faciesque ejus erit in mari primo et in mari novissimo, in his qui aperuerint ei januam peccatorum, et apud quos usque ad extremum vitæ tempus permanserint, et fetor illius et putredo ascendit etiam in eos qui sibi magna promittunt, et cadunt per superbiam : quia numquam tuta est humana fragilitas, et quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus ne de sublimibus corruamus. Juxta litteram, greges locustarum magis Auster quam Aquilo consuevit adducere, id est, non ex frigore venient, sed ex calore : verum quoniam de Assyriis loquebatur, locustarum ponens similitudinem, ideo Aquilonem interposuit, ut non veram locustam, quæ ab Austro venire consuevit, sed sub locusta intelligamus Assyrios atque Chaldæos.

(Vers. 22 seqq.) *Noli timere, terra : exsulta et lætare quoniam magnificavit Dominus ut faceret : nolite timere, animalia regionis ; quia germinaverunt* **197** *speciosa deserti, quoniam* [Vulg. *quia*] *lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam : et filii Sion, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum, et serotinum* [Vulg. addit *sicut*] [a] *in principio, et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca. Fortitudo mea magna quam misi in vos : et comedetis vescentes, et saturabimini, et laudabitis nomen* [Vulg. addit *Domini*] *Dei vestri, qui fecit nobiscum* [Vulg. *vobiscum*] *mirabilia, et non confundetur populus meus in sempiternum : et scietis quia in medio Israel ego sum, et ego Dominus Deus vester, et non est amplius, et non confundetur populus meus in sempiternum.* LXX : Confide, terra, gaude atque lætare, quia magnificavit Dominus ut faceret : confidite, jumenta campi, quoniam germinaverunt campi solitudinis, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt fortitudinem suam : et filii Sion, gaudete atque lætamini in Domino Deo vestro, quoniam dedit vobis escas justitiæ, et pluit vobis imbrem temporaneum et serotinum, sicut a principio, et replebuntur areæ tritico, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis pro annis in quibus comedit locusta, et bruchus et rubigo, et eruca. Fortitudo mea magna quam misi in vos, et vescemini comedentes, et saturabimini : et laudabilis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia et non confundetur populus meus in æternum, et scietis quia in medio Israel ego sum, et ego Dominus Deus vester, et non est amplius præter me, et non confundetur populus meus in æternum. Omnibus quæ [*Al.* quibus] supra fuerat comminatus, nunc contraria pollicetur. Supra dixerat : ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis, et bestiæ agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te : quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti. Nunc lætis tristitiam mitigat, et lacrymas vertit in risum. *Nolite*, inquit, *timere, animalia regionis : quia germinaverunt speciosa deserti : quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam* : et tanta erit rerum omnium abundantia, ut nequaquam desit [*Al.* dem] vobis frumentum, vinum **198** et oleum quo saturemini ; sed adimpleantur areæ frumento, et redundent torcularia vino et oleo, ut non solum ipsi comedere, sed etiam aliis præbere valeatis. Ad filios quoque Sion specialiter loquitur, ut exsultent et gaudeant, non in quacumque re levi ; sed in Domino Deo suo, qui dedit eis alimenta justitiæ : et ut Septuaginta transtulerunt, *et imbrem temporaneum et serotinum*, ut comedant atque lætentur, et laudent nomen Domini Dei sui, qui fecit cum eis mirabilia, et nequaquam confundantur : et sciant quia Dominus Deus Israel habitet in medio eorum, et præter illum nullus sit alius, quia Pater in Filio, et Filius in Patre : et non confundetur populus illius [*Al.* meus] in æternum. Hæc juxta litteram, quia a Domino repromissa sunt, credimus accidisse, et sterilitatem præteritam novis frugibus compensatam : ut quidquid [b] locusta, bruchus, et rubigo, et eruca consumpserat, annis sequentibus impleretur. Quærimus cur eruca fortitudo, vel virtus Domini appellata sit, et non solum virtus, sed virtus magna ? Quomodo po-

[a] Vide Rufini, sive ejus qui Rufinus audit, Commentarios in hunc locum.

[b] Interserit Palatin. ἐροπεύς.

tentia Dei in Ægyptiis plagis ostensa est per parva animalia, et præcipue ciniphes, qui tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis. Sic et nunc in parvo tardoque vermiculo, qui vix moveri potest, et levi tactu conteritur, Dei potentia et humana fragilitas demonstratur. Non quo Deus ad nutum suum et potentiæ majestatem nequeat terras subvertere, et operire cuncta diluvio, vel fulmine concremare; sed per parva, et, ut ita dicam, puncta corporum, ostendit humanam fragilitatem. Unde et illud solemus Marcioni et cæteris respondere hæreticis qui vetus laniant Testamentum, quod et pulices et culices et cimices, et hujuscemodi animantia idcirco fecerit Deus, ut fragilitatem et imbecillitatem nostræ carnis ostenderet, quæ intantum nihil est, ut ab his quæ parva sunt vulneretur. Si autem eruca tardus parvusque vermiculus fortior homine est, quid gloriatur terra et cinis; et elata per superbiam (cum ex humo sit, a quo homo appellatur) humana contemnit? Quidam locum istum sic interpretantur : A dextris et a sinistris virtutes et fortitudines Dei **199** legimus, quas Græci δυνάμεις vocant. A dextris Seraphim et Cherubim, cunctasque angelicas potestates, a sinistris contrarias fortitudines, de quibus scriptum est : *Misit in eos iram indignationis suæ, furorem et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos* (*Ps.* LXXVII, 49); de quibus et Michæas in Regnorum [*Al.* Regum] volumine loquitur : *Vidi Dominum Deum Israel sedentem super thronum suum, et omnis exercitus cœli stabat juxta eum a dextris, et sinistris ejus* (III *Reg.* XXIII). Ego puto sinistrum fuisse spiritum, qui egressus est, et stetit coram Domino, et ait : *Ego decipiam Achab, et egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Ad quam sinistram et contrariam potestatem, quæ apta erat ad decipiendum, et exercitata ad ruinas, et multos ante deceperat, loquitur Deus : *Decipies et prævalebis : egredere et fac sic.* Spiritus quoque ille qui suffocabat Saul, de quo dixerunt ad eum pueri sui : *Ecce spiritus Dei malus obstupescere te facit* (I *Reg.* XVI, 15), de sinistris partibus erat, qui ministrant Domino ad puniendos eos qui cruciari propter peccata meruerunt. Non solum enim homines ministri sunt, et ultores iræ ejus, in his qui malum operantur, et non sine causa portant gladium; sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor et ira Dei, quos propheta declinans ait : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Ps.* VI, 1). Istiusmodi (ut ita dicam) quæstionariis atque tortoribus tradidit Apostolus peccatorem in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret (I *Cor.* V), de quibus et Satanas est, cui tradidit alios ut discerent non blasphemare (I Tim. I). Hæc de eruca cur Dei appellata sit virtus. Transeamus ad ordinem intelligentiæ spiritualis : Ne timeas, terra, immo confide atque lætare, quæ prius sementem dominicam tua aridilate perdideras : quia magnificavit Dominus, ut faceret tecum misericordiam, intantum, ut etiam jumenta regionis et desertæ solitudinis lætis novalibus complerentur, et lignum crucis afferret fructum suum, et Spiritus sancti dona dulcissima suam cunctis tribuerent largitatem. Vos quoque quos juste post pœnitentiam voco filios Sion et Ecclesiæ, lætamini atque gaudete, quia dedit vobis Deus pater doctorem justitiæ, sive tribuit vobis alimenta justitiæ, et descendere fecit ad vos pluvias temporaneas atque serotinas (*Isai.* XXX). Pluvia **200** tempestiva est quando primum doctrinam suscipimus pluvia; serotina quando laboris nostri fructus recipimus, et ad perfectam sanctarum Scripturarum scientiam perveninus. Potest pluvia temporanea et serotina, vetus et novum accipi Testamentum. Et non solum, inquit, hoc dedit; sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare, et saturari atque inebriari frumento, vino et oleo, de quo sæpe diximus. Et annos quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, erucaque consumpserant, Deus vobis perire non passus est. Tunc comedetis fructus justitiæ, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia. Si autem post pœnitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans pœnitentiam, et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ? Intantum enim Deus recipit pœnitentes, ut vocet eos populum suum, et nequaquam asserat confundendos; et habitaturum se in eorum medio repromittat, nec amplius eos alium habituros Deum; sed in eum toto animo confisuros, qui in illis maneat in æternum.

(Vers. 28 seqq.) *Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt; sed et super servos meos et* [Vulg. addit *super*] *ancillas meas* [Vulg. tacet *meas*] *in diebus illis effundam spiritum meum, et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem, et ignem, et vapores fumi. Sol convertetur* [Vulg. *vertetur*] *in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* LXX : *Et erit post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt : et super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, et dabo prodigia in cœlo, et super terram sanguinem, ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et illustris. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hunc locum beatus apostolus Petrus **201** impletum tempore Dominicæ passionis exposuit, quando descendit die Pentecostes Spiritus sanctus super credentes, et omnes loquebantur sicut Spiritus sanctus dabat eis : ita ut mirarentur qui aderant, et dicerent : *Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt; et quomodo nos audivimus linguam nostram in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitæ*

(*Act.* II), et reliqui; alii vero dicebant, *quid vult hoc esse?* Irridentibusque aliis atque dicentibus : *musto pleni sunt*, stans Petrus cum undecim elevavit vocem suam, et ait : *Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc notum sit vobis, et auribus percipite verba mea : Neque enim ut vos æstimatis, isti ebrii sunt, cum sit hora tertia diei ; sed hoc est quod dictum est per prophetam Joel. Et erit post hæc, dicit Dominus : Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt*, et reliqua usque ad eum locum, quem in capitulo proposuimus. [a] Cum igitur Petrus illo tempore quo passus est Dominus, prophetiam Joel impletam esse memoret, hoc tantum quærimus, quomodo et superiora et media, et quæ sequuntur usque ad finem voluminis sibi valeant cohærere, ne sub uno textu consequentiaque sermonis, diversa et dissonans inter se explanatio scatere videatur? A principio ergo usque ad eum locum ubi scriptum est : *Magnus dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* comminatio est atque descriptio, quæ peccatori populo Dominus illaturus sit. Ab eo autem loco ubi legimus : *Convertimini ad me in toto corde, et in jejunio, et in fletu, et in planctu*, usque ad eum locum, ubi ait : *Quare dicunt in populis, ubi est Deus eorum?* cohortatio Domini est post pœnas atque supplicia ad pœnitentiam provocantis. Rursum ab eo loco qui sequitur : *Zelatus est Dominus terram suam et pepercit populo suo, et respondens Dominus dixit*, usque ad eum locum, ubi scriptum est : *Et non confundetur populus meus in æternum*, repromissio futurorum est, quæ bona postquam egerint pœnitentiam, debeant præstolari. Et post multa quæ nunc longum est retexere, hæc quoque in promissione dicuntur, quæ in præsentiarum conamur exponere : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri,* **202** *et filiæ vestræ*, et reliqua. Videor mihi a principio usque ad hunc locum, textum servasse sermonis. Laboris est maximi, quomodo quæ sequuntur, his quæ nunc disserimus, coaptanda sint. Alius dicit quæ generaliter in ultimo tempore repromissa sunt, nunc ex parte completa. Et quia [b] præmium futurorum in primo adventu Domini apostoli sentiebant, libamenta quædam et primitias mirabilium expletas memorare, ut donec veniat quod perfectum est, id quod ex parte præcesserat, sentiremus. Alius vero apostolicæ esse asserit consuetudinis, juxta illud quod de sancto viro scriptum est : *Dispensabit sermones suos in judicio* (*Ps.* CXI, 5) : ut quidquid utile audientibus esse cernebant, et non repugnare præsentibus, de alterius temporis testimoniis roborarent, non quod abuterentur audientium simplicitate et imperitia, ut impius calumniatur Porphyrius, sed juxta apostolum Paulum, prædicarent *opportune, importune* (II *Tim.* IV). Et sequentes regulam prophetarum, quidquid Judæi in ultimo tempore sibi carnaliter repromittunt, spiritualiter in primo adventu Domini Salvatoris dicerent esse completum : maxime cum et illi, et nos quæ promissa sunt, in Christo dicamus esse complenda : in hoc tantummodo discrepantes, quod illi futura contendunt, nos jam facta convincimus : de quo in his quæ sequuntur, plenius disserendum est. Omnis autem caro super quam effusurum se de spiritu suo Dominus pollicetur, illa est de qua Isaias loquitur : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Isai.* XL, 5). Ergo salutare Dei videri non potest, nisi Spiritus sanctus effundatur. Et quicumque credere se dicit in Christum, non credens in Spiritum sanctum, perfectæ fidei oculos non habebit. Unde et in Actibus apostolorum, qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini Jesu : quia responderunt Paulo interroganti : *Sed ne si sit quidem Spiritus sanctus, novimus* (*Act.* XIX), iterum baptizantur : immo verum baptisma accipiunt, quia sine Spiritu sancto et mysterio Trinitatis, quidquid in unam et alteram personam accipitur, imperfectum est. Neque vero omnis qui acceperit Spiritum **203** sanctum, statim habebit et gratiam spiritualem ; sed per effusionem Spiritus sancti diversas gratias consequetur (I *Cor.* XII). Alii prophetiam, ut filii et filiæ qui majoris sunt meriti ; alii somnia, ut senes jam provectioris ætatis : alii visiones, ut juvenes qui vicerunt malignum. Servi vero et ancillæ qui adhuc spiritum timoris habent, et non dilectionis, quia *perfecta dilectio foras mittit timorem*, non habebunt prophetiam, non somnia, non visiones ; sed, Spiritus sancti effusione contenti, fidei tantum et salutis gratiam possidebunt. Tunc dabit prodigia Dominus in cœlo et in terra : in cœlo, quia sol est versus in tenebras, et luna in sanguinem : in terra, quia tam vehementi et insolito motu terra contremuit, ut monumenta aperta, et saxa disrupta sint. Quod autem dicit, *sanguinem et vapores*, sive *vaporem fumi*, sanguis ille est, de quo in Psalmis legimus : *Ut intingatur pes tuus in sanguine* (*Psal.* XLVII, 24). Et in Isaia : *Quam rubicunda sunt vestimenta tua* (*Isai.* XCIII, 2)! et quem, percusso latere Salvatoris, mixtis aquis Romanus miles effudit (*Joan.* XIX). Et ignis Spiritus sancti, qui descendit de cœlo, ut in Actibus apostolorum legimus : *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II, 3 *seqq.*). Hic est ignis quem venit Dominus mittere super terram, et antequam pateretur, in discipulis suis optabat ardere (*Luc.* XII). Ignis naturæ est duplicis : habet lumen credentibus ; habet tenebras suppliciaque incredulis, qui appellantur vapores fumi. Iste fumus est amarissimus, qui excæcavit oculos Judæorum, de quo in proverbiis legimus : *Sicut fumus noxius est oculis, et immatura uva dentibus, sic iniquitas utentibus ea* (*Prov.*

[a] Vide Commentarios veteris scriptoris, qui Rufinus audit, et Hieronymum audaciæ temeritatis atque imperitiæ accusare audet.

[b] Unus Palatin., *et quia præmium futurorum*, etc. Ex eodem post Victorium mox *et* copulam, quæ voci *libamenta* præponebatur, delevimus.

x, 26). De hoc fumo et Isaias in visione magna loquitur, in qua prædicebatur cæcitas Judæorum : *Et superliminare motum est, et domus impleta est fumo.* Unde postea sequitur : *Vade, et dic populo huic : Auditu audietis, et non intelligetis ; et videntes aspicietis, et non videbitis : incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt* (*Isai.* VI, 9, 10). Sol quoque est versus in tenebras, quando pendentem Dominum suum videre non ausus est, et luna in sanguinem, quod aut juxta historiam factum esse credamus et ab evangelistis **204** silentio prætermissum, neque enim omnia quæ fecit Jesus, scripta referuntur, quæ si scriberentur per singula, *ne ipsum quidem arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros* (*Joan.* XXI). Aut certe quomodo sol versus in tenebras est, non quod ipse sit mutatus in tenebras, sed quod tenebras mundo induxerit : sic et luna non est versa in sanguinem, sed Judæos blasphemiarum et negationis in Christum horrore coopertos, æterno testimonii sui sanguine condemnavit, dicentes : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). Hæc omnia priusquam dies Domini veniat magnus et horribilis, futura describit. Dies autem Domini magnus et horribilis aut resurrectionis esse credendus est, aut certe, multa post tempora, dies judicii, qui vere magnus est et horribilis. Sed quia sequitur : *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit,* [a] et hoc apostolus Paulus refert ad tempus Dominicæ passionis, magis de resurrectionis die intelligendum est. Ait enim scribens ad Romanos : *Non est distinctio Judæi et Græci. Idem enim ipse Dominus omnium : dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt nisi mittantur* (*Rom.* XVIII, 12 *seqq.*). Quodque ait : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, non leve esse credamus, licet enim idem apostolus scribat : *Nemo dicit Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3); tamen hoc ipsum dicere, non sermone, sed affectu cordis est ponderandum. *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Unde et Paulus et Sostenes scribunt Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi : *Sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis cum universis qui invocant nomen Domini Jesu Christi* (I *Cor.* I): secundum illud quod in Psalmis legimus : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos* (*Ps.* XCVIII, 9). Si igitur de credentibus Corinthiis, et de Moyse et Aaron ac Samuele scribitur, quod invocaverint nomen Domini, non incipientium, sed perfectorum, hanc gratiam esse credamus. Verbum quoque effusionis, quod Hebraice **205** dicitur ESPHOCH (אשפוך), et omnes similiter transtulerunt, ostendit muneris largitatem, quod nequaquam in paucos Prophetas (ut olim fiebat in veteri Testamento), sed in omnes credentes in nomine Salvatoris, Spiritus sancti dona descenderint [*Al.* descenderent] : nequaquam in hunc et illum, sed in omnem carnem. Neque enim est distinctio Judæi et Græci, servi et liberi, viri et feminæ : quia omnes in Christo unum sumus (*Rom.* X). Unde et Agabus Cæsareæ prophetavit (*Act.* XXI), et in Antiochia erant prophetæ plurimi : et Apostolus præcipit, ut si, altero prophetante, alteri fuerit revelatum, prior taceat (I *Cor.* XIV). Et quatuor filias Philippi evangelistæ legimus prophetasse (*Act.* XXI). Senes quoque viderunt somnia, quando Paulus jam senex audivit virum Macedonem, dicentem sibi : *Transiens in Macedoniam adjuva nos* (*Act.* XVI, 9). Et omnes juvenes qui in Christo exstitere fortissimi, et [b] Domini bella bellarunt, viderunt visiones, Domino sua promissa complente : *Ego visiones multiplico* [Al. *multiplicabo*], *et in manibus prophetarum assimilatus sum* (*Osee* X, 12).

(Vers. 32.) *Quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio : sicut dixit Dominus : et in residuis quos Dominus vocaverit.* LXX : *Quia in monte Sion et in Jerusalem erit qui salvatus fuerit : sicut dixit Dominus : et annuntians quos Dominus vocavit.* In eo loco, in quo nos posuimus, *salvatio*, sive *salvatus*, et in Hebraico scriptum est PHALETA (פליטה), Symmachus transtulit, *qui fugerit.* Et rursum ubi nos diximus, *in residuis*, et LXX transtulerunt, *annuntians*, in Hebraico legitur SARIDIM [*Al.* SARADIM] (שרדים), quod Judæi loci nomen existimant. Postquam igitur venit dies Domini magnus et horribilis : et salvus effectus est, quicumque post Domini resurrectionem nomen illius invocavit, omnis qui fuit [c] in monte Sion, et in Jerusalem salvatus est : de Sion enim egressa est lex : et verbum Domini, de Jerusalem (*Isai.* II), de qua scriptum est : *Non capit prophetam perire extra Jerusalem* (*Luc.* XIII, 33). Principium ergo eorum qui salvati sunt fuit in Sion et Jerusalem, in specula, et in visione pacis, et in his qui residui fuerunt, quos vocavit Dominus. Residuos eos debemus intelligere, qui de Judæorum populo crediderunt, de quibus Isaias loquitur : *Nisi Dominus Sabaoth* **206** *reli-*

[a] Hic addit editio Erasmiana verba consequentia : *Melius de die passionis Christi vel resurrectionis accipi. Invocatio vero in qua salus consistit, non ex sermone tantum, sed ex corde et opere constat. Unde hujus tripartitæ invocationis gratia, non insipientium, sed perfectorum esse credenda est, quia quod credidit, quod amat, os confitetur, manus opere complet. Unde econtrario illis dicitur, qui Dominum solo sermone invocant et opere fidei sermonem non complent. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quod additamentum in nullo codice ms. reperire potui, neque scire unde illud assumpserit Erasmus. MART.

[b] Retinuit Martian. *Et in Domino bellarunt*, contra mss. fidem. Quam nos e Palatinis, Victorius pridem e Florentinis codd. lectionem restituit, et *Domini bella bellarunt*, docuitque hoc loquendi genere sæpe D. Hieronymum uti.

[c] Ignorant Palatini mss. verba, *in monte Sion*, etc.

*quisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Isai.* I, 9). Hos residuos Dominus vocavit, sive *evangelisavit* eos, quos vocavit : sic enim LXX interpretati sunt. Locus hic difficillimus est, et multiplicem recipiens explanationem : ut sub tropologia omnia quæ dicta sunt, ad illa tempora referamus, ad quæ Petrus et Paulus apostoli retulerunt, hoc est, quando passus est Dominus et resurrexit. Neque enim fieri potest, ut superiora in tempore passionis, et quæ sequuntur intelligamus in die judicii, maxime cum sequatur : *Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo*, et iste versiculus, præcedentibus inferiora connectens, uno dicat cuncta tempore perpetrata.

(Cap. III.—Vers. 1 seqq.) *Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus : et terram meam diviserunt, et super populum meum miserunt sortem : et posuerunt pucrum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.* LXX : *Quia ecce ego in diebus illis, et in tempore illo quando convertero captivitatem Juda et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi pro populo meo, et hæreditate mea Israel, qui dispersi sunt in gentibus : et terram meam diviserunt, et super populum meum miserunt sortes : et posuerunt puerum in prostibulo, et puellas vendebant pro vino, et bibebant.* Dicamus ut pollicti sumus, [a] primum juxta anagogen prioribus posteriora jungentes, eadem si poterimus, ad diem judicii referre tentabimus. Salvatis credentibus in monte Sion, et Jerusalem, et vocatis residuis de populo Judæorum, qui cum apostolis et per apostolos crediderunt, in tempore illo postquam converterit Dominus captivitatem Juda et Jerusalem, qui venerat prædicare cæsis visum, et captivis remissionem, et liberavit eos qui Dominum confitentur, et qui versantur in Ecclesia, in qua visio pacis est, congregabit omnes gentes quæ credere noluerunt : et **207** deducet eas in vallem Josaphat, quod significantius, juxta Hebraicam veritatem Græce dicitur κατάξω, id est, *deorsum ducam*, et de sublimibus ad inferiora detraham. Simulque considera, quando incredulos quosque, vel adversarias potestates Dominus ad judicium provocat, et disceptat cum eis pro populo suo : *deducam*, inquit, *eas in vallem Josaphat*. Quando autem credentes ad prælium cohortatur, dicit : *Suscitate robustos : accedant, ascendant omnes viri bellatores : consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat*, non descendere, sed ascendere cohortantur. Omnis enim qui judicatur [b] propter peccata sua, in valle positus est, quæ appellatur *Josaphat*, id est, *Domini judicium*. Qui enim credit in Domino, non judicabitur. Ibique disputabit cum eis, non potentia majestatis, sed rationis eos veritate convincens, qui partiti sunt populum Dei, et hæreditatem illius disperserunt in nationibus, ut servos Dei sibi servire compellerent : et terram illius diviserunt, multis eam inter se erroribus separantes, ut alii colerent Jovem, alii Junonem, et Minervam, et febrem, et rubiginem, et Anubim et crocodilum, et ibin, noctuas, accipitres, et ciconias. Sub his nominibus quondam divisus est populus Dei : quæ adversariæ nationes, id est, principes mundi istius, et rectores tenebrarum, non solum diviserunt sibi populum Dei, sed posuerunt pueros in prostibulum, ut virilem cogerent mutare naturam, de quibus Apostolus loquitur : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ : siquidem feminæ eorum mutaverunt naturalem usum* [Al. *naturam suam*], *in eum usum qui contra naturam est. Similiter et masculi, relicto naturali usu feminæ, accensi sunt in desiderium sui in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsos recipientes.* Nec hoc fecisse contenti, vendiderunt puellam pro vino, ut biberent, et libidini præferrent gulam. Quæ universa Judæi, Vespasiani, Titique temporibus, et maxime Hadriani, juxta litteram impleta esse commemorant. Si autem ad diem judicii, quæ scripta sunt, voluerimus referre, dicimus omnem qui salvatur, salvari in Ecclesia, sive in cœlesti Jerusalem. Et postquam Judæ fuerit et Jerusalem **208** conversa captivitas, tunc congregandos et deducendos omnes in vallem Josaphat : et ibi disceptaturum Dominum cum eis qui suum populum persecuti sunt, et diviserunt sibi hæreditatem Domini, et disperserunt eos in nationibus, et super terram illius miserunt sortem : quæ non solum super hæreticis debemus accipere, qui sibi Dei populum diviserunt, et eos faciunt esse gentiles, sed ad omnem rigidum superbumque doctorem, qui sub nomine doctrinæ et sacerdotii dominantur cleris, et opprimunt eos qui subjecti sunt. Cumque fuerint negligentes, et scandalizaverint unum de minimis, etiam pueros ponunt in prostibulum, sive tradunt meretricibus : et causa voluptatis suæ (*quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum* (*Philip.* III) vendunt puellas, ut bibant vinum. Tradit autem adolescentes meretricibus, et puellas vendit luxuriæ, qui turpis lucri gratia non corripit delinquentes.

(Vers. 4-6.) *Verum quid vobis et mihi, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum? Numquid ultionem vos reddetis* [Al. *redditis*] *mihi? Et si ulciscimini* [Al. *ulciscemini*] *vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum et aurum meum* [Vulg. tac. *meum*] *tulistis : et desiderabilia mea, et pulcherrima intulistis in delubra vestra : et filios Juda, et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum : ut longe faceretis eos de*

[a] Victorius restitui vult locum præposito hic puncto, inductaque mox *et* copula.

[b] Verba isthæc, *propter peccata sua*, Victorii ignorat editio.

*finibus suis.* LXX : *Quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis Galilæa alienigenarum? Numquid retributionem vos redditis mihi : aut iram in corde retinetis adversum me* (hoc enim Græce significat μνησικακεῖτε)? *velociter et cito reddam retributionem vestram in capitibus vestris : pro eo quod argentum meum et aurum meum tulistis : et electa mea et optima intulistis in templa vestra : et filios Juda, et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum : ut ejiceretis eos de finibus suis.* Et hæc Judæi adversum Tyrum et Sidonem et Palæstinorum terminos, sive Galilæam alienigenarum dici arbitrantur : quod tempore captivitatis Judaicæ, quando victi sunt a Romanis, Dei populum persecuti sunt : immo in populo Dei ipsum Deum qui præfuit populo, secundum illud quod scriptum est : *Qui vos recipit, me recipit* (*Mat.* x, 40). Ergo econtrario, qui persequitur populum Dei, ipsum Deum persequitur, cujus est **209** populus. Reddam, inquit, vobis quæ fecistis populo meo : quia argentum meum et aurum, id est, vasa templi, et quidquid in eo pretiosissimum et speciosissimum fuit, candelabrum aureum et mensam propositionis auream, et duos Cherubim aureos, et propitiatorium, et phialas ac thuribula aurea tulistis, et consecrastis idolis vestris (IV *Reg.* xxv). Hæc autem narrat historia Chaldæos magis fecisse, qui vasa templi Domini posuerunt in templo Bel : unde postea Balthasar potat in phialis, et statim regnum ejus in Medos et Persas transfertur (*Daniel.* v). Sed quia post diem Domini magnum et horribilem, hæc futura dicuntur, quæ apostoli in resurrectione Domini interpretantur, et Hebræi in futurum judicii tempus differunt, magis de Romanis est intelligendum : quod Vespasianus et Titus, Romæ templo Pacis ædificato, vasa Templi et universa donaria in delubro illius consecrarunt : quæ Græca et Romana narrat historia. Eo tempore filii Juda et Jerusalem (nequaquam Israel, et decem tribuum, quæ usque hodie in Medorum urbibus et montibus habitant) venditi sunt filiis Græcorum, ut exterminarentur de finibus suis, et omnis orbis Judaica captivitate completus est. Hoc illi referunt, ut ultionem sanguinis Christi et subversionem Jerusalem, quæ Dei judicio accidit, contra Tyrum et Sidonem [a] per se accidisse confirment. Nos autem juxta cœptam tropologiam, Tyrum et Sidonem et Palæstinos eos interpretemur, qui Dei populum coangustant et tribulant et persequuntur (hoc enim Tyrus in lingua nostra resonat) et eum venantur [*Al.* ut venentur] in mortem, quod nomen Sidonis indicat, et bibentes sanguinem corruunt, sive volutantur in cœno, quod Philistiim Galilæaque significat. Velociter et cito restituet eis Dominus quod merentur, quia persecuti sunt eum. Et argentum illius et aurum, eloquia videlicet Scripturarum, et νοήματα, id est, *sententias*, et omne quod pulchrum in Ecclesia fuit, suis erroribus manciparunt. Hæreticus quoscumque deceperit, et sua fecerit adorare simulacra, filios Juda et filios Jerusalem vendit Græcis, sive gentilibus, et eos de Christianis ethnicos facit : ut exterminet de finibus suis, in quibus in Christo fuerant procreati, et **210** nequaquam in Judæa, et veritatis confessione, sed in gentium errore versentur. Quæ omnia et ad diem judicii referre possumus, non discrepante vindicta : licet in tempore a superioribus discrepare videantur. Pro Galilæa in Hebræo scriptum est, GALILOTH (גלילות), quod Aquila [b] Θῖνας, Symmachus *Terminos* transtulit : Θῖνας autem, id est, *Tumulos Arenarum*, referamus ad littora Palæstinæ, non ad Galilæam Philistiim, quæ omnino nulla est.

(Vers. 7, 8.) *Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos, et convertam retributionem vestram in caput vestrum, et vendam filios vestros, et filias vestras, in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ : quia Dominus locutus est.* LXX : *Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos, et reddam retributionem vestram in capita vestra, et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos in captivitatem genti, quæ procul abest, quoniam Dominus locutus est.* Verbum Hebraicum SABAIM (שבאים), quod Aquila et Symmachus ita ut scriptum est transtulerunt, LXX *captivitatem* interpretati sunt, quod melius *captivos* significat. Sabaim autem gens trans Indiam dicitur, de qua fuit et regina Saba, quæ venit sapientiam audire Salomonis (III *Reg.* x), de quibus et Isaias loquitur : *Et Sabaim viri excelsi ad te transibunt* (*Isai.* XLIII, 14). Unde et thus venire perhibetur, dicente Virgilio (*Æneid. lib.* I) :

... Centumque Sabæo
Thure calent aræ :

licet quidam Sabæos, Arabes suspicentur. Promittunt ergo sibi Judæi, immo somniant, quod in ultimo tempore congregentur a Domino, et reducantur in Jerusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deum suis manibus Romanorum filios et filias asserunt traditurum, ut vendant eos Judæi, non Persis et Æthiopibus et cæteris nationibus quæ vicinæ sunt ; sed Sabæis, genti longissimæ : quia Dominus locutus sit, et populi sui ulciscatur injuriam. Hæc illi et nostri Judaizantes, qui mille annorum regnum in Judææ sibi finibus pollicentur, et auream Jerusalem, et victimarum sanguinem, et filios ac nepotes et delicias incredibiles, et portas gemmarum **211** varietate distinctas. Nos autem dicamus, quod et suscitavit Dominus post adventum suum, et quotidie suscitat, et suscitaturus est eos, quos varius error eduxerat de finibus suis. Pulchreque *sus-*

[a] Vocales, *per se*, Victor. ignorat.

[b] Mss. codices legunt Θεῖνας, non Θινὰς. Quod nomen Hieronymus recitat in cap. XLVII Ezechielis, dicens : *Deinde pro* GALILÆA, *quæ Hebraice dicitur* GALILA, *Aquila* Θηνὰς *interpretatus sit, quod Tumulos significat Arenarum.* Vox itaque Græca Aquilæ tribus modis scribitur apud Hieronymum in libris editis et manuscriptis, Θινὰς scilicet, Θεῖνας et θηνὰς. Ut, sive legerimus Θῖνας, sive θῆνας, malim cum Scapulæ lexico Græco scribere cum accentu circumflexo in penultima quam cum gravi in ultima. MART. — Martian. θεῖνας Recole Comment. in cap. Ezech. XLVII,

*citabo*, ait, [a] quasi jacentes et corruentes, ut qui jacebant in hæresi, stent in Ecclesia, reddens hæreticis quod fecerant : Ut filios eorum et filias, quos et in mysticis et in carnalibus erudierant, tradat in manibus filiorum Juda, in manibus eorum, qui Ecclesiarum principes exstiterunt; et instructi sunt armatura Apostoli, et habent scutum et lanceam veteris et novi Instrumenti. Ut cum ceperint, filios eorum et filias vendant Sabæis, et faciant esse captivos, ut procul sint a finibus suis : et ad meliora conversi, Ecclesiasticis dogmatibus incipiant esse subjecti.

(Vers. 9 seqq.) *Clamate hæc* [Al. *hoc*] *in gentibus : sanctificate bellum : suscitate robustos. Accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum. Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu, et congregamini, ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos* [Al. *suos*]. LXX : *Prædicate hæc* [Al. *hoc*] *in gentibus : sanctificate bellum, suscitate pugnatores, adducite et ascendite omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, et falces vestras in lanceas. Fortis dicat, quia prævaleo ego. Congregamini et introite, omnes gentes per circuitum : et congregamini illuc, mansuetus sit pugnator.* Locus iste dupliciter intelligitur : quidam enim arbitrantur hæc sanctis gentibus prædicari, ut præparentur ad bellum, et pro populo Dei dimicent, ut omnia instrumenta agriculturæ in gladios lanceasque convertant, ut infirmus dicat se esse robustum, et veniant omnes de circuitu, et in certamen Domini congregentur, maxime quia juxta LXX sequitur : *Mansuetus et mitis sit pugnator*, juxta illud quod in Paralipomenis scriptum est (I *Par.* v,8) : *Et trans Jordanem de Ruben et Gad et dimidia tribu Manasse, in omnibus vasis bellicis centum viginti millia : omnes isti viri bellatores parati ad pugnam mente pacifica :* [b] hos esse volunt imitatores veri David, de quo legimus : *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Ps.* CXXXI, 1). **212** Et ipse loquitur in Evangelio : *Discite a me, quia humilis sum, et mitis* (*Matth.* XI, 29), sive *mansuetus*. Viros quoque eos intelligi volunt, qui destruentes initia parvulorum, ad perfectæ ætatis robur accesserint, et omne studium quo prius animarum suarum exercebant agros, ad necessitatem prælii contulerint. Nobis autem Hebræorum opinionem sequentibus videtur esse contrarium. Ideo enim gentes adversariæ Israeli parantur ad pugnam, et aratra sua ligonesque, vel falces in gladios lanceasque commutant (*Isa.* II), et infirmus robustum se esse dicit, erumpuntque et veniunt de circuitu, et contra Domini exercitum congregantur, ut [*Al.* et] occumbere Dominus faciat robustos earum, et [*Al.* ut] intelligant, se Deo adversante, superatas. Hæc juxta litteram sibi Israel miserabilis repromittit. Nos juxta cœptam tropologiam, et gentes dæmonum, et eos qui quotidie contra Ecclesiam dimicant, et in ultimo, qui sub Antichristo adversum sanctos Domini pugnaturi sunt, accipere possumus, qui idcirco congregantur, ut pereant.

(Vers. 12 seqq.) *Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu : mittite falces, quoniam maturavit* [Vulg. *maturuit*] *messis. Venite et descendite, quia plenum est torcular : exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* LXX : *Consurgant et ascendant omnes gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu : emittite falces, quoniam adest vindemia. Introite et calcate, quia plenum est torcular, et redundant torcularia, quia repleta sunt mala eorum.* Et hæc juxta superiorem sensum interpretantur bifariam. Alii enim gentes ascendere in vallem Josaphat, quæ interpretatur *Domini judicium*, et sedere ibi Deum, ut dijudicet omnes gentes, quæ de circuitu veniunt, in bonam partem intelligunt : quo scilicet et sancti contra Dei adversarios congregentur, et mittant falces suas, ut maturam hostium messem demetant, et veniant atque descendant, calcentque torcularia, quia adsit vindemia, et intantum musta exuberent, ut torcularia capere non possint. Et ut sciremus quæ sit vindemia, plenumque torcular, **213** intulit [*Al.* intulisse] : *multiplicata est malitia eorum*, haud dubium quin eos significet, qui contra Dominum congregati sunt. Alii autem consurgere gentes, et convenire in vallem Josaphat, et sedere Dominum, ut omnes judicet nationes, ideo asserunt, ut parent se et assumant universa arma pugnantium, et in valle Josaphat Domini falcibus demetantur. Venisse enim contra eos tempus judicii, et intantum eorum crevisse mala, ut Dei vincerent patientiam. Nam et Amorrhæi tunc expulsi sunt, quando expleta sunt peccata eorum. Judæi istum locum ad Gog et Magog gentes sævissimas referunt, de quibus supra diximus, arbitrantes ultimo tempore quando Jerusalem fuerit instaurata, sub mille annorum imperio contra Dei populum esse venturas, et in valle Josaphat quæ ad Orientalem partem templi sita est, esse ruituras [*Al.* sævituras] : advenisse enim tempus occisionis earum, et effundendi sanguinis instare vindemiam.

(Vers. 14, 15.) *Populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* LXX : *Sonitus exauditi sunt in valle judicii, quia juxta est dies Domini in valle judicii. Sol et luna obtenebrabuntur, et stellæ occidere facient splendorem suum.* In eo loco ubi nos posuimus, *populi, populi*, et Septuaginta transtulerunt, *sonitus exauditi sunt*, in Hebraico scriptum est, AMONIM, AMONIM (המונים המונים), quod utique multitudinem, et turbas eorum qui judicandi sunt, et strepitum sonitumque significat. Rursum ubi nos diximus *in valle conci-*

[a] Non incongrue addit unus Palatin. *quia suscitabit quasi*, etc.

[b] Vitiose Martian. *hoc esse volunt*. Unus Palat., *nos esse volunt imitatores David*, absque *veri*.

*sionis*, sequentes translationem Aquilæ et Symmachi et quintæ editionis, Septuaginta et Theodotio τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως, id est, *causæ et judicii* transtulerunt : pro quo in Hebraico scriptum est HARUS (הרוץ), quod Hebræi non solum *concisionem;* sed et *aurum* interpretari putant, quo scilicet in valle judicii, quam suspicantur gehennam, excoctis sordibus peccatorum, purum aurum remaneat. Idcirco autem gentium, de quibus supra diximus in valle judicii, sive concisionis, populi congregantur, ut interficiantur et corruant, et a Domino judicentur. Cujus mœrorem diei et tormenta pereuntium, ne sol quidem et luna astraque cætera poterunt intueri; sed retrahent fulgorem suum, et severitatem judicantis reddentisque uniuscujusque opus in **214** caput suum, aspicere non audebunt. Non quod clementiora sint quam Dei judicia; sed quod omnis creatura in tormentis aliorum de suo judicio pertimescat.

(Vers. 16, 17.) *Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebuntur cœli et terra, et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel, et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion* [Vulg. addit. *in*] *monte sancto meo, et erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius.* LXX : *Dominus autem de Sion clamabit, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebitur cœlum et terra, et Dominus parcet populo suo, et confortabit filios Israel, et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion monte sancto meo, et erit Jerusalem sancta, et alienigena non transibit per eam amplius.* Cum solis et lunæ cunctarumque stellarum splendor tenebris fuerit commutatus, Dominus de Sion instar leonis rugiet, sive clamabit, et tam excelsa vox ejus erit atque terribilis, ut cœlorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur. Cumque tam severus in eos fuerit qui puniendi sunt, erit clemens erga populum suum, et dabit eis fortitudinem qui appellantur filii Israel, mens scilicet cernens Deum; vel εὐθύτατος Θεοῦ, quem nos *rectissimum Dei* dicere possumus : qui non ambulaverunt per pravas semitas, sed gradientes in via Christi, omnia recta fecerunt. Tunc scient et hi qui punientur, et illi qui assumentur in gloriam, quod Dominus habitet in specula sua Sion, et in Christo monte sancto suo, sive in eo qui se dignum Dei habitaculo præparavit. Tunc erit sancta Jerusalem visio pacis, a qua et Salomon nomen accepit, et alieni non pertransibunt per eam amplius. Alienos vel dæmones intellige, qui externi a Deo sunt : vel omnes pessimas cogitationes atque peccata, de quibus propheta loquitur : *Ab alienis parce servo tuo* (*Ps.* XVIII, 24) : quæ nequaquam ultra in nobis viam reperirent, si habuerimus Dei pacem, et cor nostrum adversariis non patuerit. Hæc Judæi et nostri, ut diximus, judaizantes, ad mille annorum fabulam referunt, quando putant Christum habitaturum in Sion, et in Jerusalem aurea atque gemmata sanctorum populos congregandos, ut qui in isto sæculo oppressi sunt ab universis gentibus, in hoc eodem cunctis imperent nationibus.

(Vers. 18.) **215** *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Judæ ibunt aquæ.* LXX : *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et omnes emissiones Judæ fluent aquis.* Habitante Domino in Sion et in monte sancto suo, quando nullus per Jerusalem sanctam pertransire tentaverit, quicumque in ea mons fuerit, et ad virtutum excelsa pervenerit, dulcedine et melle sudabit, et stillabunt ex eo gratiæ spirituales, de quibus propheta loquitur : *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo* (*Ps.* CXVIII, 103) ! Qui autem inferior montibus est, et necdum ad perfectionis culmen ascenderint, vocabitur collis, et fluent de eo rivi lactis, quibus rudis in Christo nutritur infantia, et aquarum flumina, quæ de ventre suo Dominus manare testatus est (*Joan.* VII). Omnes enim rivi, sive emissiones Juda, implebuntur aquis, et nihil in eis siccum erit, redundantibus cunctis gratia spirituali.

*Et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem* [Al. *fontem*] *spinarum.* Pro *torrente spinarum*, Septuaginta transtulerunt, *torrentem funiculorum*, id est, σχοίνων : [a] quod aut funiculos significat, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris, Psalmista dicente : *Semitam meam et funiculum meum tu investigasti* (*Psal.* CXXXVIII, 2). In Nilo enim flumine, sive in rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant *funiculos*, ut labori defessorum, recentia trahentium colla succedant. Nec mirum si unaquæque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus, cum et Latini mille passus vocent, et Galli leucas, et Persæ parasangas, et [b] rastas universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. Hæc propterea, quia verbum Hebraicum SATTIM (שטים) Septuaginta *funiculos* transtulerunt. Cæterum nulli dubium est, omnia quæ in tabernaculo Dei legimus, de lignis *Settim* fuisse perfecta : quæ LXX interpretati sunt *ligna imputribilia.* Est autem genus arboris in eremo, spinæ albæ simile, colore et foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes [c] arbores sunt, ut latissima **216** ex illis tabulata cædantur, lignumque fortissimum est, et incredibilis levitatis ac pulchritudinis, ita ut ex his etiam vasa torcularium, quæ ἀρσενας et θηλύας vocant, ditissimi quique et studiosissimi faciant, quæ ligna in locis cultis, et in Romano solo, absque

[a] Nostri mss. χοινίων, quemadmodum et Græc. Complut. legit. Porro corrupte unus Palatin., *quod autem funiculus significet, ut juxta Ægyptios, mensuram certi itineris, Psalmista dicente, didicimus.*

[b] Glossarium Germanic. Georgii Wachteri Lipsiæ 1717 : « *Rost, requies; Rast, milliare. Rasta* in Evangelio Gothico ponitur pro milliari : in Lexico Runico *Rost* ponitur pro mensura viæ. Vide nostrum Hieron. in Præfat. ad lib. II Comment. ad Galatas. »

[c] Huc refer Plinium lib. XIII, cap. 19, et lib. XXIV,

Arabiæ solitudine non inveniuntur. Pro *torrente funiculorum*, sive *spinarum*, Symmachus interpretatus est, *vallem spinarum*. Est autem locus juxta Liviadem trans mare mortuum, sexto ab ea distans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatus est Israel. Hujus loci ex persona Dei Michæas propheta meminit, dicens : *Populus meus, memento, quæso, quid cogitaverit Balach, rex Moab, et quid responderit Balaam filius Beor de Settim usque ad Galgalam* (*Mich.* VI, 5). Pro quo et ibi Septuaginta transtulerunt, ἀπὸ τῶν σχοίνων, hoc est, *a funiculis usque ad Galgalam*. Ergo egredietur fons de domo Domini, quæ interpretatur Ecclesia. De quo et Ezechiel et Zacharias ponunt in fine voluminum suorum (*Ezech.* XLVII, *Zach.* XIII), ut spinas nostras et vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuere justitiæ, commutent in Domini novalia, et ariditatem nostram rigent aquis largissimis, et pro spinis ac vepribus, flores virtutum multiplices germinemus. Et in eo loco, ubi quondam fornicatus est Israel, et initiatus est Beelphegor, lilia castitatis et rosæ pudoris ac virginitatis exuberent.

(Vers. 19.) *Ægyptus in desolatione* [Vulg. *desolationem*] *erit, et Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerunt* [Vulg. *egerint*] *in filios Juda, et effuderunt* [Vulg. *effuderint*] *sanguinem innocentem in terra sua.* LXX : *Ægyptus in perdione erit, et Idumæa in campum desolationis, propter iniquitates filiorum Juda, pro eo quod effuderunt sanguinem justum in terra sua.* Et in hoc loco Judæi gravissimo somno dormiunt : in ultimo tempore, quando non Christum, sed Antichristum suscepturi sunt, vindictam sui, in Ægyptios qui vicini sunt, et in Romanos quos interpretantur Idumæos, spe vanissima confingentes. Ut scilicet quomodo Pharao et omnis ejus exercitus, qui per quadringentos et triginta annos populum Dei captivum tenuit, in mari **217** Rubro submersus est : sic etiam Romani qui eodem annorum spatio Judæos possessuri sunt, ultione Domini deleantur. Hoc illi spe sibi cassa promittant. Neque enim possunt exponere quare cum in orbe tantæ sint nationes, duæ solum gentes, Ægyptiorum et Idumæorum expetantur ad pœnam ; aut cur pro Idumæis intelligantur Romani, cum eadem licentia mentiendi e diverso possimus asserere, sub Idumæorum vocabulo vel Persas, vel Elamitas, vel Francos, Alemannos, gentesque alias significari. Nos autem dicamus tempore Dominicæ resurrectionis, vel die judicii (utrumque enim recipimus) et Ægyptum et Idumæam, in eo quod Ægyptus et Idumæa sunt, destruendas. Ægyptus dicitur MESRAIM (מצרים), quod interpretatur ἐκθλίβουσα, id est, sanctos Dei *persequens* et *tribulans* : Idumæa, *terrena*, vel *cruenta*. Quicumque igitur Dei populum persecutus est, et terrenis vacaverit operibus, ac multitudine delictorum quotidie fuderit sanguinem innocentem, eorum scilicet, quos decipit (*Al.* deceperit), erit in perditionem, ut animas quoque martyrum sub altari clamare cognovimus : *Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra* (*Apoc.* VI, 10) ?

(Vers. 20 seqq.) *Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generatione et generationem : et mundabo sanguinem eorum,* [a] *quos non* **218** *mundaveram, et Dominus commorabitur in Sion.* LXX : *Judæa autem in æternum habitabitur, et Jerusalem in generatione et generationem, et requiram sanguinem eorum, inultumque esse non patiar, Et Dominus habitabit in Sion.* Non utique hæc Judæa in æternum habitabitur, quam videmus esse desertam : non ista Jerusalem, cujus ruinas cernimus : sed illa Judæa, cujus filiæ exsultaverunt et lætatæ sunt in omnibus judiciis Domini. Et de qua in fine quinquagesimi psalmi legimus : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* In hac provincia confessionis et gloriæ, et in hac urbe in qua pax Domini cernitur, erit æterna habitatio, non in unam, vel in tres, aut plures generationes, sed in generatione et generationem, hoc est, in duabus generationibus eorum, qui de Judæis et de gentibus crediderunt. Et mundabit Dominus sanguinem omnium peccatorum, quem prius non mundaverat, ut mundet in Evangelio, quos in Lege peccantes immundos reliquerat. Ideo enim conclusit omnia sub peccato, ut omnibus misereatur (*Rom.* XI); sive ulciscetur servorum suorum sanguinem, quem in martyrio pro nominis ejus confessione fuderunt. Et Dominus commorabitur in Sion, de qua scriptum est : *Fundamenta ejus in montibus sanctis ; diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob* (*Ps.* LXVIII, 1).

c. 12; Theophrastum quoque Hist. Plant. lib. IV, c. 3, ubi ἄκανθον arborem esse tradit, ex qua δωδεκάπηχυς ὕλη, cæditur, etc.

[a] Ad Vulgatam edition. Victorius, *quem* : probatque ex ipso Hieronymo inferius : *Et mundabit Dominus sanguinem omnium peccatorum*, QUEM *prius non mundaverat*. Mox quoque, penes LXX, pro *in generatione et generationem*, reponit, *in generationes generationum*, juxta Græcum, εἰς γενεὰς γενεῶν.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

## COMMENTARIORUM [a]

# IN AMOS PROPHETAM

LIBRI TRES.

## PROLOGUS [b].

**219-220** Amos propheta, qui sequitur Joelem, et est tertius duodecim prophetarum, non est ipse, quem patrem Isaiæ prophetæ legimus. Ille enim scribitur per primam et ultimam nominis sui litteram ALEPH et SADE, et interpretatur *fortis*, atque *robustus*. Hic vero per AIN et SAMECH, et interpretatur *populus avulsus* : mediæ litteræ MEM et VAU utrique communes sunt. Apud nos autem qui tantam [*Al.* tantum] vocalium litterarum, et *s* [Al. *si*] litteræ, quæ apud Hebræos triplex est, differentiam non habemus, hæc et alia nomina videntur esse communia, quæ apud Hebræos elementorum diversitate, et suis proprietatibus distinguuntur. Hic igitur propheta quem nunc habemus in manibus, fuit de oppido Thecue, quod A sex millibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethleem, quæ mundi genuit Salvatorem; et ultra nullus est viculus, [c] ne agrestes quidem casæ et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia. Idem enim, qui per omnes prophetas, in eo Spiritus sanctus loquebatur. Unde nos ex Hebræo vertimus.

# *LIBER PRIMUS.*

(Cap. I. — Vers. 1.) **221** *Verba Amos, qui fuit in pastoralibus de Thecue, quæ vidit super Israel.* Septuaginta autem, nescio quid volentes, interpretati sunt : *Sermones Amos, qui facti sunt in Accarim* B *de Thecue, quos vidit pro Jerusalem.* Sciendumque hunc prophetam, non *pro Jerusalem*, quod in Hebræo penitus non habetur; sed *super Israel*, id est, *In diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Jeroboam*

[a] Præter laudatos Palatinos codices, uno deinceps utemur Nonantulano, nunc bibliothecæ Sanctæ Crucis in Jerusalem de urbe, qui num. 90 prænotatur, et cujus ætatem ex hac colligimus epigraphe, quæ in prima libri pagella legitur : *De acquisito Domni Anfrit abbat.* Etenim vetus auctor Catalogi Nonantulanorum abbatum, quem pridem Hughellus edidit, ita de illo scribit : *Anfrit annos* XVII (suppl. *sedit*). *Ordinatus anno Domini* DCCCXXI. *Hic fuit religiosus, et Deo devotus vir, et sanctissime vixit. Fecit autem capsam Evangelii totam auream, et pretiosis lapidibus ornatam; fecit calicem grandem argenteum, et patenam, quos mirifice vestivit auro, et ornavit lapidibus. Obiit tertio Idus Martii* (anni scilicet 838). Ejus legationem memorat Eginhardus decennio ante: *Halidgarius Cameracensis episcopus, et Ansfridus abbas monasterii Nonantulæ Constantinopolim missi, et a Michaele imperatore honorifice suscepti sunt.* Neque porro hæc ultima laus ejus fuerit, quod colligendis cum aliorum sanctorum Patrum, tum præcipue Hieronymi libris animum adjecit, siquidem eorum ope codicum, quos sane vetustissimos atque emendatos Cisterciensium Romæ bibliotheca servat, nobisque ad utendum perhumaniter obtulit reverendissimus ejusdem monasterii abbas, Bessotius, vix dictu est, quantum Hieronymianis plerisque scriptionibus emendandis profecerimus.

[b] Pammachio isthæc Expositio inscribitur, quod ex tertii in hunc prophetam libri Præfatione constat.

[c] Fallor, aut *nisi agrestes quædam casæ*, pro *ne agrestes quidem* legendum est. Quid enim, si nullæ prorsus erant, ne agrestes quidem, eas vocat *furnorum similes*, et mapalibus Afrorum comparat? Ad hæc *si cuncta erant plena pastoribus*, et sterilitatem terræ compensabat pecorum multitudo : igitur erant et antra et caulæ et tuguria, in quibus noctu saltem pastores agerent. Ita equidem opinor, et si quid ingenio dandum est, opem denegantibus mss. libris, ita pro mendosa lectione impressa restitui velim : quando et levis est litterarum immutatio, *nisi*, pro *ne*, et *quædam*, pro *quidem*. Jam vero et Cassiani testimonium adducam Collat. VI, cap. 1, nec ea tantum de causa, quod huic Hieronymiano sit geminum, quam ut ab uno alterove mendo purgem : *In Palæstinæ*, inquit, *partibus, juxta Thecue vicum, qui Amos prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est usque Arabiam, ac mare Mortuum, quo ingressa deficiunt fluenta Jordanis et cineres Sodomorum, amplissima extensione porrecta.* Primum, pro *mari Mortuo*, rescribendum arbitror, *mare Rubrum*, nam et Hieron. usque ad Rubrum mare protendi eremi vastitatem auctor est, atque econtrario mare Mortuum non ita multum, immo vix supra duodecim millia aberat Thecue. Deinde perperam illa videntur adjecta, *quo ingressa deficiunt fluenta Jordanis et cineres Sodomorum.*

decem tribus quæ appellantur Israel, et erant in Samaria, prophetasse. Quod quidem et Aquila et Symmachus et Theodotio similiter transtulerunt. Primus ergo Osee propheta ad decem tribus quæ appellantur Ephraim, Samaria, domus Joseph et Israel, loquitur. Secundus Joel, ad Jerusalem et duas tribus quæ vocantur Juda et Jerusalem et Jacob, profert vaticinium, [a] nullam omnino Israelis faciens mentionem. Tertius Amos, nequaquam ad Jerusalem quæ regebatur a tribu Juda; sed ad Israel in Samaria prædicat. Quod et de toto volumine ejus probari potest, et maxime ex eo quod scriptum est: *Misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel* (*Amos* VII, 10). Et post paululum dixit Amasias ad Amos: *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis et domus regni est.* Cui respondit Amos: *Non eram propheta, nec prophetæ filius, sed opilio ruborum mora distringens:* **222** *tulitque me Dominus cum sequerer gregem, et dixit ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel:* non utique ad Judam et Jerusalem, ut male apud Græcos et Latinos habetur, sed ad Israel, id est, decem tribus, quæ ob populi multitudinem, pristinum nomen obtinuerant. In eo autem loco ubi Septuaginta transtulerunt, *in Accarim*, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit: *in* NOCEDIM (נקדים), quod Aquila vertit ἐν ποιμνιοτρόφοις, id est, *in pastoralibus:* Symmachus et quinta editio ἐν τοῖς ποιμέσιν, id est, *in pastoribus*. Et puto propter DALETH et RES litterarum similitudinem hic quoque deceptos, pro NOCEDIM, quasi NOCERIM: et exinde *Accarim* posuisse sermonem, quamquam in principio nominis NUN littera nullam excusationem relinquat erroris. Accarim autem usque in præsentiarum Hebræum esse non legi. Et qui sterilitatem, id est, στείρωσιν interpretatur, magis ACCARON urbem Philistiim, quam Accarim exprimunt, quæ omnino non legitur. Sermones itaque Amos, qui fuit de oppido Thecue ex numero pastorum, quia pastoralis et ipsa est regio, hoc volumine continentur, quos vidit super Israel, non carnis oculis, sed mentis intuitu; quia Prophetæ vocabantur videntes; alioquin secundum litteram sermones non videntur, sed audiuntur. Unde et populus videbat vocem Dei, et Moyses tacens loquebatur **223** ad Dominum, quando dicebat ei: *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? In novo quoque legimus Testamento: *Quod vidimus, et audivimus* [b] *oculis nostris, et manus nostræ palpaverunt de Verbo vitæ* (*Joan.* I, 1). Verbum enim Dei quod per se invisibile est, vident apostoli, et tractant manibus suis. Quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Vidit autem hos sermones.

[a] Hæc, *nullam omnino Israelis faciens mentionem*, in nostris mss. non sunt. Duoque ex iisdem paulo post, *regnabatur tribui*, pro *regebatur a tribu*.

[b] Tres mss. alterum interserunt, *vidimus*.

*filii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motus.* Quando apud Assyrios urbesque Ciliciæ regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator: *Turpior*, inquit, *vitiis, quam nomine.* Et apud Latinos Procas Silvius, cui Amulius, expulso Numitore germano, successit in regnum. Quo interfecto, congregata pastorum et latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem. Hic est autem Ozias rex Juda, cognomento Azarias, qui indebitum sibi sacerdotium vindicare conatus, lepra percussus in fronte est (III *Paral.* XXVI), quando iram Domini non solum pœna ejus, qui sacrilegus fuit; sed et terræ motus ostendit, quem Hebræi tunc accidisse commemorant. Jeroboam vero non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel (III *Reg.* XII), sed filius Joas filii B Joathan [*Al.* Joachaz *et* Joachan], filii Jehu pronepos ejusdem Jehu, sub quo prophetaverunt Osee et Joel et Amos. Igitur interpretatur Ozias κράτος Κυρίου, id est, *imperium*, vel *fortitudo Domini*. Jeroboam δικασμὸς λαοῦ, id est, *judicatio*, vel *causa populi*, licet quidam per *chi* Græcam litteram legentes, *divisionem populi*, suspicentur. Joas Κυρίου χρόνισμα, id est, *Domini mora*, sive *temporalitas*. Verba itaque Amos, quo tempore populus Israel avulsus erat a Domino, et aureis vitulis serviebat, sive avulsus a regno stirpis David, clara voce cecinerunt instar clangentis tubæ, quæ interpretatur *Thecue*. Et cecinerunt super Israelem, qui quondam erat rectissimus Dei, id est, εὐθύτατος Θεοῦ. In diebus Oziæ regis Juda, in quo propter templum et sancta sanctorum, C fortitudo Domini permanebat, suoque regebat imperio populum confitentem. Nomen autem Jeroboam, qui divisionis populi causa exstiterat, significat Israelem longo tempore in idololatriæ **224** errore mansisse, priusquam captivitas universa concuteret, quæ in duobus annis duplicem ostendit angustiam decem tribuum, ac duarum: ut agentes, si vellent, pœnitentiam, motum terræ de cætero non sentirent.

Hæc, Pammachi animo meo charissime, qui ex interpretatione nominis tui, quodam vaticinio futurorum omni arte pugnandi adversum diabolum et contrarias potestates te [c] bellare demonstras, quasi argumentum et ὑπόθεσιν Amos prophetæ longo sermone complexus sum. Illud breviter admonens, exD planationem et hujus et Osee et Zachariæ prophetarum, me et aliis quidem sanctis viris, sed præcipue sanctæ et venerabilis memoriæ parenti tuæ Paulæ, dum viveret, promisisse. Nec multum errare in sponsionis fide, si quod matri pollicitus sum, reddam filio. Verum jam tempus est, ut ipsius Prophetæ verba proponens, quid mihi videatur, in singulis edisseram.

(Vers. 2.) *Et dixit: Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa*

[c] Uno verbo Palatini mss. *debellare*. Sonat vero Παμμαχὸς Græce, quod Hieron. notat, omni pugnandi arte peritum virum.

*pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli.* LXX : *Et ait : Dominus de Sion effatus est, et de Jerusalem dedit vocem suam, et luxerunt pascua pastorum, et arefactus est vertex Carmeli.* Naturale est, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo studio trivit ætatem, illius similitudinem proferat : verbi gratia, qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati ; damnum, naufragium vocat ; inimicos suos, ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem et lætitiam, auram placidissimam et secundos nominat ventos ; tranquilla maria et æquora, campi similia. E regione miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus, et victoriam sonat. In ore philosophorum semper Socrates et Plato, Xenophon et Theophrastus, Zeno et Aristoteles, Stoici versantur et Peripatetici. Oratores Lysiam et Hyperidem, Periclem et Demosthenem, Gracchos, Catones, Tullios, et Hortensios in cœlum laudibus ferunt. Poetæ, si epici sunt, Homerum atque Virgilium ; si lyrici, Pindarum et **225** Flaccum crebro sermone concelebrant. Cur hæc dicta sunt? ut scilicet ostendamus etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoribus fuit, et pastor non in locis cultis et arboribus ac vineis consitis, aut certe inter silvas et prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas et interfectio pecorum, artis suæ usum esse sermonibus, ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum et fremitum nominaret. Eversionem Israeliticarum urbium, pastorum solitudini [*Al.* sollicitudini] et ariditati montium comparans : *Dominus*, inquit, *de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* [a] *Rugiet* Hebraice dicitur JESAG (ישאג) : Pulchreque de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, ubi erat templum et Dei religio, ut doceret, Deum non in Israel urbibus, id est, in Bethel et Dan, ubi erant aurei vituli, nec in metropoli Samaria et Jezrael, sed in vera religione versari, quæ illo tempore colebatur in Sion et Jerusalem. Quo rugiente de Sion, et dante vocem suam de Jerusalem (de Sion enim egredietur lex (*Isai.* II), et verbum Domini de Jerusalem), omnia pastorum et regum Israel speciosa luxerunt, et exsiccatus est vertex Carmeli, qui quondam lætis pascuis abundabat. Carmelus Græce dicitur et Latine, Hebraice autem appellatur CHERMEL : et sunt duo montes, qui vocantur hoc nomine. Alter in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail ad Australem plagam. Alter juxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit (I *Reg.* XV). Si ergo de Chermel dicit, in quo habitavit Nabal, magis pastorum gregibus convenit, quia est juxta solitudinem (III *Reg.* 18). Sin autem de illo, qui vicinus est littori, ad reges et superbiam pertinet regum Israel, quos imminente captivitate, instar montium desertorum dicit esse vastandos. Aliter : Cum Dominus de Sion et Jerusalem, de specula Ecclesiæ, quæ super montem sita latere non potest, et in qua visio pacis est, dederit per vetus et novum Instrumentum, et per doctores Ecclesiasticos vocem suam, et quasi clara buccina insonuerit, tunc **226** omnia speciosa pastorum, id est, doctrina hæreticorum, quæ pulchro videbatur sermone composita, et cognitio circumcisionis (hoc enim interpretatur CHERMEL [כרמל] per quam sibi veræ circumcisionis scientiam pollicentur, lugebit atque siccabitur, et populorum millia, quæ propter simplicitatem vocantur greges, subita ariditate marcescent.

(Vers. 3.) *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* LXX : *Et dixit Dominus : Super tribus impietatibus Damasci, et super quatuor non aversabor eos* [Al. *eum*], *pro eo quod secuerunt serris ferreis prægnantes in Galaad.* Pro *tribulis*, quæ Hebraice appellantur ARSOTH (הרצות), et a Theodotione translatæ sunt *rotæ ferreæ*, quæ nos *plaustra ferrea* interpretati sumus, Septuaginta transtulerunt, *serris ferreis.* Est autem genus plaustri, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut, excussis frumentis, stipulam in areis conterat, et in cibos jumentorum propter feni sterilitatem paleas comminuat. Rursum ubi in Hebraico habetur BENADAD (בן הדד), et unum nomen est, Septuaginta interpretati sunt, *filii Ader*, RES et DALETH elementorum falsi similitudine. In eo quoque loco ubi nos diximus, *de domo voluptatis*, quod Hebraice dicitur MEBBETH EDEN (מבית עדן), et omnes similiter transtulerunt, Septuaginta interpretati sunt, *ex viris Charran*, DALETH mediam nominis litteram RES arbitrantes, et juxta consuetudinem suam AIN primæ Hebraicæ litteræ, *Chi* (χ) Græcum præponentes. Cyrenem etiam quæ Hebraice dicitur CIRA (קירה), ἐπήκλητον, id est, *vocatum*, vel *nominatum* transtulerunt, propter verbi similitudinem, quia [b] CARAE (קיראה), *vocatio* dici potest, et nomen proprium, appellativum intellexerunt. De causis diversæ translationis breviter diximus : nunc ad sensum eorum quæ dicta sunt transeamus. Primum adversum Damascum, in qua regnabat Azael, sermo Dei dirigitur, qui eo tempore quo Amos prophetabat, graviter urgebat Israel, id est, decem tribus : intantum ut, superato Achab rege Israel in Ramoth Galaad, omnem regionem quæ appellabatur **227** Galaad, et in hæreditatem cesserat dimidiæ tribui Manasse, instar tribularum frumentum in areis triturantium jugularet atque contereret. Quod plenius Elisæus propheta in Regum volumine loquitur, ubi scriptum legimus : *Stetitque cum eo, et conturbatus est usque ad suffusionem vultus : flevitque vir Dei. Cui Azael ait : Quare dominus meus flet? Et* [Al. *at*] *ille*

[a] In Cisterc. ms., *Rugitus.*
[b] Idem ms., *care, et ciru etiam vocatio :* ex qua lectione boni quidpiam excudi posse video, LXX legere in Hebraico קרו.

*respondit : Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos elides, et prægnantes dividas. Dixitque Azael : Quid sum enim servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Elisæus : Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore* (IV *Reg.* VIII, 11 *seqq.*). Quod autem sequitur in propheta.

(Vers. 4.) *Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad. Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitatores de campo idoli.* LXX : *Et emittam ignem in domum Azael, et devorabit fundamenta filii Ader, et conteram vectes Damasci, et disperdam habitatores de campo* ὄν. Dat intelligentiam, quod Azael, regnantibus Ozia et Jeroboam, jam in Syria mortuus erat, et ei in regnum successerat filius suus Benadad, a quo omnes postea reges Aram, id est, Syriæ et Damasci, Benadad vocabulum possederunt. Unde pulchre non dixit, mittam ignem in Azael, sed in domum Azael, id est, in domum ejus regiam, cui Benadad filius eo tempore præerat. *Et conteram*, inquit, *vectes Damasci, et disperdam habitatores de campo idoli.* Omnem videlicet Syrorum fortitudinem [*Al.* multitudinem], quæ veluti quodam plaustro et vectibus adversariorum impetus submovebat. Campum autem idoli quod Hebraice dicitur AVEN (אָוֶן), et Septuaginta et Theodotio interpretati sunt ὄν : Symmachus et quinta editio transtulerunt, *iniquitatem :* Aquila, ἀνωφελοῦς, id est, *inutilem*, ut ostenderet vana idolorum auxilia, cum populus Damasci, Assyrio veniente, capietur [*Al.* capiatur]. Legimus enim quod Theglatphalasar rex Assyrius, interfecto Rasin rege Damasci, de quo et Isaias loquitur, omnem Syriæ populum, qui appellabatur Aram, in Cyrenem transtulerit, et ob hanc causam esse nunc dictum (IV *Reg.* 16).

(Vers. 5.) **228** *Tenentem sceptrum de domo vo*[a]*lupiatis*, *et transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus.* LXX : *Et concidam virum ex viris Charran, et captivus ducetur populus Syriæ nominatus, dicit Dominus.* Ut subaudiatur, *conteram et disperdam*, et populus Syriæ in fines Ægypti ultimos transferetur. Quodque in principio dicitur : *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor, non* [*Al. nonne*] *convertam eum*, et secundum Septuaginta, *non* [*Al. nonne*] *aversabor eum*, id est, Damasci populum, sive Aram, id est, Syrum, hunc sensum juxta historiam habere potest : Si semel meum esset populum persecutus, aut secundo, darem veniam : nunc vero cum tertio et quarto crudelis exstiterit, ut captivam multitudinem plaustris ferreis tereret : nonne debeo eum plagis corripere? nonne clementiæ meæ vultum aversare ab eo? Juxta tropologiam vero hoc possumus dicere : Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt. Secundum, cogitationibus acquievisse perversis. Tertium, quod mente decreveris, opere complesse. Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, et in suo sibi complacere delicto. Hoc omnes faciunt hæretici, qui non solum cogitant, et faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, et in morem *Damascenorum*, qui interpretantur, *sanguinem bibentes*, eorum quos deceperint, sanguinem bibunt. Super hujuscemodi, inquit, peccatis Dominus : nonne dignum est, ut eos plagis corripiam, et avertam ab eis faciem meam? ut qui veritatem dogmatum meorum non vident, aversione vultus mei tenebris obruantur. Contriverunt enim, sive dissecuerunt in plaustris ferreis prægnantes Galaad. Istæ sunt prægnantes, de quibus Dominus in Evangelio loquitur : *Væ prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus* (*Luc.* XXI, 23). Prægnantes sunt animæ credentium, quæ in principio fidei possunt dicere : *A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus* (*Is.* XXVI, 17, 18) ; et si non fuerint plaustris ac rotis ferreis ac dentatis (de quibus Psalmista dicit : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ* (*Ps.* LVI, 5), concisæ atque ferratæ, possunt etiam ea dicere quæ sequuntur : *Et peperimus, spiritum salutis tuæ* [b] *faciemus super terram.* Simulque **229** considera quod perfectæ ætatis viros secare non possint ; sed eos qui adhuc in utero sunt, vel qui solidum cibum capere nequeunt, et adhuc lacte nutriuntur infantiæ. Istæ autem prægnantes de *Galaad* sunt, quod interpretatur *translatio*, sive *transmigratio testimonii*. Migraverunt enim de Ecclesia in hæresim, et testimonia Dei quæ prius acceperant, ad alienos terminos transtulerunt. Sed mittet Dominus ignem in domum Azael, quam ipsi vocant AZAEL (רְאוֹת אֵל), id est, *visionem Dei* : ignem qui ligna in eis stipulamque consumat, et devoret fundamenta filii Ader. Debemus enim et juxta Septuaginta dicere, ne eos frustra proposuisse videamur : *Ader* interpretatur εὐπρέπεια, quem nos *decorem* possumus dicere : eo quod omnis sermo hæreticorum concinnus atque compositus, et habens pulchritudinem eloquentiæ sæcularis, facilius decipiat audientes. Vectes autem Damasci, quasi seræ robustissimæ atque firmissimæ [*Al.* fortissimæ], hi intelligantur, qui instructi sunt arte dialectica, et argumentis philosophorum. Verbi gratia : Ostium vocatur, qui falsum dogma concepit et peperit, ut Arius in Alexandria : vectes ejus et firmissimæ seræ ejus, [c] Euticius et Eunomius, qui syllogismis et enthymematibus, immo sophismatibus, et pseudomenis atque sortitis, quæ ab aliis male in-

[a] Pari consensu tres mss. addunt, *atque luxuriæ*. Infra *ultimos*, pro *ultimus*, restituimus, levioraque alia ex iisdem mss. castigamus.

[b] Victorius, *quem fecimus super terram*.

[c] Vulgatam lectionem *Euticius*, quam nullo suffragante ms. Martianæus in *Aetius* mutaverat, nos restituimus. Neque vero illud est hominis eruditi, quod opinatur, si *Euticium* retineas, pro *Aetio*, hequaquam id reperiri consentaneum Ecclesiasticæ Historiæ. Notum e contrario, Aetium ab Arianis discessisse, quod illi Filium Patri per omnia similem natura dicerent : hic cum ipsam Dei naturam, sive essentiam in eo constitueret, quod ἀγέννητος, sive *ingenitus* sit, Filium, quia sit genitus, dissimilis a Patre naturæ esse intulit. Exinde Anomœorum nova hæresis exorta, cujus duæ quasi sectæ, eorum qui

venta sunt, roborare conantur. Cumque contriti fuerint atque confracti vectes Damasci, disperdet etiam habitatores de campo Ὠν, quod interpretatur *labor*, sive *dolor*. Omnes enim hæretici labore nimio ac dolore quærendi ordinem aliquem, et consequentiam hæreseos suæ reperire conati sunt. Et concidam tribum ex viris Chartam, quod lingua nostra in *foramina* vertitur. Non enim habent fenestras, per quas ad eos lumen veritatis introeat; sed foramina quædam et occultos meatus, per quos noxia et immunda ingrediantur animantia. Et captivus ducetur Aram, populus excelsus atque sublimis, qui erectus est in superbiam, et sibi cœlestia repromittit, ut **230** capiatur in salutem suam: et juxta Hebraicum in Cyrenen, ubi vocatio Dei est, transferatur.

(Vers. 6 seqq.) *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum* [Al. *eos*], *eo quod transtulerit* [Vulg. *transtulerint*] *captivitatem perfectam, ut concluderet* [Vulg. *concluderent*] *eam in Idumæa, et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus, et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone, et convertam manum meam super Accaron, et peribunt*[a] *reliqui Philistinorum, dicit Dominus.* LXX: *Hæc dicit Dominus: Super tribus impietatibus Gazæ, et super quatuor non aversabor eos, eo quod captivam dixerunt* [Al. *duxerint*] *captivitatem Salomonis, ut concluderent eam in Idumæam, et emittam ignem super muros Gazæ, et devorabit fundamenta ejus, et disperdam habitatores Azoti, et auferetur tribus de Ascalone, et inferam manum meam in Accaronem* [Al. *post Accaron*], *et peribunt reliqui alienigenarum, dicit Dominus.* In tertia et quarta generatione peccata patrum se Dominus comminatur in Lege filiis redditurum: non in æqualitate judicii, ut alii peccent, et alii puniantur, sed magnitudine clementiæ, dum semper exspectat pœnitentiam: et quod in prima generatione delinquitur, non prius corripit et emendat, nisi tertia et quarta generatio venerit. Tale quid et Paulus apostolus loquitur ad Romanos: *An divitias bonitatis ejus et sustentationis et patientiæ contemnis: ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* [Al. *ejus*] (*Rom.* II, 4 *seqq.*). Quod ergo dicit, hoc est: Exspectavi multo tempore ut ageret pœnitentiam, et ideo nolui [*Al.* volui] punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem. Verum quia tertio et quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, et plagis corrigere delinquentes. Videamus autem quid Philistiim, et urbes ejus peccaverint, quos Septuaginta semper alienigenas transtulerant; ubicumque enim in veteri **231** Testamento ἀλλοφύλους, id est, *alienigenas* legerimus, non commune nomen omnium externarum gentium, sed proprie Philistiim, qui nunc Palæstini vocantur, accipiendi sunt. Quid fecit Gaza, ut ad iracundiam atque vindictam Dominum provocaret? Transtulit captivitatem perfectam populi Judæorum, et conclusit eam in Idumæa, ut Idumæis venderet, quos ceperat ex Judæis. Pro *captivitate perfecta*, Septuaginta *captivitatem Salomonis* interpretati sunt: verbum Hebraicum[b] SALMA (שלמה), quod significat *perfectam* atque *completam*, nomen *Salomonis* æstimantes. Denique Aquila ἀπηρτισμένην transtulit, et ἀναπεπληρωμένην: Symmachus et Theodotio τελείαν, quod non *Salomonem*, sed *perfectam* significat atque *completam*: ut nullus remanserit captivorum, qui non sit tradilus Idumæis. Unde ignem se in Gazæ muros et ædes, sive fundamenta dicit esse missurum, qui universa devoret et absorbeat. Et quia Palæstinorum quinque legimus civitates, quæ propter arcæ injuriam percussæ sunt plagis, post Gazam transit ad Azotum (I *Reg.* v), quæ appellatur ESDOD (אשדוד), et rursus ad Ascalonem, et voce terribili comminatur habitatores se Azoti perditurum, et tenentem sceptrum de Ascalone, regiam videlicet potestatem, sive tribum Ascalonis, ut nullus ibi remaneat, ne ultimæ quidem ætatis homines, qui tremenles artus baculo regente sustentent. Rursumque transfert manum suam, ut percutiat Accaron. Et quatuor enumeratis urbibus, reliquas Philistiim civitates uno sermone comprehendit. *Et peribunt reliqui Philistiim*: quos aut Geth civitatem, aut omnes vicos qui supradictis urbibus subjacent, debemus accipere. Secundum tropologiam sic nobis exponendum videtur: Gaza quæ Hebraice dicitur AZA (עזה), sonat *fortitudinem* vel *imperium*: Salomon, *pacificum*: Idumæus, *sanguinarium*, atque *terrenum*: Azotus, id est, Esdod, *ignem uberis*, sive *patrui*: licet quidam *dor*, pro *dod* male legentes, *ignem generationis* putent: Ascalon interpretatur *ignis homicida*, sive *appensa* et *ponderata*: Accaron, στείρωσις, id est, *sterilitas*, et ἐκρίζωσις [Al. ἐκρίσωσις], quod interpretatur *eradicatio*. **232** Igitur Gaza quæ sibi fortitudinem scientiæ suæ et imperium repromittit, accusatur in eo quod captivos de familia Salomonis concluserit in Idumæa. Hos ego arbitror Judæorum magistros, et omnes qui occidentem sequuntur litteram, nolentque recipere spiritum vivificantem; sed quæcumque interpretantur et sapiunt, volunt esse terrena, nec audiunt cum discipulis parabolas Dominum disserentem, et dicentem eis: *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matt.* XI, 15): præsertim cum Apostolus manifestam historiam in duobus intelligat Testamentis (*Gal.* IV). Unum[c] super montem Sina, quæ est Agar, et servit cum filiis suis: alterum super Jerusalem libera, quæ est mater nostra. Ignem

ab Eutychio, et qui ab Eunomio appellati sunt. Vide hac de re Socratem lib. V, c. 24, et Sozomenum l. VI, c. 26.

[a] Maluit Victorius, *reliquiæ Philistinorum, dicit Dominus Deus*, quod postremum verbum Brixianorum quoque codicum auctoritate suppletur.

[b] Quidam mss., *Salama*; alii *Salomo*.

[c] Cisterc. cum Palatin. mss., *Uno super montem Sina, quæ est Agar, et servi cum filiis suis: altero super*, etc.

igitur se in muros Gazæ, et omnia ejus dicit argumenta missurum, quibus sua mendacia circumdare nititur et tueri. Cumque ignem in muros miserit, devorabuntur ædes, sive fundamenta illius, quidquid firmum habere poterit [*Al.* potuèrit], et dialectica arte constructum. De Azoto quoque, quæ et ipsa alienigenarum est, auferet habitatorem : cujus, quia litteram sequitur, ubera non lacte, sed igne sunt plena : et quæ mentitur ignem habere se patrui,[a] ejus universa generatio ignibus deputanda est. ( *Osee* IX, 14 ). Et tollet sceptrum, sive tribum de Ascalone, ubi ignis homicida est. Sicut enim ignis Domini salvos faciet eos, quorum corda penetraverit : sic ignis iste qui de cœlo decidit, quasi fulgur, qui succendit diaboli sagittas, quoscumque afflaverit, interficiet. Transferet quoque manum suam super Accaron, ubi sterilitas et eradicatio est. Quicumque enim spiritualem non receperit intelligentiam, audiet per Osee : *Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sterilem, et ubera arentia.* Et ut omnia semel uno sermone comprehenderet, perditurum se esse dicit omnes reliquias Philistiim, vel Geth civitatem, in qua torcular diaboli est, vel omnes reliquos Philistiim, qui interpretantur *cadentes poculo*. Cum enim inebriati fuerint, corruent, et in suo vomitu volutabuntur.

(Vers. 9, 10.) *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum, eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati* **233** *fœderis fratrum, et immittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus.* LXX : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus Tyri et super quatuor non aversabor eam*[b], *pro eo quod concluserunt captivitatem Salomonis in Idumæa, et non sunt recordati testamenti fratrum. Et emittam ignem super muros Tyri, et devorabit fundamenta ejus.* Easdem[c] tres et quatuor impietates sive scelera quæ imputaverat Damasco, Gazæ, et Azoto, et Ascaloni, et Accaroni, et reliquis urbibus Philistiim, etiam Tyro ingerit, et exprobrat quare concluserit captivitatem consummatam atque perfectam in Idumæa, de quibus supra diximus : *Et non sunt* [Al. *sint*] *recordati fœderis fratrum suorum.* Quærimus quomodo Tyrii fratres sint Judæorum? Fratres hic amicos vocat et necessitudine copulatos, eo quod Hiram princeps Tyri cum David et Salomone habuerit amicitias, intantum ut et ille in ædificationem Templi atque palatii, ligna cedrina ratibus Joppen usque perduceret : et hi frumentum et oleum Tyriis largirentur, et viginti urbes in Basan ei [*Al.* eis] dono darent : quas ille quia graminis plenæ erant, suscipere noluit ( III *Reg.* V, II *Paral.* II). Ignem igitur in muros ejus se missurum esse dicit, et devoraturum ædes vel fundamenta ejus, quod Ezechiel propheta in visione Tyri, Nabuchodonosor regem Chaldæorum fecisse commemorat, ubi ait : *Circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro* (*Ezech.* XXIX, 6). Et rursum : *Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversum Tyrum. Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus, et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus super Tyrum pro servitute, qua servivit mihi adversum eam* (*Ibid.*, XXIX, 18) : eo quod aggerem ad capiendam Tyrum, quæ fuit prius insula, illius comportarit exercitus. Quod et Alexandrum Macedonem fecisse narrat historia, ut éx insula peninsulam faceret, quam Græci vocant χερρόνησον [*Al.* χερσόνησον]. Tyrus interpretatur *tribulatio*, sive *coangustans :* omnisque doctrina perversa capere nititur veritatem, et concludere eam in terrenis sensibus, et non recordabatur fœderis fratrum suorum, quod de littera debeamus ascendere ad **234** spiritum, de terrenis ad cœlestia : præceptumque sit nobis describere sacram Scripturam in corde nostro tripliciter. Mittet autem Deus ignem in omnes munitiones Tyri, qui non solum muros, sed et fundamenta illius devorabit. De captivitate Salomonis, pro quo in Hebraico habetur, *consummata* atque *perfecta*, supra diximus.

(Vers. 11 seqq.) *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Edom et super quatuor non convertam eum : eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem : mittam ignem in Themam, et devorabit ædes Bosræ.* LXX : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus Idumææ et super quatuor non aversabor eos, eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit vulvam super terram, et rapuit in testimonium horrorem suum, et impetum suum custodivit in æternum : et emittam ignem in Themam, et devorabit fundamenta murorum ejus.* Edom ipse est qui et Esau, ob coctionem rufæ lentis ita appellatus, cujus edulio primogenita perdidit : hic alio nomine appellatur Seir, *pilosus* et *hispidus*. Unde montes Idumæorum vocantur montes Seir, et ab Edom Græco sermone Idumæa dicitur. Iste persecutus est in gladio fratrem suum, filios videlicet Jacob, de quibus in benedictionibus Isaac, quibus benedicit primum Jacob, et postea Esau, plenius scriptum est : ut odium fratrum servaretur in posteris, et gens Idumæa intantum persequeretur fratres suos, ut [d] egredientibus de Ægypto ne transitum quidem in terram sanctam concederet; et non solum in gladio persecutus est fratrem suum; sed violavit misericordiam, sive vulvam ejus, vel ut apertius interpretatus est Symmachus, *viscera propria :* ut oblivisceretur germanitatis, et obduraret viscera misericordiæ, fratremque se esse nesciret, et contemneret vulvam Rebeccæ, quæ uno partu geminos edidisset infantes. Quodque sequitur : *Et tenuit ultra furorem suum, et indignationem suam servavit usque in finem*, odium

[a] Tres mss., *vel cujus universa generatio.*

[b] Hæc ms. Cisterciensis lectio, quam reposuimus, Græco quoque textui, οὐκ ὑποστραφήσομαι αὐτήν, ἀνθ' ὧν, etc., conformis est. Antea legebatur, *non aversabor eos, eo quod*, etc.

[c] Deerat penes Martian., *tres.*

[d] Martian. *egredienti*, et pejus paulo post, *vulvam ejus, ut apertius*, etc., absque interjecto *vel* quod mss. nostri, et Victor. supplent.

monstrat antiquum, quod numquam sibi pace **235** A juncti sunt [*Al.* conjuncti sint]. Unde pœnam pro sceleribus comminatur, et dixit: *Mittam ignem in Theman*, quæ Idumæorum regio est, et vergit ad Australem partem, quod interpretatur *Theman:* quæ provincia non solum Theman, sed et Daron et Nageb dicitur, eo quod Eurum et Austrum Africumque respiciat. Quodque dicit: *Devorabit ædes Bosræ*, non ut quidam putant, alteram civitatem, sed Idumæam, ὀχυρωμένην et [*forte* id est] *munitam* significat, juxta illud quod in Isaia legimus: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra: iste* [Al. *sic*] *formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ* (*Isai.* LXIII, 2)? Quidquid de Esau et Jacob diximus, referamus ad Judæos et populum Christianum. Illi enim terreni et sanguinarii persecuti sunt B fratrem [a] Jacob, qui eos supplantavit, et abstulit primogenita eorum, et persecuti sunt in gladio, ita ut substantias possessionesque credentium publicarent, quod in Actibus apostolorum legimus (*Act.* II, 4): et violaverunt misericordiam ac jura naturæ, oblitique sunt matris suæ Rebeccæ, quæ interpretatur *patientia*, et simul eos generavit in Christo: antiquumque furorem et iracundiam tenentes, usque hodie in synagogis suis sub nomine Nazarenorum blasphemant populum christianum: et dummodo nos interficiant, volunt igne comburi. Sed Dominus mittet ignem in Theman, in deserta siccaque Judææ (quæ nequaquam irrigantur imbribus prophetarum), et devorabit omnes munitiones eorum, sive fundamenta murorum ejus, ut omni sensu litteræ concidente, C superædificetur Ecclesia Christi Domini fundamentis. Pro misericordia, Septuaginta *vulvam* transtulerunt. Et pro furore, *horrorem:* et pro indignatione, *impetum*, ducti ambiguitate verborum: quia REHEM (רחם), et *vulvam* et *misericordiam:* APHPHO (אפו), et *furorem ejus*, et *horrorem suum* significat: EBRATH (עברת) vero et *indignatio* et *impetus dicitur*. Porro ARMANOTH (ארמנות), quas nos *ædes* interpretati sumus, Aquila et Symmachus βάρεις [b], id est, *domos;* Theodotio, *habitatores* transtulit: soli Septuaginta et hic et supra, *fundamenta* dixerunt.

(Vers. 14, 15.) *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus* **236** *filiorum Ammon et super quatuor non convertam eum: eo quod desecuerit prægnantes Galaad; ad dilatandum terminum suum; et succendam ignem in* D *muro Rabbæ, et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis: et ibit Melchom in captivitatem, ipse et principes ejus simul, dicit Dominus.* LXX: *Hæc dicit Dominus: Super tribus impietatibus filiorum Ammon et super quatuor non aversabor eos, eo quod desecuerit prægnantes Galaaditarum, ut dilataret terminos suos: et succendam ignem super muros Rabba, et devorabit fundamenta cum clamore in die belli, et commovebitur in die consummationis suæ: et ibunt reges in captivitatem, ÷ sacerdotes eorum ⁑ et principes eorum simul, dicit Dominus.* Filios Ammon qui de Lot stirpe generati sunt, et habitant in Arabia, ubi nunc est Philadelphia, corripit sermo divinus: quare sub Saule rege Judææ Naas Ammonites, princeps eorum, vastaverit Jabes Galaad, et desecuerit prægnantes ejus, ut dilataret terminos suos, et omnem Galaaditin suo imperio subjugaret (I *Reg.* XI). Unde comminatur succensurum se ignem in muros Rabba, quæ fuit metropolis Ammonitarum, ut devorentur ædes illius in clamore et in ululatu vincentis exercitus: in die commotionis et turbinis, quando captivi ejus, Nabuchodonosor vincente, ducentur: et idolum Ammonitarum, quod vocatur Melchom, id est, *rex eorum*, feretur in Assyrios: et principes ejus, id est, sacerdotes ejus pariter abducentur. *Sacerdotes* in Hebræo non habetur, sed principes. Addiderunt itaque Septuaginta *sacerdotes*, ut si velis scire qui scint illi principes, audias sacerdotes. Inter crudelitatem autem Damasci et filiorum Ammon hoc interest, quod illi contriverunt in plaustris ferreis Galaad, sive in serris ferreis prægnantes Galaad [c]: isti autem dissecuerunt prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. In Damascenis, qui bibunt sanguinem, accipiuntur hæretici, qui non solum populum Dei ab Ecclesia [d] diripuerunt, sed et contriverunt eum, et commolierunt ferreis dentibus, de quibus scriptum est: *Quid devorant plebem meam, sicut escam panis* (*Ps.* LII, 5)? **237** In filiis Ammon, qui interpretatur *populus mœroris*, vel *populus meus*, schismaticos accipimus, qui separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei, et rudes animas, quæ nuper Christi concepere sermonem, abrumpunt et dividunt: tamen hoc non faciunt crudelitate, qua hæretici deceptos quosque trucidant, sed in eadem regula fidei permanentes, dilatare cupiunt terminos suos, et nomen gloriæ in posteros mittere. Itaque Dominus comminatur se muros Rabbæ, id est, multitudinis, in die ululatus et belli, commotionis et turbinis incensurum, et regem eorum, auctorem schismatis ire captivum, et principes Ecclesiæ jugo colla submittere.

(Cap. II. — Vers. 1 seqq.) *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab: et super quatuor non convertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad* [Al. *in*] *cinerem. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth: et morietur in sonitu Moab in clangore tubæ: et disperdam judicem* [Al. *de*] *in medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus.* LXX: *Hæc dicit Dominus: Super tribus impietatibus Moab et super quatuor*

[a] Pro *Jacob*, Palatini mss. *suum* legunt, Victorius utrumque retinuit. Levia id genus alia prætermimus.

[b] Recole quæ supra observamus in Osee VIII, col. 9.

[c] Turpi errore ob ejusdem vocis *Galaad* occursum in Martian. editione, prætermissa est hæc maxime necessaria ad Ammonitarum differentiam notandam pericope: *isti autem dissecuerunt prægnantes Galaad.*

[d] Legendum est, ait Victorius, *diruperunt*, ut aliquot Brixiæ codd. legunt: quæ vox magis pertinet ad scissuram et sectionem, de qua in propheta scribitur.

*non aversabor eos* [Al. *eum*] : *pro eo quod incenderit ossa regis Idumææ in cinerem : et emittam ignem in Moab, et devorabit fundamenta civitatum ejus, et morietur in infirmitate Moab cum clamore, et cum voce tubæ : et disperdam judicem ex ea, et omnes principes ejus interficiam* [a], *dicit Dominus.* Non solum filii Ammon, sed et Moab de Lot semine procreatus est, qui fratris Abraham filius fuit. Et ut ostendat se Deus omnium Dominum, et cunctas animas ad suum, qui earum conditor est, imperium pertinere, regis quoque Idumæorum injuriam vindicat, immo scelus quod in eum a Moabitis perpetratum est, ut ossa ejus usque ad cinerem concremarent, et sæviam suam et rabiem nec in morte finirent. Tradunt Hebræi, ossa regis Idumææ jam sepulti, qui cum Joram rege Israël et Josaphat rege Juda ascenderat adversum Moab, in ultionem doloris a Moabitis postea convulsa atque succensa (IV *Reg.* III). Ob hanc ergo, inquiunt, causam Deus missurum esse se dicit ignem in Moab, vel metropolim Moabitarum, a qua tota est appellata **238** provincia, vel universam provinciam, ut devoret [*Al.* devoraret] ædes Carioth, quod nomen est civitatis : licet Septuaginta *urbium ejus* interpretati sint, id est Moab : perituramque in sonitu et in ululatu vincentis exercitus : quorum Hebraice alterum dicitur SAON (שאון), alterum [b] THERUA (תרועה) : et in clangore tubæ sive buccinæ, hoc enim SOPHAR (שופר) significat. Cumque perierit Moab ; vanum erit principum judicumque consilium, urbibus pariter ducibusque subversis. Quomodo autem non oportet transferre captivitatem perfectam, sive Salomonis, et concludere eam in Idumæa, ut de excelsis atque cœlestibus humiles faciat atque terrenos, quod Gaza et Tyrus fecisse memorantur : sic ossa regis Idumææ comburere non debemus, et in cinerem favillamque dissolvere. Judæi transferunt intelligentiam spiritalem in carnes Idumæas : sensumque regium, qui versatur in littera, et est solidissimus atque firmissimus, genealogiis quibusdam et traditionibus superfluis enervant atque comminuunt, et in pulverem redigunt ; et non solum illi hoc faciunt, sed omnes hæretici, qui volunt in modum humanæ similitudinis sedere Deum in solio excelso et elevato, et pedes ponere super terram, ne scilicet pendeant : habere nasum, quo odoretur odorem bonæ fragrantiæ : oculos, quibus videat : manus, per quas operetur : pedes, per quos ambulet : aures, quibus audiat : os, quo loquatur : dentes, quibus cibos conterat. Qui legit introiisse Judam ad Thamar meretricem et ex ea duos filios procreasse (*Genes.* XXXVIII) : si turpitudinem sequatur litteræ, et non ascendat ad decorem intelligentiæ spiritalis, comburet [*Al.* comburit] ossa regis Idumææ. Qui putat Osee accepisse uxorem fornicariam (*Osee* I), et nihil plus sentit in dicto, quam verbis simplicibus continetur, ossa combureret regis Idumææ. Et idcirco mittet Dominus ignem in Moab, qui interpretatur *ex patre*, eo quod natus quidem sit ex Deo, sed eum reliquerit. Et devorabit civitates, sive oppida ejus, quod interpretatur *Carioth*. Unde et Cariathiarim in linguam nostram vertitur, *villa silvarum*. Et non aliter morietur Moab, nisi in clamore, et sonitu, et ululatu, et clangore buccinæ, **239** ut excelsis sensibus opprimantur, quæ in sanctis libris clangoribus buccinæ comparantur. Tunc et judices et principes, et omnes qui præsunt terrenis operibus, destruit sermo divinus, et præcipit Ecclesiæ doctoribus : *In montem excelsum ascende qui evangelizas Sion, exalta vocem tuam qui prædicas Jerusalem* (*Isai.* XL, 9).

(Vers. 4, 5.) *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum : eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit : deceperunt enim eos idola sua post quæ abierant patres eorum, et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Jerusalem.* LXX : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus filiorum Juda, et super quatuor non aversabor eos : quia repulerunt legem Domini, et præcepta illius non custodierunt, et decepti sunt in vanitatibus suis,* [c] *quas secuti sunt patres eorum : et emittam ignem in Juda, et devorabit fundamenta Jerusalem.* Cæteris supradictis urbibus, gentibusque Damasco et Azoto, Ascaloni, Gazæ, Accaron, et reliquis oppidis Palæstinorum, Tyro quoque et Idumææ, et filiis Ammon et Moab non exprobrat quod legem Dei abjecerint, et illius mandata contempserint ; non enim habuerunt scriptam legem, sed naturalem. Unde dicit eos violasse viscera propria et viscera misericordiæ, et contrivisse in plaustris ferreis prægnantes Galaad, et transtulisse captivitatem Salomonis, sive perfectam, et conclusisse in Idumæa, nec esse recordatos fœderis patrum suorum, et persecutos esse in gladio fratrem suum : et in tantam non dico crudelitatem, sed rabiem prorupisse, ut incenderent ossa regis Idumææ, et non paterentur mortem esse omnium extremum malorum. Judas autem, in quo illo tempore, quo hæc dicebantur, erat Dei religio et templum et cæremoniæ, qui acceperat legem, et præcepta, et judicia, et testimonia, atque mandata (super quorum differentia in decimo octavo psalmo, et in centesimo decimo octavo plenius disputatur), increpatur a Domino atque convincitur, et digna supplicia recepturus est, quare abjecerit legem ejus, et mandata illius **240** non custodierit. Quæ quia abjecit atque contempsit, ordine et via deceperunt eum idola sua. Non enim poterat ante ab idolis decipi, nisi legem Domini repulisset, et mandata illius non fecisset. Hæc sunt idola post quæ abierunt patres eorum in Ægypto, Ægyptii bovis simulacra fingentes, et adorantes Beelphegor, et colentes Astaroth et Baalim. Unde Dominus comminatur etiam in Judam se ignem esse missurum,

[a] Addit Cistersiens. ms. *cum eo*, quæ verba in plerisque etiam Græcis codd. reperiuntur.

[b] Duo mss., *Thruah* et *Suphar*.

[c] Iterum Cisterc. ms. hic supplet, *quas fecerunt, et quas*, etc., quæ quidem et in Græcis plerisque codicibus verba sunt, ἃ ἐποίησαν : desunt vero in Aldino.

qui devoret ædes, et fundamenta Jerusalem : non illius in qua pacis visio commoratur, sed earum quæ sub nomine Jerusalem in diversis urbibus surrexerunt. Quidquid de Juda diximus, refertur ad Ecclesiam, in qua est vera confessio, et pax Domini, et visio veritatis. Et ideo [*Al.* in eo] arguitur, quod legem Dei contempserit, et ejus mandata non fecerit, et unusquisque adorans vitia sua atque peccata, Deum cœperit habere a quo victus est, dicente Petro apostolo : *A quo enim quis superatur, hujus et servus est* (II *Petr.* II, 19). Avarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem et Beelphegor colit : lasciva mulier, quæ cum sit in deliciis vivens, mortua est, adorat venerias voluptates. Unde mittet Dominus ignem in Juda, et devorabit ædes pessimas, et fundamenta vitiosa, quæ Jerusalem gloriam perdiderunt; simulque discimus Creatorem omnium, non solum Judæ et Israel, sed universarum gentium habere curam, et juxta Apostolum, eos qui sine lege peccaverunt, perire sine lege, et qui in lege commisere delicta, lege Domini judicari (*Rom.* II).

(Vers. 6 seqq.) *Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum : pro eo quod vendiderit argento* [Vulg. *pro argento*] *justum, et pauperem pro calciamentis, qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium* [a] *declinant, et filius et pater ejus introierunt* [Vulg. *abierunt*] *ad puellam, ut polluerent nomen sanctum meum, et super vestimentis pigneratis accubuere juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* LXX : *Hæc dicit Dominus : Super tribus impietatibus Israel, et super quatuor non aversabor eos* [Al. *eum*] : *pro eo quod vendiderit argento justum, et pauperem propter calciamenta, quæ calcant super pulverem* **241** *terræ : et* [b] *pugno percutiebant capita pauperum, et viam humilium declinabant, et filius et pater ejus ingrediebantur ad eamdem puellam, ut contaminarent nomen Dei sui : et vestimenta sua alligantes funibus, faciebant umbracula juxta altare, et vinum de calumniis bibebant in domo Dei sui.* Idcirco ponit novissimum Israel, id est, decem tribus, quoniam prope omnia quæ sequuntur, ad ipsum scripta prædiximus, ut sub uno textu sermo propheticus libri ordinem contineret. Primum ergo eorum scelus est, sive impietas, in tribus criminibus enumerata, vel quatuor, quod propter pecuniam hominem vendiderint, et hominem justum, qui in eo admirabilior est, quod nec paupertate superatus est, ut iniquum aliquid faceret : et si quidem pauperem justum famis necessitate compulsi pretio vendidissent, esset aliqua sceleris excusatio : nunc autem pro re vilissima, calciamentis, quibus pulverem calcant et fimum, pretiosam animam hominis vendiderunt. Isti, juxta Septuaginta, percutiunt in capite pauperem; secundum Hebraicum, conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et in tantam elevantur superbiam, ut nolint cum hominibus ambulare. Et ne parvum videretur hoc facinus, filius et pater ad unam ingressi sunt puellam, ut nomen Dei sanctum violarent. Quidquid ergo fit turpiter, ad Dei refertur injuriam qui dicit : *Per vos nomen meum blasphematur in gentibus* (II *Petr.* II, 2). Hoc est quod et Apostolus scribit ad Corinthios : *Omnino auditur in vobis fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem, ita ut uxorem patris habeat aliquis. Et vos inflati estis, et non potius luxistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit* (II *Cor.* V, 1, 2). Crebro evenit, ut pater filii sui uxorem, [c] socer polluat nurum, quod in Lege utrumque prohibetur : *Turpitudinem patris tui non revelabis, et turpitudinem nurus tuæ non discooperies* (*Levit.* XVIII, 7). Habet itaque et littera utilitatem maximam si servetur. Et quia omne flagitium, si terminum pudoris excesserit, crimina auget criminibus, et semper ad deteriora procedit, etiam super vestimentis pigneratis [*Al.* oppigneratis] **242** accubuere decem tribus juxta omne altare, quod ita interpretantur Hebræi : Super vestimentis eorum, qui ad idola ire nolebant, et quæ vi extorserant epulantes in idolio, accubabant. Secundum Septuaginta autem tantus erat contemptus in Deum, ut vestimenta sua in quibus dormiunt, vel in quibus fornicantur, juxta altare funibus extenderent, et facerent παραπετάσματα, id est *velamina*, quo fornicantes in Templo nullus aspicere posset : et ebrietati et libidini servientes etiam ipsum vinum quod bibebant, non de proprio labore, sed de calumniis emerent : et hoc faciebant in fano dei sui, ut quos putabant deos, turpitudine ac stupris polluerent. Hæc loquuntur, et sic edisserunt, qui simplicem sequuntur historiam. Nos autem, qui in Osee docuimus, sub nomine Israelis, et Samariæ, et Ephraim, et filiorum Joseph (de qua tribu fuit Jeroboam, qui a regno David et Jerusalem, et templo Dei populum segregavit [III *Reg.* XII]), hæreticos significari : etiam nunc post Judam et Jerusalem, quæ interpretatur Ecclesia, intelligamus ad hæreticos sermonem dirigi propheticum, qui vendunt virum sanctum justumque, sed pauperem, pro pecunia. Vir pauper et justus, ille est ecclesiasticus, qui non habet scientiam Scripturarum, sed simplicitate contentus, facit mandata, quæ jussa sunt, de quo scriptum est : *Pauper*

[a] Quod Victor. ad Vulgatæ dumtaxat exemplum, ut idem servaretur tempus, rescripsit, *declinant*, pro *declinabant*, nunc ex Hieronymianis quoque mss. asserimus : in quorum uno Cisterc. paulo post, *violarent*, enim Vulgata legitur pro *polluerent*.

[b] Vocem, *pugno*, Cisterc. ms. non agnoscit; in Græco tamen est ἐκονδύλιζον : quod est, *pugnis verberabant*.

[c] Interserunt, quibus utimur, mss., *id est*, qua quidem suffecta vocula, sensus utcumque constat. Verum quod subdit, utrumque in Lege prohiberi, sive ut in iisdem est mss. *quorum in Lege utrumque prohibetur*, idque reipsa præfert Levitici locus, pro diversis accipi debere, manifesto liquet, cum tamen econtrario hic unum atque idem sit, si pater filii sui uxorem, et socer polluat nurum. Quamobrem facile assentiar Victorio corrigenti, *ut filius patris sui uxorem, socer*, etc.

*non sustinet comminationem* (*Prov.* XIII, 8). Et ad Galatas : *Tantum ut pauperum memores essemus* (*Gal.* II, 10). Hæc omnes hæretici pro divitiis faciunt, et pro calciamentis, quibus calcant pulverem terræ : quia enim non possunt nudis pedibus stare super terram sanctam ( in qua stetit Moyses, et Jesus filius Nave (*Exod.* III ; *Jos.* V) : unde apostoli nudis pedibus jubentur incedere (*Luc.* X), ne quid mortis habeant et pellium, quæ referuntur ad carnes), ideo percutiunt in capite pauperes. Et Salvator discipulis præcepit, ut si forte, quoniam adhuc versabantur in terra, mortale quid in eorum operibus adhæsisset, excuterent pulverem de pedibus suis (*Mat.* X, *Marc.* V). Percutiunt autem hæretici capita pauperum, quamquam hoc in Hebraico **243** non legitur [ *Al.* legatur] : quia viam humilium declinaverunt. Via humilium illa est, quæ dicit : *Ego sum via, vita et veritas* (*Joan.* XIV, 6), quæ nos provocat, ut ambulemus per eam, et dicit : *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Omnes autem hæreticorum principes intumescunt superbia, de quibus et Apostolus loquitur : *Ne inflatus incidat in judicium diaboli* (1 *Tim.* III, 6), qui dicit : *In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam nidum meum ; ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV). Unde et superbis hæreticis Deus resistit : humilibus autem Ecclesiasticis dat gratiam (*Jacob.* IV). Filius quoque et pater introierunt ad unam puellam, ut violarent atque polluerent nomen sanctum Dei. Patrem nostrum esse populum Judæorum, sæpe legimus, dicente Paulo : *Nolo vos ignorare, fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari* (I *Cor.* X, 1, 2). Et in alio loco : *Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi : seniores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* XXXII, 7). Et rursum : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Psal.* XLIV, 17). Unde et Ecclesia gentium loquitur : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (*Cant.* I, 5). Nos ergo filii sumus, et pater populus Judæorum. Peccamus et scelus committimus, quando ad observationem sabbati circumcisionis injuriam, cæremonias legis abolitæ cum parente nostro ingredimur, quibus dicit Apostolus : *Ecce ego Paulus dico vobis : quia si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest* (*Galat.* V, 2,4). Et iterum : *Qui in lege justificantur, a gratia excidistis.* Qui ita ingreditur Ecclesiam, ut Legem servet in Evangelio, iste cum patre ingreditur ad puellam, et committit stuprum, et violat nomen Domini. Unde qui dicunt non nocere Judæis post adventum Christi, si ita credant in Dominum, ut Legis quoque præcepta custodiant, patrem et filium una fornicatione contaminant. Sed et vestimenta sua ligantes funibus, velamina faciunt juxta altare, prætendentes fidem Christi. Quotquot enim in Christo baptizati sunt, Christum induerunt (*Galat.* III), et vestimenta sua, quæ peccatorum funibus ligaverunt, opponunt oculis videntium, ne eorum cernantur flagitia ; ut qui altare respicit, stuprum non suspicetur. Hoc faciunt omnes hæretici sub Christiano nomine fornicantes, et erroribus suis atque mendaciis **244** obtendentes testimonia Scripturarum. Unde et apostoli vestimentis suis straverunt pullum asinæ, ut mollius sederet Dominus (*Mat.* XXI), et ex Lege ac Prophetis stratam calcaret viam. Econtrario hæretici non substernunt vestigiis Salvatoris vestimenta sua ; sed ligant ea juxta altare, et prætendunt peccatis suis, ut bibant vinum de calumnia, sive damnatorum, qui ex eo quod egressi sint de Ecclesia, damnati sunt. Hoc vinum est Sodomorum, furoris draconum et aspidum, quod qui biberit, sanari non poterit. Bibunt autem vinum non in domo Dei, ubi templum est et Jerusalem ; sed in domo Dei sui, quem sibi artifici sermone finxerunt.

(Vers. 9 seqq.) *Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus : et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et eduxi* [Vulg. *duxi*] *vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi : et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris Nazaræos.* **LXX** : *Ego autem abstuli Amorrhæum a facie eorum : cujus erat sicut altitudo cedri sublimitas ejus, et fortis quasi quercus : et arefeci fructum ejus desuper, et radices ejus deorsum. Ego eduxi vos de terra Ægypti, et circumduxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæorum : et assumpsi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris in sanctificationem.* Vos quidem vendidistis argento justum et pauperem pro calciamentis, percutientes ejus caput, sive conterentes in pulvere capita pauperum, et viam humilium declinastis [*Al.* declinantes], intantum ut pater et filius ad unam introirent puellam, et violarent sive polluerent nomen sanctum meum, et vestimenta vestra lupanaribus et fornicatione polluta, peccatorum vinculis nexuistis : ita ut in loco sancto committeretis adulterium, et ebrietati injustitiam copulantes, vinum biberetis alienum, et hoc faceretis in domo Dei vestri. Ego autem econtrario pro malis vestris, quæ mihi reddidistis, vobis tribui bona, ut exterminarem, egredientibus vobis de Ægypto, ante faciem vestram, Seon regem Amorrhæorum, qui tam excelsus erat et fortis quasi cedrus et quercus, et contrivi ejus fructum desuper, et radices deorsum. **245** Ego vos eduxi de Ægypto (*Deut.* XXIX), et per quadraginta annos longo ad terram sanctam feci pervenire circumitu, ut possideretis terram Amorrhæi, de qua supra diximus : quam divisit Moyses filiis Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse (*Num.* XXXII) ; et post tanta beneficia etiam hoc addidi, ut de filiis vestris assumerem mihi prophetas, et de juvenibus vestris, sive electis, facerem Nazaræos, quos Septuaginta interpretati sunt *sanctificatos*. Neque vero ubi de laudibus dicitur Dei, historiæ ordo servandus est ; sed frequenter evenit ut quæ prima facta sunt, extrema dicantur, et quæ

novissima, referantur ad prima. Quod septuagesimus septimus psalmus, et centesimus quartus, ubi signorum potentia, non ordo describitur, docere nos poterunt, et tituli psalmorum, de quibus duo tantum ponamus exempla, tertii psalmi, et quinquagesimi primi, ubi quæ prius facta sunt, narrantur extrema, et quæ extrema legimus, referuntur in principio. Ante enim de Doec Idumæo scriptum legimus in Regum volumine (I *Reg.* XXI, XXII), qui titulus est quinquagesimi primi psalmi, quam Absalon contra patrem surgeret (II *Reg.* XV), quod in tertii psalmi titulo prænotatur. Itaque et Amorrhæus novissimus exterminatus est, sive deletus, quod nunc primum refertur, et quod ascendere eos fecit de terra Ægypti, et reduxit in eremum per quadraginta annos, in principio factum legimus (II *Reg.* XXI), quæ hic ultima dicuntur ordine commutato. Prius ergo quam educeret nos Deus de terra Ægypti, de fornace ferrea, exterminavit ante faciem nostram Amorrhæum, qui dicitur *amarus*, sive λαλητὸς, id est, *loquens*, sive *famosus*, et frequenti sermone celebratus. Hic autem Amorrhæus et rex Amorrhæorum appellatur Seon, arbor infructuosa et sterilis, non quod fructus non faciat; sed malos afferat fructus, de quibus dicitur : *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10; VII, 19). Et de pseudoprophetis legimus : *Qui veniunt in vestimentis* [Al. *vestitu*] *ovium, et intus sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 15, 16) : ex malis videlicet fructibus. Sive igitur fructum non faciat; sive faciat, sed non bonum : infructuosa arbor appellatur. Iste Seon, **246** de quo scriptum est : *Jam securis ad radices arborum posita est* (*Luc.* III, 9), quia infructuosa arbor fuit, Domino percutiente, succisus est, cujus altitudo cedrorum altitudini comparatur, de quibus legimus : *Vidi impium exaltatum et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Ps.* XXXVI, 35, 36). Et pulchre transisse se dicit, quia ei qui transit de sæculo, et dicere potest : *Transiens videbo visionem hanc magnam* (*Exod.* III, 3), auferetur cedrus, et locus superbiæ non poterit inveniri. Fortitudo quoque ejus, quasi quercus arboris durissimæ atque fortissimæ. Ex cujus vocabulo Philo, vir disertissimus Hebræorum, Esau appellatum putat δρύινον, id est, *quercinum* et *roboreum* : licet et Esau possit ποίημα, id est, *factura* intelligi, ut ad mala opera referatur. De hoc forti atque robusto [a] Dominus loquitur in Evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia* [Al. *ea*] *quæ possidet : si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet* [Al. *aufert*], *in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* [Al. *distribuit*]. Nobisque præstitit Dominus, ut fructus hujus Amorrhæi Seon, quem interpretari infructuosam arborem diximus, quia mali erant, contereret desuper, et auferret, ne quis bonos æstimans, comederet et periret. Radices quoque illius succidit atque comminuit, ut nihil postea malæ arboris pullularet. Ipse Dominus fecit nos exire de sæculo, et per annos quadraginta, qui numerus semper afflictionis et jejunii luctus est et doloris, per tribulationes et angustias pervenire in terram sanctam, ut possideremus primum terram Amorrhæi, et illius quondam regio fieret nostra possessio, et postea suscitaret de filiis nostris Prophetas, omnes sanctos viros, qui acceperunt spiritum prophetalem, de quibus in prima Epistola ad Corinthios plenius legimus (I *Cor.* XIV). Et de juvenibus [b] nostris, vel electis, assumeret Nazaræos et sanctificatos, qui Deo animas suas immolantes, vinum quod inebriare potest, et statum mentis evertere, non attingunt : ut habeant comam Samson, in cujus capite (quia caput viri Christus est) fortitudo et victoria consistebat (*Judic.* XVI).

(Vers. 12.) *Numquid non est ita, filii Israel, dicit* **247** *Dominus, et propinabatis Nazaræis vinum et prophetis mandabatis, dicentes : Ne prophetetis.* [c] LXX similiter. Me vobis tanta præstante beneficia, ut adversarios vestros interficerem, et terram eorum vobis traderem, et de filiis vestris ac juvenibus prophetas eligerem et Nazaræos, meoque cultui consecrarem. Numquid potestis dicere quod ista non fecerim, et meam erga vos clementiam, per quam vivitis, denegarim? Qui in tantam rabiem prorupistis, ut inebriaretis Nazaræos meos vino, quibus lege præceptum est, ut omne quod inebriare potest, non bibant (*Num.* VI) : et prophetis mandaretis, ne in meo nomine prophetarent. Quod et Amos prophetæ, quem nunc habemus in manibus, præcepit Amasias sacerdos Bethel : et Jeremiæ a rege mandatum est, ne verbis Domini loqueretur ad populum, intantum ut etiam sermones ejus ignibus concremaret. De hoc loco hæresim suam Tatianus, Encratitarum princeps, struere nititur, vinum asserens non bibendum, cum et lege præceptum sit, ne Nazaræi bibant vinum, et nunc accusentur a propheta, qui propinent Nazaræis vinum. Qui si litteram sequuntur in omnibus, et Judaicas fabulas Ecclesiis ingerunt Christi, ergo et comam nutrire debent, et uvam passam ac viridem non comedere, et super matre et patre mortuis non ingredi; et si forte hæc fecerint et fuerint humana vel fragilitate, vel necessitate superati, radant capita, et irriti sint omnes dies consecrationis et laboris eorum. Quod si hæc non faciunt, neque possunt more Judaicorum cauponum miscere aquam vino, umbras veritati, Evangelii gratiæ Legis necessitatem, ebrietatem illam intelligant, qua curis sæcularibus inebriatur et obruitur animæ vigor, et illos prophetis mandare, dicentes : *Ne prophetetis*, qui, livore superati, prohibent eruditos viros doctrinæ

[a] Hic post Victorium vocem *Dominus* : supra ubi Psal. XXXVI laudat, verbum *legimus*, et passim ejusmodi alia contextui necessaria ex mss. restituimus.

[b] Martian. *vestris*, pro *nostris* : quidam mss. neutrum sciunt.

[c] Deerant verba, *LXX similiter*, quæ nostri supplent mss.

proferre sermonem. Et dicente Domino : *Vade et dic populo huic* (*Is.* VI, 9), illi econtrario jubent, ne loquaris in nomine Domini, maxime si ille qui doceat, non turpi lucro et gloriæ atque jactantiæ, sed utilitati legentium audientiumque provideat.

(Vers. 13 seqq.) *Ecce ego strideba subter vos, sicut stridet* **248** *plaustrum onustum feno, et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes, nudus fugiet in die illa, dicit Dominus.* LXX : *Quapropter ecce ego volvam subter vos sicut volvitur plaustrum plenum stipula, et peribit fuga a cursore, et fortis non obtinebit fortitudinem suam, et pugnator non salvabit animam suam, et sagittarius non sustinebit, et velox pedibus salvari non poterit, et eques non salvabit animam suam,* [a] *et inventum cor ejus inter potentes, et nudus fugiet in die illa, dicit Dominus.* Me vobis præstante beneficia, et educente vos de terra Ægypti, et interficiente ante faciem vestram Amorrhæum, ut possideretis terram ejus, et suscitante de filiis vestris prophetas, et de juvenibus vestris Nazaræos, vos inebriabatis Nazaræos meos vino, et prophetis dicebatis : Ne prophetetis. Idcirco sicut plaustrum stipulæ vel feni onere prægravatum, stridore et sonitu longe exululat : sic ego peccata vestra ultra non sustinens, et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam : *Peribit fuga a veloce :* quem [b] Hebræi Jeroboam filium Nabath intelligunt, qui prius in Ægyptum fugerat (III *Reg.* XI). Hic autem non ipsos principes, sed domos eorum, et sobolem accipiamus. *Et fortis non obtinebit virtutem suam :* fortem Basan interpretantur, qui fuit ad bella promptissimus (III *Reg.* XV). *Et robustus non salvabit animam suam :* hunc hic Amri [*Al.* Omri] sentiunt. *Et tenens arcum, non stabit,* sive *sustinebit :* de Jehu filio Namsi [*Al.* Nemsi], qui Joram regem Israel sagitta percussit (IV *Reg.* IX), dictum putant. *Et velox pedibus suis non salvabitur :* Manahen intelligunt, qui frustra festinans regi Assyriorum dona direxit (IV *Reg.* XV) : *Et ascensor equi non salvabit animam suam :* hunc Phacee, filium Romeliæ, interpretantur, qui juncto Aram, id est, Syro, sub rege Achaz Judææ multa vastavit. *Et robustus corde, inter fortes nudus fugiet in die illa, dicit Dominus* (*Ibid.*). Solus Osee qui ultimus rex decem tribuum fuit, et errantem populum ad Dei cultum revocare conatus est (IV *Reg.* XVIII), [c] quasi nudus egredietur [*Al.* egreditur] de **249** incendio. Nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ sunt. Hoc Hebræi autumant, et sicut nobis ab ipsis traditum est, nostris fideliter exposuimus. Nunc autem ad nostra redeamus. Volvere se subter eos plaustrum [*Al.* sicut plaustrum] comminatur Deus, feno vel stipula prægravatum, ut quia frumentum non habent quod in horrea condatur, fenum eorum et stipula incendio concremetur. Hoc est fenum de quo propheta dicit : *Fiant sicut fenum ædificiorum, quod priusquam evellatur, exaruit* (*Ps.* CXXVIII, 6). Et : *Omnis caro fenum* (*Isai.* XL, 6). Stipula autem illa est, super cujus incendio flebiliter propheta complorat, dicens : *Heu mihi ! quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, et sicut racemos in vindemia, cum non sit botrus ad manducandum primitiva. Heu mihi ! anima* [Al. additur *mea*], *quia periit reverens de terra, et qui rectum faciat, in hominibus non est : omnes in sanguine judicantur* (*Mich.* VII, 1), et reliqua. Hoc est fenum et stipula, de qua et Apostolus loquitur : Ligna, fenum, stipula, uniuscujusque opus manifestum fiet (I *Cor.* III) : quoniam in die Domini in igne revelabitur. Plaustrumque quod volvitur, illud est, de quo in Isaia legimus : *Conculcabitur* [d] *Moabitis, sicut conculcatur area in plaustris* (*Is.* XXV, 10). Et in alio loco : *Ponam,* inquit, *te sicut rotas plaustri novas cum serrarum dentibus, et conteres montes, et comminues colles* (*Ibid.*, XLI, 15) : [e] et postquam montes collesque contriveris, periet fuga a veloce, dicente Paulo : *Nescitis quia hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus autem accipit bravium* (I *Cor.* IX, 24). Et in alio loco : *Currebatis bene, quis vos impedivit non acquiescere veritati* (*Gal.* V, 7)? Unde et de se timens ait : *Non quia jam accepi, aut perfectus sim : curro autem si apprehendam, in quo et apprehensus sum a Christo* (*Philip.* III, 12). Hæc universa faciebat, ne periret fuga a veloce : quamobrem cum jam pervenisset ad calcem, et accepisset bravium victoriæ, securus aiebat : *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cætero reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex : non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus* (II *Tim.* IV, 7, 8). Si gradu concito fugerimus, peccatum nos apprehendere non valebit ; sin autem ligaverit malitia pedes nostros, **250** loquemur cum propheta ad Deum : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* (*Ps.* CXXXVIII, 7)? De malis cursoribus Apostolus loquitur : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16). Sequitur : *Et fortis non obtinebit virtutem suam :* non quo fortis sit, sed quo fortem se esse jactitet. Sive qui confidit in fortitudine sua, et non in Dei misericordia, juxta illud quod scriptum est : *Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobabo* (I *Cor.* II, 19) : non quo perire possit vera

[a] Mirum hoc loco, quantum ipsa ab invicem dissentiant Græca exemplaria. Quamquam fere Alexandrino isthæc adhæret interpretatio, verba tamen, *et inventum cor ejus inter potentes*, in Cist. ms. non sunt.

[b] Auctori, qui Rufinus audit, tota hæc Hebræorum traditio *non magni ponderis* dicitur.

[c] Martianæi editio addit, *quia in hoc non perseveraverit :* quæ verba neque ullus e nostris mss. neque ipse Victorius novit.

[d] Pro *Moabitis*, vulgati libri præferebant *Moab sub eo*, contradicentibus mss. quibus utimur, et Græco, καταπατηθήσεται ἡ Μωαβίτις ὃν τρόπον πατοῦσιν, etc. Erat quoque vitiose apud Martian. *in area*.

[e] Nostri mss. *ut postquam*, et mox, *pereat*.

sapientia, et veritatis intelligentia reprobari; sed quo eorum pereat sapientia, qui apud se videntur esse sapientes, et in sua eruditione confidunt. Robustus quoque, sive pugnator, qui non salvabit animam suam, ille est qui nequaquam Apostoli possidet armaturam, habens scutum, sed non fidei : accinctus lumbos, sed non in veritate : indutus lorica, sed non justitiæ : portans gladium, sed non salutis (*Ephes.* VI). Hujusmodi pugnator non sanctificat prælium, nec Domini potest bella bellare, contra veritatem dimicans pro mendacio. Talis pugnator non potest dicere : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Misericordia mea et refugium meum* (*Ps.* CXLIII, 1). Habent et sagittarios hæretici qui frustra tendentes arcum, sagittam Domini sustinere non poterunt, qui loquitur per Isaiam : *Ego autem sicut sagitta electa in pharetra Domini* (*Isai.* XLIX, 2). Isti sunt sagittarii, de quibus et David canit : *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (*Ps.* X, 2). Et velox (inquit) pedibus suis non salvabitur, qui propter acumen ingenii discurrit per testimonia Scripturarum, et oratorum eloquentia, vel sophismatibus dialecticorum opprimere nititur veritatem, et in eo præpeditur [*Al.* præpedietur] et corruet, quia non in Deo, sed in suis pedibus confidit. Ascensor quoque equi non salvabit animam suam, qui ignorat dictum per prophetam : *Fallax equus ad salutem* (*Ps.* XXXII, 17). Et nescit scriptum esse : *Dormitaverunt omnes qui ascenderunt equos* (*Ps.* LXXV, 7). Hic non salvabit animam suam; sed periens audiet : *Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Isti impediti sunt, et ceciderunt :* **251** *nos autem surreximus et erecti sumus* (*Ps.* XIX, 8, 9). Robustus etiam corde inter fortes nudus fugiet. Qui locus dupliciter exponi potest : Ut aut ideo possit evadere, quia exspoliavit se veterem hominem, et pelliceas tunicas peccatorum, et nulla fuit sarcina prægravatus, aut econtrario, quia nudus est et Christi perdidit vestimentum, de quo in Apostolo dicitur : *Induite vos Christum Jesum* (*Rom.* XIII, 14). Et in alio loco : *Siquidem induti non nudi inveniamur* (II *Cor.* V, 3); nihil ei proderit fortitudo sua; sed in die prælii atque certaminis fugiet persequentes, et absque armatura Apostoli resistere non valens, hostibus terga præbebit.

(Cap. III.—Vers. 1, 2.) *Audite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filii Israel : super omni cognatione, quam eduxi de terra Ægypti, dicens : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* LXX : *Audite verbum hoc, quod locutus est Dominus super vos, domus Israel, et contra omnem tribum quam eduxi de terra Ægypti, dicens : Verumtamen vos cognovi de universis tribubus terræ : idcirco ulciscar super vos omnes malitias vestras.* Ad filios Israel prophetalis sermo dirigitur, et qui sint isti filii Israel, sequens versus ostendit : *Super omni*, inquit, *cognatione, quam eduxi de terra Ægypti :* quod non solum in decem tribubus, sed in omnibus duodecim, addentes Judam et Benjamin, debemus accipere. Omnes enim de terra Ægypti eduxit, et ait : *Tantummodo*, sive, ut Symmachus interpretatus est : *Solos vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Et quia solos vos cognovi, qui Creator sum omnium, et vos habui peculiarem populum meum, idcirco super solos vos omnia peccata vestra restituam; *Potentes enim potenter tormenta patientur* (*Sapien.* VI); qui autem minimus est, dignus est misericordia. Et in Ezechiele legimus : *A sanctis meis incipite* (*Ezech.* IX, 6). Et judicium Dei de domo ejus dicitur habere principium (I *Petr.* IV). Hoc interim juxta historiam dictum sit. Cæterum quia auditus in Scripturis sanctis, non solum iste accipitur quem auribus carnis excipimus, sed etiam ille, de quo Dominus ait : *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* VIII, 8). Unde et omnis populus videbat **252** vocem Dei (*Exod.* XX), proprie ad eos sermo fit Domini, qui sensu vident Deum, quos eduxit de terra Ægypti, et de potestate Pharaonis (ut nequaquam luto et paleis deservirent, exstruentes Ægyptias civitates), et quos ex omnibus tribubus terræ cognovit, dicente Apostolo : *Nunc autem cognoscentes Deum, magis autem cogniti a Deo* [Al. *ab eo*] (*Gal.* IV, 9). Et in alio loco : *Qui ignorat, ignorabitur* (I *Cor.* XIV, 38). Non ergo omnes cognoscit Deus, sed eos, qui ejus cognitione sunt digni, loquens in Evangelio : *Recedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos* (*Luc.* XIII, 27). In eo enim quod operarii iniquitatis sunt, ignorantur a Deo : idcirco inquit : Quia solos vos cognovi, et meos habui, visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Quem diligit Dominus, corripit, et castigat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII). Et pulchre dixit : *Visitabo*, et non *percutiam;* quia plaga Dei visitatio est, atque curatio. Et omnes, inquit, iniquitates sive peccata vestra visitabo, ne quid impercussum remaneat, ne quid non recipiat sanitatem.

(Vers. 3 seqq.) *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? Numquid cadet avis in laqueum terræ, absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit? Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit* [Vulg. *fecerit* et *facit*]; *quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum*[a] *suum ad servos suos prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, et quis non prophetabit?* LXX : *Si ambulabunt duo simul omnino, nisi cognoverint se? Si ructabit leo de saltu suo, prædam non habens? Si dabit catulus leonis vocem suam de cubili suo omnino, nisi aliquid rapuerit? Si cadet avis super*

[a] Vocem, *suum*, quam Victorius ex duodecim codicibus, post Vulgatæ editionis, Hebraici, Græcique textus auctoritatem, reposuerat, Martianæus nihilosecius omiserat, nostri quoque mss. asserunt.

*terram sine aucupe? Si deponatur laqueus super terram, nisi aliquid apprehenderit? Si clanget tuba in civitate, et populus non timebit? Si erit malitia in urbe quam Dominus non fecit* [Al. *fecerit*] : *quia non faciet Dominus Deus aliquid, nisi revelaverit eruditionem suam ad servos suos prophetas. Leo ructabit, et quis non timebit? Dominus Deus locutus est, et quis non prophetabit?* **253** Legi in cujusdam Commentariis, rem difficilem persuadere cupientis, octo sceleribus sive impietatibus atque peccatis : primum Damasci : secundo Gazæ, et cæteris urbibus Palæstinæ : tertio Tyri : quarto Idumææ, id est Edom : quinto filiorum Ammon : sexto Moab : septimo Judæ, hoc est, duabus tribubus : octavo, quod ultimum est, Israeli, id est, decem tribubus, totidem comminationes nunc redditas, et primam primæ, id est, Damasci, secundam secundæ, id est Gazæ, et reliquas reliquis respondere. Quod utrum verum sit, noverit ipse qui scripsit. Alius autem putat [a] sex exempla proposita, duorum pariter in via ambulantium, et leonis rugientis in saltu, et catuli leonis dantis vocem suam, cum aliquid apprehenderit, et avis captæ ab aucupe, et laquei qui in terra defigitur ad capiendam prædam, et tubæ in civitate clangentis, hisque exemplis redditam similitudinem, ut quomodo superiora causam habent, et non fiunt nisi illa præcesserint : sic nullum in civitate accidere malum, quod Domino præcipiente non factum sit. Sunt qui primum exemplum æstimant continere doctrinam, quia non possint duo pariter ambulare, nisi sibi ante consenserint in eum qui fecit utraque [*Al.* utrumque] unum, et medium parietem maceriæ destruxit, et duos condidit in unum novum hominem (*Ephes.* II) : fecitque inter eos pacem, et copulavit vinculo charitatis, ut cum fuerint simul duo, postulent a Patre, et impetrent quidquid rogaverint. Hæ sunt duæ virgæ quæ sibi in Ezechiele copulantur (*Ezech.* VII), et duo populi circumcisionis et gentium, de quibus ad Eliam loquitur Dominus : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal* (III *Reg.* XIX, 18). Et in alio loco Deus : *Inventus sum*, ait, *his qui me non quærebant : apparui eis qui me non interrogabant* (*Isai.* LXV, 1). Cum autem duo redacti fuerint in unum, adhærebunt Domino, et fiet unus spiritus : *Qui enim adhæret Domino, unus est spiritus* (I *Cor.* VI, 17). Isti ergo duo qui sibi consentiunt, et in via Christi pariter ambulant, nullius adversariorum possunt impetum pertimescere. Quod si discordia separentur, statim eos leo rugiens invadet, de quo et Petrus Apostolus ait : **254** *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I *Pet.* V, 8). Qui leo rugiens, non versatur in agris consitis, non in vineis, non in olivetis, nec inter ligna pomifera, quæ laudant Deum ; sed ubi silvæ sunt et inculta humus, et bestiæ commorantur. Et non solum leonis patebunt morsibus, sed apprehendet eos catulus leonis, et ducet ad cubile suum, fugiens lucem, et pergens ad tenebras. Omnis enim qui peccat, amat tenebras et odit lucem (*Joan.* III), de quibus in psalmo legimus : *Posuisti* [Al. *Posuit*] *tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ* [Al. *feræ*] *silvarum. Catuli leonum* [Al. *leonis*] *rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 20). Quærit enim catulus leonis non eam prædam, quam possidet, quæ suæ est potestatis ; sed ut de Ecclesia Christi rapiat, de quo in Abacuc scribitur : *Escæ ejus electæ* (*Abac.* I, 16). Tertia pœna est eorum quos discordia separavit, ut perdant alas, quibus prius sublimiter ferebantur, et de cœlis in terram corruant, et teneantur ab aucupe, qui melius dicitur ἰξευτής, eo quod hærent visco, aves liberas capiat, quæ propria voluntate ad terrena descendunt. De quibus in Proverbiis scriptum est : *Non injuste tenduntur retia avibus* (*Prov.* I, 17, *et* XXIX, 5). Justa enim ruina est peccatorum, qui cum habuerint alas columbæ, et per aerem volitare debuerint, pondere peccatorum ad terrena depressi sunt, et vitio suo adhæserunt visco. De quo in Apostolo legimus : *Qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur* (I *Cor.* VI, 16). Quarta pœna est discordantium, ut capiantur laqueo, qui non in cœlo positus est, sed in terra : de quo quod evaserit, sanctus gloriatur, et dicit : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Ps.* CXXIII, 7). Iste est contritus laqueus, de quo Apostolus loquitur ad credentes : *Deus conteret satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI, 20). Rursumque in David legimus : *Juxta semitam scandalum posuerunt mihi* (*Ps.* CXXXVI, 6). Non enim possunt decipere simplices quosque credentium, nisi nomen Christi proposuerint, ut dum putamus nos Christum invenire, pergamus ad Antichristum. Quinta pœna est eorum qui reliquere pacem, quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV), et quam Dominus pergens ad Patrem, Apostolis dereliquit, dicens : *Pacem* **255** *meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27), ut in civitate Domini constituti, tubæ sonitu terreantur. Quidquid enim in Scripturis sanctis dicitur, tuba comminans est, et grandi voce aures credentium penetrans. Si justi sumus, per tubam Christi ad beatitudinem provocamur : si peccatores, audimus quæ simus tormenta passuri. Malum autem quod Dominus facit in civitate, non contrarium est virtuti, sed afflictio et cruciatus, de quo legimus : *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI, 34), id est, tribulatio et angustia. Et in Propheta legimus : *Ego Deus qui feci lucem et tenebras, qui facio pacem, et condo mala* (*Isai.* XLV, 6, 7). Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci et diei : sic et paci bellum contrarium est, quod non per se malum est, sed malum videtur his esse, qui sustinent. Et ut sciamus in Scripturis sanctis malitiam interdum non contrariam virtuti accipi ; sed afflictionem pœnasque et angustiam, unum adhuc de Jona sumamus exemplum : *Et vidit Deus opera*

[a] Corrupte Martian., *se exempla*, pro *sex*, etc.

*eorum, qui conversi essent a viis suis pessimis, et pœnituit eum super malitia, quam locutus est ut faceret eis* (*Jonæ* III, 10). Malitia utique ibi subversio Ninivitarum est, quam per prophetam Deus fuerat comminatus, et non virtuti contraria, quæ ad peccatum pertinet, pro quo comminabatur tormenta peccantibus. Sequitur : *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum*, sive *correptionem suam servis suis prophetis :* non quo omnia Deus revelet prophetis, quæ in cœlo faciat, vel ante jam fecerit ; sed quæ facturus in terris sit. Revelavit Noe servo suo quod esset inducturus diluvium (*Genes.* VI). Revelavit Abraham et Lot servis suis quod arsurus esset Sodomam et Gomorrham, Adamam et Seboim (*Ibid.*, XVIII). Revelavit Joseph interpretationem somnii septem annorum famis in Ægypto (*Ibid.*, XLI), et Jonæ prophetæ subversionem Ninivæ (*Jon.* III) : ut qui audirent ventura supplicia, aut agerent pœnitentiam, et tormenta vitarent : aut contemnentes justius punirentur. Ita et nunc Dominus revelat per Amos servum suum et prophetam, quid facturus sit decem tribubus, ut si fuerint ad meliora conversæ, et idola deseruerint, de imminenti periculo liberentur. Et nota quod clemens et benignus Deus semper futura prænuntiat, ne cogatur inferre supplicia. Et quod hæretici calumniantur **256** in Creatore, quasi severo et truculento, crudeli, et tantum judice, eo quod nullum sit malum in civitate, quod ille non faciat : hoc nos referimus ad magnitudinem misericordiæ, quod non inferat pœnas, nisi ante prædixerit. Qui autem prædicit, non vult punire peccantes. Leo, inquit, rugiet, et quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? *Quis* in hoc loco non pro impossibili, sed pro raro accipitur. Ille enim non timebit, et ille non prophetabit, qui propter duritiam suam Dominum audire contempserit. Et est sensus juxta historiam : si ad leonis vocem omnia contremiscunt, et cuncta animantium natura terretur, nos, jubente Deo ut loquamur et annuntiemus populo ventura supplicia, non prophetabimus? non loquemur? Scio quemdam in suis scriptum Commentariis reliquisse leonem rugientem diabolum intelligendum, et rugientem his qui periturі sunt : Deum autem, qui loquatur per Prophetas, referendum esse ad Dominum Salvatorem, ut quomodo illi in malam partem audiunt leonis rugitum, et capiuntur in mortem, sic sancti in bonam partem Dominum præcipientem audiant, et salventur.

(Vers. 9, 10.) *Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti, et dicite : Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus, calumnias* [Vulg. *calumniam*] *patientes in penetralibus ejus, et nescierunt facere rectum, dicit Dominus : thesaurizantes iniquitatem et rapinas, in ædibus suis.* LXX : *Annuntiate regionibus in Assyriis, et in regionibus terræ Ægypti, et dicite : Congregamini super montem Samariæ, et videte mirabilia multa in medio ejus, et oppressionem in ea, et ignoravit quæ futura sint coram* [Al. *in*] *ea, dicit Dominus, qui thesaurizant iniquitatem et miseriam in regionibus eorum.* Supra diximus Amos prophetam specialiter, immo magnam voluminis partem ad decem tribus, quæ appellantur Israel et Ephraim, et Samaria, prophetare. Itaque etiam nunc jubetur ut annuntiet Azoto et terræ Ægypti quæ sequuntur. Pro *Azoto* nescio quid volentes Septuaginta *Assyrios* posuerunt, cum Azotus lingua Hebræorum appelletur ESDOD, et Assyrii, ASSUR. Pro *ædibus* quoque quæ dicuntur ARMANOTH, verterunt *regiones*, quæ vocantur SADOTH : et nihil **257** in verbo similitudinis habent. Dicite, inquit, ut congregentur omnes gentes quæ in vicino sunt, et videant scelera Israel, ne iniquum putent Dei esse judicium. Quomodo si diceret : Prius videte quæ faciant, et tunc meam sententiam comprobate. Pulchreque intulit : *Super montes Samariæ*, vel civitatis, quæ nunc Sebaste, tunc Samaria vocabatur, vel universæ provinciæ, quæ in montuosis sita est : *et videte insanias multas in medio ejus*, ut pro Deo adorent vitulos, et immolent filios suos : nec hoc scelere contenti, calumnientur pauperes in penetralibus suis, et omnino rectum facere nesciant, thesaurizantes sibi non aurum et pecunias, quæ interdum labore quæruntur, sed iniquitates et rapinas in ædibus suis : ut quia, deserto Dei cultu, adoraverunt idola, tradat eos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I), ut faciant quæ non oportet. Et quia semel juxta leges tropologiæ, Samaria refertur ad hæreticos, qui custodes mandatorum Dei esse se mentiuntur, præcipit sermo divinus, ut in gentibus prædicent, quæ non habent notitiam Dei, in quarum doctrina ignis exurens est, et tribulatio et angustia : ut considerent falsam Samariam, et ascendant ad montes superbiæ ejus, et videant multas insanias in medio civitatis, dum unusquisque fingit quod voluerit, et adorat figmentum suum : ut Marcion bonum Deum et otiosum : ut Valentinus αἰῶνας triginta, et extremum Christum, quem appellat, ἐκτρῶμα, id est, *abortivum :* ut Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat [a] Ἀβράξας, et eumdem secundum Græcas litteras, et annui cursus numerum dicit in solis circulo contineri, quem ethnici sub eodem numero aliarum litterarum vocant Μείθραν. Et Iberæ ineptiæ in Balsamo Barbeloque mirantur. Nonne hæ insaniæ sunt, et multæ insaniæ, unoquoque fingente quod in animum ejus

[a] Erat Latinis litteris scriptum *Abraxas*, et paulo post *Mythran*, atque adeo nulla horum inter se nominum conformitas, neque par numerorum constabat ratio : quem errorem errant, et qui Μύθραν cum υ, aut cum ι Μίθραν scribunt : aut enim per litteras hoc quoque nomen in numeros resolutum det 365 dierum totius anni summam, aut Μείθρας scribendum, aut Μήθρης est. Ἰσοψηφίαν litterarum alibi exhibemus. Confer librum contra Luciferianos, num. 23, ubi de Basilide, qui *summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque editionibus commentus est*; Epistolam quoque 75, ad Theodoram, num 3; et 107, ad Lætam, num. 2; denique præfation. in Pentateuchum, ad Desiderium.

inciderit? Calumniam quoque patiuntur in penetralibus ejus, sive opprimuntur simplices quique credentium; dum sub nomine veritatis colunt mendacium, **258** et omnino rectum facere nesciunt, quia perdidere tramitem veritatis, nec credunt in eo qui dicit: *Ego sum veritas* (*Joann.* XIV, 6); et thesaurizant sibi dogmata iniquitatis, et rapiunt atque concludunt in ædibus suis, quos potuerint falso errore decipere. Sin autem placuerit ut legamus *Assyrios* (quod tamen in Hebraico non habetur), dicamus hos esse, de quibus scriptum est: *Inducam super sensum magnum principem Assyriorum, qui dixit, Fortitudine mea faciam*, et cætera, ut capiantur hæretici ab Assyrio et teneantur in terra Ægypti, de qua jam venientes ad Ecclesiam liberati sunt.

(Vers. 11.) *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur et circumietur terra, et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ.* LXX: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tyrus et in circuitu terra tua deserta erit: et detrahet de te fortitudinem tuam, et diripientur regiones tuæ.* Pro Tyro, quæ in Hebraico duabus litteris scripta est, SADE (צ) et RES (ר); et appellatur SOR (צר): quod et Aquila et Septuaginta similiter transtulerunt: Hebræus qui me in sanctis Scripturis erudivit, *tribulationem* interpretatus est, nec renuimus ejus sententiam: quia et Symmachus, qui non solet verborum κακοζηλίαν, sed intelligentiæ ordinem sequi, ait, *obsidio et circumdatio terræ.* Pro obsidione [a], quæ ab eo dicitur πολιορκία, *fortitudo* a Theodotione posita est qui putavit non SAR (צר) et SOR (צור), quod *tribulatio*, vel *Tyrus* dicitur, sed SUR legendum: quod proprie refertur ad *petram durissimam*, quæ Græce appellatur ἀκρότομος, et quam nos Latine *silicem* dicere possumus. Loquamur ergo de singulis, LXX dixerunt: *Tyrus et per circuitum terra tua.* Videbaturque pendere sententia: addidere ergo de suo, *deserta erit:* nec error interpretum est, ubi propter verbi ambiguitatem, et tribulatio et Tyrus dici potest. Et est sensus; Super montes Samariæ multas populus meus insanias perpetravit; calumniam faciens, et rectum penitus ignorans, et thesaurizans sibi iniquitatem et rapinas: **259** ideo tribulabitur, sive conteretur, et Assyrio exercitu terra circumdabitur eorum, et *detrahetur*, ait, ex te, o Samaria, o decem tribus, o quondam populus meus, *fortitudo tua:* et diripientur in ædibus tuis, quæ per calumniam ex miserorum lacrymis congregasti. Hæretici quoque aut tribulabuntur in die judicii, et omnis eorum fortitudo attenuabitur, et diripientur quæ habuerant de rapinis, ut liberentur populi quos deceperant; aut certe quotidie per viros ecclesiasticos tribulabuntur, et circumdabuntur testimoniis Scripturarum, et detrahetur ex eis fortitudo syllogismorum, et verborum argutiæ quibus suum dogma firmaverant. Et ædes eorum diripientur: ut qui rapti fuerant de Ecclesia, ad Ecclesiam revertantur.

(Vers. 12, 13.) *Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria in plaga lectuli et in Damasci grabato.* LXX: *Hæc dicit Dominus: Quomodo si avellat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic avellentur filii Israel qui habitant in Samaria contra tribum et in Damasco.* In principio Amos, ubi versiculos illos disseruimus: *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam: et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli*, diximus illum artis suæ usum esse sermonibus: ut quia pastor gregum nihil terribilius leone cognoverat, iram Domini leonibus compararet. Juxta hunc ergo sensum etiam nunc de eo quod sæpe viderat sumit exemplum, et sic decem tribuum parvas reliquias de Assyriorum narrat manibus eruendas: quomodo si pastor, devoratis omnibus membris, duo crura aut extremum auriculæ de leonis faucibus rapiat: positoque comparationis exemplo, ita, inquit, eruentur filii Israel, decem videlicet tribus quæ habitant in Samaria, in plaga lectuli et in Damasci grabato. Quod mihi sic explanandum videtur: legimus in Isaia Rasin regem Aram, id est, Syrorum, qui regnabat in Damasco, et Phacee filium Romeliæ regem Israel, inito fœdere, contra Judam venisse pugnantes (*Isai.* VII): de quibus Dominus præcipit Achaz regi Judæ et Jerusalem ne timeat duos semiustos torres: quando in signum plenæ libertatis, Virginis ei et conceptus et partus **260** ostenditur. Filii ergo Samariæ habitant in regione et plaga lectuli, requiescentes in Syrorum auxilio, et in Damasci grabato sibi victoriam pollicentes: ut quomodo qui fessus est, refocillatur in lectulo: sic illi fractas vires vicinæ gentis auxilio roborarent. Unde et in eodem Isaia per typum dicitur futurorum, quod nasciturus sit puer, qui priusquam sciat patrem et matrem vocare, accipiat spolia Samariæ et virtutem Damasci, quæ scilicet contra Jerusalem, junctis viribus, dimicabant (*Ibid.*). Pro plaga lectuli et Damasci grabato, Septuaginta transtulerunt *contra tribum et in Damasco:* ut juxta tropologiam referamus tribum ad Judam, et Damascum ad vocationem gentium: de quibus unus grex factus est Domini: cujus sæpe oves leonum feritas laniat: de quorum faucibus vix duo crura aut extremum aufertur auriculæ. In crure via ostenditur doctrinarum, in aure sacramenta dictorum. Unde et apostoli absque calciamentis et ulla mortui animalis pellicula nudis pedibus jubentur [*Al.* jubebantur] incedere (*Matth.* X). Et ad credentes dicitur: *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* VIII, 8). In Apocalypsi quoque Joannis legimus: *Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis* (*Apoc.*

[a] Amovimus hinc vocem *terræ*, quam pridem Victorius expunxerat ad septem Florentinorum codicum fidem, quibus et nostri omnes concinunt; vixque adduci possum ut credam, a Martianæo, qui eam retinuit, in mss. potuisse inveniri.

II, 7). Et manifestius per prophetam : *Ponite*, inquit, *sermones vestros in auribus cordis vestri.* Hoc iter tam hæretici quam magistri eorum dæmones impedire festinant, et intexere retibus, ut in via quæ Christus est, corruamus. Sed si venerit vir ecclesiasticus et homo Dei, et *Samson*, qui interpretatur *sol*, leonem interficit : descendensque in inferni lacum, qui aquas refrigerat, tempore nivis, tempestatis, et hyemis, suffocat leonem : ut securo pede et tutis auribus Dominum sequi et verba ejus audire valeamus.

(Vers. 14, 15.) *Audite et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercituum, quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel super eum, visitabo et super altaria Bethel : et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram : et percutiam domum hyemalem cum domo æstiva, et peribunt domus eburneæ : et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.* LXX : *Sacerdotes, audite : contestamini domum Jacob, dicit Dominus Deus omnipotens : quia in die qua ulciscar iniquitates Israel super eum, ulciscar et super altaria Bethel : et suffodientur cornua altaris, et cadent super terram.* **261** *Confundam et percutiam domum pinnatam super domum æstivam, et peribunt domus eburneæ, et adjicientur domus aliæ multæ, dicit Dominus.* Quod in principio capituli juxta Septuaginta positum est, *sacerdotes*, in Hebraico non habetur, sed pro hoc verbo legitur ARES (ערש), quod Aquila interpretatus est *grabatum* ; et puto Septuaginta ipsum verbum posuisse Hebraicum, quod quidam non intelligentes pro ARES legerunt ἱερεῖς, id est, *sacerdotes.* Præcipit autem sermo propheticus ut primum audiant, deinde contestentur in domo Jacob, id est, in decem tribubus quæ Dominus dixerit. Cum cœpero, inquit, visitare prævaricationes, vel impietates domus Israel, et ei reddere quæ meretur, et captivitatis tempus advenerit : tunc destruentur altaria Bethel, ubi erant aurei vituli, et amputabuntur cornua altaris, quod, Jeroboam quoque manum extendente, diruptum est (III *Reg.* XIII) ; et ruent in terram, Assyrio vastante, confracta. *Et percutiam*, inquit, *domum hyemalem cum domo æstiva*, quod simpliciter juxta litteram accipere possumus : tantarum eos fuisse opum, ut duplices haberent domos, hyemales et æstivas, quarum aliæ versæ essent ad Aquilonem, aliæ ad Austrum, ut pro varietate temporum, frigoris et caloris, cœlique temperiem, providerent. Possumus domum hyemalem appellare regnum Israel, in qua frigus erat religionis et cultus Dei, variique ventorum turbines, et sæva tempestas ; et domum æstivam, Judam et Jerusalem, in qua erat templum, et offerebantur holocausta mane et vesperi, et vigebat calor **262** religionis. *Et peribunt*, ait, *domus eburneæ :* quod et juxta historiam stare potest. Legimus enim Achab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit (III *Reg.* XXII). Pro *eburneis*, domos *dentis*, id est *elephantinas* in Hebræo invenimus. De quibus et in quadragesimo quarto psalmo scriptum est : *A domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Quando visitare cœperit Dominus prævaricationes Israel, qui prius Deum mente cernebat, visitabit et super altaria Bethel : non unum altare, quod habet Ecclesia, sed altaria hæreticorum plurima. Tot enim habent altaria, quot schismata. Amputabit et cornua altaris, quod per superbiam unum se habere jactant. Cadentque eorum cornua, id est, arrogantia in terram ; et percutiet domum hyemalem, eos hæreticos qui laborant continentia et jejuniis, xerophagiis, chamæuniis, e quibus Tatianus est et Manichæus. Et domum æstivam, ut Nicolaitas et Eunomianos, et veteris hæreseos novos sectatores, qui propter ventris ingluviem, omnem recipiunt voluptatem. Et peribunt domus eburneæ, quæ artifici dente et rhetorici nitoris splendore compositæ sunt. Et dissipabuntur ædes multæ, quæ in toto orbe dispersæ sunt. Una enim veritate surgente, multa mendacia destruentur. Pro domo hyemali, οἶκον τὸν περίπτερον, Septuaginta transtulerunt : quod nos interpretati sumus, *pinnatam*, eo quod ostiola habeat per fenestras, et quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam.

# *LIBER SECUNDUS.*

**263-264** Legi in quadam controversia : Imbecillitas corporis animi quoque vires secum trahit. E contrario [a] Paulus apostolus : *Quando infirmor*, inquit, *tunc fortior sum* (II *Cor.* XII, 10); et : *Virtus in infirmitate perficitur* (*Ibid.*, 9). Spiritus enim contra carnem, et caro contra spiritum (*Galat.* V) ; hæc invicem sibi adversantur, ne quæ volumus, illa faciamus. Unde et in Evangelio dicitur : *Spiritus promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). Senectus multa secum et bona affert et mala. Bona, quia nos ab impudentissimis dominis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia ; et frigescente corpore, dormit cum perpetua virgine Sunamite : luxuriamque contemnens cum Berzellai, delegat eam filio adolescenti Chamaam [*Al.* Maacha], et non vult transire Jordanem, atque in alienos fines de [b] suis finibus, id est, regionibus exire (II *Reg.* XIX). Quæ autem putantur senectutis mala, ista sunt : crebræ infirmitates, pituita molestissima, quam Græcorum alii κόρυζαν, alii φλέγμα nuncupant, caligantes oculi, acescentes cibi, tremens interdum ma-

[a] Mss. duo *Paulus* tacent, moxque *fortis* pro *fortior* legunt.

[b] Cisterciens. duoque Palatini codd., *in alienos fines de suis exire regionibus.*

nus, nudi gingivis dentes, et inter cibos cadentes. Ad hæc torminibus et aculeis stomachi, podagræque et chiragræ doloribus sæpe torquetur : ita ut ne stylum quidem aut calamum tenere queat ; ut [*Al.* et] suis pedibus non possit incedere magnaque parte vitæ videatur esse truncata, et multis membris præmortua. Cum hæc ita se habeant, [a] in malorum comparatione tolerabilius sustinebo morbos, dummodo una et gravissima domina libidine caream. Patitur quidem et senectus nonnumquam incentiva vitiorum : nullusque juxta sanctum martyrem Cyprianum, diu tutus est periculo proximus. Sed aliud est titillari, aliud obrui voluptatibus. Ibi cum apostolo adolescentia loquitur, quæ novit virentis corporis necessitates : *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio* (*Rom.* VII, 15) ; et : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Ibid.*, 24) ? Hic autem raro inter emortuos cineres scintilla sublucens reviviscere nititur, et tamen incendia non potest suscitare. Quam ob rem, Pammachi, cano jam mecum capite, impetra mihi a Domino, ut comitem [b] mihi merear habere sapientiam, de qua scriptum est : *Ama illam, et servabit te : honora illam, et amplexabitur te* (*Prov.* IV, 8) : ut, ipsa adjuvante et socia, cœptum in Amos opus expleam, secundusque liber principium sumat a vaccis Basan : ut qui in Osee propheta de vaccis sive vitulis Bethaven pleno sermone tractavi : nunc quoque de vaccis [c] pinguissimis possim disserere.

(Cap. IV. — Vers. 1 seq.) **265** *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ : quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes : quæ dicitis dominis vestris, Afferte et bibemus. Juravit Dominus Deus in sancto suo : quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus : et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus.* LXX : *Audite verbum istud, vaccæ Basanitidis* [Al. *Basanitides*], *quæ estis in monte Samariæ, quæ opprimitis pauperes, et conculcatis egenos, quæ dicitis dominis vestris : Date nobis ut bibamus. Jurat Dominus per sanctos suos, quoniam ecce dies venient super vos, et tollent vos in armis, et eos qui vobiscum sunt in ollis, negotiatores pestilentes, et ejiciemini nudæ contra invicem, et projiciemini super montem Remmam, dicit Dominus* [d]. Pro vaccis pinguibus, Septuaginta posuerunt *Basanitidis* : Aquila et Theodotio ipsum verbum Hebraicum BASAN (בשן) ; nos Symmachi interpretationem secuti, qui ait, *αἱ βόες εὔτροφοι*, id est, *boves saginatæ*, vaccas pingues interpretati sumus. Loquitur autem ad principes Israel et optimates A quosque decem tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, ut audiant sermonem Dei, et non aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima : ac per hoc significat eos, non agriculturæ, sed immolationi et esui præparatos. Vos vaccæ pingues estis in monte Samariæ, et humiles quosque confringitis, et dicitis dominis vestris, id est, pastoribus, per quos reges intelligimus, *Date nobis, et bibemus*, id est, jubete tantum, et nos cuncta vastabimus. Ex eo autem quod posuit, *date nobis, et bibemus* : et non dixit, *date et comedemus*, ebrietatem earum significat in vino atque luxuria, quæ statum mentis evertunt. Juravit itaque Dominus Deus in sancto suo, vel in B semetipso, vel in Filio, vel in Templo, vel in omni qui sanctus est et appellatur templum Dei, quod adventura sit dies non longe et post multa sæcula, sed jam imminens, dies captivitatis et angustiæ, in quo vaccæ leventur in contis, et reliquiæ earum in ollis ferventibus, pro quo et in Hebraico **266** et apud Aquilam scriptum est *in lebetibus pisciculorum*. Pro contis quoque qui Hebraice dicuntur SANNOTH (צנות), Aquila interpretatus est *clypeos* : Symmachus et LXX, *arma;* solus Theodotio *δόρατα*, quem nos secuti, *contos* vel *hastas* interpretati sumus. Hoc autem significat, quod capiantur in prælio, et portentur atque auferantur jure victoriæ : servans tamen cœptam vaccarum metaphoram, ut quas esse pingues dixerat vaccas, earum carnes narret in contis vel C scutis esse portandas. Et sicut lebes ferventissimus minutos pisces pariter involvit : ita et vaccas Basan absque ullo ordine captivitatis miseriis opprimendas. Quodque sequitur : *Et per aperturas exibitis altera contra alteram*, sic explanari potest : Aperta vobis est captivitatis via, et cum lebetes vestri fuerint exusti, exibitis altera contra alteram, secundum Hebræorum idioma, qui pro eo quod nos [e] mutuo vel vicissim, mulierem et mulierem, hoc est, alteram contra alteram vocant. *Et projiciemini*, inquit, *in locis Armeniæ*, quæ vocantur *Armona* (חרמנה). Denique Symmachus ita interpretatus est : *Et projiciemini in Armenia*, pro quibus Septuaginta, *montem Remman*, Aquila [f] *montem Armona*, Theodotio *montem Mona* : quinta autem editio, *excelsum mon-* D *tem*, transtulerunt. Verbum autem Domini quod vaccæ Basan jubentur audire, secundum cœptam tropologiam, hæreticis præcipit, qui ventri et gulæ servientes, recte appellantur vaccæ pinguissimæ, sive vaccæ ignominiosæ : hoc enim interpretatur *Basan*, id est, *αἰσχύνη*, quam si confusionem dicere voluerimus, Babylonem magis quam Basan inter-

[a] Unus Palatin. : *Cum hæc ita se habeant, utile mihi in malorum comparatione tolerabilius sustinere morbos.*

[b] Alterum hoc *mihi* nostri ignorant mss.

[c] Palatin. *de vaccis Basan tractem.*

[d] Addit Cister. *Deus*, quemadmodum et Græca ferunt aliquot exemplaria, *Κύριος ὁ Θεὸς*. Pro *Basanidis*, quam vocem ex mss. et Græco restituimus, continuo erat supra atque infra *Basanitides.*

[e] Supplet Victorius, *dicimus*, ex septem Florentiæ codicibus.

[f] In libro tamen de Locis ad vocem *Remma*, aliter Aquila dicitur interpretatus : et ut quidem Eusebius notat, *ὄρος ἐν Ῥεμμωνᾷ*, ut vero Hieronymus, *mons Emmona.*

pretabimur. Hæ vaccæ pingues, sive ignominiosæ et aridæ, nam Basan et hoc intelligitur, in monte Samariæ sunt, cui et in Osee dicitur : *Aufer vitulum tuum, Samaria.* Et rursum in eodem, *Quia seducens erat vitulus tuus, Samaria* (*Ose.* VIII, 5, 6) : et ideo in monte Samariæ, quia semper eriguntur in superbiam, et sibi sublimia repromittunt. Samaria quoque *custodia* dicitur, non quo custodiant sermones Domini : sed quia custodes præceptorum ejus esse se jactent. Quæ calumniam faciunt egenis, et confringunt pauperes. Egenum et pauperem **267** intellige ecclesiasticum virum, qui veritatis simplicitate contentus, hæreticorum supellectilem, et eloquentiæ fulgorem, argumentorumque divitias non requirit. Hæ vaccæ dicunt dominis suis : *Afferte, et bibemus.* Dominos earum vel principes perversorum dogmatum possumus appellare, Valentinum, et Marcionem, et Arium, et Eunomium : aut eos qui per multiplices libros ab aliis male inventa corroborant. Istis dicunt vaccæ Basanitidis : *Afferte nobis, et bibemus.* Nisi enim illi dederint, isti quod devorent non habent, immo quod bibant ut inebrientur. Ut autem sciamus aquas et pocula significare doctrinam, Dominus loquitur ad Samaritanam : *Omnis qui biberit* [Al. *bibit*] *ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13). Ergo qui de Samaritanæ, id est, hæreticorum aquis biberint, semper sitient et ardorem faucium siccarum refrigerare non poterunt, Isaia de hoc eodem [*Al.* hac eadem] conclamante : *Sicut somniat qui sitit quasi bibat, et cum surrexerit, adhuc sitit, anima autem ejus frustra speravit : sic erunt omnes gentes quæ pugnant contra Jerusalem* (*Isai.* XXIX, 8). Vere enim qui de hæreticorum aquis biberit, et pugnaverit contra Jerusalem Ecclesiam Dei, in somnis bibit, et anima ejus vanis imaginibus illuditur. Cumque æstimaverit se satiatum, tunc sitiendi habebit principium. Unde et ad virum ecclesiasticum dicitur : *Bibe aquas de vasis tuis, et de puteorum fontibus aquas tuas, et sint tibi soli* (*Prov.* V, 15). Et jurat Dominus Deus tuus in sancto suo contra vaccas saginæ et dapibus servientes, sive jurat in sanctis suis, quod venient dies super eas, dies judicii atque pœnarum, ut portent eas in armis suis, et eos qui cum ipsis sunt, mittant in lebetes, sive portent : et vel ipsæ vaccæ sint negotiatores pestilentes, vel ipsi qui veniunt ut portent eas, et ejiciantur nudæ invicem se videntes : projicianturque super montem Remman, dicit Dominus Deus. Debemus enim et juxta LXX dicere, ne frustra eos proposuisse videamur. Quando venerit contra hæreticos dies judicii atque vindictæ, tunc auferentur in armis, hoc est, cum **268** armis suis, quibus adversus Ecclesiam dimicaverant : vel victi armatura Dei, et ab illius pugnatoribus superati, mittentur in lebetes, ut exurantur et excoquantur qui fuerunt prius negotiatores pestilentes ; ad hoc enim negotiabantur [*Al.* negotiabuntur], ut morti traderent quos deceperant. Isti sunt de quibus dicitur : *Filii Heli, filii pestilentiæ* (I *Reg.* II), qui in cathedra pestilentiæ [*Al.* pestilentium] sederunt. Cumque excocti fuerint et exusti, egredientur nudi, nihil eorum habentes, quæ sibi antea præsumebant. Et videbunt ignominiam suam, et projicientur super montem *Remman*, qui interpretatur *sublimitas*, ut in superbia sua conterantur. Quidam Remman, *visionem alicujus*, id est, ὅρασίν τινος, interpretantur. Non enim omnia videre poterant ; sed sibi partis alicujus scientiam promittebant, ut projiciantur, eo [*Al.* in eo] quod se scire credebant. Possumus juxta litteram, quando venerint dies captivitatis super vaccas Samariæ, intelligere quod superent eas in prælio, et opprimant armis suis, et in congressione superatas compellant ad urbes munitas, quæ comparentur ollis ferventibus : ut quomodo Jerusalem habens clausos populos et obsessos, assimilatur ollæ ferventi et plenæ carnium ; sic et urbes Samariæ ollis ferventibus comparentur, quæ fame et pestilentia clausos populos exire compellant, et ire in captivitatem mutuo se videntes, et transferri in Armon montes Armeniæ, qui Medis Persisque confines sunt.

(Vers. 4 seq.) *Venite ad Bethel, et impie agite : ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem, et* [a] *afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras. Et sacrificate de fermento* [Vulg. *fermentato*] *laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate. Sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris : et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* LXX : *Introistis in Bethel, et inique egistis, in Galgala multiplicastis impie agere : et intulistis mane hostias vestras, in die tertio decimas vestras. Et legerunt foris legem, et invocaverunt confessiones. Annuntiate quia hæc dilexerunt filii Israel, dicit Dominus Deus. Et ego* **269** *dabo vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* Primum historiæ fundamenta jaciamus : O Israel miserabilis, jam tibi vicina captivitas, jam Assyrius instat exercitus : fac quod libet, age impie : cum idolis libere fornicare, ut quanto tu fueris impudentior, tanto mea super tormentis tuis justior videatur sententia. *Venite*, inquit, *in Bethel*, in qua aureum posuistis vitulum, et impie agite in Deum. Venite ad Galgalam locum idololatriæ, de qua per Osee locutus sum : *Omnis malitia eorum in Galgalis* (*Ose.* IX, 15). Et rursum in eodem : *Frustra erant in Galgala bobus immolantes* (*Ibid.*, XII, 11). Cumque veneritis ad Galgalam : *multiplicate prævaricationem.* Quidquid

[a] Victorius ait : Vox Hebræa הָבִיאוּ, *afferre* significat, quem sensum reddidere etiam LXX, dum interpretati sunt ἠνέγκατε, *attulistis*. Vulgata editio constanter in cunctis codicibus tam mss. quam impressis legit, *offerte*. Hieronymus in Commentario utramque agnoscit lectionem. Libuit prænonuisse, quando a nobis nihil est immutatum. Sensus idem utraque in voce.

enim ibi egeritis, prævaricatio contra Deum est, cui idola prætulistis. Et afferte mane victimas vestras, ne in scelere sit ulla dilatio. Tribus diebus decimas vestras : sive, ut interpretatus est Symmachus, *tertia die decimas vestras*. Cujus loci hæc nobis videtur explanatio : in Levitico lege præceptum est (*Levit.* VII), ne quædam hostiæ in alterum diem reserventur, et ne aliæ in diem tertium remaneant : quod si remanserint, immundæ sint. Est igitur sensus : Immundas quotidie victimas cædite, et contaminata offerte sacrificia, *et sacrificate de fermento laudem*, quod juxta præcepta Moysi Deo penitus non offertur. Pro laude εὐχαριστίαν, id est, *gratiarum actionem* interpretatus est Aquila, quæ Hebraice dicitur THODA (תודה). Et vocate, inquit, voluntarias oblationes, quas Hebræi appellant NADABOTH (נדבות), id est, *spontaneas*. Ultroneum [*Al.* ultraneum] autem sacrificium ad lætitiam pertinet : quod Latine *epulum* possumus appellare. Cumque hoc feceritis, impietatem vestram omnibus nuntiate : ut non solum fecisse, sed et alios docuisse videamini. Hæc autem præcipio, et imperativo modo loquor, ut vestræ satisfaciam voluntati, quia sic egistis et sic voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus. Quapropter et ego dedi vobis stuporem dentium, ut LXX transtulerunt, quos in hoc loco propter simplicitatem verbi secuti sumus : sive *munditiam dentium*, ut interpretati sunt **270** Aquila et Symmachus, ut per mundos dentes, famis magnitudinem demonstrarent. Et feci indigentiam panum, non in una urbe, sed in omnibus urbibus vestris ; nec in uno loco, sed in omnibus locis vestris. Cumque hoc fecerim, non puniens, sed occasionem tribuens pœnitentiæ : nec sic quidem reversi estis ad me, dicit Dominus. Hæc juxta Hebraicum diximus : transeamus ad LXX interpretes, et quid nobis juxta anagogen videatur in singulis, breviter disseramus ; neque enim si in utraque editione utrumque dicere voluerimus, librorum patitur magnitudo. Ingressi estis in Bethel, id est, in *domum Dei*, quod sentitur Ecclesia : et impie egistis in Dominum, illius præcepta calcantes. In *Galgala* autem, quod interpretatur *revelatio*, sive *volutabrum*, impietates multiplicastis, sanctarum vobis Scripturarum scientiam vindicantes : et dum erigimini in superbiam, estis in cœni ultima devoluti. Intulistis quoque mane hostias vestras, die tertia decimas vestras, transfigurati in angelum lucis : et triplicem intelligentiam Scripturarum (de qua nobis præceptum est, ut describamus eam tripliciter in cordibus nostris) in unius diei sententiam coarctantes. Debemus enim Scripturam sanctam, primum secundum litteram intelligere, facientes in ethica quæcumque præcepta sunt. Secundo juxta allegoriam, id est, intelligentiam spiritualem. Tertio secundum futurorum beatitudinem. Vos autem primam, inquit, et secundam contemnentes diem, spiritualia vobis quædam figmenta componitis sine fundamento, et parietibus tectum desuper imponentes. Nec hoc sunt hæretici, de quibus, et ad quos dicitur, impietatis fine contenti : sed legerunt foris legem Dei de Ecclesia recedentes, et singulis dogmatibus suis, quæ perverso corde simularunt, confessiones et testimonia sociare conati sunt : sive sacrificaverunt de fermento, super quo in Evangelio dicitur : *Cavete vobis a fermento*, id est, *doctrina Pharisæorum* (*Matth.* XVI, 6). Et hæc fecerunt non errore, sed studio : non fortuita voluntate, sed majorum [a] charitate plenissima. Unde ultionem super his comminatur Dominus : **271** *Dabo*, inquiens, *vobis stuporem dentium*, qui Græce γομφιασμὸς dicitur. Si quis enim secundum Ezechiel (*Ezech.* XVIII), uvam acerbam comederit, stupebunt dentes ejus : ut non bene Scripturarum sanctarum testimoniis abutentes, comedentesque ea immatura et absque sua dulcedine, perdant robur dentium : ne possint dura commolere, et in alvum toto corpori profutura transmittere. Hunc stuporem dentium ciborumque penuriam dabo et in cunctis urbibus, atque in omnibus locis vestris, ut patiamini famem sermonis Dei, et ejus panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI), et de quo in Psalmis scriptum est : *Panem angelorum manducavit homo* (*Ps.* LXXVII, 15). Quæ universa feci, non ob crudelitatem et sævitiam, ut hæretici calumniantur, truculenti et tristis [b] judicii, sed ut converteremini ad me, juxta illud quod scriptum est : *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis* (*Jer.* II, 30).

(Vers. 7 seq.) *Ego quoque prohibui a vobis imbrem : cum adhuc tres menses superessent usque ad messem. Et plui super civitatem unam : et super civitatem alteram non plui. Pars una compluta est : et pars una, super quam non plui, aruit. Et venerunt duæ et tres civitates ad civitatem unam, ut biberent aquam, et non sunt satiatæ : et non redistis ad me, dicit Dominus.* LXX : *Et ego repressi a vobis pluviam ante tres menses vindemiæ : et pluam super civitatem unam, et super civitatem unam non pluam. Pars una irrigabitur ; et pars super quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur duæ et tres civitates in civitatem unam, ut bibant aquam, et non satiabuntur : et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* Non solum stuporem dedi dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris ; sed prohibui a vobis imbrem, cum adhuc superessent tres menses usque ad messem, quæ appellatur pluvia serotina, et agris Palæstinæ arvisque sitientibus vel maxime necessaria est : ut quando herba turgeret in messem et triticum parturiret, nimia siccitate [c] aresceret. Significat

[a] Denuo Victorius : Novo, inquit, dicendi genere malorum charitatem vocavit, pro malorum amorem, hoc est, affectum ad mala. Hoc autem fecit, ut LXX versioni, quam hic exponit, ad verbum responderet : Est autem illa : *Hæc*, ἠγάπησαν, *dilexerunt filii Israel*, aut in Vulgata : *Sic enim voluistis, filii Israel*. Alioqui charitas non est nisi ad bonum.

[b] Cisterciens. duoque Palatini mss., *et tristis judicis, sed ut converterem vos ad me*, etc.

[c] Tres iidem mss., *marcesceret*.

autem vernum tempus extremi mensis Aprilis, a quo usque ad messem frumenti, tres menses supersunt. Maius, Junius, Julius. Pro *messe*, LXX, suo more, *vindemiam* transtulerunt, quod **272** si recipimus, omnino juxta Orientis omnes regiones et insolitum et impossibile est. Numquam enim in fine mensis Junii, sive in mense Julio, in his provinciis, maximeque in Judæa, pluvias vidimus. Denique in Regum libris pro signo magno atque portento diebus æstatis et messis, orante Samuele, pluviæ concitatæ sunt (I *Reg.* XII). Et superfluum erat nunc comminari mensis Julii siccitatem, in quo numquam pluvias dederat. Prohibuit autem imbrem, ut non solum indigentiam panum, sed et sitis ardorem et bibendi penuriam sustinerent. In his enim locis in quibus nunc degimus, præter parvos fontes, omnes cisternarum aquæ sunt, et si imbres divina ira suspenderit, majus sitis quam famis periculum est: quod et in diebus Eliæ prophetæ tribus annis et sex mensibus factum Scriptura commemorat (III *Reg.* XVII). Et ne forsitan putarent hoc lege naturæ, et astrorum cursu, ac varietate temporum urbibus et populis accidisse, super unam urbem et agros ejus pluere se dicit, et ab altera imbrem suspendere: ut duæ et tres civitates pergant ad aliam civitatem, et tamen non satientur aquarum potibus. Cumque hæc fecerit, non in pœnam, sed in medicinam, increpat in scelere permanentes: et nec sic quidem ad me redistis, dicit Dominus. Prohibet quoque sive reprimit ab hæreticis Dominus pluvias spirituales, et omnem rorem divinæ sapientiæ; et mandat nubibus suis, ne pluant super eos imbrem ante tres menses messis, sive vindemiæ, ut ad fructus mysterii Trinitatis pervenire non possint. Et quomodo sol iste, quem cernimus, annuum cursum, donec ad pristinam metam redeat, duodecim explet mensibus, qui singuli tricenis volvuntur diebus, et luna quæ Hebraice JARE (ירה), Græce μήνη dicitur, juxta utramque linguam ex suo nomine mensibus nomen dedit, et solis illustratur radiis ab ea parte qua ei vicina est, vel plus vel minus pro varietate temporum lumen accipiens: sic et Ecclesia, veri Solis splendore decorata, duodecim implet apostolorum numerum. Unde et duodecim in Israel appellantur tribus, et in testimonium æternæ memoriæ, de Jordanis **273** alveo duodecim lapides auferuntur, ut ponantur in loco secundæ circumcisionis (*Jos.* IV). Pluit autem Dominus super unam civitatem veræ confessionis Ecclesiam, et super alteram non pluit, quæ in hæreticorum conciliabulis est. Cumque illa imbrem recipiat sempiternum, ista jugi ariditate siccatur: ut qui sitiunt, coacti penuria, veniant ad Domini civitatem, de qua egreditur fons largissimus, qui irrigat torrentem spinarum. Iste autem est fons qui dicit per Jeremiam: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui aquas continere non possunt* (*Jerem.* II, 13). Hic fons de uno fonte procedens, triplici unione decurrit: quos fontes Patris et Filii et Spiritus sancti in cervi sitientis modum Psalmista suspirat, dicens: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Ps.* XLI, 1). Cumque duæ et tres civitates ad unam perrexerint civitatem, in qua aquæ sunt abundantes, spei, fidei, charitatis, non satiabuntur, quia ad divinam gratiam requirendam, non voluntate, sed necessitate venerunt.

(Vers. 9.) *Percussi vos in vento urente, et in aurugine. Multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum, oliveta vestra et ficeta vestra comedit eruca, et non redistis ad me, dicit Dominus.* LXX: *Percussi vos in ardore et in aurugine. Multiplicastis hortos vestros, vineas vestras, et ficus vestras, et oliveta vestra comedit eruca, et ne sic quidem conversi estis ad me, dicit Dominus.* Non solum [a] priora feci, ut vos corrigerem; sed quidquid superfuit siccitati, vento urente percussi et aurugine. Pro *vento urente*, ἀνεμοφθορίαν Aquila et Symmachus et Theodotio interpretati sunt: Septuaginta πύρωσιν, quam nos *combustionem* possumus dicere. *Auruginem* autem omnes ἴκτερον similiter transtulerunt, absque Theodotione, qui solus ὠχρίασιν, quæ *pallorem* significat, interpretatus est. Cumque adversum iram Domini multiplicarent hortos et vineas et ficeta et oliveta, omnia eruca consumpsit, de qua in Joel plenius dicitur (*Joel.* I). **274** Et ne plagis quidem ac malorum pondere ad Deum venire voluerunt. Quo dicto, confundantur hæretici, qui disciplinam Creatoris, et, ut ita dicam, medicinam, crudelitatem interpretantur. Percutit autem spiritualiter hæreticos Dominus exustione ea de qua Paulus apostolus: *Melius est*, inquit, *nubere, quam uri* (I *Cor.* VII, 9). Et princeps apostolorum: *Charissimi, nolite peregrinari in ardore, qui ad tentationem vobis accidit* (I *Pet.* IV, 12): et aurugine quæ, felle diffuso, ruborem sanguinis in pallorem [*Al.* pallore] commutat, et nihil in corpore sani esse permittit, intantum ut etiam mella dulcissima amara videantur. Et qui dudum audiebant in Ecclesia: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus:* ipsique dicebant: *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua super mel ori meo* (*Ps.* CXVIII)!

[a] Palatini codd. *prior:* e quibus, juncto Cisterciensi ac septem penes Victorium Florentinis, correximus paulo post, *quidquid superfuit siccitati, vento urente percussi.* Erat enim in Martianæi juxta Erasmum editione, *quidquid superfuit, siccitate, vento*, etc. Repositam nobis lectionem ipse probat S. Doctoris contextus, quem ad hunc modum Victorius exposuit. Loquitur, ait, supra quod siccitate cuncta Deus percusserit, pluens super unam civitatem, et super alteram non pluens: mox subdidit: *Percussi vos in vento urente, et in aurugine.* Auruginem ἴκτερον, omnes interpretati hic sunt; qui morbus nihil aliud est nisi fellis per corpus suffusio, regius ab apparatu regio, quo curatur, Celso dictus, et icterus ab ave ejusdem coloris, quam raulum nostrates reatini vocant: Theodotio ὠχρίασιν vertit, id est, pallorem. Dicitur autem aurugo, ab auro quod ejus coloris sit morbus: diversaque vox est ab ærugo, quæ æris corruptionem significat.

vocentur παραπικραίνοντες, et aquæ eorum et pluviæ non stillent dulcedinem : nec sint de repromissionis terra, quam legimus lacte et melle manantem : sed appellentur *Mara*, id est, *amaritudo*. Isti multiplicaverunt sibi hortos, in quos ne sua vinea mutaretur, Naboth [*Al.* Nabutha] occumbere voluit (III *Reg.* XXI). Qui enim infirmus est, olera manducet (*Rom.* XIV). Et quia semper hæretici tumentes superbia, et incidentes in judicium diaboli magna sibi promittunt, et bonorum fingunt imagines, ut melli venena commisceant: etiam vineas et oliveta et ficeta habere se jactant; sed vinea eorum vinea Sodomorum est; oliveta eorum non sunt de bonis olivis, sed oleastris, quos Apostolus radicibus bonarum olivarum præcipit inserendos (*Rom.* XI). Ficeta quoque talia habent, quæ calathum pessimarum impleant ficorum, quas Jeremias præ amaritudine comedi non posse testatur (*Jerem.* XXIX). Ad quæ cum Dominus venerit, æterna eis ariditate maledicit (*Marc.* XI), ut numquam fructum afferant, ne virore foliorum decipiant transeuntes. Et ut intelligamus hortos hæreticorum et vineas et oliveta et ficeta ad malam partem referri, singulis sermonibus addidit, *vestra:* ut non Dei, sed hæreticorum ea esse monstraret: *hortos* **275** *vestros*, *vineas vestras*, *oliveta vestra*, *et ficeta vestra:* quæ omnia eruca populata est, extremum pœnarum omnium : quæ non avolat ut locusta, et huc illuc discurrens semesa dimittit; sed permanet perituris frugibus, et tardo lapsu pigrisque morsibus universa consumit. Cumque hæc passi sunt, nec sic quidem ad Dominum redire voluerunt.

(Vers. 10.) *Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros usque ad captivitatem equorum vestrorum. Et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus.* LXX: *Emisi* [Al. *Misi*] *in vos mortem in via Ægypti, et occidi in gladio juvenes vestros cum captivitate equorum vestrorum. Et eduxi in igne castra vestra in ira mea, et ne sic quidem reversi estis ad me, dicit Dominus.* Per omnia flagella et tormenta eruditur Israel: unde et eo tempore quo ab Ægyptiis auxilia postulabant, mittitur in eos mors, et percutiuntur in gladio juvenes eorum, et equos quos sibi contra Dei præceptum multiplicaverant, captivitas sæva concludit, ut putredo castrorum et fœtor morientis exercitus, viventium nares impleat. Cumque et hæc fecerit, ut corriperet delinquentes, et emendaret errantes, nec sic quidem redierunt ad eum, dicit Dominus. Qui non solum illo tempore, sed quotidie mittit mortem in via Ægypti, ut qui Ægyptiam triverit semitam, audiat moriens docentem Apostolum : Quod enim mortuus sum, mortuus sum peccato; quod autem vivo, vivo Deo (*Galat.* II). Et in alio loco : *Si mortui sumus cum Christo, simul etiam vivemus cum eo* (*Rom.* VI, 8). Et iterum : *Semper mortificationem Jesu in corpore meo porto* (II *Cor.* IV, 10). Et rursum : *Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus* (*Gal.* II, 20). Hac morte vivificare nos vult Dominus, ut morientes peccato, vivamus Deo. Morimur autem peccato, quando mortificamus membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, idololatriam et reliqua. Legimus in Isaia, dumtaxat juxta Septuaginta interpretes : alioquin in Hebraico aliter continetur : *Misi mortem in Jacob, et venit super Israel* (*Isai.* IX). Jacob, vocabulum est nascentis corporis; Israel, nomen benedictionis. Quia enim tota nocte luctavit et vicit in certamine (*Genes.* XXXII), et oriente lucifero **276** dicere potuit cum Apostolo : *Nox præcessit, dies appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12), propterea Israel, videntis Deum, sortitus est nomen. Mittitur ergo primum mors in Jacob, ut mortificemus membra nostra super terram, et per mortificationem membrorum corporalium, veniamus ad mortem Israelis, ut omnia perturbationum in nobis incentiva moriantur. Percutit Deus quidquid robustum in malis est, et perversa erigitur juventa, ne ad senectutem usque perveniat, equosque tradit captivitati, ne per præcipitia labantur inferni : et ascendere facit putredinem castrorum in nares eorum, ut sua peccata cognoscant, et putere sentiant, dicantque cum David : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Ps.* XXXVII, 6). Cumque hæc sanantis voto fecerit, nec sic quidem reversi sunt ad eum, dicit Dominus.

(Vers. 11.) *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis sicut torris raptus de incendio, et non redistis ad me, dicit Dominus.* LXX: *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis sicut torris erutus de igne, et ne sic quidem conversi estis ad me, dicit Dominus.* Extrema medicina est, et decem tribuum, et hæreticorum, et omnium peccatorum, ut postquam mortem miserit in via Ægypti, et percusserit juvenes eorum gladio, equosque consumpserit, et ascendere fecerit putredinem castrorum in nares eorum, et nec sic quidem ad eum reversi fuerint, subvertat eos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham : et cum subversi fuerint, ob similitudinem criminum Sodomæ et Gomorrhæ, pessimaque in eis ædificia divinus ignis exusserit, ipsi liberentur quasi torris raptus de incendio. Et quomodo Lot, Sodoma percunte, servatus est, amittens substantiam et partem corporis sui, quam intelligimus uxorem (*Genes.* XIX) : sic omnes isti Sodomorum divitias amittentes evadant nudi, juxta illud quod in Apostolo legimus : *Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet : si cujus autem opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 14, 15). Qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapitur. Et ad istiusmodi homines, quos in Evangelio Salvator arguens loquebatur : *Si filii essetis Abraham, opera Abraham faceretis* (*Joan.* VIII, 39), **277** Joannes Baptista dicit : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira* (*Matt.* III, 7, 8, 9)? *facite ergo fructum dignum* [Al. *fructus dignos*] *pœnitentiæ*,

*et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam* [Al. *quomodo*] *potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham?* Igitur et Israel et cuncti hæretici, quia habebant opera Sodomæ et Gomorrhæ, subvertuntur ut Sodoma et Gomorrha: ut quasi torris raptus de incendio liberentur. Et hoc est quod in propheta legimus: *Restituetur Sodoma in antiquum* (*Ezech.* XVI, 55): ut qui suo vitio Sodomites est, postquam in eo Sodomæ opera arserint, in antiquum restituatur statum.

(Vers. 12, 13.) *Quapropter hæc faciam tibi, Israel: postquam autem hæc* [Vulg. *hoc*] *fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel, quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ Dominus Deus exercituum nomen ejus.* LXX: *Propterea sic faciam tibi, Israel: verumtamen quia sic faciam tibi, præparare ut invoces Deum tuum, Israel. Quia ecce firmans tonitruum, et creans spiritum, et annuntians in homines Christum suum, faciens mane, et nebulam, et ascendens super excelsa terræ: Dominus Deus omnipotens nomen ejus.* Pro eo quod nos interpretati sumus, *postquam*, in Hebraico scriptum est ECEB (עקב), et Aquila interpretatus est ὕστερον, id est, *postea*, et Theodotio *novissime*, et Septuaginta *verumtamen*; in Hebraico sic legi potest: *Quapropter hæc faciam tibi, Israel, postea*, id est, multo post tempore, et in novissimis sæculis, ut rursus ab alio principio versus incipiat: *Cumque hoc facturus sim tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel.* Rursumque in eo loco ubi Septuaginta transtulerunt, *præparare ut invoces Deum tuum*, et nos juxta Theodotionem posuimus, *præparare in occursum Dei tui*, Symmachus et Quinta Editio transtulerunt, *præparare ut adverseris Deo tuo:* quod Hebraice dicitur, HECHIN [a] LACERATH ELOICA (הכין לקראת אלהיך). Pro montibus quoque qui Hebraice dicuntur ARIM (הרים), soli Septuaginta βροντὴν, id est, *tonitruum* verterunt. Cur autem illi *spiritum*, et nos dixerimus *ventum*, qui Hebraice vocatur RUA (רוח), causa manifesta est, **278** quia hoc verbo et *ventus* et *spiritus* appellatur. Quodque sequitur, *annuntians homini eloquium suum*, cunctis ita ut nos vertimus interpretantibus, soli Septuaginta transtulerunt, *annuntians in homines Christum suum:* verbi similitudine et ambiguitate decepti. Si enim legamus *Christum suum*, quod Hebraice dicitur MESSIO (משיח), scribitur per has litteras MEM, SIN, IOB, HETH, et VAU, quod LXX putaverunt. Sin autem ut in Hebræo est, juxta Aquilam [b] τὴν ὁμιλίαν αὐτοῦ: juxta Symmachum τὸ φώνημα αὐτοῦ: juxta Theodotionem, τὸν λόγον αὐτοῦ: juxta quintam editionem τὴν ἀδολεσχίαν αὐτοῦ, quæ omnia interpretantur, quod sit *eloquium ejus*, his litteris scribetur, MEM, HE, quod dicitur MA (מה), hoc est, *quod*, vel *quid*. Deinde SIN, IOD, HETH, quod legimus SIA (שיח), id est, *eloquium*. O autem, quod scribitur per solam litteram VAU, αὐτοῦ, id est, *ejus*, significat, simulque commixtum legitur MASIO (מהשיחו), a superiori verbo HE secundam litteram plus habens. De varietate interpretationis diximus, quæ molesta erit negligentibus, studiosis grata: nunc ad sensum eorum, quæ scripta sunt, transeamus. Dedi stuporem dentibus vestris, et non redistis ad me, dicit Dominus. Prohibui a vobis imbrem, et plui super civitatem unam, et super alteram non plui, et venerunt duæ et tres civitates ad unam ut biberent aquas, et non sunt satiatæ: et nec sic redistis ad me, dicit Dominus. Percussi vos in vento urente, et aurugine hortos vestros et vineas et oliveta atque ficeta, et non redistis ad me, dicit Dominus. Misi in vos mortem in via Ægypti, et percussi in gladio juvenes vestros, et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus. Subverti vos sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham, et facti estis quasi torris raptus de incendio, et non redistis ad me, dicit Dominus. Idcirco hæc faciam tibi, o Israel, ut qui præterita contempsisti, saltem ad ea quæ illaturus sum, corrigaris. Cumque dixerit, *hæc faciam tibi*, quid facturus sit tacet, [c] ut dum ad singula pœnarum genera Israel pendet incertus (quæ **279** ideo terribiliora sunt, quia omnia suspicantur), agat pœnitentiam: ne Deus inferat quæ minatur. Postquam autem fecero tibi quæ me facturum esse contestor, præparare ad invocandum Dominum Deum tuum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Joel.* II). Sive præparare in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum, tota aviditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, sive montes [d] confirmat, ad cujus vocem cœlorum cardines et terræ fundamenta quatiuntur (*Eccl.* XVI). Iste qui creat spiritum, quem in hoc loco non Spiritum sanctum, ut hæretici suspicantur; sed ventum intelligimus, sive spiritum hominis: quia nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus qui est in eo; et ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus (*Rom.* VIII). Vel certe spiritum, animam debemus accipere, secundum illud quod scriptum est: *Auferes spiritum eorum, deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Ps.* 19). Et: *Pater, in manus tuas commendo s meum, et hoc dicens exspiravit* (*Luc.* XXIII, 46). C mque creaverit spiritum, annuntiat hominibus elo ium suum, sive annuntiat homini eloquium ejus, ui cogitationum secreta cognoscit, et quid latens animus tacito sermone trâctet, intelligit, juxta illud quod in Jeremia secundum Hebraicum legimus:

[a] Hodierna Hebraica exemplaria הכין cum *vau* pro *iod*.

[b] Insinuat Cisterciensis ms. lectio isthæc, τίς ὁμιλίας αὐτοῦ, vel ἑαυτοῦ, ut in aliis est libris, rectissime posse Aquilæ interpretationem ita restitui τίς ἡ ὁμιλία αὐτοῦ, vel ἑαυτοῦ, *quæ conversatio tua?* Et vero Romana τῶν LXX editio sic melius quam apud Hieronymum, Aquilæ verba ipsa recitat.

[c] Confer eum, qui Rufinus audit, et S. Patris expositionem suggillat.

[d] Interserunt hic duo mss. *argue*.

*Parvum est cor hominis* [Al. *omnium* et *hominum*] *et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes* (*Jer.* XVII, 9, 10). Quod et in centesimo tricesimo octavo psalmo Scriptura testatur : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Et est sensus : Antequam conderer, priusquam deformarer in membra, dum adhuc in semine continerer, viderunt me oculi tui. Et Jeremias audit a Domino : *Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te* (*Jerem.* I, 5). Et evangelista : *Videns*, ait, *Dominus cogitationes eorum* (*Luc.* XI, 17). Sin autem legerimus, *annuntians homini eloquium suum*, juxta superius dictum accipiendum, in quo ait : *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum servis suis prophetis* (*Supra*, III, 7). Qui autem annuntiat cogitationes hominis, et eloquium ejus, sive suum, ipse est qui facit auroram et **280** diluculum, et complet nubibus omnia, et graditur super excelsa terrarum; cujus nomen est Dominus Deus omnipotens. Pro quo in [a] Septuaginta legitur : *Annuntians in homines Christum suum :* sub qua occasione hæretici, Spiritum sanctum creatum volunt ordine sequente : creans spiritum, et annuntians in homines Christum suum : ut ille creatus sit, hic annuntietur in populis. Quibus respondebimus juxta sensum eorum, et Vulgatam editionem : Qui creator est omnium, et firmat tonitruum, sive fingit montes, consequenter educit ventos de thesauris suis, et quasi universitatis conditor, Filium suum Christum hominibus repromittit. Postquam autem Christus fuerit nuntiatus, tunc nobis veritatis lumen aperitur, non ad perfectum; quia nunc ex parte videmus, et ex parte cognoscimus, et per speculum et imaginem ea quæ ventura sunt, contemplamur (I *Cor.* XIII). Unde sequitur : *faciens mane et nebulam, et ascendens super excelsa terræ.* Excelsus enim in excelsis est Dominus, et non habitat in humilibus, qui excelsus est; sed creator montium ascendit in montes, in his qui municipatum habent in cœlestibus, et in carne ambulantes non vivunt secundum carnem, sed secundum spiritum. Quod si juxta Symmachum et Aquilam legerimus : *hæc faciam tibi, Israel, postea, et cum hæc fecero tibi,* [b] *præpara te adversari Deo tuo,* sic intelligendum est : Feci ut te corrigerem, quæ præteritus sermo descripsit, et quia noluisti reverti ad me, faciam tibi, quæ meo continentur arcano. Occidisti servos, quos ad te miseram : mittam novissime Filium meum : tu autem juxta consuetudinem tuam, qua semper voluntati Domini restitisti, præpara te ut contradicas et adverseris Deo tuo : juxta illud quod scriptum est : *Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II, 34). Et hoc dicit, non quo præcipiat quid facere debeat; sed ante prædicit quid sponte facturus sit, quasi increpans et arguens, ut saltem correptus non faciat quod prædictum est.

[a] Pro *in Septuaginta*, præferunt mss. *in Ecclesia.*

(Cap. V. — Vers 1, 2). *Audite verbum istud, quod* [Al. *quo*] *ego levo super vos planctum. Domus Israel* **281** *cecidit : non adjiciet ut resurgat. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* LXX : *Audite verbum istud, quod ego assumam super vos planctum. Domus Israel cecidit, non adjiciet amplius ut resurgat. Virgo Israël projecta est super terram suam, non est qui suscitet eam.* Quantum ad ordinem litteræ pertinet et cœptam historiæ veritatem, decem tribus, quæ appellantur Israel, ductæ in captivitatem, nequaquam in terram suam postea sunt reversæ. Virgo autem appellatur populus Israel : non quia in virginitatis permanserit puritate, sed quia quondam instar virginis sit Domino copulatus. Unde et planctum super eum propheta jubetur assumere, quod nequaquam in antiquum restituatur gradum. Quantum vero ad intelligentiam spiritualem : planctum super omnem Israel, qui Deum mente cernebat, et postea ei servire desivit, assumit propheta, secundum illud quod Ezechieli præcipitur (*Ezech.* II), ut devoret librum, in quo et intus et foris scriptum erat lamentatio, et carmen, et væ. Intus intellige Salomonis canticum sequens, qui ait : *Introduxit me rex in cubiculum suum* (*Cant.* I, 3). Et quadragesimum quartum psalmum, in quo scriptum est : *Omnis gloria filiæ regis intrinsecus.* Foris autem est quidquid in littera legitur, et videtur in cortice, et in medulla spiritus non tenetur. Itaque et juxta litteram, et juxta tropologiam, in omnibus prophetarum libris scriptus est planctus super eos qui post peccata agunt pœnitentiam : Carmen super illos qui nulla peccatorum sorde maculati, cantico et laude sunt digni : Væ super eos qui non agunt pœnitentiam; sed juxta duritiam cordis sui thesaurizant sibi iram in die iræ. Si autem, ut diximus, planctus est super eos qui agunt pœnitentiam; et pœnitentia reddit vulneris sanitatem : quomodo juxta Septuaginta dicitur, *Domus Israel cecidit, amplius non resurget. Virgo Israel erravit in terra sua, non est qui suscitet eam?* Quod sic solvi potest : Postquam domus Israel sua voluntate corruerit, nequaquam pristinam recipiet dignitatem : postquam virgo Israel erraverit in terra sua, ultra invenire non poterit suscitantem. Et considera verborum proprietates. Qui **282** domus est, et numeratur in turba, cadere dicitur. Qui autem de numero virginum, si erraverit, ob leve quoque [*F.* quodque] peccatum non poterit suscitari : non quo non suscitetur, sed nequaquam suscitetur virgo Israel, et nequaquam resurgat Dominus Israel. Non est enim eadem gloria ejus qui semper secutus est Dominum, et ejus qui aberraverit a grege, et postea boni pastoris reportatus est humeris (*Luc.* XV). Unde et per alium prophetam Dominus ait : *Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem* (*Ezech.* XVIII, 32). Pœnitentia non sanctitati purissimæ et Ecclesiæ Christi (quæ non habet rugam neque maculam), sed

[b] Cistercienses., *præparare :* tum Palatini *adversanti* pro *adversari.*

morti et inferis comparata fit melior. Hæc dicimus, non quo juxta Novatum tollamus spem pœnitentiæ, sed quo timidiores faciamus eos, et idcirco sollicitos, qui aperta janua pœnitentiæ, dum sperant futura, perdunt præsentia, et qui absque vulnere poterant permanere, incauti vulnus accipiunt, ut postea dolore crucientur. Multæ mansiones sunt apud Patrem meum (*Joan.* XIV), et stella a stella differt in claritate : ita et resurrectio mortuorum (I *Cor.* XV) : sanctis splendentibus sicut sol et luna, vesper et lucifer. Qui autem post peccatum egerint pœnitentiam, pro [a] diversitate meritorum stellis aliis æquabuntur.

(Vers. 5.) *Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.* [b] LXX similiter. Causas quibus domus Israel corruens non resurgat, et virgo Israel errans, vel projecta in terram, non habeat suscitantem, reddit sermo divinus : *Urbs*, inquiens, *de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum : et de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel :* ut ubi quondam fuerat multitudo, propter nimiam vastitatem, vix decima remaneat pars. Et ne omnino hærentes litteræ, sacramenta numerorum relinquamus intacta : septenarium numerum esse sanctum, etiam sabbatum probat, in quo requievit Deus ab omnibus operibus suis (*Genes.* II). Et jubet ne quid in eo operis servilis fiat, nisi ea tantum quæ ad animam pertinent : et ne in eo onera portemus (*Num.* XV). Unde **283** et in solitudine qui die sabbati ligna collegerat, quæ arsura sunt, sententia Domini condemnatur. Et septem hebdomades complent numerum sanctæ Pentecostes : et Jubilæus annus remissionis tubarumque clangentium hoc numero texitur. In septimo quoque mense figuntur tabernacula, et Hebræus, cum sex annis servierit, anno septimo [c] liberabitur. Novit et hoc sæcularis philosophia, et medicorum libri, quorum Galenus disertissimus atque doctissimus scripsit ternos libros [d] *κρίσεων καὶ τῶν κριτικῶν ἡμερῶν*, in quibus septenarii numeri ostendens potentiam, ardentissimas febres septimo dicit solvi die : aut si tanta humoris noxii et pituitæ fuerit magnitudo, ut primæ hebdomadis nequaquam fervore consumpta sit, secundæ hebdomadis ultimus exspectatur dies, id est, quartus decimus. Quod si hunc, ut juxta Hippocratem loquar, *νόσος* vicerit, transeunt ad vicesimam primam diem, hoc est, ad finem tertiæ hebdomadis : ita ab initio mundi diebus conditis, ut omnes labores et molestiæ septimo numero conquiescant. Denique et captivitas populi Israel, templique subversio, septuagesimo anno desolationis impleta est, et septem astra juxta numerum dierum dicuntur [e] errantia. De cujus numeri sacramentis in Scipionis somnio plenius narrat Tullius : et obscurissimus Platonis Timæus [f] liber est, qui ne Ciceronis quidem aureo ore [g] fit planior. Sicut igitur Septenarius numerus habet sacramentum suum, sic sanctificatus atque perfectus, et ut ita dicam, verus est numerus, qui unione retinetur, et unius Dei majestate concluditur [*Al.* recluditur]. Unde dicit Filius : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joann.* XIV, 11) : volensque omnes unum esse cum Patre, loquitur ad eum : *Pater, da, ut sicut ego et tu unum sumus, sic et isti in nobis unum sint* (*Ibid.* XVII, 21). Prima ergo beatitudo est esse in primo numero, qui unus et verus est ; secunda, in secundo, id est, in decade ; tertia in tertio, id est, in hecatontade. Sicut enim decas decima unione completur, sic hecatontas ex decem decadibus struitur. Quartus numerus, **284** qui millenario continetur, de decem constat hecatontadibus. Cum igitur quis egerit pœnitentiam, de millenario et quarto numero vix revertitur ad centenarium et tertium numerum. Rursum qui in centenario est, vix redit ad secundum primæ decadis numerum, atque ita fit ut domus Israel quæ corruerat, non possit resurgere, et virgo Israel quæ erraverat, in terra non habeat suscitantem : quia qui semel ab unione discesserit, et illam purissimæ virginitatis perdiderit gloriam (de qua Apostolus dicit : *Zelo enim vos zelo Dei, et statui vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI), in qua non est macula neque ruga), pristinum statum et unionis beatitudinem recipere non valebit : et vix ei concedetur, ut de mille revertatur ad centum, et de centum ad decem redeat. Hæc breviter sum locutus, ne omnino in hoc capitulo propter numerorum difficultatem fugisse viderer tropologiam.

(Vers. 4, 5.) *Quia hæc dicit Dominus domui Israel : quærite me, et vivetis, et nolite quærere Bethel, et in Galgala nolite intrare, et in Bersabee ne transieritis : quoniam* [Vulg. *non transibitis, quia*] *Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis.* LXX : *Quia hæc dicit Dominus ad domum Israel : quærite me, et vivetis, et nolite quærere Bethel, et in Galgala ne ingrediamini, et super puteum juramenti non transeatis, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit quasi non sit.* Moris [*Al.* mos] est Scripturarum semper adversis læta subjungere, et postquam tristia Deus

[a] Duo Palatini mss. quemadmodum et in uno S. Martini a campis. Martianæus invenit, *pro diversitate hæreticorum.*

[b] Verba, *LXX similiter*, quæ in vulgatis deerant, nostri sufficiunt.

[c] Victorius ad Florentinos codd. maluit *liberatur.*

[d] Videtur præponenda præpositio *περὶ*, ut et Victorii editio, et ipse præfert ejus libri titulus. Cæterum pro *κριτικῶν* in aliis libris est *κρισίμων.*

[e] Petrus Petitus in libris Miscellanearum observationum lib. III, cap. 3, legendum hic contendit *hebdomada* pro *errantia.*

[f] Idem sic legi vult, et *obscurissimus Platonis Timæus, qui liber ne Ciceronis quidem*, etc.

[g] Sic Præfat. in libr. XII in Isaiam, *Denique*, inquit, *Timæum de Mundi harmonia, astrorumque cursu et numeris disputantem, ipse qui interpretatus est Tullius, se non intelligere confitetur.* Quin ipse etiam Cicero, VII ad Attic. 13 : *Ænigma Oppiorum ex Vetia non plane intellexi; est enim numero Platonis obscurior.*

fuerit comminatus, ad pœnitentiam eos quos terruit, provocat, juxta illud quod in Isaia legimus: *Væ, gens peccatrix, populus plenus delictis, semen pessimum, filii iniqui* (*Isai.* I, 4). Cumque dixisset, *terra vestra deserta, civitates vestræ igne consumptæ, regiones vestras coram vobis* [Al. *in conspectu vestro*] *alieni comedent*, loquitur ad eos meliora promittens: *Lavamini, mundi estote: auferte malitias vestras ab animis vestris. Discite benefacere* [Al. *bonum facere*]: *quærite judicium, judicate pupillo, justificate viduam: et venite, disputemus, dicit Dominus* (*Ibid.* XVI, 17). Quomodo ergo in Isaia, quos severa voce terruerat, blanda oratione sustentat: ita et **285** in hoc propheta, quibus dixerat: *Domus Israel cecidit, non adjiciet ut resurgat: virgo Israel erravit in terra, non est qui suscitet eam.* Non loquitur ad eos, et dicit: [a] *Domus Israel*, id est, decem tribus, *quærite me et vivetis*: quoniam in eo quod me non quæritis, estis mortui. Cumque quæsieritis, invenietis: et cum inveneritis, vivetis. Et nolite quærere Bethel, in qua erat vitulus aureus, et Galgalam locum idololatriæ, de quo et supra dixi: *Omnis malitia eorum in Galgalis* (*Osee* IX, 15). Et in Bersabee non transibitis. Pulchre in Bersabee, inquit, hoc est ad puteum juramenti, non transibitis: ubi si quando errabat tribus Juda, idola adorare consueverat. Intantum autem simulacrorum cultu furebat Israel, ut nequaquam contentus idolis suis, ad aliena transiret. Denique *Galgala*, inquit, *captiva ducetur, et Bethel erit inutilis*, sive penitus non subsistens, cum idola in ea subversa fuerint. De Bersabee omnino tacuit; quia victis decem tribubus, urbs nomine Bersabee, quæ erat in tribu Juda illo tempore, nec capta nec destructa est. Simulque animadvertendum, quod Septuaginta interpretes in præsenti loco nomen *Bersabee* interpretati sint, dicentes, *puteum juramenti*, et in posterioribus ipsum nomen posuerunt: *Vivit Deus tuus Dan: et vivit via Bersabee.* Viam autem Bersabee posuerunt, quod de Israel longo itinere pergebant ad ultimos terminos Judæ, qui erant in Geraris, et Ægyptiæ solitudini jungebantur, ut idola colerent. Est autem locus in quo habitavit Abraham: et ex eo quod cum Abimelech, datis septem ovibus, in fœdus mutuum juraverunt, appellatus est *puteus juramenti*, sive *puteus septimi*, propter numerum septem ovium (*Genes.* XXV): SABE (שבע) enim utrumque significat. Præcipit autem secundum leges allegoriæ domui Israel, id est, his qui sibi notitiam Dei pollicentur, ut non quærant Bethel, et non introeant in Galgalam, et non transeant, vel ascendant ad puteum juramenti; sed magis quærant Deum, et vivant in eo. Quærunt autem *Bethel*, quod interpretatur *domus Dei*, qui dicunt: Templum Domini, templum Domini: et confidunt in ædificiis, de quibus Dominus ad discipulos loquebatur: *Venient* **286** *dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur* (*Luc.* XXI, 6). Et ingrediuntur in Galgalis, qui post adventum Christi rursum cupiunt circumcidi. In Galgalis enim secundo populus circumcisus est. Unde et ipse locus nomen accepit: eo quod abstulerit Dominus opprobrium Ægypti ab eis (*Jos.* V). *Et in Bersabee*, inquit, sive *ad puteum juramenti non transibitis*: ne illos putetis terminos Judææ, quos olim secundum litteram Scriptura promiserat a Dan usque Bersabee: nec dicatis ultra cum propheta: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV, 1); sed audite cum apostolis: *In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4): quia Galgala, id est, carnis circumcisio, captiva ducetur a vera circumcisione cordis: et Bethel, quam putatis domum Dei, non subsistet, sive, ut melius arbitror, erit inutilis, id est, AVEN (אוֶן): ut nequaquam appelletur *domus Dei*, sed vocetur *domus inutilis*, sive *idoli.* Aliter: Quærit Bethel, qui tantum litteram sequitur occidentem, nec sensum, qui Deus est, quærit in verbis: et intrat in Galgala, qui ad majores enititur revelationes, supernorum sibi scientiam repromittens, transitque, sive ascendit ad puteum, de quo Samaritana haurire cupiens aquas, quæ sitim satiare non possent, ignorabat eum, de cujus ventre procedunt flumina salientis aquæ in vitam æternam (*Joann.* IV).

(Vers 6.) *Quærite Dominum, et vivite: ne forte comburatur ut ignis domus Joseph: et devorabit, et non sit* [Vulg. *erit*] *qui exstinguat Bethel.* LXX: *Quærite Dominum, et vivite: ne forte succendatur ut ignis domus Joseph: et devoret eam, et non sit qui exstinguat domum Israel.* Quomodo ex persona Dei dicitur: *Quærite me, et vivetis*, ita propheta de Domino loquitur, ut quærant eum, et vivant. In eo enim quod quærunt Dominum, vivere incipiunt: sin autem non quæsierint eum, et idcirco non vixerint, statim succendetur ut ignis domus Joseph, quam propter Jeroboam, qui de tribu Ephraim et de domo Joseph fuit, decem tribus sentire debemus, quæ appellabantur Israel, et ex majore populi parte nomen pristinum possidebant. Duæ autem tribus quæ regebantur a stirpe David, qui de tribu Juda **287** fuit, vocatæ sunt Judas, et possidebant Jerusalem, in qua erat templum Dei. Cumque succensa fuerit domus Joseph, devorabit atque consumet Bethel, de qua superius dixi: *Nolite quærere Bethel*, et non erit qui exstinguat, cum a regibus suis fuerit incensa. *Pro Bethel* in LXX legitur *domus Israel*, sensum magis quam verbum interpretantibus, ut, succedente rege Jeroboam, et cunctis deinceps regibus qui ei imperio successerunt, ardeant decem tribus, quæ appellantur Israel. Iste est ignis qui succenditur, sive resplendet et inflammat domum Joseph, ut consumatur Bethel, de quo alibi dicitur: *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis* (*Isai.* L, 11). Et quia crebro domum Joseph (propter Jeroboam, qui a stirpe David populum Dei separavit,

[a] Tres mss. *Domui Israel, id est, decem tribubus.*

et vaccas fecit aureas in Dan et in Bethel, et dixit, *non est pars nobis in David, neque hæreditas in filio Jesse* [I *Reg.* XXII, 36]) ad personam hæreticorum retulimus, qui sermone composito, decora atque formosa, et ut ita dicam, aurea simulacra finxerunt, et adorant opera manuum suarum, et agriculturæ sub vaccarum specie sibi imaginem repromittunt, dicitur ad eos : *Quærite Dominum, et vivite*, eum qui dicit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 16): ut postquam ambulaverint in eo et invenerint veritatem, tunc incipiant vivere qui prius mortui erant. Et nisi hoc fecerint, diaboli comburentur ardoribus: nullusque poterit inveniri de principibus eorum qui et ipsi hæretico igni succensi sunt, qui possit vorantem cuncta flammam restinguere, et præcipue Bethel, quæ falsum sibi domus Dei nomen assumit.

(Vers. 8 seq.) *Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis, facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem nocte* [Vulg. *noctem*] *mutantem. Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen ejus. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert.* LXX : *Qui facit in excelso judicium et justitiam in terra posuit : qui facit omnia, et transformat et convertit in mane umbram mortis, et diem nocte contenebrat* [Al. *contenebrans*]. *Qui vocat aquam maris,* **288** *et effundit eam super faciem terræ : Dominus*[a] *Deus omnipotens nomen ejus. Qui dividit contritionem super fortitudinem, et miseriam super munitionem adducit.* Multum in hoc loco ab Hebraica veritate editio Vulgata discordat, sicut absque commonitione nostra ex his quæ proposuimus, prudens statim lector intelligit. Itaque exponamus primum juxta Hebræos, et postea quid nobis videatur in translatione LXX, Christo si meruimus pandente, dicamus domus Joseph, id est, domus Ephraim, ac per hoc regia, et Bethel, sive sicut LXX transtulerunt, *domus Israel*, id est, et reges et populi, et cultores et idola pariter subvertentur, qui iniquo judicio Deum ad iracundiam provocaverunt. Et converterunt dulcedinem judicii in absinthii amaritudinem, quod genus est herbæ amarissimæ, assumentes iniquitatem, et justitiam relinquentes. Quæ sit autem ista justitia, sequens versus ostendit : *Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem nocte mutantem.* De quo supra dixerat : *Formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ : Dominus Deus exercituum nomen ejus,* ipse est Creator Arcturi qui Hebraice CHIMA (כימה) dicitur, et a Symmacho et Theodotione, εἰς πλειάδα vertitur, quem vulgo *Bootem* vocant : quodque sequitur, *Oriona*, qui Hebraice dicitur CHASIL (כסיל), Symmachus absolute *stellas*, Theodotio interpretatus est *vesperum* : Hebræus autem, qui nos in Scripturis sanctis erudivit, CHASIL interpretari putat *splendorem*, et significare generaliter *astra fulgentia*. Quando autem audimus *Arcturum et Oriona*, non debemus sequi fabulas poetarum, et ridicula ac portentosa mendacia, quibus etiam cœlum infamare conantur, et mercedem stupri inter sidera collocare, dicentes (*Æneid. lib.* I *et* III) :

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones :
Armatumque auro circumspicit Oriona :

Sed[b] scire Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum **289** gentilium in linguam nostram esse translata, qui non possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ usu didicimus et errore combibimus. Unde et in Regum volumine RAPHAIM (רפאים) Hebræum, Græci *titanas* transtulerunt : quæ apud ethnicos celeberrima fabula est, ex qua[c] in laudes deorum scribunt γιγαντομαχίας, et tela Typhoea, et impositum Encelado Ætnam montem, de cujus motu [*Al.* ad motum] Trinacria contremiscat. Iste autem Deus creator omnium, qui facit Arcturum et Orionem, noctem in diem et diem in noctem commutat, et aquas maris amarissimas æthereo calore suspensas excolat, et eliquat in dulcem pluviarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ calore superioris gyri, humorem et sanguinem sursum trahit : ex quo discimus unde sint pluviæ. Quodque sequitur : *Qui subridet vastitatem super robustum*, ad præsens tempus revertitur, et est ordo : Qui Creator est omnium, comminatur etiam captivitatem super Samariam, et depopulationem super potentem adfert : quoniam convertit in absinthium judicium, et justitiam relinquit in terra. Ubi nos diximus, *qui subridet*, Aquila interpretatus est, ὁ μειδιῶν. Proprie autem μειδίαμα dicitur, quod nos *subrisionem* possumus appellare, quando quis irascitur, et apertis paululum labiis subridere se simulat, ut iræ ostendat magnitudinem. Dicamus et juxta LXX. Deus in excelso facit judicium, quando judicat veritatem, et reddit unicuique secundum opus suum : et omnis qui imitator et filius ejus esse desiderat, et esse perfectus, sicut Pater ejus perfectus est, qui moratur in cœlo (*Matt.* V), facit in excelso judicium, et non imitatur eum

[a] Voces *Dominus omnipotens*, in Cisterciensi ms. non sunt, et in Græcis quoque nonnullis exemplaribus, Romano præsertim, desiderantur. Mox verba *super fortitudinem*, quæ in hactenus vulgatis libris omnibus deerant, ex eodem Cisterciensi ms. utpote genuina ac necessaria suffecimus : sunt enim et in Græco textu, nullo quod sciam, codice dissentiente : Ὁ διαιρῶν συντριμμὸν ἐπὶ ἰσχύν, καὶ ταλαιπωρίαν ἐπὶ ὀχύρωμα ἐπάγων.

[b] Post Victorium suffecimus hic verbum *scire*, quod illi Brixiani codices subministrarunt, et cujus defectu mancus erat atque imperfectus sensus.

[c] Claudianus de Gigantomachia opus reliquit, quod imperfectum ad nos pervenit. Vide Macrobium lib. I Saturnal. cap. 20. MART. — Hoc inscripsit titulo suum poema Claudianus, cujus pars bona desideratur. Eum Hieronymus in commentariis in cap. Isaiæ XXVII laudat : *Pulchre quidam poeta in Gigantomachia de Encelado lusit :*

Quo fugis, Encelade ? quascumque accesseris oras,
Sub Jove semper eris.

judicem, qui Deum non timebat, et hominem non verebatur; et perversitate judicii, sententiam suam non levabat ad cœlum, sed ad humilia detrahebat (*Luc.* XVIII). Quodque sequitur : *et justitiam in terra posuit*, juxta illud debemus accipere, quod dederit nobis Christum justitiam suam, et non projecerit eam : sed deposuerit in terram, ut, omni iniquitate superata, nos de terrenis cœlestes faceret. Ego puto ex hoc loco etiam gentilem poetam furatum **290** fuisse, qui de rusticorum simplicitate et beatitudine edisserens, intulit :

Extrema per illos
Justitia, excedens terris, vestigia fecit.

Quod autem dicunt, *faciens omnia atque transformans*, uno verbo Arcturum et Orionа comprehendunt, negligentes proprietatem nominum in Græcum transferre sermonem. Transformat autem Deus omnia, quando facit de terrenis cœlestia, et homines Angelorum donat similitudine : quando luna solis fulgore rutilabit, et sol habebit lumen septuplum, quando animalis, et infirmus et corruptibilis homo transformatur in spiritualem et robustum et in incorruptum, mutans gloriam, non naturam : quando intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, et implebitur quod scriptum est : *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41). Quando omnis creatura liberabitur de servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Iste Deus qui cuncta transformat, etiam umbram mortis mutat in lucem (*Luc.* I) : quando hi qui sedebant in tenebris et umbra mortis, viderunt lucem magnam, et qui erant filii noctis et tenebrarum, facti sunt filii lucis, et filii diei. Iste est Deus qui etiam diem vertit in tenebras : eorum diem qui dixerunt : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 6), aufer de terra talem : quando ab hora sexta in typum Judaicæ cæcitatis dies in noctem versus est. Et non solum secundum litteram, sed etiam secundum altiorem intelligentiam, lux quæ eis oriebatur in Lege et prophetis, versa est in tenebras, ignorantibus, quid legant, quid audiant, ut impleatur de illis quod scriptum est : *Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Iste Deus vocat ad se aquam maris, et effundit eam super faciem terræ, de peccatoribus justos faciens. Ad quod exponendum, unum tantum studio brevitatis ponamus exemplum. Paulus apostolus quasi turbo violentus et sæva tempestas, et tumentis [*Al.* tumentes] maris gurges persequebatur, et opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus a Domino, effusus est super **291** faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Jerosolymis usque ad Illyricum, et ædificaret non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum (*Rom.* XV) ; sed usque ad Hispanias tenderet, et a mari Rubro, immo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum et solem justitiæ, de quo legimus : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Ps.* XVIII, 7), ut ante eum terra deficeret, quam studium prædicandi. Iste Deus et contritionem dividit super fortitudinem, ut eos qui male fortes sunt, imbecilles faciat, et imitari possint Apostolum dicentem : *Quando infirmus sum, tunc fortior sum* (II *Cor.* XII). Nam et filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua (*Luc.* XXVI). Fortitudo corporis, imbecillitas animæ est : et rursum animæ fortitudo, imbecillitas corporis est. Igitur Dominus qui omnia ratione dispensat, et vero facit cuncta judicio, dividit contritionem super robustum inimicum, ut inducat miseriam super munitionem, quæ se erigit contra scientiam Dei. De qua et in Proverbiis legimus : *Civitates robustas ingressus est sapiens, et destruxit munitionem, in qua confidebant impii* (*Prov.* XXI, 22). Hoc et ad omnem quidem fortitudinem sæcularem ; sed proprie contra hæreticos facit, qui argumentis et sophismatibus, et arte dialectica, dogmatum falsitatem roborare conantur. Sed destruit eam sapiens vir, et Dei adjutus auxilio, omnem munitionem ostendit esse vanissimam, ut inducat super eam miseriam, et, inclinata superbia, possit cum Apostolo dicere : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24) ?

(Vers. 10.) *Odio habuerunt in porta corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt.* LXX : *Odio habuerunt in portis arguentem, et verbum sanctum abominati sunt.* Hi super quos Deus subridet vastitatem, et affert in eos populationem, qui in malo robusti sunt, et ad opprimendum potentes, odio habuerunt in porta, id est, in judicio corripientem : vel me, vel alios prophetas, qui ad eos missi sunt, et loquentem *perfecte*, sive *verbum immaculatum*, ut interpretatus est **292** Symmachus, aut *sermonem sanctum*, ut Theodotio et LXX transtulerunt. In porta autem, juxta veterem Judaici morem, populi fuisse judicia, et sæpe legimus, et crebro interpretati sumus, ut nec agricola ad causam veniens, frequentia civitatis et novo terreretur aspectu, nec urbis habitator longe ab urbe properaret, et subvectionem quæreret jumentorum. Hoc juxta litteram dixerimus. Cæterum grande peccatum est odisse corripientem, maxime si te non odio, sed amore corripiat, si solus ad solum, si assumpto fratre altero, si postea præsente Ecclesia, ut non studio detrahendi, sed emendationis tuæ videatur crimen ingerere (*Matth.* XVIII). Duplices portas, mortis et vitæ, vitiorum atque virtutum, sæpe in Scripturis legimus, ut illud in Psalmis : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Isai.* IX, 16) ; haud dubium quin Ecclesiam significet excelsus [a] mons Sion, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multitudinem angelorum : et Ecclesiam

[a] Ita ad Brixianos codices Victorius restituit, cum tamen et nostri mss. et libri alii in accusandi casu præferant *excelsum montem*.

primitivorum, qui scripti sunt in cœlis. Qui in portis Sion fuerit exaltatus, portas mortis timere non poterit, de quibus Petro Dominus loquebatur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ* [a] *inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matt.* XVI, 18). Portas virtutis manifeste in alio psalmo discimus: *Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini: justi intrabunt in eam* (*Ps.* XVII, 19). Denique et Sapientia in portis civitatis [b] confidens dixit: *Quanto tempore innocentes obtinuerint justitiam, non confundentur* (*Sapien.* VI, 11). Ego portas civitatis, hoc est, animæ credentis in Christum, puto esse virtutes, per quas ad credentes Christus ingreditur. Et quia non est scriptum in quibus portis oderint corripientem, utrum in malis, an in bonis, nos ad utrumque referamus. In vitiorum portis stantes peccatores arguit propheta, et idcirco detestationi habetur ab eis. Aut certe ipse propheta stat in portis initiisque virtutum, et odio habetur ab his, quos corripit, nec sufficit peccatoribus odisse in portis arguentem, sive corripientem, **293** nisi verbum sanctum abominentur quod de ejus ore profertur. Qui enim non recipit prophetam, non recipit eum qui misit illum (*Matt.* X). Sin autem verbum sanctum, vel qui perfecte loquebatur, abominati sunt (porro verbum sanctum Dominus est Jesus, de quo dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* [*Ps.* XV, 10]), omnes Judæi dicentes anathema Jesu, verbum Dei abominantur, quod et perfectum et sanctum et immaculatum est. Abominatio enim peccatori est pietas. Quidquid autem de Judæis diximus, tam ad ethnicos quam ad hæreticos referri potest, quorum alii omnes Scripturas sanctas abominantur, in quibus verbum Dei est: alii dum perverse intelligunt quod legunt, abominationem ponunt in Domo Dei.

(Vers. 11 seqq.) *Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis. Vineas amantissimas plantabitis, et non bibetis vinum earum; quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra, hostes justi, accipientes* [c] *munera, et pauperes in porta deprimentes: ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* LXX: *Propterea quia* [d] *pugno percutiebatis pauperes, et munera electa accipiebatis ab eis, domos dolatis lapidibus ædificastis, et non habitabitis in eis. Vineas desiderabiles plantastis, et non bibetis vinum earum; quia ego cognovi multas impietates vestras, et fortia peccata vestra: concalcantes justum, accipientes commutationes, et pauperes in portis declinantes: ideo qui intelligit, in tempore illo silebit, quia tempus malum est.* Ne forsitan putaret Israel quod propter solam idololatriam hostibus traderetur ad pœnam, jungit et cætera, quæ, amissa veritatis religione, commiserit. Diripiebatis, inquit, pauperem ut ab eo tolleretis, qui [*Al.* quæ] victui necessaria vix habebat, et quidquid pretiosum videbatis et pulchrum, vestris usibus tradebatis. Unde et ex pretio eorum, quæ rapiebatis et tollebatis a paupere, domos quadro lapide ædificastis, ut spoliantes homines, **294** parietes marmoribus vestiretis, quas quia ædificastis de rapinis, et non solum mansioni et tecto, quod exigit humana fragilitas, sed pulchritudini et deliciis præparastis, repentina captivitate, vel morte subtracti, non habitabitis in eis. Vineas quoque amantissimas futuris potibus providentes plantastis, et non bibetis ex eis vinum, quia ego universa scelera vestra et peccata cognovi, et peccata fortia, quæ meam iracundiam provocarunt. Qui estis hostes justitiæ, sive omnis justi, et accipitis munera, et pauperes in judicio deprimitis. Ideo qui pauper et prudens est, cum [e] redemptum judicem viderit, tacebit in tempore illo, quia tempus malum est. Vel certe ita intelligendum: quid prodest nunc vicina captivitate vestra enumerare peccata, cum jam nullum remedium sit, et muros urbium vestrarum hostilis cingat exercitus? Possumus hoc ipsum et de hæreticis dicere, qui diripiunt pauperem, sive stricta manu percutiunt caput ejus, hoc enim Græce significat κατακονδύλιζον, juxta illud quod supra legimus, *percutientes in capite pauperem*. Non enim percutiunt hæretici nisi pauperem, qui sustinere non potest comminationem: nec in aliis membris, sed in principali cordis et in fidei veritate. Pauperes reor qui simplici contenti fide, hæreticorum malitiæ non valent respondere. Sed et quidquid boni operis in Dei munera præparaverunt, nisi adversariis restiterint, perdent [*Al.* perderent] tempore pugnæ atque certaminis: qui adversarii compositione structuraque verborum ædificant sibi domos, ut tuti maneant et securi. Sed non habitabunt in eis, cum ab ecclesiasticis viris destructæ fuerint atque subversæ. Et non solum domos ædificant, verum etiam amantissimas quoque et desiderabiles plantant vineas, ut Christi mysteria mentiantur; sed non bibent ex eis vinum, nisi quod est furor draconum insanabilis. Exspectavit enim Dominus, ut istæ vineæ afferrent fructus, et non attulerunt uvam, sed spinas vel labruscam: nec judicium, sed clamorem, quo contra Deum

[a] Non spernenda Cisterciens. ms. lectio *mortis*, pro *inferi*: nam et de portis mortis superior est sermo, et quod in Græco est ᾅδου vocabulum, pro morte a Græcis poetis aliquando sumi, non ignoramus.

[b] Martian., *considens*, refragantibus mss. et Græco θαῤῥοῦσα.

[c] Victor. minori numero, *munus*, ad Vulgatam edit. ipsumque Hieronymum ubi ait, *Nos munus diximus*.

[d] Hic quoque vocem *pugno* ms. Cisterciens. tacet.

[e] Pro *redemptum*, quod ex mss. Palatino ac Cisterciensi reposuimus, Martianæus retinuit *furentem*. Notatum vero pridem fuerat Victorio, exponi illa verba: *Hostes justi accipientes munera*; Verum, inquit, quia judex munus accipiens redemptus dicitur, pro *furentem*, *redemptum* nos emendavimus, septem Florentiæ codicum ope, quam emendationem germanam esse constat ex ipsomet Hieronymo, qui inferius ita scribit: Pauperes quoque oppresserunt, ut contra judicii veritatem pretio sententiam venderent.

suum insano **295** ore blasphemant. Ideo autem non habitabunt in domibus suis, et non bibent vinum earum quas plantaverant, vinearum, quia cognovit Dominus multas impietates eorum. Hic cognitio, non juxta illud intelligenda est quod alibi legimus : *Cognovit Dominus eos qui ejus sunt* (II *Tim.* II, 19), sed quod nihil Deum lateat, et omnia peccantium secreta cognoscat. *Cognovi*, inquit, *multas impietates :* quæ non solum multæ, sed et fortes sunt, et opprimentes, sive conculcantes [a] ipsam justitiam, vel eum qui justus est. *Et accipitis*, inquit, *commutationem :* [b] pro qua omnes similiter ἐξίλασμα, id est, *propitiationem* transtulerunt : nos *munus* diximus; [c] ἄλλαγμα autem juxta idioma Scripturarum *pretium* dicitur, quod in Evangelio quoque legimus : *At quam dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matt.* XVI, 26)? Pauperes quoque in portis *declinaverunt :* sive ut Symmachus interpretatus est, *oppresserunt*, ut contra judicii veritatem pretio sententiam venderent, incurrentes in illud quod scriptum est : *Munera excæcant oculos etiam sapientium* (*Deut.* XVI, 19). Quæ accipiunt hæretici, ut austeritatem Scripturarum, quæ peccatoribus tormenta denuntiant, vertant in beatitudinem : et cum divitibus prospera quæque promittant, tantum apud pauperes truculenti sunt et severi. Quando igitur vir ecclesiasticus et prudens atque intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, esse cognoverit, et non solum multas, sed et fortes, et quæ opprimere possint justitiam, et intantum doctorum rabiem processisse, ut accipiant pretium in judicio, et omnia pro muneribus faciant, pauperes quoque devitent in portis, et audire contemnant : taceat in illo tempore, ne det sanctum canibus, et mittat margaritas ante porcos (*Matt.* VII), qui conversi conculcent eas, et imitetur Jeremiam dicentem : *Solus sedebam : quia amaritudine repletus sum* (*Jer.* XV, 17). Et illud in Psalmis : *Singularis sum ego donec transeam* (*Ps.* CXL, 10).

**296** (Vers. 14, 15.) *Quærite bonum, et non malum, ut vivatis, et erit Dominus Deus exercituum vobiscum sicut dixistis : Odite malum, et diligite bonum, et constituite in portis judicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Joseph.* LXX : *Quærite bonum, et non malum, ut vivatis, et erit sic Dominus Deus omnipotens vobiscum, sicut dixistis : Odio habuimus mala, et dileximus bona, et reddite in portis judicium, ut misereatur Dominus Deus his qui reliqui sunt de Joseph.* Dicitis Deum esse vobiscum, quia sitis filii Abraham; audite quod sequitur : *Si filii estis Abrahæ, opera patris vestri facite* (*Joan.* VIII, 39). Quæ sunt opera patris vestri Abrahæ? *Diligite bonum, et non malum.* Grande peccatum est, non solum facere malum, sed et diligere. Multi peccant, et expleto voluptatis ardore, mordentur conscientia sua, et pœnitet eos peccati sui. Qui autem non solum non dolet se fecisse quod malum est, sed in suo scelere gloriatur, iste implet illud quod scriptum est : *Peccator cum venerit in profundum impietatis, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Quærite ergo bonum, et non malum. Si enim quæsieritis bonum, in eo quod quæritis bonum, statim repellitis malum. Numquam autem quæreretis bonum, nisi prius repelleretis malum, implentes verba Psalmistæ dicentis : *Declina a malo, et fac bonum* (*Ps.* XXXVI, 27). Cumque quæsieritis bonum, et vitaveritis malum, tunc vivetis in eo qui dicit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Bonum quærit, qui credit in eum qui in Evangelio loquitur : *Ego sum pastor bonus* (*Ibid.*, X, 11). Repellit malum, qui fugit eum de quo scriptum est : *Mundus in maligno positus est* (I *Joan.* V, 16). Et in oratione Dominica dicit : *Libera nos a malo* (*Matt.* VI, 13). Cumque quæsieritis, inquit, bonum, et non malum, et vixeritis, tunc erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixeratis ideo eum esse vobiscum quia nati essetis de Abraham. Nec sufficit bonum quærere, malumque non quærere, nisi ἐπιείκησιν [d] habeatis in **297** utroque, ut primum ode-

[a] Tres mss., *conculcantes justum, vel ipsam justitiam.*

[b] Hanc Hieronymi sententiam imperitissime depravarunt Erasmus et Marianus legentes, contra fidem mss. codicum, *pro qua commutatione omnes similiter* ἀλλάγματα, *id est, propitiationem transtulerunt*, etc., et impingentes S. Doctori imperitiam linguæ Græcæ, quasi nescivisset ἀλλάγματα significare *pretia* et *commutationes*, non *propitiationem* quæ ἐξίλασμα dicitur, ut optime noverat, juxta omnium exemplarium manuscriptorum lectionem, quam ego restitui. MART.

[c] Sic vertunt LXX, verum ipsum tacet Græcum verbum alter Palatin. ms. legitque *munus diximus, quod juxta idioma*, etc.

[d] Addunt duo Palatini mss. *id est pietatem*, quæ duo verba in suis quoque exemplaribus cunctis Victorius reperit : factumque adeo, ut præcedens vox Græca ἐπιείκησις, quæ *pietatem, probitatemque* significat, tametsi parum in usu est, hic obtinuerit præ alia, ἐπίτασιν, quam nos in Cisterciensi, ille in Brixiano uno legit ms. Præterea, inquit, videtur Hieronymus seipsum explicare in primam sententiam, et illam lectionem de pietate magis tueri, dum statim infert : *Odit malum, qui non solum voluptate non vincitur, sed odit opera voluptatis. Et diligit bonum qui non invitus, aut necessitate, aut metu legum facit quod bonum est; sed idcirco quia bonum est.* Nobis nihilosecius ἐπίτασις magis placet, quæ vox *accessionem*, sive *additamentum* significat, eaque utitur persæpe Hieronymus, ut incrementum in agendo atque intentionem notet. Sic in comment. in Ezechiel. cap. XVIII, de decima quinta sententia : *Judicium verum fecerit inter virum et virum, sive proximum suum. Quod*, inquit, *videtur idem sonare quod primum, ubi scriptum est : Si fuerit justus, et fecerit judicium; sed addita veritate judicii, quod facit inter virum et virum, sive proximum suum,* ἐπίτασιν *cernitur habere virtutum.* Id genus alia passim occurrunt loca. Porro sensus longe concinnior, ac verior. Non sufficit bonum quærere, malumque non quærere, nisi ἐπίτασιν habeamus in utroque, id est ordinem atque incrementum ad utriusque respectum, ut primum oderimus malum (odisse enim plus est quam non quærere), deinde diligamus bonum. Hæc profecto est quam ἐπίτασιν vocat, nullusque dubito hunc præ illo sensum lectoribus probatum iri. Unum interim in textu mutamus ad mss. auctoritatem, *oderitis* pro *odiatis*.

ritis malum, deinde diligatis bonum. Odit malum, qui non solum voluptate non vincitur, sed odit opera voluptatis : et diligit bonum, qui non invitus, aut necessitate, aut metu legum facit quod bonum est; sed idcirco quia bonum est, ut mercedem boni operis habeat conscientiam suam [*Al.* conscientia sua], et dilectionem quam erga bonum possidet. Unde et apostolus : *Hilarem*, inquit, *datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX). Non enim omnis eleemosyna placet Deo, nisi quæ cum hilaritate profertur. Cumque oderitis malum, et dilexeritis bonum, constituite in portis judicium, de quo supra dictum est, ut, iniquitate expulsa, veritas redeat. Et si feceritis hoc, forsitan miserebitur Dominus Deus omnipotens residuis Joseph [a] de tribu Ephraim et de decem tribubus, et captivitatem evadere poterunt. Quæ omnia possunt et hæreticis coaptari, ut deserto errore, quem finxerunt, redeant ad Ecclesiam, et oderint priora dogmata, diligantque in Ecclesia Domini veritatem, et judicium verum exerceant in portis vitiorum et virtutum, relinquentes illas, et ad has transeuntes, et sperent misericordiam qui ex faucibus diaboli evadere quiverint. Juxta LXX autem ordine commutato, sic manifestior lectio præsentis capituli reddi potest : Quomodo dixistis, odio habuimus mala, et dileximus bona, sic quærite bonum et non malum, ut vivatis, et sicut Dominus Deus omnipotens vobiscum, et reddite in portis judicium, ut misereatur Dominus Deus omnipotens reliquiis Joseph.

( Vers. 16, 17. ) *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : In omnibus plateis planctus, et in cunctis quæ foris sunt dicetur væ, væ. Et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus : quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* LXX : *Ideo hæc dicit Dominus Deus omnipotens : In cunctis plateis planctus : et in omnibus viis dicetur væ, væ. Vocabitur agricola ad luctum, et ad planctum hi qui sciunt lamentationem,* **298** *et in omnibus viis planctus : quia pertransibo per medium tui, dicit Dominus.* Præcepi ut quæreretis bonum, et non malum, ut viveretis, esseique Dominus vobiscum. Et iterum intuli ( ne semel tantum vos monitos diceretis ) : Odio habete malum, et diligite bonum et restituite judicium in portis, qui odio habuistis in porta corripientem, ut misereatur Dominus reliquiis Joseph : et quia facere noluistis, mea præcepta calcantes, et vertistis ad me scapulam recedentem : ideo hæc dicit Dominus Deus omnipotens, qui est exercituum Dominus : ubique planctus, ubique mœstitia. Agricolæ vocabuntur ad luctum, et qui sciunt more provinciæ præcinere ad concitandas lacrymas vocabuntur, ut nequaquam in omnibus plateis, sicut supra dictum est, sed in vineis sit planctus atque luctus; ubi quondam fuit materia lætitiæ, sit origo lacrymarum. Et hæc omnia fient, quia pertransibo, inquit, in medio tui. Verbum Hebraicum, *pertransibo*, quo eorum lingua dicitur EEBOR ( אעבר ), quoties in Scripturis sanctis ex persona Dei ponitur, pro pœna accipiendum, ut nequaquam apud eos maneat ; sed pertranseat ac relinquat. Unde et in aliis locis secundum interpretationem Aquilæ, quando irascitur Deus, furorem suum et iram ἀνυπερθεσίαν [b] vocat, quæ omnia referri possunt ad hæreticos, ut quia illa et illa quæ justa sunt, facere noluerunt, sit in omnibus plateis eorum luctus. Lata enim et spatiosa via quæ ducit ad mortem ( *Matth.* VII ) : singulique hæreticorum et gentilium in sabulis suis atque figmentis habent plateas, quibus consequenter infertur : *Et in cunctis quæ foris sunt dicetur, væ, væ.* Qui enim in Ecclesia fuerint, non audient væ, quod pœnarum ultimum est ; sed si forte peccaverint, sumetur super eos lamentum. Ideo autem foris sive in omnibus viis dicetur, *væ, væ:* quia non habent unam viam quæ ducit ad vitam, et quæ via regia est, sed pravas atque perversas, et declinantes ad dexteram ac sinistram, dum **299** non audiunt Dominum dicentem : *Ne sis justus multum.* Et : *Perversæ sunt viæ, quæ a sinistris sunt.* Incurruntque in duplex væ, carnis et spiritus, præsentis sæculi atque futuri. Cum econtrario ecclesiastici audiant : *Gaudete, iterum dico, gaudete* ( *Philip.* IV, 4). Sed et agricola vocatur ad luctum ( habent enim hæretici agricolas suos, in quorum arvis tribuli nascuntur et spinæ), et ad planctum vocantur qui norunt plangere, vel sua, vel aliena peccata ; quanquam et hæc in bonam partem possimus accipere, ut vir ecclesiasticus et potens ad pœnitentiam provocare, imitetur Dominum suum dicentem : *Lamentati sumus, et non planxistis* ( *Luc.* VII, 32 ), et plangat hæreticos [*Al.* hæreticum], sicut Saulem regem Israel planxit quondam Samuel ( I *Reg.* XV ). Et Apostolus lugere se dicit super eos qui non egerunt pœnitentiam ( II *Cor.* XII ). In omnibus quoque vineis erit planctus, quia vineæ Sodomorum vineæ eorum. Et pro vino lætitiæ, quod lætificat cor hominis, attulerunt vinum draconum et furorem aspidum insanabilem. Et hæc universa patientur ; quia pertransibit per medium eorum Dominus, ut non habitet inter eos, nec dicat : *Habitabo in eis, et inambulabo.* Et : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* ( *Matth.* XXVIII, 20 ).

( Vers. 18-20. ) *Væ desiderantibus diem Domini, ut* [ vulg. *ad* ] *quid [illeam vobis ? Dies Domini iste tenebræ, et non lux : quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux ? caligo, et non splendor in ea ?* LXX : *Væ desiderantibus diem Domini, ut quid hanc vobis diem Domini? Et ea est tenebræ, et non lux. Quomodo si fugiat homo a facie leonis, et incidat in eum ursus, et introeat in domum*

[a] Cisterciens. juncto altero Palatin. ms. : *Joseph, qui de tribu*, etc. ; et mox, *potuerint ;* al., *poterint.*

[b] Victorius ait, id est, *dilationem :* respondetque hæc significatio verbo אעבר, *transibo*, quod pœnam significat, eo quod ira Dei non permaneat in eo quem tangit, sed pertranseat, ac derelinquat.

*et infigatur manibus suis super parietem, et mordeat eum coluber. Nonne tenebræ dies Domini, et non lux? et caligo, et non habet splendorem.* Ne de tribu Juda Thecuites propheta omnino homines tribus suæ negligere videretur, et ad decem tantum tribus conferre sermonem, ad utrumque regnum, hoc est, Judam et Israel nunc dirigit [a] sermonem vaticinii, quod ex multis **300** quidem aliis, sed præcipue ex eo quod sequitur : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ*, intelligi potest : Væ igitur Judæ Israelique dicentibus : Veniat dies, veniat prædicta captivitas, dummodo quod promittitur per prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captivitatis injuria, quantum boni in his quæ post captivitatem Dominus pollicetur : quibus propheta respondit, frustra eos quod longo tempore post futurum est, in adventu Filii Dei post septuaginta annos captivitatis Babyloniæ præstolari, quos vastitas atque pauperies et innumerabiles miseriæ consequentur. Fugientibus enim, inquit, a facie Nabuchodonosor leonis, occurret Assuerus [b] sub quo Esther narratur historia, sive, destructo Assyriorum et Chaldæorum imperio, Medi, Persæque consurgent. Cumque, regnante Cyro, fueritis reversi, et præcipiente Dario, cœperitis ædificare domum Domini, et omnem fiduciam habueritis in templo : ita ut requiescatis in eo, et lassas manus super parietes inclinetis : tunc veniet Alexander rex Macedonum, sive Antiochus cognomento Ἐπιφανής, qui moretur in templo, et vos instar colubri mordeat, nequaquam foris in Babylone, et in Susis, sed intra terminos terræ sanctæ [*Al.* vestræ]. Quibus rebus probatur, diem quam concupiscitis, non esse lucis et gaudii, sed tenebrarum atque tristitiæ. Hæc juxta historiam breviter diximus, ne penitus Judæorum opinionem relinqueremus intactam. Cæterum nulli dubium est, omnes nostros diem tenebrarum, diem intelligere judicii, de qua scribit et Sophonias : *Juxta est dies Domini magnus, et juxta est et velox nimis : vox diei Domini amara et dura* (*Sophon.* I, 14). Et Isaias : *Ecce dies Domini insanabilis venit, furoris et iræ, ponere orbem terrarum desertum, et peccatores perdere ex eo* (*Isai.* XIII, 9). Simulque decutitur confidentia superborum, qui, ut apud homines justi appareant, solent diem exspectare judicii, et dicere : Utinam veniat Dominus, utinam nobis liceat dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I), imitantes Pharisæum qui in Evangelio loquebatur (*Luc.* XVIII, 11, 12) : *Deus, ago gratias tibi, quia non sum sicut cæteri homines,* **301** *raptores, injusti, adulteri, et sicut hic publicanus. Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo.* Ex hoc enim ipso quod diem Domini desiderant, et non pertimescunt, digni supplicio judicantur, quia nullus hominum absque peccato est, et astra immunda sunt coram eo (*Job.* XXV). Et conclusit omnia sub peccato, ut omnium misereretur [*Al.* misereatur] (*Galat.* III). Cum igitur nemo possit de Dei judicare judicio, et de otioso quoque verbo reddituri simus [*Al.* sumus] rationem (*Matth.* XII) : et Job quotidie pro filiis suis obtulerit hostias, ne quid forte perversum contra Dominum cogitarent (*Job.* I), quæ temeritas est audire cum Corinthiis : *Sine nobis regnatis* [Al. *regnastis*] : *atque utinam regnaretis, ut et nos vobiscum regnaremus* (I *Cor.* IV, 8). Certe si eos etiam propria conscientia non remorderet, debuerant imitari Paulum dicentem : *Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* II, 29)? et pro omnibus esse solliciti, ne, quasi amatores sui, ut ipsi regnent, aliorum tormenta desiderarent [*Al.* desiderent] : quomodo si quis velit capi patriam suam urbemque subverti, ut solus amicitia victorum perfruatur. Solemus in angustiis et tribulationibus dicere : utinam mihi liceat exire de corpore, et sæculi hujus miseriis liberari, nescientes quia quamdiu in hac carne versamur, habemus locum pœnitentiæ : si autem recesserimus, audiemus illud Prophetæ : *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* VI, 6)? Ista est sæculi tristitia, quæ ducit ad mortem, qua Apostolus non vult perire eum qui cum uxore patris fuerat fornicatus (I *Cor.* V), qua et Judas periit infelix, qui abundantiori absorptus tristitia, proditioni homicidium copulavit (*Matth.* XXVII), et homicidium omnibus pejus homicidiis : ut ubi putabat remedium, et mortem suspendii finem malorum, ibi leonem et ursum et colubrum reperiret. Quibus nominibus videntur mihi significari vel diversa supplicia, vel ipse diabolus, qui recte et leo et ursus et coluber appellatur. Cumque nos putaverimus Isaiam audire dicentem : *Vade, populus meus, intra cubicula tua : claude ostium, abscondere pusillum donec transeat ira Domini* (*Isai.* XXVI, 20), et esse quasi in domo nostra, quasi in inferno requiescere : tunc mordebit nos coluber qui in præsenti loco Nahas, in Job appellatur Leviathan. [c] De cujus **302** natura et terrore multiplici plenius in ipso volumine [d] discimus. In caligine autem et tenebris quæ contraria sunt luci et splendori, tormentorum diversitas explicatur.

(Vers. 21, 22.) *Odi et projeci festivitates vestras, et non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quod si attuleritis* [Vulg. *obtuleritis*] *mihi holocaustomata et munera vestra, non accipiam, et vota pinguium vestro-*

[a] Tres mss., *dirigit vaticinium, quod*, etc., et paulo post, *etiam restitutio consequatur.*

[b] Interserit Victorius vocem *ursus*, quam hic necessariam vult esse, cum exponat ea prophetæ verba : *Quomodo fugiat vir a facie leonis, et occurrit ei ursus.* Brixiani mss. eam illi subministrarunt : nostri non ita.

[c] Una littera tantum fecit errorem Mariano, ut putaverit Hieronymum edidisse Commentarios in Job, quia hic legebat, *plenius in ipso volumine diximus*. Vide admonitionem nostram in expositionem libri Job, tom. III in appendice. Nos autem e duobus antiquis codicibus mss. restituimus genuinam lectionem *discimus*, quæ argumenta nostra roborat adversus Marianum Victorium. MART.

[d] Vide Admonitionem, quam interlineari in Jobum Expositioni præfiximus in Appendice tom. III, pag. 825.

*rum non respiciam.* LXX : *Odio habui et repuli festivitates* [Al. *solemnitates*] *vestras, nec odorabor in conventionibus vestris. Et si obtuleritis mihi holocausta et sacrificia, non suscipiam, et salutare præsentiæ vestræ non respiciam* : Proprie hoc contra tribum Juda dicitur, et eos qui ex Israel ad Dei cæremonias commigrarant, et nihilominus non recedebant de excelsis, colebantque idola, et peccatorum magnitudine Dei sacrificia polluebant. Numquam enim reor quod de oblationibus vitulorum, quas offerebant in Dan et Bethel, dixerit : *si obtuleritis mihi holocaustomata et munera vestra, non suscipiam.* Odit autem Deus et non solum odit; sed et projecit festivitates eorum, qui fugiunt leonem et incurrunt in ursum, et ingrediuntur domum, et a serpente mordentur, quia non celebrant festivitates Dei, sed festivitates suas, dicente Domino : *Odi et projeci festivitates vestras.* Et hujuscemodi hominum conventum odoremque non suscipit, nec habet in odorem bonæ fragrantiæ, et omnia eorum munera detestatur, et pinguissima vota non respicit. Quod quidem non solum illius temporis hominibus, sed et nobis accidet, si similia delinquamus, et de rapinis et perjuriis sceleribusque quæsita, Deo nos putemus offerre, et nostra peccata redimere, cum legerimus Zachæum quidquid rapuerat in quadruplum reddidisse, et de his quæ bene quæsierat, mediam obtulisse substantiam (*Luc.* XIX). Neque enim quod male quæsitum erat in Dei donaria poterat offerre, nisi prius dominis suis redderet, et postea impleret quod scriptum est : *Honora Dominum de justis tuis laboribus* (*Prov.* III, 9); et : *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ* (*Prov.* XIII, 8) : de mercede enim meretricis Deus vota non suscipit (*Deut.* XXIII). Econtrario justus dicere potest : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). Quæ oratio Judæ proditori versa est **303** in peccatum : non enim habebat bonum odorem; sed opere loquebatur : *Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6). Quæ omnia et de hæreticis dicere possumus, qui dum fugiunt leonem, incurrunt in ursum, et ingressi domum, quam putant Ecclesiam Dei, innituntur parietibus, quos ipsi fecerunt, et a serpente mordentur, quorum lucem et diem tenebræ eripiunt et caligo, ita ut palpabiles tenebræ sint, et interficiantur primitiva eorum. Horum Deus odit sacrificia, et a se projicit, et quotiescumque sub nomine Domini fuerint congregati, detestatur fœtorem eorum, et claudit nares suas. Odisse autem, et projicere, et non odorari, humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei, nostris sermonibus cognoscamus. Et si obtulerint holocausta, [a] aut videantur jejunare, dare eleemosynas, pudicitiam polliceri, quæ holocausta sunt vera, non ea suscipit Dominus, nec dignatur aspicere pinguissimas hostias eorum. Non enim sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasque dijudicat. Unde et vidua, quæ in Evangelio (*Luc.* XXI) in corbonam duo minuta miserat, omnibus a Salvatore præfertur, qui vota pinguissima et hostias medullatas se offerre credebant, de multo dantes parum : cum illa totum quod habuit, obtulisset. Manifestius et verius hæc post adventum Domini dicuntur populo Judæorum, qui destructo templo et altari, hostias offerre se credunt : quorum Deus odit et projicit festivitates, et non capit odorem cœtus eorum, quando congregati dicunt : *Crucifige, crucifige talem* (*Joan.* XIX, 6); et : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). Et si obtulerint holocausta in synagogis, et munera in concilis satanæ, et vota pinguissima, non ea respicit Dominus, sicut non respexit munera Cain (*Genes.* IV). Qui bene quidem unum Deum colunt, et recte offerunt; sed in eo non respiciuntur, quia non dividunt in Patrem, et Filium et Spiritum sanctum confessionem. Nostra autem munera, id est, Ecclesiæ, quæ offerimus de primitivis nostris, respicit Deus, sicut respexit quondam sacrificia Abel.

**304** (Vers. 23.) *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* LXX : *Transfer a me sonitum carminum tuorum, et psalmum organorum tuorum non audiam.* Pulchra cantica Levitarum, quibus laudabant Deum, tumultum vocat, sonitumque confusum; quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris, et hæc eadem idolis offerre quoque consueverant (*Eccles.* XV). Judæorum quoque oratio et psalmi, quos in synagogis canunt, et hæreticorum composita laudatio tumultus est Domino, et ut ita dicam, grunnitus suis, et clamor asinorum, quorum magis cantibus Israelis opera comparantur. Psalmum autem et carmina, lyram et organa, vel juxta litteram accipe in populo Israel, quæ olim fiebant in imagine futurorum, vel juxta spiritum in nobis et in hæreticis, quæ si bonis operibus dirigamus, audiuntur a Domino : si malis, concludit aures suas, impiorum cantica non dignatur audire.

(Vers. 24.) *Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis.* LXX : *Et volvetur sicut aqua judicium, et justitia sicut torrens invius.* Sicut aqua si labatur in pronum, quod prius texerat, nudat, et patere facit omnium oculis : sic judicium Dei atque justitia, quæ de suo quondam populo judicavit, patebit omnibus, et feretur instar torrentis fortissimi. [b] Quidquid arripuerit, secum trahit, et sibi obsistere non patitur. Juxta Septuaginta autem volvitur quasi aqua judicium pessimorum; quia non stat in una sententia; sed circumfertur omni vento doctrinæ, quod probaverat improbans, et quod prius laudaverat, putans esse nihili. Justificationes eorum non fluminibus et purissimis fontibus, sed turbidis cœnosisque torrentibus comparantur, qui suas aquas non habent; sed de saxis rupibusque et vepribus collectas. Quas qui transire voluerit, sta-

[a] Victorius ad Brixian. codd. Martian. retinuit *ut videantur*, etc.

[b] Victor. *torrentis fortissimi, qui quidquid arripuerit*, etc.

tim rapietur in præceps, et subversis pedibus, dicere non poterit : *Statuit supra petram pedes meos* (*Ps.* CXXIII, 5) : calcat enim super arenas, quæ non habent fundamentum, et cum periclitatus fuerit, loquetur juxta Hebræos : *Torrens transivit super animam meam* (*Ps.* XXXIX, 3). Econtrario de justis legimus, quorum **305** non volvitur sicut aqua judicium, et justitia non fertur quasi torrens invius : *Cogitationes justorum judicia* (*Prov.* XII, 5).

(Vers. 25, seqq.) *Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et portastis tabernaculum Moloc vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum, dixit* [Vulg. *dicit*] *Dominus : Deus exercituum nomen ejus.* LXX : *Numquid hostias et victimas obtulistis mihi* [a] *in eremo quadraginta annis, domus Israel, et assumpsistis tabernaculum Melchom, et sidus Dei vestri Repham, figuras eorum quas fecistis vobis. Et transferam vos trans Damascum, dicit Dominus : Deus omnipotens nomen ejus.* Ex hoc loco discimus, omnes [b] hostias et sacrificia quæ in deserto obtulit Israel, non Deo obtulisse, sed Moloch regi suo, cujus portaverunt tabernacula, et imaginem idolorum suorum statuarumque venerati sunt. Et quæ sit ipsa imago vel idolum, sequenti sermone demonstrat : *Sidus dei vestri*, quod Hebraice dicitur CHOCAB, כוכב id est, *Luciferi*, quem Sarraceni [c] hucusque venerantur. Quam ob causam migrare eos fecit Dominus trans Damascum, id est, in Assyrios atque Chaldæos : cujus omnipotentia ex eo quod Dominus Deus exercituum est, demonstratur. Quærimus quomodo hostias et sacrificium non Deo obtulerint in deserto ; sed regi suo, quem Luciferum nuncupant ? Ex eo tempore quo aurum in caput vituli transformarunt, dicentes : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti* (*Exod.* III, 24), omnia quæ fecerunt, non Deo, sed idolis fecisse monstrantur. Et quod postea quædam Domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed pœnarum fecerunt metu, et eorum interfectione, qui propter idola corruerunt : Dominus autem non ea quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium. Denique ubicumque occasio **306** fuit, semper corde reversi [*Al.* versati] sunt in Ægyptum, desiderantes allia et cepe, et cucumeres et carnes Ægyptias, et manna quod de cœlo datum est, contemnentes (*Num.* XI). Quod ut sic intelligamus, Stephanus primus martyr Evangelii, dignus nomine suo, in Apostolorum narrat historia : *Et vitulum fecerunt in illis diebus, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum : Numquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel ? Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rhemphan, figuras quas fecisti adorare eas, et transferam vos trans Babylonem* (*Act.* VII, 41 *seqq.*). Nec putandus est primus martyr errasse, qui [*Al.* quia] pro eo quod in propheta scriptum est : *trans Damascum*, dixerit, *trans Babylonem*. Magis enim intelligentiam quam verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, sive trans Babylonem. In eo autem loco ubi Lucas posuit Μολὸχ, et in Hebraico scriptum [d] est MELCHECHEM (מלככם) : Aquila et LXX verterunt Μολχὸμ : Symmachus et Theodotio, *regis vestris*. Pro eo quoque quod in Septuaginta legitur *Rephan ;* Aquila et Symmachus ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt CHION (כיון), Theodotio ἀμαύρωσιν, id est, *obscuritatem*. Rursum pro SOCHOTH (סכות), Aquila συσκιασμοὺς, id est, [e] *tabernacula :* Symmachus et Septuaginta, *tabernaculum :* Theodotio transtulit, *visionem*. Et hoc in omnibus [f] Scripturis sanctis observandum est, apostolos et apostolicos viros in ponendis testimoniis de veteri Testamento, non verba considerare, sed sensum : nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant. Quidquid autem juxta litteram dicitur contra populum Judæorum, hoc omne refer ad eos qui sub nomine Christi venerantur **307** idola, et prava sibi dogmata confingentes, portant tabernaculum regis sui diaboli, et imaginem statuarum et idolorum suorum. Non enim unum colunt idolum ; sed pro varietate doctrinæ diversos adorant deos, et sidus dei sui (II *Cor.* XI). Qui cum sit angelus satanæ, transfiguratur in angelum lucis, et cadit de cœlo quasi fulgur (*Luc.* X), et imitatur Christum Antichristus. Pulchreque intulit, *quæ fecistis vo-*

[a] Voces *in eremo*, quemadmodum et in Græco quædam exemplaria, Cisterciens. ms. ignorat. Cætera ad hunc modum recitat : *tabernaculum Molchon, Ræphan figurat eorum, et sidus dei vestri, quas fecistis*, etc.

[b] Minus recte Martian. *omnes bestias :* certe contra mss. fidem.

[c] Al. *nunc usque*. Et in Vita S. Hilarionis, Tom. II, col. 27 : *Luciferi cultui Sarracenorum nationem dedicatam esse* Hieronymus docuit. Vide quæ in eum locum observamus de Abdala Sarracenorum Imperatore, qui *Molochi templa, et Luciferi culturam augere* satagebat. Vide singularem Millii dissert.

[d] Totum huncce locum curiose ac religiose restituimus adjuti multis perantiquis exemplaribus manuscriptis, quia in antiquis editionibus multa invenimus omissa, multa falso posita. Conferat utraque qui voluerit, et statim percipiet in editione LXX interpretum lectum fuisse *Melchom* et *Remphan ;* vel *Rephan*, non Μωλὸχ et Ῥαιφὰν, juxta falsam editionem Erasmi et Mariani. MART. — Quæ vero supersunt exemplaria τῶν LXX, Μολὸχ ; Aquilæ aut Μελχὸν, aut Μαλχὸν legunt : fortasse adeo verius Septuaginta Victorius hic non nominat. Cisterciens. Latine præfert *Molchon* et *Ræphan*.

[e] Rectius videtur, quod et Victor. præfert, *umbracula*. At mss. non suffragantur.

[f] Indicio sunt de multis hæc pauca, quæ suis quæque locis Hieron. notat : Marci I et Matthæi XI : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit faciem tuam ante te*, quod habetur Malach. III juxta Hebr. et Græcum : *Ecce mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*. Sic Matth. XXVI et Marc. XIV : *Percutiam Pastorem*. Ex Zachar. XIII, juxta Hebr. et Græc., *percute*. Et I ad Corinth. II : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit*, etc. Ex Isaiæ LXIV : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te*, etc.

*bis*. Non enim ea a Deo acceperunt; sed de propria mente finxerunt. Unde migrare eos faciet Dominus trans Damascum, ut non bibant sanguinem Domini; sed transeant in Babylonem, et audiant per prophetam : *Calix aureus Babylon, inebrians omnes gentes* (*Jer.* LI, 7). Damascus enim, ut crebro diximus, interpretatur *sanguinem bibens*, sive *sanguis cilicii*, ut per pœnitentiam ad bibendum Domini sanguinem provocemur.

(Cap. VI.—Vers. 1.) *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* LXX : *Væ qui despiciunt Sion, et confidunt in monte Samariæ : vindemiarunt primitias gentium, et ingressi sunt sibi* [a]. Ad Sion, ut supra diximus, et ad montem Samariæ, id est, ad duas tribus, quæ appellabantur Juda, et ad decem, quæ Israelis nomine vocabantur, prophetæ sermo confertur, maxime ad eos, qui in utroque populo optimates sunt [b] et principes, et vacant deliciis in exemplum illius divitis purpurati, qui lætabatur **308** in convivio, et in tantam erigebatur superbiam, ut Lazarum ante ostium suum plenum ulceribus indignaretur aspicere, et ne hoc quidem ei tribueret, quod periturum esset ex mensa (*Luc.* XVI). Isti sunt capita populorum, qui confidunt in divitiis, et opulenti sunt in Sion, et habent fiduciam in monte Samariæ, et ingrediuntur pompatice domum Israel, ut tumorem animi corpus ostendat, et pomparum ferculis similes esse videantur. Juxta leges autem tropologiæ et Septuaginta interpretes, Sion refertur ad Ecclesiam, de qua scriptum legimus : *Qui exaltat me de porta mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* IX, 15). Mons vero Samariæ, propter superbiam et jactantiam custodiæ mandatorum Dei, intelligitur super hæreticis, qui despiciunt Ecclesiam; quia infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et stulta, ut perdat sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobet (1 *Cor.* I). Isti vindemiaverunt primitias gentium, ut sub nomine Christiano introducerent eos in torcularia sua, ubi non calcatur uva, sed perditur : ubi non mustum exprimitur, sed venenum. *Et ingressi sunt sibi.* Pulchre dixit, *sibi :* non enim ingressi sunt Deo, sed sibi ingressi sunt. Alioquin Deo magis egressi sunt, dum recedunt de Ecclesia. Quodque sequitur, *Domus Israel*, juxta Septuaginta, in principio capituli sequentis legendum est; juxta Hebræos, in fine hujus, quod exposuimus.

[a] Verba *domus Israel*, quæ subsequenti Hieron. aptat versiculo, continuo hic subdit Cisterc. ms.

[b] Copulam *et* suffecimus, tum *vacant* legimus pro *vacabant*, ad mss. fidem. Persæpe vero id genus levia menda taciti castigamus.

# *LIBER TERTIUS.*

**309-310** Præpostero ordine atque confuso duodecim prophetarum opus et cœpimus, et Christo adjuvante, complebimus. Non enim a primo usque ad novissimum, juxta ordinem quo leguntur, sed ut potuimus, et ut rogati sumus, ita eos disseruimus. Naum, Michæam, Sophoniam, et Aggæum, primo φιλοπονοτάταις Paulæ ejusque filiæ Eustochio προσεφώνησα : secundo in Abacuc duos libros Chromatio Aquileiensi episcopo delegavi : tertio post longi temporis [a] silentium, Abdiam et Jonam tibi (*Pammachio*) imperanti edisserui : præsenti anno, qui [b] sexti consulatus Arcadii Augusti, et Anitii Probi fastis nomen imposuit, Exsuperio Tolosanæ Ecclesiæ pontifici Zachariam, et ejusdem urbis Minervio et Alexandro monachis Malachiam prophetam interpretatus sum. Statimque recurrens ad principium voluminis, Osee et Joel, et Amos, tibi negare non potui. Et post gravissimam corporis ægrotationem, dictandi celeritate ostendi temeritatem meam : ut quod alii stylum sæpe vertendo non audent scribere, ego committerem casui, qui semper [c] dictantes sequitur, et de ingenio atque doctrina, audaciæ periculum facit : quoniam, ut sæpe testatus sum, laborem propria scribendi manu ferre non valeo, in explanatione sanctarum Scripturarum, non verba composita, et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis.

(Vers. 2 seqq.) *Transite in Chalane, et videte : et inde ite in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum : ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti : qui canitis ad vocem psalterii. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti sunt, et nihil patiebantur super contritione Joseph.* LXX : *Domus Israel, transite omnes, et videte* [d] *in Chalanem, et pertransite inde in Emath Rabba, et descendite in Geth alienigenarum optimas ex omnibus regnis*

[a] Triennii scilicet, quo ab explicandis Scripturis abstinuit, ut ex præfatione Commentar. in Jonam compertum est.

[b] Fallitur Martianæus, ipseque antea Victorius qui hunc consulatum anno illigant Christi 408, quem constat ex fastorum serie, ac priscis monimentis, ad 406 esse referendum.

[c] Pal. mss. *qui prædictam sequitur :* puta, temeritatem.

[d] Voces *in Chalanem* in Cisterciens. ms. non sunt. Absunt quoque a Græco textu, si unum aut alterum exemplar excipias. Legendi tamen e Græcis Patribus Theodoritus atque Justinus.

*his, si ampliores sunt termini eorum terminis vestris, qui venitis in diem malum,* [a] *qui appropinquatis et tangitis sabbata mendacia. Qui dormitis in lectis eburneis, et affluitis deliciis in stratis vestris, et comeditis hædos de gregibus, et lactentes vitulos de medio armentorum, qui concrepatis ad vocem organorum: quasi stantia putaverunt, et non quasi fugientia; qui bibitis vinum defæcatum, et primis unguentis ungimini, et nihil patiebamini super contritione Joseph.* Transite omnes in Chalane, quæ nunc appellatur Ctesiphon, et transite omnes. Qui sunt isti omnes? utrique illi de quibus supra dixerat : *Optimates, capita* **311** *populorum, et qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ.* Vos igitur transite in Persidis civitatem, et diligenter attendite, et inde pergite in Emath magnam, quæ nunc [b] Antiochia nominatur. Magnam autem vocat, ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur *Emmas*, corrupto quidem vocabulo; sed pristini nominis vestigia retinens, cujus regio appellatur *Reblatha*, in qua præsente Nabuchodonosor, regis Judææ (*Al.* Judæ) Sedechiæ interfecti sunt filii, et oculi illius excæcati. *Et descendite*, inquit, *in Geth Palæstinorum* (IV *Reg.* 25). Vos qui habitatis in monte Sion, et in monte Samariæ, descendite ad Palæstinos, qui morantur in campestribus, et ad optima quæque regna horum, quæ diversis civitatibus subjacent, Gazæ et Ascaloni, Azoto, Accaron, et Geth, et videte si latior terminus eorum termino vestro sit, utrum vos, an illi, majores obtineatis provincias : vos, inquam, vos de populo Israel, qui separati estis in diem malum, in diem videlicet captivitatis, et appropinquatis solio iniquitatis, ad iniquum judicem pergentes regem Babylonium. Qui cum hæc passuri sitis, nunc dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis mollibus, ut somno libidinem copuletis. Qui comeditis non ad repellendam famem, et ad sustentandum corpus humanum; sed ad delicias atque luxuriam, ut quidquid in gregibus et in armentis tenerum atque pingue est, vestræ gulæ paretis : quibus non sufficit libido penis, et gutturis, et [c] æstuantis cibis aqualiculi, nisi et tibiarum et psalterii et lyræ canticis aures vestras mulceatis, ut quod David fecit in cultum Dei (1 *Par.* XXIII-XXVI), Levitarum ordines, et organorum reperiens varietates, vos ad voluptatem et luxuriam conferatis. Et bibitis in phialis vinum, non ad satiandam sitim, sed ad opprimendum animum. Et ungimini, non ad labores **312** corporis mitigandos, oleo purissimo, sed unguentis pretiosissimis. Cumque his affluatis, si quos videritis perire de populo, nulla misericordia super interfectione eorum flectimini, sed contemnitis quasi bruta animalia, et in suo bestias cruore pereuntes. Hunc eumdem sensum etiam Ezechiel propheta sub pastorum ponit exemplo : *Qui comedunt lac de ovibus, et vestiuntur lanis, et quidquid primum est devorant, et vulnerata non sanant, confracta non solidant, pereuntia non requirunt* (*Ezech.* XXXIV, 3, 4). Cuncta quæ juxta historiæ diximus veritatem, secundum Septuaginta interpretes, ad allegoriæ nubilum transferamus. Domus Israel, quæ a me recessisti, quæ confidis in monte Samariæ, quæ vindemiasti primitias nationum, transi, et vide, et perge ad muros plurimos, hoc enim interpretatur Emath Rabba : atque inde clementer descende in torcular eorum, qui cadunt bibentes : Geth enim et Philistiim hoc resonant. Et omnia contemplare, præcipueque optima (*Al.* omnia) regna, vel optimas civitates de omnibus regnis: et considera si plures sint termini eorum quam vestri. Si enim voluerimus mente tractare, et universarum gentium discutere philosophiam, Ægyptiorum, Indorum, atque Persarum, reperiemus angustiores earum terminos sanctarum terminis Scripturarum : *In omnem* enim *terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ* (*Al.* terrarum) *verba eorum* (*Ps.* XVIII). Isti quibus supra dixerat : *Domus Israel, transite omnes, et videte*, a qualibus vitiis ad meliora transire jubeantur, sequens sermo describit : *Qui veniunt in diem malum*, parantes sibi vitio suo diem malum : non quo dies ullus sit malus; sed quo unusquisque paret sibi malum, juxta illud quod in Ecclesiaste legimus : *Ne dixeris, dies priores meliores erant mihi quam isti : quoniam non in sapientia interrogas super hoc* (*Eccl.* VII, 11) : stultum est enim referre ad tempora, cum in nostra sit potestate, vel bonum diem nobis facere, vel malum. Isti [d] sunt qui appropinquant **313** atque contingunt sabbata mendacia. Quomodo enim circumcisio carnis, et circumcisio cordis appellatur, et sunt in manifesto Judæi, et in occulto, quorum alterum abjicitur, et alterum comprobatur : ita sunt sabbata Domini sancta, et veritate subnixa, et alia non sancta atque mendacia, quæ occidentis litteræ sequuntur otium. Quodque sequitur : *qui dormitis super lectos eburneos*, sic interpretari possumus : Qui athleta est Domini, et exercetur ad luctam, et præparat se contra adversarias potestates, dormit in nuda humo imitans Jaingenio facile commutantur. Ad hæc et Reblatha, quam tertio loco nominat, in ejus erat regione constituta, ut aliis Scripturæ locis docemur. Alteram *Emath*, sive *Minorem*, novit etiam Josephus Antiquitt. lib. I, cap. 7, qui eamdem esse atque Epiphaniam, ut et Hieronymus, tradit. *Confer* Quæst. Hebraic. in Genesim, cap. 10.

[a] Deerat *qui* relativum, quod et mss. præferunt, et Græcus textus.

[b] Vereor, ne dictandi festinatione hic erret S. Doctor. Nam Antiochia quæ conditores suos Syriæ reges agnoscit, immane quantum Amoso recentior est. Et vero Emath, quæ ob amplitudinem *Magna*, sive *Emath-Rabba* dicebatur, non Antiochiam, sed *Emesam* esse docet Theodoritus in Jerem. XXXIX, celebrem nempe Syriæ urbem ad Orontem Libano proximam. Convenit et corruptum nomen *Emas*, quod mox Hieronymus notat, adeoque et ipsum *Emath*; *t* enim et *s* ex Orientalium linguarum

[c] Tres mss., *æstuans cibis aqualiculus.*

[d] Nostri mss. : *Isti appropinquant, atque contingunt sabbata facere mendacia : quomodo enim concisio carnis*, etc.

cob (*Gen.* XXVIII) ; et ponit sibi lapidem ad caput, quem reprobaverunt ædificantes, et factus est in caput anguli (*Ps.* CXVII, *et Act.* IV). Qui vero deliciis vacant atque luxuriæ, et omnia causa ventris faciunt, dormiunt in lectis eburneis mortui animalis, et immundis hærent ossibus ; et quia pulchra videntur vitia, et præsenti nitore delectant, requiescunt in eorum lectulis, et sopore gravissimo deprimuntur. Isti non comedunt solidum cibum et athleticum, de quo roborantur vires luctantium, sed mollem, et tenerum et sinistrarum partium : quales sunt hædi de gregibus et vituli saginati, et tenelli, immo adhuc lacte nutriti : hoc enim significat μοσχάρια γαλαθηνά. Concrepant quoque manibus ad vocem organorum et sonitum, ut omnia opera eorum exspectent voluptatem : nihilque faciunt nisi quod ventri procurant et libidini. Nec statim nobis illud prudens lector opponat, et quomodo scriptum est : *Flumina concrepent manibus* (*Ps.* XCVII, 8). Et : *Omnes gentes, plaudite manibus* (*Ps* XLVI, 1). Et : *Jubilate Deo adjutori nostro* (*Ps.* LXXX, 1). Ibi enim non ad organorum sonitum dicuntur concrepare ; sed in laude Dei habere unum consensum. Post organorum vocem intulit : *quasi stantia putaverunt, et non quasi fugientia*. Res enim sæculi, et omnia corpora, secundum Epicurum, per momenta fluunt et abeunt, et nihil in suo consistit statu, sed vel crescunt omnia, vel decrescunt, et aquarum more torrentium labuntur in præceps. Unde et in sæculari litteratura legimus (*Virgil.* III Georg.) :

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et in alio loco (*Horat.* II *Carm., od.* 14) :

Eheu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni.

Nihil enim fugacius sæculo rebusque sæculi. Quam dum tenemus amittimus, **314** et per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem et ingravescentem ac maturam ætatem, annosque ultimos senectutis, in quæ septem spatia Philo vitam describit humanam, mutamur, et currimus, et nescientes ad mortis terminos pervenimus. Quodque sequitur : *Qui bibunt defæcatum vinum*, proprie referri ad hæreticos potest, qui quasdam scripturas probant, quasdam reprobant, defæcata cupientes vina potare : cum in sanctis Scripturis nihil turbidum atque cœnosum sit, sed totum de superiori unda purissimum. Isti primis unguntur unguentis, qui non habentes artem unguentariam, absque ulla scientia Scripturarum, et traditionibus atque doctrina apostolorum, vindicant sibi sacerdotii dignitatem, et unctos Domini dicunt se esse : oleumque purissimum sensus sui fæce contaminant. Cumque hæc faciant in interfectionem eorum quos deceperunt, nullo dolore cruciantur ; sed gaudent in alienis mortibus, et miserorum sanguine delectantur. Sensus iste pulcherrimus in quo dicitur : *quasi stantia putaverunt, et non quasi fugientia*, in Hebraico non habetur ; sed pro eo scriptum est : *sicut David putaverunt se habere vasa cantici*. Unde videtur mihi ab interpretibus additum, qui in descriptione luxuriæ, contra vitia et voluptates hujusmodi sententiam protulerunt, ut non verterent quod scriptum erat, sed de suo, quod sibi videretur, adderent, immo mutarent.

(Vers. 7 seqq.) *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, et auferetur factio lascivientium. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis : quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur ; et tollet eum propinquus suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo ; et dicet ei qui in penetralibus domus est : Numquid adhuc apud te est ? et respondebit, finis est ; et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini.* LXX : *Propterea nunc captivi erunt ab initio fortium, et auferetur hinnitus equorum ex Ephraim ; quia juravit Dominus per semetipsum, dicit Dominus Deus virtutum : quia ego abominabor omnem contumeliam Jacob, et regiones ejus odi, et auferam civitatem cum omnibus habitatoribus suis.* **315** *Et erit, si remanserint decem viri in domo una, et mortui fuerint ; et tollent domestici ejus, et conabuntur ut auferant ossa eorum de domo ; et dicent his qui præsunt domui : Si adhuc est apud te ? et dicet, nequaquam ; et dicet, Tace, nec nomines nomen Domini.* Propter superiores causas quas propheticus sermo describit (eorum qui dormiunt in lectis eburneis, et lasciviunt in stratis, et comedunt agnos de grege, et vitulos de medio armenti, et canunt ad vocem psalterii et bibunt in phialis, et optimo unguento delibuti sunt, et insuper nihil patiuntur super contritione populi ejus, qui de Joseph stirpe generatus est), nunc Dominus comminatur, et dicit : Quia ista et ista fecerunt, nunc migrabunt in capite transmigrantium. Et est sensus : Nequaquam in futurum pœna differtur, nec de longis post sæculis prophetatur : quod nunc ingruit, nunc venturum est, meus sermo prædicit, eos iturosesse in principio transmigrantium, principes videlicet et potentes, quibus supra dixerat : *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ* (*Supra*, IV, 1). Et rursum : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Vos qui primi estis divitiis, primi captivitatis sustinebitis jugum, secundum illud quod in Ezechiele scriptum est : *A sanctuario meo incipite* (*Ezech.* IX, 6). Non a sanctis, ut plerique æstimant ; sed a subversione templi, quod sanctum fuit. Potentes enim potenter tormenta patientur (*Sapien.* VI), et cui plus creditur, plus exigetur ab eo (*Luc.* XII). *Et auferetur*, inquit, *factio lascivientium*, qui in capiendis voluptatibus unum habuere consensum, et comessationes exercuere ac symbola : hi pariter auferentur, ut quorum una fuit luxuria, una sit pœna. Pro quo LXX interpretati sunt, *auferetur hinnitus* [a] *equi de Ephraim* : quod in Hebraico non habetur, et

[a] Victor. *equorum*, quod et plurium numero in Græco sit, ἵππων.

ex superfluo disseretur a nobis, cum tropologiam texere cœperimus. *Juravit Dominus in semetipso*, sive ut in Hebræo legimus, *in anima sua*, juxta illud quod in Isaia scriptum est : *Neomenias et sabbata vestra, et dies festos odit anima mea* (*Isa.* I, 13) : non quo Deus animam habeat, sed quo humanis loquatur affectibus. **316** Nec mirum si animam habere dicatur, cum etiam membra cætera, quæ viliora sunt anima, pedes, manus, et ventrem, et artus cæteros se habere testetur. Quod si opposuerint nobis hi, qui Christum negant humanam habuisse animam ; sed in humano corpore Deum fuisse pro anima, audiant in Christo substantiam animæ demonstrari : quomodo et membra corporis ejus habuere substantiam. In Deo autem Patre [a] caput et pedes et cætera, quæ dicuntur, non sunt membra, sed per eorum vocabula efficientiarum diversitas indicatur : sic et animam non esse substantialem, sed affectum mentis internæ, et cogitationum locum, per quem Deus suam indicet voluntatem. *Juravit* ergo *Dominus, Deus exercituum*, id est, *Sabaoth* (pro quo, *virtutum* Septuaginta transtulerunt), se detestari superbiam Jacob, et domos ejus odisse. Hic Jacob secundum superius capitulum, ubi scriptum est : *Et nihil patiebantur super contritione Joseph*, aut decem tribus accipe, aut certe universam domum duodecim tribuum. Et traditurum civitatem cum habitatoribus suis ; vel Samariam, vel certe Jerusalem, vel in communi utramque. Quod ad tempus Domini Salvatoris referre possumus ; post cujus adventum et passionem detestatus est Deus omnem superbiam, vel injuriam Jacob, qua [*Al.* quia] illum fabri filium et Samaritanum, et habentem dæmonium conclamabant (*Matth.* XIII ; *Joan.* VIII) : idcirco Jerusalem tradita est cum habitatoribus suis Romanis exercitibus. Et intantum contra eos Dei ira desævit, ut etiamsi remanserint decem viri in domo una, ipsi quoque moriantur, et propinquus, sive vicinus comburat cadavera mortuorum, ut efferat ossa de domo sua ; quia præ morientium turbis, integra corpora efferri non valeant. Cumque jam lassus fuerit asportando, interroget eum qui in penetralibus domus est, utrum supersint quos sibi tradere debeat, et ille respondeat : Finis est, jam non habeo quem tibi tradam ad sepeliendum ; et antequam non habere se juret, ille, qui interrogaverat, et foris erat, et non esse cognoverat, imperat ei, et dicit : *Tace, et non recorderis nominis Domini*. Hoc autem **317** idcirco commemorat, ut ostendat, nec malorum quidem pondere et necessitate compulsos velle nomen Domini confiteri, et in tantam apud Israel oblivionem, Dei venisse vocabulum, ut ne in simplici quidem juramento nomen ejus dignetur audire. Tenues historiæ lineas duximus, nunc allegoriæ imprimamus manum. Principes hæreticorum, qui propter delicias suas meum populum devorabant, et nihil patiebantur super contritione Joseph, primi ducentur ad pœnas, et auferetur hinnitus equi ex Ephraim : qui in Scripturis sanctis dupliciter accipitur, aut in superbiam potentiamque eorum, qui hinniunt, aut in libidinis magnitudinem. In superbiam malorumque consensum, ut ibi : *Hi in curribus, et hi in equis* (*Ps.* XIX, 8). Et : *Fallax equus ad salutem* (*Ps.* XXXII, 17). Et regibus Israel præcipitur, ne sibi multiplicent equos (*Deut.* XVII). Et in libro Job, vox equi clangori tubæ comparatur (*Job.* XXXIX). In Zacharia quoque legimus, quod Evangelii testimonio comprobatur, et refertur ad præsentiam Salvatoris : *Gaude nimis, filia Sion : prædica, filia Jerusalem. Ecce rex tuus venit tibi justus et Salvator : ipse mansuetus, et ascendens super asinam et pullum asinæ : et disperdet quadrigas ex Ephraim, et equos de Jerusalem* (*Zach.* IX, 9). In libidinis vero magnitudinem, et effrenatum coitus desiderium, ut in Jeremia, qui luxuriosos adulterosque describens, intulit : *Unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat* (*Jer.* V, 8). Tales equos, Christi adventus, et Dei ira subnervat. Et jurat Dominus per semetipsum (quia majorem per quem juret non habet) se detestari omnes hæreticorum contumelias, et universas regiones eorum odisse (*Hebr.* VI). Quidquid enim loquuntur injuria est, et dignum Dei odio. Et ablaturum civitatem et conciliabula eorum cum his qui habitant, et populum videlicet, et magistros, etiamsi reliqui fuerint decem viri (quî si fuissent in Sodomis et Gomorrhis (*Genes.* XIX), nequaquam super eas descendisset incendium), omnes esse morituros ea morte, quæ ducit ad tartarum, de qua Ezechiel scribit : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Istorum ossa sepeliunt propinqui et domestici eorum, de quibus dicitur : *Sine,* **318** *mortui sepeliant mortuos suos* (*Luc.* IX, 60). Et ille qui foris est, et domum non ingreditur mortuorum ; sed magis mortuos foras ejicit, imperat ei qui comburit mortuos, et dissolvit in cineres, et eorum ossa comminuit, ut taceat : et purissimum Dei nomen mortuo ore non maculet. Peccatori enim dicit Deus : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Ps.* XLIX)? Unde et nos providere debemus, ne mortui sepeliamus mortuos ; sed ut magis viventes, eos qui sunt mortui, [b] producamus ad vitam. Quod si non fecerimus, imperatur nobis et dicitur : *Tace*, quia indigni Dei nomine judicamur.

(Vers. 12 seqq.) *Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus : numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? Quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium. Qui lætamini in nihili, qui dicitis : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem, et conterent vos ab introitu Emath, usque ad torrentem deserti.* LXX : *Propterea ecce Dominus mandabit, et percutiet domum*

[a] Fortasse rectius Cisterciens. ms., *In Deo autem Patre, ut cætera quæ dicuntur*, etc.

[b] Maluit Victor. *perducamus*.

*magnam ruinis, et domum parvam scissionibus. Si persequentur in petris equi : si reticebunt ad feminas? quoniam convertistis in furorem judicium, et fructum justitiæ in amaritudinem. Qui lætamini super nullo verbo* [a] *bono, qui dicit : Nonne in fortitudine nostra habuimus cornua? Quia ecce ego suscitabo super vos, domus Israel, ait Dominus Deus* [b] *virtutum, gentem, et conterent vos : non ut introeatis in Emath, et usque ad torrentem Occidentis.* Quia in tantam rabiem prosiliistis, ut etiam mortis tempore, et imminentibus malis, nolueritis nomen Domini nominare : ideo mandabit Dominus, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. Si mandat, quomodo percutit? Si percutit, quomodo mandat? Sed in eo quod mandat et jubet ministris, videtur ipse percutere. Quomodo in jubente Patre et faciente Filio, facit ipse qui jussit, impleto illo versiculo: *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt* (*Ps.* CXLVIII, 5). Omnia enim **319** per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, [c] quod factum est (*Joan* I). Et in Ægypto, ubi primogenita quæ ab exterminatore cæsa referuntur, se Dominus interfecisse testatur (*Exod.* XII). Sic et in præsenti loco mandat Dominus, et ipse percutit per ministros domum majorem ruinis, id est, decem tribus, quæ appellabantur Israel, et domum minorem scissionibus, duas tribus, quæ regebantur a stirpe domus David. Et nota singulorum proprietates. Israel, quia majora peccaverat, feritur ruinis, et in æternam traditur captivitatem. Domus autem Juda, in qua erat templum, et quæ ex parte peccaverat, LXX annorum captivitate retinetur, et non percutitur ruinis, sed scissionibus. Scissa enim domus sarciri potest : ruinæ non tam instaurationem, quam ædificationem desiderant. Cujus utriusque domus ruinas, scissiones, equis et bubalis comparat, quorum priores in petris currere nequeunt, posteriores tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, et cum silvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere. Vos autem cum equi et bubali naturam suam mutare non possint, mutastis naturam Dei, ut dulcem amarum faceretis, et fructum justitiæ ejus in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima. Qui lætamini in nihili, vel idolis vitulisque aureis, qui nihil sunt, dicente Esther ad Dominum : *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt* (*Esther* XIV, 11), vel in nihili atque mendacio. Qui propria fortitudine putatis assumpsisse vos cornua et reges et potentiam, quibus ventilaretis inimicos. Quia igitur ista fecistis, ecce ego suscitabo super

A vos, o domus magna, et domus minor, quæ feriendæ estis ruinis et scissionibus, id est, o domus Israel et omnes duodecim tribus, gentem sævissimam Assyriorum et Chaldæorum, quæ vos conterat atque subvertat a principio usque ad finem, a capite usque ad caudam, a terminis terræ vestræ, qui solem respiciunt, usque ad torrentem deserti, sive Occidentis, ut LXX transtulerunt, id est, ab Emath, usque ad Rhinocoruram, inter quam et Pelusium rivus **320** Nili, sive torrens de eremo veniens, mare ingreditur. Emath supra Epiphaniam diximus, quæ ab Antiocho cui cognomentum Ἐπιφανὴς fuit, nomen sortita est. Qui autem putant quod hic domus Israel decem tribus significet, explanare non poterunt, quomodo in comminatione dicatur adversus B decem tribus, quod conterendæ sint ab Epiphania usque ad terminos Ægypti : quibus terminis, non utique decem tribus, sed omnes duodecim concluduntur, in quibus fuit etiam Judas et Benjamin. Quidam juxta anagogen, domum magnam et domum minorem, Judaicum populum significari putant, et de gentibus Ecclesiam congregatam. Illi enim magni propter patres vocantur, et legem, et prophetas: nos minores, quia absque Testamento fuimus et mandatis Dei, de quibus et in Cantico legimus: *Soror mea parvula est, et ubera non habet* (*Cant.* VIII, 8). Quæ domus magna et parva, in unam Dei familiam congregata, si non habuerit disciplinam, et Dei mandata non fecerit, percutietur ruinis et scissionibus. Quotiescumque ergo vel in persecutionibus, C vel in hæresibus et schismatibus domus Dei, quæ est Ecclesia, corruit atque laceratur, Dei percutientis ostendit manum : quam si volumus effugere, comparationis audiamus et faciamus exemplum. In petris equi persequi non valent. Petra Christus est (I *Cor.* X), qui donavit apostolis suis, ut ipsi quoque petræ vocentur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Mat.* XVI, 18). Qui in istis petris fuerit, adversariæ potestates, quæ appellantur equi, de quibus supra diximus, persequi eum non poterunt, cursibus præpeditis, et per singulas petras corruentibus. Veniamus et ad aliam similitudinem, juxta consuetudinem nostram, editionem LXX interpretum disserentes, ne si hæreamus omnino Hebraico, illusisse lectoris diligentiæ, et tacendo D de editione Vulgata, frustra eam proposuisse videamur. *Aut reticebunt*, inquit, *in* [d] *feminis*, haud dubium quin equos significet, de quibus supra dixerat. *Si persequentur in petris equi.* Isti equi, id est, contrariæ **321** fortitudines, qui insaniunt ad feminas,

[a] Additum *bono* Cisterc. ms. reticet, neque est in Græco textu, exceptis Barberino atque Aldino codicibus.

[b] Reponimus ex Cisterc. ms. *virtutum* : quæ propria est τῶν LXX interpretatio δυνάμεων : antea erat *exercituum*. Tum maluit Victor. *ut non introeatis*, pro *non ut*, etc.

[c] Recole quæ in cap. Ezechiel XXXVII, col. 432 et seq. annotamus. Mox habent mss. nostri, *Et in Ægypto primogenita*, absque intermedio *ubi*.

[d] Supra ubi textum proposuit, *ad feminas* legit : et quamquam, inquit Victor. Græce legitur ἐν θηλείαις, *in feminis* : clarior tamen sensus, *ad feminas:* quem ipse quoque D. Hieron. sequitur, dum statim subdit : *Isti equi, id est, contrariæ fortitudines, qui insaniunt ad feminas,* etc. Non reticere autem ad feminas, significat se ad aspectum feminarum continere non posse, cujusmodi est illud Jeremiæ : *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*

quando virilem viderint animum, et Dei fortitudine roboratum, non audent accedere. Quando vero effeminatam mentem, et unguentis et deliciis enervatam, et in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, et se tenere non possunt; et gestiunt ad libidinem. Sequitur : *Quia convertistis in furore judicium*. Convertit in furorem judicium, qui iratus judicat, et dicente Domino : *Non accipies personam in judicio* (*Deut.* XVI, 19). Et in alio loco : *Non misereberis pauperis in judicio; quia Dei judicium est* (*Exod.* XXIII, 3) : ille irata ad judicandum mente descendit, immo cum causam nesciat, nec judicii noverit veritatem, ante præjudicat qualem debeat ferre sententiam : fructum quoque justitiæ, qui dulcissimus est, vertit in amaritudinem. Quod de una virtute diximus, intelligamus et de reliquis, prudentia, fortitudine, temperantia, quarum qui iratus fuerit, fructus capere non poterit, et cum ceperit, amari erunt. Unde dicitur in Isaia : *Væ qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce* (*Isai.* V, 20). Hoc autem illi dicunt, qui non causas in judicando, sed personas considerant, et fructum Christi justitiæ, qui est dulcissimus, vertunt in amaritudinem. Quicumque igitur aut consanguinitate, aut amicitia; et econtrario, vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia ; et fructum illius vertit in amaritudinem. Qui hoc faciunt, lætantur in nullo verbo bono, sive *frustra*, ut Symmachus transtulit, id est, ἀλόγως, et erecti in superbiam dicunt : *Nonne in fortitudine nostra habuimus cornua?* cum e regione justus in Domino glorietur, et dicat : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Et in alio [*Al.* eodem] loco : *Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me* (*Psal.* XLIII, 6, 7). Unde et in Exodo juxta Hebraicum, et Aquilæ editionem, legimus : *Et Moyses nesciebat, quia cornuta erat species* [Al. *facies*] *vultus ejus* (*Exod.* XXXIV, 29), qui vere dicere poterat : *In te inimicos meos cornu ventilo.* Legimus et in alio loco : *Et exaltabit cornu populi sui* : Et : *Exaltabit cornu Christi sui* (*Ps.* CXLVIII, 14, *et* I *Reg.* II, 10), et cornu altaris, et **322** munda animalia atque cornuta, quæ sola offeruntur Deo, quorum interpretatio non hujus est temporis. Ob hæc tanta peccata et extremam superbiam, quæ iniquitatem loquitur contra Deum, et ponit in excelso os suum, gentem sævissimam Dominus Deus omnipotens se suscitaturum esse dicit, quæ conterat, et tribulet eos, immo prohibeat ingredi in Emath, et usque ad torrentem Occidentis. *Emath* interpretatur *muras*, aut *murata*. Vetabuntur itaque ab hac gente sævissima, cui supplicia delegata sunt, confugere ad civitatem munitam, quæ est cœlestis Jerusalem, ne introeant et salventur : in modum illius capituli quod in Genesi legimus, ubi posuit Deus Cherubim et flammeam rompheam (*Genes.* II), quæ vertitur ad custodiendam viam ligni vitæ, ut qui ejectus fuerat de paradiso, nequaquam illuc ingrederetur indignus. Quodque sequitur : *Usque ad torrentem Occidentis*, de sexagesimo septimo Psalmo interpretabimur, in quo scriptum est : *Cantate Domino, psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi* (*Psal.* LXVII, 5). Nisi enim mala opera in nobis occiderint, Christus non ascendet super nos. Cumque illa occiderint, et Christum habuerimus aurigam : tunc nobis proficientibus et ad meliora pergentibus in eodem psalmo imperabitur : *Cantate Deo, psallite Domino qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem* (*Psal.* LXVII, 33, 34). Unde et in mysteriis, primum renuntiamus ei qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis, et sic versi ad Orientem, pactum inimus cum sole justitiæ, et ei servituros nos esse promittimus. Pro *torrente Occidentis*, Symmachus interpretatus est, *vallem campestrem* : Theodotio, *torrentem* [a] *Arabiæ* : Aquila, *torrentem qui est in planitie*. Quibus verbis ostenditur nequaquam in eis a murata civitate exclusis, [b] mori posse peccata, nec pervenire illos ad torrentem campestrem et planum sive deserti, qui torrens dicitur voluptatis, juxta illud quod legimus : *De torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9).

(Cap. VII. — Vers. 1-3.) *Hæc ostendit mihi Dominus Deus : Et ecce* [c] *fictor locustæ in principio germinantium* **323** *serotini imbris,* [d] *et ecce post serotinum tonsor* (sive *tonsura*) *regis. Et factum est cum consummasset comedere herbam terræ, et dixi : Domine Deus, propitius esto, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Misertus est Dominus super hoc : non erit, dixit Dominus.* LXX : *Sic ostendit mihi Dominus : Et ecce fetus locustarum veniebat matutinus : et ecce bruchus* [e] *unus Gog rex. Et erit si compleverit, ut devoret fenum terræ, et dixi : Domine Deus, propitius esto : quis suscitabit Jacob, quoniam modicus est. Pœniteat te, Domine, super hoc : et hoc non erit, dicit Dominus.* Non solum ea quæ multa post sæcula futura sunt propheticus sermo prædicit, sed et vicina, et quæ statim vaticinium consequantur. Solemus enim homines multo plus de nobis, quam de posteris cogitare, dicente Ezechia : *Fiat pax in diebus meis* (IV *Reg.* XX). Ut qui viderint requæ præterea addunt *contra peccata.*

[a] Haud equidem opinor *Arabiæ*, sed *Araba*, Græce τῆς Ἀραβά, versum a Theodotione, quæ solemnis est illi vocis usurpatio ad planitiem significandam. Diximus hac de re sæpius ad librum Nominum : dicendumque erit non semel infra.

[b] Falsam hic lectionem obtrudunt Erasmus et Marianus, nempe : *Quibus verbis ostenditur nequaquam in eis a murata civitate exclusis muniri posse peccata*, etc., quod quid significet scire non possum. MART.—Duo Palatin. mss. *muniri*, pro *mori*, quemadmodum et veteres editiones Erasmi ac Victorii,

[c] Mendose retinuit Martian. *victor*, quod et Victorius pridem, et mss. omnes, resque demum ipsa clamat emendandum *fictor*.

[d] Unus Cisterciens. ms. ferme ad Hebraic. ac Vulgatam editionem : *Et ecce serotinus post tonsorem* (sive *tonsuram*) *regis*. Impressam lectionem probat magis Hieronymi subnexa expositio.

[e] Idem ms. *in* pro *unus* : et quidem pro εἷς, Græca Complutens. editio *εἰς* præfert.

bus expleta quæ ante nuntiata sunt, convertantur ad cultum Dei, in cujus prophetis divinationis est veritas. Ostendit igitur Dominus Sennacherib regem Assyriorum cum infinita exercitus multitudine, instar locustæ universa tondenti, esse venturum in principio imbris serotini, quando extrema Dei omnipotentis misericordia indigebat Israel : hujus autem locustæ fictor et creator est Dominus. Quæ locusta venit in principio imbris serotini, quando cuncta virent et parturit omnis ager, et diversarum arborum flores in sui generis poma rumpuntur. Et ut uno sermone indicem quod volo, cunctarum abundantiam rerum, flores arborum, atque herbæ segetum pollicentur. Has autem locustas, quæ primo vere volitabant, bruchus innumerabilis sequebatur, qui veniebat post imbrem serotinum, et appellabatur tonsor vel tonsura regis, eo quod universa vastaverit, et nihil penitus reliquerit herbæ virentis in terra. Hunc tonsorem, sive tonsuram, Isaias acutam novaculam vocat (*Isai.* VII), quæ pilos omnes et capillos Israelitici corporis raserit. Cumque, ait, dubitarem, quæ esset ista novacula, statim intulit, regem Assyriorum. Novacula igitur et tonsor **324** regis, exercitus Chaldæorum est, qui in modum bruchi universa populatus est, et non solum fruges, sed ligna, fenum, stipulamque consumpsit. Factum est autem cum consummasset bruchus qui venerat post locustam comedere herbam terræ, et propheta intelligeret quod videbat, ad preces vertitur, et ait: *Domine Deus, propitius esto, obsecro.* Nolo in subversione populi mei mea verba compleri : nolo me ad hoc electum de pastorum numero, ut ruinam decem tribuum nuntiem. Quis enim poterit suscitare Jacob, nisi tu solus? quo allidente, nullus est qui suscitet. Parvulus est Jacob, et crebra hostium incursione deletus. Cumque ille precaretur, et interioris hominis lacrymas funderet, misertus est Dominus super hoc, et respondit : Non perdam omne genus Israel, reliquiæ salvæ erunt. Aut certe sic accipiendum : duo pariter futura conspexit. Primum locustam, deinde bruchum. Pro utroque Dominum deprecatus est, et in uno tantum exauditur, ut bruchus usque ad internecionem cuncta non vastet. Locusta autem volitans quædam devoret, quædam integra derelinquat. Videntur mihi LXX interpretes, verbum Hebraicum gozi (גזי), quod interpretatur *tonsor*, sive *tonsura*, intellexisse [a] GOG, ZAI litteram VAU arbitrantes, et bruchi innumerabilem multitudinem Gog genti sævissimæ comparasse, quæ terram Judæam vastatura describitur. Quid autem voluerit Aquila dicere : *Ecce serotinus post Gazæ regem*, cum Gaza verbo Hebraico AZA (עזה) appelletur, non satis intelligo, nisi forte ipsum sermonem gozi (גזי) posuit, et paulatim in *Gazam* errore corruptus est. Dicamus et spiritualiter : qui post opera justitiæ (de quibus in propheta dicitur : *Seminate vobis in justitia, et innovate vobis novalia : et ne seminetis super spinas* (*Osee* X, *et Jer.* IV) gravia peccata commiserint, inducitur super eos fetus, vel generatio locustarum veniens matutina, quando transeuntibus noctis tenebris incipiunt sua peccata cognoscere, et quia non egerunt pœnitentiam **325** adducitur bruchus, qui appellatur Gog rex : *Gog* autem in linguam nostram vertitur [b] *tectum*, superba quædam et arrogans fortitudo. Cumque terræ nostræ fenum stipulamque consumpserit, quicumque sancti in populo fuerint, veniam precabuntur, et dicent: *Domine Deus, propitius esto.* Quis enim alius suscitare poterit Jacob (*Isa.* X) ? quis medicorum sanare αἱμορῥοῦσαν, nisi tu solus, ad cujus tactum fimbriæ, statim sanitas redit (*Luc.* VIII)? Parvulus est enim Jacob, sive modici numeri, quia nulla in eis vel pauca virtutum remansere vestigia. Pœniteat te, Domine, super hoc, quod te facturum tuo populo comminatus es. Pœnitentiam autem Dei in Scripturis sic debemus accipere, quomodo somnum et iram : non quod Deum pœniteat, aut mutet sententiam, qui loquitur per prophetam : *Ego Deus, et non mutor* (*Mal.* III, 6). Et cui nos dicimus : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Ps.* CI, 28); sed quod, nobis ad meliora conversis, et ipsum pœniteat sententiæ suæ, ut nec justo reddat præmia quæ promisit, si declinaverit ad iniquitatem, nec peccatori pœnas, quas comminatus est, si conversus fuerit ad salutem. Dicitur ad eum qui acturus est pœnitentiam : *Ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis, ut libereris quasi damula de cassibus, et sicut avis ex laqueis* (*Prov.* VI, 4, 5). Qui si Domini primum mandata contempserit, et postea in angustiis constitutus evigilare cœperit, suscitat Dominum dormientem sibi, et dicit : *Exsurge, quare obdormis, Domine* (*Ps.* XLIII, 23)? Econtrario, qui thesaurizaverit sibi iram in die iræ, Deum iratum sentiet (*Rom.* II). Quod si egerit pœnitentiam, ira vertetur in misericordiam, et cum perturbationibus nostris atque virtutibus in utramque partem pœnarum atque clementiæ Dominus commutabitur.

(Vers. 4 seqq.) *Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce* [c] *vocavit judicium ad ignem Dominus Deus : et devoravit abyssum multam et comedet simul partem. Et dixi : Domine Deus : quiesce, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est? Misertus est Dominus super hoc : sed et istud non erit, dixit Dominus Deus.* LXX : *Sic ostendit mihi Dominus Deus, et ecce vocavit* **326** *judicium in igne Dominus Deus, et devoravit abyssum*

[a] Iterum idem ms. GOI pro GOG, quod quidem verius videatur, si quod ait Hieron. dumtaxat in ו *vau* commutarunt ז *zain* perquam similem litteram. Verum legisse eos liquet γὼγ, *gog*. Quamobrem Victorius, si, inquit, LXX quod Hebraice est גזי *Gozi*, interpretati sunt גוג *Gog*, necesse est ut pro ז *zain* non ו *vau*, sed ג *gimel* acceperint. At vero cum *Goi* legerint, ad *Gog* significandum illud retulisse potuerunt.

[b] Duo mss., *vertitur* δῶμα, *id est*, *tectum*.

[c] Sic Palatin. mss. quibus fere concinit et Cisterc. Vulgata, *vocabat*. Antea erat, *vocabit*. Mox quoque pro *comedet*, unus Cisterc., juxta Vulgat., *comedit*.

*multam, et comedit partem, et dixi: Domine Deus, desine, quis suscitabit Jacob, quoniam parvulus est? Pœniteat te, Domine, super hoc, et hoc non fiet, dicit Dominus Deus.* Primum Dominus ostendit prophetæ fictorem locustarum in principio germinantium serotini imbris, et post imbrem serotinum, tonsorem regem, sive regis, et ut verbum exprimamus e verbo, tonsuram regis Sennacherib, qua cuncta decem tribuum totonderit atque vastaverit. Nunc idem Dominus ostendit Nabuchodonosor, immo vocat et venire præcipit contra Judam et Jerusalem. Vocat autem, ut templum et Jerusalem igne succendat, et faciat in igne judicium, de eo qui quondam fuit populus suus. Cumque venisset ignis ad judicium, ut impleret Domini jussionem, devoravit abyssum multam, et comedit simul partem, cunctas urbes Judææ, et partem Domini quæ vocabatur templum ejus. Cumque hoc propheta vidisset, dixit ad Dominum, non ut supra, *propitius esto, obsecro :* sed *quiesce*, vel *desine;* ut quem cœpisse jam viderat, cessare precibus impetraret : præsertim cum nullus sit alius qui jacentem et parvulum et humiliatum Jacob valeat suscitare, nisi Dominus qui potest captos in Chaldæamque translatos reducere in terram Judam. Quia vero semel juxta Osee prophetam et Psalmistam dicentem: *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli* (*Ps.* LXXVII, 9), decem tribus ad hæreticorum personam retulimus, quæ appellabantur Israel, et duas, quibus Judas præerat, ad Ecclesiam et Ecclesiæ peccatores, qui confitentur quidem rectam fidem, sed propter vitiorum sordes purgantibus se indigent flammis : idcirco nunc Dominus ad ignem judicium vocare se monstrat : ut uniuscujusque opus quale sit ignis probet (I *Cor.* III), et impleatur illud quod scriptum est : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis* (*Isai.* L, 11). Unde et ad Babylonem dicitur : *Habes carbones ignis, sedebis super eos; hi erunt tibi in adjutorium* (*Isai.* XLVII, 14, *sec.* LXX). Et in psalmo, Lingua dolosa et plena mendaciis, igne carbonum dicitur esse purganda : **327** *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis* (*Ps.* CXIX, 3, 4). De his altaris carbonibus desolator carbo duorum Testamentorum forcipe prenditur, et Isaiæ labia purgat immunda, ut possit verbum Domini prophetare (*Isai.* VI). Vocatus autem ignis ad judicium, devorat primum abyssum, id est, omnia genera peccatorum, ligna, fenum, stipulam, et postea comedit simul partem, hoc est, ad sanctos illius pervenit, qui in peculium Domini et in ejus parte reputantur; tempus enim est ut incipiat judicium a domo Domini. Et in Ezechiele præcipitur his qui pœnas illaturi sunt : *A sanctis meis incipite* (*Ezech.* IX). Et in Apostolo legimus : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit : sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III). Cumque omnes fuerimus in peccato, et jacuerimus ad sententiæ veritatem, miserebitur Dominus nostri, et quia parvuli sumus, resurrectionis nos tempore suscitabit, sive suscitabit per virtutes qui in vitiis jacebamus, hoc Domino promittente, atque dicente : *Sed et istud non erit.* Pulchre autem dixit, *sed et :* quia jam supra dixerat : *hoc non erit.* Non enim in finem irascetur, neque in æternum comminabitur (*Ps.* CII). Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

(Vers. 7 seqq.) *Hæc ostendit mihi : Et ecce Dominus stabat* [Vulg. *stans*] *super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus : Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel. Non adjiciam ultra superinducere eum, et demolientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio.* LXX : *Sic ostendit mihi Dominus : Et ecce vir stabat super murum adamantinum, et in manu ejus adamas. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Adamantem. Et* **328** *dixit Dominus ad me : Ecce ego injiciam adamantem in medio populi mei Israel. Nequaquam ultra addam ut pertranseam eum, et dissipabuntur aræ risus, et sacrificia Israel desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio.* Priusquam de *adamante* disseramus, quem Symmachus et LXX, pro eo quod in Hebraico ENACH (אנך) scriptum est, transtulerunt, dicendum est breviter, quod hoc verbum [a] Aquila γάνωσιν, Theodotio τηκόμενον interpretati sunt : quorum alterum *stannaturam*, alterum *tabescentem* significat; ut illa sartago (quam legimus in Ezechiele (*Cap.* IV), in qua populi obsidione vallati, frixura significatur [*Al.* signetur]), etiam in decem tribubus, et in regno Jeroboam (qui nepos erat Jehu, sub quo prophetia hæc cernitur) (IV *Reg.* I) per stannaturæ vocabulum demonstretur. Dominus itaque cernitur stans supra murum stannatum sive litum, et in manu ejus stannatio sive trulla cæmentarii, qua solent superinduci parietes, et non solum pulchritudinem accipere, sed et fortitudinem contra injuriam imbrium et creberrimas tempestates. Legimus in Ezechiele (*Cap.* XIII), Dominum comminantem, quod tempestate et grandine consurgente, nequaquam linat nec vestiat parietem Israel, sed dimittat eam pluviis dissipari.

[a] a More suo mutant hanc lectionem Græcam Erasmus et Marianus, fictam aliam ponentes, ἀλείφωσιν scilicet, quæ causa erroris fuit lexicographis, præsertim medico Constantino, qui hanc vocem ex Hieronymo sumptam Amos cap. VII interpretatur in hunc modum : Ἀλείφωσις-εως, ἡ, *stagnatura :* sic Hieronymus *in cap.* IX *Amos prophetæ.* Porro γάνωσις, genuina vox Aquilæ et lectio Hieronymi, interpretatur a nobis *splendor*, et *illustratio* sive illustramentum, quod maxime convenit *stanno*, sive *stannaturæ*, de qua sermo est in hoc commentario. MART.

Unde et nunc dicit ille, de quo scriptum est : Structor maceriæ vocabitur, ipse angularis lapis, ædificator domus, quod deponat trullam in medio populi sui Israel, et cessare faciat atque torpere, ut nequaquam ultra superinducat eum, et suo vestiat ac tueatur auxilio. Cumque Dominus protectionem suam, et, ut ita dicam, parietis vestimentum trulla cessante subtraxerit, tunc demolientur excelsa idolorum, quæ Hebraice appellantur BAMOTH (במות), et sanctificationes decem tribuum desolabuntur, ut destruantur Dan et Bethel, in quibus adorabantur vituli aurei. Diximus ut potuimus quid ab Hebræis nobis juxta historiæ sit traditum veritatem : transeamus ad anagogen, de [a] Xenocrate, qui scribit super lapidum gemmarumque naturis pauca verba ponentes : « Adamas sui nominis lapis est, quem Latine **329** *indomitum* possumus appellare : eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, et gravi ictu feriatur mallei, antea incus et malleus vulnus accipiunt, quam adamas conteratur. Cumque ignis omnia domet, et universa metalla consumat, reddit adamantem duriorem, ut ne parvulum quidem in eo angulum vis nimii ardoris obtundat. Vidi et in auro adamantem magnitudine millii : cumque vicinum consumantur aurum longo usu ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur, et nulla lima imminui potest : sed econtrario limam terit, et quidquid attigerit, lineis sulcat. Hic lapis durissimus et indomabilis solo hircorum cruore dissolvitur, et missus in calidum sanguinem, perdit fortitudinem suam. Est autem parvus et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystalli. Quatuorque adamantis genera describuntur. Primus est Indicus : secundus Arabicus : tertius Macedonicus : quartus Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minus duritiam possidentes. Dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, et maleficis resistere artibus. » Talis est Dominus et Salvator : qui *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo : humilians semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II). De quo Isaias scribit : *Non est species illi* [Al. *illius*], *neque decor : vidimus eum et non erat pulchritudo : despectum et novissimum hominum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem* (*Isai.* LIII, 2). Hic stat supra murum adamantinum, id est, super sanctos et apostolos suos, quibus donavit, ut et ipsi adamantes vocarentur, et a nullo superati dicerent : *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Et iterum : *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 35 *seqq.*). Petrus quoque qui erat fortissimus adamas, portæ inferorum non **330** prævaluerunt adversus eum (*Matt.* XVI). Hic vir et Dominus, qui stat super murum adamantinum, habet in manu sua adamantem, qui nisi Dei teneatur manu, et illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evangelio : *Nemo potest rapere de manu Patris mei* (*Joan.* X, 29). Et intantum robustus est, ut dicatur ad eum : *Si transieris per ignem, flamma non comburet te* (*Isai.* XLIII, 2) : quantoque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit, et pro nomine Salvatoris inter flagella lætatur. Cumque a nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur. Hæc enim sanguinis hircorum et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat cruor. Ponit ergo Dominus hujuscemodi adamantem in medio populi sui Israel, et ultra non transit eum, nec dimittit ut dissipentur aræ, quæ risu et subsannatione sunt dignæ, et omnia hæreticorum mysteria domumque Jeroboam, qui primus Dei populum separavit, percutiat gladio, atque subvertat.

(Vers. 10 seqq.) *Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel : Non poterit terra sustinere universos sermones ejus. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam : Israel autem captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere* [Al. *egredere*] *: fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et ibi prophetabis, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes : quia sanctificatio regis et domus regni est.* LXX : *Et misit Amasias sacerdotes Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens : Congregationes facit contra te Amos in medio domus Israel : non poterit terra sustinere omnes sermones ejus. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam : Israel autem captivus ducetur de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, egredere* [Al. *gradere*], *recede in terram Juda, et ibi vive, et ibi prophetabis : in Bethel autem non adjicies ultra prophetare, quia sanctificatio regis est, et domus regni.* Salomonis proverbium est, immo mandatum : *Noli arguere malos, ne oderint te* (*Prov.* IX, 8) : Et econtrario de bonis præcepit : *Argue sapientem, et diliget te.* In alio quoque loco : *Qui arguit*, inquit, *hominis vias, gratiam habebit magis quam is qui loquitur quæ delectent* (*Prov.* XXVIII, 23). Itaque **331**

[a] Non illo quidem celeberrimo Platonis auditore, cujus vitam et scripta recensuit Laertius; sed juniore alio Aphrodisiensi, qui medicam callebat artem, et claruit Tiberii ætate, passimque a Plinio et Galeno, Tralliano et Aetio laudatur. Quin etiam librum, ex quo isthæc Hieronymus describit, eumdem colligas esse, quem citat Galenus lib. X *Simplicium Medicamentorum*, ubi de vespertilionum agit sanguine : videlicet περὶ τῆς ἀπὸ τῶν ζώων ὠφελείας, *De percipienda ab animantibus utilitate.* Enimvero ita persuadent, quæ hic de hirci sanguine emolliendo adamanti disputantur.

et Amos emendationis affectu loquebatur ad populum, et ex sermonibus Dei terribilia minabatur, ut agentes pœnitentiam, reverterentur ad Deum et idola desererent. Tunc sacerdos Bethel, in qua erat vitulus aureus, quem constituerat Jeroboam filius Nabath (III *Reg.* XII), et alii qui illi in imperio successerant, mittit ad Jeroboam nepotem Jehu, qui ei nuntiet, dicens : *Rebellavit contra te Amos*, sive congregationes facit atque conventus in medio regni tui, Israel, et tanta loquitur, ut terra regni tui verba ejus sustinere non possit. Audet autem mittere ad regem Israel quasi pontifex : metuens ne si populus convertatur ad cultum Dei, ille sacerdotii perdat gloriam. Cumque duo audierit, demolientur excelsa idolis, sive aræ risus, et sanctificationes, vel cæremoniæ Israel desolabuntur, et consurgam super domum Jeroboam in gladio, eo quod idola penitus destruantur, quibus præerat Amasias sacerdos, et contra Jeroboam Deus consurgat in gladio, nisi egerit pœnitentiam : ille de sua non mandat injuria, ut de regis tantum contumelia dolere videatur. *Hæc enim*, inquit, *dicit Amos*. Erras, calumniator. In omnibus enim sermonibus suis non quasi ex se propheta loquitur, sed semper præponit in titulo : *Hæc dicit Dominus*. Igitur quæ locutus est Dominus, Amos prophetam dixisse commemorat, ut magis regem provocet ad vindictam. Quæ sunt quæ dicit Amos? *In gladio morietur Jeroboam*. Et in hoc mentiris : non enim dixit, *morietur ;* si enim hoc dixisset, videbatur non suscipere pœnitentiam; sed, *consurget Dominus super domum Jeroboam in gladio :* comminans pœnam, non inferens. Nec dixit : *In gladio morietur Jeroboam :* sed, *consurgam in gladio super domum Jeroboam*. Jeroboam quippe gladio non est mortuus, sed domus ejus, id est, filius Zacharias, Deo percutiente, deletus est. *Et Israel*, inquit, *captivus migrabit de terra sua :* adde et cætera, si non egerit pœnitentiam. Porro Jeroboam vanissima Amasiæ mandata contemnens, nihil ad ea quæ ille mandaverat voluit respondere : unde ipse sibi assumit auctoritatem sacerdotalis fastigii, et loquitur ad Amos : *Qui vides, gradere : fuge in terram Juda*. Prophetæ, ut crebro diximus, **332** prius appellabantur videntes, quia quæ ventura dicebant, cordis oculis intuebantur. Quærat prudens lector, quare videntem vocet et nomine prophetali, quem de terra Israel exire compellit? Cui respondendum est : aut cum irrisione eum dicere κατὰ ἀντίφρασιν, quod omnia mentiatur : aut quia videbat multos esse in populo, qui cum libenter audirent : propter quod et regi retulit, *congregationes facit contra te Amos :* aperte injuriam non audet facere, ne audientes lædere videatur. Vade, inquit, in terram Juda, in qua natus es, ubi libenter audiuntur insani : et comede ibi panem tuum, vel ibi vive, aut certe exerce artem tuam per quam tibi reperias cibos, et ibi vaticinare, qui habes multos quos consuevisti seducere : in Bethel autem, in qua ego sum sacerdos, ultra non adjicies prophetare, quia sanctificatio regis est, et domus regni. Et hoc quasi falsus sacerdos loquitur, adulans regali fastigio, ut non dicat : sanctificatio Dei nostri est, et domus idoli; sed sanctificatio regis, et domus regni : hanc habentibus cunctis qui falsos deos colunt consuetudinem, ut superbiam suam regibus imputent, et quod ipsi faciunt, rex fecisse videatur. Omnia quæ de Amasia, et Jeroboam, et Israel, et Amos interpretati sumus, τροπολογικῶς ad hæreticos referenda sunt : quorum sacerdos Amasias solet interdum mittere ad Jeroboam regem hæreticum, atque hæreticorum patronum, et sanctos viros ac præcones fidei accusare apud eum, et jubere doctoribus, ne prædicent in Israel, ne contra regis faciant voluntatem; quia Bethel, hoc est, *domus Dei*, et falsa Ecclesia sanctificatio regis sit, et domus regni. Solent enim dicere : Imperator nobis communicat, et si quis eis restiterit, statim calumniantur : ergo tu contra imperatorem facis? Augusti mandata contemnis? Et tamen consideremus, quod multi reges Christiani qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, et Arianam impietatem in toto orbe fundare conati sunt, vincant in scelere Jeroboam regem Israel. Ille enim falsi sacerdotis mandata despexit, nec ad suggestionem ejus quidquam voluit respondere. Isti autem cum multis Amasiis sacerdotibus suis, fame et penuria, carceribus et exsiliis **333** Amos prophetam et sacerdotes Domini necaverunt.

(Vers. 14 seqq.) *Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam : Non sum propheta ego, et non sum filius prophetæ, sed* [a] *opilio ego sum vellicans sycomoros, et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit ad me* [Vulg. addit *Dominus*] : *Vade, propheta ad populum meum Israel, et nunc audi verbum Domini : tu dicis, Non prophetabis super Israel, et non stillabis super domum idoli. Propterea hæc dixit* [Vulg. *dicit*] *Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui, et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur, et tu in terra polluta morieris, et Israel captivus migrabit de terra sua*. LXX : *Et respondit Amos, et dixit ad Amasiam : Non eram propheta ego, neque filius prophetæ, sed pastor vellicans sycamina* [Al. *mora*], *et tulit me Dominus ex ovibus, et dixit Dominus ad me : Vade, et prophetiza super populum meum Israel, et nunc audi sermonem Domini : tu dicis, Noli prophetare super Israel, et ne congreges audientes contra domum Jacob. Propterea hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ tuæ in gladio cadent, et terra tua funiculo dividetur, et tu in terra immunda morieris; Israel autem captivus ducetur de terra sua*. Hoc quod beatos apostolos fecisse Scriptura commemorat, quando denuntiaverunt eis Scribæ et Pharisæi ne docerent in nomine Jesu; et illi responderunt dicentes : *Obedire Deo magis oportet, quàm* [Al. *an*] *hominibus* (*Act.* IV, 16), etiam Amos prophetam fecisse cognoscimus, qui jubente idolorum

[a] Victor., ad Vulgat. edit. *armentarius*, pro *opilio* posuit, quod et Hieron. in subnexa probat expositione.

pontifice, ne prophetaret, in Bethel, non solum prophetat, et ostendit se magis Deum timere mittentem, quam illum prohibentem; sed audacter et libere ipsi denuntiat supplicia qui vetare conatus est, et Dei impedire sermonem. Non solum, inquit, non sum propheta, sive non eram (quorum alterum humilitatis, alterum veritatis est) nec filius prophetæ, nec de prophetali stirpe descendens; sed cum essem armentarius et ruborum mora distringerem, tulit me Dominus sequentem greges. Pro armentario, qui Hebraice dicitur BOCER (בוקר), Aquila et Symmachus et Theodotio, et quinta editio βουκόλον transtulerunt, qui armenta pascit, non oves. Soli Septuaginta αἰπόλον dixerunt : qui proprie pastor caprarum **334** appellatur ἀπὸ τοῦ αἰπολίου, quod interpretatur quidem grex, qui in altioribus conversatur : ut ostendat greges caprarum semper rupes et asperas cautes et altiora conscendere. Sed quoniam infert : *Et tulit me Dominus* ἐκ τῶν προβάτων, id est, *de pecoribus*, videtur *oves* magis significare, quam *capras :* licet in principio Levitici legerimus, et oves et capras, pecorum nomine demonstrari. Ita enim Dominus loquitur. *Si obtulerit* ἀπὸ τῶν προβάτων, id est, *de pecoribus Domino agnum, vel hædum, et ovem, sive capram* (*Levit.* I, 10). Porro hoc quod ait, *vellicans sycamina*, quod Aquila interpretatus est, *scrutans sycomoros*, et Symmachus, *habens sycomoros*, quidam ita edisserunt, ut sycamina velint appellari genus arborum, quæ Palæstinæ nascuntur in campestribus, et agrestes afferunt ficus, quæ si non vellicentur, amarissimas ariculas faciunt, et a culicibus corrumpuntur. Nobis autem (quia solitudo in qua morabatur Amos, nullam hujuscemodi gignit arborem) magis videtur *rubos* dicere, qui afferunt *mora*, ac pastorum famem et penuriam consolantur. Utcumque voluerit lector accipere, hoc dicendum est, [a] quod humilem pastorem et rusticum assumpserit Dominus, et miserit ad populum suum Israel, et præceperit ei, ut egrediens de terra sua, Samariam pergeret : et ibi quæ ventura sunt prophetaret. Quia igitur Domino, inquit, jubente ut loquar, tu Amasia dicis mihi : *Noli prophetare super Israel, et non stillabis super domum idoli :* audi quæ contra te Dominus comminetur. Pro *domo idoli*, in Hebraico scriptum est BETH ISAAC (בית יצחק), id est, *domus risus* (Isaac enim *risus* interpretatur), quod LXX transtulerunt, *domum Jacob*, nomen pro altero nomine, et non rem intelligentes. Rursum ubi nos posuimus, *Et non stillabis :* Symmachus interpretatus est, *non increpabis*. Stillare autem prophetas, idioma Scripturarum est : quod non totam Dei simul inferant iram, sed parvas stillas comminatione denuntient. Quia ergo dixisti mihi, *non prophetabis*, uxor tua in civitate fornicabitur, quod melius interpretatus est Symmachus, πορνευθήσεται : non quod ipsa fornicetur, sed quod passivo genere, ab aliis constuprata **335** sustineat fornicationem. Grandis autem dolor, incredibilisque ignominia, quando maritus in media civitate, præsentibus cunctis, uxoris injuriam prohibere non potest. Filii quoque, inquit, tui, et filiæ tuæ gladio cadent. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantus in uxore polluta, nec tantus dolor in uxore occisa, quantus in filiis trucidatis. Maritus enim libentius [b] audit uxorem interfici, quam pollui. Nec hoc sufficit ad injuriam, nisi et terra ipsius funiculo ab hostibus dividatur, et novos cultores recipiat. Ipse quoque Amasias, qui nunc gloriatur in sacerdotii potestate, nequaquam morietur in terra sua, sed ductus in captivitatem morietur in terra quæ polluta est idolis, et non ante morietur, nisi populum quem deceperat, servientem videat atque captivum. Secundum tropologiam, Amasias sacerdos interpretatur robustus et rigidus [*Al.* frigidus], eo quod rebellis et ferox ecclesiasticum virum et vere prophetam vetet Dei [c] verba proferre et doctrinam, et errantem populum corrigere prohibeat. Hujus uxor falsa Ecclesia, patebit fornicationi omnium : et filii ejus ac filiæ quas male in errore generavit, Domini mucrone ferientur : humus quoque illius et universa possessio erit pars dæmonum, et ipse morietur in terra polluta, quæ non habeat habitatorem Deum, sed multis pravæ religionis contaminetur erroribus, et omnis populus qui falsum sibi nomen assumit Israel, captivus migrabit de terra sua, ut non serviat Deo, sed hæreticorum ac dæmonum jugo colla submittat.

(Cap. VIII. — Vers. 1 seqq.) *Hæc ostendit mihi Dominus Deus : Et ecce uncinus pomorum, et dixit : Quid tu vides, Amos? Et dixi : Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me : Venit finis super populum meum Israel, non adjiciam ultra ut pertranseam eum, et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus. Multi morientur, in omni loco projicietur silentium.* LXX : *Sic ostendit mihi Dominus Deus : Et ecce vas aucupis. Et dixit : Quid tu vides, Amos? Et dixi, Vas aucupis. Et dixit Dominus ad me : Venit* [Al. *Veniet*] *finis super populum meum Israel : non addam ultra* **336** *ut pertranseam eum; et ululabunt laquearia templi in die illa, dicit Dominus Deus. Multi cadentes erunt : in omni loco injiciam silentium.* Quod Jeremias sub virga cernit vigiliarum, sive nucis (*Jerem.* I.) eo quod vigilaverit super peccata populi sui, ne quasi clausis et conniventibus oculis eorum

[a] *Æpolus* fuit Amos propheta juxta LXX, consequenter et infimus inter pastores : nam Donatus in Vita Virgilii ait αἰπόλους infirmos esse inter pastores. Est autem αἰπόλος pastor proprie caprarum, id est, *caprarius*, sive ποιμὴν τῶν αἰγῶν, et αἰγονόμος, hoc est *caprarum ductor*. Vidi ego sæpius in Vasconia hujuscemodi pastores ruborum mora distringentes, quia maxima est in regionibus nostris copia ruborum mora nigra afferentium, quæ famem et penuriam pauperum consolantur; qui si multa comederint, statim in morbum dysentericum incurrunt. MART.

[b] Nostri omnes mss. *habet*, pro *audit :* et paulo inferius *moriatur*, constanter, pro *morietur*. Denique unus Palatinus, *servientem idolis videat*, etc.

[c] Duo Palatin. *vetet Dei proferre doctrinam*, etc.

delicta non viderit : hoc nunc Amos adversus Judam et Israel pariter intuetur sub specie uncini, qui Hebraice appellatur CHELUB (כלוב) et a LXX in *vas aucupis* vertitur : cum *auceps* proprie MOCES (מוקש) nuncupetur, sicut supra in hoc eodem propheta legimus : *Si cadet avis super terram sine aucupe.* Et est sensus : Sicut uncino rami arborum detrahuntur ad poma carpenda : ita ego proximum captivitatis tempus attraxi. Et ut sciamus hoc esse, quod dicimus, ipse interpretatur Deus, quid significet visio, quam prophetæ ostenderat. *Venit finis super populum meum Israel.* Quodque sequitur : *Non adjiciam ultra ut pertranseam eum*, hoc significat, quod iniquitates populi sui ultra non transeat, nec negligat, neque impunita scelera transire permittat. Et ne solum de decem tribubus dicere videretur, intulit : *Stridebunt cardines templi*, sive *laquearia in die illa, dicit Dominus.* Hoc autem ὑπερβολικῶς accipiendum est, quod tam grave malorum pondus incumbat : ut ipsi quoque portarum cardines et excelsa laquearia ululent, et incredibilem sentiant vastitatem : quando multi morientur, et captis habitatoribus vel occisis, in omni loco projiciatur silentium. Sin autem voluerimus legere pro uncino pomorum *vas aucupis*, hoc dicendum est, quod quomodo aucupes visco vel retibus aves volantes per aerem, et sublimius discurrentes ad terram detrahit, sic Deus per Sennacherib sive Nabuchodonosor, quos nunc aucupes intelligimus, populum suum prius liberum, et Legis observatione sublimem comprehenderit, vinxerit, transtulerit, enecarit. Non enim injuste tenduntur retia avibus. Et hoc non solum ad Babyloniæ captivitatis tempus referendum est, sed et in adventum Domini Salvatoris, quando dixerunt : *Aufer de terra talem : crucifige eum, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 15), et perdiderunt alas columbæ. Et venit **337** finis super eos, et extrema captivitas, ultraque non pepercit eis Dominus. Et ululaverunt cardines templi, vel laquearia templi, super occisum populum corruentia. Et in omni loco projectum est silentium, habentibus Judæis Moysen et Prophetas, et non habentibus Verbum Dei : legentibus litteram, et perdentibus spiritum, quando facta est mensa eorum in laqueum, et in retributionem, et ruinam, et excæcati sunt oculi eorum, ut non viderent, et obturatæ sunt aures eorum, ut non audirent : et incurvatum est dorsum eorum, ne cœlum suspicerent ; sed cum Evangelica illa muliere, quæ habebat spiritum infirmitatis (*Marc.* VII), semper terræ incumberent. Et effusa est super eos ira Dei, et furor iræ ejus comprehendit illos, ita ut fieret habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non esset habitator : quando completum est : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam famem super terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini* (*Infra, v.* 11) : de quo in posterioribus, si pervenerimus ad calcem, plenius disserendum est. Nos ergo cernentes, quia Deus naturalibus ramis non pepercit, timeamus eadem perpeti, et aucupis laqueos declinemus, dicamusque ad Dominum : *Ne taceas, neque compescaris, Deus, et ne sileas a me, et assimilabor descendentibus in lacum* (*Psal.* XXVII, 1). In toto orbe terrarum projectum est silentium Judæorum : ubicumque fuerint, mussitant potiusquam loquuntur, et cum blasphemia eorum contra Dominum Salvatorem ad cœlum usque perveniat, omnis interpretatio Scripturarum muta est et silens, et aures non penetrat audientium.

(Vers. 4, seqq.) *Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis* [a] *egenum terræ, dicentes : quando transibit mensis, et venundabimus merces, et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum : et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calciamentis, et quisquilias frumenti vendamus.* LXX : *Audite hæc qui conteritis mane pauperem, et opprimitis egenos de terra, qui dicitis : Quando pertransibit mensis, et negotiabimur : et sabbata, et aperiemus* **338** *horreum, ut faciamus minorem mensuram et majus pondus : et faciamus stateram iniquam, ut possideamus in pecunia pauperes, et egenum pro calciamentis, et de omni venditione negotiemur.* Ne frustra videatur uncinus pomorum, et vas aucupis esse monstratum, et per hæc vicina imminere captivitas, causæ offensæ Dei breviter describuntur. O tu, Juda, o tu, Israel, audite quæ scelera feceritis, de nocte surgentes, pro oratione et hymnis in Deum : studium habetis opprimendi, sive conterendi pauperes, ut fame et egestate confecti auferantur de terra. Qui exspectatis kalendas, ut negotiemini, et usuras augeatis de usuris, et sabbata, ut aperiatis horrea, detisque frumenta amplius recepturi, et Dei solemnitates turpis lucri gratia in vestra compendia vertitis : qui minorem in vendendis mercibus mensuram facitis, et majora pondera in accipiendis, stateramque iniquam, [b] ut possideatis pecunia pauperes, et tam viles habeatis homines, ut impleatis illud, quod supra de vobis dixeram : *Pro eo quod vendidistis argento justum, et pauperem pro calciamentis* (*Supra.* II, 6) : in tantam lucri rabiem prosilistis, ut non frumenta, quorum esu hominum corpora sustentantur, sed quisquilias et purgamenta frumenti vendatis pauperibus, pulverem et paleas tritico commiscentes. Quod quidem et perversos doctores ac principes, qui absque Dei timore dominantur cleris, de quibus Jeremias loquitur : *Cleri eorum non proderunt eis* (*Jer.* XII, 13, *juxt.* LXX), nonnumquam facere cernimus, qui putant quæstum esse pietatem, et sedentes in templo nummularii

[a] Juxta Hebraic. et Vulgatam Victorius *egenos.*

[b] Fœdo errore deerant isthæc in Martianæi editione verba : *ut possideatis pecunia pauperes, et tam viles habeatis homines*, quæ utpote ad orationis integritatem necessaria, ex mss. nostris omnibus, editisque aliis libris suffecimus.

proponunt columbas, non in caveis, sed in cathedris quasi magistri, Spiritus sancti dona vendentes : qui faciunt mensuram minorem atque majorem, ut pauperibus, vel parum, vel nihil : divitibus autem et his, de quibus sectantur lucra, in modum concionatorum loquantur sermone longissimo : et propter pecuniam conterant capita pauperum atque conculcent, et non frumentum Domini, quod confirmat cor hominis, sed quisquilias et vilissimum pulverem avidis faucibus ingerant : etiam hæc quæ nullius sunt pretii venditantes, cum Dominus apostolis præceperit: **339** *Gratis accepistis, gratis date* (*Matt.* x, 8).

(Vers. 7, 8.) *Juravit Dominus in superbiam Jacob, si oblitus fuero usque in* (Vulg. *ad*) *finem omnia opera eorum. Numquid super isto non commovebitur terra : et lugebit omnis habitator ejus : et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti.* LXX : *Juravit Dominus contra superbiam Jacob, si obliviscetur in finem omnia opera vestra. Et super his non conturbabitur terra, et lugebit omnis habitator ejus, et ascendet quasi flumen consummatio ipsius : et descendet quasi fluvius Ægypti.* Jurantem Deum sæpius Scriptura describit. Primum in Genesi : vocavit Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus : quia fecisti verbum hoc, et non pepercisti filio tuo charissimo, benedicens benedicam tibi, et multiplicans multiplicabo te quasi stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris* (*Genes*, xxii, 16, 17). Et in centesimo nono psalmo : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cix, 5). Quod, quicumque est ille qui ad Hebræos scripsit epistolam, disserens ait : *Quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum* (*Supra*, iv, 2). Et in hoc eodem propheta supra legimus : *Juravit Dominus in sancto suo*, sive *per sanctos suos : quia ecce dies venient super vos, et tollent vos in armis*, sive *in contis*, et reliqua. Qui ergo prius in sancto suo, sive per sanctos suos juraverat, nunc jurat contra superbiam Jacob : ut si non credunt comminanti, credant juranti in humanam similitudinem : qui juramentum tunc assumunt, quando simplicibus eorum verbis non creditur. Nec mirum est si Deus jurare dicatur, cum dormientibus dormiat, et vigilantibus vigilet : hisque qui sibi thesaurizaverunt iram in die iræ, dicatur irasci (*Rom.* ii). Jurat autem, quod non obliviscatur usque in finem operum eorum ; superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacob.* iv) ; sed omnia memoriter teneat quæcumque peccaverint, et usque ad finem et judicii tempus adducat. Unde pœnitentes [*Al.* patientes] rogant : *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum* (*Psal.* lxxviii, 8) : præsertim cum adversus superbos ipsa terra moveatur, sive turbetur et lugeat, non colonus et advena, sed habitator ejus : et ascendat sicut fluvius consummatio, et descendat sicut **340** flumen Ægypti : ut qui egerit pœnitentiam, ascendat cum fluvio scandente : qui autem perseveraverit in delictis, descendat sicut fluvius Ægypti, et ingressus mare absorbeatur. Ac per hoc ostendit superbiam Jacob, contra quam jurat Dominus, æternis suppliciis devorandam.

(Vers. 9, 10.) *Et erit in die illa, dicit Dominus* [Vulg. addit *Deus*] : *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis : et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum : et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium : et ponam eam quasi luctum unigeniti : et novissima ejus quasi diem amarum.* LXX : *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus : occidet sol meridie, et contenebrescet super terram in die lux : et convertam solemnitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum : et inducam super omnem lumbum saccum, et super omne caput calvitium : et ponam eam quasi luctum dilecti : et qui cum eo sunt, quasi diem doloris.*

Dies illa [*Al.* diem illam], diem captivitatis significat, quando uterque populus ducetur in Assyrios atque Chaldæos, quibus præ tristitiæ magnitudine occidet sol meridie : et clara omnibus luce, tenebræ cuncta complebunt : quando festivitates eorum et omnia cantica in luctum planctumque conversa sunt. Et super omne dorsum, sive lumbos, accincti sunt cilicio, et juxta consuetudinem veterum lugentium, super capita habuere calvitium : quod et Job in mortibus filiorum fecisse legimus (*Job* i). Et tanta erit magnitudo luctus atque tristitiæ, ut unici filii morientis matrique charissimi vincat dolorem : et omnia planctu et amaritudine compleantur. Possumus hunc locum et in Domini intelligere passione, quando sol hora sexta retraxit radios suos, et pendentem in cruce Dominum suum spectare non ausus est (*Luc.* xxiii) : quando tenebris cuncta complentibus, festivitates eorum et cantica, Vespasiano Titoque superantibus, in planctum luctumque mutata sunt : quando lacrymarum et pœnitudinis et ciliciorum repleta sunt omnia, et capita habuere calvitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæsarie, comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius Dei, populus Israel, qui in Unigenitum et vere Filium Dei miserat manum, æterno luctui traditus est : et novissima ejus, sive qui **341** cum eo erant, amaritudine sunt repleta. Nunc ergo illis habentibus tenebras, qui repulerunt solem justitiæ : nos qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis, vidimus lucem magnam (*Isai.* ix), et illorum universa festivitas ad Ecclesiæ translata est mysteria, ut, illis flentibus, nos laudes Domino concinamus. Illi pro zona accinguntur funibus et ciliciis : nobis cum apostolis dicitur : *Sint lumbi vestri præcincti* [Al. *accincti*], *et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* xii, 35). Nos accincti sumus Christi veritate, implentes illud quod scriptum est : *State accincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* vi, 14). Illi autem pro veritate circumdati sunt diaboli mendacio. Nostrum caput, de quo Salvator loquitur : *Vestri autem et capilli capitis numerati sunt* (*Matt.* x, 30), habet comam perpetuam, et in capite nostro, qui Christus est, fortitudinem possidemus, ut inter-

ficiamus Ieonem. Illi autem dormierunt in meretricis synagogæ genibus (*Judic.* XVI), et diabolo tondente derasi, virtutem capitis perdiderunt, amittentes cum robore oculos, de quibus in Ecclesiaste scriptum est: *Sapientis oculi in capite ejus : qui autem stultus est, in tenebris ambulat* (*Eccli.* II, 14). Illorum socii versantur in luctu, nostri comites induuntur lætitiæ vestimento.

(Vers. 11, 12.) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam* [Vulg. *mittam*], *famem super terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare : et ab Aquilone usque ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. In die illa deficient virgines pulchræ, et adolescentes in siti : qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt. Vivit deus tuus, Dan, et vivit via Bersabee : et cadent, et non resurgent ultra.* LXX : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus Deus, et emittam famem super terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Et commovebuntur aquæ de mari usque ad mare : et ab Aquilone usque ad Orientem circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. In die illa deficient virgines pulchræ, et juvenes in siti : qui jurant per propitiationem Samariæ : qui dicunt : Vivit deus tuus, Dan, et vivit deus tuus, Bersabee : et cadent, et non* **342** *resurgent amplius. Aquæ* in Hebraico non habentur, *et propitialio*, quam nos in *delictum* vertimus, et ab Hebræis vocatur ASAMATH (אשמת), *idolum* significat : quod principium peccatorum est. Vetus narrat historia, tam Latina quam Græca, et omnium gentium barbararum, nihil fame durius, quæ sæpe compellit obsessos humanis vesci carnibus, et in suam sævire naturam : ita ut nec parentes parvulis parcant liberis, et maritalis affectus dudum amatæ uxoris membra dilaceret. Si hoc facit fames corporum, quid de fame dicendum est animarum? quæ in die resurrectionis Domini oppressit populum Judæorum, et juncta fami ardentissima sitis, non habentium panem, qui de cœlo descendit, et eas aquas, quæ de Jesu ventre manarunt. Ablata est ab eis Lex, et Prophetæ æterno conticuere silentio : moventur a mari ad mare, et ab oceano Britannico, usque ad oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, et ab Aquilone usque ad Orientem, toto orbe peregrini, verbum Dei non valent invenire. In quo loco interrogabimus Judæos, quam illam diem significari putent, in qua sustineant famem audiendi verbum Dei : præsertim cum legant Scripturas, et humilitatem sequantur litteræ? Quibus ingerimus [*Al.* ingeremus] famem esse prædictam intelligentiæ spiritualis, in qua Christus cernitur, passio Domini et resurrectio reperitur. Circumeunt orbem, et quærunt verbum Domini, et non inveniunt : quia Verbum Domini negaverunt, quod factum est in manibus omnium prophetarum, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). In illo tempore defecerunt virgines pulchræ, et adolescentes, sive electi, atque doctores (hoc enim significat BAURIM (בחרים)) defecerunt in siti. Virgines [a] pulchras synagogas interpretantur, et electos, magistros populi. Qui cum defecerint, maledictiones Deuteronomii in populo Judaico docent esse completas (*Deut.* XXVII, XXVIII, XXIX). Hi electi atque doctores juraverunt in idolo Samariæ, in vitulis scilicet aureis, et dixerunt : *Vivit deus tuus, Dan,* in terminis **343** terræ Judaicæ, ubi nunc Paneas est, et eo tempore vitulus aureus colebatur : *et vivit via Bersabee,* quia longo illuc et raro itinere commeabant, propter reges Judæ justos pariter et injustos. Et quia hoc fecerunt, idcirco corruent, et non resurgent amplius, id est, non recipient eum statum, quem prius habuerant : Mittit autem Dominus famem in terram super eos, qui terrena sapiunt : et famem non panis, sitimque non aquæ, sed audiendi verbum Domini, quando propter peccata populi doctrina deficit [*Al.* defecit] in Ecclesiis : et a mari usque ad mare, id est, [b] a salsis et amarissimis fluctibus usque ad mare perveniunt : non occurrentes fluminibus, non dulcissimis et variis fontibus, sed rursus ad amara currentes : et ab Aquilone usque ad Orientem, cupientes Aquilonem deserere (qui est ventus durissimus, et ab ignorantibus dexter vocatur) et pervenire ad Orientem, quem reperire non poterunt : quia non recto pergunt itinere, sed deviis circumeunt callibus : viamque regiam non tenentes, curvis ducuntur anfractibus. In illo tempore deficient animæ virginales, quas incorruptas Apostolus nominat : et cupit æternam pudicitiam possidere, scribens ad Corinthios : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo* (II *Cor.* X, 2, 3). Et si essent omnes virgines pulchræ vel bonæ, numquam dixisset, *deficient virgines bonæ :* sed ad distinctionem malarum virginum bonas posuit, quæ sunt sanctæ corpore et spiritu. Malæ virgines quinque sunt stultæ, quæ lampadibus suis oleum non paraverunt (*Mat.* XXIII). Bonæ et speciosæ virgines illæ sunt, quæ lumen habuerunt virtutum, et sponsi [*Al.* sponsæ) thalamum ingressæ sunt. Deficient autem virgines, quia verbum Dominii jam esse completas, postquam venit tempus, quo defecerunt electi populi magistri : puta quod habetur, cap. 28, Judaicum populum in caudam ponendum, serviturum inimicis suis, et ad paucos numero redigendum.

[a] Ad nostrorum codicum fidem, et Florentinorum quos Victorius consuluit locum hunc ita emaculavimus : quem Martianæus corruptum, imperfecte, aut nulla sensu, etiam post Victorii monitum retinuit ad hunc modum : *Virgines pulchræ, quas synagogas interpretantur*, etc. Mox quoque ex iisdem mss. et Brixianis apud Victorium *docent* reposuimus pro *dicent* : scilicet ostendunt, maledictiones Deuteronomii esse completas.

[b] Corrupte Martianæus, et contra mss. editorumque librorum fidem, *falsis*.

ni non invenient. Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesiis, perire pudicitiam, castitatem mori, omnes **344** abire virtutes : quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit saginatus ejus cibo, audiet per Salomonem : *Justus comedens saturat animam suam : animæ autem impiorum esurient* [Al. *esuriunt*] (*Prov.* XIII, 2). [a] Et David qui ad senectutem perveneral, libere decantabat : *Juvenis fui, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Ps.* XXXVI, 26.) Quanti martyres in persecutionibus perierunt fame, et indiguerunt frumento alimentisque istis corporum. Ergo de eo dicit pane, qui de cœlo descendit, quem qui comederit, nec esurire poterit, nec sitire. Deficientibus autem virginibus, et adolescentes deficient, qui prius vicerant mundum ; et idcirco deficient, quia jurant in idolo Samariæ, quam in hæreticorum persona semper accipimus, dicente hoc eodem propheta : *Væ qui despiciunt Sion, et confidunt in monte Samariæ* (*Supra* VI, 1). Despiciunt enim hæretici Ecclesiam Dei, et confidunt in falsitate dogmatum suorum, erigentes se contra scientiam Dei, scisso populo ejus, dicentes : *Non est pars nobis in David, neque hæreditas in filio Jesse* (III *Reg.* XII, 16.) Si quis ergo jurat in delicto Samariæ, et dicit : *Vivit deus* [b] *tuus, Dan, vivit via Bersabee ;* iste cadet et resurgere ultra non poterit. Dan tribus in ultimis Judæorum terminis possessionem invenire non potuit, sicut in libro Judicum (*Cap.* XVIII), scriptum est, interpretaturque *judicium*. Bersabee autem pro varietate accentuum vertitur in linguam nostram, *puteus juramenti*, aut, *puteus satietatis*, ac *septimi*. Itaque et hæretici in extremis Scripturarum sanctarum finibus sitient, Dei judicium contemnentes, et desiderantes viam Bersabee, quæ fuit in tribu Juda : multaque Ecclesiæ imitari sacramenta cupientes, saturatos et repletos esse se dicunt. Quibus apostolus exprobrat Paulus : *Jam saturati estis, jam divites facti estis* (I *Cor.* IV, 8), et jurant in nomine Domini, qui semel cadentes, quia deos idolorum, deum arbitrantur suum, amplius non resurgent. Qui autem voluerint agere pœnitentiam, **345** et non dixerit : *Vivit deus tuus, Dan, et vivit via Bersabee*, audient per Jeremiam : *Numquid qui cadet* (Al. *cadit*), *non resurget : aut qui aversus est, non revertetur* (*Jerem.* VIII, 4).

(Cap. IX. — Vers. 1.) *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem, et commoveantur superliminaria : avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam. Non erit fuga eis : fugiet* [Vulg. *eis, qui fugient*], *et non salvabitur ex his qui fugerit.* LXX : *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute super propitiatorium, et commovebuntur vestibula : et disjice in capita omnium, et reliquos eorum gladio interficiam. Non fugiet ex eis, qui fugerit : et non salvabitur ex illis, qui fuerit resalvatus.* Qui cum Ezechiele et Joanne Baptista apertos viderit cœlos (*Ezech.* I ; *Mat.* III), et velamen, quod positum erat ante faciem Moysi (*Exod.* XXXIV), ab oculis ejus fuerit ablatum, ut impleatur in eo quod scriptum est : *Mandatum Dei lucidum illuminans oculos* (*Ps.* XVIII, 9) ; iste videbit stantem Dominum super altare, et præcipientem prophetæ, sive, ut multi putant, angelo, qui reddendis peccatorum suppliciis mancipatus est, ut percutiat cardines templi, sive propitiatorium, et commoveantur superliminaria ejus, sive vestibula. Cumque, ait, templum propter malitiam hominum dissipatum fuerit et destructum, et ira mea a sanctuario meo cœperit, unusquisque cognoscat se non posse evadere, avaritia omnia possidente, et novissima sua esse mortem, nullaque præsidia ad evadendam sententiam Dei posse succurrere : quodque juxta LXX legimus : [c] *ut disjiceret in capita omnium*, pulchre eorum capita dividuntur, qui ab eo, qui est caput omnium, sua sponte divisi sunt atque dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15), qui voce impia clamaverunt : *Crucifige, crucifige talem.* Et : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Quæ omnia et ad hæreticos referre possumus, quorum altare percutitur, et omnes initiationes et sacramenta sacrilega commoventur, qui avaritiam habuerunt in capitibus suis, clamante per eos perdice, et congregante quos non peperit, et faciente divitias absque judicio (*Jer.* XVII). Unde et novissima ejus sive reliquias Dominus interficiet, ut cœptum capitulum compleatur, et novissimum ejus erit **346** insipiens. Cum autem Dominus percusserit cardines, et induxerit super eos gladium, nullus erit qui possit evadere, et impendentem Domini gladium declinare. Simulque et hoc erit notandum, quod, stante super altare Domino, primum percutitur propitiatorium,

[a] Addunt hic editi libri ac mss. quamplures nomen Abrahæ, *Et David qui ad senectutem pervenerat Abrahæ, libere decantabat*, etc., quod perspicue falsum est, quia Abraham pervenit ad senectutem annorum centum septuaginta quinque (*Gen.* XXV, 7) : David vero fato functus est cum ad annos septuaginta pervenisset, uti exploratum nobis est e lib. II Reg. cap. V, vers. 4. Ergo nomen Abrahæ ab imperitis positum est, quod ms. codex monasterii S. Cygiranni non legit. MART.—Interserunt mss. editique ante Martianæum libri *Abraham*, aut *Abrahæ*, quod nomen Cisterciensis pro subsequenti verbo *libere* substituit. Atque est quidem ejus lectionis sensus paulo impeditior, neque enim ad Abrahæ senectutem, qui centum septuaginta quinque annos, David, qui solos vixit septuaginta, pervenit. Nihilosecius præferenda illa sit vetus, quæ librorum omnium est, lectio, huic quam ex uno ms. sancti Cygiranni Martianæus expressit. Et facile προπικῶς animæ senectus, id est, justitia ad S. Doctoris mentem ex toto superiori contextu, ipsoque laudati psalmi argumento accipienda est, non annorum, ut sensus sit, Davidem cum ad justitiam pervenisset Abrahæ, libere decantasse, *Juvenis fui, et senui ; et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem.* Congruit et modo propositum e Proverbiis testimonium, *Justus comedens saturat animam suam*, etc.

[b] Antea deerat *tuus*. De Bersabee, quæ mox varie interpretatur, vid. Quæst. in Gen. col. 537, et quæ ibi annotamus.

[c] Cistersiens. duoque Palatini mss., *ut dissecaret in capitibus omnium*, etc.

sive cardines templi, deinde commoventur vestibula, tertio capita omnium dividuntur, quarto qui reliqui sunt, interficiuntur gladio. Nisi enim superbiam hæreticorum suo Dominus calcaverit pede, et perversam sceleratamque doctrinam spirituali mucrone percusserit, et magistros eorum, qui accipiuntur in capitibus, inter se diviserit, atque in bonam partem occiderit, non possunt discipuli vivificari, secundum illud quod scriptum est : *Ego occidam, et vivificabo : ego percutiam, et sanabo* (*Deut.* XXXII, 39). Occiduntur et percutiuntur magistri, ut vivificentur discipuli : capita dividuntur, ut cætera membra sanentur.

(Vers. 2 seqq.) *Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos : et si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos : et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos : et si celaverint se ab oculis meis in fundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos : et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos, et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescit* [Vulg. *tabescet*], *et lugebunt omnes habitantes in ea, et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti.* LXX : *Si defossi fuerint in inferno, inde manus mea evellet eos : et si ascenderint in cœlum, inde detraham illos : si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde* [*Al. ibi*] *scrutans auferam eos : et si demerserint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo draconi, et mordebit eos : et si abierint in captivitatem ante faciem inimicorum suorum, ibi præcipiam gladio, et interficiet eos, et obfirmabo oculos meos super illos in mala, et non in bona. Et Dominus Deus omnipotens qui tangit terram, et commovet eam, et lugebunt omnes habitatores ejus, et ascendet sicut fluvius consummatio eorum, et descendet sicut flumen Ægypti.* Qui supra dixerat, *non erit fuga eis : fugiet, et non salvabitur qui fugerit*, nunc ipsam fugam in partes secat, et hyperbolice **347** etiamsi hoc et hoc fecerint, evadere eos non posse testatur. *Si descenderint*, ait, *usque ad infernum, inde manus mea educet eos* : [a] non quod ullus ante resurrectionis diem ab inferis retrahatur ; sed quod et in inferno positi, in illius potestate sint. Quod super Dathan et Abiron impletum esse cognoscimus, quos viventes terræ hiatus absorbuit (*Num.* XVI). Et si ascenderint, inquit, usque ad cœlum, inde detraham eos : quia et Enoch et Elias rapti cum corporibus in cœlum (*Gen.* V ; IV *Reg.* II), Dei reguntur arbitrio. Et cerne proprietates : ad infernum descenditur, ad cœlum conscenditur : de inferno educimur, de cœlis detrahimur. In altero extrema desperatio est, in altero superbiæ magnitudo. Si absconditi fuerint in vertice Carmeli, vel juxta Phœnicis terminos in septentrionali plaga, vel ad meridiem propter eremi vastitatem, ubi habitavit quondam Nabal Carmelius (I *Reg.* XXV), *inde*, inquit, *scrutans auferam eos :* et si in profundo maris (*Jonæ* I), atque ut de propheta loquar, in Tharsis, Dei oculos vitare conentur, ibi mandabo serpenti, quem [*Al.* qui] in hoc loco Leviathan, sive cete significat, ut servet metaphoram, et per serpentem atque cetum [*Al.* cete] ad hostes veniat. Et mordebit eos, id est, suis faucibus devorabit. Et ne forsitan per superiora quæ dixit, aliud quidquam captivitatem ab hostibus sentiremus, juxta morem suum aperit [*Al.* aperuit] Scriptura quod prius sub ænigmatibus dixerat. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos, ne scilicet extrema malorum suorum æstiment servitutem ; sed etiam captos hostilis mucro confodiat : et qui superesse potuerint et mortem evadere, Dei aspectum non effugiant ; sed ponat super eos oculos suos in malum, et non in bonum, ut semper eos visitet, et ad pœnitentiam per tormenta compellat. Et hæc facturum esse se dicit omnipotens Deus, ad cujus tactum et nutum terræ fundamenta quatiuntur, sive tabescunt, et omnis ejus habitator planctu et luctibus occupatur. Quæ loquitur, ut ostendat magnitudinem divinæ potentiæ, ne forsitan velit quidem facere quod minatur ; sed vires non impleant voluntatem. Sin autem terra tabescit, sive concutitur, **348** et Creatorem suum insensibilis quoque natura præsentit [*Al.* persentit] : quanto magis homo, fragile animal, cujus animæ thesaurus in vasis fictilibus atque corporeis clauditur ? Et quemodo Ægypti fluvius decurrit in mare atque sorbetur : ita et terra Israel, de qua supra dixerat : *Qui tangit terram, et tabescit*, ibit in captivitatem, et ab hostibus devorabitur : μετωνυμικῶς, ab eo quod habet, id quod habetur, divino significante sermone. Et hæc quidem sequentes historiæ ordinem, utcumque potuimus interpretati sumus : si tamen in quibusdam nos intelligentia non defecit. Cæterum omnem loci istius περιοχὴν David explicat, dicens : *Domine, probasti me, et cognovisti me* (*Ps.* CXXXVIII, 1). Statimque infert : *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum ibi es. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Ibid.*, 7-9). In Deuteronomio quoque simile quid legimus : *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est : neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum ad cœlum valet conscendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus ? Neque trans mare positum, ut causeris et dicas : Quis e nobis transfretare*

[a] Ita legit ms. codex Cluniacensis, et ita legendum docet Marianus Victorius. Erasmus autem et mss. codices non pauci alio sensu legunt, *non quod ullus ante resurrectionis diem ab inferis retrahatur*. Quod de resurrectione corporum intelligimus. MART.—Sic habent nostri omnes mss. sicque rei veritate clamante, Victorius restituit, cum esset antea sensu prorsus contrario *nullus*. Hoc interim mirum, Martianæum et mendosam lectionem *nullus* in textu retinuisse, et veram cod. Cluniacens. et Victorii emendationem probasse in Notis.

*poterit mare, et illud ad nos usque deferre ut possimus audire, et facere quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo ut facias illum* [Al. *illud*] (*Deut.* xxx, 11, 12). Quando enim anima vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo ire compellitur, propter tenuitatem substantiæ habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur (de quibus scriptum est : *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum* (*Ps.* ix, 18). Et : *In inferno quis confitebitur tibi* (*Psal.* vi, 6)? Et : *Descendit in infernum gloria tua* (*Ps.* xlviii, 18). Aut certe ad cœlestia sublevabitur, ubi sunt spiritualia nequitiæ in cœlestibus, et si sibi veræ *circumcisionis* scientiam voluerit vindicare, hoc enim interpretatur *Carmelus*, et humilitate contempta, habitare in montibus, et ibi scrutantem manum Dei evadere non valebit. Quod si desperans salutem, oculos Domini vitare tentaverit, et in ultimos falsorum **349** fluctuum terminos pervenire, etiam ibi mandabit Dominus serpenti tortuoso et antiquo (*Apocal.* xx), qui est inimicus et ultor, et mordebit eam. Capta quoque vitiis atque peccatis gladio Domini [a] punietur, et ponet oculos suos super eam in malum, et non in bonum, ut per cruciatus atque supplicia ad Dominum revertatur. Cumque Deus omnipotens tetigerit terram eorum atque concusserit, et tabescere fecerit cuncta terrena, intelligentes scelera sua, vertentur in luctum, et ipse Dominus dupliciter ascendet atque descendet. Ascendet super sanctos quasi fluvius consummationis ejus, id est, terræ : ut opera eorum terrena consumat. Descendet super peccatores quasi flumen Ægypti, ut in tormentorum amaritudinem impetu Domini detrudantur.

(Vers. 6.) *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen ejus.* LXX : *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et promissionem suam super terram fundat : qui vocat aquam maris, et effundit eam super faciem terræ : Dominus omnipotens nomen ejus.* Dominus Deus omnipotens, qui respicit, sive tangit terram, et commovet eam, ipse est qui quotidie ædificat in cœlo [*Al.* cœlum] ascensionem suam, et dicit in Evangelio : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17). Et non solum de costa Adam in typum Ecclesiæ semel ædificavit Evam (*Genes.* ii), sed quotidie credentes et membra corporis sui ædificat, et de terris ad cœlum levat, ut in illis ipse conscendat. Ascendit Dominus in cœlum cum Enoch (*Genes.* v), ascendit cum Elia (IV *Reg.* ii), ascendit cum Moyse, [b] cujus sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inveniri (*Deut.* xxxiv). Ascendit cum Paulo qui vas electionis, in apostolum de persecutore mutatus est (II *Cor.* xii), et de humilibus raptus in sublimia, ita ut ascenderet in cœlum tertium, et per Spiritum sanctum et Filium perveniret ad Patrem, et audiret verba ineffabilia, mysterii [*Al.* mysteria] Trinitatis, quæ hominibus audire non licitum est. Iste ergo qui quotidie ascendit in sanctis, fasciculum suum fundavit super terram, **350** de quo in Evangelio loquitur : *Ne timeas, grex parvule, quia complacuit Patri meo habitare in te* (*Luc.* xii, 32). Iste fasciculus una Domini religione constrictus est. Unde et ipsa religio a religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit. Porro juxta Septuaginta, *repromissionem suam fundat* [Al. *fundavit*] *super terram*, ut omnes illius repromissiones quas sancti prophetæ suo ore cecinerunt, non inanem sonum habeant, et [c] cassa solius tropologiæ nomina; sed fundentur in terra. Et cum historiæ habuerint fundamenta, tunc spiritualis intelligentiæ culmen accipiant : ut vere Christus de Virgine natus sit, vere Lazarum mortuum suscitarit, vere ad tactum ejus αἱμορρόουσα sanata sit, vere in adventu Domini cæci viderint, claudi cucurrerint, contractæ manus extensæ sint, lepra mundata sit; licet secundum tropologiam quotidie de anima virginali nascatur sermo divinus, quotidie peccato mortui, et vitiorum funibus alligati, de sepulcro scelerum suorum jubeantur exire, quotidie sanguinis opera constringantur, cæci in fidelitate Christi lumen aspiciant, claudicantes prius fide, currant in via Domini, et aridæ manus avaritia, extendantur ad eleemosynam, et lepra Mariæ, quæ contaminat quidquid attigerit, recipiat pristinam puritatem (*Num.* xii). Iste autem Dominus amarissimas quoque aquas maris vocat, et effudit [*Al.* fundit] eas super eos, qui faciem suam verterunt ad Dominum. Ideo autem vocat amaras aquas, ut dulces faciat, et educat ventos de thesauris suis, et graves salsugine aquas sua in altum jussione suspendat, eliquansque eas, et æthereo calore decoquens, dispenset in pluvias, et emittat super faciem terræ, ut arentia quæque rigentur imbribus, et ubi abundavit peccatum, superabundet gratia.

(Vers. 7, 8.) *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ : verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus.* LXX : *Nonne ut filii Æthiopum vos estis* **351** *mihi, filii Israel, dicit Dominus? Nonne* [Al. *Non*] *Israel eduxi de terra Ægypti, et alienigenas de Cappadocia, et Syros de fovea? Ecce oculi Domini Dei super regnum peccatorum, et auferam illud a facie terræ. Verumtamen non in finem auferam domum Jacob, dicit Dominus.* Pro Cyrene, Aquila et quinta editio ipsum verbum Hebraicum posuerunt

[a] Mediceus quidam cod., Victorio teste, *percutietur* : quæ lectio, inquit ille, magis congruit Vulgatæ editioni, quæ legit *occidet*, et LXX qui habent, *interficiet*. Eligat lector, quam maluerit.

[b] Alludit ad Moysis Ἀνάβασιν, sive ἀνάλημψιν, de qua vide cod. Pseudepigraphum veteris Testamenti pag. 839.

[c] Vitiose Martianæus *crassa*.

cir (קיר), Septuaginta *foveam*, id est, βάθρον, Theodotio *parietem*, Symmachus *Cyrenem* : quem et nos in hoc loco secuti sumus. Totam loci hujus quem proposui, et omnium quæ hoc capitulo continentur, intelligentiam brevi sermone concludam, usque ad eum locum in quo scriptum est : *Qui dicunt, non appropinquabit, et non veniet super nos malum*, ut possimus nosse quod dicitur ; Ego Dominus Deus omnipotens, quem celari (*Al.* celare) nihil potest, qui tango terram, et movebitur : qui ædifico in cœlo ascensionem meam : qui voco aquas maris, et effundo eas super faciem terræ : cujus est nomen Dominus, qui creator sum omnium : cunctas gentes de eodem finxi luto, et æquali sorte generavi. Denique Æthiopes, Palæstinos, Syros atque Judæos, distantes locis atque corporibus, mortalitatis lege sociavi, et pro arbitrio meo servos meos huc illucque commuto, et in universas provincias transfero. Ne erigamini in superbiam, quod vos de Ægypto eduxerim, et quasi peculiarem populum meum Pharaoni servire non passus sim : hoc idem feci et Palæstinis, quos Septuaginta *alienigenas* transtulerunt, [a] qui Hebraice appellantur CAPHTHORIM (כפתורים), ut transferrem eos de Cappadocia, et in Palæstinæ regionibus collocarem : Syros quoque, id est, ARAM (ארם) transtuli de Cyrene : ex quo qui æquali conditione sunt facti, æquali judicii mei sententia punientur, et omnia absque discretione personarum, impia regna subvertam. Vos autem, o filii Israel, de quibus dixi : *Primogenitus filius meus Israel* (*Exod.* IV, 22). Et : *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Osee* XII, 1), percutiam in virga, et visitabo peccata vestra ; sed non in perpetuum conteram, et **352** misericordiam meam non auferam a vobis (*Ps.* LXXXVIII), et quasi in cribro agitatos atque concussos, mundabo et eligam, ut qui lapillus fuerit, et per pœnitentiam roboratus, de cribro meo non excidat : qui autem instar pulveris ceciderit in terram, percutiatur gladio, ut (*Al.* et) moriantur peccatores populi mei : non quia ante peccaverint ; sed quia usque ad mortem perseveraverint in peccatis. Omnis autem qui est Israel et prius Deum mente conspiciens, [b] eductusque de Ægypto, si desiderans vitia Ægypti, et sæculi voluptates, non solum in Ægyptum, sed in Æthiopiam revertatur, in qua qui fuerit, juxta Jeremiam (*Cap.* XIII), pellem suam mutare non potest, Christi salvatur (*Al.* salvat) adventu, et impletur in eo quod scriptum est ; *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Ps.* LXVII, 32). Cumque eum adoraverit, dicetur de illo : *In conspectu ejus procident Æthiopes* (*Ps.* LXXI, 9). Qui cum prociderint, et trans flumina Æthiopiæ inde detulerint victimas Domino, dicere poterunt : *Nigra sum et speciosa, quoniam decoloravit me sol* (*Cant.* I, 4). Corpora enim umbris otioque marcentia, tentationes et æstus sæculi ferre non possunt : quæ autem ad luctam et ad certamina præparantur, sole siccata superant mundi injurias, et benedictionem sancti Spiritus consequuntur, dicentis ad justum : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX, 6). Æthiopes ergo vertuntur in filios Dei, si egerint pœnitentiam, et filii Dei transeunt in Æthiopes, si in profundum venerint peccatorum. Ipse enim Creator omnium Deus Cappadoces vertit in Palæstinos, et eos qui versabantur in frigore fidei, et Aquiloni vento durissimo subjacebant, fecit bibentes cadere, et deposita superbia, Domini sentire judicium. Syros quoque, id est, excelsos atque sublimes, qui dicuntur ARAM ארם transtulit de Cyrene, infirmo pariete, sive quæ imminebat amarissimo mari, et vicina Syrtibus erat, et juxta LXX in fovea tenebatur, mutavit in bonam partem, ut excelsos faceret. Oculi enim Domini super omnia sunt regna **353** peccantia, quæ ostendit diabolus Domino (*Matth.* IV), et de quibus Apostolus dicit : *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Verumtamen cum in virga visitet peccatores, et conterat eos atque percutiat, qui permanserint in peccato : eas animas, quæ appellantur domus Jacob, et supplantant peccatum, et in certamine superant, et plantam cruenti fratris invadunt, in æternum perire non patitur.

(Vers. 9, 10.) *Ecce enim ego mandabo, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur* [Addit Vulg. *triticum*] *in cribro, et non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei qui dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum.* LXX : *Quia ecce ego præcipio et ventilabo in cunctis gentibus domum Israel, sicut ventilatur in ventilabro, et non cadet contritio super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt : Non appropinquabit, neque venient super nos mala.* Deus qui mensus est aquas manu, et cœlum palmo, et omnem terram concludit pugillo (*Isai.* XL), ipse pro magnitudine sua, utraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc illucque concutiet : ut paleis ac sordibus peccatorum in terram cadentibus, purum frumentum remaneat, quod condatur in horrea : sive ut LXX transtulerunt, ventilabrum tenebit in manu, et purgabit aream suam, et triticum condet in horreis, paleas autem comburet igni inexstinguibili ; de quibus lo-

[a] Luxatus omnino est locus iste, legendusque inverso ordine, *ut transferrem eos de Cappadocia, qui Hebraice appellantur Caphthorim*. Etenim quis nesciat Palæstinos Hebraice פלשתים, *Phelesthim* appellari, non כפתורים, *Caphthorim*, quod est Cappadocum nomen ? Aliter Victorius de suo corrigit : *qui Hebraice appellantur* פלשתים *ut transferrem eos* מכפתור, *id est de Cappadocia* : quod minus probatur, cum possit locus, nullis inductis ex ingenio verbis, ordine tantum, ut innuimus, incisorum mutato, restitui. Sed nullam ineat a lectoribus gratiam Martianæus, qui errorem, ut ait Victorius, complosis manibus explodendum dissimulavit, aut penitus non animadvertit.

[b] Hæc omnium librorum est lectio, eaque satis perspicua : nec video cur mutet Victor. In *eductus est*, dicatque, aliter non constare sensum.

quitur per Jeremiam : *Quid paleis ad frumentum, dicit Dominus* (*Jer.* XXIII, 28) ? De hoc eodem sub figura alterius parabolæ, sagena illa demonstrat, quæ mittitur in mare hujus sæculi, et extrahit pisces omnium generum, projectisque malis piscibus, boni tantummodo reservantur (*Matth.* XIII) : ita et Dominus miserabilem domum Israel toto orbe dispersit, et concussit in cribro et ventilavit pala : lapillisque et calculis super terram non cadentibus, morientur in gladio, qui propter sordes et pulverem peccatores populi nominantur. Et hoc patientur quia non credunt vaticinia prophetarum, nec **354** putant esse ventura quæ per eos Dominus comminatur. Cumque sibi prospera repromittant, mala postea sustinebunt, e regione sanctis timentibus, et non peccantibus, et idcirco nequaquam morientibus gladio, quia dixerunt : Appropinquabunt nobis mala, et venient super nos supplicia, quæ peccata nostra meruerunt, de quo plenius in Jeremia loquitur Deus : *Assumam, et loquar super gentem et regnum, ut auferam eam et disperdam ; si conversa fuerit gens illa a malis suis, et ego agam pœnitentiam de his quæ cogitaveram facere ei* (*Jer.* XVIII, 7, 8). Non ergo Deus mutatur, qui semper est immutabilis ; sed nos eum nostra conversione mutamus. Sævit, irascitur, comminatur, et dicit se illaturum esse supplicia : si agamus pœnitentiam, ipsum quoque suæ pœnitebit sententiæ. Rursum juxta eumdem Jeremiam (*Cap.* XVII) [a] promittit prospera : si negligentia dissolvamur, et illum pœnitebit sponsionis suæ, promissaque mutabit. Cujus rei exemplum Ninivitas et Jerusalem habere possumus, quorum alii de imminentibus suppliciis liberati sunt : alii quæ patribus promissa fuerant, perdiderunt.

(Vers. 11 seqq.) *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumeæ, et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc.* LXX : *In die illa suscitabo tabernaculum David quod ceciderat, et* [b] *reædificabo ea quæ corruerant, et quæ* [c] *suffossa sunt suscitabo, et instaurabo ea sicut dies antiquos, ut quærant me reliqui hominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc omnia.* Ubi apostolorum præcedit auctoritas, [d] maxime Petri et Jacobi, quos columnas Ecclesiæ Vas electionis vocat (*Galat.* II), ibi omnis variæ explanationis tollenda suspicio est, et quod a tantis viris exponitur, hoc sequendum. In Actibus apostolorum quæstione inter apostolos suscitata, cur homines ex gentibus, **355** Paulus et Barnabas absque circumcisione et observantia sabbati susceperint, Petrus respondit, ut debuit : cujus sententiam probans Jacobus, hæc locutus est : *Viri fratres, audite me : Simon enarravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et ædificabo tabernaculum David quod cecidit, et diruta ejus reædificabo, et erigam illud : ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc : notum a sæculo est Domino opus suum* (**Act.** XV, 13 *et seqq.*). Hoc igitur tabernaculum David quod ceciderat (ceciderat autem in his qui dicunt, *non appropinquabit, et non veniet super nos malum* : quos Dominus cribro suo concusserat et probaverat, et quorum aream majestatis suæ purgaverat ventilabro, et quicumque peccatores fuerant interfecit gladio) nunc juxta consuetudinem Scripturarum, post tormenta, post pœnas, prospera et læta promittens, suscitaturum esse se dicit, et in resurrectione Domini omnia restituturum, ut quod in synagogis ceciderat, surgat in Ecclesiis, et possideant credentes reliquias Idumææ, et omnes nationes, ut quidquid reliquum fuerit de regno sanguinario atque terreno, in cœlestia regna mutetur, et omnes gentes quæ oblitæ sunt Dominum, convertantur et revertantur ad eum. Sin autem juxta LXX legere voluerimus, *ut* [e] *quærant me reliqui hominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum*, reliquos hominum eos debemus accipere, qui de Judaico populo crediderunt, et quasi [f] lapillus non ceciderunt de cribro, nec cum pulvere paleisque et sordibus sunt projecti. Reliquiæ enim in principio fidei salvæ fient, et in fine mundi, ut cum subintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiat [*Al.* fiet] (*Rom.* XI). Nomen autem Domini quod invocatur super reliquos et super omnes gentes, illud est de quo Salvator dicit : *Pater, revelavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6). Et ne longo sermone regulam differam sponsionum, et in hoc propheta, et in cæteris quæcumque de ædificatione Jerusalem [*Al.* muri Jerusalem] et templi, et rerum **356** omnium beatitudine prædicantur, Judæi in ultimo tempore vana sibi exspectatione promittunt, et carnaliter implenda commemorant. Nos autem qui non occidentem litteram; sed spiritum sequimur vivificantem, jam in Ecclesia convincimus expleta, et quotidie impleri in singulis, qui ruentes per peccatum, reædificantur per pœnitentiam.

[a] In uno Cisterciensi alteroque Palatin. ms. *juxta eumdem Jeremiam prospera, si agamus pœnitentiam ; quod si negligentia dissolvamur*, etc.

[b] Antea erat *ædificabo*, minus recte pro *reædificabo*, quod præferunt mss. et Græc. ἀνοικοδομήσω.

[c] Corrupte Martian. retinuit, *suffusa* pro *suffossa*, quod et nostri mss. et Victorius pridem ex septem Florentinis ad Græcum κατεσκαμμένα restituunt. Mox pro *antiquos*, unus Cisterc. habet *antiqui* : denique postremam vocem, *omnia*, prætermittit, quam et in Græco Alexandrinum et Complut. exemplar ignorat.

[d] Martian., *auctoritas maxima, Petri, Jacobi*, etc. minus recte, et contra mss. fidem.

[e] Tres mss. *ut requirant reliqui Israel, et omnes*, etc.

[f] Vide pseudo Rufinum Comment. in hunc prophetam pag. 557 et seq., ubi de lapillis in cribro positis ad impetum cribro conciliandum loquitur.

(Vers. 14, 15.) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et* [a] *comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem et omnes colles culti erunt. Et convertam captivitatem populi mei Israel, et ædificabunt civitates desertas, et habitabunt, et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* LXX : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et apprehendet tritura vindemiam, et variabitur uva in semente. Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles consiti erunt. Et convertam captivitatem populi mei Israel, et ædificabunt civitates dissipatas, et habitabunt, et plantabunt vineas, et bibent vinum earum, et facient hortos, et comedent fructum eorum. Et plantabuntur super terram suam, et non avellentur amplius de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus omnipotens.* Suscitato tabernaculo David quod ceciderat, et reædificatis his quæ fuerant lapsa atque subversa, describitur rerum omnium abundantia, quomodo hi qui prius euntes, ibant, et flebant, portantes semina sua, venientes venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV) : ut consequatur manipulorum tritura vindemiam, sive arator messorem et uva varietur, ac ducat colorem in tempore seminis : sive, ut verius est, calcator uvæ comprehendat sementem, et sic sibi invicem cuncta succedant, ut nulla dies sit absque frumento, vino et gaudio. In illo tempore, plenis torcularibus uva calcabitur, et de Christi ac martyrum [b] sanguine rubentia musta fundentur, et hujuscemodi calcator uvæ erit seminarium sermonis Dei, ut sanguis eorum magis clamet in mundo, quam clamavit sanguis Abel **357** justi. Quicumque autem merito virtutum suarum ad montana conscenderit, melle sudabit, immo stillabit dulcedinem sermonis Dei, de quo scriptum est : *Gustate et videte quam suavis est Dominus* (*Ps.* XXXIII, 9) : Et, *Quam dulcia eloquia tua gutturi meo, super mel et favum ori meo* (*Ps.* CXVIII, 103). Et qui infra montes, immo secundi a montibus fuerint, quos sponsus transilit in Cantico Canticorum (*Cant.* II), et appellat colles, consiti erunt et imitabuntur paradisum Dei : ut omnia in illis poma pendeant doctrinarum. Tunc si quis infidelitate captivus est, et necdum credidit in nomine Domini, et est de reliquiis populi quondam ejus Israel, revertetur ad fidem Christi, ut quem in Prophetis audierat, in Evangelio teneat. Hi autem montes qui stillabunt dulcedinem, et colles qui consiti fuerint, postquam converterit Dominus captivitatem populi sui Israel, ædificabunt civitates antea desertas, et habitabunt in eis : ut unaquæque civitas exstructa dicat : *Ego civitas firma, civitas quæ oppugnatur* (*Prov. sec.* LXX), et de qua Dominus in Evangelio loquitur : *Non potest civitas abscondi super montem posita* (*Mat.* V, 14). Et in Psalmis dicitur : *Fluminis impetus* [c] *lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 4). Plantabunt quoque vineas cum Noe (*Gen.* IX), et bibent vinum earum, et inebriabuntur, et audient a Domino Salvatore : *Bibite, amici* **358** *mei, et inebriamini* (*Cant.* V, 1). Bibent autem vinum, quod se in regno Patris cum apostolis suis novum bibiturum esse pollicitus est (*Marc.* XIV). Hæc est vinea Sorec, cujus vinum quotidie in mysteriis bibimus. Nec harum rerum felicitate contenti, propter delicias facient hortos, et irrigabunt eos : ut nulla desint in eis genera virtutum, et comedent fructus eorum : qui enim plantaverit et rigaverit, ipse et comedet. Cumque hæc omnia montes et colles fecerint, stillantes dulcedinem, et ædificantes civitates, et habitantes in eis, plantantes vineas, et bibentes vinum earum, facientes hortos, et comedentes fructus eorum : tunc ipsos plantatores plantabit Dominus super terram suam, de qua dicitur : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ps.* XXVI, 13). Et in Evangelio : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Mat.* V, 4). Postquam autem plantaverit eos, et firma [*Al.* firmas] in altum radice [*Al.* radices] solidarit, non evellet ultra de terra, quam dederat eis [*Al.* dederit]. Ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad finem mundi, concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus ejus, id est, Ecclesiæ, se facturum esse pollicitus est : cujus promissio, lex naturæ est.

[a] Iterum vitiose retinuit Martian, *comprehendit*.
[b] Vide S. Zenonis tractatum 27 et seq., lib. II.
[c] Mavult Victor. plurium numero, *lætificant*, juxta Græcum εὐφραίνουσι.

# S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

# COMMENTARIORUM IN ABDIAM PROPHETAM

## LIBER UNUS.

## PROLOGUS [a].

**359-360** Cum essem parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam : postquam factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui (I *Cor.* XIII). Si Apostolus proficit [*Al.* profecit], et quotidie præteritorum obliviscens, in priora se extendit, ac secundum præceptum Domini Salvatoris, stivam tenens, post tergum non respicit (*Phil.* III ; *Luc.* IX) : quanto magis ego, qui necdum ad ætatem perfecti viri, et in mensuram Christi (*Ephes.* IV) [b] veni, mereri debeo veniam, quod in adolescentia mea provocatus ardore et studio Scripturarum, allegorice [c] interpretatus sum [*Al.* sim] Abdiam prophetam, cujus historiam nesciebam. Ardebat animus cognitione mystica, et quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diversa esse charismata : [d] litteras sæculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Stultus ego, viginti quatuor seniores habentes in manibus phialas et citharas, et quatuor animalia plena oculis consurgunt de throno suo, imperitiam confitentur, gloriam Agno canunt (*Apoc.* V), et virgæ de radice Jesse, et putabam posse me, quod credebam : cujus in manu non fiebat sermo Dei, nec dicere poteram : *A mandatis tuis intellexi* (*Ps.* CXVIII) : neque illius de Evangelio beatitudinis recordabar : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Necdum de altari carbo sublatus, labia mea purgaverat (*Isai.* VI, 8). Necdum error veteris ignorantiæ igne Spiritus sancti fuerat circumcisus, **361-362** et audacter loquebar ad Dominum : *Ecce ego, mitte me.* Sperabam in scriniolis latere [*Al.* jacere] quod scripseram, et ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, cum subito de Italia affertur exemplar a quodam juvene tot annis, quot et ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui. Ille prædicabat, ego erubescebam : ille quasi mysticos intellectus ferebat ad cœlum, ego demisso capite confiteri meum pudorem prohibebar. Quid igitur? condemnamus in quibus pueri lusimus ? minime. Scimus enim in tabernaculum Dei, et aurum, et pilos caprarum similiter oblatos. Leginus in Evangelio (*Marc.* XII), viduæ pauperis duo minuta, magis quam divitum substantias approbata [*Al.* approbatas]. Et tunc dedimus quod habuimus, et nunc, si tamen aliquid profecimus, Domino suum reddimus. Gratia enim ejus sum quod sum (I *Cor.* XV). Nec diffiteor per hosce triginta annos [e] in ejus opere me ac labore sudasse. Clemens est pater : cito revertentem filium suscipit, nec exspectat donec quis aperiat ostium : ipse egreditur obviam, annulum et stolam parat ; licet germanus invideat, et scortatorem ac nepotem vocet, de salute illius symphonia Angelicæ lætitiæ cunctarumque virtutum in cœlestibus personat (*Luc.* XV). Hoc est illud tempus, mi Pammachi, hac luce dulcius, quo egressi scholam Rhetorum, diverso studio ferebamur, quando ego et Heliodorus charissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur [*Al.* volebamus]; quod putabam latere, vulgatum est. Per vetera vestigia rursum ingrediar, emendans, si fieri potest, curvos apices litterarum. Infans eram, necdum scribere noveram : titubabat manus, tremebant articuli. Nunc, ut nihil aliud profecerim, saltem Socraticum illud habeo : Scio, quod nescio. Dicit et Tullius tuus, adolescentulo sibi inchoata quædam et rudia excidisse. Si hoc ille tam de libris ad Herennium, quam de Rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit : quanto magis ego libere profitebor, et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis! In libris quoque contra Marcionem Septimius Tertullianus hoc idem passus [*Al.* fassus] est, et Origenes in Cantico canticorum : et Quintilianus in duodecim libris Institutionis oratoriæ.

[a] Hæc quoque Pammachio inscribitur Explanatio.
[b] Pro *veneram*, ut videtur.
[c] Confer quæ in Generalis præfationis parte altera num. 20, de hoc in Abdiam tentamento Hieronymi diximus.
[d] Verius, opinor, duo Palatini mss. *litterulas.*
[e] Voculas, *in ejus*, iidem mss. ignorant.

Ex quibus perspicue ostenditur unamquamque ætatem in suo esse perfectam, et ex annorum debere numero judicari. Sed jam tempus est proponere exordium Abdiæ, et orationum tuarum auxilio, cui volumen hoc scribitur, confragosum mare, et sæculi recurvos gurgites transfretare.

# INCIPIT LIBER.

Vers. 1.) *Visio Abdiæ.* [a] Hunc aiunt esse Hebræi, qui sub rege Samariæ Achab, et impiissima Jezabel pavit centum prophetas in specubus, qui non curvaverunt genu Baal, et de septem millibus erant, quos Elias arguitur ignorasse (III *Reg.* XVIII), sepulcrumque ejus usque hodie cum Mausoleo Elisæi prophetæ **363** et Baptistæ Joannis in Sebaste venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes rex Judææ Antipatri filius, in honorem Augusti Cæsaris Græco sermone vocavit *Augustam*. Hic igitur, quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus, fit dux Ecclesiæ. Tunc in Samaria parvum gregem paverat : nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesias, et φερωνύμως, sicut in Actis Apostolorum Stephanus martyrio coronatus (*Act.* VII), ita et hic servus appellatus est Domini. Porro quod contra Idumæam cernens, non *onus*, id est, λήμμα, et *pondus* Idumææ videt secundum regulam et distinctionem, quam in Nahum scripsimus, illud in causa est, quod vel *Edom*, id est, *Esau* (*Gen.* XXVI), non de extraneis gentibus computatur, filius Isaac et frater Jacob : unde et terra illius non datur in possessionem Israel, nec dimittitur bellare contra [b] eam, et adversus fratrem armari prohibetur (*Deut.* II) : vel certe visio est, non Idumææ, quod poterat, si ita scriptum esset, facere quæstionem; sed Abdiæ, id est, *servi Domini*, quam videt gentibus, ad quas legatum misit Dominus. Et quibus dicitur : *Surgite, et consurgamus adversus eam in prœlium*. Destructio enim Idumææ, visio [c] Nahum est. Sin autem quæritur quare ponatur in titulo, *Visio Abdiæ;* et nihil postea quod visum est demonstretur, secundum illud Isaiæ : *Vidi Dominum sabaoth sedentem super thronum excelsum et elevatum* (*Isai.* VI, 1). Et Ezechiel : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei :* statimque subjungitur : *Et vidi, et ecce spiritus turbinis* [Al. *auferens*] *veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et splendor in circuitu ejus* (*Ezech.* I, 1 *et seqq.*); sed post visionem Abdiæ protinus inferatur : *Hæc dicit Dominus ad Edom*. Et iterum : *Ecce parvulum dedi te in gentibus*, de Deuteronomio sumemus exemplum, in quo non res, sed verba cernuntur : *Attende*, inquit, *tibi, et conserva animam tuam vehementer, ne forte obliviscaris sermonum, quos viderunt oculi tui* (*Deut.* IV, 9). Et Joannes in Epistola : *Quod vidimus*, inquit, *oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ* **364** *palpaverunt de Verbo vitæ* (I *Joan.* I, 1). Et Moyses vocem Domini, quæ ad eum loquebatur, vidisse se dicit (*Exod.* XX). Si ergo post visionem inferuntur quæ dicta sunt, et videntur mentis oculis quæ auribus percipi solent, recte videns, quia prophetæ antea vocabantur *videntes*, titulo prænotat visionem.

*Hæc dicit Dominus Deus ad Edom :* Parvus propheta, versuum supputatione, non sensuum. Alioquin ut in tribus voluminibus Salomonis, Canticum canticorum quanto brevius est, tanto difficilius. Et Epistola ad Philemonem quem sensum haberet, expressimus. Evangelicus quoque sermo breviatus, laciniosis Legis operibus angustior est. Ita hic quoque propheta quasi servos Domini juxta Abraham, Isaac, et Jacob, et Moysen famulum Dei, et apostolum sermo Christi, ea videt, ea audit, quæ prophetali digna sunt servitute. Multi putant juxta interpretationem nominis, quod servus iste sit Domini, cui dicitur in Isaia : *Magnum tibi est vocari te puerum meum* (*Isa.* XLIX, 6, *sec. LXX*), qui se exinanivit formam servi accipiens (*Philip.* I). Sed si hoc ita intellexerimus, alius nobis quærendus erit legatus, qui est missus ad gentes. Et dum tropologiam sequimur, perdimus manifestissimam prophetiam. Quærimus ergo quis sit iste Edom, vel Idumæa, ad quam nunc per Abdiam Dominus loquitur. In libro Geneseos Esau filium Isaac appellatum fuisse Edom, quia propter rufum lenticulæ cibum primogenita vendiderit, manifestissime legimus (*Genes.* XXV) : *Edom* enim interpretatur πυῤῥὸς, id est, *rufus*. In eodem volumine scribitur hunc eumdem vocatum esse *Seir*, id est, *pilosum*, quia hispidus erat, et non habebat lenitatem Jacob. Unus ergo atque idem tribus nominibus appellatur, *Esau*,

[a] Nec ipse abludit Hieronymus, sive Eusebius in Chronico, ubi sub Josaphat Hebræorum Judæ rege, quo tempore Hebræorum Israel Achab rex fuit, Abdiam docet prophetasse. S. tamen Augustinus l. XVIII de Civ. Dei cap. 31 : *Tres*, inquit, *prophetæ de minoribus, Abdias, Nahum, et Ambacum, nec sua tempora dicunt ipsi, nec in Chronicis Eusebii aut Hieronymi quando prophetaverint, invenitur*. Qua de re plura nobis ad annum quintum Josaphat in Chronico dicenda sunt.

[b] Duo palatini mss., *contra eum, et adversus fratrem arma prohibentur*.

[c] Quæ hactenus obtinuit in libris omnibus lectio *Nationum*, pro *Nahum*, plane visa est manifestum mendum, cujus causa et contextus Hieronymiani, et sacræ Historiæ sensus nullus constaret et veritas. Et mirari subiit, errorem insignem editorum nemini suboluisse : proclive autem erat opinari, antiquarium scripturæ, quam compendiariam facile putaverit, similitudine deceptum. Nobis prophetæ nomen restitui, jam propositum erat, cum in uno Palatino ms. secunda manu a studioso quopiam idem annotari, expuncta *Nationum* voce observamus.

*Edom*, *Seir*, possedítque eam regionem, quæ nunc Gebalena dicitur, et in finibus est ἐλευθεροπόλεως, ubi ante habitaverant *Horræi*, qui interpretantur *liberi* : unde ipsa urbs postea sortita vocabulum est. Quod ergo Hebraice EDOM (אדום), et Græce dicitur *ἰδουμαία*, nunc viculus Palæstinæ est : **365** a conditore sic imposito nomine : cujus Latina quoque et Græca meminit historia. Iste est cui dicitur per Amos : *Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum : eo quod persecutus sit gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem* (*Amos.* I, 11). In Isaia quoque juxta Hebraicum legimus : *Onus Duma ad me clamat ex Seir : custos quid de nocte, custos quid de nocte* (*Isa.* XXI, 11)? Et Jeremias in eamdem prophetiam pari voce consentit, dicens : *Numquid non est ultra sapientia in Theman* (*Jer.* LIX, 9)? et reliqua usque ad finem ejus prophetiæ, ubi dicitur : *Et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.* Exceptoque ordine commutato, et aliis quæ videntur discrepare, magna pars Abdiæ in Jeremiæ volumine continetur. Isti sunt montes Seir adversum quos Ezechielis facies roboratur, et dicitur : *Dabo montem Seir desolatum, et desertum.* Et post paululum : *Dissipatus eris, mons Seir, et Idumæa omnis.* Longum est si voluero cunctas Scripturas eventilare, et proferre in medium super montes Seir, maximeque Malachiæ, ubi statim in principio scriptum est : *Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus : Et dilexi Jacob, Esau autem odio habui. Et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditates* [Al. *hæreditatem*] *ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa : destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ deserta sunt. Hæc dicit Dominus exercituum : Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum* (*Malac.* IV, 2, 3, 4). Quia ergo didicimus terram Idumæorum adversariam esse terræ repromissionis, et Esau inimicum legimus Jacob, et populum esse cui iratus est Dominus in sempiternum, nosse debemus secundum leges tropologiæ, aut contra Judæos factum esse sermonem (qui sunt æmuli Christianis, et persequuntur fratrem suum Jacob, populum supplantatorem, qui illis primogenita præripuit), aut certe adversus omnes hæreses et contraria dogmata veritati, quæ videntur quidem nobis esse vicina ; sed magis adversaria sunt, et de paterna hæreditate simplicem, et habitatorem domus Jacob nituntur expellere. Porro quia *Idumæa et terrena* interpretatur, et propter colorem rubrum *cruenta* quoque **366** intelligi potest : idcirco Salvator reportans ad Patrem de mundo victoriam, quando Angeli conclamabant : *Aperite portas, principes, vestras, et introibit rex gloriæ* (*Ps.* XXIII, 7). Et in Isaia stupentes interrogabant : *Quis est iste qui ascendit de Edom, fulvida veste de Bosor, sic formosus in stola candida* (*Isa.* LXIII, 1, 2, 3)? Et ad ipsum cominus loquebantur : *Quare rubrum est indumentum tuum : et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Ipse loquitur in triumpho, exponens palmas crucis suæ : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Sunt qui Idumæam ad carnem referant, et adversus illius pugnam animam æstimant provocari, ut mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur. Judæi frustra somniant contra urbem Romam, regnumque Romanum hanc fieri prophetiam ; et illud quod in Isaia scriptum est, *Onus Duma* (דומה), paululum litteræ apice commutato pro DELETH legi posse RES, et sonare *Romam* (רומה) : VAU quippe littera et pro *u*, et pro *o*, eorum lingua accipitur.

*Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit : Surgite et consurgamus adversus eum in prælium.* LXX : *Auditum audivi a Domino, et munitionem in gentibus misit : Surgite et consurgamus adversus eum in prælium.* Jam ut supra diximus, eumdem esse Edom quam et Idumæam, quia in Hebraico ipse qui condidit : in Græco urbs quæ sit ab eo condita nominatur. Audivit ergo vel Abdias, vel omnes prophetæ pariter audierunt (omnes enim scribunt contra Edom) quod ad gentes legatus missus sit, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, de quo et Pater loquitur per Aggæum : *Movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus* (*Aggæi* II, 8). Iste in Isaia, magni consilii Angelus, et Pater futuri sæculi scribitur (*Isai.* IX). Quod autem pro legato, id est SIR (ציר), Septuaginta περιοχήν, id est, *munitionem* interpretati sunt, possumus dicere, quod ipse legatus noster sit, et ipse munitio : dicens ea quæ prophetalis sermo contexuit : *Surgite, et consurgamus adversus eum*, vel *eam in prælium.* Legatus qui ad gentes est missus, hæc loquitur : *Surge qui dormis, et elevare a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Ac ne forsitan gravis **367** nobis [*Al.* vobis], et insolita pugna videatur, me, inquit, habetis primum in acie. Ego ero ἀρχιστρατηγὸς præliorum, qui et Jesu filio Nave gladium tenens apparui : et Amalec in crucis meæ [a] vexillo, Moyse pugnante, superavi (*Exod.* XVII). Jeremias in visione contra Idumæam non multum ab his discrepat : *Auditu*, inquit, *audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est : congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prælium* (*Jer.* XLIX, 14). Sequitur :

(Vers. 2 seq.) *Ecce parvulum dedi te in gentibus : contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petræ* [Vulg. *petrarum*] : *exaltantem solium tuum* [Vulg. *suum*], *qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde te detraham, dicit Dominus.* LXX : *Ecce minimum*

[a] Vocem, *meæ*, ex nostris mss. post Victorium suffecimus, quod ex persona Christi hæc dicantur. Idem paulo post, *Auditum* legit, pro *auditu*. Denique quod et nos probamus, ita ferentibus mss. nostris *missus est*, juxta Græcum ἀπέστειλεν : pro quo retinuit Martianæus *missus sum*.

*dedi te in gentibus : inhonoratus ēs tu valde. Superbia cordis tui elevavit te habitantem in foraminibus petrarum, exaltantem habitaculum tuum atque dicentem in corde tuo : Quis me deducet in terram ? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter media sidera ponas nidum tuum : inde te detraham, dicit Dominus.* Jeremias, cujus supra fecimus mentionem, prope in eadem verba consentit, dicens : *Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilem inter homines : arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis: cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum : inde te detraham, dicit Dominus.* In interpretatione prophetica debemus morem nostrum sequi, ut primum historiæ fundamenta jaciamus, deinde si possumus, excelsas turres et tectorum culmina subrigamus. **B** O, inquit, Edom, qui cum minimus sis, inter omnes in circuitu nationes, et ad comparationem gentium cæterarum parvus in numero, ultra vires erigeris superbia. Cumque habites in speluncis, immo in cavernis petrarum, humilis atque pauperculus, et excelsa ædificiorum tecta non possidens, quasi aquila in sublime sustolleris, et tantum cogitatione intumescis, ut inter sidera habitare te credas : etiam si ultra naturam posses cœli alta penetrare, inde te detraherem, **368** et ad terram deducerem, dicit Dominus Deus. Illud autem quod in Jeremia additum est, *et apprehendere niteris altitudinem collis*, aperuit ænigma, *collem* significans *montem Sion*, ac per hoc vel ipsam urbem Jerusalem, vel templum quod in ea conditum est, vult intelligi. Aquilam autem cunctis avibus altius volitare, etiam hi qui de natura avium disputant, memoriæ prodiderunt : tantique contuitus esse dicitur, ut cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat, et cum juxta littus fuerint, tormenti instar descendere, raptamque prædam pennis ad littus pertrahere. Si didicimus historiam, sequamur intelligentiam spiritualem. Licet tibi, o hæretice, magnus esse videaris, et contemnas Ecclesiæ paucitatem : tamen parvus es in gentibus, et contemptibilis, et non solum contemptibilis, sed et cum ἐπιτάσει valde contemptibilis. *Superbia cordis tui extulit te.* Quis enim hæreticorum non in superbiam extollitur, Ecclesiæ simplicitatem parvipendens, et fidem imperitiam **D** reputans? *Habitantem in scissuris petræ, et exaltantem solium suum.* Petra quamquam frequenter vel in persona Domini, vel in soliditate ponatur (unde et propheta dicit, *Statuit supra petram pedes meos* (*Ps.* XXXIX, 5) : et ad Petrum dicitur, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Mat.* I, 8); tamen et in contrariam partem frequenter accipitur : *Auferam*, inquit, *cor lapideum*, [a] *et dabo vobis cor carneum* (*Ezech.* XXXVI, 26). Et : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matt.* III, 9) : maximeque hic, ubi non dixit, habitantem super petram, in qua prudens ædificator domum suam exstruit; sed in scissuris petræ, ut hæreseon a petra Christo [*Al.* Christi] et ab Ecclesia significet scissiones. Porro quod sequitur : *Exaltantem solium tuum* : Et, *qui dicit in corde suo : Quis detrahet me in terram?* tumorem hæreticæ mentis ostendit, confidentium sibi in mysteriis et in secretis suis, et quantum in ipsis est (hyperbolice autem hoc accipere debemus), repromittentium sibi regna cœlorum. Unde ad hujuscemodi homines **369** scribit Apostolus : *Jam sine nobis regnatis, atque utinam regnaretis, ut et nos vobiscum regnaremus* (I *Cor.* IV, 8). Tale quid et David loquitur : *Posuerunt* [Al. *Posuerint*] *in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terram* (*Psal.* LXXII, 9). Si exaltati ergo fuerint, ut aquila **B** (nam et ipsi aquilarum sibi similitudinem pollicentur, quæ solent ad cadaver Dominicum congregari), et si inter media sidera posuerint nidum suum, inde detraham eos, dicit Dominus. Sicut enim dormiente patrefamilias, inter bonam sementem inimicus homo zizania superseminat (*Matth.* XIII) : ita solet aquila illa grandis (*Ezech.* XVII, 3), magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, quæ habet ductum intrandi in Libanum, et tollit de cacumine cedri, et plantat super aquas multas, ut in vineam plantaria pullulent, inter sidera Ecclesiæ, de quibus et in alio loco dicitur : *Justi autem sicut stellæ fulgebunt* (*Mat.* XIII, 43), ponere nidum suum. Dixi supra, hoc ipsum et adversum carnem posse intelligi quod imminutæ sint vires ejus in adventu **C** Christi, et contemptibilis sit, animæque subjecta imperio, et frustra erigatur, cum habitet in cavernis petræ, vel sensibus, vel cogitationibus, et velit dominari animæ, exaltans solium suum, nec opera sua credens posse superari. Cui dicitur, quod quamvis se erigat, et aquilæ imitetur excelsa, multosque sanctorum deceperit : tamen a Domino superata sit atque dejecta. Quod in hæreticis et in carne intelleximus, contra Judæos quoque intelligi potest.

(Vers. 4 seq.) *Si fures introissent ad te : si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid non* [Vulg. tacet *non*] *saltem racemum reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus?* LXX. *Si fures introissent ad te, vel latrones per noctem, ubi projectus esses? Nonne furati essent sufficientia* [Al. *sufficientiam*] *sibi? Et si vindemiatores introissent ad te, nonne reliquissent racemum? Quomodo perscrutatus est Esau, et deprehensa sunt abscondita ejus?* Jeremias similiter, licet ordine commutato: *Si vindemiatores venissent super te, non* [Al. *nonne*] *reliquissent racemum? si fures in nocte, rapuissent utique quod sufficeret sibi. Ego vero discooperui Esau, revelavi abscondita ejus, et celare non* [b] *possunt* (*Jer.* XLIX, 9, 10). Quod dicit, hoc est : **370** Si fures et latrones qui de nocte domos suffodere consueverunt, et rapere quæ in domibus sunt, introissent ad

[a] Addunt Palatini mss. *de carne vestra.*

[b] Mss. omnes, *poterit* : quidam etiam *celari* : Græce est κρυβῆναι οὐ μὴ δύνανται.

te, et absconditi tenebris, circuissent domus tuæ angulos, utique hoc tulissent quod sibi putabant posse sufficere, et aliquid in ædibus tuis, vel per satietatem, vel per ignorantiam reliquissent. Si vindemiatores introissent vineam tuam, et eam vel hostiliter vastare, vel a te conducti demetere cuperent, quamvis diligens eorum fuisset vindemia, tamen racemos vitibus foliisque celatos, inter palmites reliquissent. Sed omnia hostes, qui ad te, Domino jubente, venerunt (significat autem Babylonios, et exercitum Nabuchodonosor), investigaverunt omnia secreta tua, et cavernas, ac foramina speluncarum, in quibus habitas, lustraverunt. Et revera, ut dicamus aliquid et de natura loci, omnis australis regio Idumæorum de Eleutheropoli usque Petram, et Ailam (hæc est enim possessio Esau), in specubus habitatiunculas habet. Et propter nimios calores solis, quia meridiana provincia est, subterraneis tuguriis utitur. *Discooperui*, inquit, *Esau*, id est, quod terra premebatur in medium protuli, et aperta sunt omnia quæ claudebas, substantiamque tuam me pariter cum hostibus perquirente, nulla potuerunt secreta celare. Aliter, Fures et latrones, qui ingrediuntur nocte, quia filii sunt noctis et tenebrarum, hæreticos puto, contraria veritati dogmata prædicantes, qui furantur sufficientia sibi, et quotidie de Ecclesiæ gregibus rapere festinant. Isti ingredientes vineam Domini nostri (*Psal.* LXXIX), quam de Ægypto hujus sæculi transtulit, et de cujus genimine vinum se esse bibiturum in regno Patris pollicetur, ita cupiunt universa populari, ut vix racemum relinquant in ea. Sed econtrario Dominus agit : omnia enim secreta eorum, et occulta mysteria, et patriarcharum Esau (hos quippe intelligo qui primi hæreses adinvenerunt) per sanctos suos et Ecclesiasticos viros atque doctores profert in medium, et prima illius victoria est, patere quæ tegebantur occulta. Unde et cum admiratione dicitur, *Quomodo perscrutatus est Esau, deprehensa sunt occulta ejus?* Vide Marcionem et Valentinum, et omnes hæreticos, **371** quomodo in doctrinis dæmoniorum, cauteriatam habentes conscientiam, applaudant sibi, et simplices animas quasi quibusdam divinis mysteriis initiantes, composito sermone decipiant. Sed cum triginta æonas, et [a] quadradas, et octoadas et duodecadas, et duplicem deum, et portentosum Abraxas in medium sermo protulerit : tunc prudentia Esau stultitia demonstrabitur, et investigabuntur secreta ejus.

(Vers. 7.) *Usque ad terminos emiserunt te omnes viri fœderis tui, illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tuæ, qui comedunt tecum, ponent insidias subter te : non est prudentia in eo.* LXX : *Usque ad terminos dimiserunt te : omnes viri testamenti tui restiterunt tibi, prævaluerunt adversum te viri pacifici tui : posuerunt insidias subter te : non est sapientia in eo.* Quidam id quod supra exposuimus, *Quomodo perscrutatus est Esau, et comprehensa sunt abscondita ejus*, ad terminos usque distinguunt : ut sit sensus, abscondita tua atque secreta usque ad terminos revelata sunt. Nobis autem melius videtur, ut cum posterioribus copuletur. Veniente ergo Nabuchodonosor (de quo in Jeremia contra Idumæam dicitur : *Ecce quasi leo* [b] *ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam, quia subito currere eum faciam ad illam* (*Jer.* XLIX, 19) : Ac deinde : *Ecce quasi aquila ascendet et volabit, et expandet alas suas super Bosram, et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis* (Ibid. 22),) omnes qui ante erant fœderati Edom, et in præsidio urbis superbissimæ fuerant, reliquerunt eum, et juncti hostibus contra eum insidias tetenderunt : prævalueruntque adversus eum, et tunc indicatum est, quia nulla in Edom esset sapientia : dum sperat in his qui adversarii demonstrati sunt. Aliter : Cum abscondita Esau, et quasi sacramenta magnifica, quibus prius populi fuerant irretiti, prolata fuerint in medium, ita ut vir Ecclesiasticus possit dicere : *Non enim ignoramus ejus astutias* (II *Cor.* II), derelinquent terminos Edom, et dimittent eum, et usque ad terminos Ecclesiæ transmigrantes, proferent doctrinas pessimas. Tunc illudent **372** et resistent quondam magistro suo, [c] dicentes falsa esse quæ didicerant : prævalebunt contra eum, et eruditi fide Ecclesiæ, falsum dogma convincet. Illi qui quondam comedebant apud hæreticos, non panem Eucharistiæ, sed panem luctus, et panem subcinericium qui non reversatur, proponent quæstiones de Scripturis, tendent insidias Idumæo atque terreno, et in omnibus carneo præceptori (hæreses enim ad Galatas inter carnis opera numeratas legimus (*Galat.* V), et tunc ostendetur non esse prudentia in Edom.

(Vers. 8, 9.) *Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes ex Idumæa, et prudentiam de monte Esau? Et timebunt fortes tui a Meridie : ut intereat vir de monte Esau.* LXX : *In die illa, dicit Dominus, perdam sapientes ex Idumæa, et intelligentiam de monte Esau. Et pavebunt pugnatores tui de Theman, ut auferatur homo de monte Esau.* Cum hostis fines tuos possederit, et omnes viri fœderis tui illuserint tibi, et prævaluerint contra te : tunc peribit sapientia de Idumæa et calliditas ejus stultitia demonstrabitur. Prudentiam quoque ipse Dominus auferet de monte Esau, id est, de montibus Seir, vel quia urbs Idumæa in monte sita est, vel quia omnis illa regio quæ ad Austrum vergens confinis est eremo, præruptis in montibus edita sit. Unde et dicitur : *Pavebunt pugnatores tui de Theman*, quod nos interpretati sumus, *meridiem*. Quomodo autem supra dixeram,

[a] Aliquot mss., *quadragenas;* alii, *quadrigas*. De *Abraxas* nomine diximus paulo superius in Amos cap. III. Pro *in medium*, Martian. *in medio* retinuit.

[b] Sic mss. et Græcus, ἀναβήσεται. Martian., male, *ascendit*.

[c] Rescribit Victor. *docentes*, alteramque *et* copulam verbo *prævalebunt* præponit. Nulli tamen e nostris, neque ex iis, opinor, quos ipse consuluit, mss. codices suffragantur.

Esau tribus nominibus appellatum : ita et plaga regni ejus, quæ ad Austrum vergit, tribus vocabulis appellatur, *Darom*, *Theman*, *Nageb* (דרום תמן נגב), quæ omnia juxta Ezechiel, *Austrum*, *Africum*, *Meridiemque* significant. Postquam vero timuerint fortes regni ejus, qui habitabant [*Al.* habitant] in Meridie, tunc interibit vir de monte Esau, qui et pugnare pro civitate, et prudenter dare consilium solitus erat. Aliter : Postquam hi qui prius decepti erant, conversi fuerint ad Ecclesiam : tunc ipso Domino dimicante, peribunt sapientes Idumææ, qui carnalia et terrena sapiebant, et auferetur prudentia de monte Esau, quæ elevabatur **373** contra scientiam Dei. Et qui prius pro Esau, et Idumæa dialectica arte pugnabant, et erant in præsidiis *Theman*, quod interpretatur *consummatio*, desinent pugnare pro magistris prioribus. Sive qui ante lumen sibi scientiæ promittebant, et putabant se esse in meridie, timebunt et formidabunt, ecclesiastico viro obtinente sophismata eorum : intantum ut nullus resideat qui possit, vel regis consilio, vel [a] pugnatoribus viris, pro hæreticorum superbia et falso dogmate dimicare.

(Vers. 10, 11.) *Propter interfectionem et* [Vulg. addit *propter*] *iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem : tu quoque eras quasi unus ex eis.* LXX : *Propter interfectionem et impietatem adversum fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et auferetis in æternum. Ex die qua restitisti contra, in die* [b] *ut caperent alienigenæ fortitudinem ejus, et alieni ingressi sunt portas ejus : et super Jerusalem miserunt sortem ; et vos eratis quasi unus ex eis.* Idcirco interibit vir de monte Esau, et peribit sapientia de Idumæa, et prudentia de monte Esau, quia interfecisti germanum, et inique egisti contra fratrem tuum Jacob : quando Chaldæis, Babyloniisque vastantibus Jerusalem, et obsidentibus civitatem, et ingredientibus portas ejus, mittentibusque sortem, in divisione prædarum, tu eorum socius eras, et in hostium numero versabaris. Aliter : Cuncta quæ supra scripta sunt patieris, o Edom cruente, terrene, crudelis : quia falsa mortiferaque doctrina, et adversum Dominum impietatem loquente, occidisti fratrem tuum Jacob. Legimus in Salomone : *Sunt qui loquuntur et interficiunt gladio* (*Prov.* XXV, 18). Et in alio loco : *Venenum aspidum sub labiis eorum* (*Ps.* CXXXIX, 4). Et, *Lingua eorum gladius acutus* (*Ps.* LVI, 5). Operiet ergo te confusio, et dices : *Confusio vultus mei operuit me* (*Ps.* LXVIII, 8) : ac peribis, non ad breve tempus, sed in æternum. Æterno enim quantum in te fuit fratrem vulnere percussisti. Sed et hæc erit causa cruciatus : nam quando alieni devastabant exercitum Jacob et ingrediebantur per portas ejus **374** in pacificam quondam Jerusalem, mittebantque sortes, ut ejus sibi spolia dividerent, tu unus eras ex hostibus. Legimus, vidimus, quotidieque comprobamus, quando persecutio contra Ecclesiam oritur, multo pejores persecutores Judæos et hæreticos in Christianos fieri, quam ethnicos. Possumus extraneos ingredientes portas Jerusalem λογισμούς, id est, *cogitationes* pessimas dicere, portasque Jerusalem, id est, animæ quiescentis et videntis Deum, quinque sensus interpretari, per quos introeant hostes, et spolia dividant Jerusalem. Si viderimus mulierem ad concupiscendum [*Al.* concupiscendam eam] (*Matth.* V), mors ingressa est per fenestras nostras (*Jer.* IX) : si susceperimus per aures mendacium ac judicium sanguinis, per aliam portam hostis ingressus est. Odoratus quoque, gustus et tactus, si vel variis odoribus, vel dulcibus cibis, vel amplexibus delicatis captus fuerit, per alias portas ingressi sunt adversarii, et spolia dividunt miseræ Jerusalem. Eo igitur tempore quo persecutionis impetu, et mortiferis voluptatibus de Ecclesia quispiam corruerit, videmus [*Al.* videas] exsultare hæreticos, gaudere Judæum, et unum esse de persecutoribus, et in ethnicorum eos numero computari.

(Vers. 12.) *Et non* [c] *despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus. Et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum, et non magnificabis os tuum in die angustiæ : neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum.* LXX : *Et non despicies diem fratris tui in die alienorum. Et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum : et non magna loqueris in die angustiæ : neque ingredieris portas populorum in die laborum eorum.* Idem sensus qui supra : Cum interierit vir de monte Esau, propter interfectionem, et impietatem [d] in fratrem ejus Jacob, et operuerit eum æterna confusio, nequaquam faciet quæ fecit ante contra germanum ; non enim despiciet et parvipendet, videns fratrem suum ire captivum : nec lætabitur [*Al.* lætaberis] super filios Juda. Duæ enim tribus excepta Levitica, quæ regnabant in Jerusalem, et appellabantur Juda, a Chaldæis captæ sunt. Et nequaquam **375** magna loqueris, et quasi unum de victoribus esse te credens, in fratris ridebis angustia. Neque in die vastitatis et ruinæ populi mei, tu per portam Jerusalem gloriabundus incedes. Et ideo ista non facies, quia et tu similia patieris. Aliter quando captivum videris diversis persecutionibus fratrem tuum, et abduci vinctum de Ecclesiæ fide, nec civitatem suam, sed peregrina quæque sectari, nequaquam lætaberis, quia et tu similia patieris. Lætabaris enim quando capiebatur Jacob, et super filios Juda, quos discipulos Christi intelligimus, exsultabas in die perditionis eorum. Significatur autem,

[a] Victor. ex Brixiæ Florentiæque codicibus corrigit *pugnatoris viribus*.

[b] Nostri mss., *in die cum caperent*. Græc., ἐν ἡμέραις αἰχμαλωτευόντων, etc.

[c] Retinuit Martian. *despicias*, contradicentibus mss. atque ipso quem laudat Victor. Hebraico et Vulgatæ editionis textu.

[d] Duo Palatin. mss. editique alii libri, *impietatem fratris ejus*.

quod anima in meditullio vitiorum atque virtutum posita sit, et possit in utramque partem per horarum momenta converti. *Nequaquam*, inquit, *magnificabis os tuum in die angustiæ*. Quod secundum duplicem sensum accipere debemus: corporalis, in persecutionibus et in peccatis: spiritualis angustiæ, cum anima hostibus vitiisque capta, [a] ducta fuerit in Babylonem. *Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum:* quando enim aut negatio nos oppresserit, aut voluptas, et rigorem pristinum infelix conscientia non servaverit, tunc facile ad contraria dogmata labimur, blandientia errori nostro, et non curantia vulnus, sed palpantia. Solatium miseriæ est, quamvis perditum, habere quod speret.

(Vers. 13, 14.) *Neque despicies et tu in malis ejus in die vastitatis illius, et non emitteris adversum exercitum ejus in die vastitatis illius. Neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint: et non concludes reliquos ejus in die tribulationis.* LXX: *Et non despicies etiam tu congregationem* [b] *eorum in die perditionis eorum: neque apponeris fortitudini eorum in die perditionis eorum: neque stabis in egressibus eorum, ut interficias eos qui salvi fuerint ex eis: neque concludes fugitivos eorum in die tribulationis.* Cum ipse captus fueris et Babylonio vastante deletus, inter cætera quæ fecisti, ne hæc facias quæ sequuntur: Non despicies, neque contemnes fratrem tuum Jacob in die vastitatis illius: neque apponeris ad exercitum Babyloniorum, sive non emitteris adversum **376** exercitum Juda, quando superatus ab adversariis terga verterit. Cumque cœperint fugere per notas sibi vias, et diverticula, et calles ad solitudinem perferentes, non stabis in bivio, nec venientes exspectabis in compitis, ut interficias eos qui fuerint liberati, aliosque comprehensos recludas: et vel ipse capias, vel captivitati hostium serves. Hæc juxta historiam diximus: debemus enim breviter manifestiora carpentes, ad ea quæ obscura sunt pergere. Quis hæreticorum non despicit ecclesiasticos? Quis non exsultat in malis eorum, si quando propter peccata populi persecutioni traditi fuerint, et multi vel infirma fide, vel supra petrosa seminati, in negationem corruerint, videas illos exsultare, gaudere, nostram ruinam, suam putare victoriam: intantum, ut jungantur gentibus, et persecutio sævior, vel ex Judæis, vel ex his fiat, qui fratres nostros esse se simulant, et eodem [*Al.* eorum] censentur nomine. Cumque aliquis, vel fuga, vel pœnitentia elapsus fuerit, stant in diverticulis, et proponunt sophismata, et testimonia, quasi de Scripturis proferunt: ut lassis atque confectis consuta offerant cervicalia, et ponant ea sub omni cubito manus. Atque ita fit, ut qui forsitan persecutionem, aut virtute superarint, aut timore effugerint, decepti pravis dogmatibus, rursum in carcere teneantur errorum, et multo fiat pejor ista tribulatio, quam fuit ex gentibus; facilius enim ab ethnicis captum liberes, quam hæreticorum præstigiis irretitum.

(Vers. 15, 16.) *Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi. Retributionem tuam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibisti super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: et bibent; et absorbebunt, et erunt quasi non sint.* LXX: *Quia juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet* [*Al. fecerit*] *tibi. Retributio tua reddetur in caput tuum. Quia quomodo bibisti super montem sanctum meum, bibent omnes gentes vinum: bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint.* Hæc autem, o Idumæa, ideo facere cessabis, quia veniet super te ultio Domini. Si enim juxta Jeremiam (*Jer.* xxv), **377** quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes biberunt: tu quasi innocens reliqueris: non eris innocens, sed [c] bibens bibes. Porro quod ait: *Juxta est dies Domini super omnes gentes*, legamus eumdem [*Al.* juxta] Jeremiam, et videbimus calicem Domini cunctis gentibus propinatum. Unde dicitur in eodem: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnes gentes.* Universas quippe nationes usque ad Propontidem, Scythicumque mare, et Ionium vel Ægæum, Assyrii Babyloniique tenuerunt. Legamus Herodotum, et Græcas barbarasque historias, et videbimus quomodo sub Babyloniis et Assyriis impletum sit hoc quod dicitur: *Juxta est dies Domini super omnes gentes.* Quod autem sequitur: *Sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum*, hic est sensus, quem in Psalmo legimus: *Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem dicentium: exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea* (*Psal.* cxxxvi, 7 *et seqq.*). Unde et contra Babylonem imprecatur propheta: *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem* [d] *tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos* [Al. *suos*] *ad petram.* Sicut enim super montem sanctum meum, Sion, bibisti cum Babyloniis, atque lætatus es: sic omnes gentes quas tecum habebat Babylonius in præsidio, conversæ contra te bibent: et lætabuntur. Et non solum bibent: sed ita te absorbebunt, ut sint Idumæi quasi non sint: vel certe ipsæ gentes, cum te absorbuerint, absorbebuntur a Medis, et hoc circulo vindicta procedet, ut tu Israelem, te Babylonius, Babylonium Medus, ac Persa consumat. Sequamur interpretationis ordinem. Juxta est, o hæretice, dies Domini super omnes gentes: prope est tempus judicii in quo omnes judicandæ sunt nationes. Sicut

[a] Emendant nostri post Victorium mss. Inconsulte Martianæus retinuit corruptam Erasmi lectionem, *capta fuerit, et ducitur in Babylonem.*

[b] Pro *eorum*, quæ vox tertio recurrit infra, Palatin. mss. *ejus* habent minori numero. Mox voces *ex eis* nesciunt: denique in fine addunt *ejus*, Græco singulis in locis dissentiente.

[c] Palatini duo mss., *sed quasi bibens bibes*, etc.

[d] Iidem mss. hic *tuam*, mox *Sion* nomen, denique inferius voces, *in præsidio*, tacent: legunt vero *Babylonius rex, conversæ*, etc.

fecisti contra ecclesiasticos, convertetur in caput tuum dolor tuus, et in verticem tuum iniquitas tua descendet. Quomodo enim in nece eorum lætatus es, conviviumque celebrasti, et in monte sancto meo, hoc est, Ecclesia, bibisti non meum calicem, sed diaboli : de quo et in Abacuc dicitur : *Væ qui potat proximum suum subversione turbida* (*Abac.* II, 15) : ita universæ gentes, vel fortitudines **378** contrariæ suppliciis delegatæ, vel adversariæ quæque virtutes, bibent et absorbebunt sanguinem tuum, et ad extremum in cunctos veniente cruciatu, ipsæ quoque erunt quasi non sint. Qui enim perit ei qui est, et qui dicit ad Moysen : *Qui est misit me ad vos* ( *Exod.* III, 14), secundum regulam Scripturarum, non esse dicitur. Unde et in Esther legimus : *Ne tradas, Domine, regnum tuum his qui non sunt* ( *Esth.* XIV, 11 ). Possumus hunc locum et aliter interpretari : Quia lætati estis in ruina servorum meorum, eadem persecutio contra vos quoque veniet, et patiemini quæcumque fecistis. Et sicut lætati estis adversum populum meum cum gentibus reliquis : ita omnes gentes lætabuntur contra vos, et devorabunt et bibent, et persecutione simili conterent.

(Vers. 17, 18). *In monte autem Sion erit salvatio, et erit sanctus et possidebit domus Jacob eos, qui se possederunt* [Vulg. *possederant*]. *Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula: et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquæ domus Esau : quia Dominus locutus est.* **LXX** : *In montem Sion erit salvatio ; et erit sanctum, et possidebit domus Jacob qui se possederant. Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, domus autem Esau stipula, et succendentur in eos, et devorabunt illos, et non erit frumentarius domui Esau, quia Dominus locutus est.* Idumæa subversa, et ab inimicis gentibus, cum quibus prius contra Jacob fœdus inierat, devorata, in monte Sion erunt reliquiæ, eritque salvatio, et erit sanctus ; hoc est, vel ipse Dominus revertetur ad templum, quod propter peccata dimiserat, vel erit absolute sanctum, id est, Sanctum sanctorum. Et possidebit domus Jacob sub Zorobabel, et Esdra, et Nehemia eos qui se hæreditate possederant. Et erit domus Jacob, id est, Juda, ignis, et domus Joseph, id est, decem tribuum, flamma. De Joseph quippe natus est Ephraim, ex qua tribu Samariæ imperium fuit; domus autem Esau, id est Idumæorum, qui tam sævi et crudeles exstiterant contra fratrem suum, vertetur in stipulam. Et quomodo ignis et flamma cito stipulam devorat : sic duo regna in unius sibi virgæ juxta **379** Ezechiel (*Eze.* XVII) copulam fœderata, vastabunt Idumæam et devorabunt eam, et non erit residuus ex populo, qui possit eversionem adversariorum vicinis gentibus nuntiare. Hoc [a] est enim quod LXX transtulerunt πυροφόρον, quem nos in *Frumentarium* vertimus, juxta antiqui sermonis eloquium ; eos enim quos nunc Agentes in rebus, vel Veredarios appellant, Veteres *Frumentarios* nominabant. Sed melius est, ut ipsum sequamur Hebraicum, id est, SARID (שָׂרִיד), quod interpretatur vel *reliquus*, juxta Aquilam, vel *effugiens*, juxta Symmachum, vel secundum Theodotionem, et quintam editionem, *residuus*. Hæc autem omnia fient quia Dominus locutus est, et illius jussisse, fecisse est. Aliter : Destructis carnis operibus, et terreno imperio desolato, erit in Ecclesia salvatio eorum qui a matre non exierint. Et in ipsa morabitur sanctus, de quo in Isaia dicitur : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* ( *Isai.* VI, 3 ), quia et qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Et possidebit domus supplantatoris Jacob eos qui se hæreditate possederant, de persecutoribus faciens Christianos, et ipsos Idumæos in Ecclesiæ fidem recipiens : domus autem Esau vertetur in stipulam. Et quomodo ignis viciniam culmus non valet sustinere : ita disputationem Jacob, quæ [b] ignita est sermone Domini : *Eloquia enim Domini igne examinata* (*Ps.* XVII, 31), et flammam Joseph, qui interpretatur *augmentum* (*Genes.* XXXVII), et qui a fratribus venditus, populum pavit in Ægypto, domus Esau sustinere non poterit : sed ad primam congressionem sophismata eorum vertentur in nihilum. Et devorabuntur in salutem suam, juxta illud quod in benedictione Isaac

[a] Post Victorium ex Florentiæ, Brixiæque codicibus verbum *est* restituimus, cujus defectu in Erasmi ac Martianæi editionibus sensus laborabat. Alii codices æque bene, *Hoc enim quod LXX transtulerunt, πυροφόρον, nos in frumentarium*, etc. Jam vero quod ait S. Doctor juxta antiqui sermonis eloquium appellatos a se frumentarios, qui tunc agentes in rebus, vel veredarii dicerentur, eruditos viros, atque in primis Salmasium movet. Fatentur enim, frumentariorum in ordinaria militia sub imperatoribus nomen exstitisse atque officium, fuisseque eos milites, quibusque legionibus certo numero adscriptos qui rei vehiculariæ præessent, frumentum militare et annonam importandam curarent, in horrea militaria atque inde in castra, vectigales quoque exigerent, compellerentque ad solvendum provinciales : quod postea munus agentium in rebus et veredariorum fuit, quod ex Lege cod. Theodosiani tit. de Exactionibus liquet. Verum non eo sensu πυροφόρους a Græcis appellatos contendunt, eosque non ἀπὸ τοῦ πυροῦ, hoc est, *a frumento* ; sed ἀπὸ τοῦ πυρὸς, hoc est *igne* ferendo nomen traxisse : rectius adeo et frequentius, quod infra Hieronymus ipse annotat, πύρφόρους scribi, quam πυροφόρους. Ad hæc, quod πυροφόρῳ respondet, Hebraicum *Sarid* interpretari ab Antiquis, Hieronymo teste, *reliquum, effugientem, residuum* : sicque a Græcis vulgo dici de magna clade : οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη, *neque unus reliquus fuit*, sive juxta sensum, *neque nuntius remansit*. Ut vero cumque se res habeat de Græca nominis etymologia, quam nec ipse urget Hieronymus, quin immo inferius juxta eos, qui πυρφόρον legunt, ab igniculo gestando explicat : nihil certe vetat, frumentarium eo dici Latine intellectu, qui propius ad veterum sensum interpretum accedat, ut videlicet, *reliquum, effugientem, nuntium* sonet, aut quid simile. Etenim, quod Grammaticorum testimonium laudat ipse Salmasius, ἐχρῶντο κατὰ τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς πολέμοις ἀντὶ σαλπιγκτῶν τοῖς πυρφόροις, *Veteres in bello pro tubicine utebantur frumentario, seu veredario*, inviolabiles cum essent id genus milites, nec ab hoste læderentur ut hodiernum usuvenit, de magna internecione dictum accipias, ne frumentarium quidem fuisse relictum, sive nec eum fuisse residuum, cui ab hostibus parceba-tur.

[b] Duo Palatin. mss., *quæ signata est sermone*, etc.

dicitur **380** ad Esau : *Sed dominum tuum illum feci : et omnes fratres tuos subjeci ei servos : fratrique tuo servies* (*Gen.* XXVII, 37). Et non erunt reliquiæ domus Esau, quando omnia Christo genuflectent cœlestium et terrestrium, et infernorum (*Philip.* II), et subjicientur ei universa, ut sit Deus omnia in omnibus. Quia vero Esau super fundamentum Christi vitio suo exstruxerat fenum, ligna et stipulam (I *Cor.* III) : idcirco domus et Jacob et Joseph in ignem vertetur et flammam, imitans Dominum suum, qui dicit : *Ego sum Deus ignis consumens* (*Deut.* IV, 24), ut devoratis paleis peccatorum, frumentum purum in horrea congregetur. Cuncta quæ diximus, et quæ dicturi sumus, Judæi sibi futuro tempore pollicentur, quando pro Christo recipient Antichristum, impleta prophetia Domini Salvatoris : *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : si alius venerit in nomine suo, illum recipietis* (*Joan.* V, 43). Et quidquid contra Idumæam interpretati sumus, illi adversus Romanum regnum somniant : quod nos dicimus, aut juxta historiam sub Zorobabel esse jam factum, aut certe juxta prophetiam, et mysticos intellectus quotidie in Ecclesia fieri, et in regno animæ adversus carnem, in unoquoque compleri. Frumentarium autem secundum tropologiam desinere esse dicimus in hæreticis, quando nullus fuerit qui apud eos granum tritici, quod in terra mortuum est, et panem de cœlis habere se jactet. Sunt qui non πυροφόρον, id est, *frumentarium :* sed πυρφόρον, hoc est, *qui gestare possit igniculum*, a Septuaginta translatum putent. Acquiescentes igitur diversis interpretationibus, dicemus juxta tropologiam, non solum frumentarium cessaturum apud hæreticos : **381** sed et eum qui lucem Christi habere se simulat. Et enim ipse Satanas transfiguratur in Angelum lucis (II *Cor.* XI).

(Vers. 19.) *Et hæreditabunt hi qui ad Austrum sunt, montem Esau : et qui in campestribus, Philisthiim : et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ : et Benjamin possidebit Galaad.* LXX : *Et possidebunt qui in Nageb, montem Esau : et qui in Sephela, alienigenas, et possidebunt montem Ephraim, et campum Samariæ, et Benjamin, et Galaad.* Reverso in regnum suum Juda, qui habitavit in Meridie, et possedit cunctam regionem, juxta divisionem Jesu filii Nave, quæ vergit ad scorpionem, id est, [a] ad omnem Acrabitthenam, hi qui prius terminis arctabantur angustis, possidebunt montem Esau, id est, montes Seir, et montana quæ Edom ante possederat. Qui autem habitabant in Sephela, id est, in campestribus, Liddam et Emmaus, Diospolim scilicet, Nicopolimque significans, possidebunt Palæstinos, quinque urbes Palæstinorum, Gazam, Ascalonem, Azotum, Accaron, Geth, vel omnem illam plagam quæ juxta Actus Apostolorum Saronas appellatur. Alii vero putant eam Sephelam, id est, campestrem regionem quæ circa Eleutheropolim est, repromitti : quod ad Rhinocoruram, et ad mare usque tendenda sit, id est, de tribu Juda non solum Eleutheropolim teneant, sed usque ad maritima perveniant, et Philisthiim suo imperio subjugent, quos prius non habuerant subjugatos. Dilatabitur quoque terminus filiorum Juda usque ad Ephraim, ubi nunc Neapolis est, et usque ad regionem Samariæ, ubi Sebaste condita est. Benjamin autem cujus statim ab Jerusalem, contra septentrionem termini dilatantur, cunctam possidebit Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, et nunc Gerasa [*Al.* Gerara] nuncupatur. Juxta Septuaginta autem et montem Ephraim, et campos Samariæ, et Benjamin, et Galaad, hi qui fuerint in Meridie possidebunt : hoc utrum factum sit, Deus viderit ; potest enim ex parte per annos quingentos usque ad adventum Christi esse completum : quod sicut [b] certissime scio, **382** quotidie completur, et in regno Ecclesiæ confirmatur. Hi enim qui habitant in Meridie, id est, in Nageb, et in vero sunt lumine, et qui tenent campestria et humilia, id est, discipuli ejus, quibus dicit : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matt.* X, 24), possidebunt montem Esau et Philisthiim : quos possumus propter superbiam dogmatum, et eloquentiam sæcularem in Ethnicorum persona accipere. Ut in monte sint magistri, in Philisthiim, et alienigenis discipuli, qui magistrorum auctoritate ducuntur. Et non solum montem Esau, et alienigenas, sed regionem quoque Ephraim et Samariæ possidebunt. Ephraim et Samariam crebro in Osee legimus, et in hæresibus, quæ sub nomine Christiano Ecclesiam dividunt, interpretati sumus. Et ibi enim speratur ubertas, et ibi custodiam fidei repromittunt. Porro Benjamin, *filius dexteræ*, atque virtutis, ubi Templum Dei est, possidebit *Galaad*, quæ interpretatur *transmigratio testimonii*, Israelem carneum significans : ab illis enim ad nos testimonium Domini commigravit. Juxta Septuaginta autem et ipsum Benjamin, et Galaad, hi qui fuerint in Meridie, possidebunt.

(Vers. 20, 21.) *Et transmigratio exercitus ejus filiorum Israel : omnia Chananæorum usque ad Sareptham* [Al. *Saraptam*]. *Et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri. Et ascendent salvatores in monte Sion, judicare montem Esau : et erit Domino regnum.* LXX : *Et transmigrationis principium istud filiis Israel : terra Chananæorum usque Sareptham, et transmigratio Jerusalem usque Euphrathem, possidebunt civitates Nageb. Et ascendent qui salvi fuerant de monte Sion : ut puniant montem Esau, et erit Domino regnum.* Multum in hoc loco translatio nostra discrepat ab Editione Vulgata : unde debemus in expositione historiæ Hebrai-

[a] Palatin. mss., *ad scorpion, id est, omnem Acrabitte. Nam hi*, etc., quamquam in altero vox *Acrabitte* expungitur, pro qua *Arabia* subrogatur ad marginem. Victorius, quem sequimur, concinniori certe sensu, *nam*, voce supervacanea sublata, una serie nectit.

[b] Iidem mss., *quod certissime scio quotidie, quia completur*, etc.

cam veritatem sequi. Qui de Babylone juxta volumen Esdræ et Neemiæ reversi fuerant in Judæam, [a] recte transmigratio vocabuntur. Totus ille exercitus filiorum Israel ad Meridiem quidem, et ad Occidentem, et ad Septentrionem possidebunt Idumæos, **383** et Palæstinos, et montem Ephraim, et Samariam. Benjamin quoque quia confinis est solitudini, specialiter obtinebit Galaad. Contra Orientem vero cunctis quæ in terra Chananæorum sunt, imperabunt usque ad Sareptham Sidoniorum, ubi quondam Eliam pavit vidua (IV *Reg.* VII). Porro hi qui de ipsa Jerusalem metropoli civitate translati fuerant in Sapharad, quod nos in *Bosphorum* vertimus, possidebunt civitates Austri, quæ sunt in tribu Juda: reversi enim in urbem suam, ea quæ urbi vicina sunt obtinebunt. Cumque hæc expleta fuerint, sicut in Judicum libro, mittebat Dominus salvatores qui populum de captivitate salvarent : sic ascendent, et venient in montem Sion, ut judicent atque discernant, quasi subjectum, et servientem sibi montem Esau, hoc est, Idumæos : subjugatisque omnibus, erit Domino regnum. Ubi nos posuimus *Bosphorum*, in Hebraico habet SAPHARAD (ספרד) : quod nescio cur Septuaginta Ephratha transferre voluerint [*Al.* potuerint], cum et Aquila, et Symmachus et Theodotio cum Hebraica veritate concordent. Nos autem ab Hebræo, qui nos in Scripturis sanctis erudivit, didicimus bosphorum sic vocari : et quasi Judæus, Ista, inquit, est regio, ad quam Hadrianus captivos transtulit. Quando ergo Christus noster venerit, tunc reversura est in Judæam etiam illa captivitas. Possumus autem locum quemlibet regni Babylonis intelligere, quamquam et aliud arbitrer. Nam consuetudinis prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philisthiim, et cæteras nationes, multis sermonibus linguæ eorum abuti, et servare idiomata provinciarum. Quia ergo lingua Assyriorum *terminus*, qui Hebraice vocatur GEBUL (גבול), dicitur [b] SAPHARAD (ספרד,) hunc sensum esse conjicio : Transmigratio Jerusalem, quæ in cunctis terminis regionibusque divisa est, urbes Austri, id est, tribus suæ recipiet. Pro eo autem quod nos interpretati sumus, *et ascendent salvatores*, [c] ac Septuaginta transtulerunt, **384** *hi qui salvi fuerint*, in Hebræo scriptum est, MOSIM (מושעים): qui non ut Aquila, et Septuaginta, et Theodotio passive σεσωσμένοι, vel ἀνασωζόμενοι : sed juxta Symmachum σώζοντες, id est, active *salvatores* intelligendi sunt. Siquidem σεσωσμένοι, id est, *salvati*, [d] PHELETIM (פליטים) Hebræo sermone dicuntur. Quia juxta historiam, ut potuimus, interpretati sumus, et inter confragosos scopulos nostram naviculam reximus : spiritualis intelligentiæ vela pandamus, ut flante Domino, et sua reserante mysteria, læti perveniamus ad portum. Eo tempore quo Benjamin possederat [*Al.* possederit] Galaad, transmigratio exercitus filiorum Israel, vel certe principium transmigrationis carnei quondam Israël, istud erit, ut ad Chananæorum terram perveniat, et propheticus sermo qui fame periclitabatur in Judæa, exsiccato vellere Israel, ad gentium [e] rorem transeat : ibique pascatur, et pascat, dum et recipitur a credentibus, et pascit ipse credentes. *Sareptha*, vel ex duobus compositum est, et interpretatur *angustia panis* : vel unum verbum est, et transfertur in *incendium*. Chanaan vero in σάλον, id est *motum* vertitur : aut certe *negotiator* et *humilis* appellatur. Igitur transmigratio filiorum Israel quando occidentem dimiserint litteram, et ad spiritum venerint vivificantem, movebit cuncta quæ Legis sunt. Negotiabitur de multis margaritis unam pretiosissimam margaritam, et deposita Judæorum superbia, humilitatem sectabitur Christianam, et illuc usque perveniet, ubi antea fuit tribulatio panis, et mulier vidua a suo conditore deserta pupillum filium vix alebat, [f] et ubi universa illius peccata, et vitia concrementur. Captivitas autem sive transmigratio Jerusalem, ubi quondam erat visio pacis, et quæ nunc in toto orbe dispersa est, possidebit civitates austri, id est, Ecclesias veri et perfecti luminis, dicetque cum sponsa pœnitens : *Ubi pascis, ubi cubas in meridie* (*Cant.* II, 6)? Et cum Joseph in antiquam germanitatem recepta, inebriabitur sanguine pastoris, et principis. Quod **385** si juxta Septuaginta Ephratha legimus, nulli dubium est, quin Christi intelligatur fides. Ephratha enim interpretatur καρποφορία, id est, *ubertas*, et δυώνυμος est, appellaturque Bethleem, in qua ortus est cœlestis panis. His autem ita gestis, ascendent salvatores vel qui salvati fuerint de reliquiis populi Judaici in montem Sion, ut judicent, et ulciscantur montem Esau. Quomodo lumen Dominus lucem appellat Apostolos suos, et dicit : *Vos estis lux mundi* (*Matt.* V, 14) : et ipsa petra Petro donarit, ut petra sit : pastor quoque bonus illis pastorum largitus est nomina : et quodcumque dicitur de eo, servis tribuit ut dicantur : sic ipse Salvator Apostolos suos mundi esse voluit salvatores, qui ascendere speculam montis Ecclesiæ, et deponentes superbiam Judæam.

[a] Iterum mss. Palatini, *recte filii transmigrationis vocabantur* : et paulo post *possederunt*, pro *possidebunt*.

[b] Notatum criticis viris, *Sephar*, non *Sepharad* appellari *terminum* Assyriorum lingua : tametsi nec id proprie; nam Grammatici exponunt dicentes, esse terram populorum, quæ vicina sit terræ Israel : interdum autem aliter explicant, ut cum dicunt esse civitatem vicinam mari, id est maritimam. In Josue littus maris exponitur ab interprete Chaldæo *Sephar iamma*. Drusius adeo Hieronymum hallucinationis accusat ob vocis utriusque similitudinem.

[c] Copula, *ac*, deerat : quæ sequuntur interpunctionis laborabant vitio. Pro *Mosim* Palatini mss. cum duplici *i* legunt, *Mosiim*, quod non improbo.

[d] Iidem mss., fortasse rectius, *Flettim*.

[e] Pro *rorem*, quam vocem, cogente recto sensu, ex mss. substituimus, hactenus obtinuit *rura*. Verum nihil hic erat vox isthæc, nec velleri Judæorum exsiccato opponebatur, quæ causa fuit ut locum emendare non dubitaremus.

[f] Alii editi libri, *ut universæ*.

daicam, universorumque montium, qui [*Al.* quæ] adversum **386** scientiam Dei erigebantur, regnum Domino paraverunt.

Hæc ad duas lucubratiunculas veterum auctoritatem secutus, et maxime expositionem Hebraicam propero sermone dictavi, aperuique os meum: sed nescio an illud Christus impleverit. Unde sapiens lector sensuum magis debet consequentiam quærere, quam eloquii venustatem. Neque enim ea [a] lenitate, A et compositione verborum dictamus, ut scribimus. Aliud est, mi Pammachi, sæpe stylum vertere, et quæ memoria digna sunt scribere; aliud notariorum articulis præparatis, pudore reticendi, dictare quodcumque in buccam venerit. In hoc Propheta, et adolescentuli lusimus, et senes præsumpsimus. Qui veriora et meliora dixerit, in illius sententiam transgredere.

[a] Mss. duo, et Victorius, *levitate:* malim utique cum diphthongo *lævitate*, id est, nitore, etc.

# S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

# COMMENTARIORUM
# IN JONAM PROPHETAM

## LIBER UNUS.

## PROLOGUS.

**387-388** Triennium [a] circiter fluxit, postquam B quinque prophetas interpretatus sum, Michæam, Nahum, Abacuc, Sophoniam, Aggæum; et alio opere detentus, non potui implere quod cœperam: scripsi enim librum de Illustribus viris, et adversum Jovinianum duo volumina: apologeticum quoque, et de optimo genere interpretandi ad Pammachium: et ad Nepotianum, vel de Nepotiano duos libros, et alia quæ enumerare longum est. Igitur tanto post tempore, quasi quodam postliminio a Jona interpretandi sumens principium, obsecro ut qui typus est Salvatoris, et tribus diebus ac noctibus in ventre ceti moratus, præfiguravit Domini resurrectionem, nobis quoque fervorem pristinum tribuat, ut sancti ad nos Spiritus mereamur adventum. Si enim *Jonas* interpretatur *columba*, columba autem refertur ad Spiri- C tum sanctum: nos quoque columbam, ex adventu [*Al.* et adventum] ad nos interpretemur columbæ. Scio veteres ecclesiasticos tam Græcos quam Latinos super hoc libro multa dixisse, et tantis quæstionibus, non tam aperuisse, quam obscurasse sententias; ut ipsa interpretatio eorum opus habeat interpretatione, et multo incertior lector recedat, quam fuerat antequam legeret. Nec hoc dico, quo magnis ingeniis detraham, et alios mea laude suggillem; sed quod commentatoris officium sit, ut quæ obscura sunt, breviter aperteque dilucidet, et non tam disertitudinem ostentet suam, quam sensum ejus quem exponit, edisserat. Quærimus igitur, Jonas propheta, excepto volumine suo, **389-390** et Evangeliis [*Al.* Evangelio], hoc est, Domini de eo testimonio, ut alibi in Scripturis sanctis lectus sit? Et ni fallor in Regum volumine de eo ita scriptum est: *Anno quintodecimo Amasiæ filii Joas, regis Juda, regnavit Jeroboam, filius Joas, regis Israel in Samaria quadraginta annis et uno. Fecitque malum coram Domino, et non recessit ab universis peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel. Ipse convertit fines Israel in Samaria ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta verbum Domini Dei Israel, quod locutus est in manu servi sui Jonæ, filii Amathi prophetæ, qui fuit de Geth, quæ est in Opher* (IV *Reg.* XIV 25 *seqq.*). Tradunt autem Hebræi hunc esse filium viduæ Sareptanæ [*Al.* Saraptenæ], quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: *Nunc cognovi quia vir Dei es tu: et verbum Dei in ore tuo est veritas* [Al. *veritatis*]; et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. *Amathi* enim in nostra lingua *veritatem* sonat: et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Porro Geth in secundo

[a] Sollicitat hunc locum Tillemontius ex præconcepta opinione, quod Epitaphium Nepotiani, ex his quæ infra laudantur, opusculis, anno ut minimum 396 sit adscribendum: vultque adeo *quadriennium*, pro *triennio* legi. Nobis, ne quid temere mutetur, optime illud quoque infra ejus triennii spatium concludi, abunde satis ostendimus in notis chronologicis epistolæ 60 priori tomo præfixis.

Saphorim [*Al.* Sapphirim ] milliario, quæ hodie appellatur Diocesaræa euntibus Tyberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum ejus ostenditur. Quamquam alii juxta Diospolim, id est, Liddam, cum et natum et conditum velint : non intelligentes hoc quod additur, *Ophèr*, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim, sive Diospolim, hodie quoque monstrantur. Liber quoque Tobiæ, licet non habeatur in Canone, tamen quia usurpatur ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat, dicente Tobia ad filium suum: *Fili, ecce senui, et in eo sum ut revertar de vita mea : Tolle filios tuos, et vade in Mediam, fili : scio enim quæ locutus est Jonas propheta de Ninive, quoniam subvertetur* (*Tobiæ* XIV). Et revera quantum ad historias tam Hebræas quam Græcas pertinet, et maxime Herodotum, legimus Niniven, regnante apud Hebræos Josia, et Astyage rege Medorum, fuisse subversam. Ex quo intelligimus primo tempore ad Jonæ prædicationem, acta pœnitentia, Ninivitas veniam consecutos : postea vero in pristinis vitiis perseverantes, Dei in se provocasse sententiam. Traduntque Hebræi, Osee, et Amos, et Isaiam ac Jonam iisdem prophetasse temporibus. Hoc quantum ad historiæ pertinet fundamenta. Cæterum non ignoramus, [a] Chromati papa venerabilis, sudoris A esse vel maximi totum prophetam referre ad intelligentiam Salvatoris : videlicet quod fugerit, quod dormierit, quod præcipitatus in mare sit, quod susceptus a ceto, quod ejectus in littus pœnitentiam prædicarit, **391-392** quod contristatus ob salutem [b] urbis innumeræ, cucurbitæ sit delectatus umbraculo : quod reprehensus a Deo cur majorem curam habuerit herbæ virentis, et extemplo aridæ, quam tantæ hominum multitudinis, et cætera quæ in ipso volumine explanare nitemur : et tamen, ut totum prophetæ sensum brevi præfatione comprehendam, nullus melior typi sui interpres erit, quam ipse qui inspiravit prophetas, et futuræ veritatis in servis suis lineas ante signavit. Loquitur ergo ad Judæos sui sermonis incredulos, et Christum Dei Filium nescientes [c] : *Viri Ninivitæ* B *surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ : et ecce plus quam Jonas hic* (*Mat.* IV, 41). Condemnatur generatio Judæorum, credente mundo : et Ninive agente pœnitentiam, Israel incredulus perit. Illi habent libros, nos librorum Dominum (II *Cor.* III) : illi tenent prophetas, nos intelligentiam prophetarum : illos occidit littera, nos vivificat spiritus (*Joan.* XVIII) : apud illos Barabbas latro dimittitur, nobis Christus Dei Filius solvitur.

[a] Sic legunt omnes mss. codices S. Germani a Pratis, monasterii Cluniacensis, S. Albini Andegavensis, et S. Cygiranni, etc., eodem quoque modo editi libri ab Erasmo et Mariano. Falsam tamen hanc esse lectionem, et pro *Chromatio papæ venerabili* nomen *Pammachii* substituendum non ignoramus : nam ipse Hieronymus præfatione in librum tertium Com- C mentariorum in Amos prophetam conceptis verbis admonet lectorem se edidisse Commentarios in Abdiam et Jonam, imperante Pammachio, hoc est, rogante expositionem istorum amborum prophetarum. *Tertio*, inquit, *post longi temporis silentium*, *Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui*. Ergo eidem Pammachio edisseruit Abdiam et Jonam, non Chromatio episcopo Aquileiensi, cui delegaverat *tantum duos* libros in Abacuc. Unde autem tam constans error manarit in editos ac mss. libros, lectoris divinationi permittimus judicium. Nisi forte et aliis viris sanctis promiserat expositionem in Jonam, quemadmodum Commentarios in Amos et Osee, licet ipsos Pammachio dedicaverit. Vide Comment. in Amos cap. I. Si hoc accidit, habemus exemplar, non Pammachio, sed Chromatio missum ab Hieronymo. MART. — Quamquam minime diffiteatur Martianæus, hanc librorum esse omnium lectionem, falsam tamen librariorum culpa pronuntiare non dubitat, quod ex Hieronymi mox recitando testimonio in Amos huncce Commen- D tarium videatur ipse Pammachio, non Chromatio inscripsisse. Et *Chromatii* quidem nomen exscriptorum lapsu pro illo *Pammachii* substitui potuisse, non inficior, sed quod evincit minime substitutum, illud est : *Papa venerabilis*, quod optime quidem de Chromatio Aquileiensi episcopo, minime vero de Pammachio dicere potuisset. Cum itaque in illa præfat. lib. III Comment. in Amos ad Pammachium ait S. Doctor, *post longi temporis silentium Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui*, vel Abdiam tantum respicere putandus est, quem Pammachio inscripsit; vel si Jonam quoque, hunc tamen ejus nutu explanatum significat, non etiam nomini dedicatum. Prior nobis opinio magis arridet, quandoquidem alia id genus locutionum apud Hieronymum exempla non desunt, ubi plura simul enumerans, proprie unum aliquod respicit, ut cum de Eusebio loquens in Apolog. libro primo contra Rufinum, *Laudavi*, inquit, *Eusebium in Ecclesiastica Historia, in digestione temporum, in descriptione sanctæ Terræ : et hæc ipsa opuscula in Latinum vertens, meæ linguæ ominibus dedi*. Nihilosecius constat non nisi posteriora duo opuscula, minime vero Ecclesiasticam Historiam, Latine Hieronymum explicasse.

[b] Al. *gentis innumeræ*. Unus Palatinus, *in umbræ* pro *innumeræ*.

[c] Addit idem Palatin. ms., *Dominum*.

# *INCIPIT LIBER.*

**391** (Cap. I. — Vers. 1.) *Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens : Surge, et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea ; quia ascendit malitia ejus coram me.* Septuaginta, excepto eo quod dixerunt, *ascendit clamor malitiæ ejus ad me*, cætera similiter transtulerunt. In condemnationem Israelis Jonas ad gentes mittitur, quod Ninive agente pœnitentiam, illi in malitia perseverent. Porro quod ait, *ascendit malitia ejus coram me*, sive, *clamor malitiæ ejus ad me*, hoc ipsum est quod in Genesi dicitur : *Clamor Sodomæ et Gomorrhæ multiplicatus est* (*Gen.* XVIII, 20). Et ad Cain : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV, 10). Juxta tropologiam vero Dominus noster, Jonas, hoc est, *columba*,

sive *dolens* (utrumque enim interpretatur, vel quia Spiritus sanctus in specie columbæ descendit, et mansit in eo (*Luc.* XIX), vel quia nostris doluit ipse vulneribus, et flevit super Jerusalem, et livore ejus sanati sumus (*Isai.* LIII): vere filius veritatis; Deus quippe veritas est), mittitur ad Niniven pulchram, id est, mundum, quo nihil pulchrius oculis carnis [*Al.* carneis] aspicimus (*Joan.* XIV). Unde et apud Græcos ab ornatu nomen accepit [a] κόσμος: consummatisque operibus singulis, de eo dicit: *Vidit Deus quia bonum est.* Ad Niniven, inquam, civitatem magnam, ut quia Israel audire contempsit, totus gentium mundus exaudiat. Et hoc propterea, quia ascenderit malitia ejus coram Deo. Cum enim Deus quasi quamdam pulcherrimam **392** domum servituro sibi homini exstruxerit, depravatus est homo propria voluntate, et a pueritia diligenter appositum est ad malum cor ejus (*Gen.* VIII): posuitque in cœlum os suum, et exstructa turre superbiæ (*Gen.* XI), meretur ad se descendentem Filium Dei, ut per [b] pœnitentiæ ruinam conscendat ad cœlum, qui per tumorem superbiæ [*Al.* subire] non potuit.

*Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini.* LXX similiter. Scit propheta, sancto sibi Spiritu suggerente, quod pœnitentia gentium, ruina sit Judæorum. Idcirco amator patriæ suæ, non tam saluti invidet Ninive, quam non vult perire populum suum. Alioquin legerat Moyse rogantem dixisse pro eo: *Si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem non dimittis, et me dele de libro tuo, quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 31, 32), et ad preces illius servatum Israel, et Moysen de libro non fuisse deletum, quin potius Dominum occasionem accepisse per servum, ut cæteris conservis illius parceret. Dum enim dicit, *dimitte me*, ostendit se posse retineri. Tale quid et Apostolus loquitur: *Optabam anathema esse pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ secundum carnem* (*Rom.* IX, 3). Non quod ipse perire desideret, cui vivere Christus est, et mori lucrum (*Philipp.* I); sed magis meretur vitam, dum salvare vult cæteros. Præterea videns Jonas comprophetas suos mitti ad oves perditas domus Israel, ut ad pœnitentiam populum provocarent, Balaam quoque divinum de salute Israelitici populi prophetasse (*Num.* XXII), delet se solum **393** electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, et ad civitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignoratio Dei: et quod his majus est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ, illis conversis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur. Noverat enim eodem spiritu, quo illi gentium præconium credebatur, quod quando nationes credidissent, tunc periret domus Israel, et quod aliquando futurum erat, hoc ne in suo fieret tempore, verebatur. Unde imitatus Cain Jonas (*Genes.* IV), et recedens a facie Domini, fugere voluit in Tharsis, quam Josephus interpretatur Tharsum Ciliciæ civitatem, [c] prima tamen littera commutata: quantum vero in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ sic vocatur. Porro Hebræi THARSIS (תרשיש), mare dici generaliter autumant secundum illud: *In spiritu vehementi confringes naves Tharsis* (*Ps.* XLVII, 8), id est, *maris.* Et in Isaia: *Ululate, naves Tharsis* (*Isai.* II, 14). Super quo ante annos plurimos in epistola quadam ad Marcellam dixisse me memini: Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum; sed mare ingrediens, quocumque pergere festinabat: et magis hoc convenit fugitivo, et timido, non locum fugæ otiosæ eligere; sed primam occasionem arripere navigandi. Hoc quoque possumus dicere, qui notum tantum putabat in Judæa Deum (*Psal.* LXXV), et in Israel magnum nomen ejus, postquam illum sensit in fluctibus, confitetur, et dicit: *Hebræus ego sum, et Dominum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam:* si autem ipse fecit mare et aridam, cur aridam relinquens arbitraris te conditorem maris in mari posse vitare? Simulque instruitur per salutem conversionemque nautarum, etiam tantam multitudinem Ninive simili posse [d] confessione salvari. De Domino autem et Salvatore nostro possumus dicere, quod dimiserit domum, et patriam suam, et assumpta carne, quodammodo de cœlestibus fugerit, veneritque in Tharsis, hoc est, in mare **394** istius sæculi, secundum quod alibi dicitur: *Hoc mare magnum et spatiosum, ibi reptilia, quorum non est nnmerus. Animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt* [Al. *perambulabunt*]. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Ps.* CIII, 25 *seqq.*). Idcirco enim et in passione dicebat: *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me:* ne populo conclamante: *Crucifige, crucifige talem* (*Luc.* XXII, 42). Et: *Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15), plenitudo gentium subintraret, et frangerentur rami olivæ, pro quibus oleastri virgulta succrescerent (*Rom.* XI). Tantæque pietatis et amoris fuit in populum pro electione patrum, et repromissione ad Abraham, ut in cruce positus diceret: *Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt* (*Luc.* XXIII, 24). Vel certe quoniam *Tharsis* interpretatur *contemplatio gaudii*, veniens ad *Joppen* propheta, quæ et ipsa *speciosam* sonat, ire festinat ad gaudium, et quietis beatitudine [e] perfrui, totum se tradere theoriæ, melius esse arbitrans pulchritudine et varietate scientiæ perfrui, quam per occasionem salutis gentium cæterarum perire populum, de quo Christus in carne generandus sit.

[a] Græcum κόσμος, ex mss. post Victorium suffecimus; mox pro *de eo*, legunt quidam *a Deo.*

[b] Post Victorium ad Brixianorum codicum fidem restituimus, *per pœnitentiæ ruinam*, pro quo Martianæus retinuit, *per pœnitentiam ruinæ.* Turris erectionem S. Doctor superbiæ comparat, ejusque ruinam pœnitentiæ.

[c] Palatin. ms., *prima tantum littera.* Cæterum vide quæ in caput Isaiæ II hac de re observamus, epistolam quoque ad Marcellam in nostra recensione 37.

[d] Victorius, pro *confessione*, reponit ex Florentiæ codicibus *conversione.*

[e] Idem ad Brixiæ codd., *perfruens.*

(Vers. 3.) *Et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis : et dedit naulum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini.* LXX : *Et ascendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis : deditque naulum suum, ascendit in eam, ut navigaret cum eis in Tharsis a facie Domini.* Joppen portum esse Judææ, et in Regnorum [a] et Paralipomenon libris legimus (II *Paral.* II), ad quem Hiram quoque rex Tyri ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Jerusalem terreno itinere perveherentur. Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata, Persei quondam sit liberata præsidio. Scit eruditus lector historiam; sed et juxta regionis naturam de montanis et arduis ad Joppen et campestria veniens propheta, recte dicitur descendisse, et invenisse navem funem solventem e littore, et ingredientem mare, deditque naulum ejus, **395** sive mercedem navis, id est, subvectionis ejus, juxta Hebraicum, sive *naulum pro se* [Al. *suum*], ut Septuaginta transtulerunt. *Et descendit in eam*, ut proprie continetur in Hebraico : IERED (ירד) enim *descendit* dicitur : ut fugitivus sollicite latebras quæreret. Vel *ascendit*, ut scriptum est in editione Vulgata : ut quocumque navis pergeret, perveniret : evasisse se putans, si Judæam relinqueret. Sed et Dominus noster in extremo Judææ littore (quod, quia in Judæa erat, appellabatur pulcherrimum) non vult tollere panem filiorum, et dare eum canibus (*Matth.* XV); sed quia venerat ad oves perditas domus Israel, dat vectoribus pretium, ut qui primum suum sanare [*Al.* salvare] vult populum, salvet accolas maris, et inter turbines ac tempestates, id est, passionem suam, crucisque convicia submersus in inferno, salvet eos, quos quasi in navi dormiens negligebat (*Matth.* VIII). Prudens rogandus est lector, ne eumdem velit ordinem tropologiæ, quem et historiæ quærere. Nam et Apostolus, Agar et Saram ad duo Testamenta refert : et tamen non omnia quæ in historia illa narrantur, tropologice interpretari possumus. Et ad Ephesios de Adam et Eva disputans, ait : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una : Sacramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Numquid totum principium Geneseos, et fabricam mundi, et hominum conditionem ad Christum, et ad Ecclesiam referre possumus, quia hoc testimonio sic abusus est Apostolus? Fac enim hoc quod scriptum est : *Ideo relinquet homo patrem suum*, referamus ad Christum, ut dicamus eum Patrem in cœlis reliquisse Deum, ut gentium [b] populus jungeretur Ecclesiæ : hoc quod sequitur, *matrem suam*, quomodo possumus interpretari, nisi forte dicamus reliquisse eum cœlestem Jerusalem, quæ est mater Sanctorum, et cætera multo his difficiliora? Illud etiam quod ab eodem Apostolo scribitur : *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra : petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4), nequaquam nos arctat ut omnem Exodi librum referamus ad Christum. **396** Quid enim possumus dicere? quod hæc petra a Moyse percussa sit, non semel sed bis (*Exod.* XVII), quod aquæ fluxerint, et torrentes repleti sint. Num universam loci hujus historiam per hanc occasionem cogemus sub lege allegoriæ? et non potius unusquisque locus secundum historiæ diversitatem, diversam recipiet intelligentiam spiritualem? Igitur sicut hæc testimonia suas interpretationes habent, et nec præcedentia, nec consequentia eamdem desiderant allegoriam : sic et Jonas propheta non absque periculo interpretantis, totus referri ad Dominum poterit. Nec ex eo quod in Evangelio dicitur : *Generatio pessima* [Al. *prava*] *et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus et tribus noctibus* (*Mat.* XII, 39).

(Vers. 4.) *Dominus autem misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* LXX : *Et Dominus suscitavit spiritum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri.* Potest fuga prophetæ et ad hominis referri in communi personam, qui Dei præcepta contemnens, recessit a facie ejus, et se mundo tradidit, ubi postea malorum tempestate, et totius mundi contra se sæviente naufragio, compulsus est sentire Deum, et reverti ad eum quem fugerat. Unde intelligimus etiam ea quæ sibi homines æstimant salutaria, Deo nolente [*Al.* volente], verti in perniciem, et non solum non prodesse auxilium his, quibus præbetur; sed et ipsos qui præbent, pariter conteri. Sicut legimus victam ab Assyriis Ægyptum, quia opitulabatur Israeli contra Domini voluntatem. Periclitatur navis quæ periclitantem susceperat : vento maria concitantur, in tranquillitate tempestas oritur, nihil, Deo adversante, securum est.

(Vers. 5.) *Et timuerunt nautæ, et* [c] *clamaverunt viri ad Deum suum, et miserunt vasa* **397** *quæ erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis.* LXX : *Et timuerunt qui navigabant, et clamaverunt unusquisque ad Deum suum, et jactum fecerunt vasorum navis in mare, ut*

[a] Victorius ait, Hæc Hiram historia scribitur III Reg. V, et II Paral. II. Verum quod de Joppe mentio fiat in libris Regum, equidem adhuc non inveni. Scribitur tamen de ea in libro Josue, Numeris, Ezdra, Machabæis, et Actis Apostolorum. Nihil tamen mutatum, quia cum ibi quoque eadem tractetur historia, non res, sed nomen tantum omissum videtur. Sappho Joppe hodie vocatur : Plinius a Phœnicibus conditam ante terrarum inundationem prodit. Est enim oppidum, a quo portui quoque nomen est inditum. Pulchram, speciosamque Hebraice Joppe significat. Hoc enim sonat vox יפה. Vide quæ in epist. 108, ad Eustochium, num. 8, annotamus.

[b] Suffecimus vocem *populus*, quam mutilo sensu Martianæus prætermisit.

[c] Duo Palatini mss., *et clamaverunt ad Dominum Deum suum.*

*alleviaretur navis.* Arbitrantur navem solito onere prægravari, et non intelligunt totum pondus esse fugitivi prophetæ. Timent nautæ, clamat unusquisque ad Deum suum; ignorantes veritatem, non ignorant providentiam, et sub errore religionis sciunt aliquid esse venerandum: projiciunt onera in mare, ut magnitudinem fluctuum classis levior transiliret. At contra Israel nec bonis nec malis intelligit Deum; plangente Christo populum, siccos oculos habet.

*Et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi.* LXX : *Jonas autem descendit in ventrem navis, et dormiebat, et stertebat.* Quantum ad historiam pertinet, prophetæ mens secura describitur : non tempestate, non periculis conturbatur, eumdem et in tranquillo, et imminente naufragio animum gerens. Denique alii clamant ad deos suos, vasa projiciunt, nititur unusquisque quod potest. Iste tam quietus est et securus, animique tranquilli, ut ad navis interiora descendens, somno placido perfruatur. Sed et hoc dici potest : Conscius erat fugæ et peccati, quo Domini præcepta neglexerat : et tempestatem, ignorantibus cæteris, contra se sævire cernebat : ideo descendit ad interiora navis, et tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus adversum se videret intumescere. Quod autem dormit, non securitatis est, sed mœroris. Nam et Apostolos legimus in Domini passione præ tristitiæ magnitudine somno fuisse depressos (*Matth.* xxvi). Sin autem interpretamur in typo, somnus prophetæ et gravissimus sopor hominem significat erroris sopore torpentem, cui non sufficerat fugisse a facie Dei, nisi et quadam vecordia mens illius obruta, ignoraret iracundiam Dei, et quasi securus dormiret et profundissimum somnum rauca nare [a] resonaret.

(Vers. 6.) *Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? Surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet* **398** *Deus de nobis, et non pereamus.* LXX : *Et accessit ad eum proreta, et* [b] *dixit ei, quid tu stertis ? Surge, invoca Deum tuum, si quomodo salvos faciat nos Deus, et non pereamus.* Naturale est unumquemque in suo periculo de alio plus sperare : unde gubernator, sive proreta, qui vectores timidos debuerat consolari, cernens discriminis magnitudinem, excitat dormientem, et arguit improvidæ securitatis, commonetque ut ipse quoque pro virili portione deprecetur Deum suum : ut cujus erat commune periculum, communis esset oratio. Porro juxta tropologiam plures sunt qui cum Jona navigantes, et habentes proprios deos, ad contemplationem gaudii ire festinant. Sed postquam Jonas fuerit sorte deprehensus, et morte illius mundi sedata tempestas, marique tranquillitas reddita, tunc unus adorabitur Deus, et immolabuntur victimæ spirituales, quas utique juxta litteram in mediis fluctibus non habebant.

(Vers. 7.) *Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis : et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.* LXX : *Et dixit unusquisque ad proximum suum : Venite, mittamus sortes, et cognoscamus* [c] *cujus gratia malitia hæc est super nos : et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.* Noverant naturam maris, et tanto tempore navigantes sciebant tempestatum ventorumque rationes, et utique si solitos, et quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, numquam forte auctorem naufragii quærerent, et per rem incertam, certum cuperent evitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere, vel illud de Actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in Apostolatum Matthias eligitur (*Actor.* i), cum privilegia singulorum non possint legem facere communem. Sicut enim in condemnationem Balaam asina loquitur (*Num.* xxii), et Pharao (*Gen.* xli), et Nabuchodonosor in judicium sui (*Dan.* ii, 4), somniis futura cognoscunt, et tamen Deum non intelligunt revelantem : Caiphas quoque prophetat ignorans, quod expediret unum perire pro cunctis (*Joan.* xi *et* xviii) : ita et hic fugitivus sorte deprehenditur, non viribus sortium, **399** et maxime sortibus ethnicorum, sed voluntate ejus qui sortes regebat incertas. Quod autem dicitur : *Et cognoscamus propter quem malitia hæc est super nos*, hic malitiam pro afflictione et calamitate accipere debemus, secundum illud : *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* vi, 34). Et in Amos propheta : *Si est malitia in civitate quam Dominus non fecerit* (*Amos* iii, 6). Et in Isaia : *Ego Dominus qui facio pacem, et creo mala* (*Isai.* xlv, 7). In alio vero loco malitia contraria virtuti [*Al.* veritati] intelligitur, juxta quod in hoc eodem propheta supra legimus : *Ascendit clamor malitiæ ejus ad me.*

(Vers. 8.) *Et dixerunt ad eum : Indica nobis, cujus causa malum istud sit nobis, quod opus* [Vulg. addit *est*] *tuum, quæ terra tua,* [d] *et quo vadis, vel ex quo populo es tu ?* LXX : *Et dixerunt ad eum : Annuntia nobis cujus gratia hæc malitia est in nobis, quod opus tuum, et unde venis, et quo vadis, et ex qua regione es, et ex quo populo es tu ?* Quem sors indicaverat, cogunt voce propria confiteri, cur tanta tempestas sit, vel quare contra eos Dei ira desæviat : *Indica*, inquiunt, *nobis cujus causa malum istud sit super nos :* quid operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quo abire festines. Et notanda brevitas, quam admirari in Virgilio solebamus :

> Juvenes, quæ causa subegit
> Ignotas tentare vias, quo tenditis, inquit :
> Qui genus: unde domo, pacemne huc fertis, an arma?
> (*Æneid. lib.* v.)

[a] Alias, *rhonca nare*, et *rhonco nare sonaret :* maluisset Victor. *rhonco naris :* est quippe rhoncus stertentis sonus.

[b] Palatin. mss., *et dixit ei, quid tu sopore deprimeris ? surge*, etc.

[c] Iidem mss., *propter quem malitia hæc est super nos :* cæteris quæ subsequuntur hujus testimonii prætermissis.

[d] Verba, *et quo vadis*, cum hic, tum penes LXX interpretationem in Palatin. mss. non sunt.

Interrogatur persona, regio, iter, civitas : ut ex his cognoscatur et causa discriminis.

(Vers. 9.) *Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam.* LXX : *Et dixit ad eos : Servus Domini ego sum, et Deum cœli ego colo, qui fecit mare et aridam.* Non dixit, Judæus ego sum, quod scissura decem tribuum a duabus populo nomen imposuit ; sed, Hebræus sum, hoc est περατὴς, *transitor*, sicut et Abraham, qui dicere poterat : *Advena sum ego et peregrinus, sicut omnes patres mei* ( *Ps.* XXXVIII, 13 ) : de quo in alio psalmo scribitur : *Transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum* ( *Ps.* CIV, 13). Moyses, *Transeam*, inquit, *et videbo visionem hanc magnam* ( *Exod.* III, 3 ). Et Dominum Deum cœli ego timeo : non deos quos invocatis, et qui salvare **400** B non possunt, sed Deum cœli, qui mare fecit et aridam. Mare, in quo fugio; aridam, de qua fugio. Et eleganter ad distinctionem maris, non terra, sed arida nuncupatur. Et in brevi universitatis factor ostenditur, qui et cœli Dominus est, et terræ, et maris. Quæritur autem, quomodo vere dicere comprobetur : *Dominum Deum cœli ego timeo*, cum ejus præcepta non faciat. Nisi forte respondeamus, quod et peccatores timeant Deum, servorumque sit non diligere, sed timere ; quamquam in hoc loco timor pro cultu possit intelligi, juxta sensum eorum qui audiebant, et adhuc ignorabant Deum.

(Vers. 10.) *Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum, quid hoc fecisti? Cognoverunt* [Vulg. *cognoverant*] *enim viri quod a facie Domini fugeret,* C *quia indicaverat eis.* LXX : *Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum, quid hoc fecisti? Cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, eo quod indicasset eis.* Historiæ ordo præposterus est : quia enim poterat dici, nulla causa timoris fuit, ex eo quod eis confessus est, dicens : *Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam :* statim subnectitur quod idcirco timuerunt, quia eis indicaverat, se Domini fugere conspectum, et ejus non fecisse præcepta. Denique causantur, et dicunt : *quid hoc fecisti?* id est, si times Deum, cur fugis ? Si tantæ potentiæ prædicas quem colis, quomodo te putas eum posse evadere ? Timent autem timore magno, quod intelligunt sanctum, et sanctæ gentis virum ( de Joppe quippe solventes funem, D Hebrææ gentis noverant privilegium), et tamen fugitivum celare non possunt. Magnus est qui fugit, sed major ille qui quærit : non audent tradere, celare non possunt. Reprehendunt culpam, timorem confitentur : rogant ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat. Vel certe quod dicunt : *quid hoc fecisti ?* non increpant, sed interrogant, volentes causam fugæ nosse, servi a Domino, filii a patre, hominis a Deo. Quod est, inquiunt, tantum mysterium, ut terra deseratur, expetantur maria, relinquatur patria, loca appetantur aliena ?

(Vers. 11.) *Et dixerunt ad eum : quid facianus tibi,* **401** *et cessabit mare a nobis ? quia mare ibat, et intumescebat.* LXX : *Et dixerunt ad eum, quid tibi faciemus, et quiescet mare a nobis ? quia mare ibat, et suscitabat magis fluctus.* Propter te dicis, ventos, fluctus, mare, gurgites concitatos? exposuisti causam morbi, indica sanitatis. Ex eo quod contra nos surgit mare, intelligimus iram esse susceptionis tuæ. Si culpa est quod suscepimus, quid facere possumus, ne Dominus irascatur? *quid faciemus tibi ?* [a] hoc est, interficiemus te ? sed cultor es Domini : servabimus ? sed Deum fugis. Nostrum est præbere manus; quid fieri jubeas, tuum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc Creatoris iram suo tumore testatur. Statimque historicus causam jungit istiusmodi quæstionis, *mare*, dicens, *ibat, et intumescebat.* Ibat, ut jussum fuerat : ibat in vindictam Domini sui : ibat, persequens fugitivum prophetam. Intumescebat autem per singula momenta temporum, et quasi nautis morantibus, in fluctus majores suscitabatur, ut ostenderet ultionem Creatoris se differre non posse.

(Vers. 12.) *Et dixit ad eos, tollite me, et mittite me* [Vulg. tacet *me*] *in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim* [Vulg. addit *ego*] *quia propter me tempestas hæc grandis est* [Vulg. *venit*] *super vos.* LXX : *Et dixit Jonas ad eos, tollite me, et mittite me in mare, et quiescet mare a vobis : ego enim novi quod propter me fluctus magni contra vos sunt.* Contra me tempestas detonat, me quærit, naufragium vobis minatur, ut me prehendat : me prehendet, ut mea morte vivatis. *Scio*, inquit, *quia propter me tempestas hæc grandis est.* Non ignoro in meam pœnam elementa turbari, mundi esse confusionem, mihi irasci, in vos sævire naufragium : fluctus ipsi imperant vobis, ut me mittatis in mare. Si ego sensero tempestatem, vos recuperabitis tranquillitatem. Et animadvertenda pariter fugitivi nostri magnanimitas, non tergiversatur, non dissimulat, non negat ; sed qui confessus fuerat de fuga, pœnam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se et cæteri pereant, et ad peccatum fugæ, alienæ quoque delictum addatur necis. Hoc quantum ad historiam : **402** cæterum non ignoramus, flantes ventos, quibus in Evangelio, ut quiescerent, Dominus imperavit ( *Matth.* VIII), et periclitantem naviculam, in qua dormiebat Jonas, et intumescens mare quod increpatur : *tace et obmutesce*, referri ad Dominum Salvatorem, et periclitantem Ecclesiam, vel Apostolos suscitantem [*Al.* sustantes], qui eum deserentes in passione, quodammodo in fluctus præcipitabant : Iste Jonas dicit : *Scio quia propter me tempestas grandis est super vos*, quia me vident venti vobiscum ire in Tharsis, hoc est, ad contemplationem lætitiæ navigare, ut vos mecum perducam ad gaudium : ut ubi ego sum et Pater, ibi et vos sitis (*Joan.* XIV, 3). Idcirco sæviunt, idcirco mundus, qui in maligno positus est, fremit (I *Joan.*

[a] Voces, *hoc est*, Victorii editio non agnoscit : tum pro *cultor es*, uno verbo *cultorem* legit.

v, 19) : ideo elementa turbantur : me cupit devorare mors, ut vos pariter occidat ; et non intelligit, quia velut in hamo escam capit, ut mea morte moriatur. *Tollite me*, *et mittite in mare*. Non est enim nostrum, mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere. Unde et in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi [a] castitas periclitatur ; sed percutienti colla submittere. Sic, inquit, placate ventos, sic in maria libamina fundite : tempestas quæ propter me sævit contra vos, me moriente, sedabitur.

(Vers. 13.) *Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam*, *et non valebant*, *quia mare ibat*, *et intumescebat super eos*. LXX : *Et conabantur viri*, *ut reverterentur ad terram*, *et non poterant*, *quia mare ibat*, *et insurgebat magis contra eos*. Protulerat propheta contra se sententiam ; sed illi cultorem audientes Dei, manus injicere non audebant, propterea nitebantur reverti ad aridam, et effugere discrimen, ne sanguinem funderent, magis volentes perire, quam perdere. O rerum quanta mutatio ! populus qui servierat Deo, dicit : *Crucifige*, *crucifige talem* ( *Joan.* XIX, 6). Istis imperatur ut occidant, mare furit, tempestas jubet, et proprium periculum negligentes, de aliena salute soliciti sunt. Quamobrem et Septuaginta παρεβιάζοντο inquiunt, id est, *vim cupiebant facere* et naturam rerum vincere, ne violarent **403** prophetam Dei. Quod autem [b] remigabant viri, ut reverterentur ad aridam, putabant absque sacramento ejus qui pasurus erat, posse navem de periculo liberari : cum Jonæ subversio, navis fuerat [ *Al.* fuerit] relevatio.

(Vers. 14.) *Et Clamaverunt ad Dominum*, *et dixerunt : quæsumus*, *Domine*, *ne pereamus in anima viri istius*, *et ne des super nos sanguinem innocentem*, *quia tu*, *Domine*, *sicut voluisti*, *fecisti*. LXX : *Et clamaverunt ad Dominum*, *et dixerunt : nequaquam*, *Domine*, *ne pereamus propter animam viri hujus*, *et non des super nos sanguinem justum*, *tu enim*, *Domine*, *sicut voluisti*, *fecisti*. Grandis vectorum fides : periclitantur ipsi, et pro alterius anima deprecantur. Sciunt enim pejorem mortem peccati esse, quam vitæ. *Et ne des*, inquiunt, *super nos sanguinem innocentem*. Contestantur Dominum, ut quodcumque facturi sunt, non sibi reputetur, et quodammodo dicunt, nolumus interficere prophetam tuum, sed iram tuam et ipse confessus est, et tempestas loquitur, quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti ; voluntas tua expletur per nostras manus. Nonne nobis videtur nautarum vox, Pilati esse confessio, qui lavat manus suas, et dicit : *Mundus sum ego a sanguine viri hujus* ( *Matth.* XXVII, 25). Nolunt Christum perire gentes, innocentem sanguinem protestantur. Et Judæi dicunt : *Sanguis ejus super nos*, *et super filios nostros*. Et ideo si levaverint manus, non exaudientur, quia plenæ sunt sanguine : *Quia tu*, *Domine*, *sicut voluisti*, *fecisti* : Quod nos suscepimus, quod turbo consurgit, quod venti sæviunt, quod mare suscitatur in fluctus, quod proditur sorte fugitivus, quod indicat quid fieri debeat, tuæ est, Domine, voluntatis, tu enim sicut voluisti, fecisti. Unde et Salvator dicit in psalmo : *Domine*, *ut facerem voluntatem tuam*, *volui* (*Psal.* XXXIX, 9).

(Vers. 15.) *Et tulerunt Jonam*, *et miserunt in mare*, *et stetit mare a fervore suo*. LXX: *Et tulerunt Jonam*, *et miserunt in mare*, *et stetit mare a commotione sua*. Non dixit arripuerunt, non ait invaserunt, sed tulerunt : quasi cum obsequio et honore portantes, miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati. Et **404** stetit mare, quia invenerat quem quærebat. Velut si quis persequatur fugitivum, et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere, et stat ac tenet quem apprehenderit. Ita et mare quod, absente Jona, irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens, gaudet et confovet, et ex gaudio tranquillitas redit. Si consideremus ante passionem Christi, errores mundi, et diversorum dogmatum flatus contrarios, et naviculam totumque humanum genus, id est, creaturam Domini periclitantem, et post passionem ejus tranquillitatem fidei, et orbis pacem, et secura omnia, et conversionem ad Deum, videbimus quomodo post præcipitationem Jonæ steterit mare a fervore [ *Al.* furore ] suo.

(Vers. 16.) *Et timuerunt viri timore magno Dominum*, *et immolaverunt hostias Domino*, *et voverunt vota*. [c] LXX similiter. Ante Domini passionem timentes clamaverunt ad deos suos : post passionem ejus Dominum timent, id est, venerantur et colunt, et non timent simpliciter, ut in principio legimus, sed timore magno, juxta illud quod dicitur : *Ex tota anima*, *et ex toto corde*, *et ex tota mente tua* ( *Matth.* XXII, 37). *Et immolaverunt hostias*, quas certe juxta litteram in mediis fluctibus non habebant : sed quia sacrificium Deo spiritus contribulatus est (*Psal.* L). Et in alio loco dicitur : *Immola Deo sacrificium laudis*, *et redde Altissimo vota tua* ( *Ps.* XLIX, 14 ). Et rursum : *Reddemus tibi vitulos labiorum nostrorum* : idcirco in mari immolant hostias, et alias sponte promittunt vota facientes : se numquam ab eo quem colere cœperant, recessuros. Timuerunt enim timore magno : quia ex tranquillitate maris et tempestatis fuga, vera prophetæ verba cernebant. Jonas in mari fugitivus, naufragus, mortuus, salvat naviculam fluctuantem : salvat ethnicos in diversas prius sententias mundi errore jactatos. Et Osee, Amos, Isaias, Joel, qui eodem tempore prophetabant, populum in

[a] Confer librum primum contra Jovinian., num. 41, ubi de Milesiis virginibus. Simile quid laudat Cicero oratione de Provinciis Consularibus : et Epigramma vetus, Antholog. lib. III, tit. de Juvenibus. ὠχόμεθ' ὡ Μίλητε, etc. Plura autem ejus strenuitatis exempla apud veteres, et passim in Martyrologiis.

[b] Quod pridem Victorius expunxerat verbum *dicit*, utpote supervacaneum, duo Palatini mss. hic retinent.

[c] Isthæc verba, *LXX similiter*, quæ sæpe alibi, hic quoque suffecimus ex mss.

Judæa nequeunt emendare. Ex quo ostenditur sedari non posse naufragium, nisi morte fugitivi.

(Cap. II. — Vers. 1.) *Et præparavit Dominus piscem grandem : ut deglutiret Jonam.* LXX : *Et præcepit Dominus ceto magno, et devoravit Jonam.* Morti et inferno præcepit **405** Dominus, ut prophetam suscipiat. Quæ avidis faucibus prædam putans, quantum in devoratione lætata est, tantum luxit in vomitu. Tuncque completum est illud quod legitur in Osee : *Ero mors tua, o mors : ero morsus tuus, inferne* (*Osee* XIII, 14). In Hebraico autem *piscem grandem* legimus, pro quo LXX interpretes, et Dominus in Evangelio *cetum* vocant, rem ipsam brevius explicantes. In Hebraico enim dicitur DAG GADOL, (דג גדול) quod interpretatur, *piscis grandis* : haud dubium quin *cetum* significet. Et animadvertendum, quod ubi putabatur interitus, ibi custodia sit. Porro quod ait, *præparavit*, vel ab initio cum conderet, de quo et in psalmo scribitur : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26) : vel certe juxta navem fecit venire, ut præcipitem Jonam in suos reciperet sinus, et pro morte præberet habitaculum : ut qui in navi iratum senserat Deum, propitium in morte sentiret.

(Vers. 2.) *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.* LXX : *Et erat Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus.* Hujus loci mysterium in Evangelio Dominus exponit (*Matth.* XII), et superfluum est, vel id ipsum, vel aliud dicere, [a] quam exposuit ipse, qui passus est. Hoc solum quærimus, quomodo tres dies, et tres noctes fuerit [*Al.* fecerit] in corde terræ. Quidam παρασκευήν, quando sole fugiente ab hora sexta usque ad horam nonam, nox successit diei, in duos dies et noctes dividunt, et apponentes sabbatum, tres dies et tres noctes æstimant supputandas : nos vero συνεκδοχικῶς totum intelligamus a parte : ut ex eo quod εἰν παρασκευῇ mortuus est, unam diem supputemus et noctem, et sabbati alteram : tertiam vero noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius : nam et in Genesi nox non præcedentis diei est (*Genes.* I), sed sequentis, id est, principium futuri, non finis præteriti. Hoc ut intelligi possit, dicam simplicius. Finge aliquem hora nona egressum esse de mansione, et alterius diei hora tertia ad mansionem alteram pervenisse : si dixero bidui eum fecisse iter, non statim reprehendar mendacii, quia ille qui ambulavit, non omnes horas utriusque diei, sed quamdam partem **406** itinere consumpserit. Certe mihi hæc videtur interpretatio. Si quis autem istam non receperit, et meliori sensu potest loci hujus exponere sacramentum, illius magis sequenda est sententia.

*Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de utero piscis : et dixit :* [b] LXX similiter, tantum ordine commutato. Si Jonas refertur ad Dominum, et ex eo quod tribus diebus ac noctibus in utero ceti fuit, passionem indicat Salvatoris, debet et oratio illius typus esse orationis Dominicæ. Nec ignoro, quosdam fore, quibus incredibile videatur, tribus diebus ac noctibus in utero ceti, in quo naufragia dirigebantur, hominem potuisse servari, qui utique aut fideles erunt, aut infideles : si fideles, multo majora credere cogentur : Quomodo tres pueri missi in caminum æstuantis incendii, intantum illæsi fuerint, ut ne vestimenta quidem eorum odor ignis attigerit (*Dan.* III) : Quomodo recesserit mare, et ad instar murorum hinc inde rigidum steterit, ut præberet viam populo transeunti (*Exod.* XIV) : Quomodo humana ratione, aucta fame, leonum rabies prædam suam timens aspexerit, nec letigerit : et multa hujuscemodi. Sin autem infideles erunt, legant quindecim libros Nasonis Metamorphoseos, et omnem Græcam, Latinamque historiam, ibique cernent vel Daphnen in laurum, vel Phaetontis sorores in populos arbores fuisse conversas : quomodo Jupiter eorum sublimissimus deus, sit mutatus in cygnum, in auro fluxerit, in tauro rapuerit, et cætera, in quibus ipsa turpitudo fabularum, divinitatis denegat sanctitatem. Illis credunt, et dicunt Deo cuncta possibilia : et cum turpibus credant, potentiaque Dei universa defendant, eamdem virtutem non tribuunt et honestis. Quod autem scriptum est : *Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de utero piscis, et dixit*, intelligimus eum postquam in utero ceti sospitem esse se senserit, non desperasse de Domini misericordia, et totum ad obsecrationem esse conversum. Deus enim qui dixerat de justo : *Cum ipso sum in tribulatione* (*Psal.* XC, 15). Et : *Cum invocaverit me, dicam : adsum*, affuit ei, et dicere potest qui exauditus est : *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV, 1).

(Vers. 3.) **407** *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me, de ventre inferni clamavi, et exaudisti vocem meam.* Septuaginta similiter, hoc tantummodo commutato : *de ventre inferi clamoris mei* [c] *audisti vocem meam.* Non dixit, *clamo*, sed *clamavi* : nec de futuro precatur, sed de præterito gratias agit : indicans nobis quod ex eo tempore quo præcipitatus in mare vidisset cetum, et tantam corporis molem, et immanes rictus aperto se ore sorbere, Domini recordatus sit, et clamaverit, vel aquis cedentibus, et clamore inveniente locum, vel toto cordis affectu, secundum illud quod Apostolus dicit : *Clamantes in cordibus vestris, abba, pater* (*Rom.* VIII, 15). Et clamaverit ei qui solus novit corda hominum, et loquitur ad Moysen : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV, 15)? Cum utique nihil ante hanc vocem clamasse Moysen Scriptura commemoret. Hoc est illud quod in primo graduum psalmo legimus : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me* (*Ps.* CXIX, 1). Ventrem autem inferi, alvum ceti intelligamus, quæ tan-

[a] Verba, *quam exposuit ipse qui passus est*, Victor. male prætermisit.

[b] Hæc verba, *LXX similiter*, tum quæ subsequuntur, *tantum ordine commutato*, quæ deerant, ex nostris mss. supplemus.

[c] Verba, *audisti vocem meam*, quæ eadem revera et in Hebraica sunt veritate, Palatini mss. hic ignorant.

tæ fuit magnitudinis, ut instar obtineret inferni. Sed melius ad personam Christi referri potest, qui sub nomine David cantat in psalmo : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* xv, 10). Qui fuit in inferno vivens, inter mortuos liber.

(Vers. 4.) *Et projecisti me in profundum* [a] *in corde maris, et flumen circumdedit me*, LXX : *Projecisti me in profundum cordis maris, et flumina me circumdederunt.* Quantum ad personam Jonæ non est difficilis interpretatio : quod ceti clausus alvo in profundissimo et in medio maris fuerit, fluminibusque vallatus sit. Quantum ad Dominum Salvatorem sexagesimi octavi psalmi sumamus exemplum in quo loquitur : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia: Veni in profundum maris, et tempestas demersit me* ; de quo et in alio psalmo dicitur : *Tu autem abjecisti et despexisti, distulisti Christum tuum : subvertisti testamentum servi tui, contaminasti in terra sanctuarium ejus, destruxisti omnes macerias ejus* (*Ps.* lxxxviii, 39, 40), et reliqua. Ad comparationem enim cœlestis beatitudinis, et ejus loci, de quo scriptum est : *In pace sancta locus ejus* (*Psal.* lvii, 2), omnis terrena habitatio plena est fluctibus, **408** plena tempestatibus. Porro per cor maris significatur infernus, pro quo in Evangelio legimus : *In corde terræ* (*Matt.* xii, 14). Quomodo autem cor animalis in medio est, ita et infernus in medio terræ esse perhibetur. Vel certe juxta ἀναγωγήν, in corde maris, id est, in mediis tentationibus esse se memorat. Et tamen cum inter amaras aquas fuerit, et tentatus sit juxta omnia absque peccato, non sensit amaras aquas : sed flumine circumdatus est, de quo et in alio loco legimus : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* xlv, 5) : aliis bibentibus salsos fluctus, ego in mediis tentationibus dulcissima fluenta sorbebam. Nec impium tibi esse videatur, si nunc Dominus dicat : *Projecisti me in profundum* (*Ps.* lxviii, 27), qui loquitur in psalmo : *Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt* : secundum illud quod ex persona Patris in Zacharia ponitur : *Percutiam pastorem, et oves dispergentur* (*Zach.* xiii, 7).

*Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt.* LXX : *Omnes elevationes tuæ et fluctus tui super me transierunt.* Quod super Jonam tumentes maris fluctus transierint, et detonuerit sæva tempestas, nulli dubium est. Quærimus autem quomodo omnes elevationes, et gurgites, et fluctus Dei, super Salvatorem transierint. *Tentatio est vita hominum super terram* (*Job* vii, 1), sive ut in Hebraico habetur, *militia*, quia hic militamus, ut alibi coronemur. Nullusque est hominum, qui cunctas sustinere queat tentationes, absque eo qui tentatus est in omnibus, juxta nostram similitudinem, sine peccato. Unde et ad Corinthios dicitur : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus qui non dimittet vos tentari supra id, quod potestis ; sed faciet cum tentatione et exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13). Et quoniam omnes persecutiones, et universa quæ accidunt, absque Dei non ingruunt voluntate : idcirco Dei gurgites dicuntur et fluctus, qui non oppresserunt Jesum, sed transierunt per eum, minantes tantum naufragium, non inferentes. Universæ ergo persecutiones, et turbines, quibus genus vexabatur humanum, et cunctæ naviculæ frangebantur, super meum detonuere caput. Ego sustinui tempestates, et fregi turbines sævientes, ut cæteri securius navigarent.

**409** (Vers. 5.) *Et ego dixi, abjectus sum a conspectu oculorum tuorum.* LXX : *Ego dixi, abjectus sum ab oculis tuis.* Antequam clamarem de tribulatione mea, et exaudires me, quia [*Al.* qui] formam servi acceperam, fragilitatem quoque illius imitatus, dixi : *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum.* Quando eram tecum, et tuo lumine perfruebar, et in te [*Al.* tuo] lumine ego eram lumen, non dicebam, abjectus sum. Postquam autem veni in profundum maris, et hominis carne circumdatus sum, humanos imitor affectus, dico : *Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum.* Hoc quasi homo locutus sum : cæterum quasi Deus, et his, qui cum essem in forma tua, non sum rapinam arbitratus æqualem me esse tui (*Philip.* ii), volens ad te evehere humanum genus : ut ubi ego sum et tu, ibi sint et omnes, qui in me et te crediderunt (*Joan.* xvii, 24), dico :

*Verumtamen rursum vide templum sanctum tuum* [b] LXX : *Putasne addam ut videam templum sanctum tuum?* Hoc quod in Græco dicitur ἆρα, et habet vulgata editio, *putas*, interpretari potest, *igitur*, ut sit quasi propositionis et assumptionis, confirmationisque ac syllogismi extrema conclusio, non ex ambigentis incerto, sed ex fiducia comprobantis : pro quo nos interpretati sumus : *Verumtamen rursum videbo templum sanctum tuum*, secundum illud quod ex persona ejus in alio psalmo dicitur : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum tabernaculi gloriæ tuæ* (*Ps.* xxv, 8). Et Evangelicam lectionem in qua scriptum est : *Pater, glorifica me apud te ea gloria, quam habui priusquam mundus fieret* (*Joan.* xvii, 5). Et respondit de cœlo Pater : [c] *Et glorificavi, et glorificabo* (*Ibid.*, xii, 28). Vel certe quia legitur : *Pater in me, et ego in Patre* (*Ibid.*, xvii, 21), sicut templum Patris Filius est, ita templum Filii Pater. Ipse enim dicit : *Ego de Patre exivi, et veni* (*Ibid.*, xvi, 28). Et : *Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* i, 1). Aut unus idemque Salvator quasi homo postulat : quasi Deus pollicetur ; et de sua quam semper habuit, possessione securus est. Ex Jonæ vero persona, vel optantis, vel confidentis affectu liquido intelligi potest, quod desideraverit in profundo maris positus videre templum Domini, et spiritu prophetali alibi sit, et aliud [*Al.* alibi] contempletur.

**410** (Vers. 6.) *Circumdederunt me aquæ usque ad*

[a] Iidem Palatini mss., *in profundum et cor maris.*
[b] Palatini mss., *Pro quo LXX transtulerunt.*
[c] Plerique libri alii, *clarificavi, et clarificabo.*

*animam meam, abyssus vallavit me.* LXX. *Circumfusa est mihi aqua usque ad animam meam : abyssus vallavit me novissima.* Aquæ istæ, quæ vicinæ sunt abyssis, quæ in terris volvuntur, et defluunt, quæ multum secum limi trahunt, non corpus, sed animam nituntur occidere, amicæ quippe sunt corporum, et ejus voluptatibus confoventur. Unde secundum illud quod supra diximus, loquitur Dominus in Psalmo : *Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Ps.* LXVIII, 1). Et in alio loco : *Torrentem pertransiit anima nostra* (*Psal.* CXXIII, 3). Et : *Ne urgeat super me puteus os suum, neque concludat infernus* (*Ibid.*, LXVIII, 16) ; non mihi deneget exitum, qui sponte descendi, sponte conscendam, qui voluntarius captivus veni, debeo deliberare captivos, ut impleatur illud : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* (*Ps.* LXVII) : eos enim qui ante captivi fuerant in morte, iste cepit ad vitam. Abyssos autem perniciosas quasdam et pessimas fortitudines accipere debemus, vel tormentis suppliciisque deditas potestates, ad quas et in Evangelio dæmones rogant ne ire cogantur (*Luc.* VIII). Unde [a] et tenebræ erant super abyssum (*Gen.* I). Interdum abyssus accipitur et pro sacramentis ac profundissimis sensibus, et judiciis Dei : *Judicia Domini abyssus multa* (*Ps.* XXXV, 7). Et : *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum* (*Ps.* XLI, 8).

*Pelagus operuit caput meum, ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.* LXX : *Intravit caput meum ad scissuras montium : descendi in terram, cujus vectes sunt retinacula sempiterna.* Quod Jonæ caput pelagus operuerit, et ad montium extrema descenderit, et venerit usque ad profunda terrarum, quibus quasi vectibus et columnis Dei voluntate globus terræ sustentatur, nulli dubium est, de qua et alibi dicitur : *Ego confirmavi columnas ejus* (*Ps.* LXXIV, 4). De Domino autem Salvatore juxta utramque editionem videtur mihi sic posse intelligi, quod principale et caput ejus, id est, anima quam cum corpore pro salute nostra dignanter assumpsit, descenderint in scissuras montium, qui fluctibus operiebantur, qui se a cœli subtraxerant libertate, quos abyssus ambiebat, qui se a Dei sciderant **411** majestate, et postea etiam ad infera penetrarit : ad quæ loca quasi in extremo limo peccatorum, animæ trahebantur, dicente Psalmographo : *Intrabunt in inferiora terræ, partes vulpium erunt* (*Ps.* LXII, 10, 11). Isti sunt vectes terræ, et quasi quædam seræ extremi carceris ac suppliciorum, nolentes ab inferis animas exire captivas. Unde significanter LXX κάτοχοι αἰώνιοι [Al. κατόχους αἰωνίους] transtulerunt, hoc est, semper tenere cupientes, quos semel invaserant. Sed Dominus noster, de quo sub persona Cyri in Isaia legimus : *Fores æneas conteram, et vectes ferreos confringam* (*Isa.* IV, 2), ad montium extrema descendit, et æternis conclusus est vectibus, ut omnes qui clausi fuerant, liberaret.

(Vers. 7.) *Et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* LXX : *Et ascendat de corruptione vita* [b] *mea, Domine Deus meus.* Proprie dixit, *sublevabis* : vel *ascendat de corruptione vita mea*, quia ad corruptionem, et ad inferna descenderat. Hoc est, quod Apostoli interpretantur in quinto decimo psalmo ex persona Domini prophetatum : *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* : quod David scilicet mortuus sit et sepultus : Salvatoris autem caro non viderit corruptionem. Alii vero interpretantur quod ad comparationem cœlestis beatitudinis et Verbi Dei, humanum corpus corruptio sit, quod seminatur in corruptione ; et in centesimo secundo psalmo ex persona Justi [c] significetur : *Qui sanat omnes infirmitates tuas : qui redemit de interitu vitam tuam.* Unde et Apostolus dicit : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? Et appellatur corpus mortis, vel corpus humilitatis. Hoc illi ad occasionem suæ ducunt hæreseos : ut sub persona Christi mentiantur antichristum : Ecclesias teneant, ut ventrem pinguissimum nutriant, et carnaliter viventes, contra carnem disputent [*Al.* disputant]. Nos autem scimus de incorrupta Virgine corpus assumptum, non corruptionem Christi fuisse, sed templum. Quod si in Apostoli ad Corinthios sententiam trahimur, in qua corpus dicitur spirituale (I *Cor.* XV), ne contentiosi **412** videamur, dicemus idipsum quidem corpus, et eamdem carnem resurgere, quæ sepulta est, quæ in humo condita ; sed mutare eam gloriam, non mutare naturam : *Oportet enim corruptivum hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Quando dicitur, *hoc*, quodammodo duobus digitulis comprehensum corpus ostenditur : hoc in quo nascimur, hoc in quo morimur, hoc quod timent recipere qui puniendi sunt, hoc quod virginitas exspectat ad præmium, adulterium formidat ad pœnam. Super Jona autem ita intelligi potest : Quod qui in ventre ceti juxta naturam corporum corrumpi debuerat, et in cibos bestiæ proficere, ac per venas artusque diffundi, sospes et integer manserit. Porro quod ait : *Domine Deus meus*, blandientis affectus est, quod communem Deum omnium, beneficii magnitudine suum et quasi proprium senserit Deum.

(Vers. 8.) *Cum angustiaretur* [Al. *anxiaretur*] *in me anima mea, Domini recordatus sum.* LXX : *Cum deficeret ex me anima mea, Domini recordatus sum.*

[a] Mss. Palatini, *Unde est illud, et tenebræ erant*, etc.

[b] Septuaginta interpretationem ad nostrorum codd. fidem, Græco assentiente textu, singulis pene verbis restituimus. Antea multo aliter lectum, *ascendet de corruptione vita ad te, Domine Deus meus.* Græcus habet, καὶ ἀναβήτω ἐκ φθορᾶς ἡ ζωή μου, Κύριε ὁ Θεός μου. Hinc et paulo post *ascendat* cohærenter, pro *ascendet* reponimus.

[c] Martian. legit *sanctificetur* : tum Victor. *redimit*, ex Vulgata editione, pro *redemit* : denique mss. nostri, *ex corruptione*, pro *de interitu*.

Cum, inquit, nullum aliud sperarem auxilium, recordatio Domini mihi saluti fuit, juxta illud : *Recordatus sum Domini, et lætatus sum* (*Ps.* LXXVI, 4). Et in alio loco : *Recordatus sum dierum antiquorum, et annos æternos in mente habui* (*Ps.* LXXVI, 6). Ego cum desperarem salutem, et carnis fragilitas in medio ventre ceti nihil me de vita sperare permitteret, quidquid impossibile videbatur, Domini recordatione superatum est. Videbam me clausum in utero ceti, et tota spes mea Dominus erat. Ex quibus discimus juxta Septuaginta eo tempore quo deficit anima nostra, et a corporis compage divellitur, non nos debere alio cogitationem vertere, nisi ad eum, qui et in corpore et extra corpus noster est Dominus. Super Salvatoris vero persona non est difficilis interpretatio, qui dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38, 39). Et : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Et : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Ps.* XXX, 6) : et cætera his similia.

*Ut veniat ad te oratio mea, ad templum* **413** *sanctum tuum.* [a] LXX similiter. Idcirco in tribulatione Domini recordatus sum, ut oratio mea de extremo mari, et scissuris montium conscendat ad cœlos, et veniat ad templum sanctum tuum, in quo tu æterna frueris beatitudine. Et considerandum quod novo genere, oratio fiat pro oratione, et precetur ut oratio illius conscendat ad templum Dei. Petit autem quasi pontifex, ut in corpore suo populus liberetur.

(Vers. 9.) *Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam* [b] *derelinquent.* LXX : *Qui custodiunt vana et mendacia, misericordiam suam reliquerunt.* Deus natura misericors est, et paratus ut salvet clementia, quos non potest salvare justitia : nos autem vitio nostro paratam misericordiam, et ultro se offerentem perdimus et relinquimus. Et non dixit, *qui faciunt vanitates* (Vanitas quippe vanitatum, et omnia vanitas (*Eccl.* I, 2) ne damnare videretur universos, et cuncto generi humano misericordiam denegare ; sed qui custodiunt vanitates, sive mendacium, qui transierunt in affectum cordis : qui non solum faciunt, sed ita custodiunt vanitates, quasi diligant, et thesaurum invenire se putent. Simulque cerne magnanimitatem prophetæ, in profundo maris, in ventre tantæ bestiæ æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum, generali sententia philosophatur. *Misericordiam,* inquit, *suam derelinquent.* Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum (*Misericors enim et miserator Dominus, patiens et multæ miserationis* (*Ps.* CXLIV, 8), tamen eos qui A custodiunt vanitates, non relinquit, non detestatur, sed exspectat ut redeant : illi vero stantem misericordiam et ultro se offerentem sponte propria derelinquunt. Potest hoc et ex persona Domini de Judæorum perfidia prophetari, qui dum se æstimant præcepta hominum et Pharisæorum mandata servare, quæ vanitas atque mendacium sunt, Deum qui semper eorum misertus fuerat, reliquerunt.

(Vers. 10.) *Ego autem in voce laudis immolabo tibi :* **414** *quæcumque vovi reddam pro salute Domino.* LXX : *Ego autem cum voce laudis et confessionis immolabo tibi, quæcumque vovi reddam tibi salutare Domino.* Qui custodiunt vanitates, suam misericordiam reliquerunt : ego autem qui pro multorum salute devoratus sum, in voce laudis et confessionis B immolabo tibi, meipsum offerens : *quia Pascha nostrum immolatus est Christus* (1 *Cor.* V). Et quasi [c] verus pontifex et ovis seipsum pro nobis obtulit. Et confitebor, inquit, tibi ut ante confessus sum, dicens : *Confiteor* [Al. *Confitebor*] *tibi, Pater Domine cœli et terræ* (*Mat.* XI, 15 ; *Joan.* VI, 39) ; et reddam vota, quæ feci pro salute omnium Domino, ut omne quod dedisti mihi non pereat in æternum. Cernimus quid in sua passione Salvator pro nostra salute promiserit : non faciamus mendacem Jesum : ergo mundi simus, et ab universis peccatorum sordibus separati, ut nos Deo Patri offerat victimas quas voverat.

(Vers. 11.) *Et dixit Dominus pisci : et evomuit Jonam in aridam.* LXX : *Et præcepit ceto, et ejecit Jonam super siccum.* Hæc quæ supra legimus sub persona Jonæ Dominus deprecatus est in ventre ceti, de quo et Job mystice loquitur : *Maledicat ei qui maledixit diei, ille qui magnum cetum capturus est* (*Job.* III, 8). Præcipitur ergo huic magno ceto, et abyssis et inferno, ut terris restituant Salvatorem : et qui mortuus fuerat, ut liberaret eos qui mortis vinculis tenebantur, secum plurimos educat ad vitam. Quod autem scribitur *evomuit,* ἐμφατικώτερον debemus accipere : quod ex imis vitalibus mortis, victrix vita processerit.

(Cap. III. — Vers. 1, 2.) *Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea* [d] *juxta prædicationem priorem, quam ego loquor ad te.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge, et vade in Niniven civitatem magnam, et prædica in ea juxta prædicationem priorem, quam ego locutus sum ad te.* Non dicitur prophetæ, quare non fecisti quod tibi fuerat imperatum, sed sufficit ei

[a] Deerant verba *LXX similiter :* quæ tum hic, tum alibi sæpius ex mss. suffecimus.

[b] Ad Vulgatæ exemplar Victorius *derelinquunt :* quam videtur in subnexa expositione lectionem ipse præferre S. Doctor.

[c] Hic vocem *verus,* infra *ergo* adverbium prætermittit Victorius.

[d] Victorius ait : Hunc locum LXX interpretatio vitiavit : sic enim illi verterunt ; Hieronymus vero, ut ex Vulgata ejus editione apparet, hoc modo : *Et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.* Voces enim, *juxta* et *priorem,* non sunt in Hebraico, nec etiam esse potuerunt : cum alioqui falsum sit Jonam antea in Ninive prædicasse, cum hucusque non nisi ejus ab illa urbe describatur fuga. Expunctæ sunt itaque voces ab illo, locusque ad fidem Vulgatæ editionis restitutus. Nobis contra mss. fidem nihil licere arbitramur.

naufragii et **415** devorationis sola correptio, ut qui imperantem non senserat Dominum, intelligeret liberantem. Alioquin superfluum est delinquenti servo post plagas velle imputare quod fecit, cum hujuscemodi correptio non tam emendatio sit, quam exprobratio. Dominus autem noster post resurrectionem secundo mittitur ad Niniven, ut qui prius quodammodo fugerat, dicens : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Mat.* XXVI, 39), et noluerat dare panem filiorum canibus (*Ibid.*, XV) ; nunc quia illi dixerant, *Crucifige, crucifige talem : Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15), sponte pergit ad Niniven, ut hoc prædicet post resurrectionem, quod ut prædicaret, et ante passionem ei fuerat imperatum. Totum autem quod jubetur, quod obedit, quod non vult, quod iterum velle cogitur, quod Patris secundo exsequitur voluntatem, refer ad hominem et ad formam servi, cui talia verba conveniunt.

(Vers. 3.) *Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini : et Ninive erat civitas magna Dei* [Vulg. tacet *Dei*], *itinere trium dierum : et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius.* LXX : *Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven, sicut ei locutus fuerat Dominus. Erat autem Ninive civitas magna Deo, quasi itinere viæ dierum trium : et cœpit Jonas ingredi civitatem quasi itinere* [a] *viæ unius diei.* Statim Jonas quod fuerat sibi imperatum opere perfecit. Ninive autem erat, ad quam pergebat propheta, civitas magna, et tanti ambitus, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. At ille præcepti et superioris naufragii memor, viam trium dierum unius diei festinatione complevit, quamquam sint qui ita simpliciter intelligant, quod in tertia tantum parte urbis prædicaverit, et ad reliquos confestim prædicationis sermo pervenerit. Dominus autem noster proprie post inferos consurgere dicitur, et verbum Domini prædicare, quando mittit apostolos ut baptizent eos, qui erant in Ninive, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est, itinere trium dierum. Et hoc ipsum sacramentum **416** salutis humanæ unius diei [b] via, id est, unius Dei confessione perficitur, non tam apostolis, quam in apostolis prædicante Jona. Ipse enim dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Mat.* XXVIII, 20). Nullique dubium quare Ninive magna sit civitas Dei, cum mundus et universa per ipsum facta sint, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Notandum quoque quod non dixerit, tribus diebus et noctibus, vel, uno die et nocte, sed absolute, *diebus et die*, ut ostenderet in mysterio Trinitatis, et unius Dei confessione nihil esse tenebrosum.

(Vers. 4.) *Et clamavit et dixit : adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* LXX : *Et prædicavit et dixit : adhuc tres dies, et Ninive subvertetur.* Trinus [c] numerus qui ponitur a Septuaginta, non convenit pœnitentiæ : et satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo nec litterarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit ulla communitas. Tres enim dicuntur SALOS (שלש), et quadraginta ARBAIM (ארבעים). Alioquin et de Judæa tanto itinere missus propheta in Assyrios, dignam suæ prædicationis pœnitentiam flagitabat, ut antiqua et putrida vulnera diu apposito curarentur emplastro. Porro quadragenarius numerus convenit peccatoribus et jejunio, et orationi, et sacco, et lacrymis, et perseverantiæ deprecandi: ob quod et Moyses quadraginta diebus jejunavit in monte Sina (*Exod.* XXXIV), et Elias fugiens Jezabel, indicta fame terræ Israel, et Dei desuper ira pendente, quadraginta dies jejunasse describitur (III *Reg.* XXXIV). Ipse quoque Dominus verus Jona missus ad prædicationem mundi, [d] jejunat quadraginta dies : et hæreditatem nobis jejunii derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat. Quod autem clamavit, Evangelicum illud expletur : *Stans clamabat in templo, dicens : Qui sitit, veniat ad me et bibat.* Omnis enim sermo Salvatoris, quia de magnis prædicabat, clamor appellatur.

(Vers. 5.) *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum,* **417** *et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.* [e] LXX similiter. Credidit Ninive, et Israel incredulus perseverat. Credidit præputium, et circumcisio permanet infidelis. Et primum credunt viri de Ninive, qui ad ætatem Christi pervenerant : prædicantque jejunium, et vestiuntur saccis a majore usque ad minorem. Dignus et victus et habitus pœnitentiæ, ut qui offenderant Deum luxu et ambitione, eorum damnatione placent, per quæ prius offenderant. Saccus et jejunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum : ante jejunium, et sic saccus ; ante quod occultum est, et postea quod palam : hoc semper Deo, illud interdum exhibetur et hominibus. Et si e duobus necessariis unum est subtrahendum, magis jejunium absque sacco, quam saccum eligam absque jejunio. Major ætas incipit, et usque ad minorem pervenit (*Job* XXV, 5, 6) : nullus enim absque peccato, [f] et si unius quidem diei fue-

[a] Vocem *viæ*, quæ et in Græco resonat ὁδοῦ, nostri mss. supplent.

[b] Iterum vox, *via*, in Martianæi deerat editione, sensusque adeo laborabat, nostri mss. post Victorium sufficiunt.

[c] Attamen non *tres* tantum, sed *quadraginta tres* scripsisse videantur LXX. Et vero apud Justinum Dialogo cum Tryphone ὅτι μετὰ (ἐν ἄλλοις τρεῖς) τεσσαράκοντα τρεῖς, *Quoniam post* (*in aliis exemplaribus tres*) *quadraginta dies*, etc. In unam duæ voces coaluerint.

[d] Antea *jejunavit*, Victorius in hunc locum, Discant inquit, ex his verbis hæretici, ex Christi et apostolorum institutione Quadragesimæ jejunium esse : et nos per illud præparari ad esum veri Christi corporis, quod quinta sacræ hebdomadis feria, aut ipso in paschate sumitur. Ex apostolica institutione Quadragesimæ jejunium esse, apertius etiam in epistola ad Marcellam contra Montanum Hieronymus scribit.

[e] Verba *LXX similiter*, ut sæpe alibi, mss. nostri hic supplent.

[f] Nostri mss., *ne si unius quidem*, etc. Victorius : Locus est, inquit, Job XIV, secundum LXX, in quibus hodie legitur, ἀριθμητοὶ δὲ μῆνες αὐτοῦ, *numerabi-*

rit vita ejus, et numerabiles anni vitæ illius (*Job* xiv). Si enim stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei, quanto magis vermis et putredo, et hi qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii? Sed et ordo pulcherrimus : Præcipit Deus prophetæ. Propheta prædicat civitati : prius viri credunt, et illis jejunium prædicantibus, omnis ætas sacco induitur. Viri non prædicant saccum, sed tantum jejunium : At vero hi [*Al.* his] quibus pœnitentia præcipitur, consequenter ad jejunium saccum copulant, ut inanis venter, et habitus luctuosus ambitiosius Dominum deprecentur.

(Vers. 6 seq.) *Et pervenit verbum ad regem Ninive, et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere, et clamavit et dixit in Ninive, ex ore regis et principum ejus dicens : Homines et jumenta, et boves et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant, et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum* (Vulg. *Deum*) *in fortitudine : et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. Quis scit si* [a] *convertatur* **418** *et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ et non peribimus?* LXX : *Et appropinquavit sermo ad regem Ninive et surrexit de throno suo, et abstulit stolam suam a se, et coopertus est sacco, et sedit in cinere, et prædicatum est Ninive a rege, et ab omnibus* (Al. *hominibus*) *majoribus ejus, dicentibus : Homines et jumenta et boves et oves non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant : et cooperti sunt saccis homines et jumenta, et clamaverunt ad Dominum vehementer, et reversus est unusquisque de via sua mala, et ab iniquitate quæ erat in manibus eorum dicentium : Quis scit si convertatur Deus et exhortetur, et avertatur ab ira furoris sui, et non pereamus?* Scio plerosque regem Ninive (qui extremus audiat prædicationem, et descendat de solio suo, et pristinum abjiciat ornatum, vestitusque sacco, sedeat in cinere : nec sua conversione contentus, cæteris quoque conducibus suis prædicet pœnitentiam, dicens : *Homines, et jumenta, et boves, et pecora* crucientur fame, operiantur saccis, et damnatis pristinis vitiis, totos se conferant ad pœnitentiam) super diabolo interpretari, qui in fine mundi (quia nulla rationabilis, et quæ a Deo facta sit, creatura pereat) descendens de sua superbia, acturus sit pœnitentiam, et in locum pristinum restituendus. Ad cujus sensus comprobationem etiam illud de Daniele exemplum proferunt : ubi Nabuchodonosor, acta per septem annos pœnitentia, in regnum pristinum restituitur (*Dan.* iv). Sed hoc quia sancta Scriptura non dicit, et evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor malorum est, et omnium peccatorum fons, acta pœnitentia, posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus. Et sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxv), et de his dici : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Isai.* lxvi, 24). Scimus quidem clementem esse Deum, nec qui peccatores sumus, crudelitate illius delectamur; sed legimus : *Misericors et justus* **419** *Dominus, et Deus noster miseretur.* Justitia Dei vallatur misericordia, et tali ad judicium ambitione procedit : sic parcit, ut judicet : sic judicat, ut misereatur. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt se* (*Psal.* xlviii, 8). Alioquin si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, et vel ex virtutibus, vel ex vitiis sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur, et longo post circuitu atque infinitis sæculis, omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium, quæ distantia erit inter virginem et prostibulum? Quæ differentia erit inter matrem Domini, et (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem apostoli et dæmones? Idem prophetæ et pseudo-prophetæ? Idem martyres et persecutores? Finge [b] quod libet, annos et tempora duplica, et infinitas ætates congere cruciatibus : si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus quid aliquando fuerimus; sed quid semper futuri simus. Nec ignoro quæ adversum hæc soleant dicere, et spem sibi ac salutem cum diabolo præparare. Verum non est istius temporis contra dogma perversum, et σύμφραγμα diabolicum docentium in [c] angulis, et in publico denegantium, latius scribere. Sufficit nobis indicasse, quod de hoc testimonio senserimus, et quasi in commentariis breviter intimare, quis sit rex Ninive, ad quem extremum Dei sermo perveniat. Quid valeat apud homines sæculi eloquentia et sapientia sæcularis, testes sunt Demosthenes, Tullius, Plato, Xenophon, Theophrastus, Aristoteles, et cæteri oratores ac philosophi, qui velut reges habentur hominum, et præcepta eorum non ut præcepta mortalium, sed quasi oracula accipiuntur deo-

*les menses.* Olim *innumerabiles.* Hoc testimonium Ezechielis cap. xviii impollutum in Hieronymo legebatur in hunc modum : *Unde scriptum est*, Nullus hominum sine peccato, ne si unius quidem diei fuerit vita ejus. Numerabiles autem anni vitæ illius. Nos, nisi *innumerabiles*, non mutavimus.

[a] Iidem mss., *si pœnitentiam agat Deus, et revertatur ab ira*, etc., concinente Græco, εἰ μετανοήσει ὁ Θεὸς καὶ ἀποστρέψει ἐξ ὀργῆς, etc. Impressa autem lectio cum Aldino exemplari facit.

[b] Duo mss., *quoslibet annos, et tempora duplicia.*

[c] Quæ hactenus obtinuit falsa lectio, ad scioli glossatoris captum deformata, hæc erat, *et σύμφραγμα*; *diabolicum regnum docentium, et Angelis publice denegantium privilegium, latius scribere*, etc. Nec est vero, cur singula notentur, quibus laborat, vitia, cum ad eam quam reposuimus lectionem composita, illius se statim falsitas prodat. Restituimus vero ad Palatinorum codicum fidem. *σύμφραγμα diabolicum, docentium in angulis, et in publico denegantium, latius*, etc. Solemnis hæc est Hieronymi contra Origenistas censura, quod vesana dogmata clam discipulorum suorum auribus insusurrarent, quæ palam docere erubescerent, dictaque inficiarentur.

rum. Unde et Plato dicit : Felices fore respublicas, si aut philosophi regnent, aut reges philosophentur. **420** Quam autem difficile istiusmodi homines credant in Deum, ut quotidiana exempla præteream, et sileam de veteribus historiis ethnicorum, sufficit nobis Apostoli testimonium, qui ad Corinthios scribens, ait : *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non sunt multi sapientes secundum carnem* [a] *non multi potentes, non multi nobiles : sed stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, et ea quæ erant contemptibilia elegit Deus* (I Cor. I, 26), et cætera. Unde rursum dicit : *Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobabo* (*Ibid.*, XIX). Et : *Videte, ne quis vos spoliet per philosophiam et inanem seductionem* (*Col.* II, 8). Ex quo perspicuum est, prædicationem Christi reges mundi audire novissimos, et deposito fulgore eloquentiæ et ornamentis ac decore verborum, totos se simplicitati et rusticitati tradere, et in plebeium cultum redactos sedere in sordibus, et destruere quod ante prædicaverant. Proponamus nobis beatum [b] Cyprianum (qui prius idololatriæ assertor fuit, et in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut oratoriam quoque doceret Carthagini) audisse tandem sermonem Jonæ, et ad pœnitentiam conversum, in tantam venisse virtutem, ut Christum publice prædicaret, et pro illo cervicem gladio flecteret. Profecto intelligimus regem Ninive descendisse de solio suo, et purpuram sacco, unguenta luto, munditias sordibus commutasse : non sordibus sensuum, sed verborum. Unde et de Babylone in Jeremia dicitur : *Calix aureus Babylon inebrians omnem terram* (*Jerem.* LI, 7). Quem non inebriavit [c] eloquentia sæcularis? cujus non animos compositione verborum et disertitudinis suæ fulgore perstrinxit? Difficile homines potentes et nobiles et divites, et multo his difficilius eloquentes credunt Deo : obcæcatur enim mens eorum divitiis et opibus atque luxuria, et circumdati **421** vitiis, non possunt videre virtutes simplicitatemque Scripturæ sanctæ, non ex majestate sensuum, sed ex verborum judicant vilitate. Cum autem ipsi qui prius mala docuerant, versi ad pœnitentiam, docere cœperint bona, tunc videbimus Ninivitico populos una prædicatione converti, et fieri illud quod in Isaia legimus : [d] *Si nata est gens semel.* Homines quoque et jumenta operta saccis, et clamantia ad Dominum, eodem sensu intellige : quod et rationabiles, et irrationabiles, et prudentes ac simplices ad prædicationem Jonæ agant pœnitentiam juxta illud, quod et alibi dicitur : *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Ps.* XXXV, 7). Possumus autem jumenta operta saccis et aliter interpretari, de his maxime testimoniis, in quibus legimus : *Sol et luna induentur sacco* (*Ezech.* XXXII, 7). Et in alio loco : *Induam cœlum sacco* (*Is.* L, 3), pro lugubri scilicet habitu, et mœrore atque mœstitia, quæ μεταφορικῶς saccus nominantur. Illud quoque quod dicitur : *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus?* Ideo ambiguum ponitur et incertum : ut dum homines dubii sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, et magis ad misericordiam provocent Deum.

(Vers. 10.) *Et vidit Deus opera eorum ; quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.* LXX : *Et vidit Deus opera eorum, quoniam reversi sunt de viis suis malis, et egit pœnitentiam Deus super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.* Secundum utramque intelligentiam sive tunc urbi Assyriæ, sive quotidie mundi Deus populis comminatur ut agant pœnitentiam : qui si conversi fuerint, ipse quoque vertet [*Al.* vertit] sententiam suam, et populi conversione mutabitur [*Al.* mutatur]. Quod et Jeremias et Ezechiel manifestius explicant, nec bona videlicet implere Dominum quæ promiserit, si boni vertantur ad vitia; nec mala quæ pessimis comminatur, si illi reversi fuerint ad salutem. Ita igitur et nunc vidit Deus opera, quia conversi sunt a via sua pessima : non verba audivit quæ solebat Israel sæpe promittere : *Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus* (*Exod.* XXIV, 3); **422** sed opera conspexit : et quia mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem (*Ezech.* XVIII), libenter mutavit sententiam, quia vidit opera commutata. Quin potius Deus perseveravit in proposito suo misereri volens ab initio : [e] nemo enim punire desiderans, quod facturus est comminatur. Malitiam autem, ut supra diximus, pro suppliciis et tormentis accipe : non quod Deus mali facere quidquam cogitaret [*Al.* cogitet].

(Cap. IV.—Vers. 1.) *Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est : et oravit ad Dominum et dixit.* LXX : *Et contristatus est Jonas tristitia grandi, et confusus est : oravitque ad Dominum, et ait.* Videns subintrare gentium plenitudinem, et illud impleri quod in Deuteronomio dicitur : *Ipsi me irritaverunt in his,*

[a] Hæc verba, *non multi potentes*, quæ pridem ex septem Florentiæ codicibus, junctis Brixianis, Romanisque aliquot, Victorius reposuerat, Martian. nihilosecius prætermisit, nostri mss. denuo sufficiunt.

[b] Præstat ipsummet audire Cyprianum de se fidejubentem epist. 1, ad Donatum, seu lib. de Gratia Dei : *Ego cum in tenebris, atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius, vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius veritatis ac lucis alienus : difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur*, etc.

[c] Duo mss., *sapientia sæcularis.*

[d] Manifesto mendo pro duobus verbis, *si nata*, Martian. retinuit *sanata :* quod tamen antea emendaverat Victorius ex Græco ἐτέθη. Alterum porro, quod nec ipse Victorius animadvertit, *semel*, pro *simul*, eodem Græco textu cogente, εἰς ἅπαξ, nos ex nostris mss. correximus.

[e] Al. *neminem :* Quæ lectio, inquit Victorius, ipsa quoque non displicet, ut intelligas, Deus neminem punire desiderans, quod facturus est, comminatur. Verum prior lectio melior. Facturus enim proprie dici non potest quis, quod ideo minatur, ne faciat.

*qui non sunt dii, et ego eos irritabo super gente, quæ non est : super natione stulta eis ad iracundiam concitabo* (*Deut.* XXXII, 51), desperat de salute Israelis, et magno dolore concutitur, qui erumpit in vocem, et causas mœroris exponit, et quodammodo loquitur : Ego solus electus sum de tanto numero prophetarum, qui per aliorum salutem ruinam meo populo nuntiarem. Non igitur contristatur, ut quidam putant, quod gentium multitudo salvetur; sed quod pereat Israel. Unde et Dominus noster flevit super Jerusalem (*Luc.* XIX), et noluit tollere panem filiorum, et dare eum canibus (*Marc.* VII). Et Apostoli primum prædicant Israeli (*Act.* XIII). Et Paulus cupit esse anathema pro fratribus suis, qui sunt Israelitæ, et quorum adoptio et gloria, et Testamentum, et repromissiones, et legislatio, ex quibus patres, et ex quibus Christus est secundum carnem (*Rom.* IX). Pulchre autem *dolens* (quod interpretatur *Jonas*) affligitur dolore, et tristis est anima ejus usque ad mortem; quia ne periret populus Judæorum, quantum in se fuit, multa perpessus est. Historiæ quoque magis dolentis convenit nomen, significans laboriosum prophetam, et peregrinationis atque naufragii miseriis prægravatum.

(Vers. 2, 3.) *Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem* **423** *in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors* [Vulg. addit *es*], *patiens, et multæ miserationis, ignoscens super malitia, et nunc, Domine, tolle quæso animam meam a me, quia melior est mihi mors, quam vita.* LXX : *O Domine, nonne isti sunt sermones mei, cum adhuc essem in terra mea? propterea præoccupavi fugere in Tharsis. Scio enim quod tu misericors et miserator, patiens et multæ miserationis, et agens pœnitentiam super malitiis, et nunc, dominator Domine, tolle animam meam a me, quia melius est mihi mori, quam vivere.* Hoc quod nos interpretati sumus, *obsecro*, et Septuaginta transtulerunt ὦ δή, in Hebraico legitur ANNA (אנה), quæ mihi videtur interjectio deprecantis significare blandientis affectum. Quia igitur oratio ejus, dum se dicit juste fugere voluisse, quodammodo injustitiæ arguit Dominum, querelas suas obsecrationis exordio temperat. Numquid, ait, non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Scivi te hoc esse facturum : non ignorabam misericordem, propterea severum et truculentum nuntiare nolebam : ideo fugere volui in Tharsis, vacare contemplationi rerum, et in mari istius sæculi quiete potius et otio perfrui. Dimisi domum meam, reliqui hæreditatem meam, egressus sum de sinu tuo, et veni. Si misericordem dicerem atque clementem et ignoscentem malitiæ, nullus ageret pœnitentiam : si crudelem, et tantum judicem [*Al.* judicium] nuntiarem, sciebam hoc tuæ non esse naturæ. In hoc ergo ambiguo positus, malui fugere potius, quam aut pœnitentes lenitate decipere, aut de te prædicare quod non eras. Tolle igitur, Domine, animam meam : [a] quia melior mihi est mors, quam vita. Tolle animam meam, quæ tristis fuit usque ad mortem. Tolle animam meam : In manus enim tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XV), melior quippe mihi est mors, quam vita. Vivens unam Israel gentem salvare non potui : [b] moriar, et mundus salvabitur. Historia manifesta est, et super persona prophetæ sic potest intelligi, ut crebro jam diximus, quod propterea **424** contristetur et mori velit, ne conversa multitudine gentium, in æternum pereat Israel.

(Vers. 4.) *Et dixit Dominus : putasne bene irasceris tu?* LXX : *Et dixit Dominus ad Jonam :* [c] *Si vehementer contristatus es tu?* Verbum Hebraicum ARA LAC (הרה לך), et *iratus es tu*, et *contristatus es tu*, transferri potest : quod utrumque et prophetæ, et Domini personæ convenit, quod vel iratus sit, ne videretur apud Ninivitas fuisse mentitus, vel contristatus, intelligens Israel esse periturum. Et rationabiliter non ei dicit, male iratus es, vel contristatus es, ne videretur reprehendere contristatum. Nec rursum, bene iratus es, aut contristatus : [d] ne suæ sententiæ contrairet; sed interrogat ipsum, qui iratus est et contristatus, ut vel causas iræ respondeat, vel mœroris : aut si ille tacuerit, verum Dei judicium ex ejus silentio comprobetur.

(Vers. 5.) *Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis, et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati.* [e] LXX similiter. Primus Cain fratricida, et homicida cruentum mundum germani sanguine dedicans, ædificavit civitatem, et vocavit eam ex nomine filii sui [f] Enoch (*Genes.* IV). Unde et Osee propheta dicit, *Deus ego et non homo, in medio tui sanctus : et non ingrediar civitatem* (*Osee* XI, 9). Domini enim, Psalmista dicente, sunt exitus mortis (*Ps.* LXVII). Quamobrem et una fugitivorum civitas appellatur *Ramoth* (ראמת), quod interpretatur *visio mortis*. Et recte quicumque fugitivus est, et propter peccata non meretur habitare Jerusalem, habitat in urbe mortis, et est trans fluentas Jordanis, qui *descensus* exprimitur. Egreditur ergo columba, vel do-

[a] Tres subsequentes versus, ejusdem vocis *animam* recursu deceptus, Victorius prætermisit.

[b] Ex mss. nostris, iisque omnibus quos Victor. consuluit, correximus *moriar*, pro quo Martianæus retinuit *morior*.

[c] Mss. Palatin. *si* particulam quæ deerat sufficiunt Græco quoque textu assentiente, *εἰ σφόδρα λελύπησαι σύ*.

[d] Pericopen hanc verborum totam, *ne suæ sententiæ contrairet, sed interrogat ipsum qui iratus est, et contristatus*, quam nihil dubium sit integrum orationis contextum attendenti, ob ejusdem verbi *contristatus* occursum, sæpe obvio amanuensium errore, prætermissa, cum in hactenus quoque vulgatis libris desideraretur, nos ad Palatinorum codicum fidem suffecimus : locumque adeo pristinæ integritati restituimus.

[e] Verba *LXX similiter*, quæ tam sæpe alibi, nostri mss. sufficiunt.

[f] Pro *Enoch* mss. nostri præferunt *Cainan*.

lens, de istiusmodi civitate, et habitat contra Orientem, unde sol oritur : et est ibi in tabernaculo suo, ubi labentia quæque tempora contemplatus, exspectat quid supradictæ eveniat civitati : antequam Ninive salvaretur, et aresceret [*Al.* accresceret] cucurbita : antequam Christi Evangelium coruscaret; et compleretur Zachariæ prophetia : *Ecce vir* **425** *Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12), Jonas sub umbraculo erat. Nec dum quippe veritas venerat, de qua idem evangelista et apostolus loquitur. *Deus veritas est.* Et eleganter additur *Et fecit sibimet umbraculum ibi* (I *Joan.* IV, 8), juxta Niniven. Sibimet fecit, nullus enim de Ninivitis tunc temporis habitare poterat cum propheta : et sedebat sub umbra, vel judicis habitu, vel de sua majestate contractus, et accinctus lumbos in fortitudine, ut non tota ad pedes, et ad nos, qui deorsum sumus, vestimenta defluerent, sed in se arctiori [*Al.* altiori] baltheo contraherentur. Porro quod dicit *ut videret quid accideret civitati*, solita consuetudine utitur Scripturarum, ut humanos Deo jungat affectus.

(Vers. 6.) *Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum, laboraverat enim : et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna.* LXX : *Et præcepit Dominus Deus cucurbitæ, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbraculum super caput ejus, et protegeret eum a suis malis : lætatusque est Jonas super cucurbita gaudio magno.* In hoc loco quidam [a] Cantherius de antiquissimo genere Corneliorum, sive (ut ipse jactat) de stirpe Asinii Pollionis, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita, hederam transtulerim : timuit videlicet, ne si pro cucurbitis hederæ nascerentur, unde occulte et tenebrose biberet, non haberet. Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomarias vocant, [b] solent apostolorum imagines adumbrare : e quibus et ille sibi non suum nomen assumpsit. Quod si tam facile vocabula commutantur, ut pro Corneliis seditiosis tribunis, Æmilii consules appellentur, miror cur mihi non liceat hederam transferre pro cucurbita. [c] Sed veniamus ad seria. Pro *cucurbita*, sive *hedera* in Hebræo legimus CICEION (קיקיון), quæ etiam lingua Syra et Punica [d] CICEIA dicitur. Est autem genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens [*Al.* habentis] folia in modum pampini, et umbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrime **426** nascitur, et maxime in arenosis locis : mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem, et intra paucos dies quam herbam videras, arbusculam suspicis. Unde et nos eodem tempore quo interpretabamur prophetas, voluimus idipsum Hebrææ linguæ nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat ; sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi : et vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut istius modi quædam portenta confingerent, secutique sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam interpretati sunt, quæ Græce appellatur κισσὸς, aliud enim quod dicerent, non habebant. Discutiamus ergo historiam, et ante mysticos intellectus, solam litteram ventilemus. Cucurbita et hedera hujus naturæ sunt, ut per terram reptent, et absque furcis vel adminiculis, quibus innituntur, altiora non appetant. Quomodo igitur, ignorante propheta, cucurbita in una nocte consurgens umbraculum præbuit, quæ naturam non habet sine pergulis [*Al.* perculis] et calamis vel hastilibus in sublime consurgere ? *Ciceion* autem cum in ortu subito miracu-

[a] Multæ sunt in eo loco nominum et verborum depravationes, tam in editis quam in libris manuscriptis. Editi legunt, *Cantelius de*, etc. ; manuscripti, *Cornelius de*, etc. ; unus Sangermanensis, *Cancherior de*, etc. ; alii vero retinent, ut puto, veram lectionem, *Cantherus de*, etc. : nam Hieronymus hic hominem irridet, qui dudum Romæ accusarat sacrilegii S. Doctorem, quod pro cucurbita hederam transtulisset. Quæ accusatio convenit vulgato proverbio, *Canterius in porta*, vel *Cantherius in fossa* : quia Cornelius ille ad id negotii trahebatur in quo nequaquam valebat contra Hieronymum. Itaque nomen *Cantelius* ab editoribus antiquis confictum est ; *Cantherius* autem non est nomen proprium conviciatoris, sed vox usurpata ab irridente. *Æmilius* forte nomine proprio dicebatur iste Cantherius, ut conjicere licet ex verbis consequentibus, ut pro *Corneliis*..... *Æmilii*.... appellentur. MART. — Palatin. mss., *Canterius* ; al. *Cantelius*. Conferenda porro est Hieronymi ad Augustinum epistola 112, n. 22, et quæ nos ibi observamus.

[b] Al. *solet* ; et mox, *adumbrari*.

[c] Ita legunt omnes mss. codices pro quo Erasm. et Marian. sua auctoritate legunt *seria*. MART. — Ex mss. auctoritate, recto ipso orationis cogente sensu, restituimus *seria*, pro quo Martianæus ex corruptis certe libris rescripsit *seriem*.

[d] Ex hoc verbo intelliges temeritatem veterum editionum, quæ non lectionem genuinam Hieronymi CICEIA, sed vocem conflictam *Elkeroa* retinent apud Erasm. et Marian. Putavit nempe Joannes Conon, qui voces Hebraicas suppiere curavit in editione Erasmiana, linguam Punicam eamdem esse cum Arabica : et quia noverat Hebræorum קיקיון CICEION esse אלכרוע *alcerva* sive *Elkeroa* hodiernorum Arabum, ausus est reclamantibus omnibus exemplaribus manuscriptis Hieronymi, pro CICEIA, perperam substituere *Elkeroa*. E falsa autem hujusmodi editione explanationis Hieronymianæ in Jonam manavit error pessimus, intantum ut occuparet etiam optimum Lexicon pentaglotton Valentini Schindleri OEderani, qui in radice קיק *cic*, adducit falsam lectionem Erasmianæ editionis, et postea subjungit : *Est autem lingua Punica eadem quam Arabica*, de quo non est præsentis temporis disputare ; sed monere lectorem in uno ms. codice S. Germani scriptum esse CICAESA pro CICEIA ; quæ si esset genuina lectio, haberet radicem Hebræam קשא *Cissa*, id est, *cucumis*. Unde infra idem Hieronymus : *Et dicamus*, inquit, *quia in alio Scripturæ loco cucurbitam non invenimus, quod ubi cucumis nascitur, ibi nasci soleat et cucurbita*. Sed verior apparet lectio קיקיה *Ciceia*, quod Græcis est κίκι, Latinis *Ricinus*. MART.—Mss. nostri *Siceia* : perperam Erasm. et Victorius, *Elkeroa*. In laudata Hieronymi ad Augustinum epistola dicitur, *in Hebræo volumine Ciceion scriptum, quam vulgo Syri Ciceiam vocant*. Recole quæ in eum locum annotavimus : Reinesium quoque de lingua Punica cap. 13. Mox verba, *suo trunco se*, nostri mss. ignorant.

lum præbuerit, et potentiam ostenderit Dei in protectione virentis umbraculi, et naturam suam secuta est. Ad personam vero Domini Salvatoris, ne penitus propter φιλοκολύκνθον, cucurbitam relinquamus, sic referri potest, ut illud commemoremus Isaiæ : *Relinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea, et velut casula in cucumerario, quasi civitas quæ expugnatur* (*Isai.* VIII). Et dicamus quia in alio Scripturæ loco cucurbitam non invenimus, quod ubi cucumis nascitur, ibi nasci soleat et cucurbita. Et Israel huic generi [a] comparatum, quod quondam protexerit Jonam sub umbra sua conversionem gentium præstolantem, et non parvam lætitiam tribuerit ei faciens umbraculum et tabernaculum, potius quam domum, habens tectorum imaginem, domorum non habens fundamenta. Porro CICEION nostra arbuscula modica, cito consurgens, **427** et cito arescens ordine et vita [*Al.* via] comparabitur Israeli, radices parvas mittenti in terram, et conanti quidem in excelsa sustolli; sed altitudinem cedrorum Dei et abietum non æquanti. Quod mihi videntur et locustæ significare, quibus vescebatur Joannes, qui dicit sub typo Israelis : *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 30) : animal parvum, infirmas habens alas, de terra quidem consurgens, sed altius non valens avolare, ut plus sit quam reptile, et tamen avibus non æquetur.

(Vers. 7 et 8.) *Et paravit Dominus vermem ascensione diluculi in crastinum, et percussit hederam, et exaruit : et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti ; et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat : et petiit animæ suæ ut moreretur, et dixit : Melius est* [b] *mihi mori, quam vivere.* LXX : *Et præcepit Deus vermi mane in crastinum, et percussit cucurbitam, et arefacta est : statimque ut ortus est sol, præcepit Dominus spiritui ardoris urenti, et percussit sol super caput Jonæ, et angustiatus est, et tradidit eum animæ suæ, et dixit : Melius est mihi mori, quam vivere.* Antequam oriretur sol justitiæ, virens erat umbraculum, et non arebat Israel : postquam ille surrexit, et tenebræ Ninivitica ejus luce discussæ sunt, paratus vermis in crastinum ascensione diluculi (de quo vicesimus primus psalmus inscribitur : *Pro assumptione matutina ;* et qui absque ullo semine de terra oritur, et dicit : *Ego sum vermis et non homo* (*Ps.* XXI, 7) percussit umbraculum, quod desertum auxilio Dei omnem virorem perdidit. Præcepitque Dominus vento calido et urenti, de quo prophetatur in Osee : *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus* (*Osee* XIII, 15). Et æstuare cœpit Jonas, et iterum velle mori in baptismate cum Israele, ut in lavacro recipiat humorem, quem in negatione perdiderat. Unde et Petrus arentibus loquitur Judæis : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti* (*Act.* II, 38). Sunt qui vermem et urentem ventum, Romanos intelligant duces, qui post resurrectionem Christi, Israel penitus deleverunt.

**428** (Vers. 9.) *Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu super hederam ? Et dixit : bene irascor ego usque ad mortem.* LXX : *Et dixit Dominus Deus ad Jonam,* [c] *valde contristaris tu super cucurbita ? Et ait : valde contristor ego usque ad mortem.* Supra Ninivitis agentibus pœnitentiam et gentium urbe salvata, interrogatus idipsum propheta : *Putasne bene irasceris tu ?* nihil respondit, sed interrogationem Dei silentio comprobavit, sciens enim clementem esse Deum, et misericordem, et patientem, et multæ miserationis, et ignoscentem malitiis, super salute gentium non dolebat : hic autem postquam siccata [*Al.* insiccata] cucurbita aruit Israel, et cum distinctione interrogatus : *Bene irasceris tu super hedera ?* confidenter respondit et dicit : *Bene irascor ego,* vel *contristor usque ad mortem :* non enim sic volui salvare alios, ut perirent alii, non sic alienos lucrifacere, ut meos perderem. Et revera usque ad præsentem diem [d] Christus plangit Israel : et Jerusalem plangit usque ad mortem, non suam, sed Judæorum, ut moriantur negantes, et resurgant Dei Filium confitentes.

(Vers. 10 et 11.) *Et dixit Dominus : Tu doles super hedera, in qua non laborasti : neque fecisti ut cresceret : quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit : et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram et sinistram suam, et jumenta multa ?* LXX : *Et dixit Dominus : Tu pepercisti super cucurbita, pro qua non laborasti, neque nutristi eam, quæ nata est in nocte, et in nocte periit : ego autem non parcam Ninivæ civitati magnæ, in qua habitant plusquam duodecim myriades* [Al. *millia*] *virorum qui ignorant dexteram et sinistram suam, et pecora multa ?* Nimiæ difficultatis est exponere quomodo juxta tropologiam dicatur ad Filium : *tu doles super hedera, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret,* cum omnia per ipsum facta sint, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Unde quidam locum istum interpretans, ut imminentem solveret quæstionem, incurrit blasphemiam. Assumens enim illud de Evangelio : *Quid me dicis bonum ? Nemo bonus est nisi unus Deus* (*Marc.* X, 18), Patrem interpretatus est bonum. **429** Filium vero ad comparationem ejus qui perfecte et vere bonus sit, in minori gradu positum. Et non consideravit hæc dicens, quod in Marcionis potius

[a] Visus est Victorio mutilus ac pendulus sensus, nisi legas *comparatur*. Verum a superiori, *dicamus*, pendeat.

[b] Hic *mihi*, quod tamen in Hebræo מותי resonat, nostri mss. prætermittunt : tum penes Septuaginta legunt, *mori magis quam*, etc.

[c] Duo mss., *si valde*, juxta Græcum, Aldino et exemplari excepto, εἰ σφόδρα.

[d] Idem mss., *Christus plangit Jerusalem, et plangit usque*, etc.

incurrerit hæresim (qui alterum Deum tantum bonum, alterum infert judicem et conditorem) quam Arii, qui cum majorem Patrem et minorem Filium prædicet: tamen Filium non negat conditorem. Ergo cum venia audienda sunt, quæ dicturi sumus, et conatus nostri [a] favore potius et orationibus adjuvandi, quam spernendi aure malevola, quia carpere et detrahere vel imperiti possunt; doctorum autem est, et qui laborantium novere sudorem, vel lassis manum porrigere, vel errantibus iter ostendere. Dominus noster atque Salvator non ita laboravit in Israel, quomodo laboravit in gentium populo. Denique Israel loquitur confidenter : *Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer : sed postquam filius tuus hic qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum* (*Luc.* xv) : nec tamen confutatur a patre, sed clementer ei dicitur : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : epulari et gaudere te oportebat, quia hic frater tuus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.* Pro gentium populo immolatus est vitulus saginatus, et pretiosus sanguis effusus, de quo Paulus ad Hebræos plenissime disputat (*Hebr.* x). Et David in psalmo : *Frater*, inquit, *non redimit, redimet homo* (*Ps.* xlviii, 8). **430** Decrevit Christus, ut ille cresceret : iste mortuus est, ut ille viveret : hic descendit ad inferos, ut ille cœlos ascenderet. In Israel vero nullus tantus labor fuit. Unde et invidet juniori fratri, [b] quod post substantiam cum meretricibus lenonibusque prodactam, recipiat annulum et stolam, et polleat pristina dignitate. Quod autem ait, quæ sub una nocte nata est, significat tempus ante adventum Christi, qui mundi lumen fuit, de quo dicitur : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* xiii, 12). Et una nocte periit, quando occubuit eis sol justitiæ, et Dei perdidere sermonem. Civitas vero Ninive magna atque pulcherrima, præfigurat Ecclesiam, in qua major est numerus quam decem (*Al.* duodecim) tribuum Israel : quod et fragmenta in solitudine significant duodecim cophinorum (*Marc.* vi). Ignorant autem quid sit inter dextram et sinistram, vel propter innocentiam et simplicitatem, ut lactentem monstret ætatem, et relinquat intellectui, quantus sit numerus ætatis alterius, cum tantus sit parvulorum. Vel certe (quia magna erat urbs, et in domo magna non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia (II *Tim.* ii)) erat in ea plurima multitudo, quæ ignorabat ante actam pœnitentiam quid esset inter bonum et malum, inter dextram et sinistram. Sed et jumenta multa : multus est enim Ninive numerus jumentorum et irrationabilium hominum, qui comparantur jumentis insipientibus, et assimilantur eis (*Ps.* xlviii).

[a] Ex Florentinis quinque, totidemque Brixiæ et Romanis aliquot codicibus reponit Victorius, *conatus nostri fovendi potius, et orationibus adjuvandi :* olim erat, *orationibus audiendi, et adjuvandi.*

[b] Vitiosa metathesi legit Martian. *post quod.*

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

## COMMENTARIORUM

# IN MICHÆAM PROPHETAM

## LIBRI DUO.

### PROLOGUS [a].

**431-432** Michæas, in quem nunc commentarios dictare cupio, in ordine duodecim prophetarum, secundum Septuaginta interpretes tertius est; secundum Hebraicum (*Al.* Hebraicam veritatem), sextus, et sequitur Jonam prophetam, qui succedit Abdiæ, atque ita fit ut tertius sit Amos, et Joel secundus post Osee, qui apud omnes primus est. Ergo quasi in corde voluminis positus, debet profunda continere mysteria, et sermo Dei, qui semper descendit ad prophetas, descendit ad Michæam (מיכיה) quoque, qui interpretatur *humilitas* : ad Michæam de Morasthi, qui usque hodie juxta Eleutheropolim urbem Palæstinæ haud grandis est viculus. Morasthi (מורשתי) autem in lingua nostra *hæredem* sonat. Pulchre igitur humilitas, quæ inter virtutes vel præcipua est, spe hæreditatis Dominicæ nascitur. Humilitas autem non illa quæ venit de conscientia peccatorum; sed quæ inter virtutes ponitur, juxta quam dicitur : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (I *Petr.* v, 6). Et : *Qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* xviii, 14). Et : *Ante contritionem elevatur cor viri, et ante gloriam humiliatur* (*Prov.* xvi, 18). Unde et Dominus : *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Mat.* xi, 29).

[a] Inscribitur φιλοπονοτάταις Paulæ ejusque filiæ Eustochio, quod ex præfatione libri tertii Commentariorum in Amos compertum est.

Quomodo ergo apud nos votiva, et quasi ob virtutis auspicium ponuntur vocabula : verbi gratia : *victoris, casti, pii, probi :* et apud Græcos σώφρων vocatur, et εὐσεβὴς : et appellativa nomina vertuntur in propria : sic apud Hebræos et Michæas, et Abdias et Zacharias cæteraque his similia, ex virtutum vocabulo liberis a parentibus imponuntur.

# *LIBER PRIMUS.*

(Cap. I. —Vers. 1.) **433** *Verbum Domini quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joatham, Achaz, et Ezechiæ, regum Juda : Quod vidit super Samariam et Jerusalem*, Sive juxta Septuaginta, *de quibus vidit super Samariam et Jerusalem*. Verbum igitur Domini factum est ad Michæam, post Osee, Amos, et Isaiam, qui sub Ozia vaticinati sunt. Ex quo intelligimus, Michæam Oziæ temporibus non prophetasse; sed filii ejus Joatham, post quem regnavit Achaz, Ezechia in patris Achaz imperium succedente, sub quo decem tribus ab Assyriis in captivitatem ductæ sunt (IV *Reg.* XVIII). Quantum ergo ad historiam pertinet secundum ordinem captivitatis (quia primum capta est Samaria metropolis Israel, postea Jerusalem urbs Judæ) prophetiæ titulus ponitur primum de Samaria, secundo de Jerusalem. Quantum vero ad mysticos intellectus, quia Samaria semper in hæresibus accipitur, Jerusalem in Ecclesia, dicimus verbum Domini fieri ad humilem (*Al.* Jerusalem) et ad cohæredem Christi, de perversis dogmatibus, et de Ecclesia, si qua forte peccata commiserit, et totius [a] voluminis ordinem contexere. Quod autem Samaria et decem tribus, quæ scissæ sunt sub rege Jeroboam a stirpe David (III *Reg.* XII), accipiantur in persona hæreticorum, et omnis quidem Scriptura testatur, sed maxime prophetia Osee, et hic ipse liber, qui hæreticos impios et Ecclesiasticos peccatores vocat. Statim enim sequitur : *Quæ est impietas Jacob? nonne Samaria? et quod est peccatum domus Juda? nonne Jerusalem?* Hoc dumtaxat juxta Septuaginta translatores. Cæterum in Hebraico quomodo legatur, post paululum subjiciemus. Sed et illud quod hæretici semper in dogmatum suorum sibi quasi sublimitate confidant, et Ecclesiæ simplicitatem despiciant, in alio loco dicitur : *Væ qui despiciunt Sion, et confidunt in monte Samariæ* (*Amos* VI, 1) : de Sion enim egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isai.* II, 3). Porro Samaria fabricata est sibi de proprio sensu vitulos aureos, habentes quidem in superficie pulchritudinem; sed vitalem spiritum non habentes : et fabricata est in domo Dei, quod interpretatur *Bethel*. Nec enim recipere poterat populus Israel deos, nisi **434** qui de Scripturis, et in domo Dei fabricati sunt. Quamvis autem conciliabula sua vocent Bethel, tamen post fabricationem idolorum desiit esse *Bethel*, et vocatur *Bethaven*, quod dicitur *domus idoli*, pro quo Septuaginta transtulerunt domus Ὠν. Hoc de titulo : nunc veniamus ad exordium prophetiæ, et Lernæa (Hydra) bestia sæviente, sancti Spiritus invocemus adventum. Vos, o Paula et Eustochium, ad Dominum Salvatorem fundite preces, ne mihi noceat invidia, sed ut mens libera id tantum cogitet quod nititur explanare, nec sentiat conviciorum alapas, quas Dominus in passione contempsit (*Marc.* XIV, *et Joan.* XVI, XVIII).

(Vers. 2.) *Audite, populi omnes, et attendat terra et plenitudo ejus, et sit Dominus Deus vobis in testem,* [b] *Dominus de templo sancto suo.* LXX : *Audite, populi omnes, et auscultet terra, et omnes qui sunt in ea, et sit Dominus Deus vobis in testimonium : Dominus ex domo sancta sua.* Quia juxta historiam manifestus est sensus, lectoris prudentiæ intelligentiam derelinquo. Juxta tropologiam autem convocat ad auditum populos, id est, totius orbis Ecclesias, et ad auscultandum terram, quia terrena in ea hæreticorum exstructa sunt dogmata. Quod autem hæreses inter carnis opera numerentur, quæ semper refertur ad terram, et Apostolus ad Galatas non tacet (*Galat.* V), et Dominus in Evangelio prudenti indicat auditori : *Qui de terra est, de terra loquitur*. Et ad distinctionem eorum rursus de Ecclesiasticis dicit : *Qui autem de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* III, 31). Et : *Quod vidit et audivit, hoc testatur*. Si autem hoc quod ait : *Audite, populi*, propter illud Dominicum : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII, 8), plus aliquid sonat, quam quod postea infertur : *Attendat terra*, aptabimus Ecclesiæ, *Audite, populi omnes*. Hæreticis vero qui terrenam suscepere doctrinam : *Attendat terra, et omnes qui in ea sunt :* ut et isti si audierint, et illi si attenderint, non patiantur ea quæ postea sermo Domini comminatur. Et sit eis Dominus in testimonium, sive ut in Hebraico legitur, *in testem*, vel ut apertius interpretatus est Symmachus, *testificans*, et testificans non aliunde, nisi de domo sua, quæ est Ecclesia, aut **435** certe in Filio, id est, in Domino nostro Jesu Christo, qui vere templum est Patris : et de cujus ore loquitur Pater, viscera penetrans et medullas eorum, qui attendere voluerint et audire.

(Vers. 3 seq.) *Quia ecce Dominus egredietur* [Vulg. *egreditur*] *de loco suo, et descendet et calcabit super excelsa terræ, et consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis, sicut aquæ quæ decurrunt in præceps : in scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? Et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusa-*

[a] Maluit Victorius ex Florentiæ Brixiæque codicibus, *et horum volumen ordinem contexere*, etc.

[b] Postrema verba, *Dominus de templo sancto suo :* tum, apud LXX : *Dominus ex domo sancta sua*, expungunt mss. nostri.

*lem?* LXX : *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, et descendet, et ascendet super excelsa terræ, et commovebuntur montes subter eum, et valles tabescent sicut cera a facie ignis, et sicut aqua profluens in descensum : propter impietatem Jacob, omnia hæc, et propter peccatum domus Israel. Quæ est impietas*[a] *domus Jacob? nonne Samaria? Et quod est peccatum domus Juda? nonne Jerusalem?* O Samaria et Jerusalem, audite, et diligenter attendite Dominum vobis de templo suo testificantem, et prædicentem quæcumque facturus est. *Ecce egredietur Dominus de loco suo.* Qui enim mitis est et benignus, et cujus natura clementia est, vestri causa cogitur personam, quam non habet, crudelitatis assumere. *Et descendet et calcabit super excelsa terræ.* Descensio Dei est, et majestatis ejus ad inferiora decursus, calcare terram, et potentes quosque conterere. *Et consumentur*, inquit, sive *tabescent montes, et valles sub eo*, quos principes intelligamus et populos. Et quomodo viciniam ignis cera non sustinet, et prono cursu aquæ feruntur in præceps : ita omnis impiorum superbia, Domino veniente, solvetur et defluet. Hoc autem totum fiet propter scelera decem tribuum, quas vocat Jacob et Israel, et propter prævaricationem Juda; quia in decem tribubus Samaria metropolis fuit, et in regno Judæ Jerusalem excelsorum idola fabricata est : hoc juxta litteram. Tropologice autem egredietur Dominus de loco suo, quem vel Filium, vel omnes sanctos intelligere possumus. Ipse enim Filius ait : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 10). Et de sanctis : *Habitabo et inambulabo in eis, et ero eorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (*Levit.* XXVI, 12). **436** De his ergo egredietur, non quod derelinquat eos; nam et de apostolis egrediebatur sermo Domini ad audientes, et tamen non relinquebat eos : et hujuscemodi loca, id est, ea quæ Deum hospitem habere mereantur, quasi cum Christo resurgentia, et cum eo in cœlestibus sedentia, sursum posita sunt. Unde et descendere dicitur ad eos qui doctrinam ejus in monte audire non possunt. Cumque descenderit, non ascendet in humilibus et in his, qui deorsum positi sunt; sed qui terræ vocantur excelsa, et qui intelligentes advenientis Domini majestatem, commovebuntur. Et quamvis montes sint, tamen ad talis aurigæ et ascensoris pavebunt præsentiam. Valles autem, id est, animæ χοϊκοῖς [terrenis] insertæ corporibus, nec cum cœlesti homine resurgentes, præsentiam ejus ferre non poterunt; sed quidquid in eis durum fuerit, resolvetur, et ita fluent, quomodo si aquæ plana non habeant, feranturque præcipites in profundum. Veniet ergo Dominus terribilis ad docendum, id est, ad movendos montes, et vallium humilia resolvenda, quia impietatem fecit Jacob, et peccatum Israel. Impietas enim Jacob conciliabula hæreticorum sunt, quæ vocantur Samaria. Et peccatum Juda, id est, ejus, qui Dominum confitetur, non est aliud nisi Jerusalem, in qua multa crimina reperiuntur. Quod autem domus Juda referatur ad Christum, cujus Ecclesia est, et sæpe diximus, et illud ponamus ad præsens : *Juda, te laudabunt fratres tui : manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum* (*Gen.* XLIX, 8). Potest quoque et sic intelligi, quod propter impietates Samariæ et scelera Judæ, egressus sit Dominus de loco quondam suo, et dixerit ad Judæos (*Matth.* XXIII, 38) : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* XIII, 35). Et descenderit de cœlis, et ascenderit super excelsa terræ, id est, super eos qui ex gentium humilitate credentes, excelsi esse meruerunt. Et commoti sunt montes, philosophorum dogmata, et regna sublimia, et hi qui humiles permanserunt, consumpti sunt et contriti Salvatoris adventu, et crescente Ecclesia, montibusque in sublime surgentibus, idola corruerunt in profundum. Egressus est ergo Dominus de loco suo, et de gentibus constructa Ecclesia est, ut **437** moverentur montes sub pedibus ejus, et profunda vallium solverentur, quia impie egit Jacob, et peccavit Israel, et omnes tribus Dominum negaverunt.

(Vers. 6 seq.) : *Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, cum plantatur vinea, et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo, et omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes* [Al. *merces*] *ejus comburentur igni, et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur. Super hoc plangam et ululabo, vadam spoliatus et nudus, faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.* LXX : *Et ponam Samaria in pomorum custodiam in agro, et in plantationem vineæ : et detraham in voraginem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo, et cuncta sculptilia ejus concident, et*[b] *universæ mercedes ejus comburentur igni, et cuncta idola ejus ponam in perditionem, quia ex mercedibus fornicationis congregavit, et ex mercedibus fornicationis destruxit. Propter hoc planget atque lugebit, ibit discalciata et nuda, faciet planctum quasi draconum, et luctum quasi filiæ Sirenarum, quia obtinuit plaga ejus, quia venit usque ad Judam, et tetigit usque ad portam populi mei usque* [Al. *in*] *Jerusalem.* Secundum ordinem peccatorum, fit ordo pœnarum. Primum peccavit Samaria, et fabricata est idola, et pro Domino vitulos adoravit : prima ergo et pereat. Destruam eam, venientibus Assyriis, et ponam quasi acervum lapidum cum plantatur vinea, ut [*Al.* et] redigatur in tumulos : Et detraham in vallem lapides ejus. Erat quippe in montibus sita, ubi nunc Sebaste est, in qua et sancti Joannis Baptistæ ossa sunt condita. *Et fundamenta ejus revelabo.* Tanta quippe ruina erit, et tanta urbis subversio :

[a] Palatini mss., *quæ est impietas Jacob;* Græca quoque exemplaria pleraque vocem, *domus*, ignorant.

[b] Mss. Palatini, *universas mercedes ejus comburent igni*, Græco concinente textu. Leviora infra emendamus.

ut non solum parietes et ædificia corruant; sed fundamenta quoque usque ad extremum lapidem revelentur. Et omnia sculptilia ejus, cunctæque divitiæ, quas diversi reges in eam comportaverant, concidentur et comburentur igni, et ad nihilum redigentur. Siquidem opes et multiplex supellex, quæ ex fornicatione **438** (ut putabantur) idolorum fuerant congregata, ducentur ad aliam meretricem, id est, ad Ninive : ut quomodo in terra sua fornicati sunt cum idolis quæ fecerunt, sic vadant ad aliam terram idolorum et fornicationis, id est, ad Assyrios. Hucusque de Samaria. Et quia eadem plaga perventura sit ad Jerusalem (et ipsa enim simili errore peccavit, derelinquens Deum suum et idola fabricans) propterea propheta facit quasi προσωποποιίαν Dei, et sub persona sua inducit plangentis affectum : et dicit : *Super hoc plangam et ululabo : vadam spoliatus et nudus* (decem enim tribus perdidi) et faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum. Quomodo enim dracones terribili sibilo personant, juxta historias eorum, qui de physicis conscripserunt, eo tempore quo vincuntur ab elephantis : et sicut struthiones immemores sunt ovorum suorum, et quasi non pepererint, in arena calcandos pedibus bestiarum (*Job* XXXIX) fetus relinquunt, de quo in Job plenius scribitur : ita et ego sine filiis spoliatus et nudus incedam. Et hoc faciam, quia desperata est plaga ejus, id est, Samariæ. Et idem peccatum, immo eadem pœna peccati, quæ evertit Samariam, veniet usque ad Judam, et usque ad portam urbis meæ Jerusalem. Ut enim Samaria subversa est ab Assyriis : ita Juda et Jerusalem subvertentur a Chaldæis. Quia vero Samariam, hæreticorum semel intelleximus Ecclesiam, quæ separata a Deo, populi facta est conciliabulum, ipse Dominus commiratur positurum se eam in pomorum custodiam, in agrum et in plantationem vineæ. Multo enim melius est subverti inutilem civitatem, et lapides ejus quibus exstructa fuerat, in præceps detrahi, et præparari eam in pomarium plantationemque vinearum, quam in ædificatione pessima permanere. Cum enim destructa fuerit, et revelata fuerint fundamenta ejus (quibus sua videbatur celare mysteria, et firma habere dogmata in quibus stabat, et omnia idola quæ speciem videbantur habere, et pulchritudinem artifici sermone compositam, et a ministris Dei fuerint concisa, id est, a viris Ecclesiasticis) tunc **439** in loco ædificationis pessimæ, varia Ecclesiæ poma nascentur, et non solum nascentur, verum etiam custodientur, et plantabitur vinea Sorec, de qua fiat vinum, quod se Dominus in regno Patris bibiturum esse promisit (*Marc.* XIV). Non solum autem fundamenta ejus, quæ prius terra premebantur, aperientur et proferentur in medium, et idola quæ sibi finxerant, concidentur ; sed gloria quoque et divitiæ quas de fornicatione videbatur habere et errore suo, igne meo consumentur, de quo dixi in Evangelio : *Ignem veni mittere super terram, et* [a] *quam volo ut ardeat* (*Luc.* XII, 49) : atque comburentur, et redigentur ad nihilum, quia non de veritate contracta sunt dogmatum ; sed de fornicatione animæ, et errore hinc inde collecta sunt. Hæretici quippe non habent divitias de paterna hæreditate venientes, sed quotidie quod colant reperiunt, et idola sibi artifici manu, et curiosa mente confingunt. Propter hoc cum conversus fuerit ager eorum in pomorum custodiam, et præparatus ad vineas, et lapides quibus ædificata erat civitas, detracti in profundum, et revelata fuerint fundamenta eorum, et omnia sculptilia concisa et incensa, et mercedes quas sibi vana spe pollicebantur, et quidquid velut Deum colere videbantur, redactum ad nihilum, quia de fornicatione animæ, omne sibi pretium compararant : tunc intelligentes errorem pristinum, in semet reversi plangent, in quibus ante ridebant, et lugebunt, in quibus prius fornicantes quodammodo lætabantur. Deponentque de pedibus suis quidquid mortiferum habuerant, et erunt discalciati, quia terra in qua staturi sunt, locus est sanctus, et vestimenta fornicationis suæ universa projicient ; eruntque nudi, ut possint Christi indui vestimento, et facient planctum quasi draconum. Plancturi quippe sunt aliquando et dracones, quando viderint draconem maximum captum, et in hamo pendere piscantis, et mare **440** desolatum. Et lugebunt quasi filiæ Sirenarum, dulcia enim sunt hæreticorum carmina, et suavi voce populos decipientia. Nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturaverit aurem suam, et quasi surdus evaserit. Propterea autem hæc istiusmodi Samaria planget atque lugebit, quoniam sagitta Domini vulnerata, et plagam sermonis accipiens, suum cognoscet errorem. Non solum autem ipsa peccavit, sed iniquitatem et errorem suum in Judæ quoque portas voluit introducere. Unde dicitur de ea : *Venit usque ad Judam, et tetigit usque ad portas populi mei, usque ad Jerusalem.* Portas, inquit, tetigit quas aures intelligimus. Cæterum urbem mediam intrare non potuit : quod si intrasset, fecisset de Jerusalem Samariam. Quoties viderimus de Ecclesia aliquos ad hæreticorum sermones scandalizari, et quærere quomodo eorum respondeant quæstionibus, nec tamen recedere de Ecclesia, dicamus, *venit Samaria*, sive plaga Samariæ usque ad populum confitentem, usque ad aures populi Dei, usque ad aures Jerusalem. Hoc enim quod dicitur tetigit usque ad portas populi mei, ἀπὸ κοινοῦ intelligendum est, ut subaudiatur, tetigit etiam usque ad portas Jerusalem. Hucusque contra Samariam et contra Jerusalem, videamus et cætera, quæ sequuntur.

(Vers. 10 seq.) *In Geth nolite annuntiare, lacrymis*

[a] Alias, et in uno Palatin. cod. *quem*. Confer quæ de hujus lectione testimonii diximus ad homil. 5 in Ezechielem, tom. V, col. 927.

*ne ploretis, in domo pulveris pulvere vos conspergite : transite*[a] *vobis, habitatio Saphir* [Vulg. *pulchra*] *confusa ignominia, non est egressa quæ habitat Sennan* [Vulg. *in exitu*]. *Planctum domus Asel* [Vulg. *vicinæ*] *accipiet ex vobis : quæ stetit sibimet, quia infirmata est in bono quæ habitat in Maroth* [Vulg. *amaritudinibus*] : *quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem. Tumultus quadrigæ stuporis*[b] *habitanti Lachis, principium peccati est filiæ Sion : quia in te inventa sunt scelera Israel? Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth : domos mendacii in deceptionem regibus Israel. Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa, usque Odollam veniet gloria Israel.*

**441** LXX : *Qui in Geth, nolite magnificari, qui in Bachim, nolite*[c] *reædificare ex domo derisum : terra aspergite derisum vestrum, quæ habitas bene civitates ejus : non est egressa habitatrix Sennan. Plangite domum juxta eam : accipiet ex vobis plagam doloris, quis cepit in bonum, quæ habitat in doloribus? quia descenderunt mala a Domino super portas Jerusalem. Sonitus curruum et equitum habitatio Lachis : princeps peccati est filiæ Sion : quia in te inventæ sunt iniquitates Israel. Ideo dabit emissarios usque ad hæreditatem Geth : domos vanas : frustra fuerunt regibus Israel : donec hæredes adducam tibi, quæ habitas Lachis, hæreditas usque Odollam veniet.* Multum Hebraicum a LXX interpretatione discordat, et tantis tam mea, quam illorum translatio difficultatibus involuta est, ut si quando indiguimus spiritu Dei (semper autem in exponendis Scripturis sanctis illius indigemus adventu) nunc vel maxime eum adesse cupiamus, et quæ in prophetis locutus est, pandere, ut de nobis quoque possit intelligi, quod ipse alibi polliceri dignatur : *Aperi os tuum, et implebo illud* (*Ps.* LXXX, 11). Geth, ut Regnorum quoque testatur historia (I *Reg.* XVII), una est de quinque urbibus Palæstinæ, vicina Judææ confinio, et de Eleutheropoli euntibus Gazam, nunc usque vicus vel maximus, unde fuit Goliath ille Gethæus, quem David occidit in prælio. Quia igitur propheta, immo per prophetam Dominus dixerat : *Plangam et ululabo, vadam spoliatus et nudus : faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, quia desperata est et insanabilis plaga Samariæ, et venit usque ad Judam, tetigitque portam populi mei Jerusalem*, propterea flentis adhuc voce præcipio : *Nolite annuntiare in Geth*, ne audiant et lætentur inimici : lacrymis ne ploretis, id est, ne dolor quidem in singultus erumpat : dissimulate fletum, ne adversarii gratulentur [*Al.* lætentur], lacrymas ora non habeant, cum dolorem pectus habeat, nolite exire foras, sed in domo pulveris, et ruente cinere vos conspergite ruinarum. *Transite* [Al. *Transiet e*] *vobis, habitatio* SAPHIR (שפיר) quod Syro Hebræoque sermone dicitur *pulchra*. Samaria quippe in pulcherrimo Judææ, et uberrimo sita loco, nunc quoque ostenditur. Dicitur ergo ad eam : O tu **442** quæ habitas in regione uberrima,[d] quia confusa es ignominia, sic transi, sic ad captivitatem deducere, ut præ malorum magnitudine, ne vicinus quidem Allophylus audiat vocem tuam. Porro quod sequitur : *Non est egressa quæ habitat in Sennam*, quæ interpretatur *exitus*, sive ut Symmachus vertit, *non est egressa habitatio abundans*, de eadem Samaria dicitur quæ in ipsis Assyriæ captivitatis est foribus, et statim ut mota fuerit de finibus suis, hostilem terram ingreditur. Nam habitatio abundans, juxta illud accipiendum quod et supra jam diximus, habitatio pulchra. Non est igitur egressa quæ habitat [*Al.* habitabat] in exitu vel abundantia propria voluntate, sed vi ducta est in Assyrios. Unde domus vicina et ex latere, quod interpretatur ASEL (אצל), regnum videlicet Juda, planctum accipiet ex vobis, quæ nunc interim, Samaria capta, substitit, et Deum habuit defensorem. Accepit autem planctum, et percussa formidine est, et infirmata bono suo, quæ habitat in *Maroth*, [Al. *Ramoth*] id est, *in amaritudinibus*, sive ut Symmachus vertit, *habitatio ad amaritudinem provocans*, hoc est : ἡ κατοικία ἡ παραπικραίνουσα ; quod Hebraice dicitur JOSEBETH MAROTH (ישבת מרות), propter captivitatem vicinarum tribuum, quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem, Assyrius quippe, vastata Samaria, venit etiam ad Jerusalem, eo tempore quo Rabsaces est missus insultans, de quo et Regnorum quartus liber (IV *Reg.* XVIII) et Isaias (*Isa.* XXXVI) plenius scribunt. Ubi dicitur quod rex Assyrius de Lachis miserit Jerusalem, et postea, capta Lachis, ad oppugnandam transierit Lobnam. Veniet igitur, o Lachis urbs idolis dedita, et ad te quadriga et equites Assyriorum, quia et in te inventa sunt scelera Israel, et tu fuisti principium idololatriæ in Juda : per te enim quasi per portam impietas decem tribuum migravit in Jerusalem. Non solum autem super Lachis tumultus veniet et quadrigæ, sed et super Geth metropolim Palæstinæ, de qua supra dixeram : *In Geth nolite annuntiare :* mittet enim Assyrius latrunculos suos, quos vocat emissarios, et

[a] Antiqua lectio erat, *Transit a vobis*, eaque dubio procul falsa, ut notatum Victorio est, qui hæc subdit : Hebraicum habet עברי לכם, *Transi vobis*, quæ ipsa quoque incongrua locutio est. Hieronymus agnoscit vocem *Transi*, dum ait : *Sic transi, sic ad captivitatem deducere*, at sine verbo, *vobis*. Vulgata editio meliorem retinuit lectionem, quam nos quoque secuti sumus, nec ab ea apparet dissentire Hieronymum ; est autem ista : *Transite vobis, habitatio Saphir, seu pulchra*. Et forte vox Hebraica corrupta hunc errorem induxit ex עברו in עברי, illa mutata. Facile enim Vau in Jod temporum injuria, aut librariorum pigritia vitiatur. Alioqui locutio impropria, nec alibi usurpata. Vulgata editio sibi in cunctis exemplaribus consentiens, certum id mihi fuit argumentum. Expunximus hunc errorem etiam ex Commentario, ubi legebatur : *Transit a vobis*, pro *Transite vobis*. Brixiæ codices, et Vulgata editio opem præstiterunt.

[b] Martian. *habitantis :* tum mss. *in* præpositionem addunt.

[c] Duo Palatin. mss., *nolite ædificare domos derisorum, terra aspergite*, etc.

[d] Victorius *quæ* reponit ex Florentiæ codicibus.

possidebit domum idololatriæ urbemque mendacii, quæ in supplantatione fuit regibus Israel. Quod autem **443** sequitur : *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa*, pulchre allusit ad nomen : quia enim MARESA, *hæreditas* dicitur, adventum in eam hostium pro hæredibus appellavit, et usque Odollam urbem Judæ veniet MARESA (מרשה), id est, *hæreditas:* quæ Odolla gloriosa est in urbibus [a] suis Israel. Denique et Symmachus ita transtulit : Ἔτι κληρονόμον ἄξω καί σοι κατοικία Μαρέσα, ἕως Ὀδολλὰμ ἥξει τῆς δόξης Ισραήλ, hoc est, *adhuc hæredem adducam et tibi, habitatio Maresa, usque Odollam veniet gloriæ Israel*, hoc est, quæ gloriosa es in urbibus Israel. Et ubi dicitur *gloriæ*, genitivus casus sit numeri singularis, *hujus gloriæ*, et non nominativus pluralis, *hæ gloriæ*. Vel certe ita intelligamus : Captivitas Israel quæ venit in Lachis, et Geth, et Maresa, usque Odollam quoque veniet. Et pressius legendum *gloriæ Israel*, ut κατὰ ἀντίφρασιν ignominia vel vastitas sentiatur. Porro quod supra urbem prophetæ *Morasthi hæreditatem* interpretati sumus, sciat lector in eodem versiculo quem posuimus : *Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth*, in Hebræo pro *hæreditate Geth*, MARASETH GETH מרשת גת [*Al.* MORASSETH] positum. Huc usque secundum Hebraicum ut potuimus, et ut nobis visum est, certe ut ab Hebræis audivimus, quasi inter saxa et acutissimos scopulos naviculam nostram reximus, quæ utrum intraverit portum, an adhuc in salo fluctuet, lectoris erit prudentiæ judicare. Nunc orationibus vestris pergamus ad alios fluctus, et imminente expositionis hinc inde naufragio, si possumus, evadamus. GETH (גת) interpretatur *torcular*, qui ergo in Geth, id est, in torculari sunt, putantes se vindemiasse fructum vitæ, et calcasse botrum de vinea Sorec, extolluntur in superbiam, ignorantes quod botrus terræ Judææ in Allophylorum finibus non reperiatur. Nolite, inquit, extolli qui estis in torcularibus : Quia de vinea Sodomorum vinea vestra est, et propago vestra de Gomorrhis : et uva vestra amaritudinis, et botrus fellis vobis, et furor draconum vinum vestrum, furor aspidum insanabilis. Nam si etiam feceritis fructum (quoniam vindemia vestra non solum de Sodoma **444** et Gomorrha, sed de Ægypto quoque est et cæteris inimicis gentibus) dabit Dominus ærugini fructum vestrum, et labores vestros locustæ, et occidet in grandine vineas vestras, et moros vestros in pruina. Non vos decipiat similitudo vini, nec dicatis amarum dulce : gustate diligenter vinum vestrum, et invenietis pro vino Sorec, furorem draconum et venenum aspidum. Unde nolite superbire, sed magis humiliamini sub potenti manu Domini, et ad illud transite torcular de quo ascendens ex Edom, et rubicundus ex Bosra [*Al.* Bosor], loquitur in Isaia propheta : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum*. Rursum quia sunt de alienigenis et alii (multas enim habet regiones et urbes Allophylorum provincia) qui per mala opera et sensus contrarios Deo loquuntur : *Destructi sumus, sed revertentes ædificemus quæ destructa sunt*. Unde et vocantur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus. Dicitur ad eos : *Qui in Bachim nclite ædificare de domo derisum*. Bachim (בכים) [b] in nostra lingua *planctum* et *fletum* sonat. Denique exceptis Septuaginta, omnes κλαυθμὸν, id est *fletum* transtulerunt. Qui estis igitur in hujuscemodi operibus atque sententiis, quæ fletu digna sunt, nolite ædificationem pessimam instaurare, nec sensum vestrum exstructionem Dei arbitremini, neque ædificetis super arenam (*Matth.* VII), ne cum tempestas venerit, domusque vestra conciderit, cassus labor risum videntibus præbeat. Quin potius intelligentes ædificationem vestram dignam esse derisu, ruinis ejus et pulvere conspergite capita vestra, et agite pœnitentiam, quod absque consilio casuram domum ædificare voluistis. Sequitur : *Quæ habitat bene in civitatibus suis, non est egressa habitans in Sennam*. Quod mihi videtur hanc habere sententiam : Vos, qui superbitis in Geth, et in Bachim, frustra domum risu dignam ædificare conamini : aspergite vos pulvere, et agite pœnitentiam, quia vinum detestabile premere, et ædificationem Deo contrariam construere voluistis. Ecclesiam autem Christi, quæ habitat bene, et in toto orbe Ecclesias [c] possidet, spiritus unitate conjuncta est, et habet **445** urbes Legis, prophetarum, Evangelii, et apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis sanctis; sed cœptam retinet possessionem ; quia habitat in *Sennan*, quod interpretatus est, ut supra diximus, Symmachus *abundantiam ;* habet enim Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, cum quibus omnes spirituales gratiæ copiæque virtutum sunt. Unde dicitur ad eam : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* ( *Psal.* CXXI, 7). Vos vero, qui habitatis juxta Sennan, id est, juxta abundantem Ecclesiam, o hæretici, o contraria dogmata, plangite vos, quia ædificastis vobis domum in derisum, et pressistis torcular in superbiam, nec in Scripturis, sed in vicinia Scripturarum domum vestram, jam non risu, sed planctu dignam, et lacrymis construxistis. Unde subjungitur, plangite domum quæ est juxta eam, id est, juxta Sennan. Sed et hoc quod additur, *accipiet ex vobis plagam doloris*, ad eosdem hæreticos dicitur, quibus imperatur ut plangant domum vicinam Ecclesiæ, quod inimicus et ultor diabolus, cui tradendi sunt in supplicium, ipse eis inferat plagas, et extorqueat pro ædificatione pessima plagarum dolorem. Quæ propterea inferuntur, ut sentientes peccata quæ fecerant, agant pœnitentiam, et dolorum habitatio sit eis bonorum occasio. Sive Ecclesiæ indicatur dolor,

[a] Mss. Palat. tacent, *suis :* mox ad Symmachi interpretationem Μαρήσα pro Μαρέσει legunt, et ὀδολλὰμ, pro quo Marian. ὀδολάμ. Sæpe vero levia, id genus menda taciti castigamus.

[b] Confer Librum de Situ et nominibus Locorum ad vocem *Inachim* de Regnorum libris.

[c] Unus Palatin., *Ecclesias possidens Christus unitate*, etc.

quod plangat quondam filios suos, et ipsa sit causa salutis hæreticorum, si ad lugentem matrem reverti voluerint. Porro quod infertur : *Quia descenderunt mala a Domino super portas Jerusalem* : et Marcionitæ ac Manichæi utuntur hoc scripto, eo quod Legis Deus malorum sit conditor. Sic dicamus mala a Domino descendisse, quomodo et Salvator loquitur in Evangelio : *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x, 18). Quomodo enim ibi cecidit, de cœlo lucifer, qui mane oriebatur (*Isai.* xiv), et contritus est super terram, qui mittebat [*Al.* mittebatur] ad gentes : sic et hæc mala quæ a Domino ceciderunt, et venerunt ad portas Jerusalem, antequam caderent non erant mala; sed quia a Domino corruerunt, idcirco facta sunt mala. Et ut sciamus malorum insidias : *venerunt*, inquit, *ad portas Jerusalem*, quæ quia firmæ sunt, et adamantinæ, clauduntur ab apostolis, quibus Jerusalem claves commissæ sunt : ante eas versantur inimici, **446** et quos exire conspexerint, interficiunt. Si quis igitur est de Jerusalem, quæ habitat bene in civitatibus suis, non egreditur cum habitet in abundantia; sed semper intrinsecus manet, nec egreditur portas ejus, quas qui egressus fuerit occiditur : occiditur autem ab his qui se elevant in Geth, et habitant in Bachim, et ædificant domum in derisum. Denique mala quæ descenderunt a Domino ad portas Jerusalem, strepitum tantum habent curruum et equorum tumultum, confusumque sonitum pro foribus Jerusalem, ut oris sui lancea quoscumque vagari viderint, interficient. Post hæc scriptum est : *Quæ habitas Lachis : princeps peccati est filiæ Sion.* Lachis interpretatur πορεία ἵππου, id est, *ambulatio*. Et hi igitur qui ascenderunt in curribus suis, et habuerunt equites, et strepitum tantum inanemque sonitum, quibus locuta est, quæ habitat bene in civitatibus suis : isti in curribus et isti in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus (*Ps.* xix, 8); quia moverunt pedes suos, et circumlati sunt omni vento doctrinæ falsæ (*Ephes.* iv), et de Ecclesia exire voluerunt, quæ interpretatur specula, id est, Sion, principes peccati fuere filiæ Sion. Et in ipsa, hoc est, in Latinis, inventæ sunt impietates Israel, quæ a regno pristino Dei populum separaverunt. Princeps ergo peccati est filiæ Sion, quæ habitat in Lachis, id est, ambulatio pessima, gradu jugiter fluente, et impietas Israel in his est qui semper movent pedes suos, et habitare dicuntur in Lachis. Dabuntur quoque emissarii usque ad hæreditatem Geth : Geth pessimam, et torcular venenorum, quod ædificatur contra domum Dei, ubi sunt vanæ domus, quæ ædificatæ sunt in derisum. Et istæ vanæ domus, in vanum factæ sunt in regibus Israel. Quantum ad historiam pertinet, his regibus quorum peccata in Regnorum et Paralipomenon libris scripta sunt : quantum autem ad anagogen, principibus hæreticorum, ducibusque perversorum dogmatum; his enim domus vanæ sunt et frustra exstructæ. Et tamdiu perseverantes, donec teneant eas hæredes qui a Domino adducendi sunt. Post hæc sequitur : *Quæ habitas Lachis, hæreditas usque Odollam veniet.* Odolla interpretatur *testimonium haustus*, vel *hauritionis eorum*, quod in Græco significantius **447** dicitur μαρτυρία ἀντλήσεως αὐτῶν. Legimus in Proverbiis : *Si malus fueris, solus hauries mala* (*Prov.* ix, 21). Quæ igitur habitat in Lachis, id est, in itinere pessimo, veniet usque ad testimonium exhaustionis suæ, quod exhauriet atque ebibet juxta operum suorum mensuram. Vel certe ita distinguendum, ut hoc quod dicitur, *quæ habitas Lachis*, ad superiora referatur, et sit ordo ac sensus : Adducam hæredes tibi de Ecclesia, quæ habitas Lachis, quia de hæreditate Domini et tu eris, cum hauseris, et receperis quæ mereris. Obsecro in capituli fine lectorem, ne necessitatem, voluntatem putet, et expositionem prolixam, verbositatem existimet, magisque miretur in locis tam asperis me aliquid invenire, quam quidquam eorum, quæ dicenda sunt, non prætermittere.

(Vers. 16.) *Decalvare et detondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.* LXX : *Gloria ÷ filiæ ⁝ Israel, decalvare et detondere super filios delicatos tuos : dilata calvitium tuum sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.* Hoc quod dictum est a Septuaginta, *gloria filiæ Israel*, addentibus *filiæ*, Hebræi in fine superioris capituli legunt. Nobis autem quæ sic voluistis, et semel suscepimus, incumbit necessitas ita interpretari Scripturas, quomodo leguntur in Ecclesia, et nihilominus Hebraicam non omittere veritatem. Dicitur ergo ad Israel interim secundum litteram, ut vel decem tribus accipiamus in Samaria, vel in commune omnem Israel; quia captivus ductus est populus, et omnis Judæa ab Assyriis Babyloniisque vastata est, assumant planctum et plorent filios suos. Et quomodo aquila quæ regina est avium certo tempore amittit pilos, et remanet implumis : sic etiam Israel deponat omnem gloriam suam, qua ante fuerat circumdatus, et plangat filios, hostium subditos potestati. Quod autem aquila certo tempore soleat amittere plumas, et in Psalterio scriptum est : *Innovabitur ut aquilæ* [a] *senectus tua* (*Ps.* ciii, 5). [b] Et Comicus in Heautontimorumeno : *Visa est*, inquit, *vere quod dici so-*

[a] Victorius ait, *juventus tua*, non *senectus*, est in cunctis editionibus Hebraica, Græca, et Latina. Nihil tamen mutavimus, quia sensum potius quam verbum reddere voluisse, apparet ex eo, quod de aquilæ senectute ex Terentio statim addit. Alioqui Matth. xxiv, veram nobis refert lectionem, dum ait : *Aquilæ autem appellantur sancti, quibus innovata est juventus, ut aquilæ : et qui juxta Isaiam, plumescunt, et assumunt alas, ut ad Christi veniant passionem.*

[b] Terentius scripsit Comœdiam cui titulus est *Heautontimorumenos*, id est, *seipsum excrucians*. Actu itaque III, scena 2, leguntur verba recitata ab Hieronymo : *Visa vero est, quod dicit solet, aquilæ senectus*. Nec mireris si pro voce *juventus tua*, quæ legitur in cunctis libris hagiographis, legatur apud Hieronymum hoc loco *senectus tua*, quia S. Doctor

*let, aquilæ senectus* (*Terent. Act.* III, *sc.* 2). Si autem volucrimus hoc ipsum et de præsenti tempore Judaicæ **448** eversionis accipere, videbimus omnem gratiam, qua quondam apud Deum floruit, ab eis penitus recessisse. Ubi est enim propheta? ubi doctor Legis? ubi Angelorum præsidia? ubi contra plures a paucis insperata [*Al.* sperata] victoria? Decalvata est Jerusalem quæ omnem comam pristinæ gloriæ perdidit (*Isai.* XXXIII, 18; 1 *Cor.* I), et filii ejus qui clamaverunt contra Dominum, *crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 6), in captivitatem ducti sunt. Legi in cujusdam Commentariis hoc quod dicitur, *decalvare et detondere super filios deliciarum tuarum*, de conditione humana posse accipi: ut Dei ad Adam, sive ad Jerusalem cœlestem dirigatur eloquium. O anima humana! o urbs quondam sanctorum mater, quæ prius eras in paradiso, et fruebaris deliciis arborum diversarum, et habebas speciosissimam comam: nunc quia projecta es de sublimibus et deducta in Babylonem, et venisti in locum captivitatis, et perdidisti comam tuam, radere et assume habitum pœnitentis, et quæ prius quasi aquila volabas in excelsis, plange filios, plange sobolem tuam, quæ ex te ducta est captiva.

(Cap. II.—Vers. 1 seq.) *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum, et* [a] *concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt, et calumniabantur virum, et domum ejus, virum et hæreditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi: quoniam tempus pessimum est. In die illa super vos sumetur parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat? Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.* LXX: *Facti sunt cogitantes labores et operantes mala in cubilibus suis, et simul in die consummabunt ea: quia non levaverunt ad Deum manus suas, et desiderabant agros, et diripiebant pupillos, et domos opprimebant, et rapiebant virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus.* **449** *Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super tribum istam mala, de quibus non auferetis colla vestra, ut non ambuletis recti* ÷ *subito; quia tempus pessimum est. In die illa sumetur super vos parabola, et plangetur planctus in cantico dicentium: Miseria* [b] *miseri facti sumus, pars populi mei dimensa est in funiculo, et non erat qui prohiberet eum, ut averteretur. Agri nostri divisi sunt: propter hoc non erit tibi mittens funiculum in hæreditate.* Quod in fine capituli juxta Hebraicum posuimus, *in cœtu Domini*, pro quo Septuaginta transtulerunt, *in Ecclesia Domini*; juxta editionem Vulgatam sequentis capituli principium est. Et ideo in illo si Dominus jusserit, disseremus. Væ igitur vobis, Judæorum cœtus, qui et cogitatis malum, et opere consummatis. Et cubilia ad quiescendum data stupris polluitis: et quidquid iniquitatis nocte tractatis, quasi differre non liceat, statim ut dies claruerit, festinatis implere: non considerantes quod adversum Dominum fortis est manus vestra. Et ut doceret Scriptura quid esset quod in nocte cogitarent, et in die facerent, exponit in partibus. *Concupierunt*, inquit, *agros, et violenter tulerunt*: et domos, subauditur, concupierunt, et quas concupierant, diripuerunt: et non solum calumniabantur homines, et domos eorum, sed posteros quoque qui misericordiam propter ætatem parvulam merebantur, rabido ore vastabant. Quia igitur ista fecistis, et cogitastis inutile, et ego Dominus cogitabo super familiam istam malum: non quod malum sit quod ego cogito; sed quod patientibus malum videatur [c] quod irrogo: quod ita vos premet, ut colla vestra non possiti levare, nec ambuletis superbi, scilicet quos tempus captivitatis oppresserat.

Tunc [*Al.* tum] dicetur super vos parabola, et miseriæ vestræ vertentur in canticum: *Depopulatione vastati sumus, pars populi mei*: Templum, inquit, meum quod solum inter gentes cæteras plus habebam, mutabitur in ruinam. Quomodo a me recedet Assyrius, cum revertatur ut agros meos sibi sorte distribuat? Propterea, o familia Israel, super quam ego malum cogito, non **450** habebis partem in hæreditate justorum. Sed et de extrema captivitate hoc ipsum accipi potest, quod omnia eis evenerint quia Dominum crucifixerunt: ita tamen ut Septuaginta interpretum editio disseratur. Gloria namque filiæ Israel decalvata est, et attonsa super filiis quondam delicatissimis, et si quid deinceps renatum pilorum fuit, alia deinceps rasura et attonsione truncatum est. Tunc omnia consilia eorum versa sunt in laborem, et quæ cogitaverunt, mente et anima dormiente, attulerunt eis labores: quæque operati sunt, statim ut lux Christi et ultio apparuit, conturbata sunt. Cum enim legissent vicisse Israel, quando Moyses manus levavit ad Dominum, superatum esse ab Amalec, quando Moyses lassa brachia deponebat (*Exod.* XVII), non levaverunt ad Dominum manus suas, sed omnia in pauperes et plebem Domini scelera perpetrantes, desideraverunt agros, et pupillorum domos diripiebant, ac virum pariter et uxorem liberosque ejus et substantiam depopulabantur. Propterea cogitavit [*Al.* cogitabat] Dominus mala super tribum illam: nequaquam [d] duodecim tribus, sed tribum malitia

hic loci ad sensum Scripturæ, non ad verba attendebat; nec Comicum testem suæ sententiæ habuisset, nisi verbum senectutis posuisset in recitato psalmi CII versiculo. MART.

[a] In instanti habent duo mss. hic *concupiunt*, et mox *calumniantur*.

[b] Palatin. mss. *miseria vastati sumus*.

[c] Verba *quod irrogo* in nostris mss. desiderantur.

[d] Nostri mss. *in duodecim tribubus*. Cæterum cum Victorio ex septem Florentiæ, et quatuor Brixiæ mss. legimus, *sed tribum malitia et scelere fœdatam*, pro quo Martian. retinuit, *tribum malitiæ, et in scelere fœderatam*.

et scelere fœdatam, de quibus non potuerunt elevare cervicem, nec recte incedere. Denique usque ad præsentem diem subditi sunt Romano imperio, et premuntur captivitatis jugo, et colla non elevant. Quod autem sequitur : ἐξαίφνης, id est, *subito*, in Hebraicis voluminibus non habetur, et tamen potest cum præsenti loco ita congruere, ut dicamus: Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super tribum istam mala subito, de quibus non possint [*Al.* possunt] elevare cervices suas, et ob id elevare non poterunt, quia tempus malum est. Sicut enim mala operati sunt contra Dominum Jesum, sic mala captivitatis perpetuæ sustinebunt, et in tantam venient angustiam, ut omnia eorum cantica, et psalmi vertantur in luctum. Nihilque aliud noverit populus loqui, nisi hoc : *miseria miseri facti sumus.* Terra quippe repromissionis quæ prius duabus et semis tribubus sorte divisa fuerat trans Jordanem, Moyse mittente funiculum, et postea ab Jesu Nave tribubus reliquis **451** dispertita, hæc gentibus Romano mensore divisa est : et nemo fuit qui prohiberet, quin potius cum universas obtineat nationes, nullus est ex Judæis qui antiquum pristina libertate possideat solum. Quod si tertiam expositionem sequi voluerimus, omnem, de qua supra dixeram, ad animam humanam sermonem dirigi, quæ de paradiso corruens in captivitatem hujus mundi venerit : videbimus quod omnis cogitatio nostra labor et dolor sit, et cubilia nostra plena sint malis, et lux ipsa quæ videtur, mixta sit tenebris : quæque nocte tractemus, in caligine compleamus. Quis enim nostrum ad Deum sanctas elevat manus sine ira et cogitatione? Quis non desiderat villas istius sæculi, oblitus possessionum paradisi? Videas alios agros agris, et terminos jungere terminis, et parvo hominis corpusculo rura urbium non sufficere. Propterea cogitat Dominus super nos mala, de quibus nostras elevare nequeamus cervices, nec ambulare recti, quia tempus pessimum est, juxta Joannis verba, dicentis : *Mundus in maligno positus est* (I *Joan.* v, 19). Idipsum significat et illa in Evangelio filia Abraham nobilis anima, quam Satanas vinxerat et incurvaverat, et nisi ad adventum Domini in sublime erigi ante non potuit, nec suum suspicere [*Al.* suscipere] Creatorem. Unde Salvator ait : *Hanc*, inquit, *filiam Abrahæ quam alligaverat Sanatas, non oportuit solvi de vinculo isto die sabbati* (*Luc.* XIII, 16)? Quia ergo gloria nostra omnis attonsa est, et dilatavimus *rasuram*, vel [a] *nuditatem nostram* (sic enim in quibusdam codicibus invenitur) missi sunt qui nos plangerent cum Jeremia, et sumerent super nos parabolam, et dicerent cum Apostolo : *Lugebo multos qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam* (II *Cor.* XII, 21). Quis enim non plangat videns humanas animas quasi variam suppellectilem a dæmonibus et diversis vitiis esse possessas? Alius dæmonum mittit fornicationis funiculum, alius avaritiæ : ille homicidii, hic perjurii lineas tendit : pars populi Dei divisa est in funiculo : et agri quondam sanctitatis et paradisi, quorum odore delectabatur Isaac in Jacob filio suo (*Gen.* XVII), traditi sunt Assyriis, regique Babylonio. Et habentibus vulpibus foveas, **452** et volucribus cœli nidos, Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Matt.* VIII). Exposui juxta quod mei ingenioli patiebantur angustiæ, et primam ab Assyriis, Babyloniisque populi captivitatem, et secundam a Romanis, quia Dominum crucifixerunt, et tertiam spiritualem, qua unusquisque nostrum cum Adam de paradiso cecidit, et in hujus mundi captivitate versatur, de qua cum venerit Dominus, eriget elisos, et solvet compeditos (*Psal.* CXLIV) : et captivos quondam diaboli, reducet in possessionem suam, et complebitur sermo Psalmistæ dicentis : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem* (*Psal.* LXVII, 19). Juxta quam expositionem potest et de Ecclesia quarta captivitas accipi, de qua unusquisque egreditur per peccatum, et postea ab *Ezra*, qui interpretatur *adjutor*, id est, sermone Dei reducitur in Jerusalem (I *Esdræ* VII). Si quis autem in Lege Domini die ac nocte meditatus, majus habuit studium, majus ingenium, otium, gratiamque, et potest de præsenti capitulo probabilius aliquid dicere, non invideo, non aspernor, quin potius cupio ab eo discere quod ignoro, et libenter me discipulum profitebor, dummodo doceat, et non detrahat. Nihil enim tam facile, quam otiosum et dormientem de aliorum labore et vigiliis disputare.

(Vers. 6-8.) *Ne loquamini loquentes, non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicit domus Jacob. Numquid abbreviatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit, desuper tunicam pallium sustulistis, et eos qui transibant simpliciter, convertistis in bellum.* LXX : *In Ecclesia Domini nolite flere lacrymis, neque plorent super his? non enim abjiciet opprobria, quæ dicit : Domus Jacob provocavit spiritum Domini, si hæ sunt adinventiones ejus : nonne sermones ejus boni sunt cum eo, et recti* [b] *ambulaverunt? Et prius populus meus inimicitiis restitit contra pacem suam : pellem ejus excoriaverunt, ut auferrent spem contritionem belli.* Ne loquamini, inquit, loquentes ; pro quo interpretatus est Aquila : *ne stilletis stillantes*, quondam idiomate Hebraico, eloquium ab eo quod fluat et ad aures perveniat audientium, in similitudinem pluviæ **453** descendentis, stillationem vocans. Nolite vos decipere, o domus Jacob, et in consolationem mutuam dicere, Deus bonus est : non veniet captivitas quam timemus. Num larga ejus misericordia, et

[a] Præferunt duo Palatin. mss. *viduitatem* : in Græco autem est γύμνωσιν, *nuditatem*.

[b] Iidem mss. hic, *jam*, voculam interserunt, paulo autem post delent, *spem*. Pro *contritionem*, Victorius *contritionum* legit ; est vero in Græco minori numero συντριμμόν.

clementissimus spiritus, qui late et abundanter ortus est omnibus, tantum in nobis abbreviabitur et severus erit? aut hujuscemodi sunt cogitationes ejus, quales in hominibus cernimus, ut antiquam teneat iracundiam, et ad vindictam furore subito concitetur? Ad quæ respondit Dominus : Bonus quidem sum, et verba mea sonant clementiam : sed ad eos, qui recto itinere gradiuntur. Qui autem, non dico olim, sed hesterno die in contumeliam meam veneratus est idola, et quantum in ipso fuit, tyrannica adversum me arma corripuit, qui infelicem populum exspoliavit auxilio Dei, et quasi desuper tunicam, [a] pallium tulit, qui simplices quosque credentium et arquiescentes auctoritati majorum contra me vertit in bellum, numquid non stillabit super eum Dominus, et apprehendet eum confusio? Hoc autem quod nos vertimus : *Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit* ; quia verbum MUL (מול), et *contrarium*, et *diem hesternum* sonat, Symmachus apertius transtulit ut diceret : *ante unam diem populus meus quasi inimicus restitit*, ut solveret quæstionem, quod Deus non præterita vitia imputaret populo, sed recentia, et quæ quasi die commissa viderentur hesterno. Hæc juxta Hebraicam intelligentiam, cæterum Septuaginta interpretes in hoc loco penitus sibi non cohærent. Ad id enim quod præmissum est, *in Ecclesia Domini nolite flere*, quæ consequentia est, ut inferatur, *non enim abjiciet opprobria quæ dicit, domus Jacob provocavit spiritum Domini?* Sed et illud quod sequitur : *Si hæ adinventiones ejus sunt : nonne* [Al. *non*] *sermones ejus sunt boni cum eo, et recti ambulaverunt* [Al. *ambulabunt*]? ad posteriora quid pertinent, quæ dicuntur : *Et prius populus meus in adversarium restitit, contra pacem suam, pellem ejus excoriaverunt, ut auferrent contritionem belli?* Videtur autem mihi, [b] in loco vel difficillimo, sic posse sensus reddi vel exprimi, si tamen prudens lector nostræ **454** rationi acquieverit. Præcipitur itaque Ecclesiæ, ut non habeat tristitiam et sollicitudinem super rebus sæculi, et damnis quæ in hoc mundo evenire consueverunt, et dicitur habitatoribus ejus, o vos, qui estis in Ecclesia Domini, semper gaudete, et quidquid vobis de judiciis acciderit, gratulamini. Nec hoc dico quod flere non debeatis : *Beati* quippe *flentes, quoniam ipsi ridebunt* (*Luc.* VI, 21); sed illud admoneo, ne in his quæ sunt sæculi, lugeatis. Si quis mortuus fuerit propinquorum, si substantiam fiscus invaserit, si corpus vel podagra, vel alius quilibet morbus oppresserit, nolite flere, nolite lacrymas fundere, nec consideretis præsentia, sed futura, et [c] aggravamini magis quod diutius in hoc tabernaculo mortis habitetis. Quin potius illud cavete, ne insultetis cadentibus, et alienam ruinam vestram ædificationem putetis : unusquisque se ex suis viribus, non ex imbecillitate alterius metiatur. Alioqui quæ est ista justitia, ramos oleastri insultare ramis olivæ, qui propter infidelitatem suam fracti fuerunt (*Rom.* XI), et dicere, domus Jacob ad iracundiam spiritum Domini provocavit, interficiens prophetas, idola colens, Dei filium crucifigens? Qui hoc facit, non erit ab opprobrio alienus, et ea mensura qua judicavit, judicabitur de eo : et quomodo ipse de peccatis loquitur corruentis; ita alius ruinæ illius insultabit. Sequitur : *Si hæ adinventiones ejus sunt : nonne verba ejus bona sunt cum eo, et recti ambulaverunt?* Quod offendit, ait, Judaicus populus, ut plenitudo gentium subintraret, dispensationis Dei est, ut postea, credente Israel, omnes salvi fierent, et universi Dei misericordia indigerent. Unde et Apostolus ad hujus loci veniens quæstionem (*Ibid.*), profundum sapientiæ et scientiæ et judiciorum Dei abyssum investigabilem esse proclamat. Si ergo adinventiones et cogitationes Dei sunt, frangi priores ramos olivæ, et inseri alios de oleastro, non debes insultare, sed timere ne corruas, nec æstimes in eo te placere Deo, si sermones, id est, Scripturas illius legas. Tunc Scripturæ prosunt legenti, si quod legitur, opere compleatur. Si loquens de Scripturis possis dicere : *An experimentum quæritis* **455** *ejus qui in me loquitur, Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Dominus quippe dabit verbum evangelizantibus virtute multa (*Ps.* LXVII, 12) : et super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, et leva vocem in fortitudine qui evangelizas Jerusalem (*Isai.* XL, 9). Atque hoc modo sermones Dei boni sunt, si secum sint, hoc est, si Deus non deserat prædicantem, cujus cor labiaque consentiunt. Cæterum qui confitetur labiis, et cor ejus longe est a Deo, et narrat justitias ejus, et assumit testamentum per os suum, et peccatorum sordibus inquinatur, cum hoc non sunt boni sermones Dei. Nec solum de peccatore, sed de eo quoque, qui gratiam non habet spiritualem, id est, prophetiæ ac doctrinæ, et interpretationis, majorumque charismatum, hoc dicendum est, quod hujuscemodi homo si voluerit elementorum causas, fideique suæ reddere rationem, et quare Deus, qui bonus et Creator est omnium, ad solos tantum Judæos venerit, et in ultimo jam sæculo vocaverit nationes, non habeat secum bonos Dei sermones; sed de propria imperitia etiam ea, quæ bona sunt, Dei verba contaminet, quæ verba recte ambulant et rectas aures requirunt. Et hæc quidem Dominus præcipit populo successori, et Ecclesiæ de gentibus congregatæ, ne insultet generationi pristinæ, et aliena [c] non sit ab opprobriis insultando. Refert autem ipse qui verus est judex et sine perturbatione loquitur, quomodo in passione sua Israel ei contra-

[a] Martianæus retinuit *palliumque*, quod tamen antea ad Brixiæ codd. Victorius emendaverat, ipso sacro textu suffragante, qui ait, *Desuper tunicam pallium sustulistis.*

[b] Quam hic obtrudit Martian. *ut*, particulam expunximus : paulo post duo verba, *vel exprimi*, nostri mss. non agnoscunt.

[c] Contrario sensu duo Palatin. mss., *et gratulamini magis.*

[d] Negandi particulam Victorius reticet.

rius fuerit, et hoc fecerit non quod suo nocere potuerit Creatori, sed quod contra pacem suam omnia perpetrarit. Unde et ad Jerusalem sermo est : *Si scires ea quæ ad pacem sunt tibi* (*Luc.* XIX, 42). Pace autem perdita, pellem suam excoriaverunt, id est, tulerunt a se Dei quo protegebantur, auxilium, et quasi nudas carnes absque cute et tegmine reliquerunt, ut quidquid videbatur esse pulchrum, operiente desuper misericordia Dei, hoc, illa recedente, præberet videntibus turpitudinem. Recedente autem pace et auxilio Dei, quia restiterant Domino, de quo dicitur : *Dominus conterens bella, Dominus nomen ei* (*Judith.* XVI, 3), adversariis suis resistere non potuerunt, sed in omni certamine victi sunt, nec fuit qui contereret adversum eos bella **456** nascentia, juxta utramque personam hostium, vel hominum qui eos duxere captivos, vel adversariorum [a] fortitudinem, qui animas eorum quotidie jugulabant blasphemando.

(Vers. 9, 10.) *Mulieres populi mei ejecistis de domo deliciarum suarum : a parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. Surgite et ite, quia non habetis hic requiem, propter immunditiam suam* [Vulg. *ejus*] *corrumpetur putredine pessima.* Interpretatio Septuaginta (si tamen Septuaginta est; Josephus enim scribit, et Hebræi tradunt, quinque tantum libros legis Moysi ab eis translatos, et Ptolemæo regi traditos [*Al.* contraditos]) tantum discordat in præsenti loco ab Hebraica veritate, ut nec capita possimus ex æquo ponere, nec eorum simul sententias explicare. Quamobrem nostra primum translatio disseratur, et postea ad eosdem veniemus. Adhuc contra populum Dei sermo est, cui supra jam dixerat : *Econtrario populus meus in adversarium consurrexit : desuper tunicam pallium sustulistis*, quod non solum hoc egerint, sed mulieres quoque, id est, matronas quondam delicatas fecerint captivas ire, sive sub metaphora urbes Judææ, quas et in Isaia filias Sion vocat (*Isai.* XXVI), eo quod Sion metropolis fuerit. A parvulis quoque earum tulistis, inquit, laudem meam in perpetuum, nullus remansit in populo, cunctis vel interfectis vel captis, qui meos psalmos caneret; sed et pauci qui in Babylone supererant, canere se non posse testantur. *Quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Ps.* CXXXVI, 4)? Surgite itaque et ite in captivitatem, quia in hac terra requiem non habetis, quæ propter scelera vestra polluta est, et mundari non poterit, nisi longum sabbatum antea celebrarit. Propterea autem dico vobis, non habetis hic requiem, quia polluta est terra vestra, et corrumpetur putredine pessima, captivitate videlicet, vel Babylonica, vel Romana, eo quod Domini sanguinem hauserit : juxta utramque enim historiæ veritatem intelligi potest.

LXX : *Duces populi mei projicientur de domibus deliciarum suarum : propter malas adinventiones suas* [b] *ejecti sunt.* Potest hoc et generaliter de Judaici populi principibus, sacerdotibus ac Pharisæis **457** accipi, qui post passionem Domini projecti sunt de urbe deliciarum suarum, in qua prius lascivierant propter malas adinventiones suas, et specialiter de stirpe David, quia statim ut natus est Dominus, defecit princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus (*Genes.* XLIX), veniente cui repositum erat, et exspectatione gentium apparente. Sed et Ecclesiæ quoque principes qui deliciis affluunt, et inter epulas atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conviviis, et multo labore epulis conquisitis, et ejiciendi propter malas cogitationes et opera sua. Et si vis scire quo ejiciendi sint, Evangelium lege : *In tenebras* scilicet *exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium* (*Mat.* XXII, 13) : An non confusio et ignominia est, Jesum crucifixum, magistrum, pauperem atque esurientem fartis prædicare corporibus, jejuniorumque doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conversationem quoque et abstinentiam amplectamur. Sanctum utique est et Apostolorum ministerium, viduis et pauperibus ministrare (*Actor.* VI, 2). *Non oportet*, inquiunt, *dimisso verbo Dei, ministrare nos mensis.* At nunc non dico pauperes, non dico fratres, et qui rursum invitare non possint (ex quibus, excepta gratia, nihil aliud episcopalis speret manus) sed militantes et accinctos gladio, et judices, excubantibus ante fores suas centurionibus et turmis militum, Christi sacerdos invitat ad prandium. Tota clerici urbe discursant : quærunt exhibere judicibus, quæ illi in prætoriis suis aut invenire non possunt, aut certe inventa non coemunt. Nec vero arbitrandum quod generaliter ad omnes hæc dirigatur invectio; sed quod eos qui tales sunt, pulset sermo propheticus; et comminetur eis supplicia, et tenebras sempiternas : ut qui pudore et verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum.

LXX : *Propinquate montibus æternis.* Æternos montes, vel Angelos intelligere possumus, vel prophetas, de quibus et in psalmo scriptum est : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Ps.* LXXXVI, 1). Et in alio loco : *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi* (*Ibid.* CXX, 1). Appropinquat autem **458** æternis montibus qui non in peccatis suis a beatorum contubernio separatur : quomodo Moyses appropinquabat Deo, non loco, sed merito. Et ad eos qui appropinquabant æternis montibus, ipse Dominus loquebatur. *Deus appropinquans ego : et non Deus de longe* (*Jer.* XXIII, 23). Montes autem æterni, ad distinctionem eorum vocantur qui non sunt æterni, principium scilicet hujus sæculi mon-

[a] Ex Medicæo, Fesulanoque codicibus rescribit Victorius, *adversariarum fortitudinum quæ animas*, etc.

[b] Corrupte legebatur *electi*.

tium tenebrosorum : qui cum erecti fuerint velut cedrus Libani transeuntes cum mundo, locus eorum non poterit inveniri.

LXX : *Surge et ambula, quia non est tibi hic requies.* Jubemur in nullis mundi rebus putare nobis requiem ; sed quasi a mortuis resurgentes, ad sublime tendere, et ambulare post Dominum Deum nostrum, et dicere. *Adhæsit anima mea post te* (*Ps.* LXII, 9). Quod si neglexerimus, et noluerimus audire dicentem : *Exsurge qui dormis, et elevare, et illuminabit te Christus* (*Eph.* v, 14), dormitabimus quidem, sed decipiemur, et non inveniemus requiem quia ubi Christus non illuminat resurgentem, quæ videtur esse requies, tribulatio est.

LXX : *Propter immunditiam consumpti estis corruptione.* Pro eo quod nos diximus, *consumpti estis*, potest juxta Græcam intelligentiam in Latino sonare sermone, *corrupti estis :* ut sit ordo, propter immunditiam corrupti estis corruptione. Hoc autem ad eos dicitur, qui voluptati corporis et libidinis servientes, non solum animam, sed corpus quoque suum corrumpunt, voluptatum amatores magis quam amatores Dei. Poterat quoque dicere, propter immunditiam corrupti estis, et sensus etiam absque corruptione fuisset expletus. Nunc autem quia ait, *corrupti estis corruptione*, ad distinctionem mihi videtur corruptionis salutaris dixisse : juxta quam et Apostolus loquitur : *Et si is qui foris homo noster est, corrumpitur ; sed qui intus est renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16). Qui semper mortificationem Jesu portat in corpore suo, et exteriorem corrumpit hominem, et carnem imperio animæ subjicit, iste corrumpitur quidem, sed non corruptione, quia corruptio illius salutaris est.

*Fugistis, nemine persequente.* Ad eos dicitur, qui propter immunditiam corruptione corrupti sunt, quod conscientia peccatorum etiam absque suppliciis resistere hostibus et dimicare non audeant.

**459** Unde et formidolosi in [a] sanctorum prælio, ne terreant mentes fratrum suorum, ejiciuntur e castris, et ex acie repelluntur (*Deut.* XX), et in maledictis Levitici ad hujuscemodi homines sermo dirigitur : *Persequetur vos folii vox volantis, et fugietis, nullo persequente* (*Levit.* XXVI, 36). Scio me in cujusdam commentariis legisse, exponentis Joannis evangelistæ principium : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, hoc quod dicitur, *nihil*, ad malitiam retulisse : rursumque ipsam malitiam interpretatum esse diabolum, et isto quasi gradu, ipsum quod factum est sine Christo, *nihil* diabolum intellexisse. Si igitur malitia, vel diabolus nihil est, et fugerunt qui corruptione corrupti sunt, nullo, id est, nihil persequente, diabolus eos est persecutus in nihili. Quod si cui videtur nimis coactum, et contra Scripturæ simplicitatem artificio potius eloquii, quam vera interpretatione dissertum, vel priorem, vel quam ipse repererit expositionem sequatur.

(Vers. 11, 12.) *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer. Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem, et erit super* [b] *quem stillatur populus iste. Congregatione* [Al. *Congregans*] *congregabo Jacob, totum te : in unum conducam reliquias Israel pariter* [c].

Et in hoc capite multum Septuaginta interpretes ab Hebraico discrepant. Unde primum juxta id quod nobis ab Hebræis est traditum exponamus, et postea, si Dominus voluerit, de eorum translatione tractabimus. O populе Judaice, ad quos repromissiones, quorum testamenta et lex, et ex quibus Christus secundum carnem (*Rom.* IX), cui, imminentibus Babyloniis, vel Romanis, dixi : Surgite et ite in captivitatem, quoniam non est vobis in terra ista requies, quæ propter immunditiam suam corrumpetur populatione novissima, non me putetis volentem loqui, et prædicare gaudentem, quod venturum video : optarem et ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX, 3). Utinam de meo sensu loquerer, et sanctum Spiritum non haberem ; et inter pseudoprophetas potius computatus, solus perirem, et non essent **460** vera quæ dico : et tanta multitudo crederet in Filium Dei, et non traderetur æternæ captivitati. Verum quia propheta sum, et Dei spiritu loquor, et a divinitate [*Al.* veritate] missus, prædico veritatem : propterea stillabo tibi sermonem meum in meracum vinum quod te inebriet, et corruere faciat. Me autem stillante, et futuræ captivitatis malum canente, populus iste meas suscipiet pluvias, hoc est, vult, non vult, sustinere habet quæ dico. Et ne arbitremini, malorum me esse tantum [*Al.* tantorum] vatem, nunc quidem veniet prædicta captivitas ; sed ecce in [*Al.* ut agnoscatur quia in, *etc.*] me sermo loquitur, qui ad omnes prophetas fit. Quo reticente propheta, non loquitur, et nunc dicit ; Veniam, et humanum corpus assumam, nascar de Virgine. Sive ita : Quia in carnis humilitate veni, et non credistis mihi, veniam in consummatione mundi in majestate mea cum Angelis cæterisque virtutibus, et tunc te totum congregabo, Jacob : tunc in unum conducam reliquias Israel, et cum gentium populo in ovili meo pariter copulabo : tunc te muro firmissimo sepiam, et tanta erit credentium multitudo, et inter caulas positi gregis tumultuatio, ut vincatur numerus pecorum largitate. Ac ne forsitan putes, quia dixi : Ponam illum quasi gregem in ovili, et quasi pecus in medio

[a] Duo Palatini mss., *formidolosi inimicorum prælio terreant mentes*, etc.

[b] Post Victorium ex Vulgata editione, Hebraico, Brixianisque codicibus *quem* pro *quæ* legimus : et paulo post *totum te*, pro quo erat, *totum in te :* nosque hac in re nostri quoque juverunt mss.

[c] Addunt mss. nostri reliquum textum : *ponam illum, quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum : tumultuabuntur a multitudine hominum. Ascendens enim pandit iter ante eos, dividentes, et pertransibunt portam, et egredientur per eam, et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capita eorum.* Et in hoc, etc.

caularum, de ovibus me loqui, intellige quod oves istæ homines sint. Sequitur enim : *Tumultuabuntur a multitudine hominum.* Tumultus, vox plurimorum est, et nimiæ multitudinis clamor pariter emissus : ne æstimemus unius vocem esse : sed omnium communem, laudantium bonum pastorem, qui ardua quæque complanaverit, et suo æquaverit pede, dux itineris eorum ipse sit paradisi janua, et dicat : *Ego sum porta :* quo iter dividente et præcedente, et [a] viæ porta, transibit per eum credulum pecus. Pastor autem iste rex est et Dominus. Unde sequitur. *Et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum.* Quod si voluerimus hæc omnia de primo adventu ejus accipere, et totum Jacob et reliquias Israel **461** ad Apostolos, et eam referre multitudinem, quæ in Actibus apostolorum salvata est ex Judæis, non abhorrebit a veritate expositio tractatoris. Hos enim vere congregavit Dominus in ovile suum, et posuit in medio caularum, et fecit iter ante eos, et induxit eos in Ecclesiam, et fuit rex eorum coram eis, et est Dominus in capite eorum in perpetuum.

LXX : *Spiritus statuit mendacium. Stillavit tibi in vinum et ebrietatem, et erit de stilla populi hujus, congregandus congregabitur Jacob.* [b] Non, ut plerique æstimant, *spiritus stetit mendax;* sed *spiritus statuit mendacium*, legendum est, quod Græce dicitur πνεῦμα ἔστησε ψευδές, hoc est, τὸ ψεῦδος. Quomodo enim in vulneribus putridis, ne cancer serpat et emortuum corpus vivas carnes depascatur, medici statuunt [*Al.* secant] vulnus et urunt cauterio, vel pulvere καυστικῷ : ita spiritus Dei finem posuit mendacio, ne ultra populus Dei pseudoprophetarum vocibus subvertatur. Quod autem spiritus tam in novo quam in veteri Testamento, ubicumque sine additamento ponitur, in bonam partem intelligatur, et sæpe diximus, et nunc ex parte ponemus, ne cui dubium sit. *Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax* (*Galat.* v, 22). Et : *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus* (*Ibid.* vi, 25). Et alibi : *Si autem spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* viii, 13). Et in veteri Testamento : *Dans flatum populo, qui est in ea, et spiritum his, qui calcant eam* (*Isai.* xlii): haud dubium ex præcedentibus quin terram significet. Qui enim calcant terrena opera, et pedibus suis subjiciunt ea, utique non malum, sed bonum spiritum merentur accipere. Econtrario malus spiritus semper cum additamento legitur, ut ibi : *Cum autem spiritus immundus exierit ab homine* (*Matth.* xii, 43). Et in alio loco : *Increpavit spiritum immundum* (*Luc.* ix, 43). Et : *Spiritus malus invasit Saul* (I *Reg.* xvi, 14), et cætera his similia. Spiritus ergo Dei, qui finem mendacio posuit in pseudoprophetis, ipse tibi stillabit in vinum et ebrietatem. Vinum quod lætificat cor hominis (*Ps.* ciii); et ebrietatem qua inebriatus est Noe, et de qua dicitur : *Comedite, amici mei, et inebriamini* (*Cant.* v, 1). **462** Hæc autem omnis lætitia et ebrietas ad comparationem sapientiæ Dei, quæ ut fluvius cœlestem irrigat Jerusalem, stilla est, et gutta permodica. Nec dubitabunt sapientiæ Dei stillam in hominibus dicere, qui lapidem abscissum de monte sine manibus legerint (*Dan.* ii), et fatuum Dei sapientius hominibus, et Apostolos quoque ipsos ex parte cognovisse, et ex parte prophetasse (I *Cor.* xiii, 9). De hac igitur sapientia, id est, de stilla Judaici populi (non enim venit nisi ad oves perditas domus Israel) congregatus est Jacob : omnis qui supplantat Esau, et eripit primitiva ejus ac benedictionem, et antequam nascatur adhuc in utero positus, plantam pilosi fratris invadit.

LXX : *Cum omnibus suscipiens suscipiam reliquias de Israel.* Cum inquit crediderit gentium populus, et omnis orbis ad meam fuerit fidem adductus, et intraverit gentium plenitudo, tunc etiam reliquiæ Israel salvabuntur, non illæ reliquiæ, de quibus est scriptum in Regnorum libro : *Dereliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua Baal* (III *Reg.* xix, 18). Et de quibus Paulus : *Ergo et in isto tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* xi, 15); de quibus supra hic propheta testatur : *Et erit de stilla populi hujus, congregandus congregabitur Jacob.* Sed illæ reliquiæ, quæ postquam omnes suscepti [*Al.* susceptæ] fuerint, in fine suscipientur a Deo. Et de quibus nunc dicitur : *Cum omnibus suscipiens suscipiam reliquias Israel*, ut juxta id quod [c] scriptum est : Concludens Deus omnes sub peccato, omnibus misereatur (*Rom.* xi, 32).

LXX : *Ponam aversionem eorum sicut oves in tribulatione.* Reliquias de Israel quas postquam omnes suscepero, suscepturus sum : nunc interim quia aversi sunt a me, ponam in tribulatione, et coangustabo, et faciam sedere, sine sacerdote, sine altari, et sine propheta : ut quem per beneficia non senserunt, intelligant per supplicia.

LXX : *Quasi gregem in medio cubilis eorum :* [d] subauditur, *ponam.* Non solum, inquit, aversio eorum, qua a me aversi sunt, ponetur quasi grex in tribulatione; sed postquam tribulati fuerint, **463** et angustiæ tempus expleverint, ponentur in requie, hoc est, in cubili suo. Et tunc [*Al.* nunc] de hominibus commigrabunt et transcendent humanæ conditionis statum, et implebunt quod sequitur : *Exsilient ex hominibus.* Non solum autem illi exsilient et abibunt; sed omnes ad quos fit Dei sermo, et qui humana vitia relinquentes, conversationem divinitatis imitantur, et audiunt : *Ego dixi, dii estis, et filii ex-*

[a] Iterum Victorius, *via et porta*, ex eo quod infra : *Ipse enim Dominus et rex et pastor et via est et porta.*

[b] Quæ subsequentis capituli sectione altera proponuntur verba, *Cum omnibus suscipiens suscipiam reliquias de Israel*, hic frustra et contra mss. fidem in editis subjungebantur.

[c] Antea erat, *supra diximus*, dissentientibus mss. ipsaque rei veritate.

[d] Hic quoque verba sacri textus, *exsilient ex hominibus*, quæ seriem Hieronymianæ expositionis impediebant, atque inferius suo loco proponuntur, ad mss. fidem induximus.

*celsi omnes*, exsilient ex hominibus, et quasi ferentur [*Al.* feruntur] ad cœlum.

LXX : *Ascende per divisionem.* Præsens locus quasi proprium habet exordium et apostrophen eloquii prophetalis, ad eum qui salvari cupit, cui imperatur ut ascendat per divisionem. Quod quidem manifestius fiet, si de Genesi sumpserimus exemplum, ubi nascuntur gemini de Thamar, cum qua Judas patriarcha concubuit : *Factum est*, inquit, *cum pareret, et haberet geminos in utero : in ipso partu unus protulit manus, et tulit obstetrix et ligavit in manu ejus coccinum, dicens : Hic egredietur prior. Cum autem contraxisset manum, statim egressus est frater ejus, et illa ait : Quare divisa est propter te maceria? et vocavit nomen ejus Phares*, quod interpretatur *divisio. Et post hæc egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum, et vocavit nomen ejus Zara*, qui in lingua nostra dicitur *semen*, vel *oriens* (*Gen.* XXXVIII, 27, *seqq.*). Ostendit ergo senior populus, in quo erat ortus et semen antequam de gentibus Ecclesia nasceretur, manum suam in operibus, et postea contraxit eam audiens per Isaiam : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isai.* I, 15). Cumque ille contraxisset [*Al.* contraxit] manum, et a justitiæ cessaret operibus, frater ejus egressus est gentium populus. Et propter ipsum divisa est sepes, et destruxit Dominus atque Salvator, ut ille posset incedere, parietem, qui erat in medio, et maceriam duos populos separantem : et fecit unum gregem, et duos creavit in semetipso in uno novo homine faciens pacem. Unde et obstetrix prophetice loquens dicit ad Phares populum juniorem : *Ut quid divisa est propter te maceria?* Si intellexistis exemplum de Genesi, ascende qui salvari cupis, nequaquam per veterem populum qui manum contractam habet, sed per novum, in quo via Christus est, in quo porta Jesus, per quem ad Patrem incedimus, ipse enim solvit **464** medium parietem et maceriam, id est, obscuritatem veterum prophetarum, et omnia antiquæ Legis aperuit sacramenta, et dissipata incedendi difficultate, viam oculis omnium revelavit : ut qui vult pergere, nullo irretiatur [*Al.* impediatur] obice, nec obscuritatis caligine terreatur.

LXX : *Ante faciem eorum diviserunt et transierunt portam, et egressi sunt per eam. Exivit rex eorum ante faciem eorum : Dominus autem princeps eorum* [Al. *erit*]. Propterea dixi tibi : *Ascende per divisionem*, qui surrexisti cum Christo, et ea quæris quæ sursum sunt : quia Angeli, sive Pater et Filius, et Spiritus sanctus diviserunt quod videbatur obstare, et fecerunt viam volentibus ingredi, et quia aperto itinere invaserunt iter, non solum ingressi sunt portam, sed et transierunt per eam. Ingressi sunt autem, quia et rex eorum eamdem ingressus est portam, et aperuit eis iter, ut absque ulla difficultate graderentur. Ipse enim Dominus, et rex et pastor, et via est et porta, dicitque : *Ego sum porta : per me qui fuerit ingressus, salvabitur : ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* (*Joan.* X, 9). De qua porta et alibi prophetatur : *Hæc est porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Ps.* CXXVII, 20). Quicumque autem ingressus fuerit, non debet in eo statu in quo intraverat, permanere ; sed egrediatur ad pascua, ut in intrando exordium sit, in exeundo et in pascua reperiendo, virtutum perfectio. Qui ingreditur, adhuc in sæculo est, et ex creaturis intelligit [*Al.* intelliget] Creatorem. Qui autem egreditur, transcendit universam creaturam, et omnibus quæ videri possunt pro nihilo computatis, inveniet pascua super cœlos, et sermone Dei vescetur, et dicet : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* (*Ps.* XXI, 1). Hoc ideo, ut intelligeremus Evangelicum testimonium : *Ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* ; et quod nunc dicitur per Prophetam : *Et transierunt portam, et egressi sunt per eam :* qui tamen transitus et egressio absque Christo rege nostro tribui non potest, qui rex et Dominus est. Statim quippe connectitur : *Dominus autem princeps erit.*

(Cap. III.—Vers. 1 seqq.) *Et dixi : Audite, principes Jacob, et duces domus Israel. Numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem* [Vulg. *carnes*] *eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt* **465** *carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et concideruntsicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.* Manifeste adversum principes Israel sermo est, et sub metaphora leonum sive latronum crudelitas eorum describitur : quod spoliaverint pauperes, et interfecerint eos, et carnes eorum ossaque contriverint, et quasi in medio ollæ, sic in urbe Jerusalem miserabilem plebem affixerint, et propter hæc inferatur eis postea supplicium in die captivitatis, vel a Nabuchodonosor, vel a Vespasiano et Tito. Et clament ad Dominum, et non exaudiat eos, et abscondat faciem suam ab eis, quia nequiter egerint in sceleribus suis.

LXX : *Et dicet : Audite hæc, principes domus Jacob, et reliqui domus Israel.* Cum superioribus hæret sententia. Supra enim dixerat : *Dominus autem princeps erit, et dicet : Audite, principes domus Jacob, et reliqui domus Israel.* Pro *reliquis domus Israel*, exceptis Septuaginta, omnes, *duces domus Israel*, transtulerunt. Dominus ergo qui viam fecit populo suo, et egressus est ante faciem eorum, et ipse est princeps itineris simplicioris populi, quem gregem vocat : his qui [a] noluntse prævium sequi, sed superbiunt, et quasi judices populi vestigia illius non sequuntur, comminatur et dicit : *Audite, principes domus Jacob, et duces domus Israel.* Quid est autem quod eos cogit audire? *Non vestrum est*, inquit, *scire judicium, qui odio habetis bonum, et quæritis mala :* id est, non meremini Dei

[a] Falso et contrario sensu Martian., *his qui volunt.*

scire judicium quod est abyssus multa: et profundum justitiæ ejus mens prava non invenit. Aut quomodo potestis scire judicium Dei, qui odistis bonum, et quæritis malum, qui detestamini sanctos paupere res, et honoratis divites peccatores. Simulque consideremus verborum significantiam: bona non amare, peccati est: quanti sceleris etiam odisse? et econtrario, si mala non fugere, vitii est: quantæ impietatis est etiam diligenter inquirere? Post hæc describitur sævitia judicum, et in subjectos crudelitas.

**466** LXX: *Diripientes pelles eorum ab eis, et carnes eorum ab ossibus eorum. Sicut devoraverunt carnes populi mei, et pelles ab eis excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut carnes in lebete, et sicut carnes in olla: sic clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et avertet faciem suam ab eis in tempore illo, eo quod pessime egerunt in adinventionibus suis.* Non sufficerat spoliasse subjectum gregem; sed corpora quoque eorum affixerunt duro imperio, et ossa eorum contriverunt, ut quidquid in eis forte fuerat, frangerent atque conterrerent. Quomodo ergo illi spoliaverunt populum meum, et nudaverunt omni pulchritudine et decore cutis, et carnes et ossa miserunt in ollam ferventem, quam rex accendit Assyrius, tradentes gregem meum diabolo, et angelis ejus: sic et ipsi cum venerit dies ultionis, clamabunt ad Dominum, et non exaudientur, quia nec ipsi rogantes audierunt: et extendent manus suas ad Dominum, et Deus avertet faciem suam ab eis, quia et illi averterunt a precantibus vultum. Et hæc universa patientur, quia pessime egerunt in studiis et voluptatibus suis: et non reges fuere, sed tyranni: nec præpositi, sed leones: neque magistri discipulorum, sed lupi ovium, et satiaverunt se carnibus, et incrassati sunt, et sicut pinguissima hostia interfectionis, [a] et suppliciis Domini præparati. Hucusque contra principes malos: sequens vero sermo adversus pseudoprophetas est et doctores pessimos, qui populum Dei adulatione supplantant, pollicentes scientiam Scripturarum.

(Vers. 5 seq.) *Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem: et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium: propterea nox vobis pro visione* [Al. *divisione*] *erit, et tenebræ vobis pro divinatione, et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies, et confundentur qui vident visiones: et confundentur divini, et operient vultus suos omnes, quia non est responsum Dei. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute* [Al. *veritate*], *ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum.* LXX: *Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum* **467** *meum, et mordent dentibus suis, et prædicant super eum pacem, et non est data in ore eorum, sanctificaverunt super eum prælium: propterea nox vobis pro visione* [Al. *indivisione*], *et tenebræ erunt vobis ex divinatione, et occumbet sol super prophetas, et contenebrescet super eos dies, et confundentur qui vident somnia, et irridebuntur harioli, et loquentur adversum eos omnes isti, quia non est qui exaudiat eos, nisi ego implevero fortitudinem in spiritum Domini, et judicium et potentiam, ut annuntiem Jacob impietates ejus, et Israel peccata sua.* Legimus fuisse pseudoprophetas in Israel, qui propter dona pacem, quæ eis data non erat, prædicabant, et si quis munera non dedisset, quamvis sanctus esset, iram Dei nuntiarent illi esse venturam. Unde nunc dicitur ad eos quod loquantur mendacia, et sermo eorum non prophetia, sed divinatio sit falsa: neque habeant lumen, sed tenebras et errorem. Cumque in contrarium versa fuerint quæ promiserant, tunc operientur confusione, quia non erat, inquit, responsum Dei.

Jam [*Al.* nam] nec dæmones accipient potestatem, ut eos sua fraude decipiant. Muta erunt oracula, tacebit immundus spiritus, et illudere non audebit. Hoc de pseudoprophetis. Rursum oratio de seipso prophetæ loquentis inducitur, illis falsa vaticinantibus, et opertis confusione et ignominia, ego quæ loquor, a sancto Spiritu institutus loquor, et loquor judicium Domini et virtutem [*Al.* veritatem]. Cumque pseudoprophetæ mordeant dentibus, et prædicent pacem, ego absque ulla formidine annuntio Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum; quia pro Deo, vel idola venerati sunt, vel Dei Filium crucifixerunt. Si autem juxta Septuaginta quod dicitur, de hæreticis voluerimus accipere, qui vere pseudoprophetæ sunt, et dicunt, hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos, non errabimus. Illi enim populum quondam Dei errore decipiunt, et hoc faciunt, ut comedant eos, vel simpliciter in accipiendis muneribus, vel mystice in occisione animarum eorum, et promittunt eis pacem et regna cœlestia, et dicunt, non necesse est ut vivas continenter et sancte, habeto fidem quam docemus, et omnia promissa Domini consequeris: **468** quæ loquentes, magis adversum eos iram Domini concitant, et prælium in illos sanctificant. Quamobrem, o hæretici, qui putatis habere vos prophetiam, et imitamini Ecclesiam Dei, ubi æstimatis esse visionem, ibi nox erit; et ubi jactatis vaticinium prophetale, ibi spiritus loquetur immundus. Occidet enim sol justitiæ super hujuscemodi prophetas, et videbunt tenebras suas et confundentur. Cumque divini magis quam Prophetæ fuerint comprobati, ridebuntur super somniis suis, et populi qui ab eis prius decepti fuerant, contra eos loquentur. Tunc etiam ipsi magistri pœnitentiam agent, et nemo eos exaudiet, nisi ego quem offenderant. Et quia clemens sum, et nolo mortem peccatoris (*Ezech.* xviii), sed cupio ut revertatur et vivat, cum exaudiero eos, dabo eis virtutem spiritus mei, et implebo eos judicio meo et

[a] Constabit, inquit Victorius, ex ipsa lectione, *sunt* legendum pro *et*: sed mss. non suffragantur.

fortitudine, ut qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vera annuntiando deterreant, et ad rectam revocent viam, et qui causa erroris fuerant, incipiant mederi vulneribus quæ intulerant, et esse occasio sanitatis. Animadverte in præsenti loco, posse aliquem docere post peccatum, si tamen vitia pristina digna pœnitentia eluerit. Unde et David post adulterium et homicidium loquitur in psalmo: *Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Nec sua tantum puritate contentus est, sed infert: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Cumque hoc feceris. *Docebo*, ait, *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*Psal.* x).

(Vers. 9 seq.) *Audite hæc, principes domus Jacob, et* [a] *judices domus Israel: qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala: propter hoc causa vestri Sion ut ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.* LXX: *Audite hæc, duces* [Al. *judices*] *domus Jacob et reliqui domus Israel, qui abominamini* **469** *judicium, et omnia recta pervertitis: qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitatibus. Duces ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede respondebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes: Nonne Dominus in nobis est? non venient super nos mala. Idcirco propter vos Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem ut custodia pomarii erit, et mons Domini in lucum saltus.* Nemo ambigit, Jerusalem propter scelera quæ in hoc capitulo describuntur, fuisse subversam, et quia supra vel ad judices, vel ad pseudoprophetas præcesserat comminatio: *Audite, principes domus Jacob, et duces domus Israel.* Et post paucos versiculos: *Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum*, et reliqua: nunc generaliter et adversum judices, et adversum pseudoprophetas, et contra sacerdotes, et contra eos, qui sibi Dei pollicebantur notitiam, prophetalis sermo texitur, et arguit eos quod propter scelera eorum Sion quasi ager aranda sit, et Jerusalem velut acervus lapidum corruitura, et mons templi futurus in excelsa silvarum. Videmus completa quæ dicta sunt: oris eloquium oculi probant: prophetiæ testis aspectus est. Hoc ipsum testimonium et in Jeremiæ volumine scribitur (*Jerem.* xxvi), ubi et Michææ prophetæ fit mentio, et Jerusalem vastitas prædicatur. Judices et principes domus Jacob, et domus Israel, id est, et duarum et decem tribuum, non solum judicium non faciebant; sed abominabantur illud, et omnia recta pervertebant, ne saltem parva justitia remaneret in civitate. Qui ædificaverunt Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, rapinis pauperum, cæde insontium, occisione sanctorum. Quod si quis de principibus videbatur judicare quod erat rectum, vendebat magis sententiam, et in muneribus judicabat. Sacerdotes quoque non docebant populum, nisi accepto pretio; et cum dicatur ad sanctos: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matt.* x, 8), illi Dei responsum, accepta pecunia proferentes, gratiam Domini avara mercede vendebant. Et post hæc mala non intelligentes peccatum suum, quasi sceleribus redimerent charitatem Dei, judices ac sacerdotes et prophetas **470** Dei esse se memorabant, et secundum impœnitens cor suum dicebant: *Dominus in medio nostrum est, et non venient super nos mala.* Quia igitur non egerunt pœnitentiam, et omnis populus secutus est principum et sacerdotum prophetarumque vitia, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem sicut acervus lapidum erit, et templum quod prius auro argentoque fulgebat, in ruinas ultimas collabetur. Hæc contra populum Judæorum, cujus vera captivitas et extremæ ruinæ, et propter superiora quidem scelera, sed maxime propter effusionem Dominici sanguinis irrogata sunt. Unde et Sion quasi ager arata est, et Jerusalem in tumulos versa saxorum, et templum illud quondam nobile atque sublime, in extremos cineres comminutum est. Si quis autem hæc quæ de Jerusalem dicuntur, et de Sion ad Ecclesiam transferat (ipsa est enim domus Jacob, et domus Israel, secundum illud quod in Isaia scribitur: *Jacob puer meus, suscipiam eum* (*Isai.* xli, 8). Et illud ad Timotheum: *Ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia* (1 *Tim.* iii, 15) iste liquido pervidebit, quod principes domus Jacob, et reliqui de domo Israel (sive, ut melius in Hebræo scriptum est) *Judices domus Israel*, non sint alii nisi episcopi, presbyteri et diaconi, qui nisi omni custodia servaverint cor suum, abominantur judicium et universa recta pervertunt: quando enim juxta personam judicant, et in disceptatione negotii non valet causæ meritum, sed reorum potentia, nonne abominantur judicium, et omnia recta pervertunt? Potest autem et aliter accipi, quod principes domus Jacob, et judices domus Israel abominentur detestenturque judicium, Dei judicis sententiam declinantes, et omnem regulam Scripturarum malis interpretationibus depravantes, isti ædificant Sion in sanguinibus: et Jerusalem in iniquitate. Cum enim Scriptura jubeat: *Ne* [b] *inducas impium in tabernaculum justorum* (*Psal.* v), et virum sanguinum et dolosum abominetur Dominus: hi quoscumque de assectis suis ordinant clericos, et vitam eorum in

[a] Idem, Legendum, inquit, esset *duces*, ut in principio capituli: eadem enim utrobique vox est קצעי. Verum quia Vulgata editio legit, *judices*, et ita etiam Hieronymus interpretatur, ad sensum magis quam ad verbum respiciens, monere lectorem, non autem lectionem mutare placuit.

[b] Notatum Victorio haberi testimonium Prov. xxiv secundum Septuaginta, *μὴ προσάγαγε ἀσεβῆ νομῇ δικαίων*. Quo in loco non habemus: *Ne quæras impietatem in domo justi.*

scandalum populis exponentes, rei sunt infidelitatis eorum qui scandalizantur (*Matt.* XVIII). Unde dicitur expedire homini, **471** ut mola asinaria ligetur in collo ejus, et præcipitetur in profundum, quam ut scandalizet unum de minimis Ecclesiæ. Cumque sacerdotes Malachias propheta angelos vocet (*Malac.* II), et os eorum oraculum Domini sit (*Deut.* XIX, 19), sine munerum acceptione non judicant, legentes : *Munera excæcant oculos etiam sapientium, et quasi frenum in ore avertunt* [a] *increpationem* (*Eccles.* XX) ; et cum dicatur ad apostolos : *Nolite possidere aurum, et argentum, neque æs in zonis vestris sit* (*Matt.* X, 9) : et excutiatur de sancti viri manibus etiam labore parta pecunia, voces Domini venditant, et de columbis mercantur in templo. Sed et prophetæ Jerusalem in pecunia divinabant, nescientes aliud esse prophetiam, aliud divinationem : numquam enim divinatio in Scripturis in bonam partem accipitur. *Non* [b] *erit*, ait, *augurium in Jacob, neque divinatio in Israel* (*Num.* XXIII, 23). Videbantur sibi quidem esse prophetæ, sed quia pecuniam accipiebant, prophetia ipsorum facta est divinatio. Petrus apostolus : *Argentum*, inquit, *et aurum non habeo* (*Act.* III, 6) : poterat utique Simoni mago vendere, quod petebat ; immo poterat simulare vendentem (Spiritus enim sanctus nec venundari, nec emi potest), sed oblatam pecuniam cum offerente damnavit (*Ibid.* VIII). Nunc videas, prophetas Jerusalem non habere in ore prophetiam ; et in Domino requiescere, et dicere : *Non venient super nos mala :* quorum causa speculatorium Dei hostili aratro dividitur ; et locus quondam pacis, ruinis plenus fit, et templum Domini in vepres spinasque convertitur, et est habitaculum bestiarum. Nec quemquam moveat illud quod in primo Regum libro legimus, Saul volentem ire ad Samuelem dixisse puero suo, ad eum se ire non posse, quia pretium quod offerret pro vaticinio, non haberet, et puerum respondisse : *Ecce inventa est in manu mea quarta pars sicli pecuniæ, et dabo viro Dei, et annuntiabit nobis viam nostram* (I *Reg.* IX) : non enim scriptum est, quod Samuel acceperit, aut quod illi obtulerint : quin potius a propheta pascuntur, et invitantur ad prandium. Sed fac eum accepisse, stipes magis æstimandæ sunt tabernaculi, quam munera prophetiæ. Siclus enim viginti obolos habet, et quarta pars sicli quinque **472** oboli sunt. Et nostri igitur sacerdotes, si volunt vendere prophetiam, et columbas [c] in cathedris suis proponere, quas Dominus flagello subvertit (*Joan.* II), quinque obolos accipiant, non pretia villarum. Hoc ipsum sonat et in tertio Regnorum libro, quod uxor Jeroboam, infirmante filio, pergit ad Achiam hominem Dei, defert ei panes et uvas passas, et vasculum mellis (III *Reg.* XIV). Dicitur enim quid secum illa portaverit, et tamen propheta non scribitur accepisse : quippe cum et corripuerit eam, et venturum luctum prædixerit : licet potuerint hi qui ad hariolos ire consueverant (quia multi divini et harioli erant in Israel) mala consuetudine æstimasse idipsum etiam de prophetis, et voluisse sanctis viris offerre, quod divinis offerre consueverant, et tantummodo Scripturam narrasse quid illi voluerint, nec tamen intulisse quod ipsi aut offerre ausi fuerint, aut prophetæ acceperint. Apostolus Paulus : *Qui altari*, inquit, *serviunt, et de altari participant, et vivunt* (I *Cor.* IX, 13). Permittitur tibi, o sacerdos, ut vivas de altari, non ut luxurieris. Bovi trituranti os non claudituir (*Ibid.*, 9). Scimus ista, et tamen licentia hac Apostolus non abutitur : et habens victum vestimentumque, contentus est : nocte et die laborat manibus suis, ne cui gravis sit. Et jurat in Epistolis, se sancte, et sine avaritia in Christi Evangelio conversatum, et non solum de se, sed de discipulis quoque suis hoc ipsum asserit : quod nullum miserit, qui ab Ecclesiis aut posceret [*Al.* possit] aliquid, aut vellet accipere (I *Thess.* III). Si autem gratulatur in quibusdam Epistolis, et mittentium munera benevolentiam Dei appellat, non tam sibi congregat quam pauperibus sanctorum, qui erant in Jerusalem. Sancti autem pauperes, hi erant in Jerusalem, qui primum in Christo crediderant de Judæis, et projecti a parentibus et cognatis, atque affinibus suis, tam possessiones, quam universam supellectilem sacerdotibus templi, ac populo vastantes, perdiderant. Si tales pauperes sunt, accipiant. Si autem sub occasione pauperum paucæ ditantur domus, et in vitro ac vase fictili aurum comedimus, aut cum thesauris mutemus et vestes, aut pauper habitus non quærat divitias senatorum. **473** Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores linteolum non habere. Quid juvat esse μονοχίτωνας, et præferre habitu paupertatem, cum marsupium nostrum universa pauperum turba suspiret ? Propter hoc, causa nostri, qui tales sumus, qui Sion ædificamus in sanguine, et Jerusalem in iniquitate, qui judicamus in muneribus, qui mercedibus respondemus, qui in pecunia divinamus, et super hoc fictam nobis sanctimoniam vindicantes dicimus : *Non venient super nos mala.* Audiamus sententiam Domini quæ sequatur : Sion et Jerusalem, et mons templi, speculatorium, et visio pacis, et templum Christi in consummatione, et in fine, quando refrixerit charitas, et rara fides fuerit, quasi ager arabitur, et redigetur in tumulos, et erit in excelsa silvarum sive in custodiam pomorum : ut ubi amplæ quondam domus erant, et absque numero

[a] Maluit Victor. *increpationes*, ex Græco ἐλεγμούς.
[b] Iterum *est*, pro *erit*, substituit Victorius.
[c] Editi legunt, *utinam non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent.* Ms. Cluniacensis optimæ notæ sic habet : *Et columbas in cathedris suis proponere quas Dominus subvertit, flagellatque petentes, accipiant quinque obolos, non pretia villarum.* MART. — Duo Palatin. mss. *in cathedris suis ponere, quas Dominus subvertit, flagelloque penitus* (leg. *flagellat*) *accipiant quinque obolos, non pretia villarum.* Victor., *utinam non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent.*

acervi frugum, ibi vix parva sit casula servans speciem ciborum, refectionem animæ non habentium.

(Cap. IV.—Vers. 1 seq.) *Et erit in novissimo dierum* [Vulg. addit *erit*] *mons domus Domini, præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus, quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem, et judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longinquum : et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones, non sumet gens adversum gentem gladium : et non discent ultra belligerare, et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui exterreat; quia os Domini exercituum locutum est; quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui : nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. In illa die, dicit Dominus, congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram, colligam, et quam afflixeram : et ponam claudicantem* [a] *in reliquias, et eam quæ laboraverat in gentem robustam, et regnavit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.* LXX : *Et erit in novissimis dierum manifestus mons Domini præparatus super verticem* **474** *montium : et elevabitur super colles, et festinabunt ad eum populi, et ibunt gentes multæ et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et ostendet nobis viam suam, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exiet lex, et verbum Domini de Jerusalem, et judicabit inter populos multos, et arguet gentes fortes usque in longinquum, et concident gladios suos in aratra, et hastas suas in falces : et ultra non tollet gens contra gentem gladium, et nequaquam discent belligerare, et requiescet unusquisque sub vite sua, et unusquisque sub ficu sua, et non erit qui exterreat, quia os Domini omnipotentis locutum est hæc, quia omnes populi ibunt unusquisque viam suam. Nos autem ibimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. In illa die, dicit Dominus, congregabo eam quæ contrita est, et quæ ejecta fuerat, suscipiam, et quos repuleram : et ponam contritam in reliquias, et repulsam in gentem fortem, et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Quia principes Judæorum abominati sunt judicium, et omnia recta perverterant, et ædificaverant Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate : et non solum hæc fecerant, verum in muneribus quoque judicaverant, et sacerdotes Jerusalem in mercede responderant, et prophetæ ejus in pecunia divinaverant, et propter eos, Sion quasi ager aratus erat, et Jerusalem in tumulos lapidum corruerat, et mons templi Dei, desolatus in excelsa silvarum, idcirco nunc, derelicta domo eorum atque deserta, quando Filius Dei egrediens de templo ait : *Surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 31) : Et : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* XIII, 15). Angeli quoque, Josepho referente, dixerunt : [b] *Transeamus ex sedibus*, pro monte Sion mons Domini inelevatus est, de quo ad principem Tyri dicitur. *Et vulneratus es in monte Domini* (*Ezech.* XXVIII). Iste autem mons Domini in novissimo dierum ostensus est, quando appropinquavit regnum cœlorum. Siquidem in consummatione sæculorum in [c] reprobationem peccatorum, per hostiam suam Salvator noster apparuit, et undecima hora ad conducendos operarios venit. Et completa illius passione, Joannes loquitur : *Novissima hora est* (1 *Joan.* III, 18) : in sex millibus enim annis, **475** si quingenti anni per horas diei singulas dividantur, novissima hora [d] consequenter dicetur tempus fidei gentium. *Et manifestus*, inquit, *erit mons Domini præparatus super vertices montium.* Manifestus erit, qui ante fuerat occultus, et præparatus non solum in montibus, sed super vertices montium, Moysen et Prophetas, qui de eo vaticinati sunt. Licet enim omnia sancta conscripserint ; tamen ad comparationem prophetiæ, in qua Salvatoris adventum prophetaverunt, humilia sunt cætera, et nequaquam usque ad verticem montium pertingentia. *Et exaltabitur*, inquit, *super colles* (*Philipp.* II, 8, 9). Homo quidem apparuit, et formam servi accepit : humiliavit se usque ad mortem, mortem autem crucis ; sed exaltavit eum Pater, et dedit ei nomen quod est super omne nomen, et ad conversationem illius universa vita hominum comparata, campi dicuntur et valles. Ad hunc ergo montem qui præparatus est super vertices montium, et exaltatus super colles, *festinabunt*, sive, ut in Hebræo habetur, *fluent omnes populi*, id est, in morem fluviorum turbæ

[a] Unus Palatin., *claudicantem, et eam quam afflixeram, quæ laboraverat in gentem*, etc.

[b] Recole quæ ad Epist. 18, ad Damasum, num. 9, in fine, de hoc Josephi testimonio diximus not. [b].

[c] Mss. Palatini, *in remissione peccati.*

[d] Multorum fuit opinio tantum sex millium annorum circulo sæculum hoc circumscribi, quo evoluto, finem mundi adventuram, juxta numerum dierum quo Deus hunc condidit mundum. Hoc sentire videtur Paulus in Epistola ad Hebræos, cap. 4, id vero docet Barnabas in Epistola eidem ascripta pag. 54, edit. Græco-Latin. Iren. Libro 5, adversus Hæreses, cap. 28 et 29. Origen. lib. II, cont. Celsum. S. Hilarius in cap. 20. Matth. et S. Hieronym. Epist. ad Cyprianum. Consulat curiosus lector notas et observationes eruditi Hugonis Menardi in Epistolam S. Barnabæ pag. 196, et seqq. et si voluerit volumina duo nostra Gallico idiomate scripta in defensionem veritat. Hebraicæ. MART. —Minime ad rem sunt, quæ hic annotat Martian. de Veterum opinatione illa, sex millium annorum circulo sæculum hoc circumscribi. Maxime vero huc referendum econtrario est, quod S. Hilarius in Matthæum docet, Primam horam ad Noe, Tertiam ad Abraham, Sextam ad Moysen, Nonam referri ad David et Prophetas : *In undecima autem hora corporei adventus Domini tempus ostendi. Nam ex omni numero, qui spatio est præsentis sæculi constitutus, in eam rationem convenit ortus ejus ex Maria, in quam undecimæ horæ tempus ex die est. Divisione enim per quingentenum numerum facta, in omni sex millium annorum summa tempus corporei ortus ejus, undecimo divisionis totius calculo supputatur.*

innumerabiles congregabuntur. Festinabunt autem populi (*Act.* II), quando in eum pariter crediderint Parthi et Medi, et Elamitæ, et habitantes Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphiliam, Ægyptum et partes Libyæ, quæ est juxta Cyrenem, et advenæ Romani, Judæi et proselyti, Cretes et Arabes. Nonne vobis festinasse videntur ad montem, quibus dictum est : *Sequimini me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19, 20), et protinus secuti sunt Salvatorem? Rursumque de Jacobo et Joanne Scriptura refert, quod relicta navi et patre et fluctibus sæculi, festinaverint ad montem. Et Matthæus publicanus audiens: *Sequere me* (*Matth.* IX), statim cucurrerit. Sed et illud in Evangelio, quando secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli et Jerosolymis, et Judæa et trans Jordanem, **476** et curavit eas, festinantes populos probat. Populis autem festinantibus, gentes quoque plurimæ ibunt ad montem : totus scilicet orbis in eum credens, et dicent [a] ad vexillum se patibuli mutuo provocantes : *Venite, ascendamus in montem Domini.* Ascensione opus est, ut quis ad Christum valeat pervenire, et ad domum Dei Jacob, Ecclesiam, quæ est domus Dei, columna et firmamentum veritatis. Porro quod Jacob Salvatorem significet, et supra diximus : *Jacob puer meus, suscipiam eum* (*Isai.* II, 3). Sed et hoc dicent ad eos quibus locuti fuerant: *Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob*; et addent : Ut ostendant nobis viam suam, quam vel in Angelis intellige Ecclesiis præsidentibus, vel in Scripturis sanctis, quæ viam Domini præostendunt, et eum qui dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV). Et ambulemus in semitis ejus, in Apostolis scilicet, per quos in Christum credidimus. De Sion enim lex egressa est spiritualis, et ad gentes Dei sermo [b] transivit de Jerusalem, qui judicabit inter populos multos (*Joan.* V, 22): Pater enim omne judicium dedit Filio. Et corripiet gentes [c] multas usque in longinquum (*Ps.* XCIII, 11): Dominus enim apprehendit sapientes in astutia eorum, et cognovit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Dijudicat autem inter populos qui salute digni sint, et qui indigni, et in ejus adventu omne bellandi studium conferetur ad pacem (*Isai.* II, 4). In aratra gladii mutabuntur, hastæ cudentur in falces, gens bellare desinet contra gentem. Nemo pugnare discet, pugnandi necessitate deposita. Tantaque erit requies, ut non solum in urbibus, sed in viculis quoque et agris sit unusquisque securus : et hoc fiet, quia os Domini locutum est. Ac primum quidem juxta litteram, antequam nasceretur nobis puer, cujus principatus in humero ejus, totus orbis plenus erat sanguine, populi contra populos, reges contra reges, gentes dimicabant adversum gentes. Denique etiam ipsa Romana **477** Respublica bellis lacerabatur civilibus, Cinna et Octavio et Carbone pugnantibus : Sylla et Mario, Antonio et Catilina, Cæsare et Cneo Pompeio, Augusto et Bruto, et eodem Augusto et Antonio : in quorum præliis universa sanguinem regna fuderunt. Postquam autem ad imperium Christi, singulare imperium Roma sortita est; Apostolorum itineri pervius factus est orbis, et apertæ sunt eis portæ urbium, et ad prædicationem unius Dei singulare imperium constitutum est. Potest quoque hoc quod dicitur : *Concident gladios suos in aratra, et hastas suas in falces* (*Joel.* III, 10), et tropologice accipi : ut dicamus ad fidem Christi, iram et effrenata convicia esse deposita, ut mittat unusquisque manum super aratrum, et non respiciat post tergum, et contumeliarum jacula hastasque confringens, fructus metere cupiat spirituales, ut laborantibus aliis, nos intremus in labores eorum, et dicatur de nobis : *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos* (*Ps.* CXXV, 8). Nunc nemo pugnat adversus alium, quia legimus : *Beati pacifici* (*Matt.* V, 9). Nemo discit contendere in subversionem audientium, sed ponit silentium ori suo, et tacet; quia tempus malum est (*Ps.* CIII). Et requiescet unusquisque sub vite sua, ut premat vinum, quod exhilarat cor hominis, sub vite illa, cujus agricola Pater est (*Joan.* XV), et sub ficu sua dulcia Spiritus sancti poma decerpens charitatem, gaudium, pacem, et reliqua. Hæc autem omnia accident, secundum utramque expositionem, quia Domini verba sunt vera, et ejus dixisse, fecisse est. Omnes populi ibunt, unusquisque in via sua : nos vero ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in sæculum et ultra. Cunctis, inquiunt, nationibus euntibus juxta errorem suum, nos ad montem Domini festinavimus, et diximus : *Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob* (*Isai.* II, 3), et ambulabimus in nomine Christi Domini nostri, quia ipse est mons qui Deus est. In die illa in qua lucebit sol justitiæ, congregabitur illa quæ fuerat ante contrita, et quæ expulsa erat, suscipietur, et ad hoc congregabitur contrita, ut ponatur in reliquias, et derelicta in gentem fortem. *Nisi* enim *Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et quasi Gomorrha similes fuissemus* (*Rom.* IX, 29). Sed juxta **478** Hebraicum pulchre : *Congregabo*, inquit, *claudicantem, et* [Al. *id est*] *eam quæ male ambulaverat* et ad quam Elias dixerat : *Usquequo claudicatis* (III *Reg.* XVIII)? cujus pes scandalizatos fuerat abscissus (*Marc.* IX). Quam ejeceram, et cui dederam libellum repudii, colligam : et quam afflixeram captivitatibus variis, vel tradideram diabolo et angelis ejus. Ac ne statim nobis diligens lector opponat, quomodo congregatam asseris claudicantem, et collectam eam quæ fuerat ejecta, cum Judæi in infideli-

[a] Expunximus hic voculas *ita et* ad nostrorum codd. fidem, septemque aliorum ex Florentia, quos Victor. consuluit. Mox quoque *seu se patibulum* mss. nostri retinent, pro *se patibuli*.

[b] Victor. *transibit*, post quem mox codicum quoque nostrorum auctoritate *judicabit* legimus, pro *judicavit*.

[c] Denuo Victorius ex utraque editione Græca et Latina hic Mich. 4, junctis Florentiæ codicibus reponit *fortes*, pro *multas*.

tate permaneant? Audiat de prima Christi dici Ecclesia quæ credidit ex Judæis, de qua fuerunt et Apostoli, super qua in Actibus Apostolorum Lucas describit : quod in una die crediderint tria millia, etiam alibi quinque millia (*Act.* II), et de quibus Jacobus loquitur ad Paulum : *Vides, frater Paule, quanta millia sint de Judæis credentium, et omnes hi æmulatores Legis sunt* (*Ibid.*, XXI, 20). Sed et significantiam considera prophetalem : Non dixit, ponam claudicantem totam salvam ; sed *ponam claudicantem in reliquias*, ut reliquiæ et electio salvæ fiant, et eam quæ laboraverat, in gentem robustam, in nomen videlicet Christianum, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem et passionem Martyrum, et de robusta gente non ambiges. Et reguabit Dominus super eos, id est, super gentes multas, et super reliquias claudicantes in monte Sion, in Ecclesia, in specula, in contemplatione virtutum, a præsenti sæculo, et usque in futurum. Si quis autem voluerit hoc quod dicitur : *Congregabo eam quæ contrita fuit, et ejectam suscipiam*, et cætera, de anima humana intelligere quod ante adventum Christi variis passionibus vitiisque servierit, et quasi erronea et morbida ovis luporum fuerit laniata morsibus, non errabit : dum tamen noverit eam, quæ contrita fuerat et afflicta, sub Domini postea regno futuram, et victuram in Sion, et ad pristinum montem boni pastoris humeris reportandam (*Luc.* XV). Sciendum quoque, et hoc capitulum quod nunc exposuimus, A et huic simile de Isaia, Judæos et eorum erroris hæredes ad mille annorum referre imperium Christi atque sanctorum. Et illud quod dicitur : *Omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Domini Dei sui*, ita interpretari, unamquamque gentem cum idolo suo torqueri, et mitti in ignem æterni supplicii. **479** Sed ex consequentibus arguuntur, non de fine sæculorum hoc dici, sed de primo adventu Christi, in quo colliguntur reliquiæ claudicantis, et gentes ante salvantur. Igitur Isaias hujuscemodi posuit testimonium : *Sermo qui factus est ad Isaiam filium Amos de Juda et Jerusalem : quia erit in novissimis diebus manifestus mons Domini, et domus Dei super summitatem montium, et exaltabitur super colles, et venient ad eum omnes gentes, et ibunt nationes multæ, et dicent :* B *Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis* **480** *viam nostram, et ambulabimus in ea : de Sion enim exiet lex, et verbum Domini de Jerusalem : et judicabit inter gentes multas, et arguet populum plurimum, et concident gladios suos in aratra, et zibynas suas in falces, et non sumet gens contra gentem gladium, et non discent ultra belligerare* (*Isai.* II) : Significanter hic [*Al.* his] dicitur quod sermo Dei egrediens de Jerusalem, judicet inter gentes multas, et arguat proprie populum Judæorum. Nos enim quasi peccatores juxta operum nostrorum mensuram judicabit : illos vero ut impios et negatores non judicabit, sed arguet condemnatos.

# *LIBER SECUNDUS.*

Semper invidis respondemus, quia non cessat invidia : et librorum nostrorum exordia, æmulorum maledicta confutant : qui vulgo jactant, me sterilis jejunique sermonis quasdam ineptias scribere, et cum loqui nesciam, tacere non posse. Itaque obsecro vos, o Paula et Eustochium, ut ad hujuscemodi latratus claudatis aures, et infantiam, ut dicunt, meam orationibus adjuvantes, impetretis mihi juxta Apostolum adapertionem oris mei, ut de Scripturis loquenti adaptari possit : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* (*Ps.* LXVII, 12). Moneo autem tauros pingues, qui circumdederunt me (*Ps.* XXI), ut quiescant et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua, quæ proferentur post, si pergent [*Al.* pergunt] kædere. Nam quod dicunt, Origenis me volumina compilare, et contaminari non decere veterum scripta : [a] quod illi maledictum vehemens esse existimant, eamdem laudem ego maximam duco, cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus, et vobis placere non dubito. Si enim criminis est C Græcorum benedicta transferre, accusetur Ennius et Maro, Plautus, Cæcilius et Terentius, Tullius quoque et cæteri eloquentes viri, qui non solum versus, sed multa capita et longissimos libros ac fabulas integras transtulerunt. Sed et Hilarius noster furti reus sit, quod in psalmos quadraginta ferme millia versuum supradicti Origenis ad sensum verterit. Quorum omnium æmulari exopto negligentiam, potius quam istorum obscuram diligentiam. Verum jam tempus est alterum in Michæam librum cudere, et renascentia hydræ capita [b] ῥοπάλῳ contundere prophetali.

(Vers. 8, 9.) **481** *Et tu, turris gregis, nebulosa filia Sion, usque ad te veniet, et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. Nunc quare mœrore* D *contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit : quia comprehendit te dolor quasi parturientem.* LXX : *Et tu, turris gregis, caligosa filia Sion, at te veniet, et ingredietur principatus* [c] *primus, regnum ÷ de Babylone filiæ Jerusalem. Et nunc quare*

[a] Ex Terentii prologo in Andriam :

Contaminari non decere fabulas ;

tum ex prologo in Adelphos :

Quod illi maledictum vehemens existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet
Qui vobis universis et populo placent.

Denique in fine rursum ex prologo in Andriam :

Quorum æmulari exoptat negligentiam,
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

[b] Id est, *clava* : mss., *ropalo* ; alii, *palo*, et *repagulo*.

[c] Mss., *primum regnum est de Babylone*.

*cognovisti mala? numquid rex non erat tibi, aut consilium tuum periit, quia obtinuerunt te dolores sicut parturientem?* Turrem gregis nebulosam sive squalentem, quod Hebraice dicitur OPHEL (עפל) nullam aliam debemus accipere, nisi illam de qua Isaias ait: *Et ædificavi turrem in medio ejus*, id est, *vineæ. Vinea autem Domini domus est Israel* (*Isai.* v, 2). Hæc turris quamdiu habet torcular, id est, altare, et in circuitu maceriam, auxilia videlicet Angelorum, et non ingreditur diabolus aper in vineam, non est squalida, non est tenebrosa, sed a Domino lucente sortita vocabulum, appellatur civitas, quæ in monte sita latere non potest. Turris igitur quondam gregis et populi Dei (quia pessimi coloni interfecerunt patris familiæ filium (*Luc.* xx) nunc squalida est et destituta, et sub nomine [a] Ariel, clamat de terra in Isaia. *Et hæc turris filiæ est Sion*, sive, ut Symmachus vertit in Græcum: *Ipsa est filia Sion* (*Isai.* xxix): et usque ad hanc veniet Deus, vel potestas prima, quæ potestas regnum est filiæ Jerusalem. Venit autem ad hanc turrim prima potestas, sive principatus primus, ille qui dixerat: *Ego sum alpha et* Ω, principium et finis, primus et novissimus (*Apoc.* xxii, 13). Et qui ex persona assumpti hominis ait in Proverbiis. *Dominus creavit me in principio viarum suarum in opera sua* (*Prov.* viii, 22), sive, ut in Hebræo [b] scribitur: *Dominus possedit me*: CANANI (קנני) enim non *creavit me*, sed *possedit me* habuitque, significat. Et venit potestas prima, et regnum filiæ Jerusalem, ut post primam fieret et secunda, sicut enim ipse loquitur confidenter: *Ego sum lux mundi* (*Joan.* viii, 12): ita et discipulis suis donat ut ipsi quoque lumen vocentur mundi, dicitque ad eos: *Vos estis lux mundi* (*Joan.* vi). Sed et vineam veram **482** se in Evangelio vocans, de credentibus per Jeremiam loquitur: *Ego autem plantavi te vineam frugiferam totam veram* (*Jer.* xxi). Et cum sit panis vivus de cœlo descendens, discipulis dedit, ut appellentur panis. Unde et apostolus Paulus loquitur confidenter: *Omnes enim unus panis sumus* (I *Cor.* xvii). In hunc igitur modum ingreditur potestas prima et regnum in Jerusalem, ut credentes in ea potestatem faciat et regnum. Quod autem in quibusdam libris legitur: *Et ingredietur* [Al. *ingrediatur*], *principatus primus regnum filiæ Sion, et de* [Al. *est de*] *Babylone*, sciamus additum esse, quia nec in Hebræo, nec apud alios habetur interpretes. Et videtur mihi quidem de captivitate sensisse Babylonia, quod populus inde egrediens venerit Jerusalem. Sequitur: *Et nunc quare mœrore contraheris?* sive, ut in LXX scriptum est: *Et nunc quare cognovisti mala*, ad quam venturus est, inquit, Dominus et potestas prima et regnum? Quare nunc mœrore contraheris, aut quare cognovisti mala? Statim respondetur et dicitur: Quia rex non est tibi, et consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem. Aut certe cum hæc omnia habeas, vitio tuo nec regis, nec consiliarii mereris auxilium. Quod autem ait: *Quare cognovisti mala?* illo sensu accipiendum est, quod omnis qui meretur et patitur mala, dicitur nosse mala, et ignorare bona. Juxta illud quod in primo quoque Regnorum libro scriptum est: *Filii Heli, filii pestilentiæ, non cognoverunt Deum* (I *Reg.* ii, 12). Et alibi: *Qui custodit mandatum, nesciet verbum malum* (*Eccles.* viii, 5). Et ad peccatores: *Recedite a me*, inquit Dominus, *qui operamini iniquitatem, quia nescio vos* (*Ps.* vi, 9). Econtrario de Domino: *Qui cum non cognovisset peccatum, pro nobis peccatum fecit* (II *Cor.* v, 21), subauditur, Deus Pater. Rex autem, et magni consilii Angelus, Salvator intelligitur, qui periit pro populo non credente, quem comprehenderunt dolores sicut parturientem: putans enim Israel obtinere se imperium, repente vastatus est. Et quomodo pariens dolorem effugere non potest: sic ille imminentem captivitatem, **483** et exercitum urbi circumdatum vitare et differre non potuit. Legamus Scripturas, et numquam inveniemus, sanctas mulieres, excepta Rachel, cum dolore peperisse: quæ quia in via erat, et in hippodromo, id est, *equorum cursu*, qui in Ægypto venundantur, filium peperit doloris, quem postea vocavit pater filium dextræ (*Genes.* xxxv). Eva ejecta de paradiso et audiens: *In doloribus paries* (*Ibid.*, iii, 16), peperisse describitur in dolore. Uxor Phinees contracta, nec se erigens, sicut illa quam in Evangelio diabolus alligavit (*Luc.* xiii), peperit [b] postquam captam arcam Dei populique cognovisset ruinam (II *Reg.* iv). Sara autem quia sancta erat, et ei defecerant muliebria, nato Isaac dicit: *Risum mihi fecit Dominus, quicumque enim audierit, congratulabitur mihi* (*Gen.* xxi, 6). Dolores igitur qui obtinuerunt turrem gregis, dolores inferi sunt et dolores mortis, qui circumdederunt quidem et vallaverunt etiam Salvatorem; sed nequaquam eum obtinere potuerunt, sicut ipse loquitur in psalmo decimo septimo: *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me, et dolores inferni vallaverunt me.* Quidam putant turrem squalentem, sive tenebrosam et filiam Jerusalem, de cœlesti Jerusalem intelligi, quæ sit mater sanctorum, de qua et Apostolus ait: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem* (*Heb.* xii, 22), quæ tamdiu squalet, quamdiu filii sui non reducuntur ad

[a] Victorius, *et sub nomine Israel clamat*, etc. Mox Palatini codices, *est filiæ*: malim vero in recto *filia* legi pro *filiæ*. Symmachi quoque interpretatio videri mendosa potest, et pro *ipsa est filia Sion*, legendum, *ἀπόκρυφος est filia Sion*. Fortassis vocabulum *ἀπόκρυφος* excipientis librarii vitio, in *ipsa* mutatum est. Certe cod. Hexaplaris Barber. Græc. apud Montfaucon. sic recitat Symmachi verba, *ἀπόκρυφος θυγάτηρ Σιών*.

In commentariis in Isaiæ cap. xxvi: De sapientia legimus, quæ juxta Hebraicum loquitur in Proverbiis: *Deus possedit me initium viarum suarum*, licet quædam exemplaria male pro *possessione* habeant *creaturam*. Recole quæ in eum locum annotavimus.

[b] Duo Palatini mss., *peperit posthumum captæ arcæ Dei populique cognomen*.

eam, et rex et consiliarius non sit in ea, et dolores sicut parturientem apprehendant eam, quod frustra peperit, videns tantos filios interfectos.

(Vers. 10.) *Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens : quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* LXX : *Dole, et viriliter age, filia Sion, quasi pariens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in campo, et venies usque ad Babylonem : inde liberabit te, et inde redimet te Dominus Deus tuus de manu inimicorum tuorum.* Cui præcipitur ut doleat, sive parturiat, et postea infertur, viriliter age, non frustra præcipitur ; sed ut dolores patienter ferens, egrediatur de civitate, et habitet in campo sive in regione, et veniat usque ad Babylonem, et cum pro **484** peccato sustinens captivitatem fortiter tulerit quod illatum est, tunc liberet eam Dominus, et redimat Deus suus de manu inimicorum suorum, ut postquam fuerit liberata, insultantibus dicat : *Noli insultare mihi, inimica mea, quia cecidi : resurgam; etsi enim ambulavero in tenebris, Dominus lux mea est : iram Domini sustinebo quoniam peccavi ei, donec justificet causam meam, et faciat judicium meum, et educat me in lucem, et videbo justitiam ejus, et aspiciet inimica mea, et operietur ignominia* (*Infra* VIII, 9). Unde et in Psalmis congrua voce cantatur : *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur Dominus* (*Psal.* CII, 9). Quod autem *Dole, et viriliter age*, ad salutem dolentis pertineat, et agentis viriliter, Jesus quoque filius Nave testis est, cui Dominus dicit : *Confortare, et viriliter age* (*Josue* I, 1). Dolet autem et agit viriliter filia Sion, quia excalciata et nuda egressa est de civitate, et captiva ducenda est in campum Sennaar, et futura in Babylone donec Zorobabel veniat, et Ezdras qui interpretatur *adjutor*, et de manu Chaldæorum liberet eam. Quod cum juxta litteram manifestum sit, intelligere mihi videtur animam propter peccatum de Ecclesia pulsam, et inimico et ultori contraditam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat exire de civitate quam fluminis impetus lætificat, et habitare non in monte, ubi prius fuerat, sed in campo, in quo Assyriorum vagatur exercitus, et esse in confusione vitiorum suorum, et postquam habuerit compedes, et traxerit molam, et farinam Babyloniis fecerit, in semet reversam dicere : *Quanti mercenarii patris mei saturantur panibus, et ego hic fame pereo* (*Luc.* XV, 17)! et ad paternam domum postea revertentem suscipi a clementissimo patre, et redimi de manu durissimi domini. Ponamus exemplum ut quod imperatur filiæ Sion, et dicitur : *Dole, et viriliter age quasi pariens*, non ad pœnam, sed ad utilitatem illius referamus. Loquitur Paulus ad Galatas : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV, 19). Et tamdiu doluit, tamdiu [*Al.* quamdiu] parturivit, donec eos rursum per pœnitentiam generaret, qui per delictum perierant. Puta medicum febricitanti, vel vulnerato dicere : *Dole, et viriliter age*, sustine sitim, porta cauterium, **485** ut certior sanitas consequatur.

(Vers. 11-13.) *Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur et aspiciat in Sion oculus noster. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus : quia congregavit eos, quasi fenum areæ. Surge et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos : et interficies* (Al. *interficiam*) *Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.* LXX : *Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ dicentium : Insultemus et videant in Sion oculi nostri. Ipsi autem nescierunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus, quia congregavit eos, ut manipulos areæ. Surge et tritura eos, filia Sion : quia cornua tua ponam ferrea, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et vovebis Domino multitudinem eorum, et robur eorum Domino universæ terræ.* O Jerusalem, o filia Sion, quæ venies usque Babylonem, et ibi liberaberis, et redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum : nunc interim [*Al.* iterum] congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ quasi de adultera loquuntur, et dicunt : *Lapidetur, et aspiciat in eam oculus noster.* Sive ut in LXX scriptum est : *Insultemus et gaudeamus, et despiciant super Sion oculi nostri : et non cognoverunt Domini voluntatem atque consilium :* quia propterea adversum te congregatæ sint nationes, ut conteras eas, quasi fenum vel stipulam areæ. Surge igitur, filia Sion, et in cornibus ferreis, quæ tibi dare me spondeo, atque in ungulis æreis, quas acceptura es, ventila et contere populos, et interfice eos Domino universæ terræ. Tali enim victima et tali sacrificio delectatur. Hæc Judæi necdum expleta cernentes, in futuro sibi Christi pollicentur adventu, et dicunt universas nationes Judaico populo servituras, ipsumque imperium Romanorum, quod sub nomine interpretantur Edom, conterendum esse ungulis suis et cornibus ventilandum. Quod quam stultum sit, ex omnibus Scripturis facile comprobatur ; sed hoc alterius temporis est. Nos ergo qui non occidentem litteram, sed spiritum vivificantem sequimur, dicimus adversum filiam Sion, quæ interpretatur **486** Ecclesia, multas nationes dæmonum congregari, et in præsenti sæculo, quod in maligno positum est, insultare, et in occisione filiorum ejus gaudere, nescientes cogitationes Domini, nec ejus consilium agnoscentes. Si enim cognovissent, numquam Dominum majestatis crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Congregabit itaque eos quasi manipulos areæ, ut quidquid spinosum habere videbantur et aspersum, vacuumque et leve, ungulis suis conterat, et cornibus ventilet, et purum remanens frumentum, in Domini offeratur donaria. Quid autem in eo significet quod ait : *Et comminues populos multos, et consecrabis Domino multitudinem eorum, et robur eorum Domino universæ terræ.* Legamus Numeros, et Jesum Nave, et primum Regnorum li-

brum, et videbimus quomodo de subjectis gentibus, cum universa perierint in ore gladii, aurum et argentum, et tam de hominibus, quam de jumentis certus prædæ numerus Domino consecratus sit. Denique et Achor, qui de anathemate Jericho aliquid est furatus, conturbavit populum, et ex peccato valli [a] nomen impositum est, EMEC ACHOR (עמק עכור), id est, *vallis tumultus*, sive *turbarum* (*Josue* VII). Ut autem scias juxta LXX interpretes, qui dixerunt: *Consecrabis Domino multitudinem eorum, et robur eorum Domino universæ terræ*, In bonam partem debere accipi consecrationem : Theodotio pro multitudine, *munera* transtulit : Quinta editio, *emolumentum*, id est, [b] ὠφέλειαν : Symmachus, *lucrum*, id est, τὸ κέρδος αὐτῶν.

(Cap. V.—Vers. 1.) *Nunc vastaberis, filia latronis: obsidionem posuerunt super nos : in virga percutient maxillam judicis Israel.* LXX : *Nunc obstruetur filia obstructione : angustiam posuit super nos : in virga percutient super maxillam tribus Israel.* Non quod una tribus percutiat maxillam alterius, sed quod alii percutiant tribus Israel in maxillam. Pollicitus quidem tibi sum, o filia Sion, quod venturum sit tempus quo cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas æreas, et comminuta dæmonum multitudine, offeras quidquid illi ante possederant Domino (*Rom.* XI) universæ terræ. Sed quia hoc tunc futurum est, quando subintraverit gentium plenitudo, et omnis Israel salvatus fuerit : nunc interim pro meritis tuis **487** vastare, sive ut in Hebræo habetur, *concidere*. Nequaquam enim juxta Apostolum (*Philip.* III) vocaris Circumcisio, sed concisio : nec te appello filiam meam, sed latronis filiam, quod Hebraice dicitur, BATH GEDUD (בת גדוד), id est, diaboli ad prædandum semper accincti. Fecisti enim domum meam speluncam latronum, repugnasti adversum me, et filii tui obsidionem posuerunt super me, et super Filium, et Spiritum [c] meum. An non contumelia Trinitatis est, quando in virga et calamo, te faciente, percussere Romani caput judicis Israel, dicentes : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit* (*Mat.* XXVI, 60) ? sive quando unus de ministris tuis percussit eum in maxillam, dicens : *Sic respondes pontifici* (*Joan.* XVIII, 22) ? Hoc juxta Hebraicum, cui interpretationi Aquila et Symmachus, et Theodotio, et editio quinta consentiunt. Juxta LXX autem multo [d] altior sensus est, et quasi a proprio intelligitur exordio. Nunc obstruitur synagoga obstructione : et dicent qui in ea clausi fuerint : *Angustiam posuit super nos ;* et Romanis potestatibus subditæ, percutientur in maxilla tribus Israel. Abstulit enim Dominus de Judæa et de Jerusalem, fortem et validum, et sapientem architectum, et intelligentem auditorem [*Al.* adjutorem], et viæ ejus usque hodie clausæ sunt et obseptæ, nec potest egredi de captivitate; sed durissimo premitur imperio (*Isai.* III, 1, 2). Si autem juxta superiorem sensum voluerimus de Ecclesia dictum accipere : *Nunc obstruetur filia obstructione*, illud de Osee proferamus exemplum, in quo adultera loquitur : *Vadam post amatores meos, qui dabant mihi panes meos, et aquam meam, et vestimenta mea, et linteamina mea, oleum meum, et omnia quæ mihi prosunt* (*Osee* II, 5). Et postea Deus volens impedire cogitationem pessimam, non eam facit quod desiderat adimplere; sed obstruit vias ejus, ne consequatur amatores suos, et amplius fornicetur. Ait **488** quippe : *Propterea ecce ego obstruam vias ejus in sudibus, et obsepiam vias ejus : et semitam suam non inveniet, et persequetur amatores* [Al. addit *suos*], *et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem quia bene mihi erat* (*Ibidem*, VI, *sec.* LXX). Animadverte opus Domini profecisse : Adultera enim non inveniens viam suam, nec valens pergere quo volebat, necessitate obstricta ad maritum revertitur priorem, et confitetur, melius sibi in domo viri esse prioris, quam quondam apud amatores suos fuerat, tribulationibusque, et plagis Israel eruditur. Unde et ad (*Al.* de) David sub typo Christi mystice dicitur : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint, et præcepta mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eo* (*Psal.* LXXXVIII, 31 *seqq.*). Tribulationem ergo posuit Deus super filiam Israel, et percutient eam Angeli, qui plagis præpositi sunt, in maxilla. Ac ne forte nescires quæ esset filia, quæ obstruitur obstructione, et ponitur in angustia, statim infertur, et dicitur, *tribus Israel*. Nos autem sumus Israel, qui mente cernimus Deum, ad quorum distinctionem Apostolus loquitur : *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* XIX, 18). Numquam enim vocaret carneum Israel, nisi sciret esse etiam spiritualem.

(Vers. 2.) *Et tu, Bethleem Ephratha, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* LXX : *Et tu, Bethleem domus Ephrata,* [e] *minima es,*

[a] Diximus in notis ad Libr. Locorum, qui constare nominis allusio debet.

[b] Addit Victor. id est δῶρα : et mox, *lucrum eorum*.

[c] Duo mss., *et Spiritum sanctum*.

[d] Pro *altior*, quæ vera est mss. nostrorum lectio, ut ex ipso liquet contextu, hactenus obtinuit *aliter*.

[e] Palatinorum ope codicum expunximus vocem, *nequaquam*, quæ hic interserebatur. Brixiæ similiter codices, quos Victorius consuluit, eam non habent : neque porro ipse Græcus textus, cujus verba in emendatioribus libris hæc esse tradit S. Doctor, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσι Ἰούδα. Quamquam non diffitemur cum negandi particula μὴ ὀλιγοστὸς legisse Theodoritum, sicque præferre Barberinium codicem, cui tamen ad oram apponitur ὀλιγοστὸς, absque μὴ : denique et ex Latinis S. Cyprianum lib. II Testimoniorum, *non exigua*. Sed nec illud refert, ut ait Victorius, quod in Matthæo Evangelista inveniatur : cum Hieronymus hic clare asserat, testimonium illud a Matthæo citatum, nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus convenire. Defuisse autem in vulgata

*ut sis in millibus Juda : ex te mihi egredietur, ut sit in principem Israel, et egressus ejus ab initio ex diebus sæculi.* In Evangelium secundum Matthæum (*Mat.* II), cum magi de Oriente venissent, et Herodes a scribis quæreret, ubinam Christus Dominus nasceretur, respondisse **489** narrantur : *In Bethleem terra Juda*, qui prophetæ testimonium addentes, dixerunt : *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in ducibus Juda : ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Israel.* Quod testimonium nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus convenire, me quoque tacente perspicuum est, et arbitror, Matthæum volentem arguere Scribarum et sacerdotum, erga divinæ Scripturæ lectionem, negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab eis dictum est. Sunt autem qui asserant, in omnibus pene testimoniis, quæ de veteri Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, et interdum [a] sensus quoque ipse diversus sit, vel apostolis, vel evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur. Exponamus ergo Hebraicum : Et tu, *Bethleem*, id est, *domus panis*, quæ vocaris Ephratha, minima quidem es in civitatibus Juda, et tantis millibus comparata, vix parvus es viculus ; sed ex hoc parvo viculo egredietur Christus, qui est [*Al.* sit] dominator in Israel. Ac ne putes eum de genere David tantum esse, cui repromisi, dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem*[b] *meam* (*Ps.* CXXXI, 11), carnis assumptio divinam non impedit majestatem : de me enim natus est ante omnia sæcula, et temporum conditor in tempore non tenetur. Ipse est cui et in alio psalmo dixi : *Ante Luciferum genui te* (*Ps.* CIX, 3). In principio enim erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). Hoc erat in principio apud Deum. Et idcirco egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. Quod autem Bethleem ipsa sit Ephratha, liber Geneseos ostendit, in quo Scriptura commemorat : *Mortua est Rachel, et sepulta in via Ephratha, hæc est Bethleem* (*Genes.* XXXV). Et in utroque nomine significat sacramentum : domus enim panis dicitur, propter panem vivum, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). Et *Ephrata*, quod interpretatur *furorem* [c] *videt*, propter Herodis insaniam, quia **490** illusus a magis, iratus est valde, et mittens universos occidit infantes in Bethleem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra [*Al.* deorsum], secundum tempus quod exquisierat a magis, et propter plurimum sanguinem audita est vox in excelso, planctus et ululatus Rachel flentis liberos suos (*Jer.* XXXI). Legimus juxta Septuaginta dumtaxat interpretes, in Jesu Nave, ubi tribus, Judæ urbes et oppida describuntur, inter cætera etiam hoc scriptum : *Thœco, et Ephratha, hæc est Bethleem, et Phagor, et* [d] *Aetham, et Culon, et Tami* [Al. *Tatami*], *et Soris, et Caræm, et Gallim, et Bæther, et Manocho, civitates undecim, et viculi earum* (*Josue* XV), quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur interpretem, et sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de tribu Juda ortus videretur : sive a Septuaginta additum, nequaquam liquido cognoscentes, certum quid novimus. Nihilominus et de libro Judicum hoc ipsum possumus approbare, quod Bethleem in tribu Juda sit, scriptum est enim : *Et fuit vir Levites habitans in lateribus domus* [Al. *montis*] *Ephraim, et accepit sibi mulierem concubinam de Bethleem Juda, et irata est ei concubina sua, et abiit in domum patris sui in Bethleem Juda* (*Judic.* XIX, 1). Pulchre autem dicitur, *in Bethleem Juda*, ad distinctionem ejus Bethleem, quæ in Galilæa sita est, sicut in eodem Jesu volumine reperi. Potest Ephratha in lingua nostra sonare, *καρποφόρον, uberem* atque *frugiferam*, et id ipsum ostendere in mysterio, quod et domus panis.

(Vers. 3.) *Propter hoc dabit eos usque ad tempus in quo parturiens pariet, et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.* LXX : *Propterea dabit eos usque ad tempus parientis : pariet* [Al. *parturientes parient*], *et reliquiæ fratrum revertentur ad filios Israel.* Quia de Bethleem, quæ est Ephratha, egressus est Christus dominator in Israel, et egressus ejus non eo tantum fuerat tempore quo visus in carne est, sed ab initio æternitatis, sive ab initio sæculi. Quia semper ipse locutus est per prophetas, **491** et sermo Dei factus est in manu eorum [*Al.* sanctorum] : ideo dabit Judæos, eosque regnare permittet usque ad tempus parientis, quando completur illud : *Lætare, sterilis, quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1, *sec.* LXX). Cum enim sterilis pepererit septem, et quæ multos habuerat filios, fuerit infirmata, et delicto populi Judaici plenitudo

LXX editione vocem negativam, aperte asserit Hieronymus ad Pammachium in libro de Optimo genere interpretandi pluribus verbis, inter quæ ait : *Pro nequaquam minima es in ducibus Juda ; in LXX legitur : Modicus es, ut sis in millibus Juda ; in Hebræo : Parvulus es in millibus Juda.* Unum addo, quod est animadversione dignum, verbum Hebraicum צעיר, non modo *parvulum*, sed et econtrario *magnum* significare, quod et Pochochio notatum est in notis miscell. ad Portam Mosis, c. 2 ; immo et R. Tanchum erudito Judæo non tam *parvum*, quam pretio magnum aliquid sonat.

[a] Hæc in re tanti ponderis opinatio periculum lectori facessat. Verissime autem ex suo sensu Hieronymus in Mat. XXVII : *Evangelistarum*, ait, *et apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso, sensus tantum de veteri Testamento proferunt in exemplum.*

[b] Mutat Victorius in *tuam* ex Vulgata editione Græco et Hebraico.

[c] Verbum *videt*, quod est utique pars altera etymologiæ vocis *Ephratha*, a radice ראה quæ *videre* significat, in hactenus vulgatis libris deerat, nostri mss. sufficiunt. Malim tamen *vides* pro *videt* ex ipsa quam vocabulum illud sonat secunda persona. Sic et in Nominum libro de Psalterio : *Ephratha, equidem vides.*

[d] In Palatin. ms. *Etham, et Chulon, et Dathan, et Sores, et Carem, et Galim, et Techer, et Manucho civitates duodecim, et viculis earum.* Unus Bibliothecæ Trajectinæ a Relando laudatus : *Theco...Fagor, et Erhan, et Caulon, et Dathan, et Sores et Corem, et Salim, et Tether, et Manacho*, etc.

gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus fiet, et reliquiæ fratrum ejus ad filios Israel convertentur; et adveniens Elias propheta, quod interpretatur, *Deus Dominus*, convertet corda patrum ad filios, et cor filiorum ad patres suos (*Luc.* I, 17), et novissimus populus jungetur antiquo, ut vere filii Abraham appellentur, cum in eum crediderint quem vidit Abraham, et lætatus est (*Joan.* VIII). Quod est autem tempus in quo sterilis pariet? Ut reor, illud de quo Isaias loquitur : *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi* (*Isa.* XLIX, 8). Quod et Paulus intelligens de Christi tempore prædicatum, ait : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 21). Hoc ipsum puto et illud mystice demonstrari, quod in Ecclesiaste scriptum est : *Tempus pariendi, et tempus moriendi* (*Eccl.* III, 2), quod eo tempore quo ex sterili natus est gentilium populus, filios amiserit synagoga. Potest autem et aliter intelligi : Dabit Dominus templum et Jerosolymam, et Judæos usque ad illud tempus quo virgo pariet, quæ postquam pepererit, et natus parvulus acceperit spolia Samariæ, et virtutem Damasci, interfecto populo Judæorum, reliquiæ Israel salvabuntur. Et fratres Christi, id est, apostoli convertentur ad prophetarum et patriarcharum fidem, qui venturum Christum annuntiaverunt, et complebitur psalmi vaticinium ; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, et cætera quæ sequuntur (*Ps.* XLIV, 17).

(Vers. 4.) *Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.* LXX : *Et stabit*, [a] *et videbit, et pascet gregem suum in fortitudine Dominus, et in gloria nominis Domini Dei sui erunt, quia nunc magnificabuntur usque ad terminos terræ.* Postquam sol justitiæ egressus fuerit a **492** summitate cœlorum, et pervenerit usque ad terminos eorum, et pepererit pariens, et reliquiæ fratrum ejus conversæ fuerint ad filios Israel : tunc ipse Dominus qui prius ambulabat, et cum his qui in itinere erant positi, necdum habebat fixum gradum, stabit et pascet eos in fortitudine Domini, ut possint dicere : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ, ibi me collocavit, super aquas refectionis enutrivit me : animam meam convertit* (*Ps.* XXII, 1). Pascit autem eos, non solum in fortitudine Domini, sed et in sublimitate nominis Domini Dei sui, quando dicit ad Patrem : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos : quando eram cum eis, ego servabam eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, custodivi, et nullus ex his periit* (*Joan.* XVII, 11). *Et convertentur*, sive ut melius interpretatus est Symmachus, *habitabunt*. JASUBU (ישבו) enim verbum Hebraicum utrumque significat. Habitabunt autem in Ecclesia Domini, quia magnificatus est Christus usque ad terminum terræ. Sive, juxta LXX, quia magnificabuntur [*Al.* magnificantur] ipsi cum pastore suo usque ad extremum terræ, ut in omnem terram exeat sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum (*Ps.* XVIII).

(Vers 5.) *Et erit iste pax : Assyrius cum venerit in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris.* LXX : *Et erit hæc pax ; Assyrius quando supervenerit in terram vestram, et cum ascenderit super regionem vestram.* Quando venerit diabolus, qui interpretatur εὐθύνων, id est, *arguens* atque *corripiens*, super terram [b] regionemque credentium, et eorum quos pascet Dominus in fortitudine, et in sublimitate nominis Domini Dei sui, et eos calcaverit tribulationibus variis, et domos animarum nostrarum, id est, corpora quasi superbus ascenderit atque depresserit, et tamen nihil nos a Christi charitate separaverit : tunc Christi pax, sive ipse Christus erit in nobis, et dicetur de sancto, *Nihil proderit inimicus in eo.* Ponamus exemplum, ut quod dicimus, possit manifestius fieri. Venit Assyrius super terram quondam Pauli, et ascendit super regionem ejus, quando fuit in laboribus supra modum ; in plagis abundantius, in carceribus nimis, in **493** mortibus frequenter : quando a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit, ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, [c] ter naufragium fecit, nocte et die in profundo maris fuit, in periculis latronum, periculis in falsis fratribus, periculis ex genere, periculis ex gentibus ; sed in his omnibus vincebat propter illum qui dilexerat eum. Et ideo implebatur pace, quia impletus fuerat contumeliis (I *Cor.* XI). Judæi in adventu Christi, quem sibi simulant, hæc omnia juxta litteram futura esse contendunt.

(Vers. 6.) *Et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines, et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus, et liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in finibus nostris.* LXX : *Et consurgent super eum septem pastores, et octo morsus hominum, et pascent Assur in gladio, et terram Nemrod in fovea ejus, et liberabit de Assur, cum venerit super terram vestram, et cum ascenderit super terminos vestros.* Ubi nos posuimus *primates homines*, et in Hebraico scriptum est NESICHE ADAM (נסיכי אדם), Symmachus interpretatus est *Christos hominum* ; Theodotio et quinta editio, *principes hominum* ; Aquila *graves*, vel *constitutos homines*, id est [d], καθισταμένους. Rursum in eo ubi ego et Aquila transtulimus, *in lanceis ejus*, ut subaudiatur, terræ Nemrod, Symmachus vertit, ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς, id est, *intra portas ejus* ; Theodotio, *in portis eorum* ; quinta editio, ἐν παραξίφησιν αὐτῶν, quod nos possumus dicere, *in sicis eorum* : in Hebræo autem positum est [e] BAPHETHEE (בפתחיה).

[a] Verba, *et videbit*, quæ et in Complutensi Græco exemplari desiderantur, mss. Palatini non agnoscunt, prætermittunt quoque mox *gregem suum*.

[b] Constanter mss. nostri hic atque infra *religionem*, pro *regionem*, præferunt.

[c] Sufficiunt Palatini mss. hæc, quæ deerant in editis libris, verba, *ter naufragium fecit*.

[d] Legerat Martianæus, κατεσταμένους. Id genus alia sæpe taciti castigamus.

[e] Ita legit mss. codex Sancti Cygiranni et alter

Tunc igitur erit pax, cum reliquiæ fratrum Christi conversæ fuerint ad filios Israel, et venerit Assyrius in terram nostram, et adjuti a Domino, eum qui nostras domus calcare cupiebat, velociter contriverimus sub pedibus nostris. Ipse enim Dominus ait : *Suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates hominum*, vel *morsus hominum*. Suscitabimus autem ego et Filius meus et Spiritus sanctus, juxta illud quod in Genesi scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.* I, 26). Et **494** in Abdiæ principio : *Surgite et ascendamus adversus eam in prælio*. Septem pastores, omnes patriarchas et prophetas et sanctos viros arbitror esse, qui hebdomadi, id est, veteri servierint Instrumento. Octo autem morsus hominum, sive [a] octo primates homines, et ut Symmachus interpretatus est, *Christos*, universos novi Testamenti, qui ab apostolis usque ad hanc ætatem momorderint Assyrium, et suis dentibus laceraverint. Unde et in Ecclesiaste præcipitur : *Ut demus partes septem, demus et octo* (*Eccl.* XI). Et in templo Ezechiel, quod interpretatur Ecclesia et cœlestis Jerusalem, septem et octo gradibus ascenditur (*Ezech.* XL). Et in Psalterio quindecim gradus sunt, quibus per hebdomadem et ogdoadem ad canendas Deo laudes scandimus. In octava die celebratur circumcisio spiritualis, et in templo Judæorum destruitur sabbatum, et quidam psalmi pro Octava inscribuntur. Isti igitur septem pastores et octo morsus hominum, pascent Assur in gladio. Vivens enim et efficax sermo Dei, et acutus super omnem gladium bicipitem (*Hebr.* IV, 12), missus est ab eo qui venit gladium mittere super terram, ut dividantur duo in tres (*Matth.* X). Et terram Nemrod (qui interpretatur, *tentatio descendens*) pascent in fovea ejus; gigantis enim et venatoris et superbientis contra Dominum terra, non est in montibus, sed in foveis. Iste cecidit quasi fulgur de cœlo, et semper versatur inter bestias; et quia venator est, infructuosa ligna lustrat et silvas. [b] Quantum ergo possum mea recolere memoria, numquam venatorem in bonam partem legi. Ismael et Esau venatores fuerunt (*Gen.* XVI *et* XXVII), et præcesserunt in typo populi Judaici, quorum alter filius Ægyptiæ est, ambulans juxta carnem et juxta carnem vivens : alter primitiva propter lenticulam perdidit, et benedictionibus fratris invidens, fugat eum in Mesopotamiam. Redacta ergo terra Nemrod in foveis suis : Qui enim fodit foveam, incidet in eam (*Prov.* XXVI, 7) : et qui lacum aperuit et effodit eum, incidet in foveam quam fecit, et revertetur dolor ejus in caput ejus, et super verticem **495** ejus iniquitas ejus descendet (*Ps.* VII, 16, 17). Et confosso Assyrio a septem pastoribus, et octo morsibus, liberavit nos Christus de manu Assur, qui venerat super terram nostram, et calcare cupiebat terminos Israel. Quod autem Symmachus ait : *Et pascent terram Assur in gladio, et regionem Nemrod intra portas ejus*, hoc sentiendum est, quod in domo sua alligetur fortis, et vulneretur adversarius. Et juxta Aquilam et quintam editionem, sicis et lanceis septem pastorum, et octo [c] christorum hominum confodiatur.

(Vers. 7 seq.) *Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit et conculcaverit et ceperit, et non est qui eruat. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. Et erit in die illa, dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui : et disperdam quadrigas tuas, et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas, et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te. Et perire faciam sculptilia tua, et statuas tuas de medio tui, et non adorabis ultra opera manuum tuarum. Et evellam lucos tuos de medio tui, et conteram civitates tuas, et faciam in furore et in indignatione ultionem in cunctis gentibus, quæ non audierunt.* LXX : *Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi ros a Domino cadens, et quasi agni super gramen : ut non congregetur quisquam neque sit in filiis hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis, in saltu, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum : quomodo si pertranseat et dividens rapiat, et non sit qui eruat. Elevabitur manus tua super eos qui tribulant te, et omnes inimici tui perdentur. Et erit in die illa, dicit Dominus, interficiam equos tuos de medio tui, et disperdam currus tuos, et subvertam civitates terræ tuæ : et auferam omnes munitiones tuas. Et auferam maleficia tua de manibus tuis, et qui loquuntur, non erunt in te : et disperdam* **496** *sculptilia tua, et statuas tuas de medio tui, et ultra non adorabis opera manuum tuarum : et succidam lucos de medio tui, et demoliar civitates tuas, et faciam in ira, et in furore ultionem in gentibus, pro eo quod non audierunt.* Liberatis nobis de Assur, quando venerit super terram nostram, et ascenderit super terminos nostros, et liberatis a Domino qui suscitavit super eum septem pastores et octo morsus hominum, reliquiæ

S. Benedicti Floriac. Cluniacensis autem scriptum habet *Baphethem*, quod puto mendum exscriptoris, qui pro *Baphethee*, posuit *Baphetem*. Licet ex Theodotione et quinta editione in Hebræo legi potuerit בפתחים *Baphetheem*, *in portis*, sive *sicis eorum*. Sed retinenda lectio aliorum mss. cum manifestum sit Hieronymum legisse in Hebræo affixum femininum personæ tertiæ singularis; vertit enim, *in lanceis ejus*, ut subaudiatur, *terræ Nemrod*. MART. — Nostri mss., *Baphœthee* : in aliis *Baphethem* Martian. invenit.

[a] Idem mss., *sive optimates homines*.

[b] Consonat S. Ambrosius in psalm. CXVIII : *Nullum*, inquiens, *invenimus in divinarum serie litterarum de venatoribus justum*. Et auctor Breviarii in Psalmos, sub Hieronymi nostri nomine, psal. XC : *Esau*, inquit, *venator erat, quia peccator erat; et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem*.

[c] Martian. retinuit, *octo Christianorum hominum*.

Jacob, quos apostolos intelligimus, et primam de Judæis Ecclesiam, erunt in medio populorum multorum, quasi ros a Domino cadens. Ardebant enim ignitis diaboli jaculis corda populorum : et omnes gentes adulterantes a Deo, habebant corda, quasi clibanus igne succensus (*Osee* VII). Unde ros a Domino cadens, factus est sanitas infirmorum. Et quod in Anania, Azaria et Misael legimus (*Dan.* III), quod spiritus roris sibilantis fornacem ignis exstinxerit, hoc de omnibus generaliter sentiamus, quod in medio universarum gentium doctrina Apostolorum quasi ros fuerit a [a] Domino. Quod autem sequitur : *Et sicut agni super gramen, ut non congregetur quisquam neque sit in filiis hominum*, de his accipiamus, qui de gentibus credere noluerunt, quod sint super eos Apostoli et reliquiæ Jacob, sicut agni carpentes gramen, et herbam dentibus demetentes. Et hoc facient, ut qui Angeli esse noluerunt, spiritualem accipientes rorem, nequaquam inter homines congregentur, neque in parte rationabili deputentur, sed dicatur de eis : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Ps.* LXXII, 5). Et erunt reliquiæ Jacob in medio gentium quasi leo in jumentis in saltu, et quasi catulus leonis in gregibus ovium. Dominus enim Jesus, de quo in Genesi prophetatur : *Catulus leonis Juda, de germine, fili mi, ascendisti ; accubans dormisti ut leo et quasi catulus leonis* (*Gen.* XLIX, 9). Et in alio loco : *Accubans requievit ut leo, et quasi catulus leonis, quis* [b] *suscitabit eum?* dedit et apostolis suis quibus dixerat : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) ; ut quomodo leoni nemo potest resistere in jumentis, et catulo leonis in ovibus, ita illi de manu Assyrii, et de manu diaboli liberati, **497** raperent jumenta et pecora : homines quippe et jumenta salvos faciet Dominus (*Psal.* XXXV, 7). Et raperent, non ut interficerent, sed ut dividerent, hoc est, ab infidelibus separarent, et non essent qui eis resisterent. Leone autem et catulo leonis, ita in jumentis, et in ovibus pervagante, manus Dei exaltatur super eos, qui vel Deum, vel reliquias Israel ante tribulaverant. Et omnes inimici ejus disperdentur, non quod pereant inimici, et esse desistant ; sed quia in eo quod inimici sunt pereant. Sicut Thessalonicensibus scribitur : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (II *Thes.* II, 8). Hæc interfectio non abolitionem significat, sed cessationem pessimæ vitæ, qua male ante vivebant. Denique infert : *Et destruet illustratione adventus sui*. Numquam autem destrueret, si interfectio abolitionem sonaret, cum jam esse cessasset ; ita et hic inimicorum consumptio, juxta Proverbia Salomonis accipitur, in quibus scriptum est : *Interitus impiis hospitabitur :* non erit perpetuus, non eos rediget ad nihilum ; sed hospitabitur apud eos quamdiu quæ in illis est, impietas consumatur. Deus enim creavit hominem, ne interiret, et mortem non fecit. Post hæc sequitur : *Et erit in die illa*, quando elevata fuerit manus tua super hostes tuos, o Israel, et omnes inimici tui perierint, interficiam equos tuos de medio tui, id est, de principali (ἡγεμονικῷ) cordis tui lascivientes impetus, et equorum more, ruptis vinculis, proruentes, et currus tuos quibus tibi in vitiis tuis placebas, et peccata peccatis consocians, quasi triumphans in quadrigis ferebaris. Et disperdam civitates terræ tuæ ; Non enim ædificasti urbem quam lætificat impetus fluminis Dei (*Psal.* XLIX), et quæ in montibus sita est, et cœlestem Jerusalem (*Matt.* V), sed quam ædificaverat Cain (*Genes.* IV). Unde dicuntur civitates terræ, operibus terrenis exstructæ. *Et auferam*, inquit, *omnes munitiones tuas*, divitias, scilicet, et pompam sæculi, et rhetorum eloquentiam, dialecticorumque tendiculas, in quibus tibi velut in munitionibus confidebas. *Et auferam maleficia de manibus tuis*, quibus vel ipse decipiebaris ab aliis, vel deceptus alios decipiebas, et loquentes, sive pronuntiantes non erunt tibi. Nunc loquentibus et pronuntiantibus plenus est orbis : loquuntur quæ nesciunt : docent quæ non **498** didicerunt ; magistri sunt, cum discipuli ante non fuerint. Cum ergo docuerit Deus hominem scientiam, cessabunt falsæ præsumptiones, et perversa doctrina tolletur. Et disperdam sculptilia tua et titulos tuos de medio tui. Sculptilia nostra sunt, quæ a loquentibus facta sunt, vel quæ ipsi fingimus nobis. Unde præcipitur in Lege (*Exod.* XX), ne nobis sculptile faciamus, et ne titulos in terra nostra ponamus (*Levit.* XXVI) ; et nequaquam ultra adorabis opera manuum tuarum (*Deut.* V). Infelix humana conditio et insipientiæ plena atque erroris, scit de suo sensu dogmata esse composita, non ignorat a se esse idolum simulatum, et pro Deo adorat opera manuum suarum, et curvatur homo, ut deceptus decipiat. Additur in repromissione quæ dirigitur ad reliquias, id est, ὑπόλειμμα Jacob : *Et succidam lucos de medio tui, et disperdam civitates tuas*, ut omnia ligna silvarum, et lucos quos in templo Dei plantari prohibitum est, et civitates male exstructas, quas antea vocaverat civitates terræ, destruat atque consumat. Postquam autem hoc fecerit reliquiis Jacob, tunc convertetur ad gentes quas depasti sunt Apostoli quasi agni [*Al.* agri] gramen. Et quia rorem sermonis recipere noluerunt, faciam, inquit, in ira et in furore ultionem in gentibus, pro eo quod audire noluerunt. Unde et propheta ait : *Domine, ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI, 1). Hoc juxta Septuaginta interpretes, quia intelligentia spiritualis est, et debuimus sensum cum superioribus capitulis jungere, disputatum sit. Cæterum Hebræi istiusmodi deliramenta somniant : Postquam septem quos fingunt, et quos volunt pastores, et octo principes homines Assyriorum vicerint, et terram Nemrod in gladiis suis paverint, et hoc factum fuerit cum in terram Judæ

[a] Minus recte lectum hactenus, *quasi vos a Domino sit aspersa*. Mss. nostri emendant.

[b] Ita ex Græco textu rescribit Victorius ; Erasmus et Martian., *quis* vocula prætermissa, legunt *suscitavit eum?*

ante Assyrius venerit : tunc veniente, inquiunt, Christo, omnes reliquiæ Jacob quæ potuerint in [*Al.* de] gentibus superesse, erunt in benedictione, quasi ros a Domino veniens, et quasi pluvia super herbam, et nequaquam sperabunt in hominibus, et in filiis hominum, sed in Deo. Et erunt in medio gentium atque populorum sanguinarii atque crudeles, et de veteribus quondam se dominis vindicantes, quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, **499** et nullus erit qui possit eorum robori resistere. Tunc exaltabitur, o Deus, vel o Israel, manus tua super Assyrios, et omnes hostes et inimici tui, qui nunc te possident, interibunt. In illa videlicet die, quando de gentibus fueris liberatus, auferam equos et quadrigas tuas, quæ in mediis urbibus tuis sunt. Non quod equos et quadrigas tunc habuerit Israel, sed Assyriorum equos et quadrigas quæ in medio urbium tuarum versantur ; et disperdam omnes civitates tuas, et munitiones quas idolis dedicasti : et auferam magos et hariolos de terra tua, et perire faciam omnia sculptilia et statuas tuas, et non adorabis ultra opera manuum tuarum. Evellam quoque atque subvertam omnes lucos tuos, et civitates tuas quas idolis dedicaras. Cumque hoc tibi fecero, et ita placatus fuero, ut quidquid in te mali est, auferatur : tunc etiam in furore et in indignatione mea ulciscar te de universis gentibus, quæ meum noluerunt audire sermonem. Respondeat hoc loco carneus Israel, utrum facta dicat hæc an futura? Si facta commemorat, præbeat historiam, det auctoritatem veterum librorum : doceat cunctas gentes et Assyrium Israeli quondam fuisse subjectum. Si autem se vana spe ludens futurum putat esse quod dicitur : quando Christus venerit, quæ tunc de Israel idola auferentur, quæ modo non colit? qui succidentur luci, quos non habet? quæ urbes subruentur, quæ olim subrutæ sunt? qui tollentur harioli, quos cum non habeat, nec habere se glorietur : tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, et sedet sine altari, et sine sacerdotibus; et aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus sibi futura promittunt quæ nesciunt.

(Cap. VI. — Vers. 1, 2.) *Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam. Audite* (Vulg. *Audiant*), *montes, judicium Domini, et fortia fundamenta terræ, quia judicium Domini, cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.* LXX : *Audite quæ Dominus locutus est :* **500** *Surge, judicare apud montes, et audiant colles vocem tuam. Audite, montes, judicium Domini, et valles fundamenta terræ, quia judicium Domini aversus populum suum, et cum Israel judicabitur.* Pro fortibus fundamentis terræ quæ LXX *et valles fundamenta terræ* interpretati sunt, Symmachus et Theodotio transtulerunt, *et antiqua fundamenta terræ :* quinta autem editio ipsum Hebraicum posuit, ETHANIM (אתנים), *fundamenta terræ.* Prima igitur vox prophetæ est : *Audite quæ Dominus loquitur.* Deinde Deus loquitur ad prophetam : *Surge, contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam.* Rursum prophetæ, sicut ei fuerat imperatum, montibus loquitur, et non solum montibus, sed ad fortia quoque fundamenta terræ, et dicit, *Audite, montes, judicium Domini, et fortia fundamenta terræ.* Causamque reddit, quare eos compellat audire. Quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. Pro montibus ad quos propheta loquitur, et pro fortibus fundamentis terræ, *colles et valles* LXX transtulerunt, id, ut mihi videtur, intelligentes, quod populus nihil dignum montium anditione fecerit, sed vel collibus qui inferiores sunt a sublimitate montium, vel vallibus in ima demersis. Surge, inquit, judicio contende apud montes, et audiant colles vocem tuam. Jubetur surgere qui vel sedet, vel jacet [*Al.* tacet] vel dormit, vel mortuus est, secundum illud quod Apostolus ait ; *Elevare qui dormis, et resurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Surge a mortuis, ut in novitate ambules vitæ, ut terram deserens, ad altiora nitaris. Et judicio contende adversum montes, quos non alios significari puto quam [a] Angelos, quibus rerum humanarum commissa est procuratio, Deuteronomii Cantico in idipsum congruente : *Cum divideret excelsus gentes, cum disseminaret filios Adam, constituit terminos terræ secundum numerum Angelorum Dei* (*Deut.* XXXII, 8). Hi sunt administratorii spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem salutis possessuri sunt. *Et contende judicio ;* ut sive montes, sive colles [*Al.* valles] reperti fuerint, **501** non digne populos procurasse, vel meum videatur esse qui tales præposui, vel culpa tollatur a populo, et referatur ad principes. Legamus Apocalypsin Joannis Apostoli, in qua laudantur accusanturque Angeli Ecclesiarum pro virtutibus vitiisque eorum, quibus præesse dicuntur. Sicut enim interdum episcopi culpa est, interdum plebis; et sæpe magister peccat, sæpe discipulus, nonnumquam patris vitium est, nonnumquam filii, ut vel bene vel male erudiantur : ita in judicio Dei, vel ad [b] Angelos crimen referetur, si non egerint cuncta

[a] Lucem hujus loci intelligentiæ mutuam Rufinus cumprimis dabit in exposit. Symboli : *Ab initio,* inquiens, *Deus cum fecisset mundum, præfecit ei et præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur et dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum indicat Moyses in Deuteronomii loco,* quem et Hieronymus laudat : *Sed et horum nonnulli... datam sibi a Deo potestatem non his quibus acceperunt legibus temperaverunt, nec humanum genus divinis obedire præceptis, sed suis parere prævaricationibus docuerunt : et hinc adversus nos chirographa scripta sunt... Per istud ergo unusquisque chirographum illis rectoribus pessimis tenebatur, quod Christus detraxit adveniens, et hac eos potestate denudavit.* Vid. et S. Hilar. trac. in psal. LXI, n. 2.

[b] Hæc vero sapiunt Origenem, cujus sunt pene et verba homil. 24 in Numer. : *Sæpe diximus animarum, quæ in Ecclesia Dei sunt, curam procurationemque haberi per Angelos, quosque etiam ad judicium venire cum hominibus ostendimus, ut illo divino constet examine, utrum sua desidia peccaverint homines, an monitorum custodumque negligentia.* Ex ejus, non sua Hieron. sententia loquitur. Recole quæ superiori proxime annotatione diximus.

quæ ad suum officium pertinebant, vel ad populum, si illis universa facientibus, ipsi audire contempserint. Sunt qui montes et colles et fortia fundamenta terræ, Abraham, Isaac et Jacob, et patriarchas reliquos interpretantur, quibus quasi auditoribus [*Al.* auctoribus], et ad judicium convocatis, populi Israel negotium ventilandum sit. Alii montes, colles, et valles Angelos, sicut supra diximus, arbitrantur, qui vel in cœlestibus serviant Deo, vel hominibus præsint super hanc terram, vel apud inferos constituti, eorum qui suo vitio exstitere terreni, fundamenta dicantur : de quibus terræ fundamentis et alibi scriptum invenimus : *Ignis accensus est ex furore meo, ardebit usque ad inferos deorsum : devorabit terram, et fundamenta ejus* (*Deut.* XXXII, 22). Fortia et antiqua fundamenta terræ (quorum causa hucusque terra non præterit, et super inane pendens, librata consistit) justorum merita sunt, de quibus Apostolus loquitur : *Ædificati super fundamenta apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II, 20). Sicut igitur apostoli, et prophetæ, et universus Martyrum chorus fortia fundamenta sunt terræ : sic secundum LXX valles et prærupta, quæ significantius Græce φάραγγες appellantur, eorum sunt fundamenta, qui χοϊκοῦ [*Mss.* choici] imaginem receperunt. Judicium ergo Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur. Qui poterat quasi Deus pro sceleribus populi peccatoris inferre supplicia, non vult videri potens, sed justus, et ad judicium provocat peccatores, juxta illud propheticum : *Venite, et judicemur, dicit Dominus* (*Isai.* XLIII, 26), etiam nunc populum Israel **502** cogit, præsentibus Angelis, et omni creatura, si quid habeat respondere, ut justificetur Deus in sermonibus suis, et vincat cum judicatur (*Psal.* L).

(Vers. 3 seq.). *Populе meus, quid feci tibi : et quid molestus fui tibi, responde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. Populе meus, memento, quæso, quid cogitaverit contra te* [Vulg. tacet *contra te*] *Balac rex Moab, et quid responderit ei Balaam, filius Beor, de Settim usque ad Galgal, ut cognosceres justitias Domini.* LXX : *Populus meus, quid feci tibi, ÷ aut quid contristavi te* * *aut in quo molestus fui tibi? responde mihi : quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servitutis redemi te, et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam. Populus meus, recordare quid cogitaverit adversum te Balach, rex Moab, et quid responderit ei Balaam, filius Beor, de Schœnis* [Al. *Seinis et Scynis*] *usque ad Galgal : ut cognosceretur justitia Domini.* Pro *justitiis*, sive justitia, *misericordias* interpretatus est Symmachus, et ubi LXX *Schœnis* ; omnes ipsum Hebraicum SETTIM (שטים) transtulerunt. Est autem locus in quo Balac rex Moabitarum adversum Israel congregavit exercitum, ὁμώνυμος arboribus, quæ per eremum montis Sina hodie quoque gignuntur. Nam ubi in LXX vel arca Testamenti, vel altare et tabernaculum, cæteraque quæ de lignis imputribilibus facta referuntur, in Hebraico ponuntur *ligna Settim*, quæ habent similitudinem arboris, quam nos vulgo Spinam albam dicimus. Unde arbitror et LXX σχίνον, interpretatos esse, hoc est, *lentiscum;* sed paulatim librariorum errore factum esse, ut σχοῖνοι, id est, *funes*, pro σχίνοις, hoc est, *lentiscis* legerentur. Loquitur igitur Deus ad populum Israel, et ad judicium provocat, et licentiam contra se tribuit disputandi. Populе meus, quid feci tibi, quod facere non debui? *vel quid contristavi te?* licet hoc non habeatur in Hebraico. Contristat autem pater filium flagellatum, et iniquitates ovium in virga pastor [*Al.* pastoris] visitat. Quid molestus fui tibi? vel, ut significantius in Hebraico scriptum est, quo labore te pressi? an beneficia mea contumeliam interpretaberis, et pepones **503** carnesque Ægyptias desiderans, dolebis te eductum de terra Ægypti, ac de domo servitutis meo auxilio liberatum, quia dedi ductores tibi Moysen amicum meum, et Aaron sacerdotem meum, et Mariam prophetissam meam? Quod si hoc tibi parvum videtur, recordare illius temporis quando Balac rex Moab, Balaam divinum adversum te mercede conduxit, et vide quomodo contra voluntatem suam, cupiens tibi maledicere hariolus benedixerit (*Num.* XXII) : de Settim usque ad Galgal, totum exercitum Israel oculis lustrans, et mutans loca, quasi ego non possem cum pergente pergere, et cum transeunte transire : et hoc feci, ut misericordiæ meæ et justitiæ noscerentur tibi, tantum te amantis, ut cum ego quotidie ore blasphemantium maledicar, tibi ab inimico non dimiserim maledici. Hebræi hunc locum in quo dicitur, *de Settim usque ad Galgal, ut cognosceres justitias Domini* (*Num.* XXV), ita exponunt : ab eo tempore quo fornicati estis in Madian, usque ad tempus quo Saul apud Galgal est unctus in regem (I *Reg.* X), repetite memoria quæ mala operati estis, et quanta vobis bona fecerim, et meam in vos misericordiam cognoscetis. Hoc juxta historiam Deus ad carnalem Israel locutus sit. Nos autem qui cupimus revelata facie gloriam Domini contemplari, et vere habemus patrem Abraham, audiamus cum peccaverimus adversum nos disputantem Deum, et nos in beneficiorum suorum magnitudine arguentem. Servivimus quippe aliquando Pharaoni, et Ægyptio populo lutum et lateres fabricati sumus : et redemit nos qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, ut diceremus qui redempti eramus a Domino, quos redemit de manu inimicorum, et quos de regionibus congregavit : *Quia in æternum misericordia ejus* (*Psal.* CVI, 1). Emisit quoque ante faciem nostram Moysen spiritualem legem, et Aaron magnum sacerdotem, [a] non typicum Ephod, veritatemque portantem, sed habentem in fronte signaculum sanctitatis quod Deus Pater signavit. Et misit Mariam tantem *Urim et Thumim*, sive *Rationale*, in quo erat *illuminatio veritatis*. MART.

[a] Ms. Cluniacensis, *non typicum Ephod velamenque portantem :* sed retinemus *veritatemque*, id est, por-

vaticinium prophetarum, et non solum id nobis præstitit; sed de inimicorum quoque nos manibus liberavit. Recordemur enim quid cogitaverit adversum nos, **504** qui devorare voluit, et nostram congregationem elingere, verus Balac diabolus. *Balac* enim interpretatur ἐκλείχων, id est, *elingens*, rex aquæ paternæ : siquidem *Moab* juxta aliam etymologiam, *aqua paterna* dicitur. Cum igitur insidiaretur nobis Balac, et insidiaretur per *vanum populum suum*, quod interpretatur *Balaam*, non permisit nos Deus maledictis illius subjacere; sed econtrario benedixit nobis, rei ipsius veritate compulsus vanus populus gentium, natus de eo qui in pelle est : nam *Beor* interpretatur *in pelle*, semper carni et mortis operibus deditus : responditque pro nobis vanus populus, ortus ex eo qui totus in pelle est, semper commutans loca, vel stans super spinas, sive super funiculos, ut Vulgatæ quoque editionis sequamur errorem. Spinæ autem juxta eloquium Salvatoris, curæ hujus sæculi, et divitiæ, et voluptates sunt in quibus vanus est populus (*Matth.* XIII, *Marc.* V). Quod autem stet in funibus, in vinculis videlicet peccatorum (funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur [*Prov.* V], et Isaias testis est, dicens : *Væ qui protrahunt peccata sua quasi funem longum, et quasi lorum jugi vitulæ iniquitates* (*Isai.* V, 18). Si igitur stat, non stat nisi in spinis et in funibus : si autem voluerit circuire, non habet stabilem gradum, sed semper fluctuans et vacillans, pervenit usque al *Galgala*, quod interpretatur κυλισμὸς, id est, *volubilitas* vel [a] *volutabrum*. Si quando viderimus consurgere aliquos adversum nos, et avidis faucibus nostrum sitire sanguinem, et ex improvisa dispensatione Dei, pro nobis fieri eos, qui contra nos venerant, dicamus, Balaam de funiculis venit usque ad Galgal, ut cognoscatur justitia Dei.

(Vers. 6, 7.) *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocaustomata, et vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo : fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* LXX : *In quo apprehendam Dominum?* [b] *suscipiam Deum meum excelsum? Si apprehendam eum in holocaustis, in vitulis anniculis? suscipiat Dominus in millibus arietum,* **505** *vel in decem millibus hircorum pinguium? si dabo primogenita mea pro impietate : fructus ventris mei pro peccato animæ meæ.* Deus populum ad judicium provocarat : ille sciens peccatum suum non vult contendere, sed rogare, nec tamen in ipsis precibus habet fiduciam. Nihil enim dignum est, quod pro peccato possit Deo offerri, et nulla humilitas potest maculas eluere delictorum, quia impossibile est sanguinem taurorum, et vitulorum, et holocausta medullata, et cruorem arietum, et hircorum pinguium, animæ sordes lavare (*Hebr.* X). Numquid, ait, dabo primogenitum meum pro scelere meo, sicuti rex Moab fecisse describitur (IV *Reg.* III)? aut fructum ventris mei pro peccato animæ meæ, quod fecit Jephte, pro temeritate voti offerens filiam (*Judith.* XI)? Nos ergo qui sumus de populo Dei scientes quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens (*Ps.* CXLII), et dicentes : *Jumentum factus sum apud te* (*Ps.* LXXII, 23), agentes pœnitentiam pro peccatis, dubitamus et dicimus : *In quo apprehendam Dominum, suscipiam Dominum meum excelsum?* Quomodo eum potero tenere fugientem? quanta munditia valebo præparare hospitium Trinitati? An comprehendam eum in holocaustomatibus, ut totum me ei holocaustum offeram, vel in vitulis anniculis, ut lac deserens, et ad solidum veniens cibum, anno Domini acceptabili dignus efficiar? Si mille obtulero arietes, si decem millia hircorum, et totas Levitici victimas spiritualiter intelligens in me exhibuero, et cadant ex latere meo mille, et decem millia a [c] sinistris meis (*Ps.* XC), tamen nihil dignum dare potero, in quo apprehendam, vel suscipiam Deum. Si dedero primogenita mea pro impietate, et fructum ventris mei pro peccato animæ meæ : dabo quidem quidquid in me primum est, sed pro meo peccato et impietate nihil dignum offeram Deo. Unde et David precatur, et dicit : *Magis magisque lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitates meas ego cognosco, et delictum meum contra me est semper* (*Ps.* L, 5). Pro peccato animæ solus digne sanguis offertur : et sanguis, non vitulorum, non arietum, non hircorum, sed proprius digne offertur, dicente atque quærente propheta : **506** *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et postea respondente : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus* (*Ps.* CXV). Verum et ipsum sanguinem non damus, sed reddimus. Et quid simile? cum justus pro peccatoribus, Dei Filius pro hominibus mortuus sit, nos peccatores et homines pro nominis ejus confessione moriamur?

(Vers. 8.) *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* LXX : *Annuntiatum est tibi, homo, quid bonum, aut quid Dominus quærat a te, nisi ut facias judicium, et diligas misericordiam, et paratus sis ambulare cum Deo tuo.* Quia dubitas, o populе Israel, immo universum hominum genus (nequaquam enim loquor ad populum Judæorum, sed generaliter ad omnem hominem meus sermo percurret), quomodo pro peccatis tuis Deum possis placare, si nec habes victimas quibus tua compensetur impietas : ego re-

[a] Duo Palatini mss. *voluchrum*, aut *volucrum*.

[b] Amovimus hinc *si* particulam, quæ neque in nostris mss. neque in Græco resonat.

[c] Palatini mss. et Victor., *a dextris meis* : infra quoque, *Multum lava me*, pro *Magis magisque*, etc., juxta Vulgatam editionem.

spondebo tibi, quid quærat Deus, immo jam ante [a] in Lege monstravi. Scriptum est enim in Deuteronomio : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus quærit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo, de toto corde tuo, et de tota anima tua, et custodias mandata Domini Dei tui, et justificationes ejus, quæcumque ego mandabo tibi hodie, ut bene sit tibi* (*Deut.* x, 12)? Quærit a nobis Dominus, et necessariam habens nostram salutem, poscit accipere, quod danti prosit, ut faciamus judicium, id est, ut nihil absque ratione et consilio faciamus, ut ante mens judicet quid factura sit, et postea opera compleat; ut misericordiam diligamus, et non quasi compulsi, aut ex necessitate misericordes simus, quoniam hilarem datorem diligit Deus (II *Cor.* IX). Nec dicamus, vade hodie, et cras revertere, et dabo tibi, Cumque fecerimus judicium, et dilexerimus misericordiam, quid accipiemus præmii? Ambulabimus cum Domino Deo, sicut Enoch juxta fidem Hebraicorum voluminum (*Genes.* V; *Eccles.* XLIV) ambulavit cum Deo, et placuit ei, et non inveniebatur, quia **507** transtulit illum Deus. Tu enim dixisti, in quo consequar Dominum, vel in quo apprehendam eum? Ego tibi amplius polliceor, fac judicium, et dilige misericordiam, et ambulabis cum Deo tuo. Vel certe ambulare cum Deo, non est præmium, sed præceptum. Sicut enim jubetur nobis, ut faciamus judicium, et misericordiam diligamus : ita præcipitur ut præparati simus ambulare cum Domino Deo nostro; nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper exspectare patrem familias venientem, et diem formidare judicii, et in nocte hujus sæculi dicere : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). [b] Verbum ESNE (הַצְנַע) (quod LXX transtulerunt, *paratum esse*, et nos diximus, *sollicitum ambulare*) Theodotio significantius expressit, καὶ [c] ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ Ἐλωαίχ, id est, *et cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo*. Sive, ut quinta editio transtulit, καὶ φροντίζειν, *agere* scilicet *sollicite*, et hanc habere curam, ut ambules cum Deo tuo. Qui enim dicit, in Christo se credere, sic debet ambulare, quomodo et ille ambulavit (I *Joan.* II, 6). Et Paulus apostolus : *Imitatores mei estote*, inquit, *sicut ego Christi* (I *Cor.* II),

*Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum* [Al. *ejus*]. LXX : *Vox Domini civitati clamabit, et salvabit timentes nomen ejus.* In Hebraico alterius hoc capituli exordium est; apud Septuaginta vero interpretes, finis superioris; et habet sensum : Nihil a te aliud, o homo, quærit Deus tuus, nisi ut facias judicium, et misericordiam diligas, et paratus sis ambulare cum Deo tuo. Vox enim Domini auditur in civitate ejus, Ecclesia : et in Scripturis sanctis quotidie personat, quod non solum hi, qui diligunt misericordiam; sed et hi qui inferiores sunt, et timent adhuc nomen Domini, ipsius doctrina elementiaque salventur. Si autem sequentis capituli exordium est, referamus juxta historiam, quod dicitur ad Samariam metropolim decem tribuum, quæ, prophetante Michæa, capta est, et dicamus : Samariam corripit Dominus, et illi plagas quæ venturæ sunt comminatur, ut audiens populus Juda, sive timentes nomen Domini, alios supplicia pati, ipsi **508** timore correpti adipiscantur salutem : Pestilente quippe flagellato, non solum sapiens, sed etiam stultus prudentior fiet (*Prov.* XIX, 35). Et hoc ipsum referes ad peccatores generaliter et ad justos, ut cruciatus aliorum cæteris fiat exemplum. Quod quidem et Dominus in Evangelio de his super quos turris in Siloa corruerat (*Luc.* XIII), interpretatur : quod non soli in universo populo fuerint peccatores, sed ut illorum pœna cæteros ad pœnitentiam provocaret.

(Vers. 10 seq). *Audite, tribus, et quis approbabit illud* [d]*? Adhuc ignis in domo impii, thesauri impietatis, et mensura minor iræ plena. Numquid justificaba stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea laquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes, et non saturaberis, et humiliatio tua in medio tui; et apprehendes, et non salvabis; et quos salvaveris, in gladium dabo. Tu seminabis, et non meles : tu calcabis olivam, et non ungeris oleo; et mustum, et non bibes vinum. Et custodisti præcepta Amri, et omne opus domus Achab; et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, et habitantes* [e] *in ea in sibilum, et opprobrium populi mei portabitis.* LXX : *Audi* (Al. *Audite*], *tribus, et quis arnabit civitatem? Numquid ignis et domus iniqui thesaurizans thesauros iniquos, et cum injuria iniquitates* [Al. *iniquitas*]*? si justificabitur in statera iniquus, et in saccello pondera fraudulenta, de quibus divitias impietatis suæ* [Al. *tuæ*] *repleverunt, et qui habitant* (Al, *habitabant*) *in ea, locuti sunt iniqua, et lingua eorum exaltata est in ore eorum. Et ego cruciavi te perditione propter peccata tua : tu comedes, et non saturaberis; et ejiciam te in temetipsam, et apprehendes, et non salvabis; et quicumque salvati fuerint, gladio tradentur : tu seminabis, et non metes; tu premes olivam, et non ungeris oleo : et uvam, et non*

[a] Iidem mss., *jam ante monstravit ille. Scriptum*, etc.

[b] Habes hic, prudens lector, restitutam genuinam lectionem Hebraicam הַצְנַע *Esne*, quam editi mutant cum צָנַע *Tsenea*, non legentes ה *He* ab initio vocis, et punctationem hodiernam Massorethurum sequentes. Habes insuper Theodotionis lectionem perfectam cum voce Ἐλωαίχ in fine, quam Erasmus et post eum Marianus mutavit in Græca verba Θεοῦ σου, non satis attentus lectioni exemplarium ms. quæ nos docent Theodotionem posuisse ipsum verbum Hebraicum אֱלֹהִיךָ, quod legebat *Eloaich*, ut omnia vocis elementa curiosius exprimeret. MART.

[c] Reponimus ἀσφαλίζου, quemadmodum et Erasmus olim, et Palatini nunc præferunt mss. Minus recte Martian. ἀσφαλίζον.

[d] Addunt nostri mss. *sive testificabit.*

[e] Iidem mss., *et habitatores tuos in sibilum, et opprobrium populi mei portabis.*

*bibes vinum; et dissipabuntur legitima populi mei, et omnia opera domus Achab; et ambulasti in consiliis eorum, ut traderem te in perditionem, et habitatores ejus in sibilum, et opprobria populorum accipietis.* Multum in hoc capitulo LXX ab Hebraica veritate discordant, in principio vel maxime : *Audi, tribus,* **509** *et quis ornabit civitatem? Et dissipabuntur legitima populi mei.* Pro quo nos posuimus propter sermonis consequentiam, *Et custodisti præcepta* [a] *Amri,* licet et in Hebræo scriptum sit : *Et custodita sunt præcepta Amri, et omnia opera domus Achab.* Si enim scriptum esset in Hebræo AMMI (עמי), recte LXX transtulissent, *populi mei :* nunc vero cum scriptum sit AMRI (עמרי), et RES littera addita, non populi nomen, sed patrem Achab sonat, de quo Regum narrat historia (III *Reg.* XVI), errorem esse, nulli ambiguum est. Denique post patris nomen ponitur filius, diciturque, *et omnia opera domus Achab.* Revertamur ergo ad initium capituli. Et primum juxta litteram disserentes, vobis orantibus, nitamur sensum assequi spiritualem. Audite, decem tribus Samariæ, quæ vobis Dominus contestatur : adhuc ignis, id est, iniquitas in domo impii est Amri, et thesauri impietatis in domo regia perseverant. Vultis audire per singula quibus malis urbs vestra plena sit? Discite : mensura minor Dei iram provocans, statera fraudulenta et diversa pondera, et in alio pondere vendentes, in alio ementes mercimonia (*Prov.* XI; *Deut.* XXV). Et siquidem pauperes hoc facerent, poterat inopia scelus necessitate defendere. Nunc vero divites ejus, non tam divitiis, quam iniquitate pleni sunt; quia omnes divitiæ dum alios spoliant, iniquitate pariuntur. Congregationem divitiarum sequitur mendacium, et manus assueta thesauros condere fraudulentam linguam possidet. Veritas paupertatem, mendacium divitias parit. Cum hoc facerent principes vestri, nolui vos statim subvertere; sed paulatim cœpi percutere, et plagis variis admonere. Misi in vos famem, misi sitim, misi morbos, et hostilem in circuitu vastitatem : seges frumenta non attulit, oleum pressa oliva non fecit, vinum steriles vindemiæ negaverunt. Adversus iniquitates, et mensuras dolosas, et pondera fraudulenta, hæc intuli supplicia. Quia vero custodisti omnes cæremonias idololatriæ quas Amri rex impius constituerat (III *Reg.* XVI *seqq.*), et omne opus domus Achab et Jezabel, pro mea lege servasti, impulsus sum scelere tuo, ut darem te et habitatores tuos in sibilum, et opprobrium populi mei **510** portaretis, dum capti ab Assyriis, quasi populus Dei vincimini, et propter vos nomen meum blasphematur in gentibus (*Rom.* II, 24). Notandum in præsenti loco, quod ubi legitur, *et opprobrium mei populi portabitis :* sive ut LXX transtulerunt, *opprobria populorum accipietis,* pro *populi mei,* AMMI (עמי) in Hebræo scriptum sit. Si ergo AMMI, *populi mei* sonat, nulli dubium est male supra, pro *Amri, populum meum* esse translatum. Huc usque juxta Hebraicum quid nobis videretur expressimus : nunc ad translationem LXX interpretum revertentes, de singulis, ut possumus, disputemus. Tribus Samaritica vocatur ad audiendum, quæ se abscidit a populo Dei. Et dicitur illi, frustra fabricaris idola, aureos vitulos artifici componis manu, et [b] imitatione Jerusalem vis aliam metropolim exstruere : quis enim ornare poterit civitatem? Num ignis, qui ardentibus diaboli jaculis succenditur; et domus iniqui, quæ secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5)? Et iniquitatem auget injuria, ut non solum de domo Dei rapiat, quæ est Ecclesia, sed etiam cum superbia et supercilio aliena devastet. Numquid justificari potest qui absque statera et pondere congregat fraudulenter de testimoniis Scripturarum divitias suas, quæ divitiæ thesauri iniquitatis sunt? Nam cum præcipiat Dominus : *Non erit in sacculo tuo pondus grande et minus* (*Deut.* XXV) : hi turpis lucri gratia semper personam accipiunt in judicio, et in eadem causa divites ac pauperes, non juxta negotium, sed juxta facultatum diversitatem, aliter atque aliter judicant; et inhabitatores civitatis suæ, quam pravis dogmatibus, perversaque doctrina a se ornari putant, loquuntur mendacium, et ponunt in excelsum os suum, et simplicitatem Ecclesiastici populi despiciunt. Unde clementissimus Deus non eos pariter percutit, sed paulatim per plagas nititur commonere, dicens : *Et ego incipiam te percutere perditione propter peccata tua;* et est sensus : O civitas quam hæretici volunt exstruere, percutiam te, ut pereas, non in abolitionem, sed juxta id quod peccatrix es. Sequitur : *Comedes,* **511** *et non saturaberis.* Legunt enim, et non intelligunt; vescentesque sermonibus Scripturarum, veritatis inopiam (*Al.* famem) patiuntur. *Et ejiciam,* inquit, *te; et apprehendes, et non salvabis : et quicumque salvati fuerint, gladio tradentur.* Tuo te, ait, judicio derelinquam; et postquam multa quærens, nihil repereris, intelligens errorem tuum, videbis, te ex universis dogmatibus tuis non posse salvari. Quicumque autem se putaverint saluratos, et non ejecti fuerint a se, nec comprehenderint veritatem, tradentur gladio, et pœnis erudientur. Seminabis ergo, o tribus, et o pessima civitas, quam igne, et iniquitate et contumeliis et statera dolosa, et sæculo fraudulento hæretici exstruunt; seminabis, et non metes; premes olivam, et non ungeris oleo; et uvas, et non bibes vinum. Prodest quippe tibi, errore cognito, ne habeas discipulos, ne caput tuum oleo ungas peccatorum, ne vino Sodomorum bibentes inebries. Et disperdentur legitima populi mei, sive Amri, et omnia opera domus Achab, eorum qui in hæresibus patriarchæ, et principes exstiterunt. Quos possumus, vel ad contrarias re-

[a] Iterum iidem mss. *Omri* et *Ommi* constanter præferunt.

[b] Melior, inquit Victorius, lectio est *ad imitationem,* ut habent septem Florentiæ exemplaria.

ferre virtutes, vel ad hæresiarchas, ut fuit Marcion et Basilides, et nuper Arius, et Eunomius. Et ambulastis in voluntatibus eorum, Amri videlicet et Achab. Pulchreque ait, *in voluntatibus eorum*. Doctrina enim magistrorum nequam, non est doctrina Dei, sed adinventiones cordis illorum. Et tradam te in perditionem, ut pereas juxta id quod hæretica es. Et habitatores tuos in sibilum, vel ut pastoris boni juxta Zachariam sequaris sibilum, dicentis : *Sibilabo eis, et congregabo eos, quia redemi eos* (*Zach.* x, 8). Vel certe in sibilum draconis, id est, in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (I *Cor.* v), et correpti discant non blasphemare (I *Tim.* i). Et hoc totum patientur, ut intelligant errorem suum, quod omnium gentium multorumque populorum opprobria et peccata portaverint. Scio quosdam ad Ecclesiam retulisse, quæ nos super hæresibus interpretati sumus. Sed quomodo nomen Amri et Achab, Samariæ principum, ad Jerusalem et Judam, sub quorum nominibus interpretatur Ecclesia, possit referri, non satis intelligo.

(Cap. VII. — Vers. 1 seq.) **512** *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ : non est botrus ad comedendum* : [a] *primitivas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum venatur in mortem. Malum manuum suarum dicunt bonum ; princeps postulat, et judex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam. Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe.* LXX : *Væ mihi, quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, et sicut racemos in vindemia, cum non sit botrus ad comedendum primitiva,* [b] *quæ passa est anima mea. Væ mihi, anima, quia periit reverens de terra, et qui corrigat in hominibus non est : omnes in sanguine judicantur : unusquisque proximum suum tribulat tribulatione, in malum manus suas præparant : princeps postulat, et judex verba pacifica locutus est, desiderium animæ suæ est. Et auferam bona eorum quasi tinea comedens, et ambulans super regulam in die speculationis tuæ.* Prædicta captivitate et decem tribuum et duarum (Verbum enim Domini factum est ad Michæam Morasthiten super Samariam, et Jerusalem), plangit propheta quod nullus e populo justus inveniatur in terra, qui possit iræ Dei resistere, et medium se quasi murum opponere. Frustra, inquit, locutus sum : frustra volui jam vindemiatæ et perditæ civitatis quasi extremos racemos requirere; et cum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus, quas Hebræi BECHCHORA (בכורה) vocant [*Al.* bechura], id est, *grossos ficorum*, in cibo sumere : quasi dicat, non inveniens panem præ famis magnitudine, quisquilias et furfures requisivi. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : ubique insidiæ, ubique fraudulentia : innoxius sanguis effunditur : præ avaritia et libidine germanitas ignoratur ; et non solum faciunt, sed defendunt quoque mala, et nominibus commutatis, bonum dicunt esse quod malum est. Ipsi principes non ab offerentibus accipiunt munera, sed cogunt dare subjectos, et postulant. Et judex in reddendo est, sic alium judicans, quomodo ipse ab alio judicatur, ut præstent sceleribus suis **513** mutuum favorem, et in alterius crimine se defendant. Quicumque magnus est, et [c] quasi in Lege doctissimus, non Dei, sed suam loquitur voluntatem. *Et conturbaverunt eam,* vel urbem, vel veritatem, sive terram, de qua supra dicitur : *Periit sanctus de terra.* Qui enim optimus inter eos est, quasi paliurus pungens, et retinens, vulnerans appropinquantem sibi, et adunco dente comprehendens : et qui rectus fuerit inventus, quasi spina de sepe, ut ibi inveniatur dolor, ubi putabatur auxilium. Hoc juxta Hebraicum. Porro secundum Septuaginta, qui dissentiunt in quibusdam, et in fine capituli omnino aliter transtulerunt, hujuscemodi mihi sensus videtur : Plangit sermo propheticus, sive apostolicus, generaliter humanum genus, quod frustra sementem jecerit doctrinarum, et pro segetibus, et pro frumentis vix vacuas stipulas et inanes culmos serus messor invenerit, et ne parvos quidem racemos in vinea potuerit reperire, et reliqua usque ad finem capituli. Si enim beatus est qui in aures loquitur audientis, et auris auditoris desiderium sapientis est, lætitiaque dicentis auditor intelligens : econtrario luctus [d] doctoris est malus discipulus, Jeremiæ quoque verbis huic querelæ congruentibus : *Non profui, neque profuit mihi quisquam* (*Jerem.*). Sunt qui ex persona Salvatoris hoc dici putent, causantis quod in tanta credentium multitudine, et in toto orbe generis humani vix suo sanguine digna opera reperiat, qui et in vicesimo nono psalmo ait : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo* [Al. *descendero*] *in corruptionem* (*Ps.* xxix, 10)? Licet asserant alii, personæ illius hoc minime convenire, ut dicat : *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe* : qui in Evangelio locutus est : *Levate oculos vestros, et videte regiones : quia jam candidæ sunt ad metendum* (*Joan.* iv, 35). Et alibi : *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Mat.* ix, 35). Qui ergo ex persona Salvatoris volunt intelligi, aiunt non mirum esse si dicat, *Væ mihi*, qui et in Jerusalem fleverit, et in Lazari morte lacrymatus sit (*Luc.* xix). Sed et illud, *Factus sum sicut qui colligit stipulam in messe*, ad consummationem referunt sæculi : quam et signifi-

[a] Hieronymiana, seu Vulgata translatio, *præcoquas*, libri alii *immaturas* præferunt, quam lectionem ipse in Commentar. Hieron. magis probat.

[b] Verius hinc amoveas verba, *quæ passa est* (vel, ut Victor. legit, *desideravit*) *anima mea*, quæ neque in nostris mss. sunt, neque in Græco. Mox pro *reverens*, Martian., *revertens*.

[c] Vocem *quasi*, utpote supervacaneam, et quæ in cunctis vacaret Florentiæ exemplaribus, Victorius induxit.

[d] Supino errore lectum a Martianæo *doloris*, pro *doctoris*.

canter messem interpretantur, **514** et dicunt illo tempore hanc prophetiam posse compleri, quando, multiplicata iniquitate, refrixerit charitas multorum, et veniens Filius hominis raram fidem invenerit super terram (*Mat.* XIV, 24) : tunc enim quasi post messem stipulam, et quasi post vindemiam racemos, vix in his reperiri, qui fidem in omnium vastitate servaverint, vocemque hanc ex persona assumpti hominis, putant de sequentibus approbari : *Væ mihi anima :* de qua loquebatur : *Tristis est anima mea, usque ad mortem* (*Mat.* XXVI, 38). Periit [ *Al.* Periet] revertens de terra, vel Antichristo interficiente sanctos, vel ad magnitudinem scandalorum cunctis corruentibus. *Et qui corrigat, inter homines non est : omnes in sanguine judicantur*, non in levibus parvisque peccatis, sed in maximis et ad sanguinem pertinentibus. Non vicinitas, non amicitia, non affinitas scelus morabitur : cuncti manus levabunt ad malum, ut etiam qui malum facere non potuerit, tamen, dum manus præparat, voluntate delinquat. Ipse princeps petit, et judex verba pacifica loquitur; accipit enim munera, desiderium animæ suæ. Quod quia manifestum est, et invidiam caveo principum, judicumque, lectoris intellectui derelinquens, tantum illud adjungam : *Munera excæcant oculos etiam sapientium* (*Deut.* XVI, 19) : vivificant quoque animam, quam vivificare non debuerant, et interficiunt eam quæ merito suo et virtutibus vivit, et hoc faciunt propter dona quæ postulant impudenter, et turpius accipiunt. Quibus Dominus comminatur, hæc dicens : *Et auferam bona eorum*, quæ putant bona, quæ illis bona videntur. Cæterum veritate rei numquam bona appellabuntur, quæ et dantem spoliant, et accipientem interficiunt : licet non tam comminatio sit, quam benedictio, auferre ab eis mala, et ipsum Dominum divinumque sermonem ingredi in conscientias eorum et quasi tineam comedere quodcumque perversum est, et prædarum malarumque cogitationum facere vastitatem, et ambulare super normam et regulam veritatis, cos ipsos ad rectum retrahere qui pravis opinionibus ducebantur ; et hoc facere in lumine veritatis, et in die illo quando qui sancti sunt, et electi de Ecclesia, ascendent ad speculam, et in sublimitate **515** doctrinarum atque operum suorum de rebus cœlestibus disputabunt.

(Vers. 5-7.) *Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum : nolite credere amico, et nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui ; quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam : nurus adversus socrum suam, inimici hominis domestici ejus. Ego autem ad Dominum aspiciam : exspectabo Deum salvatorem meum : audiet me Deus meus.* LXX : *Væ, væ, ultiones tuæ venerunt, nunc erunt fletus eorum : nolite credere in amicis, neque speretis in ducibus. Ab ea quæ tecum cubat, cave ne credas ei, quia filius contumeliam facit patri, et filia surgit adversum matrem suam, nurus contra socrum suam : inimici hominis, viri domestici ejus. Ego autem in Domino contemplabor, exspectabo Deum salvatorem meum : exaudiet me Deus meus.* Excepto principio capituli, in reliquis partibus editio utraque concordat, et interim juxta historiam diem speculationis Samariæ, sive Jerusalem, quam sæpe exspectaverat et timuerat esse venturam, et visitationem ejus, captivitatem significat, dicens : *Vastatio tua venit : nunc erit vastitas eorum*, id est, habitatorum, sive obsidio : MABUCHA (מבוכה) enim magis πολιορκίαν et φρούρησιν, id est, *obsidionem* et *custodiam*, quam *vastitatem* in Hebræo sonat. Nullis ergo credatis vocibus prophetarum, nec accommodetis aurem decipienti blanditiæ divinorum ; quia si inter cara nomina et consanguinitatis affectum rara est fides, quanto magis in his qui adulantes vobis, mentiuntur pro præda sua, et quasi ægrotantibus, non quid utile sit, sed quid delectabile, et placens imperant ! Nolite credere amico ; et Achitophel quippe consurrexit adversum David (II *Reg.* XV), et verus Achitophel Judas adversus Christum (*Matt.* XXVI). Et, nolite confidere in duce, ut viri Sichem in Abimelech ( *Judith.* IX ). Ipsi enim eum fecerunt regem, et ab eo oppressi sunt. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* (*Ibid.*, XVI) : ne patiaris quod Samson a Dalila perpessus est (II *Reg.* XVI). *Quia filius contumelium facit patri ;* Absalon videlicet David : non solum regnum, sed et concubinas patris incesto coitu maculavit. *Filia consurgit contra matrem suam :* cujus rei cum **516** interim de Scripturis sanctis testimonium non reperiamus, tanta exempla sunt quotidianæ vitæ, ut magis lugere quod tanta sint, quam quærere debeamus. *Nurus contra socrum suam :* ut uxor Esau consurrexit contra Rebeccam (*Gen.* XXVI). *Inimici hominis, viri domestici ejus.* Hic exempla non quæro, cum plura sint, quam ut testimoniis indigeamus. Cum ergo hæc ita se habeant, nolite credere, Samaria [*Al.* Samariæ] et Jerusalem, pseudoprophetis. *Ego autem*, inquit propheta, *ad Dominum aspiciam*, exsultabo in Deum Salvatorem meum, sive Jesum meum, et audiet me Deus meus. Sequitur Septuaginta expositio, qui dixerunt, *Væ, væ, ultiones tuæ venerunt*, id est, supplicia quæ pro sceleribus inferenda sunt. *Mihi*, inquit, *vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19 ; *Deut.* XXXII, 35). Et in alio loco : *Venerunt dies retributionis tuæ* (*Osee* IX, 7). Facit enim Dominus ultionem vociferantium ad se die ac nocte atque dicentium : *Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra* (*Apoc.* VI, 10) ? Venerunt ergo ultiones, et nunc erunt fletus earum, id est, ultionum, ut plangant qui ante riserunt, et statim exeuntes de sæculo, tormenta sustineant, quæ dives ille quondam purpuratus, et deliciis affluens, sustinet in inferno, ubi est fletus et stridor dentium (*Luc.* XVI ; *Matt.* VIII, XIII). Quod autem sequitur, *Nunc erunt ;* vel in fine uniuscujusque vitæ intellige, vel in consummatione rerum omnium, et in die judicii, quando generales super universos venient ultiones. Nolite ergo credere amicis, quia omnis amicus supplantatione supplantat, et qui propter aliquid est

amicus, non tam amicus ejus est quem amare se simulat (ab [a] amore quippe amicus dicitur) quam ejus rei quam diligit. Interrogatus quidam quid esset amicus, respondit : Alter ego. Quod si Pythagoræorum nobis opponitur exemplum, qui se vades invicem tyranno dederunt, dicimus, non generaliter adversum omnes amicos et charitatis affectus, sententiam a Deo esse prolatam, nec contra omne tempus, sed de eo super quo Apostolus ait : *In novissimis diebus advenient tempora periculosa : erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, fastidiosi,* **517** *superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, pactum non custodientes, delatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, inflati, voluptatum amatores magis quam Dei* (II *Tim.* III, 1, 2,), et cætera. Tunc enim tradet frater fratrem, et pater filium, et mater filiam, et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* X, 35, 36). Sed et nunc rara fides est : cum aliud in labiis, aliud in corde versatur : venenum animi, linguæ mella tegunt. Amici divitum multi, a pauperibus autem etiam qui videntur esse, discedunt. Unde dicitur: *Si habes amicum, in tentatione posside eum* (*Eccl.* VI, 7). Legi in cujusdam Controversia: « Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. » Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam præferens charitati, et tamen raram in rebus humanis esse contestatus est. Est et Ciceronis de amicitia liber, quem Lælium inscripsit : in quo illud quod apud nostros præcipitur : Ut sit nobis amicus, quasi vinum vetus, et in suavitate bibamus illud, pene eisdem verbis positum est. Amicitia pares aut accipit, aut facit : ubi inæqualitas est, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. Unde et alibi legimus : Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans : *Serves*, inquit, *animæ dimidium meæ* (*Horat.*). Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominibus, qui de amicitiis sectantur lucra. Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei, sicut Moyses qui loquebatur Deo, quasi amicus ad amicum (*Exod.* XXXIII, 11). Esto amicus, ut Apostoli, ad quos Salvator ait : *Jam non dicam vos servos : quoniam servus nescit quid velit dominus suus ; sed dicam vos amicos, quoniam perseverastis mecum in omnibus tentationibus meis* (*Joan.* XV, 15). Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitates et divitias sequitur. Istiusmodi homines non mihi videntur amicos, sed seipsos diligere. Consideremus attentius verba Domini : *Sed dicam vos*, inquit, *amicos*. Redditque causas quare illos amicos vocet : *Quia perseverastis mecum in tentatione*, et non hucusque stetit : sed *in omnibus*, inquit, *tentationibus meis*. Evenit quippe interdum, ut qui nobiscum perseveravit in una tentatione, aliis victus recedat. Secundo præcipitur : Neque **518** speretis in ducibus : *Maledictus* enim *est homo qui spem habet in homine* (*Jer.* XVII, 5). In homine spes vana, et vera in Deo est. Unde et Paulus loquitur : *Et ex vobis ipsi consurgent viri loquentes perversa* (*Act.* XX, 30). Et ipse Dominus per prophetam : *Duces populi mei me nescierunt, filii stulti sunt, et non intelligentes : sapientes sunt, ut faciant mala : bene autem facere nescierunt* (*Jer.* IV, 22). Duces quidem, ait, mei vocabantur, et duces populi mei ; sed quia nescierunt me, et opere vocabulum destruxerunt, propterea filii stulti sunt et non intelligentes : prudentiam ob hoc tantum habent, ut subjiciant sibi simplicem gregem, et proterant pedibus suis ; bene autem facere, et regere populum nescierunt. Nolite credere in ducibus [*Al.* judicibus], non in episcopo, non in presbytero, non in diacono, non in qualibet hominum dignitate. Nec hoc dico, quod istiusmodi gradibus in Ecclesia non debeatis esse subjecti : *Quicumque enim maledixerit patri, aut matri, morte morietur* (*Levit.* XX, 9). et Apostolus docet præpositis in Ecclesia obediendum ; sed quod aliud sit honorare duces, aliud spem habere in ducibus (I *Pet.* II). Honoremus episcopum, presbytero deferamus, assurgamus diacono : et tamen non speremus in eis : quia [b] hominis vana, et certa spes est in Domino (I *Thess.* IV). Tertium mandatum : *Ab ea quæ tecum cubat, custodi te*, ne credas ei. Unde et Apostolus mulieres vas infirmum vocat, et eis a maritis suis exhiberi honorem jubet. Non enim creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum (*Ephes.* V). Et : *Uxor*, inquit, *ut timeat virum* (I *Cor.* XI). Uxoris timere est, et cum timore virum diligere : Viri tantum diligere ; quia dilectio perfectorum est : *Viri*, ait, *diligite uxores vestras* [c] *et nolite amari esse ad eas* (*Ephes.* V, 25) ; licet illæ ad iracundiam provocent, et talia faciant per quæ mereantur amaritudinem sustinere. Hoc enim significat παραπικραίνεσθαι : tamen vos nolite eis in amaritudine vicem reddere. Sed et Salomon in Ecclesiaste : *Et hominem*, inquit, *unum de mille inveni, et mulierem in his omnibus non inveni* (*Eccle.* VII, 29) : forsitan suo doctus exemplo, mulieribus non credendum, per quas offenderat Deum (III *Reg.* XI). Sed et Poeta sublimis (non Homerus alter, ut Lucillus [*Al.* Lucilius] de Ennio suspicatur ; sed primus Homerus apud Latinos) :

. . . . . Varium et mutabile semper
Femina. . . . . .

**519** Plenæ sunt historiæ Græcæ et Latinæ, quanti viri ab uxoribus suis decepti sint eorumque vita sit prodita. De Scripturis autem et Dalilæ, cujus supra fecimus mentionem, et alterius ante Dalilam testantur exempla, quæ arcanum Samson septem dierum expressit lacrymis, et amore simulato, quod latebat, invenit. Unde Samson postea loquitur : *Nisi domuissetis vitulam meam, non invenissetis propositionem meam* (*Jud.* XIII, 19). Hactenus præcipitur, ne amicis, ne ducibus, ne uxoribus facile credamus.

[a] Vitiosum *ab amare* Martianæus retinuit, pro *ab amore*, ut emendant mss. nostri, ac pridem Victorius ex Florentinis restituerat.

[b] Nostri mss., *quia una et certa spes*, etc.

[c] Addunt iidem mss., *sicut et Christus Ecclesiam.*

Causaque redditur non satis respondens ad propositionem; ait enim: *Quia filius inhonorat patrem, filia surgit adversus matrem, nurus contra socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.* Nam quid pertinet ad amicum, ad ducem, ad uxorem, si filius et filia et nurus, contra patrem ac matrem socrumque consurgant? Videtur ergo mihi sic cum superioribus posse conjungi: Nolite credere amicis, et ducibus, et uxoribus, quæ mutari possunt, et esse pro tempore: cum filius quoque et filia obliti educationis et infantiæ, adversum auctores vitæ suæ corporumque consurgant, et illis faciunt contumeliam, quos vultu quoque lædere scelus est. Sed hæc expositio nequaquam convenit nurui adversus socrum consurgenti, et homini, cui inimici domestici ejus. Terentius in Hecyra:

Quid est hoc? omnes socrus oderunt nurus:

quod quamquam ambiguum sit, tamen propemodum naturale est: ut nurus socrum, et socrus oderit nurum. Hæc de consummatione et fine mundi, qualis adventum Antichristi generatio præcessura sit, propheticus sermo descripserit. Nunc disputandum secundum superiorem interpretationem, in qua de hæreticis diximus: Audi, tribus, et quis ornavit civitatem? numquid ignis et domus impii? Et rursum, de Ecclesia: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe. Et iterum: Væ mihi, anima: periit reverens [*Al.* revertens] a terra; et qui corrigat, inter homines non est. Et deinceps: Princeps postulat, et judex verba pacifica locutus est, desiderium animæ suæ. **520** Unde duplex maledictio sequitur: *Væ, væ, ultiones tuæ venerunt: nunc erunt ploratus earum*, et dicamus scriptum de hæreticis: *Nolite credere in amicis*, o populi simplices, et in ducibus pravis qui se amicos et principes hæreseon esse promittunt: non enim vestram salutem, sed sua quærunt lucra, et deceptum gregem pedibus suis conterunt: et ei quæ tecum dormit, cave ne quidquam credideris, quam non possum aliam intelligere nisi carnem, ut non facile credamus carnis blanditiis, ne animi duritia virilisque constantia illius edomita mollescat illecebris. Filius enim qui natus a Deo est, neglecto Creatore suo, blasphemat eum a quo conditus, dicente Scriptura: [a] *Nonne Deus unus creavit vos? nonne pater unus omnium vestrum* (*Mal.* II, 10)? et anima cœlestem despicit Jerusalem, matremque contemnit Ecclesiam, quam qui contempserit, morte morietur. Et nurus consurgit adversus socrum suam: quod juxta tropologiam intellectu videtur difficile; sed qui legerit Canticum canticorum, et sponsum animæ, Dei sermonem intellexerit, credideritque Evangelio, quod secundum Hebræos editum nuper transtulimus (in quo ex persona Salvatoris dicitur: *Modo tulit me mater mea, sanctus Spiritus in uno capillorum meorum* (*Mat.* x). non dubitabit dicere, sermonem Dei ortum esse de spiritu, et animam, quæ sponsa sermonis est, habere socrum sanctum Spiritum, qui apud Hebræos genere dicitur feminino RUA (רוח). Hæretici ergo cum ante crediderint in Scripturis, quæ a Spiritu sancto conscriptæ sunt et editæ, transferunt se ad novas doctrinas, et fermentum Pharisæorum, et mandata hominum: dumque sermonem Dei contemnunt, socrui suæ faciunt injuriam. Et ne forte dubites, Verbum et Filium Dei nasci de Spiritu sancto, Gabrielis ad Mariam verba considera: *Spiritus sanctus*, ait, *veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Post hæc sequitur: *Inimici hominis, viri domestici ejus.* Quod sic nobis juxta tropologiam exponendum videtur: Omnis viri caput, Christus est; et Christus, caput Ecclesiæ (I *Cor.* II, 3): hujus sæpe inimici sunt, qui putantur in domo ejus esse, id est in Ecclesia, et a capite **521** quidem non recedunt, sed contra suum sentiunt caput, qui absque magistro, et gratia Domini, scientiam Scripturarum suo judicio promittentes, inflati sunt, et nihil sciunt, et languent circa quæstiones, et contentiones pugnasque verborum, qui vere consistentes in domo, inimici sunt veritatis. Scire autem debemus, quod in Evangelio prope eadem verba sint, quæ nunc legimus in Propheta, et juxta contextum illius loci alterum habere sensum, quæ utrum assumpta sint de propheta, an propria auctoritate præcepta, nosse Domini est, qui et in Prophetis et in Evangeliis locutus est. Ait autem illic Dominus: *Veni dividere virum adversus patrem suum, et filiam contra matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* x, 35, 36). His itaque edissertis (si tamen potuimus sensum attingere Scripturarum), sanctus refrigeratam intelligens charitatem, et homines in consummatione mundi non esse amatores Dei, sed amatores sui, aliis credentibus amicis et ducibus et uxoribus, filioque et filia et nuru adversus patrem et matrem et socrum consurgentibus, et inimicis hominis domesticis ejus, ipse credit in Domino, et omnis contemplatio ejus est in Deo suo: et quamquam tribulationibus et pressuris mundi prematur; tamen præter eum qui dicit: *Nolite timere, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 36), in nullo fiduciam habens, exspectat Deum Salvatorem suum, et credens in eo, oculosque suos ad eum semper dirigens, sperat se exaudiendum, quoties cum invocaverit.

(Vers. 8 seq.) *Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est: iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet et faciat judicium meum, et educat me in lucem, et videbo justitiam ejus, et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam* [Vulg. *in eam*]; *nunc erit in conculcatione, ut lutum platearum: dies ut ædificentur maceriæ uæ. In die illa longe fiet lex: in die illa usque* [Vulg. *et usque*] *ad te veniet de Assur, et usque ad civitates*

[a] Inverso ordine legitur, secundus enim versus primus habetur, et vicissim. Victorius ad textum refixit.

*munitas, et a civitatibus munitis, usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem de monte.* **522** *Et erit terra in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum cogitationum eorum.* LXX: *Ne insultes mihi, inimica mea: quia cecidi, et resurgam: quia si ambulavero in tenebris, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet causam meam, et faciat judicium meum, et educat me in lucem, et videbo justitiam ejus, et videbit me inimica mea, et operiet eam confusio, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, nunc erit in conculcationem, sicut lutum in viis* [a], *dies lituræ lateris deletio tua, et repellet legitima tua dies illa, et urbes tuæ venient in conclusionem et in divisionem Assyriorum, et civitates tuæ munitæ in divisionem a Tyro usque ad flumen, et a mari usque ad mare, et de monte usque ad montem; et erit terra in dissipationem cum habitatoribus suis propter fructus adinventionum eorum.* Videtur mihi juxta litteram, Jerusalem contra Babylonicam et cæteras gentes loqui, quæ sibi insultaverant: *Ne lætemini in ruina mea:* quia Domino miserante, consurgam: postquam sedero in captivitate, educet me ille de tenebris, et erit lux mea. Iram Domini sustinebo: quia me scio meruisse quod passa sum, donec ulciscar de gentibus, et fiat judicium meum. Novi quippe quod me sit educturus in lucem, et videbo justitiam ejus, et aspiciet inimica mea Babylon, et cæteræ gentes in circuitu, et operietur confusione, quæ nunc dicit insultans: *Ubi est Dominus Deus tuus?* Oculi mei videbunt eam, et non longo post tempore, sed nunc et in præsentiarum conculcatam, quasi lutum platearum. Hactenus Jerusalem, sive propheta ex persona populi sit locutus: Nunc Deus ad Jerusalem respondens inducitur: O Jerusalem, venerunt dies, ut ædificentur maceriæ tuæ, quæ erant a Babylonio [b] vastante destructæ. In die illa longe fiet lex, sive præceptum et jussio, ut Symmachus et Theodotio interpretati sunt, dicentes, ἐπιταγὴν καὶ πρόσταγμα; et est sensus: Nequaquam Babyloniorum imperio subjacebis, in die illa qua ædificabuntur maceriæ tuæ, venient ad te de Assur, et de civitatibus munitis: a civitatibus, inquam, munitis usque ad Jordanem, per quem et ante transivit **523** populus, et a mari Rubro, et cunctis gentibus usque ad mare Mortuum, quod vicinum est terræ tuæ, et ad montem Sion, de montibus Persarum atque Medorum, in quos translati prius fuerant; et erit terra reliqua Chaldæorum, et eorum qui te vastaverant in desolationem, propter habitatores suos, et propter mala opera eorum. Hoc sibi Judæi usque hodie pollicentur, et in eo loco, in quo nos exposuimus: *In die illa longe fiet lex,* sicut nobis visum est, et sicut prudentiores eorum disserunt, aliqui frivole mentiuntur, et aiunt: In die illa, qua a Christo ædificatæ fuerint maceriæ Jerusalem, Scripturas sanctas Legis et Prophetarum, quæ nunc tenentur a nobis, tolli de manibus nostris, et tradi populo Judæorum. Nam quod dicitur juxta Septuaginta, *dies lituræ lateris, deletio tua,* non ad Jerusalem, ut juxta Hebraicum exposuimus; sed adhuc ad Babylonem dici intelligamus, quod et ipsa delenda sit, et in morem lateris conculcanda. Et repellet legitima dies illa, non legitima Dei, sed [c] ea legitima quæ adversum legem Dei, o Babylon, jusseras observari. Et civitates tuæ venient in conclusionem, sive in divisionem, Assyriis te impugnantibus (siquidem Babylon Chaldæorum fuit civitas, non Assyriorum). Et urbes tuæ munitæ erunt in divisionem hostilis exercitus, a Tyro usque ad flumen Tigrim, quo circuiris, et a mari Magno usque ad mare Rubrum, quod ex latere pergentibus Indiam, tangit regiones tuas. Et de monte usque ad montem: de montibus scilicet Judææ usque ad montes Mediæ atque Persarum, tota Mesopotamia et universa regio, quæ nunc a te tenetur in medio, adversariorum imperio subjugabitur. Et erit terra in desolationem propter pessimos fructus studiorum vestrorum. Ubi Septuaginta interpretati sunt, *de Tyro*, sciamus, in Hebraico scriptum esse, MASOR, (מצור): quod verbum, si in præpositionem MA, et nomen SOR, dividatur, *de Tyro* intelligitur; sin autem unus sermo sit, *munitionem* sonat. Denique omnes περιοχὴν, καὶ περίφραγμα, καὶ πολιορκίαν, non *de Tyro*, ut LXX, sed *munitionem* et *ambitum muratæ urbis* transtulerunt. Hoc juxta Hebraicum, et vota carnei **524** Israel et populi concisionis, quasi ex superfluo otiosus sermo præluserit. Nunc veniamus ad intelligentiam spiritualem, et ipso Spiritu sancto exponente, quo scripta sunt, in locis vel difficillimis desudemus. Videtur mihi omnis anima Jerusalem, in qua ædificatum fuit templum Domini, et visio pacis, et notitia Scripturarum; et postea superata a peccatis, ducta est in captivitatem, tormentisque tradita, dicere contra Babylonem, id est, confusionem hujus mundi, et adversus contrariam fortitudinem, quæ huic mundo præsidet: Noli insultare mihi, inimica mea, quia cecidi, et resurgam: Dominus enim allevat elisos (*Ps.* CXLIV), et loquitur per prophetam. *Numquid qui cadit, non resurget* (*Jer.* VIII, 4)? Et: *Nolo mortem peccatoris: tantum ut revertatur, et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Si autem ideo me despicis [*Al.* desperas], quia tormenta sustineo, disce per Ezechielem pœnas primum sanctioribus irrogari, et dici a Domino: *A sanctis meis incipite* (*Ibid.*, IX, 6). Quia si ambulavero in tenebris, Dominus lux mea est. Licet enim rectores tenebrarum istarum me deceperint, et sedeam in tenebris et umbra mortis, et pedes mei impegerint in montes tenebrosos, tamen sedentibus in tenebris et in umbra mortis, lux orta est, et lux lucet in tenebris (*Isai*, IX, 2). Et: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo* (*Ps.* XXVI, 1);

[a] Palatini mss., *in viis ejus:* sicque habet Complutense Græcum exemplar, ὁδοῖς σου.

[b] Olim, *vastatæ et destructæ*: Victorius, *erant Babylonica vastitate destructæ.*

[c] Mss. nostri, *sed alegitima*, uno verbo, quod etsi barbarum, quæ tamen minime legitima sunt, utcumque sonat, et fortasse est verius.

et loquar ad eum, et dicam : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis* (*Ps.* CXVIII, 105). Ipse quippe mihi præcepit in tenebris hujus sæculi constituto : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII, 35). Sequitur : *Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei : donec justificet causam meam, et faciat judicium meum, et educat me in lucem ; et videbo justitiam ejus.* Omnis correptio ad præsens, non videtur esse gaudii, sed mœroris, et postea fructum pacificum justitiæ reddet his, qui per eam fuerint eruditi. Sentiens igitur anima se peccasse, et habere vulnera peccatorum, et in mortuis carnibus vivere, et indigere cauterio, constanter dicit ad medicum : Ure carnes meas, reseca vulnera, humores omnes et ῥεῦμα noxium dura hellebori potione constringe. Mei vitii fuit, ut vulnerarer : mei doloris sit, ut tot tormenta sustineam, ut postea **525** sanitatem recipiam. Verusque medicus jam sospiti atque securæ ostendit causam medicaminis, et recte se docet fecisse quod fecit. Denique post cruciatus atque supplicia, educta de tenebris exterioribus anima, et reddito novissimo quadrante, dicit : *Videbo justitiam ejus*, et loquar : Justificata sunt judicia tua, Deus. Si autem Christus factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (I *Cor.* I) : qui justitiam post iram Dei videre se dicit, Christi sibi repromittit aspectum. Et hæc dumtaxat de pœnitentibus. Cæterum multo melius est non habere vulnera, et [a] medico non egere. Curatio, non beatitudo sanatorum est, sed solatium post dolorem. Igitur qui curatus est, caveat, ne iterum peccet, et rursum ei aliquid deterius fiat. Legimus in Levitico (*Levit.* XIII), si tamen oculis apertis legimus, et velamen quod in Lege positum est, interioris oculi non excludit intuitum, in vibice et cicatrice combustura lepram solere generari, et mutare colorem pili, et ad priorem deformationem cicatricis novellam accedere fœditatem. Hoc propterea, ne quis securus de pœnitentia, eo quod post peccatum possit dicere : *Iram Dei sustinebo, quoniam peccavi ei, donec justificet causam meam*, peccet et cauterio indigeat, et sanatus iterum vulneretur. Cum autem eduxerit nos Dominus in lucem, et viderimus justitiam ejus, tunc videbit inimica nostra Babylon, et operietur confusione, quæ prius loquebatur ad nos : *Ubi est Deus tuus;* æstimans Jerusalem post vulnera non posse sanari. Et respicient eam oculi nostri, et erit in conculcationem, ut lutum platearum. Et quia omnis pœnarum finis bonorum exordium est, et dolor proficit ad sanitatem, de luto illius lateres fient, et erit formatio laterum litura ejus. Et in die illa veteres abjiciet errores, civitatesque illius, quæ male munitæ fuerant, venient in conclusionem, sive in divisionem, et dividentur ab Assyriis; de Tyro quoque, quæ interpretatur συνοχή, id est, *angustia*, consurgent aliæ fortitudines, et erit seditio usque ad eos qui sæculi hujus rheumate delectantur, et libidines generant in hominibus. Et de mari usque **526** ad mare, et de monte usque ad montem invicem bella consurgent, ut amaritudo pugnet contra amaritudinem, et erigens se humilianda sublimitas, contra aliam dimicet altitudinem, et tunc vere compleatur : *Venite, descendamus et confundamus linguas eorum, ne audiat unusquisque vocem proximi sui* (*Gen.* XI, 7), prodest quippe fortitudines pessimas [*Al.* fortitudinibus pessimis] inter se non habere concordiam. Et, cum Satanas adversus Satanam divisus fuerit, tunc demum omne regnum illius destruetur (*Matth.* XII). Et quod frequenter in magnis exercitibus evenire solet, ut interfecto tyranno, satellites ejus regnum inter se dividant, contra seque consurgant, et intestinum inter eos bellum sit : hoc et in consummatione mundi fiet, quando Jerusalem maceriæ fuerint ædificatæ, et Babylon corruerit, Assyriique, et Tyrii de flumine, et de mari, et de montibus, id est, universæ inter se pugnabunt dæmonum nationes, et dissipato regno illorum, fiet regnum Domino Jesu, et omne genu flectetur, cœlestium, et terrestrium, et infernorum, et universa lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). Ut autem sciatis finem hujus seditionis profectum esse virtutum, erit tunc terra Babylonia in dissipationem cum omnibus habitatoribus suis, et nequaquam fructus faciet Babylonios [*Al.* Babylonicus].

(Vers. 14 seqq.) *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ : habitantes solos in saltu in medio Carmeli : pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos : secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam* [Al. *ostendi*] *ei mirabilia. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine eorum* [Vulg. *sua*]. *Ponent* [b] *manus suas super os : aures eorum surdæ erunt. Lingent pulverem sicut serpentes : velut reptilia terræ, turbabuntur* [Vulg. *proturbabuntur*] *de ædibus suis. Dominum Deum nostrum formidabunt, et timebunt te.* LXX : *Pasce populum tuum in virga tua, oves hæreditatis tuæ, habitantes solas in saltu, in medio Carmeli pascentur Basanitin et Galaaditin juxta dies pristinos, et juxta dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam eis mirabilia. Videbunt gentes, et conjundentur in omni fortitudine sua : ponent manus super os suum, aures eorum surdæ erunt. Lingent humum sicut serpentes, quæ trahunt terram : turbabuntur* **527** *in conclusionibus suis : super Domino Deo nostro formidabunt, et timebunt a te.* Hoc quod dicitur : *Pasce populum tuum in virga tua*, Deus Pater loquitur ad Filium, id est, ad Dominum nostrum Jesum Christum, ut quia pastor bonus est, et ponit animam suam pro ovibus suis (*Joan.* X), pascat populum suum in virga sua, et oves hæreditatis suæ. Ac ne putemus eosdem esse populos, quos et oves, in alio loco legimus : *Nos autem po-*

[a] Unus Palatinus, *et medici non egere curatione. Non beatitudo*, etc.

[b] Ad Vulgatæ exemplar Victorius, *Ponent manum super os*, et mox, *sicut serpens*, minori numero.

*pulus tuus, et oves pascuæ tuæ* (*Ps.* LXXVIII, 21). Populus refertur ad rationabiles quosque, oves autem ad eos, qui necdum ratione [a] utentes, tantum simplicitate contenti sunt, et appellantur de hæreditate Dei. Tam populus autem quam oves indigent virga pastorali, de qua loquitur et Apostolus : *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21)? Ob hanc, puto, causam, quia populus Israel duræ cervicis erat, et semper carnes Ægyptias suspirabat, usum esse Moysen non solum adversum Ægyptios, quos percussit decem plagis, sed etiam adversus populum in solitudine, virga legali, virga percutiente, et omnia vasa testea, et fragilia confringente. Apostolis autem Domini Salvatoris, qui sapientiam loquebantur inter perfectos (I *Cor.* II), virgam excussam esse de manibus, quia perfecta dilectio foras mittit timorem (I *Joan.* IV). Quod si quis nobis opposuerit, quomodo nunc dicatur ad Christum, hoc est, ad bonum pastorem, qui utique major apostolis, et melior est, ut utatur virga, cum majoris profectus sit virgam non habere, quam virga populos ovesque corripere : respondebimus eis secundum illud quod Dominus pollicetur apostolis suis, majora eos signa in populis esse facturos, quam ipse fecerit (*Joan.* XIV). Et quia adhuc Dominus loquebatur ad carneum Israel, et necdum ad eum, qui perfecte poterat nosse mysteria, idcirco dictum esse de eo, ut pascat in virga populum et gregem suum, apostolis autem virgam excussam esse de manibus, et severitatem Legis, Evangelii clementia temperatam. Porro hi populi et istæ oves propterea percutientur, et pascentur in virga, quia habitaverant soli in saltu. Quod quidem possumus, et de his accipere, qui se de Ecclesia separantes, conviviis **528** dedunt amicitiisque gentilium : necnon et de his, qui odio generis humani vitam appetunt solitariam, qualem Timonem fuisse Athenis legimus : non quod solitaria vita et prophetica quam habuerunt Elias (III *Reg.* XVII *et* XIX) et Joannes (*Matth.* III *et* XI), condemnanda sit; sed quia si cæteros despiciens, ipse superbiat, et habitet in saltu vitiorum, virga corripienda sit. Qui solus habitat, et non habitat in saltu, iste in laude virtutum est : qui autem solus est, et non facit opera justitiæ, et quietis tantum fruitur voluptate, et non in Christi opere et labore desudat, nec propriis manibus quærit cibum quod Apostolus jubet (I *Cor.* IV), et in superbiam erigitur : hic habitat in saltu, et inter infructuosa ligna versatur. Sed tamen quia bonus pastor est, et virga ejus ob hoc percutit ut emendet, meliora sermo propheticus pollicetur, et dicit : *In medio Carmeli pascentur Basanitidem et Galaaditin*, juxta dies æternitatis, et juxta dies egressionis tuæ ex Ægypto. Carmelus interpretatur *scientia circumcisionis* : Basanitis *confusio*, et Galaad *transmigratio testimonii*. Populus ergo Dei, et oves pascuæ ejus, quæ prius pascebantur absque A grege Domini, et extra Ecclesiam ejus, in saltu versabantur errorum, postea transferentur ad notitiam veræ circumcisionis, et servient Deo in spiritu, et gloriabuntur in Domino, et non in carne confident, et erunt vera circumcisio, et non concisio. Cumque pasti fuerint spirituali circumcisione, intelligentes peccata pristina, confundentur in vitiis suis, et erubescent, et erunt in confusione quæ ducit ad vitam (*Eccl.* IV), quia est et alia confusio quæ ducit ad mortem, in qua habitavit quondam Og, rex Basan, siquidem *Basan* interpretatur *confusio* : de qua confusione pessima et Dominus repromittit liberaturum se populum suum : *Dixit Dominus, ex Basan convertam, convertam de profundo maris* (*Ps.* LXVII, 23). Cumque scierimus veram circumcisionem, et confusi fuerimus super peccatis nostris, tunc erimus in Galaad, B quæ interpretatur *transmigratio testimonii*, in Ecclesia Christi, ad quam testimonia Legis et Prophetarum eloquia transcenderunt, et hoc fiet nobis secundum dies antiquos, secundum dies, quando egressi sumus **529** de terra Ægypti, de quibus Moyses dicit : *Recordamini dies æternitatis* (*Deut.* XXXII, 7), non dies hujus sæculi, qui appellantur mali, sed dies perpetuos. Recordatur autem dierum æternitatis, qui non aspicit præsentia, surrexitque cum Christo, et sedet cum eo in cœlestibus, jam mente præsumens se de diebus præsentis sæculi liberatum. Promittit quoque sermo divinus, quod ostendat populo suo, et ovibus hæreditatis suæ mirabilia : *Tunc*, inquit, *videbunt gentes, et confunden-* C *tur in omni fortitudine sua*, quia vastaverant quondam, et prævaluerant adversus populum Dei, et confusio earum habebit profectum, cum sua intellexerint mala. Ponent enim manus suas super os suum, malaque opera omnem eis loquendi auferent libertatem. Quomodo autem impiarum gentium manus claudunt ora eorum, sic justorum manus eorum ora reserabunt, ex opere bono loquendi cum Deo accipientium facultatem. Aures quoque eorum obsurdescent, quia malitia non solum oculorum obcæcavit intuitum, sed et aures fecit obsurdescere; noluerunt enim audire vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. Et juxta Isaiam : *Auribus suis graviter audierunt* (*Isai.* XXXIII) : quamquam multo minus sit graviter audire, quam penitus non audire, et D surdum fieri ut verbum non audiat veritatis. Post tanta mala dicitur de eis, quod lingent humum quasi serpentes, quæ trahunt terram, ambulantes in ventre suo, et comedentes terram omnibus diebus vitæ suæ (*Gen.* III). Et carnis, id est, terrena opera facientes, et trahentes secum usque ad diem ultionis, et visitationis Domini, non pulverem, non terræ parva vestigia, sed totam humum. Quod cum fecerint, et ad judicium Dei venerint, et conclusi fuerint atque turbati, tamdiu turbabuntur, et conclusi erunt, quamdiu terra quam traxerant quasi serpentes, permanserit in eis. Cum autem illa defecerit,

[a] Sic habent septem Florentiæ mss. Victorio teste : antea erat *viventes*.

obstupescent, et admirabuntur, non in Domino Deo suo (necdum enim merebuntur, ut dicatur Dominus Deus eorum), sed in Domino Deo nostro. Et subito fit ἀποστροφὴ ad Christum diciturque ad eum : *Et timebunt a te.* Principium enim sapientiæ, timor Domini (*Prov.* VII). Et hæc fient, ut videant gentes, et confundantur in omni mala fortitudine sua ; et ponant manus super os suum, et auribus obsurdescant, et lingant terram velut serpentes, **530** qui trahunt humum, ut primum concludantur, conclusique turbentur, inde territi obstupescant ad Dominum Deum sanctorum, et ad extremum ipsi quoque timeant illum. Hoc juxta LXX. Porro quia non multum ab eis, in præsenti dumtaxat loco, nostra discordat editio, quod in illis dictum est, etiam in hac dictum existimemus.

(Vers. 18-20.) *Quis Deus similis tui? qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ. Non immittet ultra furorem suum : quoniam volens misericordiam est. Revertetur, et miserebitur nostri : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem in Jacob, misericordiam Abraham, quam* [Vulg. *quæ*] *jurasti patribus nostris a diebus antiquis.* LXX : *Quis, Deus sicut tu? auferens iniquitates, et transcendens injustitias his qui reliqui sunt de hæreditate tua? Non tenuit in testimonium iram suam, quia volens misericordias est. Revertetur, et miserebitur nostri, demerget peccata nostra : et projicientur in profundum maris omnia peccata nostra. Dabit veritatem Jacob, misericordiam Abraham, sicut jurasti patribus nostris juxta dies priores* [Al. *pristinos*]. Intelligens propheta, gentium multitudinem propterea in conclusione sua esse turbatam, ut obstupesceret, et timeret Deum, et idcirco Dominum desævire, ut peccata auferat, et donet salutem, laudat Dominum atque miratur, et dicit : *Quis Deus sicut tu? auferens iniquitates, et transcendens injustitias* (*Exod.* XII) : ut quomodo exterminator in Ægypto transcendit populum Israel, et non vastavit eum (unde a transitu, *phase*, id est, *pascha*, nomen accepit) sic tu parcas gentibus, nequaquam illis imputans iniquitates suas. Porro quod sequitur : *His qui reliqui sunt de hæreditate ejus, non tenuit in testimonium iram suam*, hic est sensus : Si gentibus pepercit, quæ Legi ejus credere noluerunt, et qui superflui A et reliqui de populo sunt relicti, iniquitates suas ei noluit imputare, nec in testimonium justi supplicii eorum intulit iram suam, quid faciet de grege suo, qui pascitur in medio Carmeli, et in Basanitide, et in Galaad? Volens enim misericordiam est, et revertens miserebitur nostri, et gravia peccata nostra, et iniquitates quæ sedent super talentum plumbi, ipse portabit, et demerget in mare, et parere non faciet (*Zach.* V). Dabit veritatem Jacob, et misericordiam Abraham : ut supplantatori populo et novello, et semper in lucta **531** posito, reddat in Christo [*Al.* Christus] veritatem suam, et multitudini gentium (*Abraham* quippe vocatur *pater multarum gentium*) tribuat misericordiam, sicut juravit eis, qui patres exstiterunt fidei nostræ secundum B dies antiquos : quod de tota hominum multitudine alios salvet in veritate, alios in misericordia. Porro ubi nos interpretati sumus, *Non immittet ultra furorem suum;* pro *ultra*, Symmachus transtulit *in sempiternum :* Theodotio, *in finem :* Septuaginta et quinta editio, *in testimonium :* pro quo positum est in Hebræo LAED (לעד) ; et tam *ultra*, quam *sempiternum*, et *testimonium* intelligi potest. Dicam et ego in fine voluminis, laborem opusculi mei, Domini invocatione consignans : *Deus, quis similis tibi?* aufer iniquitatem servi tui : transi peccatum reliquiarum animæ meæ, ne immittas in me furorem tuum, neque in ira tua **532** corripias me : quoniam misericors es, et multæ miserationes tuæ. Revertere, et miserere mei : præcipita iniquitates meas, et mitte C eas in profundum maris : ut salsugo et amaritudo vitiorum in falsa regione dispereat. Da veritatem quam promisisti servo tuo Jacob, et misericordiam quam pollicitus es amico tuo Abraham, et libera animam meam a persecutoribus prophetarum tuorum, Achab, et Jezabel, sicut jurasti patribus meis in diebus antiquis, dicens : *Vivo ego, dicit Dominus : Nolo mortem peccatoris, tantum ut revertatur, et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Et alibi : *Statim ut conversus ingemueris, salvus eris.* Tunc videbit inimica mea, et operietur confusione, quæ nunc dicit ad me : *Ubi est Dominus Deus tuus* (*Ps.* XLI, 4, 11)? Videbo in ea ultionem tuam, et erit quasi lutum platearum, atque calcabitur, ne amplius de luto et paleis Ægyptias exstruat civitates.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM IN NAUM PROPHETAM

[a] LIBER UNUS.

## PROLOGUS.

**533-534** Juxta Septuaginta interpretes, in ordine prophetarum duodecim, post Jonam Naum ponitur : quia videntur de eadem urbe prophetare. Scriptum siquidem est in Jona : *Factus est sermo Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens : Surge et vade in Niniven, civitatem magnam, et prædica in ea* (*Jonæ* I, 1). In Naum vero istud exordium est : *Assumptio Ninivæ : liber Visionis Naum Elcesæi.* Igitur uterque de Ninive Assyriorum metropoli, quæ nunc vocatur Ninus, texunt vaticinium. Porro in Hebraico, post Jonam, Michæas ponitur, et Michæam sequitur Naum, qui interpretatur *consolator*. Jam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia, rege Juda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati, adversum Niniven visio cernitur. Nec erat parva consolatio, tam his qui jam Assyriis serviebant, quam reliquis, qui sub Ezechia de tribu Juda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent, Assyrios quoque a Chaldæis esse capiendos, sicut in consequentibus hujus libri **535-536** demonstrabitur. Sciendum autem est (quoniam *Ninive* in nostra lingua de Hebræo *speciosam* sonat : speciosus autem mundus hic dicitur : unde et apud Græcos κόσμος ab ornatu nomen accepit) quidquid nunc adversum Niniven dicitur, de mundo figuraliter prædicari. Quam ob causam *assumptio*, quam Septuaginta interpretantur λῆμμα, et Aquila ἆρμα interpretatus est, apud Hebræos MASSA ponitur, id est, *grave onus* : eo quod eam adversus quam videtur, premat, nec sinat elevare cervicem. Porro quod additur, *Naum Elcesæi*, quidam putant Elcesæum patrem esse Naum, et secundum Hebræam traditionem etiam ipsum prophetam fuisse : cum Elcesi [*Al.* Elcesæi], usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia ; sed tamen notus Judæis, et mihi quoque a circumducente monstratus. Simul et hoc attendendum quod hæc ipsa vel *assumptio*, vel *onus*, vel *pondus*, prophetæ visio sit. Non enim loquitur in ἐκστάσει, ut Montanus et Prisca Maximillaque delirant ; sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur, et pondus hostium facientis in suo populo visionem. De consummatione itaque mundi secundum ἀναγωγήν, o Paula et Eustochium, in consolationem sanctorum prophetia texitur : ut quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia et caduca contemnant, et præparent se ad judicii diem, ubi ultor adversus veros [b] Assyrios futurus Dominus est.

[a] Hæc quoque Paulæ ejusque filiæ Eustochio Explanatio inscribitur.

[b] Duo Palat. mss., *adversus viros Assyriorum futurus*, etc.

## *INCIPIT LIBER.*

(Cap. I.—Vers. 1.) *Deus æmulator, et ulciscens Dominus.* Vox prophetæ laudantis Deum, quod de Assyriis populi sui sit ultus injuriam. Sive juxta altiorem intelligentiam, quod audiat gemitum sanctorum suorum, et in consummatione mundi faciat adversarios sentire supplicia. Quod autem zelus in bonam partem accipiatur, et Paulus apostolus ostendit, dicens : *Zelamini charismata* [a] *majora* (I *Cor.* XII). Et in alio loco : *Zelor enim vos Dei zelo* (II *Cor.* XI). Et ipse Dominus in psalmo : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Ps.* LXVIII). Et Elias : *Zelans*, inquit, *zelatus sum Domino omnipotenti Deo Israel* (III *Reg.* XIX). Phinees quoque zelum, et Matathiæ legimus (*Num.* XXV ; I *Mach.* II). Et Simonem zelotem apostolum Jesu Christi, quem Marcus evangelista, Simonem Chananæum vocat (*Act.* I ; *Marc.* III). Zelatur autem

[a] Idem mss., *meliora* ; et Græce quoque τὰ κρείττονα.

Dominus in salutem eorum quos zelatur : ut quos non potuit ejus servare clementia, servet æmulatio. Unde et ad Jerusalem, quæ propter peccata nimia visitationem zeli et furoris ejus non merebatur, in Ezechiele loquitur Deus : *Zelus meus* [a] *recessit a te, et non irascar ultra tibi* (*Ezech.* XVI, 42). Quamdiu itaque agebat pœnitentiam mundus, consummatio illius non fiebat : postquam vero, multiplicata iniquitate, refrixit charitas multorum, ita ut tententur etiam electi Dei : tunc zelator Dominus venit in ultionem : non quod ipse sit inimicus et ultor, quod de diabolo dicitur; sed quod inimica [*Al.* amica] sit ejus ultio, et quasi ignis, ligna, fenum, stipulamque consumat, ut purum aurum remaneat et argentum (*Matth.* XXIV).

*Ulciscens Dominus, et habens furorem : Ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.* LXX : *Ulciscens Dominus cum furore : ulciscens Dominus in adversarios suos, et tollens ipse inimicos suos.* Secundum utramque intelligentiam, quia diligit Dominus quem corripit (*Prov.* III), et castigat omnem filium quem recipit, ideo irascitur, ut quod adversarium et inimicum sibi est tollat, et hostibus [*Al.* tollat ex hostibus], et contrariis cogitationibus fractis, sermonibusque sublatis, in antiquum redeant statum. Denique in consequentibus ait : *Dominus patiens, et longa fortitudo ejus.* Sed quia semel et historiam exponere proposuimus, inimicos et hostes Dei intelligamus Assyrios, in quos cum diu patiens fuerit, postea cum furore et iracundia ultor existet.

(Vers. 2.) *Dominus patiens et magnus fortitudine, et mundans, non faciet innocentem.* Quod significantius in Græco dicitur : καὶ [b] ἀθωῶν οὐκ ἀθωώσει [*Al.* καὶ ἀθοῶν οὐκ ἀθοώσει]. Et est sensus : **537** Diu quidem sceleris Assyriorum patiens fuit, et magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum sustinuit, provocans eos ad pœnitentiam; sed quia, contempta bonitate Dei, secundum cor impœnitens thesaurizaverunt sibi iram in die iræ (*Rom.* II), qui ante patiens fuit, nequaquam eos tamquam mundos et innocentes inultos abire patietur. Vel certe ita (quoniam in bonam partem simul volumus accipere quæ dicuntur) patiens est qui sustentat omnes ruentes, et erigit elisos [*Al.* allisos] (*Ps.* CXLIV) : qui sanat tribulatos corde, et alligat contritiones eorum; et magna virtus ejus, solvens inimicitiam [*Al.* inimicitias] in carne, et [c] nocentem non faciens innocentem : cum etiam qui nimium sibi applaudet coargutus fuerit, quod non merito proprio, sed misericordia Dei sit salvatus. Licet enim dicat : *Ecce ego tot annos servio tibi, et numquam præceptum tuum præterivi* (*Luc.* XV, 29) : tamen quoniam bonus est Dominus omnibus, et misericordiæ illius super omnia opera ejus (*Ps.* CXL, 6), et omnes peccaverunt, et indigent gloria Dei (*Rom.* III, 23), justificatus ab eo gratis audiet : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum* (*Matth.* XX, 15)? Atque ita fiet, ut in eo ipso quod arguit et ignoscit, nullum innoxium abire patiatur.

(Vers. 3.) *Dominus in tempestate et in turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus.* Pro tempestate et turbine, *consummationem* [d] *et commotionem* Septuaginta transtulerunt : licet in eo ubi nos posuimus, *in tempestate*, et in Hebræo scribitur BASUPHA (בסופה), *in commotione* quoque possit intelligi. Hoc autem significat, quod in fine mundi universa moveantur, juxta illud quod scriptum est in Aggæo : *Adhuc semel et ego movebo cœlum et terram, mare et aridam* (*Aggæi* II, 7) : et cum fuerint cuncta commota (ut credant viæ Domini, qui in Evangelio dicit : *Ego sum via, et vita, et veritas* (*Joan.* XIV, 6); et (*Marc.* VII) : Cum venerit Filius hominis in nubibus, quibus mandatur in Isaia (*Cap.* V), ne pluant super vineam imbrem, et ad quas pervenit veritas Dei, dicente Psalmographo (*Ps.* XXXV, 6) : *Veritas tua usque ad nubes*), tunc etiam ipsæ nubes, **538** Prophetæ videlicet, animæque sanctorum, quæ prius conjunctione carnis fuerant prægravatæ, elevatæ in sublime, tenuioris substantiæ fient, et in scabellum pedum Dei redactæ, in extremis quibusque inter angelos officiis ministrabunt. Priora quippe et antiqua, quæ ad caput pertinent, nosse non poterunt. Alius vero nubes in contrariam partem accipiet, quod semper serena conturbent, et clarum solis stellarumque lumen sua caligine nitantur prætexere, et quod subjectæ postea dominicæ potestati in pulverem redigantur et in nihilum, et terra in eis quæ pinguis est, dissolvatur.

(Vers. 4.) *Increpans mare, et exsiccans illud et omnia flumina ad desertum perducens.* Juxta litteram Dei potentia describitur, qui vindicaturus est de adversariis Israelem, quod non grande sit ei Assyrios destruere, cujus majestatis sit etiam elementa mutare. Vel certe quia semel de consummatione mundi esse diximus prophetiam, et hoc simpliciter

[a] Al. *recedat*, et *recedet*, juxta Græc. ἐξαρθήσεται.

[b] Contendunt alii legendum ἀθῶον, quæ scriptura cum editionibus LXX, tum Hieronymianæ menti conformior videatur. Verum ἀθωῶν servant ms. Alexandrinus, Theodoritus, et codex quidam Regius 229 quem laudat Cotelerius. Theophylactus autem utramque lectionem proponit atque explicat.

[c] Tantum mss. animum addidissent, facile reposuissem, *et innocentem*, pro *nocentem*. Ea quippe Hieronymi mens est, neminem quamvis innocentem futurum ante Deum, innocentem, cum quod non merito proprio sit innocens; sed ab illo justificetur : tum etiam quod coarguatur, et veniam accipiat. Consonat huic sensui illud, quod scribitur Exod. XXXIV, *Nullusque apud te per se innocens est*. Quin etiam hoc quoque quod exponendum proponitur, *et mundans non faciet innocentem*, scilicet, innocentes ipsos coarguet, quod non suis viribus, sed Dei misericordia salventur. Cæterum mox *coargutus* ex mss. substituimus, pro quo vitiose Martian. retinuit duobus verbis, *quod argutus*. Victorius, *quod*, voculam tantum induxerat.

[d] Voces, *et commotionem*, quæ deerant, supplent mss. nostri.

accipite: Cum venerit mundi consummatio, et pertransierit cœlum et terra, mare quoque et fluvios siccari. Sed mihi legenti illud in Psalmis: *Hoc mare magnum et spatiosum: ibi reptilia quorum non est numerus: animalia parva cum magnis; ibi naves perambulant. Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Ps.* CIII, 25, 26), dignum videtur bonitate, et clementia Dei, omnem amaritudinem et salsuginem maris, sua comminatione destruere: et regnantem in aquis humiliare draconem, et malitiæ exsiccare gurgites in quibus parva natant reptilia, quorum non est numerus: neque enim digna sunt numero quæ cum dracone versantur. Flumina quoque ad desertum perducens, omnem falsi nominis scientiam, quæ se contra Deum erigens, flumine eloquentiæ utitur, et volubilitate verborum, et tumentes contorquens gurgites, cum miraculo spectantium fertur in pronum. Vide Platonem, specta Demosthenem; Tullium quoque philosophum pariter et oratorem, et hæreticorum principes **539** intuere, de quibus fuit Valentinus, Marcion, Bardesanes, Tatianus, et de fluminibus non ambiges. Sed hæc omnia consumet Dominus Jesus spiritu oris sui, et destruet illuminatione adventus sui, et ad deserta perducet (II *Thes.* II). Simulque cerne quod juxta titulum, qui inscribitur: *Assumptio Ninive: liber visionis Naum Elcesæi*, recte et in Ninive mundus figuraliter intelligitur, et mare ejus eloquentiæ flumina in consummatione siccantur.

*Infirmatus est Basan et Carmelus, et flos Libani elanguit.* LXX: *Imminuta est Basanitis* [Al. *Immutata Basanitidis*] *et Carmelus, et quæ florebant Libani, defecerunt.* Μεταφορικῶς per Basan et Carmelum et Libanum, regionem uberem, et montes consitos, Assyrii vastitas demonstratur, quod ille potens quondam et florens et plurimis gentibus imperans, Domino irascente, populandus sit. Sed et de consummatione mundi possumus intelligere, quod potentes quique et nobiles, et nimiis opibus abundantes, repente pereant, et dicatur eis: *Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te: quæ autem præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XX, 12)? Porro secundum interpretationem nominum, quia *Basan, confusionem et ignominiam* sonat, in consummatione mundi omnia, quæ ignominia et rubore digna sunt, asserimus cum Dominus venerit, infirmari, et non solum peccata redigi in nihilum, sed et *Carmelum* quoque, qui interpretatur *scientia circumcisionis*, et eos qui sibi videntur in bonis operibus uberes et florentes, Christo veniente, trepidare, et impleri illud quod dicitur in Evangelio: *Cum venerit Filius hominis, putas* [Al. *putásne*], *inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Increscente quippe iniquitate, refrigescet charitas plurimorum, propter quæ veniet ira Dei.

(Vers. 5.) *Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt, et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo.* LXX: *Montes commoti sunt ab eo, et colles concussi sunt, et contracta est terra a facie ejus, universitas et omnes qui habitant in ea.* Potest et simpliciter accipi quod in consummatione mundi, cum in majestate sua Salvator venerit, et montes et colles, et orbis et terra, et cuncta moveantur. Si enim in passione ejus sol fugit, saxa scissa sunt, terra contremuit (*Matth.* XXVII, *et Luc.* XXIII): multo magis in claritate ejus omnia turbabuntur. Sed et figuraliter montes et colles, sublimes quique et potentes intelligendi sunt, qui **540** in adventu Domini prosternentur humi, ac de solio suo depositi pavimento cohærebunt. Facies enim Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII, 17). Tunc et terra contremiscet, et orbis atque universitas faciem Domini formidabunt: hoc pro summo cruciatu pœnaque ducentia, quod vultum ejus respicere non audebunt.

(Vers. 6.) *Ante faciem indignationis ejus quis stabit, et quis resistet in ira furoris ejus?* LXX: *A facie iræ ejus quis sustinebit, et quis resistet in ira furoris ejus?* Pro eo quod nos posuimus: *Et quis resistet in ira furoris ejus?* apertius interpretatus est Symmachus: *Et quis sustinebit iram furoris ejus?* Aut rarus igitur, aut nullus poterit inveniri, qui ira corripiente non dignus sit. Nec erit ulla anima quæ non paveat ad judicium Dei, cum astra quoque non sint munda in conspectu ejus (*Job.* XXV, 5). Porro verbum Hebraicum JACCUM (יקום), quod et Aquila et Septuaginta transtulerunt, *resistet*; ad illam intelligentiam transferamus, de qua in secundo Regnorum libro, et in primo Paralipomenon dicitur, *super ira Dei*, genere masculino. Nullique dubium quin ibi ira Dei diabolus intelligatur, et Angeli pessimi, qui mittuntur ad plectendos eos qui ira digni sunt. Difficile itaque reperietur in consummatione mundi, qui immaculatus et purus audeat dicere: *Ecce venit princeps mundi istius, et invenit in me nihil* (*Joan.* XIV, 30), et libera adversus eum fronte consistat. Contra Assyrios autem sic sentiendum, quia cum venerit Dominus in tempestate et turbine, siccans Babylonis imperium, quod interpretatur mare, et omnia ejus regna subvertens, quæ intelliguntur flumina, et potentiam, ubertatemque ejus ad nihilum redigens, quæ μεταφορικῶς Basan et Carmelus et flos Libani, et montes collesque dicuntur, ac latitudinem imperii concutiens, quæ orbis terrarum appellatur: tunc nulla potentia resistere poterit irascenti Deo, et populum suum vindicanti.

*Indignatio ejus effusa est ut ignis, et petræ dissolutæ sunt ab eo.* LXX: *Furor ejus consumit principatus, et petræ contritæ sunt ab eo.* Pro eo quod nos posuimus *effusa est*, Aquila interpretatus est συνεχωνεύθη, id est, *conflata est*: Symmachus et Theodotio ἔσταξεν, hoc est, *stillavit*. Sive igitur conflata est indignatio Dei quasi ignis, sive furor ejus in **541** similitudinem stillavit incendii, ut dura corda hominum, quæ petræ vocantur, contererentur, et dissolverentur; utilis est indignatio Dei, quæ diu per patientiam nostra peccata sustentans, vix aliquando conflata est, et tamen non tota prorumpit in pœnam,

sed modico ad nos stillabit ardore. Si autem stilla indignationis ejus consumit principatus, adversus quos nobis est pugnæ [*Al.* pugna et] colluctatio, quid fieret si tota in nos ira Dei funderetur? Præstet Jesus ut auferatur cor lapideum, et mutetur in nobis cor carneum : duritiaque mollita, possit in se præcepta Domini suscipere quæ scribuntur : *Sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernet* (*Ps.* L, 9). Et ut sciatis clementiam Dei sonare quæ dicta sunt, non severitatem, in consequentibus discite.

(Vers. 7.) *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se.* LXX : *Suavis Dominus exspectantibus eum in die tribulationis, et cognoscens timentes se.* Cum irasci cœperit gentibus, et quondam potentissima regna vastare, sciet eos qui sui sunt, et non una tempestate opprimet navigantes. Diem autem tribulationis secundum ἀναγωγήν, diem intelligamus judicii, de quo scripsit Isaias : *Ecce dies Domini insanabilis venit furoris et iræ, ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo* (*Isai.* XIII, 9). Speremus in Domino, et per patientiam ejus exspectemus adventum, ut cum venerit, bonum eum, non judicem sentiamus, et cognoscat vel sperantes in se, vel timentes se (II *Tim.* II). Scit enim Dominus eos qui ejus sunt.

(Vers. 8.) *Et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus, et inimicos ejus persequentur tenebræ.* LXX [a] : *Et in diluvio transeunte consummationem faciet : consurgentes et inimicos ejus persequentur tenebræ.* Dominus patiens et multæ miserationis, et non irascetur in finem, neque in æternum indignabitur ; sed cum creverit malitia super terram, et omnis caro corruperit viam suam, inducet diluvium quod pertranseat, non quod permaneat in æternum. Consummationem autem, sive finem, faciet loci ejus, id est, diluvii, ut quomodo de impio dicitur : *Et pertransivi, et non est inventus locus ejus* (*Ps.* XXXVI, 36); et : *Iter impiorum peribit* (*Ps.* I, 6) ; sic diluvii iter pereat post iram Domini, **542** sola apparente clementia. Quod quidem et secundum historiam intelligi potest, quia cum vastaverit Israel, et quasi diluvio terram repromissionis inundaverit, finem faciet captivitatis, ad sedes eum pristinas revocando. At econtrario, inimicos ejus Assyrios, qui populum duxerunt in captivitatem, tenebræ persequentur. Quod autem diximus de Israel et Assyriis, intelligi de consummatione mundi, et de sanctis ac de persecutoribus, sive contrariis virtutibus potest, quod sanctorum Deus post iram misereatur ; persecutores vero et inimicos eorum, qui elegerunt tenebras, et non lucem, ipsæ, quas elegerunt, tenebræ comprehendant : mittentur enim in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium (*Matth.* VIII *et* XXII). Verbum MACOMA (מקומה), quod nos interpretati sumus, *loci ejus*, omnes in duas orationis partes diviserunt, ut MA in præpositionem *de* verterent, id est, ἀπὸ ; COMA, *surgentes* interpretarentur. Denique Aquila, ἀπὸ ἀνιστα μένων, inquit, id est, *a consurgentibus* ; Septuaginta, *consurgentes* ; Theodotio, *consurgentibus ei* ; quinta editio, *a consurgentibus illi*. Solus Symmachus, cum nostra interpretatione consentiens, ait : *Et in diluvio transeunte, consummationem faciet loci ejus*. Quidam de nostris, consurgentes et inimicos, Marcionem et omnes veteres hæreticos interpretantur, qui adversum Creatorem disputant.

(Vers. 9.) *Quid cogitatis contra Dominum? consummationem* [Al. *quod consummationem*] *ipse faciet : non consurget duplex tribulatio.* LXX : *Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet : non vindicavit bis in idipsum in tribulatione.* Symmachus apertius : *Non sustinebunt impetum secundæ* [Al. *secundum*] *angustiæ :* Theodotio, *Non consurget secunda tribulatio.* Loquitur autem juxta tropologiam adversum Marcionem, de quo supra diximus, et omnes veteres hæreticos, qui bonum nescio quem confingentes Deum, ipsum dicunt consummationem mundi esse facturum, et arguunt Legis Deum quasi crudelitatis, quod multos puniat, et pro peccatis irroget cruciatus. *Quid ergo*, ait, *contra Dominum cogitatis?* ipse qui creavit mundum, et consummationem ejus faciet. Quod si vobis videtur crudelis, rigidus et cruentus, quod in diluvio genus delevit humanum, super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem **543** pluit (*Genes.* VII), Ægyptios submersit fluctibus (*Exod.* XIV), Israelitarum cadavera prostravit in eremo (*Num.* XXXII) : scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certe aut vera sunt quæ prophetæ loquuntur, aut falsa. Si vera sunt quæ de severitate ejus videntur dicere : Ipsi dixerunt : *Non* [b] *vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione.* Sin autem falsa sunt, et falsum hoc est quod dicitur, *Non consurget duplex tribulatio :* falsa est ergo et crudelitas ejus quæ in Lege descripta est. Quod si verum est, ut negare non poterunt, dicente propheta : *Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione :* ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi postea punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas est. Receperunt ergo et qui in diluvio perierunt, et Sodomitæ, et Ægyptii, et Israelitæ in solitudine, mala sua in vita sua. Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat. Aut enim punietur, et falsum est hoc quod dicitur : *Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione.* Aut non punietur, et optandum est adulteris, ut in præsentiarum brevi et cita pœna cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondebimus, Deum ut omnium rerum, ita et suppliciorum quoque scire mensuras, et non præveniri sententia judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem, et magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus. Si quis autem

[a] Palatini mss., *LXX similiter ;* silentque adeo subnexa eorum interpretationis verba.

[b] Martian. retinuit hic dumtaxat, *Non judicabit.*

punitus sit, ut ille in Lege qui Israeliticis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat (*Levit.* XXIV) : tales postea non puniri, quia culpa levis præsenti supplicio compensata sit. Hebræus hunc locum ita exposuit : Quid putatis, o Assyrii, iniquitatem contra Dominum cogitantes, quod populum Israel, id est, duodecim tribus usque ad internecionem ipse consumat? Non consurget duplex tribulatio, id est, non vobis tradet Judam et [a] Israel, sicut tradidit decem tribus et Samariam.

(Vers. 10.) *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur sic* [Al. *sic quidem*] *: convivium eorum pariter potantium consumetur quasi stipula ariditate plena.* LXX : *Quia usque ad fundamenta* 544 *sua redigentur in vepres, et quasi volvola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena.* Tres differentias quas Dominus in parabola seminis posuit (*Mat.* XIII), excepta terra bona, quæ affert tricesimum et sexagesimum et centesimum fructum, videtur mihi propheta replicare, unam quæ juxta viam ceciderit, et aliam quæ inter lapides, et tertiam quæ inter spinas : quod quidem et Apostolus de his qui super fundamentum Christi non bene ædificant (I *Cor.* III), subostendit quosdam esse qui ædificant ligna, fenum, stipulam. Igitur ligna referamus ad id, quod nunc dicitur : *Quia usque ad fundamenta sua redigentur ad vepres.* Fenum vero ad id quod sequitur : *Et sicut volvola quæ circumdatur, comedetur.* Porro stipula manifeste refertur ad stipulam, de qua nunc dicitur : *Et sicut stipula ariditate plena.* Propterea ergo non vindicabit Dominus bis in idipsum, quia malitia quæ in auctoribus hæreseos orta fuerat, usque ad fundamentum et ad radices suas consumetur. Sed et si quis in eis videbatur pompam habere verborum, id est, folia inania, tantum aspectu delectantia, sicut volvola, quæ Græce dicîtur σμίλαξ, devorabitur, et consumetur in nihilum. Volvola [*Al.* Vulvula] autem herba est similis hederæ, quæ vitibus et virgultis circumdari solet, et in longum serpere. Quid quid etiam in eis videtur habere pompam segetis, sed non habet spicas et grana frumenti, quasi stipula ariditate plena, tradetur incendio. Hoc secundum Septuaginta. Cæterum juxta Hebraicum, vere hæreticorum fœdera et necessitudines quasi spinæ sunt se invicem complectentes, et convivium eorum atque mysteria, quia et ipsi mensam domini- 545 cam habere se dicunt, spinarum fœdus est, simul vescentium, pariterque potantium. Cum enim ebrii de vinea Sodomorum adversus conditorem rabido ore blasphemant, nonne convivium sentium est? quod tamen cum suis consumetur auctoribus, quasi stipula ariditate plena.

(Vers. 11.) *Ex te enim exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem.* LXX : *Ex te exibit cogitatio contra Dominum pessima cogitans contraria.* Vere ab hæreticis exibit adversus Dominum 545 inimica cogitatio. An non videtur esse adversus Deum malitia et prævaricatio, dicere quod Valentinus, quasi abortivum errantis sapientiæ extremum editum Creatorem? Nonne contra Deum cogitatio est Basilidis impudicitia [*Al.* impudica], et portentosum ἄβραξας nomen, quod præfertur Domino conditori? Porro quia docti ab Hebræis volumus eorum quoque traditionem sequi, et nostris, id est, Christianis explanationem historiæ demonstrare, dicendum est : Non consurget duplex tribulatio, id est, non capientur ab Assyriis duæ tribus, sicut captæ sunt decem. Siquidem dum adhuc in terra Juda sunt Assyrii, et quasi spinæ se invicem complectuntur, lætantes atque gaudentes, ab angelo consumentur, quando una nocte centum octoginta quinque millia cæsa sunt hostium (IV *Reg.* IX). Pulchre quoque exercitus eorum multitudinem, ebriorum convivio comparavit, et ipsum convivium non rosarum, non liliorum dixit esse, non florum ; sed simile spinarum se invicem complectentium, quæ semper traduntur igni, et quasi stipula ariditate plena, levi comburuntur ardore. Quod autem sequitur : *Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem* (*Isai.* XXXVI), de Rabsace intelligi volunt, quod de Assyriis egressus, blasphemaverit Dominum, et populo persuadere voluerit, ut desperans de auxilio Domini, se Assyriis traderet, non Deo, sed idolis serviturus (IV *Reg.* XVIII).

(Vers. 11, 13.) *Hæc dicit Dominus, si perfecti fuerint, et ita plures : sic quoque attondentur et pertransibit : afflixi te, et non affligam te ultra : et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua disrumpam.* LXX : *Hæc dicit Dominus regnans aquis multis, et sic dividentur, et auditus tuus non audietur amplius, et nunc conteram virgam ejus a te : et vincula ejus disrumpam.* Juxta litteram manifestus est sensus : Licet, inquit, robusti sint Assyrii, et fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium : sic quoque angelo vastante, tondentur. Quomodo enim numerus capillorum acutæ forcipi non repugnat : ita et numerus adversariorum Dei, facili succisione tolletur, et pertransibit Assur, vel esse desistet, sive, vastato exercitu suo, revertetur ad patriam, te sospitem derelinquens. Rursumque ad Judam et Jerusalem sermo dirigitur : *Afflixi, te, et* 546 *non affligam te ultra :* non quod perpetuam securitatem polliceatur, sed illius tantum temporis, et ab illis hostibus a quibus tunc obsidebatur. Denique infert : *Et nunc conteram virgam ejus*, id est, Assyrii, de dorso tuo, et vincula tua disrumpam : vel per metaphoram potestatem ejus significans : vel certe, virgam qua percutere conabatur, et vincula quæ captivis parabat : quanquam possit et obsidio clausæ multitudinis pro vinculis accipi. Porro juxta LXX multo aliter est sensus. Adhuc enim videtur adversus eos loqui, quibus supra dixerat : *Quid cogitatis contra Dominum?* Et : *Ex te exibit cogitatio contra*

[a] Sic rectius habent mss. Antea *Jerusalem* legebatur : ejusmodi levia quædam infra restituimus.

*Dominum pessima, cogitans contraria.* Hæc ergo dicit Dominus regnans aquis multis, sive virtutibus, quæ dicuntur aquæ super cœlos : et præcipitur eis, ut laudent Dominum : vel certe intellectibus et sapientiæ et doctrinis Dei. Sicut enim flumina de ventre justi fluent, et fontes uberes in vitam æternam, per varias multiplicesque sententias, quibus imperat sermo Domini (*Joan.* VII): ita habent et hæresiarchæ aquas suas, quibus imperant, et quæ ex eorum primum fonte manarunt. Quod autem sequitur : *Et sic dividentur*, vel de cœlestibus quæ in supernis Deo serviunt virtutibus intelligi potest; quod unaquæque in suo officio sit et ministerio, vel de multiplici varietate sapientiæ. Ne quia dixerat, *regnans aquis multis*, confusus et indiscretus sensuum numerus putaretur : sed quod unaquæque sententia divisos habeat inter se sensus et separatas materias propriasque ὑποθέσεις. Nam quod dicitur : *Auditus tuus non audietur amplius*, increpatio est in eos, qui adversus Deum contraria cogitaverant, quod ostensis sophismatibus et decipulis, quibus Dei populus irretiebatur, sermo eorum ultra non currat, nec suscipiatur a populis. Sed et hoc quod infert : *Et nunc conteram virgam ejus a te, et vincula tua disrumpam*, pro ipsis dicitur quibus fit comminatio, ut nequaquam cædantur a diabolo, et ei subjecti sint, quo auctore tanta excogitaverant atque confinxerant. Conteretur ergo imperium ejus in eos : et vincula quibus peccantium animæ ligabantur, disrumpentur a sermone Dei, dicente his qui in vinculis sunt, exite.

(Vers. 14.) *Et præcipiet contra* [Vulg. *super*] *te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo* **547** *Dei tui interficiam sculptile et conflatile : ponam sepulcrum tuum : quia inhonoratus es.* LXX : *Et præcipiet de te Dominus : non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo Dei tui disperdam sculptilia, et conflatilia : ponam sepulcrum tuum : quia veloces ; ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.* Ideo plus posui de Septuaginta interpretibus, quoniam secunda περικοπὴ a priori non poterat separari. In eo enim quod dicitur, *quia inhonoratus es*, pro quo quinta editio posuit ὅτι ὑβρίσθης, Septuaginta transtulerunt : *quia veloces*, quod in Hebraico legitur CHI CALLOTH (כי קלות). *Veloces* autem nisi ad inferioris capituli *pedes* retuleris, pendet sententia. Itaque juxta consuetudinem meam primum historiam, et postea Vulgatæ editionis sententiam ventilabo. Præcipiet, inquit, contra te Dominus, o Assur, ut quod passurus es, non fortuitu et absque aliquo judice veniat, sed, Deo pronuntiante, patiaris. Non seminabitur ex nomine tuo amplius : statim quippe Niniven reversus Sennacherib a filiis suis occisus est. Lege Isaiam, et occisus in domo Dei sui quam adoraturus intraverat. Hoc est enim quod ait, *de domo Dei tui interficiam* (*Isa.* XXXVII) : inde punieris, unde sperabas auxilium. Erit sculptile et conflatile sepulcrum tuum, ut inter aras et pulvinaria adorantis idola sanguis nefarius effundatur. Juxta Septuaginta autem interpretes cum superioribus junge quod sequitur : *Non seminabitur*, inquit, *ex nomine tuo amplius.* Nequaquam, o hæretici, animæ deceptorum ex dogmatibus vestris suscipient nomina, quæ prius invocaverant super terras suas, sicut in quadragesimo octavo psalmo figuraliter canitur. Et proderit vobis hæc ipsa cessatio sationis, quæ prius animam seminantis, deinde ejus in quo seminabat, interficere consueverat. Morientur ergo tibi [*Al.* ibi] errorum dogmata ; sed et tu qui prius tibi vivere videbaris, morieris errori, et bono tuo mortuus, idola quæ colebas, habebis sepulcrum. Atque ita fiet ut de pectore tuo, quod ante templum Dei tui, quem simulaveras, fuerat, omnes auferantur errores. Hæc autem evenient tibi, qui quondam adversus Dominum contraria cogitabas, **548** cum Dei sermo, qui semper ascendit in montes, in animas videlicet excelsas atque sublimes, ad te velociter venerit, calcatisque priorum errorum fluctibus, et in tranquillum redactis, pacem tibi fidei [a] sensumque reddiderit. Ignoscite prolixitati, non enim possum et historiam et tropologiam sequens breviter utrumque comprehendere : maxime cum et interpretationis varietate torquear, et adversus conscientiam meam cogar interdum Vulgatæ editionis consequentiam texere.

(Vers. 15.) *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus periit* [Vulg. *interiit*]. Paulisper LXX interpretes [b] differam, quia et ipsa capitula apud eos interpretationis varietate confusa sunt. Cumque historiam breviter exposuero, editionem eorum meo eloquio temperabo. In Paralipomenon scribitur libro, quod obsidente Sennacherib Jerusalem, in primo mense pascha facere non potuerint (II *Paral.* XXXII). Cæso autem per angelum exercitu ejus, et fuga ac morte ejus nuntiata, in secundo mense summa festivitate paschæ diem celebrarint. Quod ergo dicit, tale est, o Juda, qui regnas in Jerusalem, noli esse sollicitus, interfecto hoste tuo in templo Dei sui. Ecce venit tibi nuntius, montes collesque transcurrens, et quasi de sublimi specula procul nuntians Sennacherib mortuum; urbem ejus imperio liberatam. Celebra festa, redde vota pro nece inimici, quæ pollicitus es Deo : nequaquam ultra pertransibit per te prevaricator et ἀποστάτης, hoc enim interpretatur *Belial.* Totus interiit, id est, exercitus, et rex et imperium Assyriorum penitus conciderunt. Et hoc quidem juxta litteram. Cæterum secundum ἀναγωγὴν dicitur ad Ecclesiam, dicitur ad animas Dominum confitentes, quia diabolus qui te prius populabatur et gravissimo premebat jugo, in idolis et cum idolis quæ fabricatus fuerat, periit : celebra festivitates tuas, et redde Deo vota

[a] Reponit Victorius ex Brixianis codicibus *sensuumque*.

[b] Falso legebatur antea *disseram*.

tua, canens cum angelis jugiter : nequaquam enim ultra per te transibit Belial, de quo dicit et Apostolus, *Quæ communicatio Christi et Belial* (II *Cor.* VI, 15)? quia, subversa Ninive **549** totus interiit. Si quando gravissima persecutio fuerit, quali sub Valeriano, et Decio, et Maximiano [*Al.* Maximo], et Domini ultio apparuerit in adversariis ejus, dicamus ad Ecclesiam : Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua, etc.

LXX : *Celebra, Juda, festivitates tuas, redde vota tua, quia nequaquam opponent ultra ut pertranseant in vetustatem : completum est, consummatum est : ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* Semel dixi, juxta interpretationis varietatem capitula quoque ipsa aliter definiri, et non posse cum capitulis sensum hebraicæ interpretationis convenire. Itaque quod nunc dicitur, hujuscemodi est : O Ecclesiastice, quia de adversariorum tuorum nomine ultra non seminabitur, et virga eorum contrita est; et vincula dissipata sunt, et venit qui tibi annuntiaret pacem, celebra festivitates tuas, non in vino et epulis, ut carnei Judæi æstimant, sed in spiritualibus deliciis et voluptate torrentis. O Juda, redde vota tua : quia nequaquam ultra pertransient inimici qui te adducant in vetustatem, hoc est, qui te volunt imaginem portare veteris hominis. Quoniam quod vetus est, senescit, et quod senescit, perditioni proximum est : completus est mundus, consumptus est adversarius : venit tibi Christus qui prius insufflaverat in faciem tuam cum te de limo fingeret : et post resurrectionem quoque insufflans in faciem apostolorum, ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22), ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive, et transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet.

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) *Ascendit qui dispergat*[a] *in facie tua, custodiens obsidionem : contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde :*[b] *quoniam sicut reddidit Dominus superbiæ Jacob, sic reddet superbiæ Israel : quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt.* Necessitate compellor quasi inter saxa et scopulos, imminente naufragio, sic inter historiam et allegoriam orationis meæ cursum flectere, et ne subito impingat attendere. Siquidem juxta fabulas poetarum :

> Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
> Obsidet :

si saxa fugimus, incurrimus in **550** profundum : si contortos vortices evitamus, in saxa deferimur. Testis est mihi Dominus, me omnia quæ secundum Hebraicum dissero, non de proprio sensu loqui, quod arguitur in pseudoprophetis; sed Hebræorum sequi expositionem, a quibus non modico tempore eruditus, debeo meis simpliciter indicare quæ didici. Certe in lectoris erit arbitrio, cum utrumque percurrerit, quid magis sequi debeat, judicare. Ad Niniven igitur nunc sermo convertitur (et hinc vel maxime obscuri sunt prophetæ, quod repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur) et dicitur ei: Ascendit ad te Nabuchodonosor qui te obsideat, qui ante os tuum vastet agros, persequatur agricolas, rura populetur, qui te quoque ipsam clausam teneat. Quia itaque tibi imminet bellum : ecce gaudens propheta nunc præcino, contemplare diligenter et conspice, et quid tibi eveniat, intuere. Conforta lumbos, id est, accingere : robora virtutem valde, hoc est, exercitus congrega : quia sicut ultus est Dominus Judam de superbia Sennacherib, interfecto exercitu ejus in Judæa, et ipso quoque a filiis suis jugulato : sic ulciscetur Israel, id est, decem tribus quæ a Ninive possidentur. Utrumque enim et Judam et Israel vastaverunt et everterunt Assyrii, et sub metaphora vitis, amborum [*Al.* arborum] propagines corruperunt.

LXX : *Contemplare viam, tene lumbum, confortare robore* [Al. *roborare*] *vehementer, quoniam avertit Dominus contumeliam Jacob, sicut contumeliam Israel : quia excutientes excusserunt eos, et propagines eorum demoliti sunt.* Tria præcipiuntur Judæ. Primum, ut contempletur viam, et iter per quod ambulaturus est, diligenter aspiciat, juxta illud quod in Jeremia scriptum est : *State in viis, et interrogate semitas æternas, et videte quæ sit via bona; et ambulate in ea* (*Jerem.* VI, 16): ut cum steterimus in viis multis, veniamus ad eam viam quæ dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Deinde dicitur ei, ut teneat lumbum, id est, ut post electionem viæ mortificet corpus suum, et servituti subjiciat, ne quasi rex et magister aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur (I *Cor.* IX). Longum est nunc dicere, quod virtus diaboli vel maxime sit in lumbis, et quod ad David **551** repromissio fiat : *De fructu lumbi tui ponam super thronum tuum* (*Ps.* CXXXI, 11). Et illud Apostoli : *Adhuc enim in lumbo patris sui erat* Abrahæ, Levi, quando ivit in occursum Abraham Melchisedech (*Hebr.* VII, 10). Et quod Joannes zona pellicea cingitur (*Matth.* III), et quod a Salvatore discipulis imperatur : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Et Apostolus ad Ephesios : *State ergo accincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* VI, 14): licet enim ἄσκησις plurimum præstet, et vitæ continentia super mortificatione lumborum : tamen nihil eos ita mortificat ut cognitio veritatis. Unde dicitur : *Accingite lumbos vestros in veritate.* Si enim veritas est Christus, qui tota in Christo mente credidit, lumbos suos mortificavit in Christo. Tertio præcipitur, confortare virtute nimis : elegisti, inquit, viam, tenuisti lumbum, assume virtutem; ut possis pugnare cum hostibus. Et ne forte diffidas, datur tibi causa cur speres : *Avertit*, inquit, *Dominus contumeliam Jacob, sicut contumeliam Israel*, quod ambiguum est : aut enim ipsius Jacob contu-

[a] Palatini codd., *Ascendet qui dispergat coram te in facie*, etc. Vulg. *coram te qui custodiat*, pro *in facie tua custodiens.*

[b] Vulg., *quia reddidit Dominus superbiam Jacob sicut superbiam Israel.* Confer subnexam Hieronymi expositionem.

meliam, qua cæteris faciebat injuriam, avertit : aut contumeliam, quam ab aliis sustinebat Jacob, avertit Dominus. Sed mihi videtur melius esse ut contumelia quam Jacob solebat cæteris facere, a Domino sit aversa. Non enim tantæ virtutis est, ab aliis factam injuriam sustinere, quantæ gratiæ Domini est, placidum, mitem, atque tranquillum, injuriam facere non posse. Quæritur, quomodo aversa est injuria Jacob, sicut aversa fuerat et Israel. Postquam luctatus est Jacob cum angelo, Israelis nomen meruit accipere (*Genes.* XXXII), et quia vidit Deum, injuriam facere cessavit. Sicut ergo Israel, sensus vel vir videns Deum, et semper de Deo cogitans, facere nescit injuriam, sic omnis procacitas et contumelia aversa est a Jacob, hoc est, a supplantatore, ab eo, qui adhuc in certamine positus supplantat inimicos. Ut autem sciamus, quomodo injuria in malam partem accipiatur, Salomon testis est, dicens : *Oculi* [Al. *Oculus*] *contumeliosi, lingua iniqua* (*Prov.* VI). Quomodo autem secundum utramque intelligentiam injuria aversa sit a Jacob, quæ prius aversa fuerat ab Israel, sequens sermo declarat : *Quia excutientes excusserunt eos, et flagella eorum demoliti sunt*, sive *corruperunt*. **552** Angeli, inquit, singulorum, qui quotidie vident faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10), quidquid in Jacob et Israel adhæserat pulveris, excusserunt. Unde et Petro lavantur pedes (*Joan.* XIII). Et per prophetam dicitur : *Excute pulverem, et exsurge, Jerusalem* (*Isai.* LII, 2). Discipulis quoque a Salvatore præcipitur : *Excutite pulverem pedum vestrorum* (*Matth.* X, 14). Et in Psalmis scriptum est : *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum* (*Psal.* CXXVI, 4). Aversa est itaque mens ad contumeliam prompta, a vero Jacob, et a vero Israel : quia quidquid in eis terrenum fuerat, et de inferiori fece concretum, hoc ministris angelis, sive monitoribus ac magistris excussum est atque mundatum, qui non solum excusserunt eos; sed vitia quoque, quæ ad præsens tantum sensus voluptate demulcent, et in modum flagellorum, ac propaginum, quæ absque fructu foliis plena sunt, dissipaverunt, dicente Domino : *Omnem propaginem, quæ in me manet, et fructum affert, Pater meus mundat ut fructum magis afferat : quod autem in me non manet, et fructum non affert, Pater meus præcidet, et in ignem mittit* (*Matth.* XV).

(Vers. 3 seqq.) *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis : igneæ habenæ currus in die præparationis ejus : et agitatores consopiti sunt, in itineribus conturbati sunt, quadrigæ collisæ sunt in plateis. Aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis, velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum est, et miles captivus abductus est, et ancillæ ejus minabantur, gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.* LXX : *Arma potentiæ ejus ex hominibus, viros fortes illudentes in igne* [a], *habenæ curruum eorum in die præparationis ejus, et equites timebunt in exitibus : et confundentur currus, et collidentur in plateis. Aspectus eorum quasi lampades ignis, et quasi fulgura discurrentia, et commemorabuntur optimates eorum, et fugient in diebus, et infirmabuntur in itinere suo, et festinabunt ad muros, et præparabunt propugnacula sua : portæ civitatum apertæ sunt, et regalia conciderunt, et substantia revelata est; et ipsa ascendebat, et ancillæ ejus ducebantur sicut columbæ* **553** *loquentes in cordibus suis.* Secundum historiam adversum Niniven ordo sequitur, et describitur Babyloniorum exercitus contra eam veniens. Quod autem ait : *Igneæ habenæ curruum*, in ardentibus loris, velocitatem [b] præparantium significat, et quasi ἐπισκευῆς præparantium se ad prælium pompa narratur. Commixtimque nunc de Israel quæ olim passus sit, nunc de Assyrio quod fecerit, nunc de Babyloniis quæ exerceant in Assyrios, Scriptura contexitur. Non est ergo, ait, mirum si tam velociter ad vastandum veniant, cum agitatores et fortes vel Israel ante, vel postea Assyriorum fuerint consopiti. Rursumque ad descriptionis ordinem rediens : Tanta est inquit multitudo venientium, ut commixtum agmen sit in itinere, et discerni nequeat. Ipsæ quoque quadrigæ dum viam non reperiunt, præ multitudine inter se colliduntur in plateis. Aspectus Babyloniorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia, ut ante visu adversarios terreant, quam mucrone prosternant. Tunc recordabitur Assur fortium suorum, et quæret eos, qui in itineribus corruerunt, et ascendet velociter muros Ninive, ac propter obsidionem [c] longissimam ad depellendos æstus præparabit umbracula (*Ps.* CXXVI). Sed quid prodest ædificare domum, nisi Dominus ædificaverit? Quid juvat claudere portas, quas Dominus reserat? Apertæ sunt portæ Ninive, quæ ad instar fluminum habebat civium multitudinem, et templum, id est, regnum ejus destructum est, et miles captivus abductus est, hoc est, omnes ducti sunt in Babylonem. Ancillas vero Ninive per metaphoram minores urbes et viculos et castella intellige. Vel certe captivæ mulieres minabuntur ante ora victorum; tantusque terror erit, ut ne in singultus quidem et ululatum erumpat dolor, sed intra se tacite gemant, et obscuro murmure devorent lacrymas in morem mussitantium columbarum. Hæc juxta Hebraicam traditionem. Nunc veniamus ad Septuaginta translatores. *Excutientes* [d], qui excusserunt Jacob et Israel, et flagella eorum

[a] Nostri mss. *igneæ habenæ*, pro *in igne*, etc., quod infra ipse præferre Hieron. videtur. Tum iidem junctis Brixianis penes Victorium, Græcusque ipse textus vocem *eorum* sufficiunt. Mox quoque eamdem vocem pro *ejus* substituunt nostri mss.; estque revera in aliquot Græcis exemplaribus, ἑτοιμασίας αὐτῶν, pro αὐτοῦ.

[b] Iidem mss., *velocitatem properantium significat.*

[c] Martian., *longissima;* mss vero *novissimam* præferunt.

[d] Penes Victorium, *Excutientes excusserunt eos, id est, Jacob*, etc.

dissipaverunt; arma quoque, quæ dum contumeliosi essent, habere consueverant, et **554** quibus infirmos quosque oppresserant, confregerunt : et hoc non solum fecerunt, verum etiam viros fortes qui illudebant, in igne disperdiderunt. Considera, an possis viros fortes dicere illudentes in igne, fortitudines contrarias, quæ ministrant ardentibus jaculis diaboli, qui fortes et illudentes quondam in igne Jacob et Israel habebant currus et equos, quibus conciti ferebantur in bellum in die præparationis suæ. Horum igitur curruum habenæ et equites conturbabuntur in itineribus, et collidentur in plateis, quando illustratione Domini Jacob et Israel [a] illustrato, tam dæmones quam hi qui eorum serviunt voluntati, a Domino subvertentur. Possumus hæc de primo ejus adventu intelligere, quando viri fortes et agitatores curruum et equites loquebantur : *Quid nobis et tibi, fili David? venisti ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII, 29)? Sed quoniam semel prophetiam contra Niniven de consummatione mundi accepimus, melius est, ut dicamus, arma potentiæ diaboli tunc tolli ab hominibus, et ministros ejus fortes, qui illudebant hominibus in igne. Omnes enim adulterantes quasi clibanus corda eorum (*Osee* III) : vincula quoque quibus captivi ducebantur in vitia, et ascensores curruum relaxari. Timebunt enim equites in exitibus, hoc est, in consummatione mundi, et confundentur, et collidentur currus in plateis; quamvis enim lata et spatiosa via sit, quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII) : tamen pressura temporis coarctati, rectum iter invenire non poterunt; sed in se invicem collidentur, et nihilominus spirabunt veterem furorem, et quasi fulgura huc illucque discurrent. *Videbam*, inquit Dominus, *satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18). Quod cum diabolus et omnes optimates ejus intellexerint, recordabuntur consummationis quæ olim fuerat prædicta, et fugient in diebus. Nequaquam enim versabuntur in noctibus, sed clarescente die, tenebræ fugabuntur, et infirmabuntur in itinere, non proficientes, nec explentes [b] conatus suos, et festinabunt ad muros. Tantus quippe eos venientis Domini terror invadet, et tam imbecilles ad repugnandum **555** erunt, ut ad terminos mundi fugiant, quibus quasi muris mundus includitur et ambitur, et præparabunt se ad resistendum. Quomodo si quis inimicum fugiat, non audens ei resistere, cum ad solitudinem venerit, si forte hostis sequatur, necessitate cogitur repugnare. Verum illis hoc cogitantibus, universa quæ ab eis obtenta fuerant et possessa, proferentur in medium, et aperientur portæ quas clauserant, et regna eorum cadent, et substantia, id est, divitiæ revelabuntur.

Ipsa autem mundi substantia et omnes ancillæ ejus, postquam se Christo subjecerint, et ei servire cœperint, ducentur lætæ atque gaudentes, et ex intimo confessionis corde credentes, ita ut columbarum munditiæ comparentur, murmurabunt seu loquentur in cordibus suis. Et tunc adimplebitur quod in sexagesimo septimo psalmo de victoria dicitur Salvatoris : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem* :

(Vers. 8, 9.) *Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus : Ipsi vero fugerunt. State, state, et non est qui revertatur : diripite argentum, diripite aurum : et non est finis divitiarum* [c] *ex omnibus vasis desiderabilibus.* LXX : *Et Ninive sicut piscina aquarum oquæ ejus : et ipsi fugientes non steterunt : et non erat qui respiceret : diripiebant argentum, diripiebant aurum, et non erat finis ornamenti ejus : aggravata est super omnia vasa concupiscentiæ suæ.* Manifestum est quod, civitatibus Ninive (quas filias ejus Scriptura cognominat) in captivitatem deductis, ipsa Ninive, quæ tantos nutrierat populos, ut piscinarum aquis compararetur, inutilem habeat multitudinem : dum nullus est qui resistat, et irruentium Babyloniorum impetum ferat. Habebat enim populos, qui tantummodo fugerent, et clamante matre : State, state, claudite portas, muros ascendite, hostibus repugnate, nullus esset qui [d] reverteretur, nemo qui respiceret ad matrem : sed omnes terga vertentes, prædæ inimicorum desererent civitatem. Unde dicitur ad Babylonios, quia illi fugerunt, diripite argentum, et tanto tempore congregatas opes subita **556** vastatione prædamini. Non enim est finis divitiarum, supellectilis et vasorum, quæ in Ninive condita sunt; nec potestis tantum rapere, quantum ad diripiendum illa se præbet. Sed quia Niniven speciosam, id est, mundum semel diximus, videamus quæ piscina sit mundi. Non ait Scriptura, quod aquæ Ninivæ sint quasi aquæ maris, nec quasi aquæ fluminum, nec quasi aquæ fontium, nec quasi aquæ puteorum, sed quasi aquæ piscinæ : ut quomodo in Jeremia populus arguitur, qui dereliquit fontem aquæ vivæ, et fodit sibi lacus contritos, qui non possunt aquam continere (*Jerem.* II) : sic et in Ninive omnes aquæ illæ sint, quæ de cœlo ceciderint, et antiquam altitudinem relinquentes, in ima delapsæ sint. Omnia enim dogmata mundi hujus, quæ extra fontem sunt Ecclesiæ, horumque signatum, nec possunt dicere : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Ps.* XLV, 4) : nec de illis aquis sunt quæ super cœlos laudant nomen Domini, quamvis magna videantur, tamen parva sunt et angusto fine conclusa. Nec moveat quempiam quia piscinam in malam partem [e] accipimus, cum illa piscina

[a] Cum nostri, tum, quos Victorius consuluit, Florentiæ codices pro *illustrato*, legunt *sanato*. Notatumque forte alludi illud Osee VII, *Cum sanare vellem Israel.*

[b] Duo mss., *explentes cogitatus suos.*

[c] Reginæ ms. cum Palatinis, *pro omnibus vasis desiderii.*

[d] Idem Reginæ cod. *qui resisteret*; pro *revertetur.*

[e] Occursus ejusdem verbi *accipio*, ut quæ inter media sunt, aut penitus præterirentur, aut male supplerentur, fecit. Martianæus nullo sensu retinuit : *quia piscinam in malam partem accepimus. Illa piscina, ad quam Isaia, filius Amotz*, etc. Victorius ex ingenio duas voculas *cum sit* verbis *illa piscina* præponens, utcumque sarcivit locum. Nunc vero codi-

in bonam partem accipiatur, ad quam Isaias filius Amos propheta jubetur ascendere. Ibi enim cum additamento dicitur : *Piscina aquæ ductus, et piscina fullonis* (*Is.* VII *et* XXXVI), quæ sordes lavare consuevit et maculas vestium [*Al.* sordium) eluere. Quæ quia in sublimi posita est, ideo ad eam propheta jubetur ascendere, et in occursum regis de duobus ambustis torribus victoriam polliceri. Sequitur : *Fugientes non steterunt*, habitatores videlicet Ninive. Primum [a] quidem Deum fugere non debuerant, deinde etiam si fugerant, aliquando stare debebant : Magna enim differentia est inter eum qui fugit et stetit, et qui fugiens, numquam stetit. Qui enim stat, fugere cessavit; qui non stat, semper in fuga profectus est. In tanta ergo turba fugientium nullus erat qui respiceret, et ageret pœnitentiam, et audiret loquentem Dominum : *Revertimini ad me, filii, revertentes, et sanabo contritiones vestras* (*Jerem.* III, 22). Unde **557** et Sanctus loquitur in Psalmis : *Periit fuga a me* (*Ps.* CXLI, 5). Hoc ipsum puto et lepræ significare mysterium, super qua in Levitico dicitur : *Cum leprosus a sacerdote extra castra fuerit separatus : si steterit lepra, purum esse hominem* (*Levit.* XIII *et* XIV), et mundari eum qui quasi leprosus fuerat abjectus, et redire ad castra, et habitare in populo. *Sin autem*, inquit, *diffusa fuerit lepra*, id est, non steterit, sed creverit, et in malo habuerit profectum, et mutaverit colorem pristinæ sanitatis, tunc lepra manifestissime comprobatur ab eo, qui habet scientiam inspiciendæ et purgandæ lepræ. Sed et nobis præcipitur a vero Salomone ut habitemus in Jerusalem, nec umquam egrediamur ex ea. Quod si fugerit nos id quod ante nobis fuerat subjectum, et ierit ad Allophylos, non egrediamur muros civitatis nostræ, nec sequamur fugitivorum vestigia : ne dum volumus salvare fugientes, ipsi pereamus : quin potius dimittamus, ut mortui sepeliant mortuos suos (*Matth.* VIII) : et scandalizantem oculum, manum, et pedem, dum licet, eruamus et abscindamus a nobis (*Marc.* IX). Quod autem dicitur : *Diripiebant argentum, diripiebant aurum, et non erat finis ornamenti ejus : aggravata est super omnia vasa concupiscentiæ suæ*, de aquis dicitur Ninive, et de fugientibus qui fugerant, et non steterunt : neque erat qui respiceret; et qui non solum fugisse, et non respexisse contenti, insuper diripiebant argentum, quidquid in mundo videbatur eloquii : diripiebant aurum quidquid præclarum sententiarum erat in doctrina sæculi, ut ornarent Niniven, ut dogmata sua omni sensuum verborumque flore componerent. Propter quod aggravata est Ninive super omnia vasa concupiscentiæ suæ ; quanto enim plus habebat multam auri et argenti possessionem, et variam supellectilem, quæ erat gravis, tanto magis ipsa aggravabatur, quæ gravia diligebat. Unde et iniquitas in Zacharia super talentum plumbi sedet (*Zach.* V) ; et Ægyptii qui erant peccatis graves, demersi sunt in mare ut plumbum (*Exod.* XIV). Et ex persona peccatoris dicitur in psalmo : *Quasi onus grave aggravatæ sunt super me* (*Ps.* XXXVII, 5). Et Petrus qui ante levis pendulo gressu calcabat **558** undas : postquam infidelitate aggravatus vorabatur a fluctibus, manu Domini sublevatur (*Matth.* XIV).

(Vers. 10.) *Dissipata est et scissa et dilacerata, et cor tabescens, et dissolutio genuum, et defectio in cunctis renibus, et facies omnium* [b] *sicut nigredo olæ.* LXX : *Excussio, rediscussio, et ebullitio, et cordis confractio, et dissolutio genuum, et dolores super omnem lumbum, et facies omnium sicut adustio ollæ.* Sub metaphora captivæ mulieris, Ninive dissipata, scissa, lacerata describitur : tabescente corde, dissolutis genibus, renibusque confractis, et quod omnium habitatorum ejus præ terrore hostium, et magnitudine metus, facies in ollarum similitudine videantur exustæ, tabidæ, et pallore deformes. Porro juxta LXX altius intelligendum est, quid significet excussio, rediscussio. Quid de populo Dei est, et quasi homo aliquando peccavit, et revertitur ad pristinum statum, quasi Jerusalem dicitur ei : *Excute pulverem* [c] *pedum tuorum, et consurge, Jerusalem* (*Isai.* LII, 2). Et qui talis est, ut postquam fuerit excussus, in sagittas Dei transire mereatur, et a Domino contra inimicos tendi, canitur de eo : *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum* (*Ps.* CXXVI, 4). Cumque vestigia ejus quasi ingredientis super terram aspersa fuerint pulvere, audiet a Salvatore : *Excutite pulverem pedum vestrorum in testimonium illis* (*Marc.* VI, 11) : haud dubium quin eos dicat, qui recipere noluerunt prædicantes. Qui vero de Ninive ea, quæ aggravata est super omnia vasa concupiscentiæ suæ, iste non semel excutitur, sed frequenter. Et postquam rursus fuerit excussus, et superficies illius emundata (ne quid intrinsecus sordium maneat), fit etiam ei ebullitio, quæ significantius in Græco dicitur ἐκθρασμὸς : proprie siquidem ἐκθρασμὸς in istiusmodi rebus ponitur, cum quod latebat intrinsecus, erumpit in faciem. Unde papulæ quoque quæ post ægrotationem nascuntur in labiis, vocantur ἐκθράσματα, et sanitatis videtur indicium, morbum in superficiem prorupisse. Non solum autem hoc remedium adhibetur Ninive, ut excutiatur crebro, et de vitalibus ejus ægrotatio latens cogatur exire; sed etiam cordis confractio et dissolutio **559** genuum [*Al.* renum] prædicatur, ut quomodo Pharaonis durum et lapideum cor confractum est, quod quamdiu habuit, Dei populum non dimisit (*Exod.*

cis Reginæ ope perfecto sensu pristinæ integritati restituitur.

[a] Notatum ad Regii cod. marginem, lectione hac expuncta, substituendum : *Primum videlicet fugere non debuerant.*

[b] Interserit Victorius *eorum* ex Vulgata editione et Hebraico.

[c] Unus Reginæ ms. *pulverem tuum*, pro *pedum tuorum*. LXX neque *tuum* habent, sed tantum ἐκτίναξαι τὸν χοῦν, quibus et Vulgata editio, et Florentini penes Victorium mss. concinunt : quare voces *pedum tuorum* expunctæ ab eo sunt.

vii *et deinceps*) : sic et Ninive fractum cor emolliatur et mutetur in carneum, et [*Al.* ut] rigida genua quæ prius Deo non curvabantur, dissolvantur, et flectantur Deo : ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur : et in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II, 10). Ut postquam cognoverint creatorem suum, audiant : *Confortamini, manus dissolutæ; et genua debilia,* [a] *roborate* (*Isai.* XXXV, 3). Et dolores, inquit, super omnem lumbum. Jam supra diximus in lumbo coitum significari, et quod omnia opera quæ ad commixtionem pertineant, renum appellatione monstrentur. Grandes igitur in consummatione dolores erunt in renibus : quia draconis omnis virtus in lumbis est (*Job.* XL, 11), et pro his omnibus [b] propter quæ præcessit excussio, rediscussio, ebullitio, et cordis fractio [*Al.* confractio], dissolutio genuum, dolores renum, erit facies omnium quasi adustio ollæ, ut vel igni ardorique sit proxima, vel nitorem amittens olei, nigrescat in carbonum similitudinem, et confusione operiatur æterna, a qua sanctus procul est dicens : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Ps.* IV, 7). Revelata enim facie gloriam Dei contemplatur (II *Cor.* III). Et puto, quomodo alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum, et stella a stella differt in claritate (I *Cor.* XV, 41) : sic in resurrectione mortuorum, et claritatis inter sanctos, et nigredinis inter peccatores, magnam futuram esse distantiam.

(Vers. 11.) *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc catulus leonis, et non est qui* [c] *exterreat? Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis : et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina.* Pro speluncis et leænis, *nidos et catulos* Septuaginta transtulerunt, in cæteris idem sensus est. Adhuc autem de Ninive dicitur : quod habitaculum fuerit regum, et aula nobilium ; ad **560** quam perrexit leo rex Babylonius, id est Nabuchodonosor, et catulus leonis, subreguli quoque ejus, et non fuit qui eis resisteret. Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis. Idem videlicet Nabuchodonosor victoriæ cuncta jure possedit, et liberis urbibusque [*Al.* urbibus] suis, vel certe uxoribus in servitutem captivos tradidit, et implevit præda *speluncas suas,* sive ut in Hebræo habetur, *foveas suas,* et cubile suum rapina, tam thesauros, quam civitates, auro, argento, vestibus, omnique ornatu complens, ut quod Ninive habuerat, Babylonque [*Al.* Babylon quæ] vicerat, possideret. Quia vero secundum ἀναγωγήν, et in Jona, et in hoc Propheta Niniven mundum istum interpretati sumus : et juxta Joannem : *Totus mundus in maligno positus est* (I *Joan.* V, 18); postquam mundus pertransierit habitaculum bestiarum, et in quo pascebantur leones, tunc admirantes exsultantesque dicemus : ubi est habitaculum leonum [d] ad quod ivit leo diabolus, de quo loquitur et Petrus : *Adversarius vester* [Al. *noster*] *diabolus quasi leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Pet.* V, 8). Et catulus leonis, Antichristus, et omnes doctrinæ perversæ, sermo contrarius. *Audistis,* inquit Joannes, *Antichristus veniet : nunc autem Antichristi multi sunt* (I *Joan.* II) : tot enim Antichristi sunt quot dogmata falsa. Et ante adventum Christi non fuit qui exterreret; sed postquam Dominus noster venit in mundum et Niniven ingressus est, vidit quasi fulgur Satanam de cœlo cadentem (*Luc.* X) : et cecidit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur (*Isai.* XLI). Venit enim verus Samson ad Allophylos : et dum pergit in *Thamna,* quod interpretatur *consummatio ejus,* ut pauperculam de gentibus duceret Dalilam, interfecit leonem, cui venerat consummatio, et illo mortuo, comedit mella dulcedinis. Sed et verus David servans oves patris sui, apprehendit leonem, et interfecit eum (I *Reg.* XVII), et Banajas, qui interpretatur *ædificator Dominus* (I *Para.* XI,) descendit in lacum sæculi istius, qui calentes aquas refrigerare **561** consuevit, et interfecit leonem. Et in visione Isaiæ, quæ adversum quadrupedes cernitur, primum de angustia harum dicitur bestiarum : *In tribulatione et angustia leo et catulus leonis* (*Isai.* XXXV). Iste leo antequam interficeretur a Christo, plurimos cepit in prædam catulorum suorum : et necavit leunculis suis, satellitibus suis, videlicet dæmoniis. Vide hæreticorum conventicula, et captos multos a leone non quæres. Considera mortuos qui reliquere vitam, et Ecclesias eorum non vocabis ovile pastoris, sed leonis speluncas, quas implevit cadaveribus et sanguine mortuorum. *Posuisti* ( ait David ) *tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ saltus. Catuli leonum* [e] *rapere et quærere a Deo escam sibi* (*Ps.* CIII, 20). Difficile leo invenitur in die, sed semper in noctibus circuit, ut de Ecclesia Christi rapiat, ut escis juxta Abacuc saturetur electis (*Abac.* I). Denique Judas de ovili Christi fuit, et raptus a leone suspendio suffocatus est (*Matt.* XXVII). Sed et ille propheta cui præceperat Dominus, ne comederet panes in regione ea, ubi vituli aurei erant, et mentita religio, quia comedit, a leone percussus est ( III *Reg.* XIII). Jeremias quoque de peccatoribus

[a] In Reginæ ms. *roboramini,* rectius, ut videtur, juxta sensum LXX, qui passiva significatione locum verterunt, quemadmodum et Sophoniæ II laudatur, *et genua debilia, solidamini.* Alioqui supervacanea Victorio vox *roborate* visa est, carebantque illa omnes Florentiæ codices. Locus est, inquit, Isaiæ XXXV : Ἰσχύσατε, χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα· παρακαλέσατε, οἱ ὀλιγόψυχοι τῇ διανοίᾳ : *Confortamini, manus dissolutæ, et genua debilia. Consolamini, pusillanimes,* sive, *qui mente pusilli estis* : locus ex Vulgata Latina immutatus fuit, in qua legitur : *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, nolite timere.* Propterea vox *roborate* ab illo deleta est.

[b] Duo mss., *pro his omnibus prophetiæ, præcessit excussio,* etc.

[c] Ex Reginæ ms. correximus post Victor. *exterreat,* consentiente Vulgata, ipsaque Hieronymi subnexa expositione. Martian. retinuit *exterreatur.*

[d] Addit Reg. ms., *et pascua catulorum leonum, ad quam ivit,* etc.

[e] Ad Vulgatæ exemplar addit Victorius *rugientes.*

loquitur : *Percussit eos leo de silva, et lupus usque ad domos disperdidit eos : et pardus vigilavit super civitates eorum. Omnes qui egrediuntur ex eis, capientur* (*Jer.* v, 6). In quo animadverte quod nemo capiatur, nisi qui de civitatibus Dei fuerit egressus. In quarto etiam Regnorum libro (*Vers.* 17), habitantes in civitatibus Samariæ et nescientes judicium Dei terræ, interficiebantur a leonibus : donec didicerunt colere Deum, et a leonibus liberati sunt. Ob hanc causam reor, et quodcumque a bestiis captum est, in Dei sacrificiis non offerri (*Levit.* xxii, 8), et a propheta dici : *Immundum et captum a bestia, non est ingressum in os meum* (*Ezech.* iv, 14). Interfectus est ergo leo, et falsis dogmatibus confutatis, de comedente exivit esca, et de forti egressum est dulce (*Judic.* xiv).

(Vers. 13.) *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum : et succendam usque ad fumum quadrigas*[a] *tuas : et catulos* [Vulg. *leunculos*] *tuos comedet gladius : et exterminabo de terra prædam tuam : et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.* LXX : *Ecce ego ad te, dicit Dominus omnipotens : et succendam in* **562** *fumo multitudinem tuam, et leones tuos comedet gladius, et auferam de terra prædam tuam, et non audientur ultra opera tua.* O Ninive, universa quæ dicta sunt, me auctore, patieris. Ego Dominus succendam usque ad fumum et consumptionem currus tuos, et nobiles quosque atque subregulos gladio faciam devorari. Nequaquam terras ultra vastabis, nec tributa exiges, nec audientur per provincias tuas emissarii tui : sive non audiam angelos, qui præsides tui sunt, pro te deinceps deprecantes. Sed et ad mundum hæc ipsa dicuntur, in quo est multitudo quæ per latam et spatiosam viam pergit ad mortem (*Matth.* 7), quam comminatur Dominus igne succensam, fumo suæ malitiæ suffocari ex vanitate (*Al.* bonitate) ejus nimia. Leones quoque comedet gladius, vivens sermo Dei et acutus, et ex omni parte elimatus : nec non pollicetur auferre se de terra prædam ejus, ut nemo exinde capiatur in Ninive, et quasi clemens tollit mala opera et comprimit ea, ne vox et sonitus eorum ultra possit audiri. Unde ait : *Et non audientur ultra opera tua.*

(Cap. III.—Vers. 1 seqq.) *Væ, civitas sanguinum, universa mendacii* [Al. *mendax*] *dilaceratione plena : non recedet a te rapina : vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis, et micantis gladii, et fulgurantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ, nec est finis cadaverum : et corruent in corporibus suis, propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis.* LXX : *O civitas sanguinum, tota mendax, iniquitate plena, non contrectabitur venatio : vox flagellorum, et vox commotionis rotarum, et equi persequentis, et currus ferventis, equitis ascendentis, et splendentis gladii, et fulgentium armorum, et multitudinis vulneratorum, et gravis ruinæ, et non erit finis gentibus ejus, et infirmabuntur in corporibus eorum a multitudine fornicationis. Meretrix speciosa et grata, dux maleficiorum, quæ vendit gentes in fornicatione sua, et tribus in maleficiis suis.* Ubi nos posuimus, *laceratione plena*, in Hebræo habetur PHEREC MALEA (פרק מלא), quod interpretatus est Aquila, ἐξαυχενισμοῦ πλήρης, id est, [b] *excervicatione* **563** *plena :* Symmachus autem ἀποτομίας πλήρης, quod possumus dicere, *crudelitate*, vel *severitate plena.* In altera ejus editione reperi, μελοκοπίας πλήρης, id est, *sectionibus carnium et frustis per membra conscissis :* denique statim subjecit, *ubi indesinens præda est.* Porro Hebræus PHEREC (פרק) non *excervicationem*, pro qua in Aquilæ editione reperimus, ἐξαυχενισμόν [Mss. αὐχενισμὸν], sed *gubernaculum*, id est, κυβερνισμὸν interpretatus est : ut ostenderet et urbem fuisse regalem, et velut in navi cunctarum gentium tenuisse gubernaculum. Describitur autem potentia ejus, id est, Ninive, et sub lamentatione crudelitatis arguitur. Væ, civitas sanguinum, in qua nulla veritas, sed omne mendacium, plena rapina, et laceratione prædarum. Vox flagelli crudelis semper et sævientis imperii, et vox impetus rotæ. Vocem pro sonitu accipiamus : rotam ferventem, per diversa discursum, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, subauditur in omnibus, vox. Tam pulchra autem juxta Hebraicum et picturæ similis ad prælium se præparantis exercitus descriptio est, ut omnis meus sermo sit vilior. Nam quod ait : *Et gravis ruinæ, nec est finis cadaverum*, de adversariis intelligamus qui ab eis sunt interfecti. Et corruent in corporibus suis, vel cadent a sua multitudine, dum a se invicem constipantur : vel in cadaveribus corruent interfectorum : αὐτῶν enim et *suis*, et *eorum*, utrumque significat. Propter multitudinem, inquit, fornicationum meretricis : quia cum multis gentibus fornicata est, et totius orbis quem subjecerat sibi colebat idola. Speciosæ et gratæ, et habentis maleficia, magos significat : quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis, id est, quæ in cunctas gentes habuit potestatem. Hæc de Ninive sunt dicta simpliciter. Cæterum si rationabiliter propter pulchritudinis nomen mundum intelleximus (*Al.* intellexerimus) Niniven, recte mundus, qui in malo positus est, propter multitudinem sagittariorum, et eorum qui velut gladiis homines linguis **564** suis interficiunt, civitas sanguinum dicta est. Unde et consequenter tota mendax, quod ad perversitatem doctrinarum refertur, non habente sermone Dei, ubi caput in ea reclinet, cum perversa dogmata cuncta possideant. Non est qui intelligat aut requirat Deum : omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* xiii, 2, 3). Quæ quamquam et nunc ex parte fiant, [c] tamen in consummatione magis

[a] Ex Reginæ cod. rescribimus *tuas*, quod ex Vulgata dumtaxat editione et Hebraico Victorius reposuerat, qui et pro *catulos* legit nullo suffragante ms. *leunculos*. Martian. *ejus* retinuit pro *tuas*.

[b] Regia. ms., *cervicatione*.

[c] Cod. Reginæ, *tamen magis in commutatione*

complentur : quando, multiplicata iniquitate, refrixerit charitas multorum (*Matth.* xxiv.) Quanti capiuntur a Nemrod gigante, et venatore sævissimo, quia adversum Deum superbiens, plures de saltu ejus suis pedicis innexuit ; cujus non attrectabitur a multis præda, sive venatio. Multos enim habet satellites, et secum pariter venatores, qui in ejus venatione lætantur, et captivorum [a] more ei astant. Sed et vox flagellorum auditur in mundo, quia multæ sunt tribulationes justorum (*Psal.* xxxiii), quibus qui flagellantur, clamitant, et doloris magnitudinem flebili voce testantur : quando alius dæmone, alius ira, quæ furori similis est, alius libidine, odio, invidia, superbia corripiuntur, flagellum in eis Assyrii regis sonat. Sed et in corporis malis, flagellum diaboli intelligimus, de quo ad justum dicitur : *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* (*Ps.* xc,10) : [b] quando viderimus hunc morbo regio computruisse, et superesse cadaveri suo : alium intercuti aqua, et tumenti natare corpore, crescentibusque membris, formam pristini hominis decrescere, quod nuper in [c] excetra vidimus : illum purulentias quasdam, et vulnerati damna pulmonis egerere : istum humore in lapides [d] desiccato, urinæ amaritudinem, et vesicæ tormenta sentire, non dubitemus dicere, vocem flagellorum esse Ninive : licet nonnulli hæc vel ex corrupto aere, vel ex escarum et corporum diversitate accidere suspicentur. Nos qui legimus et febrem increpitam (*Luc.* iv), et mulierem quæ per decem et octo annos a diabolo fuerat ligata (*Ibid.*, xiii) Domino medicante, curatam, sciamus hæc omnia **565** flagella esse Ninive. Unde sequitur : *Et vox commotionis rotarum ;* dum huc atque illuc genus raptatur humanum, et incertis per cuncta discursibus, [e] ubi periculum, ubi salus sit, ignoramus : de qua rota et in principio Ezechielis scriptum est (*Ezech.* i) : in psalmo septuagesimo sexto legimus : *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* lxxvi, 19). Habet autem Ninive et equum persequentem, cujus hinnitus, et ungula terram fodiens, et pectus æstuans, semper bella desiderat, loquente Domino contra diabolum. *De longe odoratur bellum : cum saltu et clamore non parcit fugientibus : nec sinit abire terga vertentes ;* sed persequitur ut prosternat, interficiat, conculcet illidat [*Al.* illudat]. Est quoque in Ninive et vox quadrigæ ferventis, quales puto habuisse Pharaonem, quæ a Domino submersæ sunt (*Exod.* xiv). Ad hanc quadrigam quatuor junguntur equi, quatuor scilicet perturbationes, de quibus et philosophi disputant, et Maro non tacet, dicens (*Virg.*, vi *Æneid.*) :

Hi cupiunt, metuuntque, dolent, gaudentque....

His equis et hac quadriga Ninive cuncta perturbat. Sed et equitis ascendentis vox in ea personat, qui arte quadam et gyro præparatus ad bellum, non absque periculo contra se pugnantis incedit. Habet hic eques sermonis gladium, exacutum cote dialecticæ, et rhetoricæ artis oleo levigatum : habet arma fulgentia, transfigurante se Satana in angelum lucis (II *Cor.* xi), quæ arma apostolicæ armaturæ contraria sunt. Nec mirum si in Ninive vulneratorum multitudo sit, cum multitudo sit sagittarum. Et quomodo quatuor quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo : ita econtrario quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria formido, quibus ab hoste percutimur. Quorum singula pullulantes habent in se, ac multiplices species sagittarum, quibus inferuntur vulnera, quæ nisi statim medicina curaverit, fit gravis ruina, atque utinam tanti essent in Ninive, leviter cadentes et leviter vulnerati, quanti sunt pro ruinæ pondere, usque ad inferna demersi. Nec est finis gentibus [*Al.* gemitibus] ejus : malitia ejus finem non habet : et quantæ species peccatorum, tot gentes sunt Ninive, quæ infirmabuntur in corporibus suis a multitudine **566** fornicationis. Quod licet possit et de eis accipi, qui propter res venereas etiam corpore debilitati sunt, et cum perditione animæ carnem quoque frangunt cui serviunt : tamen gentes istæ, de quibus diximus, non cadunt, juxta Hebraicum, nisi in corporibus suis, et non offendunt (ut interpretatus est Symmachus) nisi in cadaveribus mortuorum, quæ fornicationis multiplicatione prostrata sunt. In hoc loco LXX interpretes, cum secundum Hebraicum posuerimus, *propter multitudinem fornicationum meretricis*, quasi aliud voluerunt esse principium, ut dicerent : *Præ multitudine fornicationis ;* et hucusque finita sententia, postea inciperent, *meretrix speciosa mundi complentur*, et paulo post absque negandi particula cum editis vetustioribus, *cujus attrectabitur.*

[a] Restituimus ad Regii codicis fidem, *captivorum more ei astant.* Antea minus, ut videtur, recte legebatur, *captivorum morte se jactans.*

[b] Idem ms. *si quando vidimus hunc*, etc.

[c] Pro *Excetra*, editi legunt *in hac terra ;* sed Erasmus legisse videtur in mss. codicibus nomen *Excetra ;* quin in margine notavit, *nuper in excedra.* Constat itaque juxta fidem omnium exemplarium mss. legendum *excetra*, quod *hydram* significat apud Plautum. Porro Hieronymus abusus est sæpius hoc vocabulo adversus Rufinum, ut præfatione in libros Paralipomenon ex Hebræo in Latinum conversos ; præfatione Commentariorum in Ezechielem, et proœmio lib. ii Comm. in Abacuc, nec non infra, si codicibus Mariani credimus. Unde scire nobis licet, Rufinum hydropisi sive aqua intercuti aliquando laborasse, quod ante hanc nostram restitutionem omnes ignorabant. Huc quoque refer verba Hieronymi dicentis Grunnium in suo pure moriturum. Mart. — Quod Martian. annotat, ante se omnes ignorasse, Rufinum, qui sub excetræ nomine irridetur, hydropisi, sive aqua intercuti aliquando laborasse, nemo non jactantiæ accuset, qui nedum laborasse illum aliquando, sed et mortuum eo morbi genere ex antiquis monimentis didicerit.

[d] Notum erat Antiquis calculi tormentum, ut testis est Hieronymus. Proinde falsa opinio eorum est qui putaverunt hunc calculi morbum ignotum veteribus, lepram vero existimatum fuisse. Mart. — Regin. ms., *in lapides defecato.*

[e] Voces, *ubi periculum*, ignorat Reginæ codex.

*et grata, dux maleficiorum.* Pro duce maleficiorum, Aquila et Symmachus transtulerunt, *habens maleficia.* Nec mirabitur Niniven [a] scortorum jam esse gratissimam, qui tantam hominum multitudinem cum ea viderit fornicari, et maleficiis illius, et quibusdam incantationibus ad amorem ejus pene cunctos trahi. Hæc vendidit gentes in fornicationibus suis, quæ tollunt membra Christi, et faciunt membra meretricis; *et tribus in maleficiis suis.* Facit enim amare ea [*Al.* eas], quæ odisse debuerant, et detestari quæ amare debebant, ut cum deceptæ fuerint, juxta illud quod scriptum est : *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ* (I *Cor.* XV, 33), etiam alios malefica arte supplantent. Legi in Scripturis sanctis in bonam quoque partem maleficos accipi : *Et malefici incantantis sapienter* (*Psal.* LVII). Sed ad hoc incantat talis maleficus, ut meretricis Ninive amore devinctos ad mentis sanitatem retrahat.

(Vers. 5, 6.) *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in faciem tuam, et ostendam in gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam : et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum.* LXX : *Ecce ego ad te, dicit Dominus omnipotens, et discooperiam posteriora tua super faciem tuam, et ostendam gentibus confusionem tuam, et regnis ignominiam tuam, et projiciam super te abominationem secundum immunditias tuas, et ponam te in exemplum.* Quia vendidisti, o Ninive, gentes in fornicationibus tuis, et familias in maleficiis tuis, et quasi publicum prostibulum **567** cunctis divaricasti pedes tuos : propterea ego ipse ad te veniam subvertendam, non mittam angelum, non credam aliis judicium tuum. Discooperiam pudenda tua in facie tua, ut quæ prius non videbas, ante tuum ponantur aspectum. Ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam, ut qui tecum fornicati sunt, ipsi te despiciant, irrideant, et contumeliis te afficiant : et eris in exemplum universis te videntibus. Hæc autem omnia sub metaphora mulieris narrantur adulteræ, quæ, cum fuerit deprehensa, producitur in medium, et ante oculos omnium depompatur. Quod quidem per translationem etiam super Jerusalem plenissime in Ezechiele prophetalis sermo describit. Verius tamen et utilius dicuntur ad mundum, ad quem secandum pariter et curandum verus medicus venit e cœlo. *Ecce ego ad te, dicit Dominus omnipotens :* quia omnipotens sum, possum universos sanare morbos : et quod est aliis impossibile, mihi possibile est. Revelabo posteriora tua in facie tua, id est, virtutes meas, præcepta atque sermones, quæ projecisti post tergum tuum : licet non merearis, faciam te videre. Ego enim mandaveram tibi de sermonibus meis, ut semper ante oculos tuos moverentur, ligati essent atque penderent. Tu autem, contempto jubentis imperio, post tua eos vestigia reliquisti, ut non solum non faceres, sed nec dignareris quidem videre quod jusseram. Vel certe faciam te videre et intelligere errores tuos, quos ante, cum cæca ferreris et præceps, rebaris esse virtutes. Post hæc etiam gentibus quas vendidisti in fornicatione tua, ostendam nuditatem tuam, ut nequaquam tui amore capiantur, sed videntes sordidum et turpe corpus intrinsecus, cujus primum superficie ducebantur, tecum desinant fornicari. Regnis quoque quæ majora sunt quam gentes, ostendam ignominiam tuam, quam ut haberes, ipsa fecisti. Et projiciam super te abominationem secundum immunditias tuas, ut quomodo immunda es, sic immunda videaris; nec decipias plurimos, qui tibi ante cohærentes, unum tecum corpus efficiebantur. Et ponam te in exemplum, ut similitudo formidata **568** pœnæ, similitudinem prohibeat delinquendi (II *Cor.* V).

(Vers. 7.) *Et erit, omnis qui viderit te, resiliet a te, et dicet : Vastata est Ninive ; quis commovebit super te caput? Unde quæram consolatorem tibi?* In Hebræo non habetur *caput*, sed nos apposuimus, ut sensus manifestior fieret. Denique Symmachus ita interpretatus est : *Et omnis qui viderit te, recedet a te, et dicet : dissipata est Ninive, quis lugebit cum ea?* Porro Septuaginta : *Et erit, omnis qui viderit te, descendet a te et dicet : Misera Ninive,* [b] *quis gemet eam? Unde quæram consolationem illi ÷ aptantem chordam.* ⁝ Qui ruinas viderit Ninive, et positam eam omnibus in exemplum, expavescet atque mirabitur, et dicet : *Dissipata est Ninive, quis commovebit super te caput?* hoc est, quis dolebit super te, quis tuus poterit esse consolator? quæ quamdiu potens fuisti, quasi crudelis domina, non miserebaris senis [*Al.* senum et parvulos] : nec parvulum respiciebas : nec præparasti luctus tui socium, quæ noluisti consortem habere regnandi. Qui autem hæc terrena contemnit, et veneficæ [*Al.* venefica] Ninive maleficia despexerit, nec falsa pulchritudine ejus fuerit irretitus, cum omnem illius turpitudinem [*Al.* pulchritudinem] intrinsecus viderit, et cœperit odisse quod cæteri diligunt, refugiet et resiliet ab ea, sive, ut a Septuaginta dicitur, *descendet.* Quamdiu enim terrena honoramus, et putamus esse sublimia, velut in quondam superbiæ culmine sumus, et miramur pulchritudinem Ninive. Cum autem consideraverimus naturam ejus, et omnia corporalia bona, quasi humilia despexerimus, subjicientes nos potentiæ manus Dei, tunc miserebimur Ninivitis [*Al.* Ninive] : et omnia terrena bona digna planctu judicabimus, dicemusque : Misera Ninive, quanti tuis laqueis irretiti sunt, quantos alligatos vinculis tuis tenes! quis, putas, resiliet a te et descendet de superbia tua, et te miseram judicabit? Quod autem ait, *quis*, non tam pro difficili, quam pro raro debemus accipere, ut sæpe diximus : *Quis, putas, fidelis et prudens dispensator* (*Matth.* XXIV, 45)? Et : *Quis sapiens, et intelliget hæc* (*Osee* XIV, 10)? Et : *Quis ascendet in*

[a] Idem ms., *Niniven scortum esse gratissimum.*
[b] Ms. Reginæ, *quis gemet te? Unde quæram consolationem tibi?*

*montem Domini* (*Psal.* XXIII, 3)? Quis ergo gemet super Ninive? Quis poterit inveniri, qui hoc tabernaculo prægravatus cum Paulo dicat : *Miser ego, quis me* **569** *liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 14)? Videmus quotidie si cui vicina mors venerit, et intellexerit se vel febre, vel vulnere, vel quolibet genere morborum, de hoc mundo subtrahi, pavere, trepidare, et toto corpore tremescentem in Ninive hærere complexibus, et a speciosæ meretricis corpore vix avelli. Quod autem sequitur : *Unde quæram consolationem*, vel *consolatorem tibi, qui aptet chordam?* adhuc ex persona ejus dicitur, qui resiliet vel descendet [*Al.* discedet] a Ninive, et dicet : *Misera Ninive, quis gemet eam?* de confusa sæculi hujus conversatione [*Al.* conversione] disputans, in quo nihil cuiquam potest placere perpetuum : sed quod placuit displicet, et quod displicuerat, rursum placet. Quis itaque poterit talis inveniri consolator? et (ut ita dicam) scriptor lyricus et citharœdus qui possit dissonantes chordas ejus in unam harmoniam contrahere, et vocalem in laudes Dei efficere concentum? Hoc quod exposuimus, *qui aptet chordam*, vel *aptantem chordam*, et Græce dicitur, ἁρμόσαι χορδήν, nec in Hebraico, nec in cæteris invenimus translatoribus, sed pro eo alterius sermonis exordium : *Numquid melior es ab Amon quæ habitat in fluminibus?* Unde videtur mihi magis cum posterioribus copulandum.

(Vers. 8 seqq.) *Numquid melior es ab Amon* [Vulg. *Alexandria populorum*], *quæ habitat in fluminibus? aqua in circuitu ejus, cujus divitiæ mare, aquæ muri ejus, Æthiopia fortitudo ejus et Ægyptus, et non est finis ; Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo. Sed et ipsa in transmigratione* [a] *ducitur in captivitatem ; parvuli ejus elidentur* [Vulg. *elisi sunt*] *in capite omnium viarum, et super inclytos ejus sortem mittent* [Vulg. *miserunt*], *et omnes optimates ejus affigentur* [Vulg. *confixerunt*] *compedibus. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta : et tu quæres auxilium tuum ab inimico, omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* LXX : *Apta chordam, pars Ammon, quæ habitas in fluminibus, aquæ in circuitu ejus, cujus principium mare est, et aqua muri ejus. Æthiopia fortitudo ejus et Ægyptus, et non est finis fugæ tuæ.* [b] *Phut et Libyes facti sunt auxiliatores illius, et ipsa in transmigrationem ibit captiva, et parvulos illius allident in principio viarum ejus,* **570** *et super omnia inclyta ejus mittent sortem, et universi optimates ejus alligabuntur compedibus : et tu inebriaberis, et eris despecta, et tu quæres ibi ut stes ab inimicis* [c] *tuis; omnes munitiones tuæ ut ficus, quæ grossos habent, si commotæ fuerint, cadent in os comedentis.* Pro eo quod in Septuaginta legitur, *Apta chordam, pars Ammon ;* et cæteri interpretes transtulerunt : *Numquid melior es ab Amon?* Hebræus qui me in Scripturis erudivit, ita legi posse asseruit : *Numquid melior es quam No, Amon?* et ait, Hebraice NO dici *Alexandriam :* AMON autem, *multitudinem*, sive *populos*, et esse ordinem lectionis : Numquid melior es ab Alexandria populosa, sive populorum, quæ habitat in fluminibus, aqua in circuitu ejus? Non quod eo tempore Alexandria vocaretur, quippe quæ longo post tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit ; sed quia sub nomine primo, id est, *No*, semper Ægypti metropolis fuerit, et abundantissima populis. Denique et qui res gestas Alexandri memoriæ tradiderunt, principem eam fuisse Ægypti autumant. Sed et propheta Jeremias, *Amon*, sive *No, Alexandriam*, intelligens in visione contra Ægyptum, ad quam dicit : *Vitula formosa Ægyptus, stimulator ab Aquilone veniet ei* (*Jerem.* XLVI, 20), hæc quoque manifestius addit : *Confusa est filia Ægyti, tradita est in manu populi Aquilonis, ait Dominus virtutum Deus Israel. Ecce ego visitabo super* AMON MENNO (אמון מנא), id est, *super tumultum* [Al. *tumulum*] *de Alexandria* (*Ibid.*, 24 *seqq.*) : AMON enim, ut diximus, *populos :* MEN præpositionem *de* significat : NO autem *Alexandriam. Et visitabo*, inquit, *super Pharaonem, et super Ægyptum et super deos ejus,* [d] *et super reges ejus, et super Pharaonem, et super eos qui in eo sperant, et dabo in manus quærentium animas eorum, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu servorum ejus.* Dicitur itaque ad Niniven : Numquid populosior es, aut potentior Alexandria? Et describitur situs Alexandriæ, quæ super Nilum et super mare posita hinc inde aquis et fluminibus ambiatur. *Aqua in circuitu ejus, cujus divitiæ mare : aquæ muri ejus :* hinc enim rivo Nili, inde lacu Mareotico, ex alia parte mari cingitur. Quod autem **571** Æthiopia et Ægyptus, et Africa pro quo in Hebræo ponitur PHUT (פוט), et Libyes in præsidio ejus sint, ipse situs provinciarum et urbis ostendit. Et hæc igitur quam meus, inquit propheta, sermo describit, capietur a rege Babylonio, et idem tuus atque illius vastator erit. Quæ Josephus quoque Judaicæ scriptor historiæ in libris suis refert. *Parvuli ejus allidentur in compitis* (Al. *compedibus*), nobiles ejus dividentur sorte victorum, et potentissimi quondam principes captivi ducentur in catenis. Cum ergo hæc passura sit Alexandria, e tu, o Ninive, de eodem bibes calice, et inebriaberis, et consopita jacens despicieris, et in tantam venies necessitatem, ut a Babyloniis, sive contra Babylonios, ab inimicis tuis auxilium roges. Omnia firmamenta tua et muri [e] in sublime porrecti, et altitudines turrium, quas nunc inexpugnabiles putas, et viri fortes bellatoresque tui, primitivis ficis comparabuntur, quæ si concussæ fuerint levi tactu, in os

[a] Idem ms., *in transmigratione fruetur in captivitatem.*

[b] Ad Græcum fere Vatic. exemplaris textum, prætermisso *Phut* nomine, legit Reginæ ms., *et Libyes acti sunt consolatores illius.*

[c] Voculam *tuis*, quam neque in Græco norunt quædam exemplaria, ms. Reginæ respuit.

[d] Verba., *et super reges ejus*, penes Martian. desunt.

[e] Mss. Reginæ, *et muri, quos in sublime porrexisti, altitudines*, etc.

cadent devorantis. Nam quod apud Septuaginta legitur : *Apta*, sive *compone chordam*, adhuc ad Niniven dicitur. Et est sensus : Inordinatum et incompositum tuum, et in diversa discrepans, in chordarum similitudinem apta, Ninive, quia nihil tibi proderit species et magnitudo tua, quæ præcipua habere te credis, nisi te aptaveris ad canendum. Considera enim [ *Al.* ergo ] omnem partem sortis filiorum Ammon, et quæcumque æstimantur possidere bona, quomodo eos non defenderint, ne irent in captivitatem, et ne parvuli eorum alliderentur in viis. Quid ei profuerunt flumina, juxta quæ posita est urbs Ammon? Quid, exceptis fluminibus, tanta puteorum et fontium multitudo, incipiens a mari Mortuo, et vallans regionem ejus? Quid ei præbuere præsidii Æthiopia et Ægyptus, quondam fœderati ejus? Quomodo ergo illam non juvit auxilium sociorum : sic nec tuus, o Ninive, fugiendi finis erit, sed huc atque illuc vastaberis. Quod loquar de Æthiopibus, et de Ægyptiis **572** qui præsules fuerunt filiorum Ammon, cum etiam Libyes ei fuerint fœderati? Et hæc igitur ducetur in captivitatem, et parvuli ejus, quia ingredi non valebunt, interficientur in viis ante parentum ora prostrati, et omnes opes ejus forte a victoribus dividentur. Nec quisquam de principibus evadet, quia ferro et compedibus vincientur. Et tu ergo, o Ninive, inebriaberis, et dives quondam ac speciosa, quæ tantos amatores habebas, despicieris ab omnibus, et inimicis persequentibus, quæres requiem, et non invenies. Omnes bellatores tui et universa auxilia prædæ hostibus erunt, et sine ullo labore capientur in similitudinem grossorum ficus, quæ concussæ non in terram, ne saltem parvus labor sit colligentium, sed statim in os devorantis cadent. Hæc dicta sint παραφραστικῶς juxta Septuaginta interpretes : semel enim propositum nobis est, et Vulgatam editionem sequi, ne aliquam [a] excetræ et Sardanapalo reprehendendi occasionem præbuisse videamur. Cæterum non satis mihi videtur congruere exemplum eversionis Ninive cum filiis Loth, qui vocantur *Amman*. Primum enim [b] *Ammon* dicitur ( *Genes.* XIX ), et non *Amman* : deinde *Ammana*, quæ nunc vocatur *Philadelphia*, non est sita super flumina, nec opes illius de mari congregantur : quippe quæ mediterranea sit, nec aquæ sunt muri ejus, nec habet Æthiopiam et Ægyptum et Africam et Libyes fœderatos, cum hæc omnia et juxta potentiam, et juxta exemplum, et juxta descriptionem loci et regionis, et amicarum gentium, magis Alexandriæ coaptanda sint : et numquam potentissima civitas Ninive minori Philadelphiæ comparata, audiret a propheta : *Numquid melior es?* Cui autem dicitur : *Numquid melior es*, ostenditur minor esse ea cui comparatur, et non debere eam indigne ferre si capta sit, cum major et firmior et potentior tam natura loci, quam viris fortibus, ab eodem sit hoste superata. Quia vero Niniven et **573** mundum istum interpretati sumus, præcipitur ei ut aptet et componat chordas suas, et se ad lugubre carmen paret : pars enim filiorum Amon quæ multo melior fuerat quam Ninive, et habitaverat super flumina, quia in errore deprehensa est, pœnas eam sui sceleris pependisse. Ac primum juxta historiam Alexandriæ dicendum, quod *Ammon* interpretentur *populi*, et sit sensus juxta leges allegoriæ : Considera populos Ecclesiæ quæ habitat super amnes [c] prophetarum, et habet doctores in circuitu suo, quorum de ventre manant flumina, cujus initium est mare. A lectione quippe Legis, quæ sine ligno Christi amara est, in similitudine [d] Merrhæ ad ejus mysterium pervenitur, quæ habet Æthiopiam in fortitudine : Æthiopia quippe præveniet manus ejus Deo (*Ps.* LXVII) : et Ægyptum in quam Dominus venit in nube levi : et Libyes qui ante habitabant in arentibus, et postea facti sunt in auxilio ejus. Et hæc ergo si non se attenderit, et omni diligentia custodierit cor suum, captiva ducetur, et plangent filios suos. Parvuli quoque ejus, qui adhuc in principiis viarum sunt, nec ad medium itineris pervenerunt, elidentur in ipsis principiis suis : et hostes sævissimi præclara quæque ejus sorte sibi dividere festinabunt, et optimates quos principes et præpositos intelligere possumus, vinctos catenis, et gravissimo

[a] Marianus Victorius addit, exemplarium Brixianorum ope subnixus, *ne excetræ et Sardanapalo aliquam*, etc. Nomen tamen *excetræ* in nostris codicibus mss. nequaquam reperire potui. Sed perspicuum est, nomine *excetræ* sive *hydræ* et *Sardanapali*, Rufinum sæpius ab Hieronymo notatum. MART. — Iisdem plane verbis, quibus Rufinum notare vulgo dicitur, scribit infra prologo secundi libri in Abacuc : *Sibilet igitur excetra, et Sardanapalus insultet, turpior vitiis quam nomine*. Nec tamen occurit menti ex Hieronymi adversariis, nisi si Rufinus ille est, qui turpitudinem sonaret nomine. Interim vocem *excetra*, quam Martianæus respuit, nostrorum Brixianorumque penes Victorium codicum ope restituimus. Persuasit et simile quod modo laudavimus, testimonium, aliaque propemodum innumera, quibus *excetra* Rufinus abs Hieronymo dicitur.

[b] Codex Reginæ : *Primum enim Amman dicitur, et non Ammon : deinde Amman, quæ*, etc. Martian. consulendum monet Stephanum de Urbibus ad Ἀμμαὰ.

[c] Sic ad Regii cod. fidem correximus, pro quo Martianæus mendose retinuit *omnes prophetas*. Emendaverat vero et Victorius pridem Brixianorum codicum monitu *amnes* pro *omnes* : Exponit enim, ait, mystice de Alexandria illa verba : *Numquid melior est ab Amon, quæ habitat in fluminibus? Aquæ in circumitu ejus : cujus divitiæ mare, aquæ muri ejus*. Asseritque Alexandriam Ecclesiam significare, ejusque amnes, seu flumina, esse prophetas, et doctores.

[d] Correximus *Merrhæ* : pro quo vitiose lectum hactenus *myrrhæ*. Etenim sicut Merrhæ fontem propter aquarum amaritudinem attingere Hebræi non poterant, priusquam lignum in aquas injecisset Moyses, quod eas in dulcedinem vertit, Exod. XV, vers. 23 et seqq., sic lectio legis sine ligno crucis amara est in similitudinem Merrhæ. Hac comparatione alias utitur Hieron. ut Epist. 125 ad Rusticum, ubi eum quoque locum emendavimus : et in Præfat. Epistolæ ad Algasiam, ubi *Mitte*, inquit, *in Marra lignum Crucis*. S. quoque Paulinus, poem. XVII.

Sicut antiqui manibus prophetæ
Per sacramentum Crucis, unda misso
Dulcuit ligno, posuitque tristes
Merra liquores.

compedum pondere præpeditos, trahent in captivitatem. Et tu ergo, Ninive, homines videlicet infideles, homines mundo penitus inhærentes, senties supplicia, et consopieris calice meo, cum illi quoque biberint qui de mea parte [*Al.* sorte] fuerant, et suo vitio corruerunt. Et despicieris a me : quæres finem inter vitia et perturbationes quæ te prement, et nihilominus stationem et finem malorum reperire non poteris ; sed et omnes voluntates tuæ et dulcedines, et potentiæ sæculares, et dogmata quæ tibi videbaris habere firmissima, devorabuntur a comedente, **574** de quo per parabolam dicit Samson : *De comedente exivit cibus, et de forti egressum est dulce* (*Judic.* XIV, 14) : tunc enim fortia quæque tua, et quæ dulces fructus spectantium oculis promittebant, ad primam arboris concussionem ruent in os diaboli devorantis, a quo semper Ninive tenta fuerat et possessa. Porro quod prætermisimus : *Et non èst finis fugæ tuæ*, quia ad Niniven dicitur, et inter ea quæ de Ammon scripta sunt, positum est, et videtur extraordinarie in alieno loco insertum, quasi per ὑπέρβατον referamus ad Niniven, ut sit ordo : Et inebriaberis, et non est finis fugæ tuæ, et eris despecta, et cætera quæ dicuntur ad Niniven. Et interpretabimur non esse finem fugæ Ninive a Deo : quia semper profectum habeat in fugiendo, et numquam velit consistere, secundum illud quod supra diximus : *Et ipsi fugientes non steterunt, et non erat qui respiceret.* Et dicemus, ideo Scripturam sanctam his difficultatibus esse contextam, et maxime prophetas, qui ænigmatibus pleni sunt, ut difficultatem sensuum, difficultas quoque sermonis involvat : ut non facile pateat sanctum canibus, et margaritæ porcis, et profanis sancta sanctorum. Quod si voluerimus Ammon interpretari super filiis Loth, dicamus Loth habuisse ex duabus filiabus duos filios, Moab et Ammon, quorum senior *Moab* interpretatur *ex patre*, sive *aqua paterna* : junior vero *Ammon*, vel *filius generis mei*, vel *populus noster* (*Genes.* XIX). Et arbitror quomodo [*Al.* quemadmodum] qui ex Juda natus fuerat propter peccatum dicitur ad eum : *Semen Chanaan, et non Juda* (*Dan.* XIII, 56). Et in Ezechiele ad Jerusalem peccatricem [*Al.* meretricem] : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Ammorrhæus* [Al. *Chananæus*], *et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3) : sic eos quicumque fuerunt de priori populo, hoc est, de Judæis ; et de juniori, id est, de nostris, Moabitas et Ammonitas figuraliter appellari. Et quia declinaverunt a patre suo (*Loth* quippe *declinatio* interpretatur) **575**, pœnæ subjiciendos et passuros omnia quæ supra exposuimus. Si autem ab his qui sancti quondam fuerant, Dei severitas incipit, et illa quæ habitabat inter flumina, gehennæ igne purgabitur : quanto magis Ninive quæ ante non habuit legem, nec recepit jugum præceptorum Dei, propter superbiam suam ad extremum in os corruet devorantis !

(Vers. 13 seqq.) *Ecce populus tuus, mulieres in medio tui : inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ : devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obsidionem hauri tibi : exstrue munitiones tuas, intra in lutum, et calca : subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis ; peribis gladio, devorabit te ut bruchus : congregare ergo ut bruchus : multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sint cœli : Bruchus expansus est, et avolavit. Custodes tui quasi locusta, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris.* [a] *Sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint.* LXX : *Ecce populus tuus quasi mulieres in te, inimicis tuis aperiendo aperientur portæ terræ tuæ : comedit ignis vectes tuos. Aquam obsidionis hauri tibi,* [b] *obtine munitiones tuas : ingredere lutum et conculcare in paleis, obtine super laterem. Ibi comedet te ignis, disperdet te gladius, et comedet te quasi locusta : aggravaberis quasi bruchus, multiplicare ut bruchus : multiplicasti negotiationes tuas sicut stellas cœli.* Adhuc ad Niniven texitur dicentis eloquium : Non mirum si fortes et pugnatores tui in similitudinem grossorum ficus, statim in os decidant devorantis, cum populus tuus effeminatus sit, et resistere nequeat. Pandentur ergo portæ tuæ, et patebit **576** civitas hostibus, robustissimos vectes quibus claudebantur portæ, consumet ignis. Hauri igitur aquam, et cura ne potus desit obsessæ [c] munitioni : lateres confice, ut interrupta murorum struas, prope est enim obsidio. Et cum hæc omnia feceris, quasi a brucho humus, ita a gladio devoraberis. Sed et cum multiplicata fueris ut bruchus, et ut locusta in unum pariter congregata, et congregaveris sicut astra cœli divitias tuas, sicut locustæ et bruchus, et parva genimina locustarum, quæ vocantur attelabi [*Al.* adtelebi], sole incalescente, avolant, nec reperiuntur : sic tu dispergeris et fugies. Natura enim hæc locustarum est, ut in frigore torpentes, per calorem volitent. Porro [d] attelabus quem significantius *comessorem*

[a] Subsequentem versiculum, *Sol ortus est*, etc., ms. Reginæ tacet. Confer Hieronymum sub hujusce sectionis finem.

[b] Rectius, ut videtur, in Regio ms. *oppila*, quod est, *occlude*, pro *obtine*. Nam et Hieron. in subnexa expositione interpretatur, *vectes robustissimos, quibus oppilent et claudant portas sensuum.* Græce tamen est καταχράτησον.

[c] Exponit, inquit Victorius, ea prophetæ verba : *Aquam propter obsidionem hauri tibi. Exstrue munitiones tuas ; intra in lutum, et calca, subigens tene laterem.* Ex quibus nemini dubio vertetur, hanc veterem lectionem falsam esse. Propterea nos ex cunctis Florentiæ, Brixiæque codicibus, pro *munitioni*, restituimus, *muni turres.* Quæ correctio optime respondebit illis verbis : *Exstrue munitiones tuas :* sive, ut vertere Septuaginta : *Obtine munitiones tuas ;* incongrua alioqui locutio esset, obsessam dicere munitionem. Dum autem ait, *obsessæ*, intelligitur ex superioribus civitati.

[d] Idem ait : Egregie Hieronymus differentiam inter locustam, attelabum et bruchum explicat : ne quis bruchum erucam brassicas corrodentem, uti Senenses in Etruria vocant, esse putarent. Est autem bruchus, qui a Septuaginta βροῦχος similiter dicitur, et ab Hebræis יֶלֶק parva illa locusta absque alis nigra,

interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quam volans, semperque subsiliens : et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit, quia donec crescant pennæ, abire non potest. Hæc juxta Hebraicum, propter lectoris faciliorem intelligentiam, ipsa Scripturæ calcans vestigia, manifestius explanavi. Dicam autem et juxta LXX cœptam τροπολογίαν sequens, primum breviter, id est, quasi in epitome, et postea latius de singulis dissereus : Populus tuus, o Ninive, homines videlicet sæculares qui proprie vocantur populus urbis Assyriæ, ita passionibus enervati sunt, et vitiis elanguerunt, ut imbecillitati mulierum comparentur ; nihil enim in animabus suis forte, nihil robustum possident et virile. Unde inimici prævalentes adversum eos, aperuerunt omnes sensus **577** eorum, et per corporales januas introgressi sunt. Et signanter sensus corporum, ostia Niniviticæ terræ appellantur. Habent autem ex prima Dei conditione etiam hi qui se vitiis manciparunt, occasionem cognoscendi Deum, quasi robustissimos vectes, quibus oppilent et claudant portas sensuum. Sed et ipsos consumet ignis, [a] qui a sagittis est alatus ardentibus, quamobrem dicitur ad Niniven : *Hauri tibi aquam*, et asperge te sermone atque ratione, et occasionibus intelligendi Deum, exercendarumque virtutum, quæ tibi insitæ sunt, abutere ad præliandum. Verum tu dissolutis manibus, id est, operibus voluptatis, quidquid in te habueras roboris, perdidisti : quamobrem convertere, et age pœnitentiam, et rursum obtine munitiones tuas. Et quia semel ingressa est lutum, et clausa es corpore (quod quasi terra et paleis et aqua, ita carnibus, sanguine, venis, nervis, ossibusque compactum est), sustine injuriam et necessitates corporis : et conculcare ab inimicis, et omnia ad conficiendam carnem, quæ pœnitentia digna sunt, patere. Semel enim assumens lutum, et paleas et inanibus hujus sæculi negotiis involuta, debes per injuriam sponte calcari, et tamen noli salutem penitus desperare : esto confidens, et corpus, id est, laterem tuam propter assumptum sermonem quasi aquam [b] in servitutem redige, et subjice tibi, ut domineris lateri tuo : alioquin nisi hoc feceris, vivax te [c] postea flamma consumet, vel in pœnam per gehennam, vel ardentibus inimici jaculis suscitata : et non solum igni vastaberis, sed gladius quoque te comedet quasi locusta terræ virentia. Et hoc patie-

A ris si non fueris super laterem, tuoque pondere prægravata, et omnem perdens volatum, tota detraheris in terram, sicut bruchus repente in terram cadit, cum lasso [*Al.* lassus] volatu ultra ire non quiverit. Habeto itaque virtutes tam innumerabiles, ut bruchus : ne ita pondere tuo ad terram detraharis, ut bruchus. Quæ universa perpessa es, quoniam multiplicasti tibi divitias et negotiationes diversorum dogmatum, putans eas clariores esse stellis, et magis fulgere quam cœli sidera. **578** Hæc, ut dixi, ad comprehendendum sensum a nobis dicta sunt breviter : nunc ad exordium capituli revertentes, singula ut possumus, explicemus. Quis non dicat speciosam Niniven, animam natura pulchram, luxuria et voluptatibus hujus sæculi delinitam, in mu-

B liebres delicias pervenisse, et virilitate perdita, elanguisse in feminam ? Si enim justi anima in perfectum virum veniens, et conditionis suæ servans rigorem, adhærensque Deo, unus cum eo efficitur spiritus : cur non econtrario anima quæ amat mundum, unum cum mundo fiat, et in mollitiem redacta femineam, virilem perdat [*Al.* perdiderit] rigorem? Ego puto ob hanc causam in Exodo præcipere Pharaonem, ut omne masculinum quod natum est Hebræis, mittatur in fluvium, et omne femineum vivificetur (*Exod.* I). Neque [*Al.* Numquid] enim poterat rex Ægyptius qui dicit alibi : *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (*Exod.* XXIX, 2), quidquam aliud nisi hoc jubere, ut quodcumque est Hebræorum [*Al.* Hebræum est], et eorum, qui per sæculum istud transeunt,

C forte et virile, mittatur in aquas, et per fluenta earum deferatur in mare. Et econtrario quidquid femineum et molle, et formosum videretur in hoc sæculo, hoc vivificetur, adolescat et generet. Simulque considera quod Ægyptius imperator viros Hebræorum non possit occidere, nec eos qui jam egressi sunt de infantia, sed quorum ætas adhuc tenera est, et molle corpus, et profectus incipiens : scit non posse nutriri feminas, nisi interfecti fuerint masculi. Vult itaque in Hebræis quidquid forte est et virile, hoc gurgite sui fluminis suffocare, ut quæ feminea sunt, liberius sola succrescant. Quod autem sequitur : *Inimicis tuis apertione aperientur portæ* [d] *terræ tuæ*, intelligere poteris, assumens de Jeremia

D testimonium, in quo scriptum est : *Ascendit mors per fenestras vestras* [Al. *nostras*] (*Jer.* IX, 21). Quodque per Jeremiam in fenestris, hic in portis asseres demonstrari, et has ipsas ad sensus referes. Sciens enim sermo divinus duplices esse sensus, ad distin-

---

gryllis vocalibus simillima, in terræ foraminibus sese abdens, et ad pastum egrediens, quam Reatini ab atro Maurorumque colore, *Morulam* vocant. Arrodit enim mirum in modum hujusmodi insectum, quidquid virens invenerit. Ἀττέλαβος autem parva illa locusta, quæ in campis et segetibus, messe facta, subsilit : volare enim ut locusta nequit. Reatini a saliendo *sallippulum* appellant. Septuaginta tamen, quod est Hebraice ארבה, id est, locusta, ἀττέλαβον hic reddiderunt : גזם autem tam ipsi, quam Hieronymus locustam verterunt : quod idem fecerunt Ecclesiastæ XII de verbo חגב, ut ibi diximus. Sicut autem attelabus inter bruchum et locustam medius est : ita apparet locustas nominasse majores illas, quæ facto volatu, gregatim tanta multitudine ad populandas segetes et virentia quæque contendunt, ut cœlum veluti nubibus quibusdam obductis, obscurent, et solis radios terræ auferant.

[a] Ms. Reginæ, *qui sagittis est vallatus ardentibus*.

[b] Martian. vocem *aquam* prætermittit.

[c] Regin. ms. *paulatim*, pro *postea*.

[d] Deerat vox *terræ*. Id genus alia infra restituimus.

ctionem malorum sensuum, in Proverbiis ait : *Sensum divinum invenies.* Sensum autem hic non accipias pro animo et mente, quæ Græce νοῦς dicitur, sed pro αἰσθήσει, a qua et quinque sensus nuncupati sunt, **579** visus, odoratus, gustus, tactus, auditus. Portæ itaque terræ Ninive, corporales sensus intelligantur : portæ autem Jerusalem cœlestis, omnis sensus divinus et de supernis veniens. Has portas Ninive aperit populus ejus per visum et auditum, et omnes reliquos sensus, quasi per latam et spatiosam viam quæ ducit ad mortem (*Matt.* VII), corporales quærens capere voluptates, quibus claudunt homines Dei portas suas, obturantes aures, ne audiant judicium sanguinis, claudentes oculos suos ne videant iniquitatem, obturantes nares, ne unguenta prima in effeminationem animæ suæ odore suscipiant : claudentes os gulæ, et [a] ventri avido, et a tactu molli retrahentes manus suas, ne ad libidinem venter exæstuans, in femineos ardentem animam cogat amplexus. Qui autem homines Dei sunt, aperiunt sensus suos, id est, portas cœlestis Jerusalem, ut ad eos ingrediatur sermo Dei. Malarum portarum illud exemplum est : *Qui exaltas me de portis mortis.* Bonarum hoc : *Ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* IX, 15). Quando videris amatorem voluptatum magis quam amatorem Dei, et luxuriæ deditum, statim de eo dicito : Inimicis suis aperuit portas terræ suæ, non enim amicis animæ suæ, sed inimicis aperiunt portas terræ Ninive. Quod si et hi qui principes putantur in populo, eadem fecerint, de his quoque dicere non timebis : Duces populi mei de domo deliciarum suarum ejecti sunt. Si autem videris eos voluptatibus, et hinc inde ambiente luxuria præpeditos, nullam habere misericordiam in pauperes, nec de populo Dei esse sollicitos, aptabis eis quod sequitur : *Qui dormiunt super lectos eburneos : et fluunt voluptate in stratis suis : qui comedunt hædos de gregibus, et vitulos lactentes de armentis : qui bibunt defæcatum vinum, et primis unguentis delibuti sunt ; et non patiebantur quidquam super contritione Joseph* (*Amos* VI, 4). Porro quod dicitur : *Comedit ignis vectes tuos,* hujuscemodi est : Si quid naturalis boni in anima tua videbatur esse, quod in similitudinem vectium, hostes qui per portas sensuum tuorum conabantur irrumpere, prohibere posset et repellere, hoc Babylonio igne succensum est. Nec non, **580** *aquam munitionis attrahe tibi*, de sermone Dei dicitur, ut circumdet sibi quasi murum firmissimum Scripturarum doctrinam atque rationem, ne ad interiora ejus possit hostis irrumpere. *Obtine*, inquit, *munitiones tuas.* Quidquid in te habes per naturam bonum, et optimi conditoris in te servat exordium, hoc infelix anima Ninive, in defensionem tui tene, nec patiaris de principali (ἡγεμονικῷ) cordis effluere. Quod autem post hæc additur : *Incede* [Al. *incide*] *in lutum, et conculcare in paleis :* alius forsitan æstimet dici de anima, quæ infixa in luto corporis et paleis hujus mundi, vacuis scilicet et caducis, tota se versans [*Al.* serviens] conculcetur a dæmonibus. Mihi autem videtur hoc ad eam dici : Sustine tentationes, injurias, quibus tradita es : pœnas quas merito tuo pateris ; quia si super vacua hujus mundi et fragilia graderis negotia, scias te pro remedio sustinere, si tamen obtinueris super laterem, et carnem animæ imperio subjugaveris. Denique sequitur : *Ibi comedet te ignis.* Si non fueris super laterem, et dominationem non habueris in carnem, sed manseris in latere, et amaveris paleas, et in carne juxta carnem vixeris, non solum ardentia inimici jacula te vorabunt ; sed et gladius ejus interficiet, et in similitudinem locustarum, quidquid in te virens videbatur, et naturæ bono sponte germinans, avaro dente consumet [*Al.* a brucho rodente consumetur] : et quasi bruchus volatu perdito : et gravatus pondere suo : ita et tu gravata onere peccatorum, detraheris in terram. Igitur ne talia et tanta patiaris, multiplicare ut bruchus, et quantum ille habet numerum, tantas tu habeto virtutes. Quæ enim multiplicasti negotiationes tuas, et omnigenere (quasi cœlestia cuperes possidere) per fas et nefas perituras tibi divitias congregasti, debes multitudinem peccatorum multitudine exæquare virtutum. Supra juxta Hebraicum usque ad illum locum veneram, ubi dicitur : *Sol ortus est, et avolaverunt : et non est cognitus locus earum ubi fuerint.* Et quid mihi videretur in contextu ipsius sermonis dixi. Nunc quia LXX proprii sensus videntur habere principium, posito eorum testimonio, cœptæ explanationis ordinem sequar.

**581** LXX : *Bruchus irruit, et evolavit : exsilivit quasi attelabus commixticius tuus, sicut locusta quæ ascendit super sepem in die gelu : sol ortus est et exsilivit, et non cognovit locum suum. Væ illis.* Videtur mihi multitudo Ninive absque rectore, sine ordine hinc inde commixta, et quacumque impetus tulerit ruens, brucho comparari, parvo animali et innumerabili, et qui modicum quid [*Al.* quidem] se videatur elevare a terra. Sed et [*Al.* alius] attelabus qui Græce dicitur συμμικτὸς, et Latine translatus est in *commixticium*, quem nos possumus vulgus ignobile, et de diversis gentibus hinc inde populum congregatum intelligere, id est, non cives, sed peregrinos. Unde et populus Israel qui egrediebatur ex Ægypto πολὺν συμμικτὸν, hoc est, Ægyptiorum, et Æthiopum, et variarum gentium habuisse narratur. Et hic ergo, ut ita dicam, *mixticius* Ninive, confertur exsilienti attelabo et locustæ, quæ in die frigoris eo quod avolare non possit, resideat in sepe, et postea, orto sole, et illius ardore calefacta exsiliat, et ad alias regiones avolans, nequaquam meminerit sepis, in qua tempore frigoris sederat. Hæc παραφραστικῶς, ut ipse prophetæ sermo facilius possit intelligi, dicta sint. Cæterum dubitare non poteris, multitudinem

[a] In Regin. ms., *et ventris aditum.*

hominum, quæ per latam viam pergens, versatur in mundo, bruchum dicere, cum videris eos totos terræ deditos, sententiæ levitate huc illucque discurrere, et ad sublimiora volare non posse. Cerne Romam et Constantinopolim cum priori nomine inopiam pristinam commutantem. Vide Alexandriam Ægypti caput, et cum fuerit vel pro penuria annonæ, vel (quod pudori sit et rubori) [a] propter aurigas et mimos et histriones seditio concitata, ruere populum in similitudinem bruchi, et totum vitiis inhærentem, levitate sua, et per momenta mutatione sententiæ huc illueque volitare: tunc vere poteris dicere: *Bruchus impetu abiit et avolavit.* Porro quod sequitur, *Exsilivit attelabus, et mixticius tuus quasi locusta,* mixticium puto in hoc differre a brucho, quod bruchus imperitæ multitudini et innumerabili comparatur: mixticius autem de cunctis gentibus hinc inde **582** collectus. Et quomodo alii sunt in urbibus cives: alii peregrini, quibus [b] placet habitare in urbe non sua: sic mixticium puto, qui habitat in Ninive, eos esse qui videntur sibi juxta opinionem suam aliqua sequi dogmata veritatis, et in eo meliores esse brucho, quod bruchus nihil aliud faciat, nisi semper in terra sit, et absque alis, cibo et ventri serviat: attelabus autem saltem modicas assumat alas, et cum in altum volare non possit, tamen de terra exsilire nitatur: et tandem perveniens in locustam, volitat quidem, sed non est perpetuus volatus ejus, deficientibus enim pennulis, et contractis frigore, etiam locusta considet, et considet non in frugifera arbore, et in virentibus foliis, sed in sepe, sentibus virgultisque contexta, sive in maceria fortuito hinc inde lapide composita. Consideremus sapientes Græciæ, et Ægyptiorum atque Persarum, Indorumque Gymnosophistas, et Samaritanos, et varias inter ipsos sententias: et Judæos Pharisæosque eorum, et Sadducæos, et Ecclesiæ multiplices hæreses, et videbimus attelabum a terra se paululum sublevantem, et locustam volantem quidem, sed non pleno cursu: et quia non habeat calorem solis justitiæ, frigente in Deum charitate, sedere in spinosis sepibus. Omnia enim dogmata eorum, cum frigeant, et volare non possint, sedem sibi et requiem inter Aristotelis et Chrysippi spineta reperiunt. Inde Eunomius profert: Quod natum est, non fuit antequam nasceretur. Inde Manichæus ut Deum a conditione malorum liberet, alterum mali inducit auctorem. Inde Novatus subtrahit veniam, ut tollat pœnitentiam. Et ut simul brevi cuncta concludam sermone, de illis fontibus universa dogmata argumentationum suarum rivulos trahunt, ita ut loca quoque ipsa de quibus argumenta sumuntur, τοπικὰ superscripserint. Hæc igitur locusta quæ nunc sedet in sepibus, cum judicii tempus advenerit, et mundus ad ortum [*Al.* ab ortu] solis incaluerit, dimittet sedem et loca sua, in quibus tempore frigoris inhærebat; et ad meliora conversa, prioris sedis non recordabitur. Quod autem generaliter de judicii tempore **583** diximus, et nunc ex parte intelligi potest, ut per eruditos et doctos viros hujuscemodi locustis solis justitiæ lumen oriatur; et relinquentes spinas suas, in purum et liberum transeant volatum.

(Vers. 18 seqq.) *Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui, dispersus est populus tuus super montes* [Vulg. *latitavit populus tuus in montibus*], *et non est qui congreget, non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transivit malitia tua semper?* LXX: *Dormitaverunt pastores tui: rex Assur consopivit fortes tuos, abiit populus tuus super montes, et non erat qui susciperet, et non est sanitas contritioni tuæ, tumet plaga tua. Omnes qui audierunt nuntium tuum, plaudent manibus super te, quia super quem non irruit malitia tua semper?* Non mirum est, si dormitaverunt pastores tui, o rex Assur, qui dominatus es in Ninive, et sepeliantur, vel vagentur principes tui, reguli scilicet, et omnium gentium duces, qui tibi antea serviebant: cum populus tuus mulieres fuerint in medio civitatis tuæ; et inimicis tuis apertæ sint portæ ejus, et omnis multitudo super murum sedens locustæ sit comparata, quæ quasi [c] incalescente sole, sic adventum [*Al.* ad adventum] Nabuchodonosor fugerit de propugnaculis, et inimicis terga verterit, nec inventus sit locus ejus. Irato itaque Deo, quia populum ejus vastaveras, o Assur, et sublimaveras usque in cœlum nidum tuum, unde et magnus sensus diceris, destructa est civitas tua. Et cunctis principibus interfectis, qui resistere poterant adversariis, reliquus populus tuus imbellis et ignobilis dispersus est in montibus, et nemo de ducibus inveniri potest qui congreget eos, et de collectis rursum cogat exercitum. Non est obscurum vulnus tuum, nec talis plaga quæ medici possit curari manu. Omnes qui Niniven subrutam, et Assyrium regem superatum audierint; et potentissimam urbem et regem dominatorem quondam urbis [*Al.* orbis] vulneratum, et jacere seminecem, et in suo sanguine volutari, vel stupebunt propter rei magnitudinem, et insperatum nuntium, et compriment **584** manus suas, vel certe præ magnitudine gaudii insultantes tibi applaudent manibus et quodam gaudii strepitu concrepabunt. Nullus enim est qui possit super te dolere, et eversioni et vulneri tuo donare lacrymas: quia nullus est super quem tua malitia non semper transierit. Et pulchre transierit: non enim potest malitia regis Assyrii in ostibus ejus jugiter permanere. Hucusque historiæ ordo sit textus. Debemus

[a] Mss. Reginæ, *per aurigas et histriones seditio concitata, intuere populum*, etc.

[b] Idem ms., *quibus habitare in urbe non datur: sic*, etc.

[c] Cuncta, inquit Victorius, Florentiæ exemplaria pro *incalescente*, habent *illucescente*. Utraque lectio bona: verum quia solet locusta excitari ad volatum, calore solis adveniente, ut supra dicit Hieron., magis placet, ut retineatur antiqua lectio.

autem et juxta Hebraicum, antequam editionem Septuaginta disseramus (in illis enim longe alius et diversus est sensus), paululum ab historia in sublime conscendere, et docere quod in ultima prophetia Naum, ἀποστροφὴ ad diabolum fiat, [a] sensum magnum, principem Assyriorum, qui quondam gloriabundus dixerat : *Fortitudine faciam, et sapientia intellectus auferam terminos gentium, et vires earum depascar, et commovebo civitates quæ habitantur* (*Isai.* x, 13), et dicatur ei : *O Lucifer, qui mane oriebaris, qui mittebas igniculos tuos ad cunctas gentes : quomodo cecidisti in terram, et contritus es* (*Isai.* xiv, 12, 13)? Destructa est Ninive civitas tua speciosa et potens, in qua tantum tibi imperium præsumebas, ut Filio quoque Dei auderes dicere : *Hæc omnia tradita sunt mihi : si procidens adoraveris me, dabo tibi ea* (*Matth.* iv, 9). Dormitaverunt pastores et reguli tui, qui non pascebant homines in salutem, sed nutriebant eos interfectioni tuæ, ut saginatiores hostias devorares. Omnis populus tuus et turba populorum, quæ te quondam colebat, deseruit te et urbem tuam, et confugit ad montes, et se sub apostolorum Christi atque doctorum latibulis collocavit, et interim nullus tuorum ducum est, qui turbam tuam quondam ad se revocet. Plaga tua et vulnus tuum toto orbe personuit : omnes insultaverunt tibi, qui tua quondam fuerant supplantatione decepti; aut nullus enim, aut rarus est, quem non tu aliquando deceperis, et per quem non transierit malitia tua. Et notandum quod in quocumque steterit malitia diaboli, non possit insultare ruinæ ejus et vulneri, cum sit de pastoribus et populo regis Assyrii; sed in quocumque pertransierit, ille insultet ei, et bonis operibus atque **585** directis, quasi manus [*Al.* manibus], super eum concrepet. Et congrue juxta Hebraicum quidem hucusque de mundi ruina dictum est : novissime de ipsius quoque diaboli, qui princeps mundi fuit : *Mundus enim in maligno positus est*, plaga et vulnere prædicatur. Apud Septuaginta autem adhuc ad σύμικτον, id est, ad *mixticium* mundi dicitur, quod pastores ejus dormierint, et ut dormirent, a rege sint Assyrio consopiti; atque ita fit, ut dum apud eos describitur quid Assyrius exercuerit inter [*Al.* in] alteros, et non quid ipse patiatur, de diaboli vulnere et plaga et interfectione sit tacitum. Væ itaque his qui perversarum doctrinarum magistri sunt in Ninive. Et congrue ad eos dicitur : *Dormitaverunt pastores tui* (*Ps.* cxxxi) : dederunt enim somnum oculis suis, et palpebris suis dormitationem. Et propterea non invenerunt locum Domino, neque tabernaculum Deo Jacob. Nec audierunt de Ephrata, id est, frugifera Ecclesia; nec invenerunt eam in condensis sylvarum. Non solum autem pastores mixticii hujus, et locustæ, quæ, imminente glacie, sedet in sepibus, dormitaverunt; sed a rege quoque sunt Assyriorum consopiti. Scit enim rex Assyrius non posse se oves decipere, nisi pastores ante consopierit. Semper diaboli studium est, vigilantes animas consopire. Denique et in passione Domini apostolorum oculos gravi sopore premit, quos Salvator suscitans ait : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (*Marc.* xiv, 38). Et rursum : *Quod vobis dico, omnibus dico : vigilate* (*Ibid.*, xiii, 37). Et quia non cessat semper consopire vigilantes, quoscumque ille deceperit, et quasi suavi et pernicioso carmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, excitat sermo divinus, et dicit : *Surge qui dormis, et elevare, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). In adventu ergo Christi et sermonis Dei et doctrinæ ecclesiasticæ, et consummationis Ninive, speciosissimæ quondam meretricis, elevabitur et properabit populus, qui sub magistris ante fuerat consopitus : et ibit ad montes Scripturarum, ibique inveniet montes Moysen et Jesum filium **586** Nave; montes prophetas; montes novi Testamenti apostolos et evangelistas : et cum ad tales montes confugerit, et in hujuscemodi montium fuerit lectione versatus, si non invenerit qui eum doceat (*Messis enim multa, operarii autem pauci*, *Matt.* ix, 37), tunc et illius studium comprobabitur, quia confugerit ad montes, et magistrorum desidia coarguetur : infert enim, *et non erat qui susciperet*. Sequitur : *Non est sanitas contritioni tuæ, tumet plaga tua*. Propterea mixticius Ninive sanari non potest, quia superbiam non deponit, et recens semper vulnus est, et quotidie diabolo feriente percutitur. Et post hæc omnia non est sanitas contritioni ejus : licet enim sibi sanus esse videatur, tamen anima ejus fracta est et contrita, percutiente desuper malleo totius terræ, et non sanatur, quia semper erecta est. Si autem humilietur, et se Christo subjiciat : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Ps.* lx, 19); Et : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. In fine ponitur : *Omnes qui audierunt nuntium tuum, plaudent manibus super te. Super quem enim non irruit malitia tua semper?* Cum cœperit, ὦ σύμικτε, supplicia sustinere, omnes qui audierint nuntium, consono crepitu et vocali, et (ut ita dicam) operum sono atque concentu, insultabunt tibi, atque gaudebunt. Nullus enim est aut certe rarus, in quem non irruerit, sive supervenerit malitia tua semper. Si enim συμμίκτους urbs Ninive pastores habet et fortes, et omnis falsa doctrina et mendax opinatio scientiæ a symmicto venit, timendum est ne forte nullus sit super quem non malitia συμμίκτου venerit. Et diligenter observa, quia non dixerit : *In quem non intravit malitia tua*, σύμικτε, sed *in quem non supervenerit*. Sæpe enim nobis falsorum dogmatum jacula superveniunt, et quasi in arcanum animæ intrare desiderant : sed claudentibus nobis portas, supervenit quidem σύμικτος : et quantum in se est, irruit, et semper hoc facit : sed auxiliante Christo Domino, et omni custodia servante (*Al.* servantes), cor nostrum (*Prov.* iv), irruit quidem, sed ingredi non potest.

[a] Martian., *sensu;* olim vitiosius, *et est sensu*, *magnum principem*, etc. Mox quoque legebatur, *fortitudinem*, pro *fortitudine*, Græco renitente textu.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM IN ABACUC PROPHETAM

LIBRI DUO

AD CHROMATIUM.

## PROLOGUS.

**587-588** Primum, Chromati, episcoporum doctissime, scire nos convenit, corrupte apud Græcos et Latinos nomen [a] *Ambacum* prophetæ legi, qui apud Hebræos dicitur *Abacuc*, et interpretatur *amplexus* : sive ut significantius vertamus in Græcum, [b] περίληψις, id est *amplexatio*. Deinde ubi Septuaginta translatores et Symmachus et Theodotio λῆμμα, id est, *assumptionem* interpretati sunt, in Hebræo poni MASSA (משא), quod Aquila vertit in *pondus* : super quo in Naum propheta plenius disputavimus. Massa autem numquam præfertur in titulo, nisi cum grave, et ponderis laborisque plenum est quod videtur. Unde necesse est, præsentem prophetiam aliquid habere austeritatis, ut sicut in Naum pondus, quod videbatur adversus Niniven Assyriorum urbem, grave erat : ita et in hoc quæratur, cui pondus sit quod prophetæ revelatur aspectui. Quatuor autem prophetæ in duodecim prophetarum volumine sunt, e quibus tres in principio λῆμμα, id est, *pondus*, titulum habent : Naum, Abacuc, et Malachias. Porro Zacharias in medio et circa finem duos hujuscemodi ponit titulos, e **589-590** quibus unus est : *Onus verbi Domini in terra Hadrac, et Damasci requiei ejus* (*Zach.* IX, 1) : alter in fine, *Onus verbi Domini super Israel* (*Ibid.* XI, 1). De Naum, orationibus tuis jam liber editus est : de Zacharia et Malachia, si vita comes fuerit, disseretur. Nunc Abacuc habemus in manibus, qui vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur *amplexatio* : vel quod in certamen et luctam, et (ut ita dicam) amplexum cum Deo congreditur, amplexantis, id est, luctantis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem justitiæ provocare et dicere ei : Cur in rebus humanis, et in mundi istius πολιτείᾳ tanta rerum versatur iniquitas? [c] *Vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem videre? Lacerata est lex, et non pervenit ad finem usque judicium : quia impius prævalet adversus justum : ideo egreditur judicium perversum* (*Abac.* I, 2). Vides quod temeraria vox sit et quodammodo blasphemantis, sic Creatorem suum ad judicium provocare; et vas fragile adversum figulum (*Isai.* XLV, *Jerem.* XVIII, *et Rom.* IX), cur tale vel tale factum sit, disputare? Necnon et hoc animadvertendum, quod assumptio vel pondus, quæ gravia esse jam diximus, prophetæ visio est, et adversum Montani dogma perversum intelligit quod videt : nec ut amens loquitur, nec in morem insanientium feminarum dat sine mente sonum. Unde et apostolus jubet, ut si prophetantibus aliis, alii fuerit revelatum, taceant qui prius loquebantur (II *Cor.* XIV, 33). Et statim : *Non est enim*, inquit, *Deus dissensionis, sed pacis*. Ex quo intelligitur, cum quis voluntate reticet, et alteri locum dat ad loquendum, posse et loqui et tacere cum velit. Qui autem in ecstasi, id est invitus loquitur, nec tacere nec loqui in sua potestate habet. Illud quoque disce (quia semel a me violenter exigis, ut quasi gradus quosdam, et scalas ad altiora nitenti, historiam tibi interpreter), prophetiam esse contra Babylonem, et Nabuchodonosor regem Chaldæorum : ut quomodo prior propheta Naum, quem Abacuc sequitur, vaticinium habuit contra Niniven et Assyrios, qui vastaverunt decem tribus, quæ vocabantur Israel : ita Abacuc prophetiam habeat adversus Babylonem et Nabuchodonosor, a quibus Juda et Jerusalem templumque subversa sunt. Et ut scias eo tempore fuisse Abacuc, quo jam duæ tribus quæ vocabantur Judas, ductæ erant in captivitatem, Daniel docere te poterit, ad quem in lacum leonum Abacuc cum prandio mittitur (*Dan.* XVII) : quamquam apud Hebræos hæc ipsa non legatur historia. Igitur sive quis recipit Scripturam illam, sive non recipit, utrumque pro

[a] Al. *nomen hoc Ambachuch*. Penes Victor. Ἀββακούμ.

[b] Præfert Reginæ ms. περίλημμα, quod idem sonat.

[c] Præponit Victor. priorem versiculum : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?*

nobis est : aut [a] enim recipit, et jam post factam A prophèta scribit quæ ventura cognoscit.
rem liber Abacuc texitur : aut non recipit, et quasi

[a] Contrario sensu Reginæ ms., *aut enim non recipit, et jam*, etc. *aut recipit, et quasi*, etc.

# LIBER PRIMUS.

(Cap. I.—Vers. 1, 2.) *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem et dolorem* [Vulg. *laborem*], *videre prædam et injustitiam contra me?* LXX : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis? Quare mihi ostendisti labores et dolores, videre miseriam et impietatem?* Interim secundum litteram causatur adversum Deum propheta, cur Nabuchodonosor templum vastet, **591** et Judam : cur Jerusalem quondam urbs Domini destruatur? Quare clamet populus, et non exaudiatur? vociferetur ad Dominum oppressus a Chaldæis, et non salvetur? Quare etiam ipse propheta, vel populus ex cujus persona nunc loquitur, ad hoc vixerit, et hucusque perductus sit, ut iniquitatem hostium et suum videat laborem? Cur injustitia prævaleat adversum se? Et hoc dicit [a] præ mentis angustia, nesciens aurum in igne conflari, et tres pueros de camino puriores exisse, quam intraverunt (*Dan.* III). Sed et generaliter accipere possumus, quod ex persona humanæ impatientiæ videns propheta peccatores abundantes, et in sæculo possidere divitias, filios eorum quasi novellam plantationem in adolescentia sua, et filias ornatas quasi similitudinem templi, cellaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosas et multiplicatas in viis suis, et cætera quæ in centesimo quadragesimo tertio psalmo plenius scribuntur in querulam vocem et plenam doloris erumpat. Quare respicis contemptores, et taces, conculcante impio justiorem se : et facis homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem? [b] Tale quid et in septuagesimo secundo psalmo legimus : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII, 2), et reliqua. Et rursum in eodem psalmo : *Et si est scientia in excelso. Ecce enim peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*, et reliqua usque, *manus meas*. Hæc autem loquuntur nescientes judicia Dei investigabilia (*Rom.* XI), et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus, quod non ita videat Deus ut videt homo. Homo tantum præsentia respicit : Deus futura et æterna cognoscit (I *Reg.* XVIII). Et quomodo si ægrotus et æstuans febribus aquam frigidam postulet, et dicat ad medicum : Vim patior, crucior, uror, exanimor : usquequo, medice, clamabo, et non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus et clementissimus medicus : Scio quo tempore debeam dare quod postulas : non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, **592** et voluntas tua contra te petit. Ita et Dominus Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet ad rogandum, et quasi igne excoctum justiorem et puriorem faciat. Quod intelligens apostolus secundum id quod misericordiam est consecutus a Domino, ait : *Non* [c] *deficiamus in tribulationibus* (*Ephes.* III, 13); et benedicit Deum omni tempore (*Psal.* XXXIII); et scit quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Mat.* X, 22). Et gloriatur in labore et dolore. Et cum Jeremia dicit : *Tribulationem, et miseriam invocabo*. Ut quomodo alius invocat Deum : [d] sic sanctus vir et bellator invictus, ad exercendum se et probandum, tribulationem et miseriam venire desideret.

(Vers. 3, 4.) *Et factum est judicium et contradictio potentior : propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea* [e] *egreditur judicium perversum.* LXX : *Contra me factum est judicium, et judex accipit : propterea lacerata est lex, et non pervenit ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Adhuc propheta vel populus loquitur ad Dominum, quod non veritate adversus se, sed potentia judicatum sit, et nihil ex lege et justitia sustinuerit. Unde et ipsum judicium non habuerit finem suum. Finis autem judicii est judicare juste. Et hoc quare loqui audeat, in consequentibus monstrat, dicens : Quia impius Nabuchodonosor prævaluit adversus justum Judam (IV *Reg.* XXII), et hanc esse causam, quod dixerit judicium non pervenisse ad finem ; quia iniquum sit et perversum, ut Josias rex justus a rege Ægyptio trucidetur (IV *Reg.* XXIII) ; ut Daniel, Ananias, Misael, et Azarias, serviant (*Dan.* III); et imperet Babylonius imperator, et inter scorta et concubinas suas Balthasar potet in phialis Dei (*Dan.* V). Hæc propheta de suorum temporum statu (sequimur enim quia semel voluisti et historiæ vilitatem). Cæterum juxta LXX communis

[a] Reginæ ms., *premente se angustia*.
[b] Describit Regin. cod. reliquum ipsum versiculum, *quia zelatus sum super pacem peccatorum videns*. Sicque et paulo post, *et reliqua : Ergo frustra justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas*.
[c] Victor. *Non deficimus*, ex Vulgata editione, II Cor. IV.
[d] Sufficit ex Brixianis codd. idem Victorius hic, *erui a miseria mundi*.
[e] Cum hic, tum apud LXX, *egredietur* constanter præfert Reginæ ms.

ad Deum querela sanctorum est, quare contra eos injustum judicium fiat, **593** et innoxium in persecutionibus sanguinem fundant : ac [*Al.* at] si quando ante tribunal steterint judicium sæcularium, judex, acceptis muneribus, condemnet insontem, et reum liberet. Quod quidem non solum de judicibus sæculi, sed interdum de Ecclesiarum quoque principibus dici potest, quod propter munera lacerent legem, et non perducant usque ad finem judicium, et impius prævaleat adversus justum : et magis in judicio peccatum divitis, quam pauperis veritas defendatur. Unde querimonia est, judicium exire perversum : sed non debemus super hac rerum inæqualitate turbari, videntes et in principio mundi ab impio Cain interfectum Abel justum (*Genes.* IV), et postea exsulante Jacob, regnare in domo patris Esau (*Gen.* XXVIII), et Ægyptii luto et latere affligunt filios Israel : et Dominus contra quem nunc querela dirigitur, crucifigitur a Judæis (*Joan.* XIX), et Barabbas latro eligitur (*Joan.* XVIII). Dies me deficiet, si voluero enumerare quomodo in isto sæculo, impiis prævalentibus, opprimantur justi.

(Vers. 5.) *Aspicite in gentibus et videte, et admiramini, et obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* LXX: *Vide te contemptores et respicite, et admiramini mirabilia et disperdimini : quia opus ego operor in diebus vestris, quod non* [a] *credetis, si quis narraverit.* Symmachus pro eo quod diximus : *quia opus factum est in diebus vestris*, interpretatus est, *quia opus fiet in diebus vestris :* cætera similiter. Rursum in principio capituli, ubi in Hebraico scriptum est RAU BAGGOIM (ראו בגוים), et nos transtulimus, *aspicite in gentibus*, et LXX posuerunt, *videte contemptores*, excepto Aquila et Symmacho et Theodotione, qui cum nostra interpretatione concordant, in alia quadam editione [b] ἀνωνύμῃ reperi *videbitis calumniatores*, et in alia similiter absque auctoris titulo, *videbitis declinantes*. Igitur ad superiores querelas causantis prophetæ et dicentis : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* et reliqua usque ad finem hujus exordii, vox Domini respondentis inducitur, ut hanc iniquitatem quam in solo Israel fieri putat, cernat in gentibus : et quod Chaldæis, non ut **594** propheta arbitrabatur, Judas tantum et Jerusalem traditi sint ; sed omnes per circuitum nationes : et tantum eum esse valiturum, ruiturumque postea, ut si quis prædixerit quod futurum est, pro rei magnitudine videatur incredulum. Sed et hoc quod LXX et cæteri interpretes ediderunt : *Videte contemptores*, sive *videbitis calumniatores* et *declinantes*, cum sensu hujus loci congruit, et ex ipso sermone arguuntur audaciæ, et contemptus in Dominum : ex quorum persona propheta clamaverat, quare ausi sint Dei contemnere majestatem, et temerarie loqui, et quantum in se est, Dei providentiam calumniari, et declinare a Domino coarguentes eum iniquitatis. Videbitis ergo contemptores, et tunc admirabimini, et omnem vestram querelam pro nihilo computabitis, cum perspexeritis me facere in diebus vestris ; ne forte dicatis : Quid ad nos pertinet de futuro? Opus quod tam grande erit, et vestram omnem opprimet causationem : ut si quis nunc futurum esse prædixerit, fidem non facile accommodetis. Quod autem hoc opus sit, in consequentibus demonstratur.

(Vers. 6 seqq.) *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua : horribilis et terribilis est : ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, et diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longe venient : volabunt quasi aquila festinans ad comedendum : omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens : et congregabit quasi arenam captivitatem, et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt : ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam : tunc mutabitur spiritus, et pertransibit et corruet : hæc est fortitudo ejus Dei sui.* LXX : *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem, quæ ambulat super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua : terribilis et illustris est : ex semetipsa judicium ejus erit, et assumptio ejus ex se egredietur : Et exsilient super pardos equi ejus, et velociores erunt lupis Arabiæ, et equitabunt equites ejus, et impetu venient* **595** *de longinquo : et volabunt quasi aquila prompta ad comedendum, consummatio in impios veniet resistentes facies eorum ex adverso, et congregabit quasi arenam captivitatem : et ipse in regibus delectabitur, et tyranni ludibria ejus : et ipse in omnem munitionem illudet, et mittet aggerem, et obtinebit eam : tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur : hæc est fortitudo Dei mei.* Quod vobis dixeram : Aspicite in gentibus, et videte, et miramini, et obstupescite : quia opus fiet in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur, hoc est quod sequens sermo describit : *Ecce ego suscitabo Nabuchodonosor, et Chaldæos*, gentem pugnacissimam et velocem, cujus roboris, et ad bellandum audaciæ, omnes pene Græci, qui barbaras historias conscripserunt, testes sunt. Hæc non est contenta finibus suis, sed huc illucque discurrens super terræ latitudinem pervagatur. Et hoc est opus ejus, non ut terram vomere exerceat ; sed ut rapto vivat et gladio, et ut possideat urbes non suas : antequam manum inferat, antequam prorumpat ad bellum, terrorem portat in vultu. Quod autem ait : *Ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur*, pro quo interpretatus est Symmachus : *ipsa sibi judicabit, et decreto suo egredietur*, vel ita intelligendum est, de sua gente constituet principes, et potestas ejus, et gladius aliarum gentium satellites non habebit, vel certe quomodo fecit, fiet ei, et sic vastabitur, ut ipsa vas-

[a] Correximus, ad Regii ms. fidem, *credetis*, juxta Græcum πιστεύσητε, quod et Victorio placuit. Martian. retinuit *credidistis*.

[b] Pro vocibus, ἀνωνύμῃ *reperi*, quas et nostri post Victorium præferunt mss., retinuit Martian. uno verbo *habetur*.

tavit. Equi quoque et equites, qui de longe venient, tam pernices ad persequendum et cuncta populanda erunt, ut pardos superent, et lupos vespertinos. Siquidem lupi sæviores esse dicuntur nocte vicina, et tota die fame ad rabiem concitati. Volabunt ergo equites non ad pugnandum, quia nullus resistet; sed ad discurrendum ut aquila, cui in [a] volatilibus omnia subjacent, festinans ad devorandum. Et quomodo ad flatum venti urentis virentia cuncta arescunt, ita ad aspectum eorum omnia vastabuntur, tantusque erit numerus captivorum et prædæ, ut per ὑπερβολήν, etiam arenæ possit æquari. Ipse quoque, id est, Nabuchodonosor, in universo orbe regnabit, et ante currum suum triumphans de regibus, eos habebit irrisui, et inter delicias computabit : **596** tantæque potentiæ et superbiæ erit, ut naturam superare contendat, et urbes munitissimas robore sui exercitus capere. Veniet enim Tyrum, et jacto in mari aggere, peninsulam faciet de insula, et introitum inter fluctus maris in urbem terra præbebit. Quam ob causam et super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam, id est, munitionem, sive Tyrum ; quod quidem in Ezechiele perspicue demonstratur, ubi dicitur : *Nabuchodonosor, rex Babylonis, subjugavit exercitum suum opere magno adversum Tyrum. Omne caput calvum, et omnis humerus depilatus, et merces non data est ei, et exercitui ejus contra Tyrum, et operi in quo servivit adversum eam* (*Ezech.* XXIX, 19). Cum autem comportaverit aggerem, et nihil viribus ejus obvium fuerit, tunc mutabitur spiritus ejus in superbiam : et Deum esse se credens, imaginem auream statuet in Babylone, quam universas gentes adorare compellet. Quod cum fecerit, transibit in bestiæ figuram, et postea corruet : pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt καὶ πλημμελήσει, id est, *et delinquet :* hanc habente Scriptura sancta consuetudinem, ut VASAM (מסא), id est, *delinquet*, ponat pro eo quod est, *desinet esse* quod fuerat. Tale quid et nos habemus in linguæ nostræ idiomate, dicentes : *Vapulavit exercitus*, pro eo quod est, *interfectus et cæsus est :* Et, *peccavit vinea et ager*, pro eo quod est, *vindemia et fruges non habuere proventum.* Quod autem in fine capituli dicitur : *Hæc est fortitudo ejus Dei sui*, εἰρωνικῶς est legendum, ut sit sensus : Hæc est fortitudo ejus, quam dedit ei Bel deus suus. Ad cujus cultum omnes nationes etiam per Scripturam et comminationem mortis sævissimo imperio compellebat. Hæc juxta Hebraicum : nunc veniamus ad **LXX**, ut, propositis singulis sententiis, interpretationem allegoricam contemnamus. *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem, quæ ambulat super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.* Comminatur Deus adversum contemptores et calumniantes providentiam suam, suscitaturum se Chaldæos, qui interpretatur *quasi dæmonia;* vel angelos pessimos significans, qui minantur **597** furori ejus et iræ, et tribulationi quam infert in peccatores ; vel animas hominum pessimorum, per quas [*Al.* quos] merentes cruciat. Hi autem Chaldæi, gens amara est et velox, non parcens et cito explens quod [b] sibi fuerit imperatum. Et ambulat super latitudinem terræ. *Lata enim et spatiosa via est quæ ducit ad mortem* [*Matt.* VII, 13] : per quam ambulabat et ille dives in Evangelio, qui fulgebat in purpura (*Luc.* XVI), et illi de quibus dicitur : *Qui dormiunt super lectos eburneos, et deliciis affluunt in stratis suis. Qui comedunt vitulos de armentis lactentes, et bibunt defæcatum vinum, et primis unguntur unguentis* ( *Amos.* VI, 4 ) : qui quia in lata ambulant via, latitudo terræ appellantur, quæ Chaldæorum vestigiis premitur. Noluerunt enim ambulare per arctam et angustam viam, quæ ducit ad vitam, et per quam ambulabat Paulus glorificans [*Al.* glorians] Deum in tribulatione et angustia (I *Cor.* VI, 12 ). Ambulant autem Chaldæi super latitudinem terræ, ut possideant tabernacula non sua. Omnis enim rationabilis anima licet per vitium et culpam suam hospitium facta sit Chaldæorum, tamen per naturam tabernaculum Dei est. Et quamquam in Evangelio pessimus dæmon loquatur : *Vadam in domum meam unde exivi* ( *Matt.* XII, 44 ), non est ei credendum ; siquidem nulla rationabilis creatura ad hoc facta est, ut habitaculum dæmonis sit. Sequitur : *Terribilis et illustris est : ex ipso judicium ejus erit, et assumptio* [c] *ejus ab eo egredietur.* Terribilis est Chaldæus propter multa variaque supplicia quæ infert in contemptores ; illustris, quia assumit sibi divinitatis gloriam. Et per oracula sua et falsa responsa, et curationes morborum, quos ipse immiserat, apud imperitos et contemptores Dei videtur illustris. Erit enim contemptoris judicium atque supplicium ex eo, hoc est, ex semetipso, sive ex Chaldæo. Ipsi enim secundum apostolum tradentur ad pœnam, ut discant non blasphemare (I *Tim.* I) : a quo qui egerit pœnitentiam, et ad Deum conversus fuerit, egredietur, cum prius manibus illius teneretur, et esset Chaldæi assumptio. Si quando viderimus multo aliquem tempore servisse diabolo, et postea ad **598** Deum esse conversum, dicamus de eo : *Et assumptio ejus egressa est ab eo.* Quicumque enim egerint pœnitentiam, et dereliquerint dæmones, quibus quasi equi prius ad sedendum terga præbebant; et velocitate pardorum et luporum vespere equites suos abjecerint et eliserint, et vacuo levique dorso ad eum portandum venerint, qui super pullum asinæ mansuetus et pauper ascendit (*Joan.* XII), hi quasi de longe properantes, et non contenti cursu et impetu assument volatum, et venient quasi aquila, ut sermonis Dei vescantur carnibus, et famem tanti temporis saturent. In eo enim quod dicitur, καὶ ἐξιππάζονται οἱ ἱππεῖς αὐτοῦ, [d] et LXX transtulerunt : *Et equitabuntur equites ejus*,

[a] Male penes Martian. *volatibus.*
[b] Regin. ms. *quod cito fuerat.*
[c] Idem, *assumptio ejus egressa est ab eo.*

[d] Pro verbis, *et LXX transtulerunt*, Reginæ ms. et Victorius hanc interpretationem ipsi Hieronymo tribuentes, præferunt, *nosque transtulimus.*

juxta sensum quem supra posuimus, interpretatus est Symmachus, *effundentur equites ejus*, id est, corruent et allidentur in terram. Lupi autem Arabiæ, id est vesperi et Occidentis hi recte vocantur, quibus conversatio pessima occubuit, et ante in caligine constituti, toto gradu vesperam derelinquunt, quam cum reliquerint, et volaverint prompti, ut comedant carnes verbi Dei, tunc consummatio veniet in impios, id est, in Chaldæos qui resistebant vultibus pœnitentium ne reverterentur ad Dominum suum. Quamobrem consummatio in impios veniet, resistentes vultibus eorum ex adverso. Cum autem illi fuerint consummati, et de manibus eorum erepta captivitas, tunc sermo divinus congregabit quasi arenam Chaldaicæ captivitatis, et delectabitur in regibus, et tyranni ludicra ejus erunt, videns potentissimum quondam diabolum, et regna ejus (quæ Salvatori quoque ostendens, ait (*Matth.* IV, 9) : *Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraveris me*) ejus adventu esse destructa; deliciæ enim prudentiæ sunt, et voluptas sapientiæ, cum stultitia destruitur, et tyrannorum quondam potentia superata atque dejecta, vertitur in derisum. Neque enim solus draco formatus est ut lusui haberetur a Domino, qui est principium plasmationis ejus, factus angelis [a] ludicrum. Neque illum solum dabit Deus, quasi passerem parvulo; sed **599** si quis etiam alius crudelis, et mentis tyrannicæ fuerit, tradetur sermoni Dei in derisum. Et ipse ait, *in omnem munitionem illudet.* Quæ autem est alia munitio, nisi illa de qua loquitur Apostolus : *Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, cogitationes destruentia, et omnem altitudinem elevantem se adversus scientiam Dei* (II *Cor.* x, 4, 5). Si quæ igitur fuerint, vel in sermonibus, qui promittunt altitudinem et magnitudinem se habere contrariam veritati, munitiones, vel in omni gloria atque divitiis et fortitudine, quæ laudatur in sæculo, omnia destruentur, et sermo Dei universæ munitioni illudet. Et mittet aggerem, et obtinebit eam per aggerem, et terrena quæ profert, arguens eam fragilitatis in his quibus sibi videbatur prius aliquid habere fortitudinis. Cum autem hoc fuerit expletum, tunc spiritus convertetur, et nequaquam puniet ut ante punierat, sed pertransiens peccatores rogabit pro eis, et reconciliabit eos pristino Domino : in quibus omnibus ostenditur fortitudo, quæ [*Al.* qui] tanta perfecerit, Dei nostri. Cernitis quam confragosa loca sint, et adversa historiæ veritati. Et quomodo ea quæ secundum litteram super Chaldæis interpretati sumus, nunc juxta tropologiam videantur sonare clementiam et libertatem eorum qui de Chaldæorum manibus evaserint. Historia stricta est, et evagandi non habet facultatem. Tropologia libera, et his tantum legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentiæ, sermonisque contextum, nec in rebus multum inter se contrariis violenta sit copulandis.

(Vers. 12.) *Numquid non tu a principio, Domine Deus meus, sancte meus? et non moriemur? Domine, in judicium posuisti eum, et fortem ut corriperes, fundasti eum?* LXX : *Nonne tu a principio, Domine Deus meus, sancte meus? et non moriemur? Domine, in judicium* [*Al. judicio*] *posuisti eum : et plasmavit me, ut arguam in disciplina ejus.* Symmachus manifestius : *Nonne tu a principio, Domine Deus meus, sancte meus, ut non moreremur? Domine, ad judicandum posuisti eum, fortem ad corripiendum constituisti illum.* Ad prophetæ querimoniam dicentis : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* respondebat Deus, dicens : *Aspicite in gentibus et videte* : et post præfationem intulerat : **600** *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem.* Omnique descriptione completa, vel de Nabuchodonosor, vel de diabolo in fine memorat : *Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet, hæc est fortitudo ejus Dei sui.* Quod propheta audiens et intelligens, idcirco Nabuchodonosor contra Judam, sive diabolum contra credentes accipere potestatem, ut corripiat eos, et post correptionem ipse quoque puniatur in fine, respondit Domino : Ergone tu es, Domine Deus meus, sancte meus (hæc autem loquitur blandientis et pœnitentis affectu), qui a principio nos creasti? cujus misericordia hucusque subsistimus? Non enim sciebam tantum posse adversarios nostros, nec noveram Nabuchodonosor, vel diabolum mundi hujus, et cunctarum accepisse gentium potestatem. Quantum igitur ad vires ejus, nullus nostrum ei potest resistere. Quantum autem ad misericordiam tuam, tuum est omne quod vivimus, quod non ab eo interfecti sumus, et ad mortis opera perducti. Tu enim, Domine, ad judicandum posuisti eum, ut ipse sit inimicus et ultor, et ut per illum corripias quicumque peccaverit tibi. Sed quia semel Chaldæos super dæmonibus interpretati sumus, et Nabuchodonosor super rege eorum diabolo, debemus descriptionem diaboli et potentiam ejus breviter perstringere, ut juste propheta dicat : *Domine, in judicium posuisti eum, et fortem ut corriperes fundasti eum.* Suscitatur adversum incredulos et contemptores natio dæmonum, amara ad puniendum, et ubique præsens. Ambulat quoque ubicumque terrarum est latitudo, ut possideat homines, in quibus Christus habitare debuerat. Horribilis atque terribilis est, et difficile ab aliquo superari potest, nec ante frangitur, nisi cum magnitudine peccatorum et iniquitatis suæ pondere prægravata ad consummationem venerit. Equi ejus et equites in similitudinem pardorum et luporum semper sanguinem sitient, et desiderabunt prædas, simulabunt absentiam, et dum non sperantur, cito de longe venient. Volabunt

[a] Legit Victor., *factus est angelis ludibrium*, in quam rem laudat locum Jobi XL, secundum LXX, τοῦτ' ἔστιν ἀρχὴ πλάσματος κυρίου πεποιημένος ἐγκαταπέζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων. Mox *parvulo* ex Reginæ ms. pro quo erat *parvulum*, restituimus.

quasi aquila, quæ exaltans volatum, ponere vult inter sidera cœli nidum suum, et semper festinat ad prædam. Et in Ezechiele sub figura Nabuchodonosor et regis Ægyptii super diabolo describitur. **601** Nullus est dæmonum qui parcat : omnes ad prædam festini venient : ante faciem eorum ventus urens : quidquid aspexerint, quidquid vultui eorum obvium fuerit, urere desiderabunt et perdere. Rex autem potentissimus erit in medio captivorum, et eorum numerum quasi arenam maris a satellitibus suis hinc inde suscipiet, et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt. Multos enim sanctos sua supplantatione decipiet, et eos qui sibi videbantur potentissimi, et tyrannidem exercere contra dæmones, et ejicere illos de corporibus obsessis, subjiciet servituti suæ, et risui deputabit. Ipse vero fortissimus, coacta manu, et perditorum exercitu congregato, de omni munitione ridebit, et quidquid forte fuerit, nitetur evertere. Comportabit enim aggerem, id est, circumdabit opera terrena : et cum terra fuerit [a] aggesta, facile omnem capiet munitionem. Post tantam autem victoriam mutabitur spiritus ejus, et pertransibit os ejus usque ad cœlum, et Deum se faciens, blasphemare incipiet Creatorem suum. Quod cum fecerit, corruet, et ruina ejus ostendet quam fortis divinitas illius fuerit, et idolorum simulatio sub quorum imaginibus suo cultui homines subjugabat. Audiens igitur hæc propheta quod tantus talisque sit rex mundi hujus, ut congreget captivitatem quasi arenam maris, et triumphet de regibus; et tyranni ridiculi ejus sint, et de omni munitione rideat, et comportet primum aggerem, et postea capiat eam; et tantæ superbiæ sit, ut contra Creatorem suum audeat resistere, et se facere quasi deum, qui prius audacter loquebatur ad Dominum; et se, vel suum populum, sive eos ex quorum persona querebatur, justos esse memorarat : nunc in blandimentorum verba prorumpit et ait : Ergone tu a principio es, Domine Deus meus, sancte meus? quodque non morimur, nec capimur a tanto hoste, tuæ clementiæ est. Tu enim, Domine, constituisti eum quasi carnificem; et fortem fecisti eum, ita ut aut nullus aut rarus ejus possit resistere fortitudini. Porro secundum LXX hoc quod in fine dicitur : **602** *Et plasmavit me, ut arguerem in disciplina ejus*, ad personam prophetæ referri potest, ut sit sensus : Ego autem propterea inspiratus sum in prophetam, ut arguam delinquentes, et doceam Domini disciplinam. Quidam de [*Al.* a] Domino dici putant, qui a Patre ideirco plasmatus sit, et corpus assumpserit, ut doctrina Dei Patris homines erudiat. Sed hoc quam discordet a contextu superiorum, et totius loci continentia, non tam mei erit judicii, quam lectoris.

(Vers. 13, 14.) *Mundi sunt oculi tui, ne videas* [Al. *videant*] *malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se : et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem?* LXX : *Mundus oculus, ne videat mala : et aspicere super dolorem non poteris. Quare* [b] *aspicis super contemptores, tacebis cum devoraverit impius justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem.* Tale quid et Jeremias ad Deum loquitur : *Justus es, Domine, confiteor : verumtamen judicia loquar ad te : Quid est quod via impiorum prosperatur,* [c] *abundant omnes qui prævaricantur et delinquunt? Plantasti eos et radicati sunt, genuerunt filios, et fecerunt fructum : prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum* (*Jer.* XII, 1, 2). Ergo et Abacuc in eadem sententia : *Mundi sunt*, inquit, *Domine, oculi tui;* et scio quoniam malum injustumque non libenter aspicias, nec potest quisquam de tua dubitare justitia. Verumtamen cur pateris Babylonios tanta crudelitate jactari, et ab impio Nabuchodonosor justum opprimi Israel : non quod perfecte justus sit [*Al.* perfectus sit] qui opprimitur, sed quod opprimente se justior sit. Et quomodo pisces qui non habent principem, et irrationabilia jumenta, et multitudo reptilium absque providentia, subjacet fortiori, et quicumque plus valuerit viribus, dominatur in alterum : sic inter homines, animal rationale, et ad similitudinem tuam conditum, non valebit ratio, non merita; sed vires corporis, et irrationabilis fortitudo. Si autem voluerimus generaliter intelligere, super providentia, quærente propheta : Cur **603** diabolus tantum valeat in sæculo, et dominante Deo alter exercet tyrannidem? Istiusmodi sensus erit, et cum superioribus hæc expositio jungetur : Novi, Domine Deus meus, sancte meus, quia, te providente et defendente, non morimur; et scio quia propterea posuisti adversarium, ut ipso quasi carnifice, corriperes et non occideres peccatores. Novi quia nihil tibi placeat injustum, et oculi tui ab omni iniquitate sint puri, nec videre possis dolores eorum, qui injustitiæ sunt subjecti. Verumtamen causam invenire non possum, cur Abel justum Cain occidat injustus (*Genes.* IV), et taceas? Cur sæviente ceto, et omnia devorante, non solum minores pisciculi, sed ipse quoque tuus devoretur Jonas (*Jonæ* II)? Quare impius vincit, et justus vincitur? Nec hoc dico quod noverim quemquam justificari in conspectu tuo, et absque peccato esse, et humanæ fragilitatis ignarus sim; sed quomodo Sodoma et Gomorrha comparatione Jerusalem justæ sunt. Et Publicanus in Evangelio Pharisæi collatione fit justior (*Luc.* XVIII) : ita et iste qui opprimitur a diabolo, peccator quidem est; sed opprimente se

[a] Haud bene Martian. legerat *aggravata*.

[b] Expunximus hic negandi particulam, quam editi libri contrario sensu interserunt; mss. vero, ipseque ignorat Græcus textus ἵνατί ἐπιβλέπεις, vel εἰς τί ἐπιβλέπεις : *Quare aspicis*, etc. [Abest quoque ab Hebræo לָמָּה תַבִּיט, *Quare respicis*, quamquam ibi nos negandi particulam delere, mss. minime suffragantibus, non ausi sumus.

[c] Florentiæ codd. penes Victorium *abundaverunt*, concinente Græco εὐθύνουσαν.

justior est. Quare igitur non est mensura, nec pondus, ut si semel justus opprimitur et subjicitur, non impio, sed justiori se subjiciatur? [a] Dicam quidquam sine te fieri, et te nolente, tantum posse impium? hoc sentire blasphemum est. Cum itaque tu sis universitatis rector et Dominus, tu necesse est facias quod sine te fieri non potest. Et hæc dicit non quod ipse propheta sic sentiat ut supra testatus sum; sed quod impatientiam humanam in sua persona exprimat : sicut frequenter videmus Apostolum varias hominum in se recipere sententias, et nunc dicere : *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,* **604** *et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Et quasi incipiens sit : *Fratres ego non arbitror me comprehendisse : et ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*Philipp.* III, 13). Ac rursum quasi perfectus sit : *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus* (1 *Cor.* XIII, 9), cum utique non sit unius atque ejusdem, dicere se ex parte cognoscere, et esse perfectum. Ac ne forsitan putes non Apostolicæ consuetudinis, sed [b] nostri hoc esse argumenti quod ipse loquitur ad Corinthios : *Hæc autem, fratres, transfiguravi me et Apollo propter vos, ut in nobis dis-*

[a] Ms. Reginæ, *Non quo dicam.*

[b] Falso erat apud Martianæum : *non apostolicæ consuetudinis, sed nostræ : hoc est argumentum quod ipse loquitur.* Correxerat Victorius minus incongruo sensu, *sed nostræ hoc esse argumentum.* Optime vero nunc Reginæ ms. restituit.

[c] Nemo hominum, qui Deum vere confitetur, ejusque providentiam ad minuta quæque extendi, de fide credunt, hunc Hieronymi locum aut erroris non arguit, aut non nititur saniorem in sensum benigne interpretari. Nobis universum contextum attendentibus suismet verbis purgari S. Doctorem posse ab erroris suspicione persuasum est; neque enim ἁπλῶς Dei providentiam ad minima quæque deduci negat, sed *eamdem rationabilium, quam irrationabilium, providentiam esse.*

[d] Nomen hoc *Tyri* mendosum esse scribarum culpa autumo. Ms. Reginæ minus male *Tygrin* legit : fortasse autem *Hegrin* reponi debet, quod est in apocrypho Hermæ libro nomen angeli, qui bestiis præficitur, vel est Græcis litteris scribendum θηρίου, aut θηρίων, quod est *bestiæ*, sive *bestiarum* : ut nomen ad reptilium genus, non ad angelum referatur. Verum longe illa difficilior est quæstio, quisnam ille putandus sit liber, quem stultitiæ S. Doctor condemnat. Nam quod prima fronte videatur, Hermam, sive Pastoris, librum indicari, non levia rationum momenta sunt, quæ id sentire non permittant. Primum a veritatis abhorret specie, abs Hieronymo penitus repudiari eum librum, stultitiæque argui, quem sæpe alibi laudat, ac pro Ecclesiastico habet, et qui legi dignus sit ad fidelium utilitatem. Secundo habetur quidem in eo libro visione quarta mentio de angelo, qui est super bestias : verum non *Tyri*, aut *Tygrin*, ibi de nomine nuncupatur, sed *Hegrin* quod nomen non a θηρίου, id est, *bestiæ*, sed ab ἐγρηγόρου, id est, *vigilis*, deducunt vocabulo, efformarique volunt ex Daniele, ubi Nabuchodonosorem legimus ἐγρηγόρου ministerio ad bestiarum sortem fuisse redactum. Ita sane in omnibus, sive editis, sive manu exaratis, Pastoris libris, P. Lenurio teste, habetur : *Misit Dominus angelum super bestias : cui nomen est Hegrin*, etc. Unus Manuscriptus Colbertinus ab eodem citatus habet, *super bestiam cujus nomen est Hegrin*, ut non angelo tribuatur nomen, sed bestiæ, A *catis* (1 *Cor.* IV, 6). Alioquin quomodo potest sic habere Deus homines quasi pisces maris, et velut reptilia quæ non habent principem : cum angeli singulorum quotidie videant faciem Patris qui in cœlis est (*Matth.* XVIII) : et circumdet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiat eos (*Psal.* XXXIII). Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispensationem et ordinem, cursumque rerum intelligere possumus. Verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, et vivat in aquis, quomodo reptilia et quadrupedia oriantur in terra, et quibus alantur cibis. Cæterum absurdum [c] est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moB riantur, quæ cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam angelum nomine [d] Tyri præesse

quæ fortasse a Græco ἄγριος, *ferox, fera, bestia* sic appelletur. Sic et Ps. LXXIX, 14, μονὸς ἄγριος, *singularis ferus.* Fluxa autem est cæteris contradicentibus Colbertini codicis fides, utpote recentioris, et qui scioli glossatoris ingenium redoleat. Denique nec jure Pastor in hoc stultitiæ argui possit, quod angeC lum scripserit præesse reptilibus, quæ veterum Patrum sententia est, ut inferius ostendemus : in quam et concessere passim doctores scholastici post S. Thomam, II Part., q. 110, art. 1 : ad 1, *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam.* Sunt adeo qui velint, non Pastoris librum, sed *Recognitiones* Clementi attributas abs Hieronymo hic suggillari, quod nimirum tradatur ibi lib. I, cap. XLV : *singulis quibusque creaturis principes a Deo constitutos. . . . ipsis quoque arboribus, montibusque ac fontibus, et fluminibus. . . . tum angelis angelum principem, spiritibus spiritum, sideribus sidus, dæmonibus dæmonem, avibus avem, bestiis bestiam, serpentem serpentibus, piscem piscibus, hominibus hominem, qui est Christus Jesus.* Et siquidem *Tyri* nomen, utcumque scribarum incuria male depravatum pro *Theri*, Græcum est θηρίου, quod proxime accedit ad fidem : probabilius hoc quoque sit, respici Pseudo-Clementem, qui angelicam potestatem bestiis præpositam nuncupaverit *bestiam.* Verum neque hæc D satis arridet conjectura cum aliis de causis, tum ea præcipue, quod non angelum, sed bestiam bestiis præfici Pseudo-Clemens ille docuerit. Rectius proinde visum est aliis, apocryphum qui minime nunc exstet, librum denotari abs Hieronymo, in eoque merito argui stultitiæ, quod nomina functionesque singulis angelorum determinaverit. Et suspicati sunt quidam, ex Origene Homil. 15 in Ezechielem et lib. I de Principiis, cap. 5, ipsiusmet Ezechielis prophetias de Tyro alludi. Nam præfecisse Deum animalibus et plantis angelos, vulgo apud Veteres accepta sententia est, quam præ cæteris edisserunt idem Origenes Homil. 14 in Num., 23 in Jonam, 8 in Jerem. et 4 in Ezechiel.; Athenagoras Legatione pro Christianis p. 27 citatus a Methodio apud Epiphanium hæresi 64, num. 21; Epiphanius ipse lib. de Mensuris et Ponderibus, c. 22; Theodoritus Quæst. 32, in Genes., etc. Eaque fuit Platonicorum sententia in Porphyrio περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. 2.

reptilibus : **605** et in hanc similitudinem piscibus quoque et arboribus, et bestiis universis proprios in custodiam angelos assignatos.

(Vers. 15 seqq.) *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum : super hoc lætabitur et exsulabit. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus : propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non cessat* [Vulg. *parcet*]. LXX : *Consummationem in hamo sublevavit, et attraxit eum in reti suo, et congregavit eum in sagenis suis : propter hoc lætabitur et gaudebit : propterea immolabit* [Al. *immolavit*] *sagenæ suæ, et incendet reti suo, quia in ipsis incrassavit partem suam, et escæ ejus electæ : propterea expandit rete suum, et semper interficere gentes non cessat.* Quia supra pisces nominaverat, dicens : *Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile*, quod significantius dicitur in Hebræo REMES (רמש), id est, κινούμενον, omne videlicet quod moveri potest, idcirco μεταφορὰν piscium servat in cæteris, ut quomodo piscator mittit hamum, et rete et sagenam, ut quod hamus non potuit rete comprehendat, quod evaserit rete sagenis latioribus circumdetur : ita et rex Babylonius cuncta vastaverit, et universum hominum genus suam prædam fecerit (*Dan.* III). Porro quod ait : *Lætabitur atque gaudebit, et immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo*, idolum significat quod fecit in campo Dura [*Al.* Duram] et simulacrum Belis, cui quasi grandi sagenæ immolavit pinguissimas victimas, totas quas vicerat nationes ad cultum ejus cogens. In ipsis quippe, **606** hoc est, in idolis suis incrassatum esse se credens, et suam partem, id est, omnes se habere divitias, quasi grandes pisces etiam principes quosque atque reges suo subjugavit imperio, quas escas electas vocat. Et quia semel piscatione opulentissima saturatus est, et sagenam suam, id est, suum replevit exercitum, propterea gentes interficere, id est, semper pugnare, et jugulare non cessat. Porro secundum Septuaginta, impius diabolus (qui opprimit justum, et habet homines quasi pisces maris, et vastat cuncta quasi reptilia non habentia ducem) misit hamum suum contrarium ei hamo, a quo per apostolum Petrum primus captus est piscis, in cujus ore inventus est stater (*Matth.* XVII). Et adhæsit hamo ejus Adam, et attraxit eum foras de paradiso rete suo : et cooperuit illum sagenis suis, variis et multiplicibus dolis atque fallaciis. Idcirco lætabitur, et decipulas suas plus arbitrabitur esse quam præceptum Domini. Et immolabit non hamo (qui perversus sermo intelligitur, et adhuc in principio constitutus), sed reti suo, quia pinguissimas in ipso hostias comprehendit. Et : *Per unum hominem peccatores constituti sunt plurimi* (*Rom.* V, 19), et in Adam omnes mortui sumus (*I Cor.* XV), et universi deinceps sancti cum illo pariter de paradiso ejecti. Unde et cibi ejus electi sunt : ut, secundum Psalmistam : *Quærat a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 21), prophetas subvertere volens et apostolos. Et quia primum decepit hominem, quotidie universum humanum genus interficere non cessat. Potest autem et de hæreticorum accipi perversa multiplicique **607** doctrina, quod et ipsi hamo suo, et rete suo, et sagenis suis plurimos pisces capiant, et multa reptilia comprehendant, et idcirco lætentur, et sermonem suum quo decipere et persuadere potuerunt, quasi Deum adorent, et illum colant, illum exspoliant : ipsi omni arte deserviant, per quem sciant a se tantas victimas interfectas, et tantos potentium [a] atque sanctorum esse deceptos, quos pinguem partem et electas escas Scriptura nunc nominat. Propterea in similitudinem bestiarum, quæ gustatum semel sanguinem semper sitiunt, expandunt rete suum, et hoc omne eorum studium est, ut non paucos, sicut in principio, sed plures interficiant. Non ambigit de interfectione multarum gentium, qui tantam hæreseon et perversarum doctrinarum multitudinem diaboli viderit hamo, rete, sagenisque comprehensam : et tamen capturæ eorum finis interitus est.

(Cap. II. — Vers. 1.) *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi et quid respondeam ad arguentem me.* LXX : *Super custodiam meam stabo, et ascendam super petram, et contemplabor ut videam quid loquatur in* [Al. *ad*] *me, et quid respondeam ad correptionem meam.* Symmachus manifestius [b] est persecutus : *Quasi custos super speculam stabo, et stabo velut inclusus, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam, et contradicam adversum arguentem me.* Pro munitione et petra, in cujus locum Symmachus interpretatus est *conclusum*, in Hebræo ponitur MASUR (מצור), quod Theodotio *gyrum*, Aquila et quinta editio [c] *circinum* transtulerunt. Primæ causationi responderat Dominus : Aspicite in gentibus, et videte, et admiramini, et obstupescite. Ad quam propheta quasi superioris dicti agens pœnitentiam, temperaverat quidem quæstionem, dicens : *Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur* (*Supra* I, 12). Sed nihilominus cum veneratione et laudibus Dei ipsum fuerat scisciatus : *Mundi sunt oculi tui ut non videas malum, et respicere ad iniquitatem nescis* (*Ibid.*, 13). Quare non respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se? Et quæ esset justi devoratio, **608** executus in partibus est : ut fierent homines quasi pisces maris, et quasi reptilia. Et quod hamo, et sagena, et rete suo omnes ad interitum traherentur, et non esset finis interfectionis eorum. Itaque quia propheta est, et propterea quærit, et dubitare se

[a] Regin. ms. *tantos potentium a se esse deceptos.*
[b] Verba *est persecutus*, Reginæ ms. nescit.
[c] Verius hoc est, quod ex Reginæ ms. rescribimus, post Victor. *circinum*, pro quo legit Martian. *circum*. Consonat in subnexa expositione Hieronymus, ubi, *Et hoc*, inquit, *gyro et circino, quasi muro sequar, ne*, etc.

dicit, ut quod illi responderetur, respondeatur omnibus : *Stabo*, inquit, *in specula mea*, id est, in prophetiæ meæ sublimitate, et videbo post captivitatem populi, et eversionem civitatis et templi, et deinceps quid sequatur. Vel certe ita : Custodiam omni diligentia cor meum, et stabo super Christum petram. Et hoc gyro et circino quasi muro sepiar, ne ad me leo rugiens possit irrumpere, et videbo quid mihi post secundam quæstionem respondeat Deus : et postquam mihi responderit, et me corripuerit male fuisse conquestum, quid ego quoque ei debeam respondere. Eleganter autem et miro sensu humanam describit impatientiam, quam in disceptationibus semper habere consuevimus : ut antequam nobis ex adverso aliquis respondeat, et sciamus in quo nos arguerit, ad respondendum paremur. Ex quo ostenditur responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responsio debuerat exspectari, et sic videre utrum respondere deberet, an consentire rationabili responsioni. Sed et hoc notandum ex eo quod dixerat, *Ut videam quid loquatur in me*, propheticam Visionem et eloquium Dei non extrinsecus ad prophetas fieri, sed intrinsecus et interiori homini respondere. Unde et Zacharias : *Et angelus*, inquit, *qui loquebatur in me* (*Zach.* I, 9). Et in Psalmis : *Audiam quid loquatur in me Dominus* (*Psal.* LXXXIV, 9).

(Vers. 2 seqq.) *Et respondit mihi Dominus, et dixit : Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum, quia adhuc visus procul, et apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet, et non tardabit : ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet.* LXX : *Et respondit ad me Dominus, et dixit : Scribe visionem, et manifeste in buxum* [Al. *buxo*] *ut* [a] *persequatur qui legit ea : quia adhuc visio* [Al. *visioni*] *in tempus, et orietur in finem, et non in* **609** *vacuum. Si defecerit, sustine eum, quia veniens veniet, et non tardabit : si retraxerit se, non placebit animæ meæ in eo. Justus autem ex fide mea vivet.* Pro *tabulis* et *buxo*, quod Hebraice dicitur ALLUOTH [*Al.* LUTH] (הלחות), Symmachus interpretatus est *paginas*. Et ubi Septuaginta posuerunt : *Justus autem ex fide mea vivet*, omnes æqualiter transtulerunt, *ex fide sua vivet*. Denique Symmachus significantius interpretans ait : *Justus autem per fidem propriam suam vivet*, quod Græce dicitur, [b] ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσει : BAEMUNATHO (באמונתו) quippe, quod interpretatur *in fide sua*, si JOD et non VAU litteram haberet in fine, ut Septuaginta putaverunt, et legeretur BAEMUNATHI (באמונתי), recte transtulissent, *in fide mea*. Nunc autem similitudo litteræ VAU et JOD, quæ mensura tantum inter se distant, causa erroris fuit. Hoc quare dictum sit, sequens disputatio comprehendit. Juxta repromissionem quæ ad sanctum virum in Isaia fit, dicens : *Adhuc loquente te, dicam, ecce adsum* (*Isai.* LXV, 24), nunc quoque prophetæ respondit Dominus, et præcepit ut scribat visionem, et digerat [*Al.* dirigat] eam super tabulas, id est, manifestius scribat. Tabulas autem puto illas, de quibus et apostolus loquitur ad Corinthios : *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris : quæ cognoscitur et legitur ab omnibus hominibus : manifestati, quoniam estis epistola Christi, ministrata* [Al. *manifestata*] *a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 23). Sed et Salomon tale quid significat in Proverbiis dicens : *Describe eam super latitudinem cordis tui* (*Prov.* III, 3). Scribere autem jubetur planius, ut possit lector currere, et nullo impedimento velocitas ejus, et legendi cupido teneatur. Et hoc præcipit, quia adhuc visio procul est, et in tempore constituto. Et cum finis rerum advenerit, tunc etiam ille veniet, et probabitur prophetia vera opere completa. Quod si forte pro cupiditate tua, o lector, et videndæ visionis ardore, paululum tibi visum fuerit moram facere quod promissum est, noli desperare venturum ; sed exspecta patienter : me enim habes, qui tibi polliceor et dico : *Veniens veniet, et non tardabit.* Si quis autem incredulus est hujus sponsionis meæ, **610** et me dicente, *veniens veniet, et non tardabit*, cœperit ambigere, et in se tacitus fluctuare, putans non esse venturum quod moratur ad tempus ; hic meæ animæ displicebit, juxta illud : *Neomenias et sabbata vestra odit anima mea* (*Isai.* I, 13). Quod autem animam suam Deus dixit, pro mente et cogitatione debemus accipere, ut sit intellectus : meo sensui displicebit. Sicut autem displicebit ille qui, me promittente, dubitaverit venturum esse quod spondeo ; ita justus qui crediderit promissioni meæ, vivet in fide sua. His quasi lineis capituli hujus pictura descripta est. Quod autem dicit, hujuscemodi est, ita dumtaxat ut et translationem Septuaginta misceamus. Scribe in corde tuo, et quasi parvuli qui prima elementa accipiunt litterarum, curvos apices et trementem manum in buxo erudiunt, et ad recte scribendum meditatione consuescunt : ita tu quoque qui ex persona ambigentis locutus es populi, in tabulis cordis tui et in buxo pectoris scribe quod dico. Visio enim est quæ promittitur jubeturque describi, et scribi manifestius, ut nullo involvatur nubilo, et nullis ænigmatum obscuretur ambagibus : manifesta spes manifestam habeat sponsionem. Hoc autem, o propheta, præcipio, non quod tu nescias (non enim esses propheta, si ignorares), sed ut quod tu manifestius scripseris, lector absque impedimento et difficultate possit legere atque percurrere ; quod Septuaginta transtulerunt : ὅπως διώκῃ ὁ ἀναγινώσκων, id est, *ut persequatur qui legit ;* juxta illum sensum,

[a] Regin. ms. *ut currat*, quæ proprie Aquilæ et Symmacho tribuitur interpretatio, ὅπως τρέχῃ.

[b] Hunc locum depravatum invenies in antiquis editionibus, tam in ordine Græcorum verborum, quam in lectione contextus Hebraici. Conferat qui voluerit. MART. — Hanc Martianæus sententiam Græcorum trajectione verborum, dum emendare vult, depravat legens πίστει τῇ ὁ δίκαιος ἑαυτοῦ ζήσει. Nos quemadmodum et ab Eusebio laudatur, et jam inde ab Erasmi erat editione, reposuimus.

qui ad Timotheum scribitur : *Persequere justitiam, et pietatem et fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem* (1 *Tim.* VI, 11). Et ad Romanos : *Hospitalitatem sectantes* (*Rom.* XII, 13). Et ad Corinthios : *Persequimini charitatem* (I *Cor.* XIV, 1). Ipsa autem visio de qua tibi dixi : scribe visionem, et manifesta in buxo, ut possit persequi qui legit, adhuc in tempore constituto est, de quo Salvator ait : *Tempore acceptabili* [Al. *accepto*] *exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tibi* (*Isai.* XLIX, 8). Et orietur in consummatione mundi, et in extrema diei hora, de qua loquitur et Joannes : *Filioli, nunc hora novissima est* (1 *Joan.* II, 18). Et non frustra veniet : salvabit enim multos, et cum reliquiis Israelitici populi **611** multitudinem gentium congregabit. Quod si paululum se subtraxerit, et votis tuis, lector, qui legere juberis in buxo, et in tabulis, quas propheta descripsit, venire tardius visio cœperit, exspecta eam : quia veniens veniet, et non tardabit. Si autem dubitaverit fides tua, et putaveris non evenire quod spondeo, habebis pro grandi pœna quod meæ animæ displicebis. Justus autem qui credit verbis meis, et de his non ambigit quæ polliceor, habebit præmium [a] vitam sempiternam. Nec statim debes arguere vel in te interficiendo, vel in illo vivificando, quod apud me acceptio personarum sit, quia ipse vivificationis suæ causa est, qui ex fide sua vivit : sicut tu ex eo quod te subtraxisti, et credere noluisti, displicuisti animæ meæ. Manifeste autem in his de adventu Christi prophetia est. Unde et proposita quæstio solvitur, quod donec ille veniat, iniquitas dominetur in mundo, et judicium non perveniat ad finem : et verus Nabuchodonosor capiat rete suo et sagena homines quasi pisciculos, et rationabile [*Al.* rationale] animal quasi reptile, non habens principem. Porro quod pro visione interpretati sumus, *quia adhuc visus procul : et si moram fecerit, exspecta illum*, id est, visum : non putet aliquis errore deceptus pro visione quæ est generis feminini, visum posuisse, qui est generis masculini, et minus usitatum est in Latino. Siquidem HAZON (חזון), quod Aquila interpretatur ὁραματισμὸν, apud Hebræos genere masculino *visus* dicitur, et usque ad finem sub eodem genere visionis, id est, *visus*, masculina declinatio conservatur. Septuaginta autem dicentes, *scribe visionem* : et postea, *si defecerit, sustine eum : quia veniens veniet, et non tardabit : si subtraxerit se, non placebit animæ meæ in eo*, primum interpretati sunt visionem genere feminino, quæ apud Hebræos, ut diximus, masculini est. Deinde secundum Hebraicum genus, ubi declinatur masculine, *sustine eum, et non placebit animæ meæ in eo*, ipsi quoque masculino genere declinaverunt. Cum utique **612** debuerint juxta id quod primum interpretati sunt *visionem*, etiam in reliquis femininum genus ponere visionis, ut dicerent, *exspecta eam : quia veniens veniet : quod si se subtraxerit, non placebit animæ meæ in ea*, id est, *in visione*. Hoc propterea, ne quod sciebamus, videremur tacere. Cæterum non ignoro secundum interpretationem eorum posse et ita accipi : Scribe visionem in qua Christus repromittitur, et prophetiæ tuæ vel in buxo, vel in tabulis, vel, ut Symmachus transtulit, *paginis*, hunc texe sermonem, quod tempore constituto, et in consummatione mundi veniat Filius meus, qui salvet oves perditas domus Israel, et alias quoque oves antiquis ovibus copulet, et unum efficiens gregem jungat duas virgas, quas Ezechiel, id est, *virtus Dei*, sociatas et sibi invicem cohærentes tenet in prophetali manu (*Ezec.* VII). Quod si paululum, o propheta, vel tu, populе (ex cujus persona dubitare visus est et propheta meus), se subtraxerit Christus, et visus fuerit retardare, exspecta illum, veniens enim veniet, et non tardabit; et cætera quæ jam supra exposuimus. Porro quod Apostolus LXX magis testimonio abusus est, ad Romanos scribens : [b] *Justus autem ex fide mea vivet* (*Rom.* I, 17), et non eo quod habetur in Hebraico, causa perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas Hebraicas nesciebant : nec erat ei cura de verbis, cum sensus esset in tuto, et damnum ex eo præsens disputatio non haberet. Alioquin ubicumque diversus est sensus, et aliter scriptum est in Hebraico, aliter in LXX, nota eum uti his testimoniis quæ a Gamaliele doctore legis didicerat.

(Vers. 5 seqq.) *Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur, qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur. Et* [c] *congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus, et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua : usquequo aggravat contra se densum lutum? numquid non* **613** *repente consurgent qui mordeant te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ, civitatis et omnium habitantium in ea.* LXX : *Qui autem arrogans est et contemptor, vir superbus, nihil perducit ad finem : qui dilatavit sicut infernus animam suam, et iste quasi mors, non adimpletur. Et congregabit ad se omnes gentes, et accipiet ad se omnes populos : nonne universa hæc adversum eum parabolam sument, et propositionem ad narrationem ejus, et dicent : Væ qui multiplicat sibi quæ non sunt sua : usquequo aggravat torquem suam graviter,*

[a] In Reginæ ms., *præmium nomine vitam sempiternam. Nec statim debes arguere vel in te rejiciendo, vel in illo*, etc.

[b] Hieronymus, inquit Victorius, tam hic, quam Galat. III, testatur LXX scripsisse : *Justus autem ex fide mea vivet.* Quam lectionem antiquissimus Vaticanus codex retinuit : habent enim ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται ; ex quo apparet Rom. I ita quoque legendum esse. Hebræorum autem x scribitur : *Justus autem meus ex fide vivet*, veluti vox μου ex sequentibus pendeat, sicut pendet Num. XXV : ἐν τῷ ζηλῶσαί μου τὸν ζῆλον. Similitudo *jod* et *vau* in voce באמונתו diversitatem induxit.

[c] Ad Hebraicum et Vulgatam editionem Victorius reseribit, *Congregavit*, et *coacervavit*.

*quia subito consurgent mordentes eum, et vigilabunt insidiatores tui, et eris in rapinam illis? Quia tu exspoliasti gentes multas, exspoliabunt te omnes reliqui populi propter sanguinem hominum et impietates terræ, et civitatis, et omnium habitatorum ejus.* Cum hæc de Christi adventu sint repromissa, sive, ut quibusdam placet, de visionis fine, et de completione auxilii Dei: quod qui crediderit esse venturum, vivet ex fide sua: qui vero incredulus fuerit, Domini animæ displicebit: Nabuchodonosor rex Babylonius decipietur superbia sua. Et quomodo vinum contra potantem facit, et postquam surrexerit, neque pes, neque mens suum officium tenent; omnisque lætitia, et mentis exhilaratio vertitur in ruinam: sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam [a] perducet ad finem, et juxta Symmachum οὐκ εὐπορήσει, hoc est, in rerum omnium erit penuria. Qui, quasi mors et infernus, non saturatur occisis: et omnes gentes cunctosque populos suo imperio subjugans, finem avaritiæ non putavit. Nonne cum inebriatus fuerit poculo Domini, et meraco calice consopitus, omnes super eum per comparationem loquentur, πρόβλημα? Væ ei qui totum orbem vastans, non saturatur rapinis, nec desinit exspoliare jam nudos, et ad hoc tantum sævit, ut [b] devoret, et iniquitatis et prædarum onere quasi gravissima torque se deprimat. Simulque considera quam eleganter multiplicatas divitias densum appellaverit lutum. Numquid **614** non repente consurgent Medi atque Persæ, qui Babyloniorum imperium destruentes, mordeant eum primum, et postea lacerent: fiatque eis Nabuchodonosor in rapinam, et vastator totius orbis exspolietur a reliquis populis, qui manum et crudelitatem illius evadere potuerunt? Hoc autem ei fiet propter sanguinem hominis, id est, Judæ, et iniquitatem terræ, videlicet Israel, et civitatis, haud dubium quin Jerusalem et omnium habitantium in ea generaliter populum significans. Discutiamus et Septuaginta. Omnia quæ de Babylone et Nabuchodonosor diximus, referri possunt ad mundum istum, et ad diabolum, qui vere arrogans et superbus, et aliquid esse se credens, nihil perducet [*Al.* perducit] ad finem. Siquidem conatus ejus et omnis labor habebit interitum: qui in similitudinem inferni, et mortis, non saturatur occisis, et omnium gentium deceptione lætatur, et ad se populos congregat. Qui cum eum viderint missum in Abyssum, et tartaro traditum, ea quæ in prophetis parabolice, et αἰνιγματωδῶς legerant, videntes esse completa, et interpretantes super eo, consona voce memorabunt: Væ diabolo, qui multiplicavit sibi non sua. Væ perdici, quæ congregavit A quæ non peperit. *Usquequo?* vel increpantium est vox ista, vel judicii diem demonstrantium. *Et aggravans torquem suam infinito pondere.* Et pulchre, quia arrogans et superbus est (superbia autem proprie in extensione colli et cervicis erectione monstratur), torques gravissima sit, ut curvet quod fuerat erectum. Et istud eveniet quia subito consurgent qui mordeant eum, vel angeli, [c] cum quibus diabolus tradetur in pœnam, vel qui ab eo tenti fuerant, agentes postea pœnitentiam: et ad Christi vexilla conversi, mordebunt eum, juxta illud quod alibi dicitur: *Viri pacifici tui posuerunt insidias tibi* (*Jerem.* XXVIII). Denique sequitur: *Et evigilabunt insidiatores tui*, id est, quos ante consopieras, quos inebriaveras, illorum insidiis subjacebis, vastantium regnum tuum, et eos qui captivi fuerunt in Christi turmas redigentium. Tu enim deprædatus es gentes multas, et Judaicum populum **615** ornatu et vestibus, quas ei dederam, spoliasti: idcirco omnes reliqui populi, qui tuo imperio non subjecerint [*Al.* subjecere] cervicem, spoliabunt te, et nudum facient. Quia et tu interfecisti gentes plurimas, et fudisti sanguinem earum. Sed et terræ impietas, id est, Judaicæ, et civitatis Jerusalem, et omnium habitatorum ejus (qui dixerunt adversum Creatorem suum: *Crucifige, crucifige eum: sanguis ejus super nos et super filios nostros* [*Joan.* XIX, 6], revertetur in caput tuum, et exspoliationis tuæ causæ erunt. Potest autem hoc ipsum et de Antichristo interpretari, qui intantum erit arrogans et superbus, ut in templo Dei sessurus sit, faciens se Deum. Et, quasi infernus et mors, tantos interficiet, et ad se congregabit, ut, si fieri possit, decipiat etiam electos Dei (*Marc.* XIII). Congregabit quoque ad se omnes [d] gentes, et universos populos in suum ducet errorem. Qui cum postea interfectum illum spiritu oris Christi viderint, intelligent vera esse quæ de eo ante prædicta sunt, et dicent omnia quæ sequuntur, eadem intelligentia, qua exposuimus super diabolum. Quod autem dicit, exspoliabunt te omnes reliqui populi propter sanguinem hominum, et impietatem terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea, reliquos populos sanctos intelligamus, qui Antichristo non servierunt, a quibus exspoliabitur impius propter impietatem quam exercuit in universam terram, et vastationem civitatis Ecclesiæ, et persecutionem omnium, qui habitaverunt in ea. Tanta enim vastitas, et tanta impietas in fine rerum, Antichristo sæviente, grassabitur in Ecclesiis, et multiplicata iniquitate multorum, intantum refrigescet charitas (*Mat.* XXIV), ut Dominus qui cordis arcana cognoscit, et quod futurum est, non ignorat, dixerit: *Putas, ve-*

[a] Reginæ ms., *voluntatem suam nihil perducet ad finem, et juxta Symmachum*, οὐκ εὐκρατήσει, quod præ εὐπορήσει placet.

[b] Idem Regin. ms., *sævit et defurit, ut iniquitatis et prædarum*, etc.

[c] Rursum Reginæ ms. *cum* particulam non habet. Mox ad ejus fidem, junctis septem Florentiæ, unoque Brixiæ penes Victor. ms., *tradetur* reposuimus pro *traditur*, quod post Victorii correctionem perperam Martian. retinuit. Liquet, sermonem esse de die judicii, alludique illud, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*, etc.

[d] Deerat vox *gentes*, quam e nostris mss. suffecimus. Unus Reginæ, *omnes gentes, ut universum populum in suum ducat*, etc.

*niens Filius hominis inveniet fidem super terram* (*Luc.* xviii, 8)? Possumus quoque secundum Joannem apostolum (qui scribit: *Sicut audistis quia Antichristus veniet, nunc autem Antichristi multi sunt* (1 *Joan.* ii, 18): unde et cognoscimus quoniam novissima hora est) omnes hæreticos, et universum dogma perversum arrogantium sibi scientiam, et simplicitatem Ecclesiæ contemnentium, qui nihil perducunt ad finem, sed [a] delectantur mortibus plurimorum, arrogantes **616** et superbos dicere, et totam continentiam capituli super eorum intelligentiam temperare: qui vere multiplicant sibi non sua, et quasi gravissimum lutum et ponderosam torquem, qua pertrahantur ad pœnas, sibi [b] congregantes, spoliant gentes multas, et effundunt sanguinem hominum, et impietatem exercent in Ecclesiam et in omnes habitatores ejus. Sed reliqui populi, Ecclesiastici videlicet viri, qui non fuerint eorum errore decepti, subito consurgent, et evigilabunt quasi de gravi somno, et mordebunt eos, et insidiabuntur illis, et habebunt eos in prædam. Quidam putant hoc quod dicitur: *Væ qui multiplicant sibi quæ non sunt sua*, et cætera, de divitibus posse accipi, qui possessionum terminos dilatant, et ea quæ non sunt hominis, hominis arbitrantes, congregant sibi, a quibus subito relinquentur. Quod autem non sit hominis, id est, animalis rationabilis, terrena possessio, et Dominus demonstrat, dicens: *Si in alieno non fuistis fideles, quod vestrum est, quis dabit vobis* (*Luc.* xvi)? totumque capituli textum super hac persona edisserunt. Sed nescio an possint quæstionis et solutionis propheticæ ordinem servare.

(Vers. 9.) *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ: ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali: cogitasti confusionem domui tuæ: concidisti populos multos, et peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.* LXX: *O qui multiplicat avaritiam malam domui suæ, ut ponat in excelso nidum suum, et eruatur de manu malorum, cogitasti confusionem domui tuæ: consumpsisti populos multos: et peccavit anima tua; propter quod lapis de pariete clamabit, et scarabæus de ligno loquetur ea.* Adhuc ad ipsum sermo est, qui sibi coacervet mala, et divitiarum multitudinem non intelligat causam esse ruinæ suæ domus; simulque per metaphoram superbiæ arguitur, quod ad avium similitudinem in excelso posuerit nidum suum, et arbitratus sit crui se de manu mali, id est, numquam venire in hostium potestatem: quod superbiæ consilium, et arrogans cogitatio finem habuit ignominiam. Interfecisti populos multos, et in aliis occidendis contra animam **617** tuam desævisti, et in tanta [*Al.* in tantum] crudelitate bacchatus es, ut, si dici potest, lapides civitatis et ligna parietum quos subvertisti, tuam ferociam clamitent. Tale quid et Dominus in Evangelio contra Pharisæos objurgantes, quare non increparet pueros acclamantes sibi: *Osanna in excelsis filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Non legistis*, inquit, *quia scriptum est* (*Psal.* viii, 3): *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? Et si isti tacuerint, lapides clamabunt* (*Matth.* xxi, 9, 16). Licet enim plerique ita intelligendum putent: si Judæi tacuerint, multitudo me gentium confitebitur: tamen hæc est expressior et verior intelligentia: etiamsi homines tacerent [*Al.* taceant], et signorum meorum multitudinem lingua invidens non loquatur; tamen lapides ipsi, et fundamenta murorum, et parietum ædificatio meam poterunt magnitudinem personare. Quod ut significantius fiat, ponamus litteraturæ quoque sæcularis exempla. Crispus (*Sallustius*) loquitur in historiis: « Saguntini fide atque ærumnis [c] inclyti, præ mortalibus, studio majore quam opibus, quippe apud quos [*Al.* queis] etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ, parietesque templorum ambusti, manus Punicas ostentabant. » Simile quid et Tullius ad Cæsarem pro Marcello: « Parietes, medius fidius! (ut mihi videtur) hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum et suis sedibus. » Porro quod nos interpretati sumus: *Et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit*: pro quo Septuaginta posuerunt: *Et scarabæus de ligno loquetur ea*, manifestius more suo transtulit Symmachus, καὶ συνδεσμὸς οἰκοδομῆς ξύλινος ἀποφθέγξεται αὐτά, id est, *et junctura ædificii lignea loquetur ea*. Theodotio quoque, καὶ συνδεσμὸς ξύλου φθέγξεται αὐτά: necnon et quinta editio, καὶ συνδεσμὸς ξύλου φθέγξεται αὐτά: quæ et ipsæ interpretationes cum Symmachi et nostra interpretatione concordant; quod enim lingua Hebraica dicitur CHAPHIS (כפים), lignum significat, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur; et vulgo apud Græcos appellatur ἐμάντωσις. Hoc est ergo juxta historiam quod prophetalis sermo **618** significat: lapides parietum qui a te destructi sunt, et ligna eorum ambusta tuam crudelitatem sonabunt. Reperi, exceptis quinque editionibus, id est, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, Theodotionis, et quinta, in duodecim prophetis et duas alias editiones, in quarum una scriptum est: *Quia lapis de* [Al. *in*) *pariete clamabit quasi vermis in ligno loquens:* et in altera: *Lapis enim de pariete vociferabitur, et* [d] σκώληξ *de ligno loquetur ea.* Sed et Aquila aliud quiddam quam nos diximus posuit, καὶ μάζα, id est, *et massa de ligno respondebit.* Quorum interpretatio

[a] In aliquot mss., *sed delectentur morsibus plurimorum.*

[b] Ms. Regin., *sibi congregant, sive spoliant gentes*, etc.

[c] Ex uno, quod sciam, Hieronymo locus iste Sallustii recensetur in Fragmentorum libro vi. Legimus vero nos e Reginæ ms., *inclyti præ mortalibus studio majore quam*, etc. Vulgati libri alii, *inclyti per mortalium studium majores;* Martian., *inclyti, per mortis studium majores*, etc.

[d] In Regin. ms. hic atque infra κολεὸς, quod est, *capsula, culeus*, pro σκώληξ, id est, *vermis*, legitur.

quid sibi velit, in Septuaginta translatorum exposi- tione dicemus, in quibus pro *væ*, *o* positum est, et dirigitur sermo vel ad diabolum vel Antichristum, vel ad hæreticos, qui multiplicant sibi avaritiam malam. Mala autem dicitur avaritia, ad distinctionem bonæ, ut sit bona avaritia doctoris Ecclesiastici, qui numquam satiatur multitudine sectatorum, et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitetur. Væ ergo ei qui multiplicat sibi avaritiam pessimam, ut congreget domui suæ conventicula perversa, et ponat in alto nidum suum, ut eruatur de manu malorum. Pollicentur enim et diabolus et Antichristus et hæretici, eos qui suum dogma suscipiant, fore in cœlestibus possessuros regna cœlorum, et gehennæ incendia non sensuros. Et cum hæc repromiserint, consilium ipsorum ad perfectum venire non poterit: sed erit consilium confusionis et ignominiæ domus [*Al.* domui] eorum, postquam quæ fuerant repromissa, falsa ipse rerum finis ostenderit, cum [*Al.* tunc] probabitur confusionis esse consilium, non salutis. Iste, ut diximus, perversitatis doctor consumpsit populos multos, et quanto plures habuit in comitatu suo, tanto magis deliquit contra animam suam. Denique Ecclesiæ ejus lapides, et κάνθαρος, id est, *scarabæus* de ligno, clamabunt contra avaritiam superbi, eo quod omnes gentes sua persuasione deceperit. Lapides, stolida corda credentium doctrinis hæreticorum possumus intelligere, et scarabæum de ligno, magistros quosque perversos, qui turpis lucri gratia **619** assumentes prædicationem crucis, loquuntur ex utero. Deus enim eorum venter est, et omnia ciborum causa faciunt, qui rediguntur in stercus (quia scarabæus vel cantharus vermis est stercoris); et ad hoc tantum assumunt crucem, ut avaritiam et superbiam magistri sui diaboli doceant ore vipereo. Si quando videris hæreticorum quempiam, quasi recondita et occulta mysteria contra Ecclesiam loqui, et domum diaboli domui præferre Christi, dicito : Lapis de pariete clamat, et cantharus de ligno loquitur. Legi in cujusdam volumine, propterea cantharum super hæreticis intelligi, quia dogmata habeant stercori comparanda. Unde et Apostolus, doctrinæ veteris errorem dicit se reputasse in *scybala*, id est, in *stercora* (*Philipp.* III). Non quod Lex vetus, ut Manichæi arbitrantur, ad comparationem Evangelii scybala computetur (quod impium est dicere, cum unius Dei utrumque sit Testamentum), sed quod doctrinæ Pharisæorum, et præcepta hominum, et Deuterosis (δευτερώσεις) Judæorum stercora dicantur ab Apostolo. Scio quemdam de fratribus, lapidem, qui de pariete clamaverit, intellexisse Dominum Salvatorem, et scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemaverit : quod licet pie possit intelligi : tamen quomodo cum universo prophetiæ contextu possit aptari, non invenio. Sunt nonnulli qui putent cantharum de ligno loquentem, et ad Salvatoris personam referri posse, quod impium esse ex ordine ipso sermonis apparet. *Cantharus* enim *de ligno loquetur ea*, non intelligitur in bonam, sed in malam partem, id est, loquetur avaritiam pessimam multiplicantis adversus domum suam, et confusionem diaboli, et cætera quæ de iniquitate ejus et scelere præcesserunt. Quod autem ait Aquila, *et massa de ligno respondebit*, Massam referimus ad illum sensum, quem Dominus posuit in Evangelio : *Cavete vobis a fermento Pharisæorum* (*Matth.* XVI, 11). Cumque dubitarent apostoli, et quidnam esset, scire non possent, Evangelista interpretatus est, dicens : *Dixerat autem eis de doctrina Pharisæorum.* Recte igitur doctrina hæreticorum de ligno loquitur : aliter enim persuadere non possunt, nisi gloriam ligni suæ perversitati præferant. Necnon et illud quod dixeramus : *Quia lapis de pariete* **620** *clamabit, sicut vermis in ligno loquens* [Al. *loquitur*], vel *lapis de pariete vociferabitur, et* σκώληξ *de ligno loquetur ea*, quidam e nostris vermem in ligno loquentem illum esse aiunt, qui dicit in psalmo : *Ego autem sum vermis et non homo* (*Ps.* XXI, 7); et avem vocalem ad ejusdem personam referunt, qui ait : *Factus sum quasi passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI, 8), et cætera his similia.

(Vers. 12 seqq.) *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate : numquid non hæc sunt a Domino exercituum? laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient : quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini quasi aquæ operientes mare.* LXX : *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitatibus : nonne hæc sunt a Domino omnipotente? et defecerunt populi multi in igne, et gentes multæ coangustatæ sunt : quia replebitur terra ut cognoscat gloriam Domini, quasi aquam ad operiendum maria.* Nulli dubium est quin juxta litteram adhuc contra Nabuchodonosor loquatur sermo propheticus; et plangat eum quod ædificet Babylonem in sanguinibus, et plurimorum ruinis ac mortibus illius mœnia construat. Qui quia hoc fecerit urbi, quam in sanguinibus construxerat, postea quæ a Domino inferantur, auscultat. Sequitur enim : *Numquid non hæc a Domino sunt exercituum?* id est, quæ dicuntur. *Laborabunt populi in multo igne, et gentes in vacuum*, id est, incensa Babylone, frustra populi laborabunt, et nitentur in nihilum, et deficient populi gentis Chaldaicæ. Quia replebitur terra ut cognoscat gloriam Domini, id est, cum Babylon fuerit eversa, manifesta fiet omnibus potentia virtutis Dei, quasi aquæ operientes mare : sic gloria Domini terra universa complebitur, sicut aquæ alveum et fundum contegunt maris. Hæc ut diximus, juxta litteram. Cæterum perspicuum est, quod et diabolus, et Antichristus, et hæreticorum perversa doctrina ædificent civitatem in sanguinibus, id est, Ecclesiam suam in eorum quos deceperunt, interitu, et præparent urbem in iniquitatibus, loquentes contra Deum iniquitatem, et ponentes in excelso os suum. Quod cum fecerint, manifeste ostenditur, quia ex semetipsis ædificent civitatem in sanguinibus, et præ-

parent eam in iniquitatibus. Sequitur enim : *Non sunt hæc a Domino omnipotente?* id est, talis **621** ædificatio non est a Domino sabaoth, quem nunc LXX interpretati sunt, *omnipotentem*. Deficient enim multi populi, et quamvis infinitæ gentes in eorum ducantur errorem, tamen vel lassabuntur, quod magis significat ὀλιγοψύχησαν : vel certe coarctabuntur in angustum, et Ecclesiæ multitudini non poterunt comparari. Illis quippe in igne deficientibus (quod sentitur, aut diaboli principis sui igne consumptis, aut certe succensis igne Domini, de quo ait : *Ignem veni mittere super terram, et quam volo ut ardeat* (*Luc.* XII, 49), et de priore cursu retractis, et agentibus pœnitentiam, et cœptum iter deserentibus, quod sonat ὀλιγοψυχία), replebitur universa terra gloria Domini, quando ad prædicationem apostolorum in universum orbem exierit sonus eorum, sicut aquæ operientes mare (*Psal.* XVIII), id est, ut omnem salsuginem, et amaritudinem sæculi, quam terra biberat, pluente desuper diabolo, aquæ Domini operiant; et efficiant maris locum et amaritudinis pristinæ non apparere. Unde et in psalmo dicitur, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Potest autem (quamquam non conveniat ordini lectionis, nec ad præsentem Scripturæ textum faciat) et super Jerusalem intelligi civitatem plenam sanguine prophetarum, de qua Scriptura commemorat (*Matth.* XXIII), quod redundaverit in ea sanctorum sanguis a porta usque ad portam. Et quæ dicit in Domini passione : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Ibid.*, XXVII, 25). Et ad quam Deus loquitur in Isaia : *Cum levaveritis manus ad me, non exaudiam vos : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isai.* I, 15). Hæc ædificata est in iniquitatibus : in qua juxta eumdem prophetam justitia dormivit. Nec est ædificatio ejus a Domino sabaoth. Unde defecerunt populi multi in igne : et gentes multæ lassatæ sunt eo tempore quo Vespasiani et Titi circumdata est exercitibus, et ad diem solemnem Paschæ venientes, urbe quasi carcere sunt reclusi : **622** et fame et penuria defecerunt, et usque ad extremas ruinas Hadriani eos perduxit obsidio [*Al.* obsidium]. Subversa autem civitate sanguinum, et urbe iniquitatum, et populis igne consumptis, et gentibus quæ ad auxilium eorum venerant, huc illucque dispersis, et dimittentibus lassas manus, repleta est universa terra gloria Christi, et quasi aquis, ita sermonibus et doctrina ejus universus mundus coopertus est.

(Vers. 15 seqq.) *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. Repletus* [a] *est ignominia pro gloria : bibe tu quoque, et consopire : circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam : quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas jumentorum* [Vulg. *animalium*] *deterrebit eos, de sanguinibus hominum et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium* [Al. *hominum*] *habitantium in ea.* LXX : *Væ qui propinat proximo suo subversione turbida, et inebrians, ut aspiciat in speluncis eorum : saturitatem ignominiæ* [b] *de gloria bibe et tu : et commovere, circumdedit te calix dexteræ Domini, et congregata est ignominia super gloriam tuam : quia impietas Libani operiet te, et miseria bestiarum terrebit te : propter sanguinem hominum, et* [c] *impietates terræ et civitatis, et omnium habitantium in ea.* Pro subversione turbida, Symmachus interpretatus est, καὶ ἀφιὼν ἀκρίτως τὸν θυμὸν ἑαυτοῦ, id est, *et emittens absque judicio furorem suum.* Theodotio [d] ἀπὸ χύσεώς σου, quod interpretatur *ab effusione tua.* Quinta editio ἐξ ἀπροσδοκήτου ἀνατροπῆς τῆς ὀργῆς σου, quod significat, *de subversione insperata iræ tuæ.* Aquila, ἐξ [e] ἐπιτρίψεως χόλου σου, quod possumus vertere, *de emissione furoris tui.* In alia editione reperi, οὐαὶ τῷ ποτίζοντι τὸν ἑταῖρον αὐτοῦ ἀέλλην πετομένην, quod ipsum in lingua nostra sonat : *Væ qui potum dat amico suo turbinem volantem.* Sed et alibi translatum legi : *Væ qui potum dat proximo suo* ἔκστασιν ὀχλουμένην, id est, *amentiam turbidam.* Hoc propterea ut verbum Hebraicum MASPHA (מַסֵּבָה), quod transtulerunt LXX *subversionem*, sciri **623** possit quanta apud omnes editiones varietate discordet. Igitur adhuc contra Nabuchodonosor invectio est, quod oblitus conditionis suæ, et quasi ignorans se esse hominem, alteri homini fel et amaritudinem propinarit. Possumus autem eum vel regem intelligere Judææ, vel generaliter omnes homines quod inebriaverit eos malis, ut videret Sedeciæ et captivorum omnium nuditatem. Pro quo interpretatus est Symmachus et quinta editio, *ut videret ignominias eorum.* Dicuntur autem hæc per metaphoram ebrii hominis, et nuditate [f] turpati, quod Nabuchodonosor omnes inebriaverit calice furoris sui, cunctosque exspoliatos viderit et captivos, et illi qui quondam gloriosi fuerant, in ultimam redacti sint servitutem : hoc enim est quod ait : *Reple-*

[a] Mutat Victor. ex Hebræo, Vulgataque editione, *repletus es.* Aliter vero in subnexa expositione Hieron. sentit.

[b] Idem rescribit, *pro gloria*, quamquam in Græco sit ἐκ δόξης, et Hebraice מִכָּבוֹד, *de gloria*; nam, inquit, Hieronymus sensum potius attendens, quam vim verbi, *pro gloria* vertit, sicque retinuit in Commentario.

[c] Propterea quod singulari numero in Hebræo scriptum est, וְחָמָס, vocem quoque ἀσεβείας absque articulo, qua usi sunt LXX, minori numero Victorius jure accipit, reponitque hic *impietatis*, pro *impietates*. Manifeste autem in Alexandrin. ms. ἀσέβειαν legas.

[d] Legerat Martian. uno verbo, nullo autem sensu, ἀποχύσεως, quod emendamus ἀπὸ χύσεως. Fortasse autem Theodotio integrius posuerit, ἀπὸ χύσεως θυμοῦ σου, *de effusione furoris tui.* Victor. *diffusione tua.* Mox pro *insperata*, Regin. ms. habet *subita.*

[e] Ad fidem Regii ms. restituimus ἐπιτρίψεως : qua in lectione et Barberinius alter a Montfauconio laudatus consentit. Antea erat ἐκπέμψεως. Mox quoque emendamus ποτίζοντι, pro quo corrupte Martian. legit ποτίζονται. Levia autem alia scriptionis menda taciti castigamus.

[f] Vitiose erat in vulgatis libris, *nuditate turbati* : mss. nostri castigant.

*tus est ignominia pro gloria*, ut subaudiatur amicus, et proximus, sive consors regni, qui tuum, o Nabuchodonosor, calicem bibit. Unde quia inebriasti plurimos, tu quoque bibe de calice Domini et consopire: circumdaberis suppliciis dexteræ Domini, et cum ignominia vomitus tui omnia quæ absorbueras, egeres, et de sublimi gloria ad ultima deduceris mala. *Quia iniquitas Libani operiet te*; superbia, inquit, tua et eversio templi, et rapina sanctuarii te depopulabitur atque vastabit. Et quia semel nominaverat montem Libanum, sub ejusdem translatione victimas, et sacrificia, vel certe multitudinem populorum, quæ interfecta est in Jerusalem, animalibus vel bestiis comparat, dicens: *Et vastitas animalium opprimet te.* Hoc autem omne patieris, quia vastasti Judam, subvertisti terram repromissionis, et civitatem Jerusalem omnesque habitatores ejus. [a] Adivi Liddæ quemdam de Hebræis, qui sapiens apud illos, et δευτερῶτης vocabatur, narrantem hujuscemodi fabulam: Sedecias, inquit, a Nabuchodonosor rege cæcatus in Reblatha, hoc est, Antiochiæ, variisque irrisus modis, ductus est Babylonem (IV *Reg.* 25; *Jerem.* 39). Ubi cum quadam die Nabuchodonosor convivii festa celebraret, jussit ei dare potionem, qua hausta, venter potantis solveretur in fluxum: ac subito introductum ante ora epulantium, compulsumque vi ventris pollutum esse **624** stercore, et hoc esse quod nunc hic Scriptura dicat: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus, et ignominiam pro gloria:* quod scilicet ille qui rex potentissimus fuerat ad tale dedecus per eum sit deductus. Unde et comminatur ei Deus quod et ipse bibiturus sit hujuscemodi potionem, et passurus omnia, quæ passus est Sedecias. Hoc quam ridiculum sit, me tacente, cognoscitis. Si enim quod sequitur: *Bibe tu quoque, et consopire, et circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam*, non de calice intelligunt, sed de malis, quæ bibiturus est Nabuchodonosor: ergo et ille calix quo Sedeciæ propinatum est, mala sunt intelligenda, non, ut illi volunt, καθαρτικόν. Sin autem dicunt vere factum, et temperatam hujuscemodi potionem, ut supra retuli: ergo et calix iste quem bibiturus est Nabuchodonosor, καθαρτικῷ æstimandus est plenus, ut Deus sabaoth et Dominus omnipotens pro vindicta magna Nabuchodonosor propinet καθαρτικὸν, et faciat eum suo stercore pollui. Hoc adversus Judaicam traditionem. Veniamus autem ad intelligentiam spiritualem. Væ tibi, diabole, sive Antichriste, vel hæreticorum dogma perversum, qui doctrinis tuis et potione turbida inebrias [*Al.* inebrians *et* subvertens *et* das] populos deceptorum, et subvertis priorem fidem, dans eis potionem, non de Siloa, non de Jordane, non de fontibus Israel, sed de torrente Cedron, et de flumine Ægypti, de quo Jeremias dicit: *Quid tibi et viæ Ægypti, ut bibas aquam Geon* (*Jerem.* II, 18)? pro quo in Hebræo scriptum est SIOR (שיחור), id est, *turbidam* atque *cœnosam:* quamvis enim de paradiso Scripturarum flumina Ægypti exire credantur: tamen quia conculcantur pedibus Pharaonis, perdiderunt splendorem suum, et violata luto Ægyptio, versa sunt in torrentes, de quibus sanctus quod evaserit, gratulatur dicens: *Torrentem pertransivit anima nostra* (*Ps.* CXXIII, 5). Quod si quis opposuerit torrentem Corath, de quo bibit Elias (III *Reg.* 17): et torrentem alium, de quo Dominus bibit in via (ita enim scriptum est: *De torrente in via bibet* [*Ps.* CIX, 7]), hoc dicendum, quia quicumque in Ægypto fuerit, et in via hujus sæculi, quamvis Moyses et Aaron, quamvis **625** Jeremias sit et Elias, tamen necesse est eum de tentationibus Ægypti et solitudinis bibere, unde et Domini sermo qui ob hoc carnem assumpserat, ut biberet de torrente, considerans majestatem suam dixit: *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me* (*Mat.* XXVI, 39). Rursum videns se esse in Ægypto, et aquas non posse mundari, nisi ipse potasset, ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Hæc propterea, quia diabolus subversione et poculo turbido ac perversis quibusque doctrinis inebriet proximos, id est, rationale animal, et faciat eos quos deceperit, respicere ad speluncas suas. Ecclesiæ enim dogmata libera sunt: die gratulantur et lumine. *Qui autem inebriantur, nocte inebriantur* (I *Thess.* V, 7): et qui eos inebriant, non ducunt in atria Domini, quæ nulla tectorum premuntur umbra, sed in speluncas. Fecerunt enim domum Patris quæ fuerat domus orationis, speluncas latronum (*Matth.* XXI), pollicentes initiationes quasdam et mysteria, et recondita solumque hæreticis nota secreta, de quibus loquitur et Isaias: *Et manufacta omnia abscondent, inferentes in speluncas et in scissuras petrarum et foramina terræ* (*Isai.* II, 18, 19). Non ingrediamur ergo in speluncas hæreticorum, nec abscondamur ibi, ubi impius Saul stercora doctrinarum suarum egerere consuevit (I *Reg.* XXIV): sed magis ascendamus ad speluncam excelsam montis Sina, ubi et Elias vidit Dominum (I *Reg.* XIX), et Moyses posteriora ejus ante conspexit (*Exod.* XXXIII). Et Isaias de Domino clamitans: *Hic habitabit*, ait, *in spelunca excelsa* (*Isai.* XXXII, 16). Si quis autem non habet poculum turbidum et doctrinam hæreticam, et magister Ecclesiæ est, et omnia facit turpis lucri gratia, et vendit columbas in templo, hoc est dona sancti Spiritus, et in cathedra sacerdotali liberas suffocat aves, iste non facit quidem domum orationis speluncam latronum, sed facit domum Patris domum negotiationis. Post hæc sequitur: *Saturitatem ignominiæ pro gloria bibe tu, et commovere*, id est, o diabole, o dogma perversum, o hæretice, qui te putabas calicem esse aureum, quo inebriantur omnes gentes, ut viderent speluncas et secreta tua, pro gloriæ magnitudine replere saturitate ignominiæ, et reputare in vas fictile opera manuum figuli: bibe et tu de calice Domini, de quo in psalmo **626** dicitur: *Calix*

[a] Regin. m cum Victorio, *Audivi Liddæ*, etc.

*in manu Domini, vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in illud : verumtamen fæx ejus non est exinanita* (*Psal.* LXXIV, 9). Et a priori sententia commovere, et noli putare firma esse et stabilia, in quibus primum stare cupiebas : quia circumdedit te calix dexteræ (*Al.* dextera) Domini. Porro quia propinasti proximo tuo subversione turbida, congregabitur ignominia super te, et super gloriam tuam, quam primum te habere credebas : istudque patieris, quia impietas Libani operiet te, secundum illud quod dicitur : *Et oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CVIII, 7). Libanus enim mons juxta Græcum sermonem ὁμώνυμος est thuri : thus autem σύμβολον est spiritualis thymiamatis, quod est cultus Dei. Idcirco hæreticorum perversa oratio et non Evangelica simplicitate directa, eis vertetur in peccatum, et impietas cultus Dei operiet eos. Unde sequitur : *Et miseria bestiarum terrebit te propter sanguinem hominum, et impietates terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea.* Et est sensus : Eos quos tuis fraudibus decepisti, et de ovibus Christi fecisti esse bestias tuas, cum videris in miseria, et pro errore sustinere supplicia : tunc terreberis, tunc jacebis. Ac ne arbitreris me, quia Libanum et ejus bestias nominavi, de brutis animalibus, et non de hominibus loqui, manifestius tibi dico : Sustinebis hæc, quia multorum hominum fudisti sanguinem, quos Deo perire fecisti. Et exercuisti impietatem in terra viventium, in terra mansuetorum, et impietas tua in civitate quoque Domini desævit, id est, in Ecclesia ejus; multosque qui habitabant in ea, impietatis tuæ fecisti esse participes. Hoc sub persona hæreticorum dictum sit. Cæterum si volumus de Antichristo intelligere; sive de diabolo qui operaturus est in Antichristo, et iste calice suo, quo Christi cupiet subvertere disciplinam, inebriabit plurimos, ut ebrii inegrediantur speluncas ejus : sed postquam finis advenerit, pro ea gloria qua se magnificaverat, implebitur ignominia. Implebitur autem, quia bibet suppliciorum calicem, et commovebitur, nequaquam firmus in malitia sua, sed trepidus, et sero pœnitens. Circumdabit enim eum calix dexteræ Domini, qui est Dominus atque Salvator, quando interfecerit eum spiritu oris sui, et destruxerit **627** illuminatione adventus sui. Tunc omnis ignominia quam sibi cogitationibus, factis, sermonibus congregavit, veniet super gloriam ejus : ut quantum ante putabatur inclytus, tantum postea ignominia plenus sit. Blasphemavit enim in Deum, et impietas quam exercuit in Libano, operiet eum, et multorum hominum furor, qui adversum Dei Ecclesiam debacchati sunt, ipsi imputabitur : nec poterit elevare cervicem, sed terrore deprimetur in terram. Multos enim homines interfecit, et totum orbem, id est, Ecclesiam Christi et habitatores ejus sua impietate vastavit. Sciendum igitur et hoc capitulum, quod nunc exposuimus, id est : *Væ qui potum dat proximo suo subversione turbida;* et priora tria in quibus dictum est : *Væ qui multiplicat sibi quæ non sunt sua*, et : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ*, et : *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus*, et [a] juxta historiam, et juxta anagogen, vel adversum Nabuchodonosor, vel adversus diabolum et Antichristum et hæreticos posse æqualiter accipi.

(Vers. 18.) *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta.* LXX : *Quid prodest sculptile, quia sculpserunt illud; formaverunt illud conflatile, imaginem falsam? quia confidit fictor in figmento suo, ut faciat idola muta.* Consequenter superioribus (*Al.* in superioribus) de Nabuchodonosor dicitur, quod fabricatus sit statuam idoli Bel, et posuerit eam in campo *Dura :* [b] sive, ut in Hebræo scriptum est, *Dora* super quo plenius in Daniele legimus (*Dan.* III). Miratur itaque Scriptura regis amentiam et stultitiam, quia ipse jusserit statuam auream fieri, et fictor confidat in simulacro quod finxit : quod quidem possumus et generaliter contra omnes idolorum accipere cultores. Nec putemus unum esse quod sculpitur, et conflatur. Sculpturam quippe possumus in lapidibus et in marmoribus accipere : conflatura vero in his metallis intelligitur, quæ solvi possunt atque conflari; verbi gratia, auro, argento, ære, plumbo, stannoque. Hoc dictum sit, ut juxta tropologiam scire possimus quid sit inter sculptile atque conflatile. **628** Legimus in Deuteronomio : *Maledictus omnis qui fecerit sculptile et conflatile, opus manuum artificis, et posuerit illud in abscondito* (*Deut.* XXVII, 15). Sculptile et conflatile reor, dogmata esse perversa, quæ ab his a quibus facta sunt, adorantur. Vide Arium sculpsisse sibi idolum creaturæ, et adorasse quod sculpsit. Cerne Eunomium conflasse imaginem falsam, et conflationi suæ curvare cervicem. Signanterque Scriptura : *Et ponet*, inquit, *illud in abscondito.* Habent enim et ipsi orgia sua, et quasi [c] pro perfectis quibusque discipulis tradunt abscondita sacramenta, quæ si ad lucem processerint, statim quod ficta sunt, arguuntur. Nihil igitur eis proderit sculptura et conflatio sua. Sculptura, quæ refertur ad lapides, in his dogmatibus intelligitur, quæ stultitiam prima fronte demonstrant. Conflatio est ibi, ubi aliqua videtur esse ratio sapientiæ sæcularis, et velut quodam auro, ita disciplinis philosophorum et splendore eloquentiæ idolum conflatum est. Nihil ergo proderit figmentum fictori suo. Et mutum surdumque simulacrum adoratorem suum audire non poterit. Si quando videris aliquem nolle credere veritati, et ostensa suorum dogmatum falsitate, in cœpto studio perseverare, congrue poteris dicere : Sperat in figmento suo, et facit simulacra muta vel surda : κωφὰ quippe apud Græcos

[a] Penes Victor. verba, *et juxta historiam*, desiderantur.

[b] Verba, *sive ut in Hebræo scriptum est, Dora*, quæ apud Martian. deerant, et facile ob ejusdem vocis occursum solemni scribarum lapsu prætermissa sunt, e Reg. ms. aliisque editis libris suffecimus. Levia alia emendamus.

[c] Reg. mss. *quasi perfectus*, absque *pro* vocula.

utrumque significat : quamquam Symmachus ἄλαλα interpretans, muta magis videatur intellexisse quam surda. Nec moveat quempiam illud ἰδίωμα Scripturarum, de quo sæpe diximus : *Quis, putas, fidelis et sapiens dispensator* (*Luc.* XII, 42)? Et in alio loco : *Quis sapiens et intelliget* [Al. *intelligit*] *hæc* (*Ps.* CVI, 43)? eo quod *quis*, vel *quid*, pro *raro* accipiatur : cum possimus et de alio loco pro impossibili hoc ipsum accipere : *Quis nos separabit a charitate Christi : tribulatio, an angustia* (*Rom.* VIII, 35)? et cætera. Et de præsenti capitulo : *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus?* In utroque enim impossibilitas demonstratur, quod nec Apostoli charitatem ulla tribulatio et angustia dividere possit a Christo, nec in idolis sit ulla utilitas.

(Vers. 19, 20). *Væ qui dicit ligno, expergiscere; surge, lapidi tacenti* (Al. *jacenti*) *: numquid ipse docere poterit?* **629** *Ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo : sileat a facie ejus omnis terra.* LXX : *Væ qui dicit ligno, evigila et exsurge : et lapidi, elevare; et ipsum est imago, et est productio auri et argenti, et omnis spiritus non est in eo. Dominus autem in templo sancto suo : revereatur a facie ejus omnis terra.* Et hoc similiter vel adversum Nabuchodonosor, vel adversum omnes qui venerantur idola, accipi potest. Et describitur error humanus, quod argentum, aurum, gemmas et sericum, quibus vel obvoluta, vel [a] operta sunt idola, præ fulgore materiæ deos æstimant, cum formam quidem potuerit artifex dare : animam autem, qua vegetantur artus, nequiverit. Et econtrario Dominus dicitur in templo sancto suo (*Psal.* X) : non in templo manufacto, sed vel in cœlis, vel in unoquoque sanctorum, juxta apostolum dicentem : *An nescitis, quoniam templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? Et alibi : *Corpora vestra templum Dei sunt* (I *Cor.* VI, 19); vel in Filio, sicut ipse ait : *Pater in me manens, ipse facit opera* (*Joan.* XIV, 10). Aut certe juxta illud, quod cœlos et terras, maria et universum mundum (*Virg.* VI *Æneid.*) :

> Spiritus intus alit ; totamque infusa per artus,
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet :

mundus omnis qui cœlo constat, et terra, et cœlorum circulis clauditur, Dei domus esse perhibetur. Unde et Apostolus confidenter : *In ipso enim*, ait, *vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Quod si quis opposuerit, quomodo spiritus in idolis non esse dicatur, cum omnibus simulacris assideant immundi spiritus, discat Scripturæ sanctæ consuetudinem, numquam spiritum perversum absolute, sed cum additamento aliquo spiritum nuncupari : sicut ibi : *Spiritu fornicationis seducti sunt* (*Osee* IV, 12). Et in Evangelio : *Cum autem spiritus immundus exierit de homine* (*Luc.* XI, 24), et cætera his similia. Spiritus autem ubicumque solus et absolute sine aliquo additamento legitur, semper refertur ad bonam partem, id est, ad Spiritum sanctum, ut est illud Apostoli : *Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam* (*Galat.* VI, 8). Et alibi : *Fructus* **630** *autem Spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Galat.* V, 22); et in alio loco : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis* (*Ibid.*, 16). Neque hoc dicimus, quod non et Spiritus sanctus cum additamento ponatur : vocatur enim et Spiritus sanctus, et spiritus principalis, et spiritus rectus, et spiritus Dei, et cætera his similia; sed quod Spiritus sanctus, et cum additamento et solus sæpe ponatur; spiritus autem perversus nusquam nisi cum additamento lectus sit. Sed et illud dici potest (si quis contentiose spiritum perversum in hoc loco voluerit accipere), quod aliud sit : *Omnis spiritus non est in eo;* aliud si dixisset : *Omnis spiritus non est circa eum :* potest enim assidere simulacris; cæterum intrinsecus esse non potest. Unde et Aquila significantius vertit Hebraicum dicens : *Et spiritus ejus non est in visceribus*, sive *in medio ejus.* Propterea sciendum in quibusdam Hebraicis voluminibus non esse additum, *omnis;* sed absolute, *spiritum* legi. Quod si quis ratione superatus in bonam partem acceperit spiritum, et quæsierit, cur si de Spiritu sancto dictum sit, cum additamento legatur : *Et omnis spiritus non est in eo?* sciat omnem spiritum, diversas gratias intelligi Spiritus sancti : ut sit sensus : Nihil in se gratiæ, nihil poterit habere virtutis. Quod quidem et juxta tropologiam magis intelligitur, quod in universis idolis hæreticorum et figmentis diaboli, nulla sit gratia Spiritus sancti; sed imaginem divinitatis et pulchritudinem dogmatum præferre videantur, cum in illis nihil spirans sit et vitale. Dicamus et illud, ne lectorem videamur celasse quod novimus, spiritum et ventum apud Hebræos eodem appellari vocabulo, id est, RUA (רוח), et pro sensu loci, vel spiritum accipi solere, vel ventum. Ergo et in hoc loco, spiritum vel pro vento accipere possumus, quod nihil spiret in idolis; vel pro anima, quod simulacra [b] inanimata sint. Quod autem spiritus accipiatur pro anima, manifeste significat Salvatoris oratio : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46). Neque enim Jesus aut perversum spiritum (quod cogitare quoque nefas est), aut Spiritum sanctum, qui et ipse Deus est, Patri poterat commendare, et non potius animam suam, de qua dixerat : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 36, *et Marc.* XIV). Et : *Nemo potest eripere animam meam a me : sed voluntate mea depono animam meam, et sponte mea rursum assumo eam* (*Joan.* X, 17, 18).

[a] Correximus *operta*, pro *aperta* : et mox, *quia vegetantur*, pro *quibus*, Victorio facem præferente.

[b] Vitiose erat *inanimantia*, quod nostri mss. et quos Victorius consuluit, castigant.

# LIBER SECUNDUS.

**631-632** Alterum, mi Cromati, papa venerabilis, in Abacuc librum scribimus, proprium Cantico ejus opusculum dedicantes, sermonemque epicum et Psalterii, id est, lyrico more compositum, totis viribus aggredientes. Sibilet igitur [a] excetra, et Sardanapalus insultet, turpior vitiis quam nomine (*ex Cicerone*) : nos cœptum carpamus iter; et orationibus tuis, qui carnem virtute superasti, manifestissimam de Christo prophetiam in octavo propheta, id est, in resurrectionis Dominicæ numero discramus.

*Oratio Abacuc prophetæ pro ignorationibus.* LXX : *Oratio Abacuc prophetæ cum cantico.* Aquila et Symmachus et quinta editio, sicut nos, *pro ignorationibus* transtulerunt : solus Theodotio ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν ; id est, *pro voluntariis*, et *pro his qui sponte delinquunt.* Hoc propterea ut intelligamus (exceptis Septuaginta) nullum, orationem cum Cantico transtulisse. Nam et in Hebraico habet AL [b] SEGIONOTH (על שגיונות) quod dicitur, ἐπὶ ἀγνοημάτων, et nos transtulimus, *pro ignorationibus.* Est autem sensus, quia supra temere dixerat : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?* Ac deinde in secunda querimonia : Quare non respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se? Ad hoc (*Al.* quod) audierat : Scribe visum, et explana eum super tabulas. Et post cætera : *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : Justus autem in* (Al. *ex*) *fide sua vivet.* Et didicerat vel Nabuchodonosor, vel diabolum, vel Antichristum positum in judicio peccatorum, et fortem ad corripiendas gentes : nunc agit pœnitentiam, et plangit quod temere sit locutus : petitque veniam, ut misericordiam consequatur, quia ignorans fecit. Unde et David : *Delicta*, inquit, *juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Sunt qui putent orationem esse prophetæ, ut in adventu Christi error auferatur hominum : unde et prophetæ nomen sit titulo prænotatum, quod prophetico spiritu oret tolli caliginem, et reddi lucem; auferri imaginem, et tribui veritatem. Quod autem prophetia sit, et totus Cantici textus ostendit, et maxime illud : *In medio duorum animalium cognosceris.* Et : *Cum appropinquaverint anni, notus eris.* Et de judicio : *Cum turbata fuerit anima mea in ira, misericordiæ recordaberis.* Et rursum de adventu Christi : *Deus a Theman veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso.* Necnon in futurum : *Pavebunt tabernacula terræ Madian, et ascendens super equos tuos, et extendens extendes arcum tuum super regna.* Si autem aliquis quæsierit, quare solus Theodotio, *pro spontaneis*, transtulerit, possumus dicere, vel **633** confessionem prophetæ, quod non aliqua necessitate, sed sponte peccaverit, male sentiens de judicio Dei; vel certe futuram gentium fidem demonstrari, quod priorem errorem voluntarie relinquentes, in eum credituræ sint, qui in Cantico repromittitur. Legimus in psalmo decimo sexto : *Oratio David.* Et in alio similiter : *Oratio David.* Et in octogesimo nono : *Oratio Moysi hominis Dei.* Et in centesimo primo : *Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et coram Domino effuderit precem suam.* Et sicubi alibi nomen orationis infertur : attamen nullo loco cum Cantico legitur. Et nescio, an decens sit orare cum Cantico, nisi forte juxta Septuaginta orare dicimus prophetam pro adventu Christi, et hoc ipsum cum delectatione, et psalmis et Cantico prophetare, ut et in eo quod oratio est, deprecetur Patrem, et in eo quod Canticum, Patris, qui miserit Filium, et Filii qui venerit, laus dicatur. Hæc de titulo Cantici. Videamus nunc quæ dicantur in Cantico.

(Cap. III. — Vers. 1.) *Domine, audivi auditionem tuam, et timui : Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud.* LXX : *Domine, audivi auditum tuum, et timui : Domine,* ÷ *consideravi* ⁝ *opera tua,* ÷ *et obstupui* ⁝ *in medio duorum animalium cognosceris.* Pro eo quod nos et Aquila et Theodotio transtulimus, *vivifica illud*, Symmachus interpretatus est, *revivifica illud.* Quod autem Septuaginta dixerunt, *consideravi et obstupui*, nec in Hebræo habetur, nec apud quempiam aliorum Interpretum, ut sublatis his, quæ in Hebraico non habentur, possit legi juxta Septuaginta : *Domine, opera tua in medio duorum animalium cognosceris :* quod quia ἀδιανόητον videbatur, superiora conjuncta sunt. Legimus autem in Hebræo ADONAI, id est, *Domine*, PHALACH, *opus tuum*, BACEREB, *in medio*, SANIM, *annorum*, [c] HEIEU, *vivifica illud.* Hoc propterea ut quæ superflua sunt, in Septuaginta manifeste addita cognoscamus. Hebræi juxta historiam hunc locum ita explanant : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui.* Audivi, inquit, pœnas quas Nabuchodonosor et diabolo præparasti, in quibus dixisti ei : *Væ qui multiplicat non*

[a] Rufinum his nominibus notat. Pro *Excetra* voce qua Plautus utitur, exscriptores antiqui posuerunt *hydram* et *serpentem*, quod jam a nobis observatum inveniet lector studiosus, tom. I edit. nostræ. MART.

[b] In Hebræo est *Seginoth*, שגינות, absque priori *vau.*

[c] Martian. HEINU : unde et hariolatur lectum abs Hieronymo in suo exemplari Hebræo חייני, *hhaiienu*, cum affixo tertiæ personæ singularis נו. Verum et HEIEU præferunt nostri mss. et Hebræa lectio חייהו consonat, quam a Massorethis corruptam opinari neutiquam par est. — In Hebræo est יהוה פעלך בקרב שנים חייהו; sed in mss. codicibus hujusce Commentarii distincte leginus in ultima voce HEINU; ex quo certum exstat Hieronymum legisse in suo exemplari Hebræo חייני, *hhaijennu*, cum affixo tertiæ pers. sing. נו : non cum alio הו, *hu*, quod hodie retinent exemplaria Massoretharum. MART.

*sua* (*Supra*, II, 6). **634** Et secundo : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ* (*Vers.* 9). Et tertio : *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate* (*Vers.* 12). Et quarto : *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians.* Et quinto : *Væ qui dicit ligno, expergiscere : surge, lapidi tacenti.* Et sicut timore perterritus sum, quod draco magnus tantis vulneribus confodiendus sit, sic deprecor, Domine, ut quod promisisti, expleas, et finito tempore, reddas Christum tuum. Tu enim dixisti, quia adhuc visus procul et apparebit in fine, et non mentietur. Vivifica ergo quod pollicitus es, hoc est, tuum imple promissum ; non moriatur irritus sermo tuus, sed opere compleatur. Quod quidem juxta nos, et de resurrectione Salvatoris intelligi potest : ut ille qui pro nobis mortuus est, consurgat a mortuis, et vivificetur. Juxta Septuaginta autem multo alter est sensus, et debemus etiam Vulgatæ editionis explanationem ponere. Domine, audivi in Scripturis sermonem tuum, et [a] te mihi dante auriculam, juxta illud quod loquitur Isaias : *Addidit mihi auriculam ad audiendum* (*Isai.* L, 5); ita audivi, ut tu vis audiri sermonem tuum. Et opera tua diligentius contemplatus (ne mihi diceretur : Opera autem Domini non respiciunt, et opera manuum ejus non considerant), ex creaturis intellexi Creatorem, et per singula quæ fecisti, et quæ quotidie operaris in universo mundo, totus obstupui, et sensu humanitatis amisso, in sanctam amentiam sum conversus. Vel certe admiratione turbatus, in laudes tuas trepidus erumpo dicens : *In medio duorum animalium cognosceris.* Quod multi putant de Filio intelligi, et Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur et Spiritum. Quæ quidem et duo Seraphim in Isaia (*Cap.* VI), et duo Cherubim, scribi interpretantur in Exodo (*Cap.* XXV), quæ contra se respiciunt [*Al.* respiciant *et* habeant *et* velantes], et in medio habent oraculum ; et in Isaia (*Cap.* VI), velantia caput et pedes Domini, in præsenti tantum sæculo volent, et alter ad alterum mysterium inclament Trinitatis : et mittatur unus de *seraphim*, quod interpretatur *ardens*, et veniat in terram et mundet prophetæ labia, et dicat : *Ignem veni mittere super terram, et* **635** *quam volo ut ardeat* (*Luc.* XII, 49). Hoc æstimant alii, et ad hanc interpretationem multis Scripturarum utuntur testimoniis. Porro simplex interpretatio, et opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus agnitus sit (*Marc.* XV, *et Joan.* XIX). Qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima Ecclesia quæ de circumcisione fuit, et de præputio congregata, duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus sit Salvator et creditus. Sunt qui duo animalia, duo intelligant Testamenta, novum et vetus, quæ vere animantia sint atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur.

*In medio annorum notum facies.* LXX : *Cum appropinquaverint anni, cognosceris.* Cum venerit, inquit, tempus, et opere promissa compleveris, monstrabis, vera esse quæ pollicitus es. Sive cum appropinquaverit consummatio, et in extrema hora ad destruenda peccata venerit Filius tuus, manifestius cognosceris. Sequitur :

*Cum advenerit tempus, demonstraberis, cum turbata fuerit anima mea.* Quod, exceptis Septuaginta, nec in Hebraico, nec apud quemquam aliorum habetur interpretum. Et est sensus : Cum venerit tempus, de quo dicitur : Tempore acceptabili exaudivi te, tempus adventus Domini Jesu Christi (*II Cor.* VI, 2) : tunc, o Deus Pater, cognoscetur nomen tuum, quod ante occultum fuit hominibus, de quo dicit Dominus in Evangelio : *Pater, revelavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6). Quod autem infertur : *Cum turbata fuerit anima mea*, apud LXX interpretum editionem cum posterioribus copulatur, ut possit legi : *Cum turbata fuerit anima mea in ira*, et hucusque distinctio : deinceps inferatur, *misericordiæ recordaberis ;* quod scilicet prophetæ sufficiat pro pœna sola conturbatio, et ad iram Dei anima illius conturbata, nequaquam inferatur supplicium, sed iram excludat misericordia. Habet autem et ira Dei mensuras : quantum, et quanto tempore, et ob quas causas, et quibus inseratur, juxta illud quod scriptum est : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potabis nos lacrymis in mensura* (*Ps.* LXXIX, 6). Quod si propheta turbatur ad iram Dei, et qui turbatus est, **636** impetrat misericordiam, quid nos sperare, immo timere debemus, quorum omnia opera Dei digna sunt ira ? Quod autem sequitur juxta Hebraicum.

*Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Non debemus putare, oblivisci Deum, et post iram suæ misericordiæ recordari ; sed quod nos eum in pœna positi putemus oblivisci, juxta illud : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem* (*Ps.* XII, 1)? Nam et si quando tentationibus, quasi fluctibus operimur, et rapida dæmonum adversus nos procella desævit, velut ad dormientem loquimur : *Exsurge, quid dormitas, Domine?* Simulque Dei cerne clementiam : non dixit, cum intuleris supplicia, misericordiæ recordaberis ; sed cum iratus fueris. Qui autem irascitur, interdum non percutit, sed tantummodo comminatur. Quod et apostolus sentiens ait : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et iniquitatem hominum* (*Rom.* I, 18). Ubi autem revelatur, non infertur, non percutit ; sed revelatur ut terreat, et territis non inferatur.

(Vers. 3.) *Deus ab Austro veniet, et Sanctus de monte Pharan. Semper.* LXX : *Deus a Theman veniet, et Sanctus de monte umbroso et condenso. Diapsalma.* Aquila et Symmachus, et quinta editio ipsum Hebraicum posuerunt THEMAN (תימן) : solus Theodotio quid significaret *Theman*, interpretatus est, dicens [b] ELOIM, *ab Austro veniet, et sanctus de monte*

[a] Iterum Martian. *et timui, dante te mihi auriculam*, contra mss. editorumque aliorum codicum fidem.

[b] Hoc modo legunt mss. codices : in Hebræo est אלוה *Eloah*, quod Theodotio legebat אלהים, *Eloim*.

*Pharan*, *in finem*. Ex quo intelligimus a solis Septuaginta positum, *de monte umbroso et condenso*. Sed et hoc quod Septuaginta transtulerunt, διάψαλμα, et nos posuimus, *semper* ; Symmachus interpretatus est, *in æternum* : Theodotio, *in finem* : quinta editio ipsum Hebraicum SELA (סלה). Deus ergo ab Austro veniet, id est, [a] a meridie, a clara luce, et ab his, qui appellantur filii dierum. Unde et in Cantico canticorum, aquilonem sponsus abigit, et austrum vocat dicens : *Exsurge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata mea* (*Cant.* IV, 16). Deus semper in meridie est : *Ubi*, inquit, *pascis? ubi cubas? in meridie* (*Ibid.*, I, 6). Et ad Abraham quando erat sub quercu, non venit Deus nisi in meridie (*Genes.* XVIII *et* XLIII). Et **637** Joseph qui in typo præcessit Salvatoris, convivium fratribus facit meridie. Agnitio ergo Dei Patris his qui digni sunt, venit in pleno lumine. Et agnitio Sancti, id est, Filii Dei, venit de monte umbroso et condenso. Mons umbrosus atque condensus, vel ipse Pater intelligitur, plenus virtutibus omnique sapientia, et majestate sua cuncta protegens, et extendens alas, et confovens pullos suos : vel certe paradisus et cœlestia plena angelis, plena virtutibus, plena arboribus uberrimis. Atque utinam et mihi contingat, ut ad vocem meam et ad expositionem Deus veniat in claro lumine, et Filius ejus, de quo scriptum est : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XX, 26), de sublimitate eloquii umbrosi et condensi, et Scripturarum testimoniis hinc inde contexti, et Patre simul Filioque veniente, fiat eorum auditor habitaculum, et compleatur Scriptura, dicens : *Ego et Pater meus veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Sed quia pro monte umbroso et condenso, in Hebræo scriptum est mons *Pharan*, et *Pharan* interpretatur *os videntis:* pulchre juxta interpretationem nostram, de eruditi sermone viri venit notitia Filii, et non qualicumque sermone, sed de eo qui plenus est lumine, plenus oculis, ut manifestus et purus ad aures audientium deferatur. Quod autem ait *de monte*, sublimia dogmata intellige. Audivi ego Hebræum istum locum ita disserere : Quod Bethleem sita sit ad Austrum, in qua natus est Dominus atque Salvator, et ipsum esse de quo nunc dicatur : *Dominus ab Austro veniet*, hoc est nascetur in Bethleem, et inde consurget. Et quia ipse qui natus est in Bethleem, Legem quondam dedit in monte Sinai, ipse est Sanctus qui venit de monte Pharan : Pharan quippe vicinus est locus monti Sina. Et quod infertur, *diapsalma*, id est, *semper*, habere sensum : ipse qui natus est in Bethleem, et qui in Sina, id est, in monte Pharan, Legem dedit, semper in universis beneficiis, præteritis et præsentibus, et futuris auctor est et largitor. De *diapsalmate*, quod Hebraice dicitur SELA [b], in Psalterio plenius disputatum est. Simulque **638** cerne juxta Septuaginta, quod *diapsalma* non ponatur, nisi in Psalterio, et in præsenti loco. Ex quo intelligimus recte a Septuaginta orationis Canticum prænotatum.

(Vers. 4.) *Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit : cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus.* LXX : *Operuit cœlos virtus ejus, et laudis ejus plena est terra, et splendor ejus quasi lux erit : cornua in manibus ejus, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Pro eo quod Septuaginta interpretati sunt, *et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ :* et nos diximus, *ibi abscondita est fortitudo ejus :* Aquila transtulit, *et posuit absconsionem fortitudinis suæ :* Symmachus, *et posuit absconditam fortitudinem suam ;* solus Theodotio nostræ translationi congruens, ait : *et ibi absconsio fortitudinis ejus.* Verbum enim SAM (שם) pro qualitate loci, et *posuit* intelligitur, et *ibi :* magisque in præsenti loco *ibi* legendum est, quam *posuit*, ut sit sensus et ordo sententiæ : Cornua in manibus ejus, et subaudiatur, ibi, id est, in cornibus abscondita est fortitudo ejus. Manifestum est autem juxta Hebraicum quod in adventu Christi cuncta repleta sint gloria, secundum illud quod in Evangelio dicitur : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Et alibi : Pacem fecit in cœlis et in terra per sanguinem crucis, et sedit in dextera magnitudinis : velociter enim currit sermo ejus. Et alibi : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* (*Ps.* CXLVII, 1)! Et rursum in Psalmo decimo octavo : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ* [Al. *terminos terræ*] *verba eorum* (*Ps.* XVIII, 5). Splendor quoque ejus, quasi sol justitiæ, clara luce radiavit; et cornua in manibus ejus, vexilla et tropæa crucis, et in ipsis cornibus abscondita est fortitudo ejus : *Cum enim esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo; sed exinanivit se formam*

Ms. Sancygirannus retinet, *Deus ab Austro*, etc. non vocem *Eloim*. MART. — In Hebræo non אלהים, *Eloim*, est; sed אלוה, *Eloah*. Quare Drusius et apud Theodotionem rescribit ἐλωᾶ, vel ἐλοᾶ, *Eloah*. Ms. Sancygirannus, quem Martian. laudat, *Deus*, cui et consentit Eusebius, ὁ θεός.

[a] Voces, *a meridie*, in Regin. ms. non sunt : paulo post ex eodem restituimus, *Aquilonem sponsus abigit*, pro quo erat vitiose penes Martian. *ambigit*.

[b] Hunc locum Abacuc citat Hieronymus epistola ad Marcellam, in qua plenius disputavit de voce *Sela* sive Diapsalmate Psalmorum. Caveat itaque lector errorem eorum, qui existimant Hieronymum commentarios integros edidisse in Psalterium ; cum ex ipsomet exploratum nobis sit, ut sæpe observavimus, nullum hujuscemodi edidisse volumen in Psalmos omnes Davidis. MART. — Ore tenus, cum pariter Romæ essent Paula, Eustochium, et Marcella, sanctis feminis Psalterium prælegisse ac subinde explanasse Hieronymum, ex aliquot ejus testimoniis colligimus, et in generali præfatione observatum est. Interdum etiam quædam quæ obscuriora videbantur, datis litteris, edisseruerit. Ejusmodi est epistola, quam hic laudat, ad Marcellam, in nostra recensione XXVIII, *de diapsalmate* ; neque adeo Psalterium abs Hieronymo integris Commentariis expositum, opinari necesse est.

*servi accipiens : factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 6 *seqq*). In cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo ejus, quando dicebat ad Patrem : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matt.* XXVI, 38, 39) : Et : *Pater,* **639** *si possibile est, transeat iste calix a me* (*Luc.* XXII, 13). Et in ipsa cruce : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Porro juxta Septuaginta in eo quod dictum est : *Operuit cœlos virtus ejus,* nosse debemus minus esse quod operitur, ab eo quod operit : si tamen totum operiatur, et non ex parte, quod opertum est. Cum ergo virtus Dei operiat cœlos, major est cœlis virtus ejus, qua operiuntur cœli. Cœlos autem eos esse qui portent imaginem supercœlestis, et qui enarrent gloriam Dei, crebro legimus. Virtutem quoque Dei Dominum Salvatorem, apostolus probat : *Christus Dei virtus, et Dei sapientia* (I *Cor.* I, 30). Hæc virtus omnium specialium [*Al.* spiritualium] virtutum quasi mater est : verbi gratia, appellatur virtus, sapientia, fortitudo, justitia, temperantia, veritas, sanctitas, redemptio : Christus autem factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. Hæ igitur speciales virtutes, in quibus Christus ostenditur (secundum profectum eorum, qui eum vel sapientiam recipiunt, vel fortitudinem, vel justitiam, et cætera hujuscemodi), continentur in generali virtute Dei, hoc est, in Domino Salvatore : atque in hunc modum et de terra intelligimus, quod qui primum propter imaginem terreni terra vocabantur, et dicebatur ad eos : *Terra es, et in terram ibis* (*Genes.* III, 19), in adventu Salvatoris laude Domini repleantur. Cum autem et cœli virtute Dei operti fuerint ( protecti videlicet et ex omni parte vestiti), et universa terra repleta laude Dei, tunc splendor ejus ut lux erit. Imaginem autem Dei et splendorem gloriæ ejus, esse Deum Salvatorem, apostolus non tacet : Qui postquam nobis apparuit splendor gloriæ Dei, reversus est ad pristinam majestatem (*Hebr.* I). *Etsi enim noveramus Christum secundum carnem : sed jam non novimus eum juxta carnem* (II *Cor.* V, 16), verum juxta spiritum ; quia, *Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum* (*Joan.* I, 3, 4). Quod et manifestius in Evangelio Salvator ostendens ait : *Pater, glorifica me gloria, quam habui apud te, priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 5) ; ut post ascensionem ad cœlos, sit splendor quod lux, hoc est, id incipiat Filius esse quod Pater est. Quod autem sequitur : *Cornua in manibus ejus,* moris est Scripturarum, ut semper cornua pro regnis ponant. Nam et illud quod Anna loquitur in primo Regnorum libro : **640** *Exaltavit cornu Christi sui* (I *Reg.* II, 10), magnificentiam regni Salvatoris significat. Et in Daniele, decem cornua decem regna demonstrant (*Dan.* VII). Sic autem nunc dicitur : *Cornua in manibus ejus,* quomodo et alibi scriptum legimus : *Cor regis in manu Dei* (*Prov.* XXI, 1) : pro eo quod est, mens et principale cordis viri sancti (qui pergit ad regna cœlorum, qui adhuc positus in terra, regnat corpori absque peccatis ) non vagatur extrinsecus; sed in Dei tutela situs est. Quia vero et in Hebræo, et in cæteris editionibus non habet scriptum : *Cornua in manibus ejus,* sed in manu ejus, quod dicitur JADO (ידו), manum Dei fortem atque robustam intelligamus Filium ejus. Et in hac manu omnia regna cœlorum, eorumque qui ad cœlos nituntur ascendere, posita esse dicamus : quod et Isaias sonat, dicens : *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi* (*Isai.* V,1), pro eo quod est, in regno. Ob hanc puto causam nullum cornutum animal inter immunda poni in Levitico, et idipsum significare unicornem in Psalmis (XLIX *et* XCI), sive *μονοκερότα* ; et illud : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu* (*Ps.* XLIII, 7). Quod autem juxta LXX legimus : *et posuit dilectionem fortis virtutis suæ,* etiam hoc de Christo intelligendum est, quod Deus Pater idcirco cooperuerit cœlos virtute sua, et terram repleverit laude, et splendorem suum fecerit esse ut lumen, et regnum posuerit in manu Filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi, et diligi non leviter, sed vehementer et fortiter, ut qui eum fortiter dilexissent, et hærerent in dilectione ejus, nemo tolleret eos de manu illius. Econtrario diabolus facit amare nos mundum, et pro dilectione virtutis diligere vitia, et non leviter, sed fortiter, ita ut de nobis possit dici : Et posuit diabolus dilectionem fortem vitiorum suorum.

(Vers. 5.) *Ante faciem ejus ibit mors : et egredietur diabolus ante pedes ejus.* LXX : *Ante faciem ejus ibit verbum, et egredietur in compum post pedes ejus.* Pro eo quod nos transtulimus *mortem,* in Hebræo tres litteræ positæ sunt, DALETH, BETH, RES, absque ulla vocali, quæ si legantur DABAR (דבר), *verbum* significant ; si DEBER, *pestem,* quæ Græce dicitur *λοιμός*. Denique et Aquila ita interpretatus est, *Ante faciem ejus ibit pestis ;* Symmachus, *Ante faciem ejus præcedet mors ;* quinta editio, *Ante faciem ejus ambulabit mors;* **641** soli LXX et Theodotio *sermonem* pro *morte* interpretati sunt. Necnon in consequenti versiculo, ubi diximus : *Egredietur diabolus ante pedes ejus,* et LXX aliter transtulerunt, juxta quos postea disputabimus : Aquila pro diabolo transtulit, *volatile ;* Symmachus autem et Theodotio, et [a] quinta editio, *volucrem,* quod Hebraice dicitur RESEPH (רשף). Tradunt autem Hebræi, quomodo in Evangelio princeps dæmonum dicitur esse Beelzebub (*Matth.* XII) : ita Reseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, et propter nimiam velocitatem atque in diversa discursum, avis et volatile nuncupetur : ipsumque esse qui in paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus, et ex maledictione, qua a Deo condemnatus est, accepisse nomen : siquidem RESEPH, *reptans ventre* interpretatur. Hoc est ergo quod dicitur : statim cum venerit Dominus et in Jordane fuerit baptizatus, et ad columbæ descensum vox Patris intonuerit : *Hic*

[a] Pro quinta editione sextam nominat Reginæ ms.

*est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matt.* III, 17), exeunti de aquis occurret diabolus ; et ante pedes illius stabit mors, et coluber antiquus, qui quadraginta diebus tentavit eum in solitudine. Si autem juxta LXX legerimus, *ante faciem ejus ibit verbum, et egredietur in campos post pedes ejus*, hoc significat, quod sermo Dei ante visitationem ejus, quæ nunc allegorice facies dicitur, præcedat et præparet corda credentium : ut prava in rectum, et inæqualia sternat in planum ; et auditoris anima quasi consectus ager, sementem possit recipere spiritualem.

(Vers. 6.) *Stetit, et mensus est terram : aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi : incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.* LXX : *Stetit, et commota est terra : aspexit* [Al. *respexit*], *et distabuerunt gentes : contriti sunt montes violentia : tabuerunt colles sæculi itineris sempiterni ejus.* Stans Salvator et cuncta perspiciens, et oculo suo universitatem mundi metiens, gentium multitudinem dissipavit : quibus dissipatis et dissolutis contriti sunt montes hujus sæculi, et incurvati sunt colles hujus mundi. Sunt enim et alii montes et colles, quos salit et transilit sponsus in Cantico **642** canticorum (*Cap.* 2), de quibus et in secundo graduum psalmo dicitur : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX, 1). Montes autem sæculi ipsi sunt qui et montes tenebrosi, de quibus Jeremias præcepit, ne impingantur pedes nostri super eos (*Jerem.* XXXI). Isti sunt colles in quibus regnabat Saul, quando interficiebat sacerdotes Dei (I *Reg.* XXII) : *Gabaa* quippe *collis* interpretatur. Et eleganter incurvati sunt, inquit, colles mundi. Ante adventum quippe Salvatoris erecta cervice gradiebantur, et superbiam eorum humiliare nemo poterat. Contriti autem sunt et incurvati ab itineribus æternitatis ejus, id est, Dei, quia æternitas illius ad nos venire dignata est, sive quod semper a principio mundi usque ad incarnationem suam venerit ad sanctos, et factus sit in singulorum manu sermo Dei, atque in universis vincentibus ipse superarit, et æternum ejus iter incurvaverit, colles montesque contriverit. Hæc per metaphoram juxta Hebraicum dicta sint. Porro secundum LXX postquam faciem Dei sermo præcesserit, et egressus fuerit in plana, Deus Pater venit illuc, ubi ei [a] ad sermonem suum regio præparata est, et venit post pedes sermonis sui, et stat ; numquam ante præcedens, sed semper exspectans, ut ille sibi muniat viam. Ubi autem steterit juxta pedes sermonis sui, ibi statim terra, opera videlicet carnis et corporum non valentia sustinere Dei præsentiam, commoventur. Cumque commota fuerint, virtus sermonis et præsentia Dei respicit cunctas [b] animæ gentes, quas cogitationes et multiplices in diversa sententias possumus intelligere, quæ illico dissolvuntur ac tabescunt. Si quid etiam adversum scientiam Dei se exaltaverat in terra, et sensum occupaverat audientis, hoc præcedente sermone, [c] et adventu Dei, confringetur atque conteretur. Montibus autem confractis contritisque ad aspectum Dei, colles liquido consumentur, et redigentur ad nihilum. Non enim sunt montes Dei, sed montes sæculi. Sempiternum enim iter Dei [d] respiciens ad ea quæ suus sermo præcedit, et fortius collibus sæculi, consumet et destruet eos. Possunt autem montes et **643** dæmones intelligi, qui versantur in hæreticis, et elevant se contra scientiam Dei : colles quoque aliæ dæmonum fortitudines, quæ faciunt homines corporum pulchritudinem, dignitates, divitias, nobilitatem generis, cæteraque mundi bona admirari. Licet videre post adventum sermonis Dei, et Dei Patris præsentiam, quomodo humanæ animæ commoveantur, et omne quod terrenum est, dissolvatur, et cogitationes pristinæ redigantur ad nihilum. Tunc destruuntur dæmones, tunc sæculi altitudines ad nihilum deducuntur, et [e] omnis hæreticorum scientia, quæ primum tumebat, ad Dei sermonis adventum humiliatur, conteritur atque consumitur. Et quod prius pulchrum et maximum videbatur, quasi despectum abjicitur et parvum. Et hoc fit propter adventum Dei et hospitium Christi, juxta quod alibi scriptum est : *Inhabitabo in eis, et inambulabo, et ero Deus eorum, et ipsi erunt mihi populus* (*Lev.* XXVI, 12).

(Vers. 7.) *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* LXX : *Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum : pavebunt et tabernacula terræ Madian.* Æthiopes tetri [*Al.* teterrimi] et amantes tenebras, et ab omni luce alieni, qui draconis carne vescuntur (de quo scriptum est : *Dedisti eum escam populis Æthiopibus* [*Ps.* LXXIII, 14]), dæmones intelliguntur, quorum fit tabernaculum quicumque in hoc sæculo propter honores et divitias laborarit : quod significanter sub uno verbo iniquitatis ostenditur, « Omnis enim dives, aut iniquus, aut hæres iniqui est. » Vide homines maria transire : ante potentum excubare fores : pati omnia quæ servorum conditio vix patitur, ut divitias congregent, ut aliquam accipiant dignitatem : et postquam hoc fuerint consecuti, tradere se luxuriæ et voluptatibus et omni iniquitati, ut quod avaritia congregavit, luxuria consumat. Isti ergo pro laboribus suis efficiuntur hospitium dæmonum, et qui templum Dei esse debebant, fiunt tabernaculum Æthiopum. Sed et hoc quod sequitur : *Turbabuntur pelles terræ Madian*, sive *pavebunt et tabernacula terræ Madian*, eosdem intellige tabernacula Æthiopum, et tabernacula terræ Madian. Postquam enim ditati fuerint, et per fas ac nefas ad altissimum gradum conscenderint,

[a] Reginæ ms., *ubi ei a sermone suo regio præparata est*, etc.

[b] Victorius ex Florentinis codd. restituit *animarum* ; tum, junctis aliis, *multiplices et diversas sententias* legit.

[c] Martian., *adventu et Dei* ; tum Victorius maluit, *confringitur et conteritur.*

[d] Regin. ms. *ea respiciens ad quæ suus sermo*, etc. Deinde Victorius, *et ea in collibus*, pro *fortius collibus.*

[e] Ita emendant mss. nostri post Victorium. Martianæus hiulco sensu retinuit, *et omnes hæretici, quorum scientia*, etc. Leviora inferius castigantur.

644 tunc conscientia peccatorum suorum, semper mortem, semper judicium formidabunt, et ad levem febriculam, quasi latrones in carcere, ita de æternis suppliciis suspirabunt. *Madian* autem in lingua nostra sonat *ex judicio*, id est, condemnationem, et ostenditur quod metu judicii æternarumque pœnarum semper in formidine sint, et cruciatus quos sentiunt se [*Al.* se sciunt] mereri, pavore quotidiano sustineant.

(Vers. 8, 9.) *Numquid in fluminibus iratus es, Domine: aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? quia ascendens* [Al. *qui ascendisti*] *super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es. Semper.* LXX : *Numquid in fluminibus iratus es, Domine: aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus? Qui* [Al. *Quia*] *ascendens super equos tuos, et equitatio tua salus: intendens, extendens arcum tuum super sceptra, dicit Dominus. Diapsalma.* Ubi Septuaginta *diapsalma*, et Aquila *semper*, cæteri ut supra similiter transtulerunt. Et quia ad tropologicam interpretationem festinat oratio, breviter secundum litteram sensum capituli comprehendens, pergam ad reliqua. Sicut Jordanem, et mare siccasti Rubrum, pro nobis dimicans : non enim fluminibus et mari iratus es, aut quidquam insensibilia offensionis contrahere potuerunt : ita nunc quadrigas conscendens tuas, arcumque corripiens, salutem dabis populo tuo, et juramenta quæ jurasti patribus nostris et tribubus, explebis in sempiternum. Quod autem dicit : Numquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus? dicit ambigue, et interrogantis magis eloquio quam probantis. Sunt enim et bona flumina, sunt et mala. Est mare pessimum, et est mare optimum. Bonorum fluminum illud exemplum est : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV, 4). Et quod qui de aqua Domini biberit, fluent de ventre ejus flumina aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). Malorum illud quod Pharao loquitur in Ezechiele : *Mea sunt flumina, et ego feci illa* (*Ezec.* XXIX, 9), in quibus draco habitat, et multa his similia. Quod autem mare in bonam partem accipiatur, psalmus vicesimus tertius testimonio est, in quo

645 tropologice de Ecclesia dicitur [a] sub οἰκουμένῃ, id est, orbe terrarum : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et omnes qui habitant in eo : ipse super mare fundavit eum, et super flumina præparavit illum*, id est, *orbem*. Quod autem a Domino fundatur super flumina, et præparatur super mare, utique in bonam partem accipitur. Necnon et illud quod de vinea dicitur quæ translata est de Ægypto : *Extendisti propagines ejus usque ad mare, et usque ad flumina flagella ejus* (*Psal.* LXXIX, 12), usque ad mare puto quod in bonam partem possit accipi. Et dicimus verba divina quæ manifestiora sunt, et quasi potum sitientibus præbent, hæc dici flumina : ea autem quæ plena sunt sacramentis, et in profundo posita (de quibus dicit Apostolus : *O profundum sapientiæ et scientiæ Dei* (*Rom.* XI, 33)! et Propheta consonat : *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX), mare in Scripturis appellari. Hoc de eo quod possit et mare in meliori parte sentiri. Quod autem accipiatur et in contrario, multa testimonia sunt, de quibus illud et in Psalmis est : *Hoc mare magnum et spatiosum : ibi naves pertransibunt, animalia parva cum magnis. Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 25, 26). Et de Evangelio quando Salvator increpuit ventos et mare et dixit ei : *Tace et obmutesce* (*Mar.* IV, 39). Quod enim increpatur, malum est, juxta illud Zachariæ : *Increpet Dominus in te, diabole* (*Zach.* III, 2). Et ad Timotheum : *Argue, consolare, et increpa* (II *Tim.* IV, 2). Propheta itaque sciscitante : Numquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus? nos dicamus si Ægypti flumina sunt, et mare rubrum atque sanguineum; irascitur Dominus et percutit ea, et toto impetu fertur in gurgites, elevantes se contra scientiam Dei. Unde mare vidit et fugit (*Psal.* CXIII), præsentiam Dei ferre non sustinens. Et Jordanis reversus est retrorsum, cedens gloriæ populi transeuntis, qui et ab Elia scinditur et ab Elisæo. Ut autem manifestius loquar, hæreticorum eloquentiam quæ contra veritatem et Ecclesiam fluit, intellige flumina, quibus irascitur Dominus. Animas vero eorum qui circumferuntur omni vento doctrinæ, et semper malitia fluctuant, 646 et [b] salsis gurgitibus obruuntur, animadverte mare super quod impetus Domini fit, et sentiat ejus adventum, et sciat quibus terminis et obice concludatur, et audiat : *In te conterentur fluctus tui*. Quod si bona sunt flumina et bonum mare, lavatur in illis Jesus, et Ecclesiam suam super hujuscemodi mare collocat. Post hæc sequitur : *Qui ascendens super equos tuos, et equitatio tua salus*. Quæro equos super quos ascendat Dominus, et puto non esse alios nisi sanctorum animas, super quas ascendit sermo divinus, ut et ipsas salvet, et alios per eas. Ponamus equorum exempla. Sponsus loquitur in Cantico canticorum : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavit te, proxima mea* (*Cant.* I, 8). Non quod Christus Ecclesiam, vel sermo Dei animam quam sponsam suam vocat, quadrigis comparet Pharaonis ; sed quod omnis anima quamvis sancta sit atque perfecta, ad Deum comparata, quasi currus Pharaonis sit, et jumentum. Unde et Moyses loquitur ad Dominum : *Ego autem sum* [c] ἄλογος, id est, *irrationalis* (*Exod.* IV, 10). Et David : *Ut jumentum factus sum apud te* (*Psal.* LXXII, 23). Non quod absolute jumen-

[a] Concinnius apud Victor., *dicitur ἡ οἰκουμένη, id est, orbis terrarum.*

[b] Quod solemne Martian. peccat, *falsis*, pro *salsis*, hic quoque retinuit.

[c] Notatum Victorio Exodi cap. VI, ubi nos habemus, *cum incircumcisus sim labiis*, Græce apud Septuaginta legitur, ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι, hoc est, *sum irrationalis*. Quod aliis verbis dixit David, *Ut jumentum factus sum apud te.*

tum sit; sed quod apud Deum jumentum sit. Iis equis illi contrarii sunt quos habet Pharao, et de quibus dicitur: *Equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv, 2): hujuscemodi equitatio non salus est, sed perditio. Quæramus et alios equos, quibus ascendit Dominus: In quarto Regnorum libro legimus, surrexisse mane ministrum Elisæi, et egressum vidisse exercitum ambientem civitatis muros, et equos et currus (IV *Reg.* vi). Et postquam ad preces prophetæ aperti sunt oculi ejus: *Aspexit*, inquit, *et ecce mons plenus equis, et quadrigæ igneæ in circuitu Elisæi.* Diligenter attende quod equi videantur et currus, et tamen in tantis millibus equorum et curruum nullus ascensor: horum equorum ille erat auriga et ille rector de quo Psalmista canit: *Qui sedes super Cherubim ostendere* (*Psal.* lxxix, 2). Talibus equis talique curru et Elias raptus ad cœlum est (IV *Reg.* ii). Si quis autem de Zacharia vult discere qui sint equi rufi, et qui nigri, et qui varii, et qui albi egredientes de myrtetis, et de montibus in profundo positis, **647** sive, ut in Septuaginta scriptum est, *æreis*, in ipso propheta, si Dominus vitæ spatium dederit, conabimur explanare (*Zach.* i). Vidit et Joannes equos candidos, et sessores eorum (*Apoc.* vi): e quibus corpora in gloria resurgentium puto esse equos candidos; sessores autem sanctorum animas. Si quis vero peccator est, et mei similis, sedebit in equo nigro, et dicetur de eo: *Dormitaverunt omnes, qui ascenderunt equos* (*Psal.* lxxv, 7). De talibus equis scriptum est: *Fallax equus ad salutem* (*Psal.* xxxii, 14): caro enim concupiscit adversus spiritum, et sapientia ejus inimica est Deo. Hoc dictum sit de his qui corpora diligunt, et in nigris sedent equis. Nos autem animas nostras in equos, et in currus Domini præparemus, qui ascendit in Paulo, ascendit in Petro, et in hujuscemodi curribus equitans, totum lustravit orbem. Intendens quoque arcum sive sagittas suas, sceptra, id est, regna adversum quæ Jeremias missus est, eradicavit, destruxit et perdidit (*Jerem.* xviii): fecitque ut non regnaret peccatum in mortali nostro corpore. Sceptra autem, id est, regna diaboli, quæ ostendit et Domino, intellige diversa peccata, avaritiam, luxuriam, iracundiam, detractionem, furta, perjuria, adversum quæ sermo Dei sedens in equis, et in curribus suis intendit [a] fulgoris sui contorta spicula, et interim non emittit, ut qui ad extentum arcum territus fuerit, emissionem non sentiat sagittarum. Et hoc facit *semper*, quod Aquila interpretatus est, pro *diapsalmate*. Semper enim sedet [*Al.* sedit] in sanctis suis, semper armatus est. Et acutas sagittas in linguis eorum præparans equitat, et huc illucque discurrit in orbis salutem.

(Vers. 10.) *Fluvios scindes terræ.* LXX: *Fluviis scindetur terra.* Quia suscitavit Dominus arcum suum, ut tribubus juramenta redderet quæ locutus est, consequenter dicitur, fluvios scindes terræ, id est, reges terræ adversum populum tuum dimicantes, divides atque disperges. Juxta Septuaginta autem, qui dixerunt: *Fluviis scindetur terra*, primum ponamus exemplum, ut hoc quasi gradu ad altiora veniamus. Legimus in his qui de mirabilibus confecerunt volumina, et qui Olympiadas Græciæ ad nostram usque memoriam perduxerunt, exponentes quid in singulis annis novi **648** acciderit in mundo, quod inter cætera terræ motu eruperint flumina, quæ ante non fuerant, et rursum alia absorpta sint, et pessum ierint: quod scilicet omnes terrarum venæ, quasi in humano corpore sanguinem, ita in se habeant latentes aquas, quæ terræ concussione rumpantur, et manent in flumina. Hoc si intelleximus, videamus animam humanam habere in se naturaliter aquas et fluvios, et per socordiam nostram, eos esse absconditos, et non fluere. Cum autem ad prædicationem sermonis Dei concussa fuerit, et de priori statu mota, tunc erumpere quod latebat, et in refectionem potantium [*Al.* potentium] fluere. Hoc ipsum reor et illud significare in Genesi quod fodiuntur putei a servis Isaac, quos ab Abraham factos Philisthiim terra obruerant (*Genes.* xxvi). Quamdiu vivit Abraham, putei illius non clauduntur: illo autem mortuo, et puteis obturatis, si servi fodiunt, contradicunt Philisthiim, et jurgium est. Si vero ipse veniat Isaac, et fodiat puteum, et inveniat aquam, Philisthiim non valent contradicere. Vide Petrum et Paulum, et de puteis Christi fluviisque non ambiges. Cerne omnes apostolos, et jam non quatuor flumina, sed duodecim fluvios intelliges exire de paradiso Scripturarum. Isti fluvii antequam terra commoveretur, latebant, et cum essent in terræ venis, sitientibus pocula non præbebant. Postquam vero ad adventum Christi orbis et omnis terra concussa est, subito proruperunt, et tunc completum est: *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, a malitia habitantium in ea* (*Ps.* xxxiii). Posuit desertum in paludes aquarum, et terram sine aqua in fontes aquarum: et habitare fecit ibi esurientes, et constituerunt civitatem ad habitandum. Postquam enim Dominus venit in mundum, et completum est illud quod dixit in Evangelio: *In judicium ego in mundum istum veni ut qui non videbant, viderent, et qui videbant, cæci fierent* (*Joan.* ix, 39): tunc terra Israel de qua fluvii ante manabant, et irrigabant universum Judææ populum, aruit, et fontes illius obturati sunt. Universus autem orbis qui erat desertus et sterilis, et aquas prædicationis Dominicæ non habebat, versus est in paludes **649** aquarum: et quot doctores emisit, tot habuit et fontes. Nec sufficit [b] eis, fontibus videlicet atque fluminibus, irrigare orbis populos; sed in unaquaque provincia eos qui esuriebant et patiebantur famem sermonis Dei, in unum populum congregantes, exstruxerunt Ecclesiam, quæ dicitur civitas ad inhabitandum, et quam lætificat impetus fluminis.

[a] Maluit Victorius, *fulguris*, ex septem Florentiæ exemplaribus.

[b] Regin. ms., *Nec suffecit eis, fontibus atque fluminibus*, etc., absque *videlicet*.

(Vers. 11 seqq.) *Viderunt te, et doluerunt montes: gurges aquarum transiit : dedit abyssus vocem suam : altitudo manus suas levavit : sol et luna steterunt in habitaculo suo : in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. In fremitu conculcabis terram : in furore obstupefacies gentes : egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo : percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. Semper.* Solam nostram editionem posuimus, ut juxta eam, id est, juxta Hebraicum, texentes consequentiam loci, postea LXX commatice per capitula disseramus. Viderunt te, Deus, et doluerunt montes : excelsa scilicet regna, et sublimes hujus sæculi potestates, et quadrigæ quatuor in Zacharia, quæ egrediuntur de montibus æreis (*Zacch.* VI) : hæ te viderunt et intremuerunt. Et gurges aquarum transiit : hoc est, omnis eorum impetus, et persecutio, qua vexabant populum tuum, postquam te viderunt, transiit. Tunc abyssus, hoc est, inferi laudaverunt te : tunc etiam superi, id est, angeli in plausum suis manibus concreparunt, ut victorem veluti gestu quodam et tripudio elevatarum manuum demonstrarent. Sol tuus et luna, et omnis splendor, quo prius illuxeras populo tuo, et malorum postea pondere, universa fuerant tenebrarum horrore cooperta, receperunt lumen suum, et pristinum habuere fulgorem. Sagittæ tuæ et fulgurans hasta tua, id est, plagæ tuæ, et eruditio tua, lumen tuo populo præbuerunt. Denique in luce sagittarum tuarum, et in splendore hastæ tuæ, quæ eos ad hoc corripuit, ut emendaret, ambulavit populus tuus in fremitu tuo. Quando ergo populi tui vindicabis injuriam, terrena regna calcabis, et omnes gentes admirari facies, quia egressus es in salutem **650** populi tui, et venisti ad eos cum Christo tuo : licet in Hebraico scriptum sit : *Egressus es in salutem populi tui cum Jesu Christo tuo :* sive *cum Salvatore Christo tuo :* Jesus enim *Salvator* interpretatur. Veniente autem Jesu Christo Filio tuo, percussisti Antichristum de domo impii, hoc est, in hoc sæculo, quod in maligno positum est : sive ipsum diabolum percussisti, qui impietatis caput est, et denudasti fundamentum ejus usque ad collum, id est, abscondita ejus aperta fecisti, non ad breve tempus, sed in perpetuum : hoc enim significat SELA, id est, *semper.*

LXX : [a] *Videbunt te, et dolebunt,* sive *parturient populi ; ὠδινήσουσι* quippe utrumque significat. Consequenter rupta terra, et fluviis manantibus, populi qui de fluminibus Dei biberant, videbunt Deum, atque parturient. Ex hoc enim ipso quod vident Deum, statim Dei verbo concipiunt et dicunt : *A timore tuo, Domine, in utero suscepimus, et parturivimus et peperimus : spiritum salutis tuæ* [b] *faciemus* A *super terram* (*Isai.* XXVI, 17, 18). *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Isti itaque populi loti a fluminibus, non jam viderunt, sed visuri sunt Deum : et cum viderint, concipient, ut possint fructus parere doctrinarum. Sed quia dicuntur populi, et populorum non est videre faciem Dei, licet in futurum extendatur oratio, videbunt et parient : tamen juxta tropologiam magis Hebraicum sequendum est, ubi dicitur : *Viderunt te, et pepererunt montes :* montium enim est videre Deum et parere filios, quos de Dei concepere sermone.

LXX : [c] *Disperge aquas itineris.* Diversæ aquæ sunt : aliæ sempiternæ, aliæ breves. De sempiternis aquis, et quæ fluunt de fontibus Israel, dictum est : *Fluminibus scindetur terra.* De subitis, et ad tempus B currentibus : *Omnes torrentes vadunt in mare.* Talium enim aquarum finis perditio est. Deus ergo omnes aquas quæ a perversis dogmatibus conculcatæ sunt, disperget, cum dissipaverit consilia principum, et sapientiam mundi hujus. Si quando videris ad breve aliquam hæresim floruisse, et postea Dei gratia dissipatam, dicito esse **651** completum : *disperges aquas itineris.* Potest autem hoc quod dicitur, *itineris*, subaudiri *diabolici*, ut sit sensus : Aquas quas diabolus conculcavit, et quæ multis in se præbuerunt iter, id est, multis patuerunt erroribus, dividet Dominus atque disperget. Unde et cæteri interpretes, furorem volentes hæreticum describere, transtulerunt : *Illisio*, vel *impetus aquarum transiet.* Feruntur enim prono eloquentiæ cursu et C præcipites, ut quemcumque obvium et levem invenerint, secum trahant.

LXX : *Dedit abyssus vocem suam altitudinem phantasiæ* [d]. Abyssus sæpe in bonam partem : sæpe in malam, interdum indifferenter accipitur. In bonam partem : *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Et : *Abyssus abyssum invocat* (*Psal.* XLI, 8), et reliqua. In malam : *Viderunt te aquæ, Deus* (*Psal.* LXXVI, 17), et reliqua. Sed et dæmones deprecantur, ne mittantur in abyssos (*Luc.* VIII), et in Genesi : *Abyssus super quam tenebræ erant* (*Genes.* I, 2), nescio an in bonam partem possit accipi. Indifferenter autem ibi ponitur : *Rupti sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt* (*Ibid.*, VII, 11). Et illud in centesimo quadragesimo octavo psalmo : *Dracones* D *et omnes abyssi : ignis et grando et spiritus procellarum,* nisi forte ex eo quod inter dracones, et ignem et grandinem ponitur, in malam partem trahendum sit. Quod nescio utrum possit dicere, qui eam viderit cum cæteris in laudem Domini concrepare. Si igitur in bonam partem acceperimus abyssum, dicamus, dispersis aquis itineris pessimi [*Al.* pessimis], viderunt te sapientes tui, et altitudinem scientiæ,

[a] Priora verba, *Videbunt te*, nostri mss. supplent.

[b] Rescribit Victorius ex Hebræo, Vulgata, atque ipsiusmet Hieronymi in Commentariis in Isaiam lectione, *quem fecimus.* Quod vero ait in Græco, ὃ ἐποίησας, legi minori numero, unius alteriusve est exemplaris; pleraque enim eaque emendatiora, ὃ ἐποιήσαμεν, *quem fecimus*, præferunt.

[c] Hic atque infra in Commentario *disperdendi*, pro *dispergendi* verbo Regin. ms. utitur : in Græco autem est σκορπίζων, *dispergens.*

[d] Addit Regin. ms. *suæ*, verius adj. Græcum φαντασίας αὐτῆς.

quam habebant ex tuo aspectu mutuantes (quia viderunt te et parturierunt montes), quidquid de te prius opinati sunt, in vocis suæ laudibus protulerunt. Et pulchre opinationem phantasiæ, altitudinem vocat, juxta Jesum filium Sirach, qui ait: *Abyssum et sapientiam quis investigabit* (*Eccl.* I, 2)? Unde et de monte modico (*Psal.* XLI), id est, assumptione humani corporis, quam Daniel lapidem abscissum de monte sine manibus, id est, sine opere nuptiali, vocat (*Dan.* II), Christus abyssus invocat Patrem alteram abyssum, in voce cataractarum suarum (*Psal.* XLI), ut det evangelizantibus verbum virtute multa. Vel certe abyssus novum Testamentum, in testimonium montis modici, a quo vulneratus est princeps Tyri, invocat **652** abyssum veteris Testamenti, ut per cataractas Christi, id est, apostolos, firmior fiat prædicatio. Si quis autem voluerit hoc quod dicitur: *Dedit abyssus vocem suam, altitudinem phantasiæ suæ* (*Isai.* XIV), in malam partem accipere, illo utetur argumento, quod post dispersas aquas itineris, quæ utique in malam partem acceptæ sunt, et hoc recte in contrarium sentiatur. Simulque cerne quod non dixerit altitudinem suam; sed, altitudinem phantasiæ suæ, id est, umbræ et imaginis. Videntur enim habere altitudinem et scientiam Scripturarum; sed omnis eorum altitudo, veritati comparata, phantasia est, et frustra extollit vocem, quia aquæ itineris jam dispersæ sunt. Quæramus in Scripturis sicubi phantasiam in bonam partem invenire possimus, et cum vel raro vel numquam fuerit inventa, firmius abyssum, et phantasiam ejus in malam partem interpretabimur.

LXX: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.* Si simplicem interpretationem sequimur, ex præsentibus verbis profectus solis demonstratur et lunæ: quod, juxta Isaiam, in futuro sæculo septuplum sol luceat, et luna solis fulgeat claritate (*Isai.* XXX, 26). Quia enim creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII), quæ nunc vanitati subjecta est, propter eum qui subjecit eam in spem libertatis, cum in consummatione mundi omnis creatura fuerit liberata, liberabitur et sol et luna, et in suo stabunt ordine. Quod si voluerimus, solem justitiæ Christum accipere, in cujus pennis sanitas est, et lunam, quæ hujus solis splendore illuminantur, Ecclesiam: non difficile est dicere, quod lux vera, et lux hominum et splendor gloriæ Dei, et splendor lucis æternæ eam illuminet: quæ nunc in isto sæculo juxta prospera atque pressuras crescat atque decrescat. Cum autem sol fuerit elevatus, et juxta Apostolum, exaltaverit eum Deus, et donaverit ei nomen super omne nomen (*Philipp.* II): tunc etiam Ecclesia, quæ in præsenti sæculo tenere suum ordinem non potest, ad ordinem debitum revertetur, et nequaquam mutabitur; sed fixo stabit gradu, et audiet cum Moyse: *Tu autem hic sta mecum* (*Exod.* XXXIV, 2).

LXX: *In luce* [Al. *lumine*] *jacula tua ibunt, in splendore coruscationis armorum tuorum.* **653** Jacula Dei, id est, sagittæ euntes atque pergentes, non ad hoc mittuntur ut interimant, sed ut illuminent. Ad harum sagittarum jaculorumque distinctionem, Christus electum jaculum dicitur per Isaiam vociferans: *Posuit me ut jaculum electum, et in pharetra sua abscondit me, et dixit mihi: Magnum est tibi hoc, vocari te servum meum* (*Isai.* XLIX, 2, 3). Hæc sagitta plures habebit [*Al.* habet] sagittas, quas mittat in universum orbem. Unde et sponsa electo jaculo vulnerata dicit: *Vulnerata charitate ego* (*Cant.* IV, 9): juxta quod et nos possumus dicere: vulneratus [a] castitate ego, vulneratus sapientia ego. Quo sapientiæ jaculo vulnerata et Regina Austri non erat in se, et obstupefacta plus inveherat in vero Salomone, quam ei fama narraverat (III *Reg.* X). Hæ igitur sagittæ quæ mittuntur in lucem, pergunt etiam in splendore coruscationis armorum ejus, id est, Dei. Quicumque enim armatus fuerit, ut stet contra versutias diaboli, et accinctus armatura Apostoli (*Ephes.* VI), venient ad illum jacula lucis, ut ad ipsum possit dici: *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14). Si quis autem peccator est, et ingemiscit quod habitet in tabernaculis Cedar, mittuntur ei sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX), ut primum compungatur sermonibus Dei, et dicat: *Versatus sum in miseria, cum infigitur mihi spina* (*Psal.* XXXI). Et postquam compunctus fuerit, tunc ei desolatorius per Seraphim, id est, ardentem sermonem Dei, carbo mittatur, qui non solum labia, quæ Isaias tantum habebat immunda (*Isai.* VI), sed et omnes partes membrorum ejus excoquat, et ad solitudinem peccatorum reducat.

LXX: *In comminatione imminues terram, et in furore detrahes gentes.* Potest hoc in consummatione mundi accipi, quando, frequentibus bellis interfecta multitudine, rari homines reperientur, et hi qui noluerunt esse de populo Dei, sed gentes et ethnici permanserint, furore Domini deducantur ad tartarum. Sed melius est, ut imminutam comminatione terram, interpretemur opera terrena, et eos qui constituti in Ecclesia, peccatores non exspectant, ut furore Domini corripiantur; sed audientes in Scripturis, quæ supplicia impendeant peccatoribus, agunt pœnitentiam, et paulatim imminuunt terram suam, ad **654** cœlumque proficiunt. Si quis nostrum comminationem Domini reformidat, huic terra imminuitur: qui autem perseverat in gentium numero, et non vult esse de his quorum terra decrescit, nec de populo Dei, de quo dicitur: *Videbunt te, et parturient populi*, iste cum gentibus detrahetur in pœnam.

LXX: *Egressus es in salutem populi tui, ut salvares christos tuos.* Primum videamus quot sunt ge-

[a] Hic quoque *charitate* præfert Regin. ms. ad cujus fidem paulo post emendavimus, *in vero Salomone*, pro quo Victorius, *in verbo Salomonis*, haud quidem incongrue legit: vitiose autem Martian., *in viro Salomone*.

nera christorum, et postea tractabimus, quomodo egressus sit Dominus in salutem christorum suorum. Christi in veteri Testamento dicebantur et patriarchæ, de quibus scriptum est in Psalmis: *Corripuit reges pro eis: nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Ps.* CIV, 14, 15). Et in primo Paralipomenon libro, omnes qui de Ægypto egressi sunt christi vocantur. Chrisma quoque in Exodo (*Cap.* XXX) sacerdotale conficitur, quo postea sacerdotes in Levitico (*Cap.* VIII) referuntur uncti. Est et aliud unguentum quo reges unguntur in regno, quod in duo scinditur. Si enim David est et Salomon, id est, *fortis manu*, et *pacificus* (I *Reg.* XVI), cornu ungitur. Si vero Jehu et Azael sunt, perfunduntur lenticula (IV *Reg.* IX *et* XIX): vas autem fictile sic vocatur, id est, φακός. Sed et Cyrus, Persarum rex atque Medorum, qui de captivitate populum relaxavit (licet multi errent, et de Domino Salvatore scriptum putent), audit per Isaiam: *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus tenui dexteram, ut audirent coram eo gentes* (*Isai.* XLV, 1), etc. Et ad extremum dicitur: *Tu autem non cognovisti me*, quod de Salvatore nefas est intelligere. Est unguentum propheticum, quo præcipitur Eliæ, ut Elisæum ungat in prophetam (III *Reg.* XIX). Et super omnia unguentorum genera, est unguentum spirituale quod vocatur oleum exsultationis, quo ungitur Salvator, et dicitur ad eum: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* [Al. *suis*] (*Ps.* XLIV, 8). Participes autem eos puto, ad quos loquitur et Joannes: *Et vos unguentum habetis a sancto* (I *Joan.* II, 20). Et post modicum: *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos: et chrisma quod accepistis ab eo, maneat in vobis: et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed ipsum chrisma docebit vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium, et sicut vos docuit, manete in eo* (*Ibid.*, 26, 27). Ac ne forte qui **655** chrisma baptismi perdiderunt, desperent de chrismate reparando, scriptum est in Levitico: Quod leprosus extra castra projectus cum ad sacerdotem venerit, et lepra ipsius fuerit emundata, mittat sibi sacerdos oleum in manu sinistra, et intincto digito septies aspergat oleum coram Domino, et tangat eodem oleo auriculam ejus qui leprosus fuerat, et dextram manum, et dextrum pedem, et quod remanserit de unguento totum mittat in caput ejus (*Levit.* XIV). Cumque omnia hæc rite compleverit: tunc immolet holocaustum pro eo, et ipse christus vocetur Dei. Volo aliquid dicere; sed timeo ne negligentibus occasionem ruinæ tribuam: quod in Scripturis sanctis idem homo frequenter unctus inveniatur. Denique David tertio unctus est (II *Reg.* VI *et* XIX): quod nos non intelligamus super eo qui peccaverit; et iterum ungitur (sufficit enim leproso ut post primum unguentum perditum, ungatur secundo), sed super eo qui per dies singulos proficit, et semper ejus augetur unctio [*Al.* unguentum], et de leprosi oleo migrat ad oleum populi atque sanctorum, et de oleo populi ad oleum pervenit sacerdotum, et a sacerdotibus transcendit ad chrisma pontificis, a pontifice quoque ad regem, a rege [a] ad patriarchas, et a patriarchis pergit ad Christum, et ungitur oleo exsultationis (*Ps.* XLIV, 8), quo qui fuerit linitus, unus cum Deo efficitur spiritus, et ubi Pater et Filius est, ibi etiam ille erit. Verum hoc rarum est, et sunt vota credentium. Cæterum nescio an sequatur effectus. Dicitur enim: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætiæ, præ participibus tuis*, hoc est, eo oleo, quod hi qui tui participes sunt, aut raro, aut numquam poterunt invenire. In horum igitur christorum salutem egressus est Deus de loco suo, sicut et Michæas loquitur: *Et egredietur de loco suo ut salvet* (*Mich.* I, 3). Quia enim hi qui indigebant salute ad eum intrare noluerunt, ipse egressus est de majestate sua et de loco suo, ut eos qui foris erant duceret in terram mansuetorum regionemque viventium, de qua Adam fuerat expulsus: de qua egressus Cain inhabitavit in terra Naid (*Gen.* III *et* IV, *sec.* LXX). Sciendum autem ut supra diximus, quod ubi posuerunt LXX plurali numero, *ut salvares christos tuos*, ibi esse **656** in Hebraico LAJESUA ETH MESSIACH (לישע את משיחך), quod Aquila transtulit, *In salutem cum Christo tuo*, non quod Deus egressus sit, ut salvaret populum, et salvaret Christum suum; sed quod in salutem populi venerit cum Christo suo, juxta illud Evangelii: *Pater in me, et ego in Patre; et Pater in me manens ipse facit opera sua* (*Joan.* XIV, 10). Sed et quinta editio similiter transtulit: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Theodotio autem vere quasi pauper et Ebionita, sed et Symmachus ejusdem dogmatis, pauperem sensum secuti, Judaice transtulerunt: *Egressus es in salutem populi tui, ut salvares Christum tuum.* Et: *Egressus es salvare populum tuum, salvare Christum tuum.* Rem incredibilem dicturus sum, sed tamen veram. Isti semichristiani Judaice transtulerunt: et Judæus Aquila interpretatus est, ut Christianus. Sexta editio prodens manifestissime sacramentum, ita vertit ex Hebræo: *Egressus es, ut salvares populum tuum per Jesum Christum tuum*, quod Græce dicitur ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν τὸν Χριστόν σου. Cui sensui potest illud adaptari, quod egressus sit Pater cum Filio de templo et de cæremoniis Judæorum, dicens: *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* XIII, 35); et [b] venerit ad salutem gentium, ut salvaret credentes per Jesum Christum Filium suum.

LXX: *Misisti in caput impiorum mortem.* Non putemus de hac dici morte communi qua omnes morimur, et mortuus est Abraham, et appositus est ad patres suos (*Genes.* XXV); et prophetæ, et ipse Christus est mortuus (*Joan.* XIX), sed mors missa

[a] Perperam Martianæus verba, *ad patriarchas, et a*, prætermisit, legens *a rege ac patriarchis.* Mss. nos et editique libri alii supplent.

[b] Regin. ms., *et venit ad salutem credentium*, *al*, etc.

est in iniquos (1 *Reg.* II, 6); ut qui prius vivebant iniquitati, mortui peccato, viverent justitiæ (1 *Pet.* II). Quod quidem et Anna in oratione sua significat: *Dominus occidit et vivificat.* Occidit enim peccatores, mittens in capita impiorum mortem, ut vivificet justitiæ. Dicam aliquid audacius: Christus ad hoc venit in mundum, ut in capita iniquorum mitteret mortem. Et sicut ipse peccato mortuus est semel (1 *Pet.* III): sic et illi morerentur iniquitati; et qui facti fuerant participes mortis hujus, vitæ quoque participes fierent. Juxta Hebraicum autem ubi scriptum est: *Percussisti caput de domo impii*, caput, ut dixi, principem hujus mundi accipiamus: **657** et domum ipsius, mundum, omnemque animam peccatoris, in qua diabolus habebat hospitium. Idcirco autem percutitur caput in domo impii, ut, illo percusso atque ejecto, fiat domus Dei, et habitet ibi justitia, et inambulet in ea. Et hoc dignum est sentire de Deo, qui egressus est in salutem populi sui cum Christo suo, ut, percusso hujuscemodi capite, ille fiat in nobis caput, qui est omnis viri caput et Ecclesiæ suæ. Si quis ergo impii se adhuc sentit domum, Filii Dei deprecetur adventum, ut conteratur in se impii caput.

LXX: *Suscitasti vincula usque ad collum in finem.* Suscitavit Dominus vincula charitatis, ut priori onere deposito, et gravissimo jugo quo premebamur abjecto, leve Christi susciperemus jugum; et in curru illius positi, aurigam optimum portaremus. Quod quidem et Theodotio in bonam partem accipiens ait: *Ornasti fundamentum usque ad collum.* Quinta editio: *Denudasti*, sive, *evacuasti fundamentum usque ad collum*, *sela*, id est, *semper.* Quia enim fundamentum Christi, quod erat in anima singulorum, allophyli terra obruerant, egeritur congesta humus, et nudatur optimum fundamentum, et ornatur, ut quod latebat, appareat et suam recipiat claritatem, et hoc fit in sempiternum, quod Hebraice dicitur SELA. Simulque considera quod ipsi LXX, rerum necessitate compulsi, qui semper *sela* interpretabantur *diapsalma*, nunc transtulerunt, *in finem.*

(Vers. 14 seqq.) *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exsultatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Audivi, et conturbatus est venter meus: ad vocem contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis meæ* [Vulg. tacet *meæ*], *ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Et nunc tantum Hebraicum disserimus [*Al.* posuimus], ut separatim de editione Septuaginta disseramus, multum enim ab omnium translatione discordat: *Maledixisti*, inquit, *sceptris*, id est, regnis ejus: haud dubium quin impii, de quo supra dixerat: *Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum usque ad collum.* Intelligimus autem impium, vel Nabuchodonosor, vel omnem adversarium **658** populi Dei. Et non solum sceptris ejus, sed etiam capiti bellatorum quos percusseras, qui venerunt ut turbo, ut dispergerent me, id est, ut everterent Israel, et in diversum captivum deducerent. Ita autem exsultabant devorantes pauperem, et subjectum sibi Israel, quasi hoc in abscondito facerent, et nos, ignorante te, devorarent. Venisti itaque ad prælium pro populo tuo, et quadrigas tuas immittens in aquas, hoc est, in gentes multas, fecisti eis viam in luto aquarum multarum, id est, ut conculces eos, et quasi lutum equorum tuorum et curruum ungula et rota conteras. Quod autem sequitur: *Audivi, et conturbatus est venter meus: ad vocem* (ut subaudiatur, *tuam*) *contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum*, hic est sensus: Nunc libenter omnes patimur angustias, et ad comminationem tuam totis visceribus contremiscimus. Nunc tremunt labia mea, et pavor mentis trepidæ in ore signatur, et non solum istud, sed etiam aliud ultro appeto et ultro desidero: ingrediatur putredo in ossibus meis [*Al.* ossa mea], et subter me scateat; hoc est, libenter patior quod passus est Job, non solum carnes meas, sed medullas quoque ossium cupio tabefieri, et stratum meum putredine corporis et innumeris scatere vermibus, ut postquam hic pro peccatis meis hæc sustinuero, requiescam in die amara, in die tribulationis, in die necessitatis et angustiæ. Et ascendam ad populum accinctum nostrum, fortem videlicet, bellatorem atque pugnacem. Et pulchre, *ascendam*: ad accinctum enim populum semper ascenditur. Eleganterque *nostrum*: qui enim tribulatus est, et pressuras libenter sustinuit, et præsentibus malis futura præmia compensavit, *nostrum* audacter loquitur, ut juxta Abraham, Isaac et Jacob, et ipse dormiat in senectute bona plenus dierum, et apponatur ad patres suos. Quod si quis dixerit: Ecce in historiæ expositione dum nescis, allegoriæ clausus es retibus, et tropologiam historiæ miscuisti. Audiat non semper metaphoram historiæ, allegoriam consonare: quia frequenter historia ipsa metaphorice texitur, et sub imagine mulieris, vel unius viri de toto populo **659** prædicatur. Et nunc ergo possumus dicere ex persona populi: Libenter captivitatem subeo, æquo animo angustias sustineo, et gravissimo Babyloniorum premor jugo, et quidquid ultimæ et duræ necessitatis est, gaudens patiar (*Al.* patior): tantum ut eo tempore requiescam quo maledices sceptris impii, et equi tui calcabunt lutum aquarum multarum, ut postea cum sanctis tuis Zorobabel et Jesu filio Josedec, et Esdra sacerdote, et Nehemia in terram repromissionis revertar. Hucusque ne omnino prætermittere historiam videremur, quodammodo vim fecimus intellectui, et in captivitatem traximus sententias non sequentes: nunc ad Septuaginta translatores, et ad expositionem tropologicam revertamur.

LXX: *Divisisti in stupore capita potentium.* Sicut

Ecclesiæ et omnis viri Christus est caput (I *Cor.* XI), ita [a] cunctorum dæmonum qui in hoc sæculo debacchantur, caput est Beelzebub princeps dæmoniorum, et singulæ eorum turmæ habent capita et principes suos. Verbi gratia, spiritus fornicationum habent præpositum suum, spiritus avaritiæ habent ἄρχοντα suum, spiritus vanæ gloriæ, spiritus mendacii, spiritus infidelitatis habent præsides [b] malitiæ suæ. Deus itaque clementissimus qui miserat in capita iniquorum mortem, qui suscitaverat vincula usque ad collum, in finem dividit etiam capita potentium in stupore, ut primum principes separet a subjectis, et quasi corpus decollet a capite, et ubi caput pessimum fuerat, ibi caput optimum reponatur. Ponamus exemplum, ut quod dicimus manifestius fiat : si quando tyrannus obtruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, et statuæ; et vultu tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus qui vicerit, facies superponitur, ut manente corpore, capitibusque præcisis, caput aliud commutetur. Hoc mihi intelligere libet de hæreticorum conciliabulis, quod capitibus hereseων a cæteris populis separatis, in loco eorum caput esse Christus incipiat. Simulque considera Scripturæ sanctæ significantiam, **660** quod non dixerit, præcidisti, vel succidisti capita potentium, sed divisisti : quod enim dividitur, non tam amputatur et perditur, quam separatur in partes. Ut quomodo in fabricatione turris (*Genes.* XI), lingua quæ male unita fuerat, separata est, et pessimum fœdus utili divisione conscissum : sic et capita hæc quæ cum corporibus suis (*Al.* sive) inter se videbantur habere consensum (plura enim hæreticorum capita sunt, quæ cum diversos oculos habeant, tamen in una, ut ita dicam, lingua blasphemiæ adversum Ecclesiam latrant), dividerentur in partes, et a deceptis corporibus separata, bono capiti locum facerent. Possumus hoc versiculo uti, si quando reges et duces eorum Christianum viderimus sanguinem fundere, et postea ultionem Domini consecutam. Quod dudum in Juliano, et ante eum in Maximiano, et supra in Valeriano, Decio, Domitiano, Nerone perspeximus; et dicere ad Dominum cum exsultatione et oratione in Cantico : *Divisisti in stupore capita potentium*, hoc est, in stupore credentium, vel in stupore cunctarum nationum, quæ eos non putabant tam cito posse concidere. Dum adhuc essem puer, et in grammaticæ ludo exercerer, omnesque urbes victimarum sanguine polluerentur, ac subito in ipso persecutionis ardore Juliani nuntiatus esset interitus, eleganter unus de ethnicis : « Quomodo, inquit, Christiani dicunt, Deum suum esse patientem, et ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius : ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit. » Hoc ille ludens dixerit. Cæterum Ecclesia Christi cum exsultatione cantavit : *Divisisti in stupore capita potentium.* Loquar et ego aliquid huic simile : Divide, Domine, in stupore omnium, Achab, et Jezabel (III *Reg.* XXI *et* XVIII). Non quidem ego Elias; sed tamen illi Achab et Jezabel interfecerunt Naboth, et tulerunt vineam ejus, et hortum suæ fecerunt luxuriæ (IV *Reg.* IX *et* X). Inveniatur aliquis servus tuus Abdias, qui pascat pauperem tuum atque mendicum, **661** fornicariæ sanguis detur canibus; Achab impius et avarus jaculo Domini trucidetur.

LXX : *Commovebuntur in ea* [Al. *eo*], *aperient frenos suos sicut comedens pauper in absconso* [Al. *abscondito*]. Capita cum divisa fuerint a corporibus suis, et divisa non aliter nisi in stupore, quod Græce dicitur ἐν ἐκστάσει : unde secundum eam declinatur et dicitur, ἐν αὐτῇ, hoc est, *in ea*, aperient etiam frenos suos, sive eorum (utrumque enim intelligi potest) ut illud imperium quo prius dominabantur in subjectis sibi corporibus, relaxantes dent locum meliori equiti, et meliori aurigæ. Et hoc faciant quasi comedentes pauperes [*Al.* comedens pauper] in abscondito, non habentes libertatem, nec ciborum aliquam abundantiam, sed escas modicas, quibus vescentes abscondite nullum vellent videre quod faciunt. Potest et aliter interpretari : Capita cum divisa fuerint in stupore, quasi a cætero corpore decollata, aperient os suum, quod quasi chamo condemnationis fuerat infrenatum, et in similitudinem vescentium illisis in se dentibus concrepabunt, volentia rursum comedere, sed vim devorandi non habentia. Intellige quomodo post adventum Christi capita dæmonum a nationibus, quæ sibi prius subjectæ fuerant separata, velint rursum antiquam exercere potentiam. Sed quia amputata sunt a corporibus, plenam vescendi non habeant libertatem : comedunt quasi pauperes, et non solum pauperes sunt, sed pauperes in abscondito. Pauperes sunt, quia pristinas divitias perdiderunt : comedunt abscondite, quia semper sedent in insidiis, ut in occultis interficiant innocentem. Hæc capita eosdem habent dentes quos et sagittas. Et quamvis ante dixerit, Super sidera cœli ascendam, ponam in excelsum nidum meum, et universum orbem quasi ova continebo in manu mea, tamen detrahentur de sublimibus, et perdentia supellectilem pristinam, omnemque substantiam domus suæ, vix quasi pauperes clam comedere et mordere tentabunt. Scio multum Hebraicum ab his quæ dicta sunt, discrepare; sed facere quid possum, cui semel propositum est et ipsum Hebraicum, et vulgatas in toto orbe scripturas interpretari?

[a] Ex Origene Homil. in Josue desumpta hæc quæ sequuntur pene totidem verbis sunt. Ad rem nostram hæc potissimum faciunt : *Puto magis principem quidem fornicationis spiritum unum esse : innumeros vero esse, qui in hoc ei officio pareant, et per singulos quosque homines diversi spiritus sub eo principe militantes, ad hujuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter et iracundiæ spiritum principem unum esse arbitror : innumeros vero esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines, hujusmodi vitii peccata succendant. Similiter et avaritiæ unum esse principem : sic et superbiæ, et cæterorum malorum.*

[b] Nec displicet quod præfert Regin. ms., *malitiæ :* ex quo paulo post *dividet*, pro *dividit*, legimus.

LXX : *Et superduxisti in mari equos tuos conturbantes aquas multas.* Postquam **662** miserat Deus in capita iniquorum mortem, et conciderat capita potentium in stupore, et confregerat ea in mari (scriptum est enim in Psalmis : *Tu confregisti capita draconis* [*Psal.* LXXIII, 4]) principibus interfectis, sive confractis, et victo forti venitur ad domum ejus, et universa illius vasa diripiuntur (*Marc.* XII). Vasa autem et domum fortis et supellectilem principis, quid aliud possumus interpretari, nisi mare hujus sæculi, in quo habitat draco? Superinducit ergo Deus, egregius eques et auriga præcipuus, equos suos, angelos videlicet, sublimesque virtutes super mare hujus sæculi, ut turbent aquas multas, dæmonia et contrarias potestates. Quod si voluerimus de adventu Christi interpretari, juxta illud quod in Apocalypsi (*Cap.* 19) scribitur, quod sermo Dei sedeat in equo albo et omnis exercitus in equis albis sequatur eum, videbimus quomodo Christus ascenderit in apostolis suis, dicens eis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi;* et : *Euntes, ite, baptizate omnes gentes*, et reliqua (*Matth.* XXVIII). Et postea conscenderit in uno equo candido, quem aliun non puto esse, nisi apostolum Paulum, super quem equitans, omnem orbem circuierit. Ascendit autem sermo Dei in equis suis, ut turbarentur aquæ multæ, hoc est, vel populi multi, qui ante in mari erant, et draconi tenebantur obnoxii (*Lata enim et spatiosa via est quæ ducit ad mortem* (*Matth.* VII, 13), et turbarentur, primum errorem pristinum deserentes : deinde conturbati venientem equitem susciperent). Vel certe de quibus supra diximus, dæmonum catervæ nequaquam ita dominarentur in mari; sed turbatæ cederent, et equitis præliantis vulnera formidarent. Atque utinam et in me ascendat verbum Dei, et per lanceam oris mei interficiat eum qui regnat in aquis multis, ut ad regis interitum, aquæ quæ illis subjectæ fuerant conturbatæ, præbeant colla equiti meo, et redacti in unam quadrigam, efficiamur Domini *Cherubim*, quod interpretatur *scientiæ multitudo.* Numquam enim auriga, sic compositus, et sic fertur ornatus, ut in his qui scientiæ multitudine et habenis inter se sapientiæ copulantur.

LXX : *Custodivi, et exlimuit venter meus a voce orationis labiorum meorum : et ingressus est tremor in ossa mea, et* **663** *subter me conturbata est fortitudo mea.* Sive ut alibi scriptum reperimus ἡ ἕξις μου, quod nos possumus dicere, *habitudo mea :* diversa quippe exemplaria reperiuntur. Possunt autem hæc et ex persona prophetæ dici superioribus cohærentia : Quia misisti, o Domine, in capita iniquorum mortem, et suscitasti vincula usque ad collum, et divisisti in stupore capita potentium, et induxisti in mare equos tuos conturbantes aquas multas : propterea ego omni custodia servavi cor meum, et contremuerunt viscera mea, et tota mea, vel fortitudo, A vel habitudo turbata est, ne similia sustinerem. Potest quoque et quasi suum habere principium, narrante propheta timorem suum, et quomodo formidarit ne peccaverit [*Al.* peccaret] in aliquo, et ad vocem orationis labiorum suorum compositus, tantum timuerit Deum, ut ingressus sit tremor in ossa ejus : et sub excelsa manu Domini positus, omni animæ suæ fortitudine, vel habitu [*Al.* habitudine] conturbatus sit. Quod autem ait : *Ingressus est tremor in ossa mea*, ἐμφατικώτερον accipiendum, ut videamus magnitudinem timoris Dei penetrantis universitatem animæ, et totum hominem comB ventis, ne quidquam faceret quod displiceret Deo. Et quia allegorice juxta membra corporis, animæ quoque membra Scriptura commemorat, ventrem paventem, eam virtutem accipiamus animæ, quæ spirituales cibos recipiat, et labia, quibus secum mens loquitur, et ossa robusta et solida dogmata, quibus tota animæ compago solidatur. Hæc a me breviter dicta sunt. Si quis autem his sagaciora et veriora repererit, illius magis explanationi præbete consensum.

LXX : *Requiescam in die tribulationis* [a] *meæ : ut ascendam ad populum peregrinationis meæ.* Quia omni custodia servavi cor meum, et extimuit venter meus a voce orationis labiorum meorum, et ingressus est tremor in ossa mea, et subter me conturbata est fortitudo vel habitudo mea, et propter tantam custodiam a peccatis alienus effectus sum : idcirco nunc confidenter dico : Requiescam in die C tribulationis, ut ascendam ad populum peregrinationis meæ, id est, qui æque ut ego in **664** hoc mundo peregrinatus est. Ascendam autem deorsum positus, et quasi de valle ad sublimiora nitens tota aviditate contendam, ut tempore quo cæteri in tribulatione sunt et angustia, mihi cura sit de ascensu, quomodo cum populo peregrinationis meæ requiescam in altioribus locis. Diem autem tribulationis puto consummationem esse mundi, de quo et Isaias ait : *Dies Domini insanabilis, furoris et iræ, ponere orbem terræ universum in desertum, et peccatores perdere* (*Isai.* XIV).

(Vers. 17.) *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis : mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum : abscindetur de ovili pecus, et non erit* D *armentum in præsepibus*, LXX : *Quia ficus non afferet fructum, et non erunt germina* [Al. *genimina*] *in vineis : mentietur opus olivæ, et campi non facient escas : defecerunt, eo quod comederent oves, et non sunt boves in præsepibus.* Juxta Hebraicum in quo supra diximus : *Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis : ut ascendam ad populum accinctum nostrum* [Al. *meum*] : ita quæ præcesserunt, copulabuntur sequentibus : Ideo tribulationem ad præsens volui sustinere, et postea ad populum fortem ascendere, quia veniet dies tribulationis et necessitatis, et cæ-

[a] Voculam *meæ*, quæ neque in Græco resonat, ms. Reginæ ignorat, itemque paulo post verba, *vel habitudo.*

teris in angustia constitutis, ego in tua majestate lætabor : *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis ; mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum*, et cætera. Quæ quia non multum distant a LXX, cum interpretatione eorum pariter disseramus. Cum venerit dies tribulationis, et ego ascendero ad populum qui mecum aliquando peregrinatus est : vel certe cum venerit dies eversionis Judaicæ, et populi prioris, et derelicta fuerit filia Sion, sicut tabernaculum in vinea, et sicut casula, in cucumerario, et sicut civitas, quæ [a] expugnatur, ego qui de pereunte electus sum populo (de quo dictum est (*Isai*. I, 9) : *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha, similes essemus*), copulabo me discipulis Christi : quos quia in monte docet, turbis et debilibus deorsum relictis, ego ad montana conscendam. Ficus enim non dedit fructum, ad quam venit in Evangelio esuriens Dominus, et non invenit in **665** ea poma, et maledixit ei, dicens : *Non afferes fructum usque in sæculum* (*Mat*. XXI, 19). Et diligenter considera quid dixerit : *Non afferes fructum in sæculum*, non ait, usque in sæcula sæculorum : sed cum sæculum istud pertransierit, et intraverit plenitudo gentium, tunc etiam hæc ficus afferet fructus suos, et omnis Israel salvabitur. Hæc est ficus ad quam tertio venit paterfamilias, et quasi non facientem fructus vult subvertere : pro qua agricola, cui commissa fuerat, deprecatur, ut det ei spatium, et dicit : *Domine, dimitte eam et istum adhuc annum, donec fodiam circa eam, et mittam stercus, et siquidem fecerit fructum : sin autem, tunc succides eam* (*Luc*. XIII). Agricola iste vel Gabriel est, vel Michael, cui commissus est populus Judæorum, qui Dominum deprecatur [b] in passione, et dicit : Domine, da ei spatium pœnitentiæ, et noli eos subvertere, et siquidem fecerint fructum : sin autem, tunc subvertes eos. Si fecerint, inquit, fructum, non dixit quid sustinerint ; neque dixit, si fecerint fructum, permanebunt ut erant ; sed si fecerint fructum, suspensa sententia est, ut subaudiatur, transferes eos in Ecclesiam gentium, et in alteram vineam transplantabis. Venit Dominus tertio, et non invenit in eis fructum. Dedit primum Legem per Moysen : secundo locutus est per prophetas : tertio ipse descendit. Et post [c] passionem, datis ad pœnitentiam quadraginta quatuor annis, quia non fecerunt fructum, quarto subversi sunt. Quod tamen nostræ intelligentiæ derelinquitur. In parabola enim non scribitur, quid postea fecerit paterfamilias ; sed quid tantum agricola deprecatus sit. Ex quo animadvertimus, eos qui de hac ficu fecerint fructus, ad populum gentium esse translatos, ad quem ascendit et propheta, dicens : *Requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum peregrinationis meæ.* A Eos autem qui non fecerunt fructus, et permanserunt in duritia sua, esse subversos. Hoc ipsum significat et Joannis vox in Evangelio : *Ecce securis ad radices arborum* [Al. *arboris*] *posita est. Omnis arbor quæ non fecerit fructum* [Al. *facit fructum bonum*] *excidetur et in ignem mittetur* (*Matt*. III, 10 ; *Luc*. III, 9). Diximus de ficu, monstrantes, **666** eam esse populum Judæorum : dicamus et de vinea, quod quidem facile intelliget qui Isaiam legerit : *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi* (*Isai*. V, 1). Et postea : *Et exspectavi ut faceret fructum : fecit autem spinas, et non judicium, sed clamorem*. Et in Jeremia : *Ego autem plantavi te vineam fructiferam totam veram : quomodo versa es in amaritudinem vitis alienæ* (*Jer*. II, 21) ? Et manifestius in Psalmis : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Ps*. LXXIX, 9). Hæc igitur vinea ad quam paterfamilias sæpe miserat servos (*Matth*. XXI), ut acciperet de ea vinum, quod lætificat cor hominis, quia versa est in amaritudinem, et novissime etiam patrisfamiliæ filium ausa est interficere, non uvas faciens, sed spinas, et non judicium, sed clamorem : *Crucifige, crucifige eum !* Et : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan*. XIX, 6, 15). Propterea *exterminavit illam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam* (*Psal*. LXXIX, 14). Olivam quoque populum synagogæ liquido comprobabit, qui in Apostolo fractos olivæ ramos legerit (*Rom*. XI), et nos de oleastro insertos, ut in ramis intelligamus, multitudinem Judaicam fuisse succisam, in radicibus apostolorum electionem esse servatam, in quibus nos inserti manebimus, si fecerimus fructum, et dicetur de nobis : *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal*. CXXVII, 4). Multi putant ficum, et vineam et olivam in mysterio accipi Trinitatis, quod ficus propter pomorum dulcedinem Spiritus sanctus intelligatur. Vinea ipse Dominus noster Jesus Christus, qui dicit in Evangelio : *Ego sum vitis* (*Joan*. XV, 1). Oliva autem, Deus Pater omnipotens, a quo cuncta illuminentur, et de quo egrediatur lux, et ad quem possumus dicere : O oliva, *in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal*. XXXV, 10), id est, in Filio videbimus [d] Spiritum sanctum. Ad has fructuosas arbores, et uberrimam vineam, veniunt infructuosa ligna in Judicum libro (*Cap*. IX), et rogant ut regnent super se. Sed numquam super ligna silvarum, quæ debentur incendio, regnat oliva, ficus, et vinea ; sed magis imperat eis rhamnus plena sentibus, et hericio similis, qui habitat in Babylone, et semper versatur in foveis. Quæ arbuscula non solum spinas habet, sed et ignem, vulnerans et comburens quidquid **667** attigerit. Denique egressus est ignis, et consumpsit ligna silvarum. Ut autem scias secundum superiorem intelligentiam, in qua de synagoga dictum accepimus : *Ficus non faciet fructum, et non erunt geni-*

[a] Confer Hieron. in Isaiæ cap. XXVII, ad cujus testimonii fidem rescribit hic Victor., *oppugnatur*.

[b] Brevius in Regin. ms., *deprecatur et dicit, da spatium pœnitentiæ*.

[c] Rursum idem ms., *post passionem quadraginta duobus annis, quia*, etc.

[d] Interserit hic idem ms., *lumen*.

*mina in vineis*, non de fructibus dici, sed de operibus bonis. In oliva manifeste ænigma aperitur, et dicitur : *Mentietur opus olivæ*. Fructus enim quos afferre debuerant, in operibus demonstrantur : mentietur autem opus olivæ, aliud promittentis, et aliud facientis, dicentes ad Moysen : *Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus* (*Exod.* XXIV, 7); et nolentes in eum credere, qui a Moyse prædicatus est. Campi quoque non facient fructum. Considera quod Jerusalem, quæ quondam sita erat in montibus, et montes in circuitu ejus (*Ps.* CXXIV, 2), et *fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI, 1), nunc humilis appelletur atque campestris, quæ non solum homines, id est, rationabilia non alit animalia ; sed nec pecora quidem et boves, de quibus et Salomon loquitur in Proverbiis : *Adhibe curam his quæ in campo sunt regionibus, et attonde herbam, et congrega fenum ut habeas oves ad* [a] *vescendum*. Boves quoque non erunt in præsepibus : quia ubi plena sunt præsepia, manifesta est fortitudo bovis (*Prov.* XIV, 4). Bos operarius est : bos Domini sustentans jugum : bos in cujus vestigium qui severit, beatus est. Omnia hæc auferentur a populo, quia inique egit in Deum Creatorem suum. Quod si volueris (*Al.* nolueris) diem tribulationis diem consummationis accipere, ad eos referes omnia qui dicunt se esse de Ecclesia, et non habent opera justitiæ. Et ficus, et vinea et oliva, mysterium videlicet Trinitatis, non afferent in eis fructum suum, et non solum frumenta et escas rationabilium ; sed nec cibum quidem habent in campis suis pecorum et jumentorum, et præsepia eorum vacua sunt, et pro excelsis montibus in planis humilibusque versantur.

(Vers. 18, 19.) *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me* **668** *victor in Psalmis canentem.* LXX : *Ego autem in Domino exsultabo : gaudebo super Deo salutari* [Al. *Salvatore*] *meo, Dominus Deus fortitudo mea, et ponet pedes meos in consummationem : super excelsa imponet me, ut vincam in Cantico ejus.* Ficu et vinea et oliva, juxta quod exposui, non facientibus fructum suum, et Judæorum agris non afferentibus cibos, abscissis quoque de ovili pecoribus, et armentis de præsepibus, postquam audierunt a Domino : *Relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 38), populo etiam captivitati tradito, et in toto orbe disperso, propheta de populo Judæorum, qui interpretatur *amplexatio* (eo quod amaverit Dominum, et adhæserit ei, illique se junxerit) ex persona apostolorum et populi credentis in Christo loquitur : *Ego vero in Domino gaudebo, et exsultubo in Deo Jesu meo.* Pro quo LXX transtulerunt [b] τῷ Σωτῆρί μου, id est, *Salvatore meo*. Idipsum et Gabriele interpretante : *Et vocabitur Jesus, ipse enim salvabit populum suum* (*Matth.* II, 21). Deus Dominus fortitudo mea : nullam enim aliam, nisi in Christo habebo virtutem et cunctas legis justitias, quisquilias computabo. *Et ponet pedes meos quasi cervorum*, ut calcem super aspidem et basiliscum, et quasi puer parvulus mittam manum in foramen, et extraham serpentem, ludamque (*Al.* Judam) de colubro : *Similis enim est fratruelis meus capreæ, aut hinnulo cervorum* (*Cant.* II, 9). Et quia ipse est cervus, mihi quoque donavit, ut cervus essem, sublimis cornibus, findens ungulas, cibos ruminans, et ad odorem meum serpentes fugans : de quo dicitur in decimo septimo Psalmo : *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa ponet me.* Et in vicesimo octavo : *Vox Domini perficientis cervos.* Ponet ergo pedes meos inter cæteros cervos suos, et ad cœlestia perducet me, ut inter angelos canam gloriam Domini, et super terram pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiem. Canam autem victoriam ejus [et triumphum et tropæum crucis. Hoc juxta Hebraicum et [c] quintam editionem, ad tempus Judaicæ eversionis, et ad adventum Domini cuncta referamus. Si autem voluerimus de consummatione **669** mundi accipere, sic exponendum est : quomodo in Exodo (*Cap.* IX) quando percussa est Ægyptus, et percussit Deus vineas eorum, et ficus eorum, et occidit primitiva hominum, et jumentorum in grandine, et Ægyptias fruges, bruchus, locustaque consumpsit ; ficus in Ægypto non attulit fructum, nec erant genimina in vineis eorum, mentiebatur (sicubi tamen poterat reperiri in Ægypto) opus olivæ, et campi eorum non dabant escas [ *Al.* fructum ] ; et deficiebant, eo quod non haberent cibos pecora eorum, et non erant boves in præsepibus. Populus autem Israel exsultabat in Domino, et gaudebat in Deo salutari suo : sic in consummatione mundi, quando, multiplicata iniquitate, refrixerit charitas (*Matth.* XXIV), et ficus non attulerit fructus, et vineæ non habuerint uvas, et mentitum fuerit opus olivæ, et campi non germinaverint cibos, et cætera quæ sequuntur : tunc quicumque **670** justus et electione Dei dignus fuerit inventus, loquetur exsultans. *Ego autem in Domino exsultabo, gaudebo in Deo salutari meo, Dominus fortitudo mea.* Et quasi positus a Deo super consummationem sæculi, ut postea ad superiora conscendat, et a Deo educatur ad summum, dicet : *Et ponet pedes meos in consummationem, super excelsa imponet me :* ut cum ab ἀγωνοθέτῃ Jesu, qui primus in agone superavit, præmium fuerit cantantibus positum : ego vincam in carmine ejus, et manus meæ componant citharam, et psalterium, et omne organorum genus, scribamque panegyricum triumphanti. Et qui in prin-

[a] Corrigit Victorius *ad vestiendum* : sic enim legitur Græce Prov. 27 : ἵνα ἔχῃς πρόβατα εἰς ἱματισμόν. Vulgata quoque editio, *Sint*, inquit, *agni ad vestimentum suum*. Nostri autem mss. assentiuntur, tantumque ab impressa lectione abludunt, quod *habeant* legunt pro *habeas* : scilicet, oves ad vescendum habeant, recto utique sensu.

[b] Græca verba, τῷ σωτῆρί μου, et, *id est*, in Regin. ms. non sunt.

[c] Regin. ms., *et unam editionem, ut ad tempus*, etc.

cipio locutus sum : *Usquequo clamabo, et non exau-* A laudabo æquitatem ejus, et cantores cæteros meo
*dies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis?* carmine superabo.
et de justitia ejus judicioque causatus sum : postea

# S. EUSEBII HIERONYMI

## STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM

## IN

# SOPHONIAM PROPHETAM

## LIBER UNUS.

## Prologus.

**671-672** Antequam Sophoniam aggrediar, qui nonus est in ordine duodecim prophetarum, respondendum videtur his qui me irridendum æstimant, quod [*Al.* quomodo] omissis viris, ad vos scribam potissimum, o Paula et Eustochium. Qui si scirent Oldam, viris tacentibus, prophetasse, et Debboram judicem pariter et propheten, hostes Israel, Barac timente, superasse (*Judic.* IV) : et Judith et Esther, in typo Ecclesiæ, et occidisse adversarios, et periturum Israel de periculo liberasse ; [a] numquam post tergum meum manum curvarent in ciconiam. Taceo de Anna et Elisabeth, et cæteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos, clarum Mariæ lumen abscondit. Ad gentiles feminas veniam, ut et apud sæculi philosophos videant animorum differentias quæri solere, non corporum. Plato inducit Aspasiam disputantem : Sappho cum Pindaro scribitur, et Alcæo : Themista inter sapientissimos Græciæ philosophatur : Corneliam Gracchorum, id est, vestram, tota Romanæ urbis turba miratur : Carneades eloquentissimus philosophorum, acutissimus rhetorum, qui apud consulares viros et in Academia plausus excitare consueverat, **673-674** non erubuit in privata domo, audiente matrona, de philosophia disputare. Quid referam Catonis filiam, Bruti conjugem, cujus virtus facit ne patris mariique constantiam tantopere miremur? Plena est historia tam Græca quam Latina virtutibus feminarum, et quæ integros libros flagitent [*Al.* flagitet]. Mihi tantum, quia aliud operis incumbit, in fine prologi dixisse sufficiat, Dominum resurgentem primum apparuisse mulieribus (*Mat.* XXVIII, *et Luc.*), et apostolorum illas fuisse apostolas, ut erubescerent viri non quærere, quem jam fragilior sexus invenerat.

(Cap. I. — Vers. 1.) **673** *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi,* [b] *filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ ; in diebus Josiæ, filii Ammon regis Juda.* LXX similiter. Tradunt Hebræi cujuscumque prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque prophetas fuisse. Unde et Amos [c] unus de duodecim prophetis, qui dixerat : *Non sum propheta, nec filius prophetæ : sed pastor caprarum, vellicans sycamina* (*Amos* VII, 14), patris nomen in titulo non habet. Hoc si verum est, Sophonias propheta, quem nunc conamur exponere, [d] nomine, ut ita dicam, prophetico, et gloriosa majorum suorum stirpe generatus est; habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam : et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Nomen Sophoniæ alii *speculam*, alii *arcanum Domini* transtulerunt. Sive igitur specula, [e] sive absconditum Domini interpretetur, utrumque prophetæ convenit. Dicitur enim et ad Ezechiel : *Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel* (*Ezech.* III, 17). Et in alio loco : *Non*

[a] Huic simile est quod legitur apud Persium Satira 1, Janum nulla ciconia pinsit a tergo. Id est nemo digitis dexteræ manus in unum collectis ad instar rostri ciconiarum, ridet. Manum itaque curvare post tergum in ciconiam, idem est, ni fallor, ac ridere aliquem digito sive manu curvata ad instar colli ciconiarum. In uno codice ms. S. Germani nostri a Pratis leginus *manum mitteret in ciconeam.* MART. — Irridendi modum, quem et Epist. 125 ad Rusticum, num. 18, notat : *si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut,* etc. Ex Persii Satira I :

O Jane, a tergo, quem nulla ciconia pinsit, etc.

[b] Peccat Martian. qui verba, *filii Godoliæ*, quæ præferunt libri omnes, supine satis prætermittit.

[c] Regin. ms., *Amos unum de duodecim*, et consequenter, *non habere.* Pro *non sum*, quoque ponit, *non eram.*

[d] Ferme rectius habet Regin. ms. *canone* pro *nomine :* pessime autem Martian. legerat cum addito, *qui nomine.*

[e] Interserit idem ms., *sive arcanum.*

*faciet Dominus quidquam, nisi revelaverit disciplinam suam servis suis prophetis.* Et nomi Psalmi titulus, *pro absconditis filii* interpretatur. Iste ergo prophe-ta, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat mysteria Domini, filius erat *Chusi* ( qui interpretatur *humilitas*, vel *Æthiops meus*, de quo postea tractabimus ), habebat quoque avum *Godoliam*, qui dicitur *magnitudo Domini*, et proavum *Amariam*, qui et ipse vertitur in *sermonem Domini :* et atavum *Ezechiam*, qui sonat *fortitudinem Domini.* De fortitudine itaque Domini, natus est sermo Domini, et de sermone Domini nata est magnitudo Domini, et de magnitudine Domini nata est humilitas, **674** ut cum pervenerit aliquis ad perfectum, dicat : *Non sum dignus vocari apostolus* ( I *Cor.* IX ). Et illud in Psalmis : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (*Ps.* CXXX, 1). Hucusque quasi prono lapsu, et per plana currentes, in eo quod *Chusi* etiam *Æthiops meus* interpretatur, impegimus. Nam post tantas virtutes quomodo po-men Æthiopis sonare poterit in laudem? Et siqui-dem Scriptura dixisset *Chus*, id est, *Æthiops*, vide-batur indissolubilis quæstio ; Chus quippe natus est de Cham. Sed in eo quod ait, *Chusi*, hoc est, *Æthiops meus*, videtur sonare mysterium ; quod ille qui quondam Æthiops fuerat, versus in pœnitentiam (secundum illud quod dicitur : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Ps.* LXVII, 32). Et in alio loco (*Ps.* LXXI, 9) : *In conspectu ejus procident Æthiopes*) di-cat cum sponsa in Cantico canticorum : *Nigra sum, sed* [Al. *et*] *speciosa filia Jerusalem* (*Cant.* I, 4). Le-gimus et in Jeremia Abdimelec eunuchum Æthiopem placuisse Deo (*Jer.* XXXVIII) : et in Actis apostolo-rum Æthiopem eunuchum reginæ Candacis tantum habuisse studium Scripturarum et Legis Dei, ut in vehiculo legeret : et ad adorandum Dominum in Templo ejus veniret Jerusalem (*Actor.* VIII, 9). Unde talis fides digno præmio coronatur, et mittitur ad eum Philippus evangelista, statimque docetur, credit, baptizatur, et salvus est. Et non solum eunu-chus ; sed cum additamento viri ponitur, eunuchus vir Æthiops. Quia enim eunuchus erat Christi, et se eunuchizaverat propter regnum cœlorum, propterea viri vocabulum non amiserat. Recte quoque Sopho-nias quasi filius Chusi, id est, Æthiopis, in conse-quentibus libris de pœnitentia scribit Æthiopum : *Trans flumina*, inquit, *Æthiopiæ, inde deferent hostias mihi.* Hæc de genealogia Sophoniæ, **675** qui pro-phetavit in diebus Josiæ. Quomodo autem dies di-cuntur Eliæ hi qui ab eo illuminati sunt : ita et dies Josiæ qui se levaverat ad Dominum ( quia *Jo-sias* interpretatur *elevatio Domini* ) et fuit vir justus, et de laudibus ejus, Regnorum quoque et Paralipo-menon scribit historia (IV *Reg.* XXIII, *et* II *Paral.* XXXIV ). Et habuit patrem Ammon, avum Manassen (IV *Reg.* XXI). Legimus, Manassen post multa scele-ra, et post captivitatem in Babylone, egisse pœniten-tiam, et ad meliora conversum Domini misericor-diam consecutum. [a] Unde et fidei suæ, per quam crediderat Deo, filium vocavit ἐπώνυμον, id est, *Ammon ;* siquidem AMMON (אמין) *fides* interpreta-tur. Simulque considera, quod nequaquam ut supra reges decem tribuum, id est, reges Israel ponantur ; sed reges tantum Judæ, jam enim decem tribus ab Assyriis sub rege Ezechia patre Manasse deductæ fuerant in captivitatem ( IV *Reg.* 17 ). Hoc in proœ-mio et in titulo Sophoniæ generationis et temporis. Nunc videamus quid ipsa quoque prophetia conti-neat.

( Vers. 2, 3. ) *Congregans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus, congregans hominem et pecus, congregans volatile cœli, et pisces maris : et ruinæ im-piorum erunt, et disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus.* LXX : *Defectione deficiat a facie terræ, di-cit Dominus : deficiat homo, et jumenta : deficiant vo-latilia cœli, et pisces maris : et infirmabuntur impii : et auferam iniquos a facie terræ, dicit Dominus.* [b] Hoc quod posuimus in Septuaginta, *et infirmabuntur im-pii*, de Theodotionis translatione additum est ; pro quo Symmachus interpretatus est, *et* [c] *scandala cum impiis*, ut subaudiatur, *congregabuntur*, sive *deficient:* Quinta autem editio, *et infirmitas cum impiis deficiet.* Debemus ergo, consuetudinem nostram sequentes, primum historiam texere, et postea de sublimioribus disputare. Extremum quippe regnum duarum tri-buum, quæ vocabantur Juda et Benjamin, sub Josia fuisse, nulli dubium est. Illo enim interfecto, filii ejus qui postea regnaverunt, et nepotes, non tam regnasse credendi sunt, quam ludibrio habiti fuisse ab Ægyptio rege, et Chaldæis, et varijs captivitatibus, morti-busque cruciati. Quia igitur populus poterat se excusare **676** in regibus malis, et dicere : Nos volumus ser-vire Deo, sed prohibemur a regibus, datur rex ju-stus, quo zelante zelum Domini, et populo nihilomi-nus in idolorum cultu perseverante, justa iræ causa profertur a Domino, et prophetatur de eversione Jerusalem, et captivitate Juda, et victoria Nabucho-donosor. Dicitque Dominus per prophetam : Nequa-quam ultra tribuam pœnitentiam ; sed a facie terræ universa consumam : non homo, non jumentum, non volatile, non pisces maris remanebunt. Iram quippe Domini etiam bruta sentiunt animalia : et

[a] Contra fidem omnium exemplarium mss. Eras-mus et Marianus Hebraicum nomen אמין *Amon*, pro Græco ἐπώνυμον, nobis obtrudunt, tollentes pul-cherrimam Hieronymi sententiam qua statuit Ma-nassen regem post suam pœnitentiam filium vocasse *Amon*, propter fidem per quam Deo credidit. Vo-cavit igitur filium cognomine suæ fidei, hoc est, *Eponymon :* quia Hebraice *Amon*, sive *Amuna* fides dicitur, ut idem Hieronymus interpretatur. MART.

[b] Addunt iidem editores textum ex Hebraico, *et ruinæ impiorum erunt.* Quod in nullo reperitur codice manuscripto, superflue quoque additum, prudens lector intelliget. MART.

[c] Corrupte nunc ipse Regin. ms. *et in scandalæ erunt impii :* scilicet καὶ τὰ σκάνδαλα σὺν ἀσεβέσιν, scriptum a Symmacho, Barberinius Hexaplaris codex est auctor.

vastatis urbibus, hominibusque interfectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri et volatilium pisciumque, [a] testis Illyricum [Mss, Illyricus] est, testis Thracia, testis [*Al.* teste] in quo ortus sum, [b] solum, ubi præter cœlum et terram et crescentes vepres, et condensa silvarum, cuncta perierunt. Hoc autem, inquit propheta, accidet, quia impiorum fuit nimia multitudo. Corruent itaque impii et disperdentur homines, et erit solitudo super faciem terræ. Sed et de consummatione mundi idipsum accipere possumus : quod et homines, et pecora, et volatilia, et pisces maris et universa deficient, et infirmentur impii, et tollatur iniquitas a facie terræ. Quod si voluerimus et altius aliquid intelligere (propter hoc quod dicitur a Septuaginta, *Defectione deficiat a facie terræ*) [c] et defectionem in bonam partem accipere juxta illud : *Et deficiens mortuus est Abraham in senectute bona, senex et plenus dierum, et appositus est ad populum suum* (*Genes.* XXV, 8), et de his quæ de Isaac et Jacob Scriptura refert) videmus quomodo defectione deficiant a facie terræ, et hoc eos implere præceptum : Qui habentes conversationem in cœlis, et in carne, non secundum carnem militantes, eo quod sciant illos qui in carne vivunt, Deo placere non posse, quantum in se est omnia agunt ne sint in carne, sed in spiritu, et a terra recedentes aiunt : *Consuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo* (*Rom.* VIII). Quod si aliquis opposuerit adversum hoc quod in bonam partem accepimus, *defectione deficiat a facie terræ*, illud quod de Ismael scriptum est : **677** *Hi sunt anni vitæ Ismael, centum triginta septem, et deficiens mortuus est, et est appositus ad genus suum* (*Gen.* XXV, 17) : respondebimus ei primum, et ipsum Ismael filium esse Abraham, et accepisse dona et partes a patre, secundum mensuram suam : deinde absolute scriptum, *deficiens mortuus est*, et non addi (quod scriptum est de Abraham) *in senectute bona, senex et plenus dierum, et appositus est ad populum suum.* Sive de Isaac : *Fuerunt autem dies Isaac quos vixit, anni centum octoginta quinque, et deficiens Isaac mortuus est, et appositus est ad genus suum senex et plenus dierum* (*Ib.* XXXV, 28, 29). Nec non et de Jacob : *Et cessavit Jacob præcipiens filiis suis, et levans pedes super lectum defecit, et appositus est ad populum suum* (*Gen.* XLIX, 32). Ex quo intelligimus aliud esse tantum deficere, et aliud cum defectione plures pariter habere virtutes. Quod autem primum dixerat generaliter, *defectione deficiat a facie terræ* : postea in partes divisit Scriptura divina, deficiat homo, et jumenta, deficiant volatilia cœli, et pisces maris. Quatuor sunt quæ jubentur deficere, primum homo rationabilis, deinde tria quæ subjecta sunt homini, jumenta, et volatilia, et pisces quæ puto et in octavo psalmo poni : *Insuper et pecora campi; volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII, 8). Quod autem primum dixerat, oves et boves universas, quasi præcipua de jumentis separavit, et cum his quæ mansere [*Al.* remansere] jumenta numerare ea noluit. Deficiat itaque homo, deficiant jumenta, deficiant volatilia cœli, deficiant pisces : et non dixit, deficiant bestiæ, deficiant reptilia terræ, Hæ enim non debent deficere, sed perire; verum deficiant ea quæ possunt habere correctionem. Quomodo defecerunt Saræ muliebria, et jubetur Abraham ut audiat quæcumque Sara præceperit (*Genes.* XVIII; XXI). Deficit quis ut homo, si contemnat humana, et non ultra moriatur ut homo, et audiat : *Ego dixi, dii estis* (*Ps.* LXXXI, 6). Deficit alius ut jumentum, qui ad [*Al.* in] altiora conscendens [d] non accusatur sermone prophetico : *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis* [Al. *assimilatus*] *factus est illis* (*Ps.* XLVIII, 21). Deficit quasi **678** volatile cœli, qui facit sibi pennas aquilæ, et revertitur ad domum præceptoris sui dives, et omnem deserens paupertatem (*Prov.* XXIII). Deficit quasi piscis maris, qui comprehensus sagenis Domini, cum bonis piscibus separatur (*Matt.* XIII). Cum hæc juxta præceptum Domini fuerint perpetrata, infirmabuntur impii, non habentes tantum roboris quantum prius. Sed et tollentur iniqui, non dixit, *occidentur;* sed, *tollentur*, ut ad meliora conversi, de impietate et iniquitate, ad pietatem, justitiamque translati, incipiant esse quod ante non fuerant. Hæc secundum tropologiam. Debemus enim et Majorum interpretationem ponere. Jam [*Al.* Tamen] in lectoris arbitrio erit, utrum severitatem, an clementiam velit sonare quæ dicta sunt.

(Vers. 4 seqq.) *Et extendam manum meam super Judam et super omnes habitatores Jerusalem : et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æduorum cum sacerdotibus, et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom : et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt Dominum nec investigaverunt eum.* LXX : *Et extendam manum meam super Judam, et super omnes qui habitant Jerusalem : et auferam de loco hoc nomina Baalim, et nomina sacerdotum cum sacerdotibus, et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et eos qui jurant in Domino, et jurant in rege suo, et eos qui declinant a Domino, et qui non requirunt Dominum, et qui non retinent Dominum.*

[a] Omnes mss. codices retinent vocem *Illyricus*; sed haud dubie imperitia veterum exscriptorum, qui nescierunt *Illyrim* dici *Illyricum* neutro genere, non *Illyricus* masculino, quando pro provincia et regione accipitur. MARTIAN.

[b] Stridon, quod oppidum Dalmatiæ, Pannoniæque confinium fuit. De hac Hieronymi patria, multa nobis in ejus Vita dicenda sunt.

[c] Addit Regin. ms., *possumus;* sed verius sensus ab inferiore *videbimus* pendet.

[d] Erroneo sensu, quod et notatum Victorio fuerat, negandi particulam Martian. tacet. Si enim deficit quis ut homo, cum humana contemnit : et deficit quis ut jumentum, cum ad altiora conscendit : ergo non potest accusari sermone prophetico, si deficit esse jumentum. Exponit enim mystice quid sit deficere esse, vel hominem, vel jumentum, vel volatile, vel piscem. Mss. nostri post Victor. restituunt.

Post impiorum ruinas, et iniquorum ablationes a facie terræ, consequenter adversus Judam et adversus Jerusalem ex persona Domini dicitur : *Et extendam manum meam super Judam et super omnes habitatores Jerusalem* (extensio quippe manus gestum percutientis ostendit) : *et disperdam de loco hoc reliquias Baal :* Non quod secundum LXX nomina Baalim penitus eradenda sint; sed quod [a] juxta Hebraicum cultores ejus e populo qui pauci de cæde hostium remanserant in Juda et Jerusalem, se comminetur auferre. Nomina quoque ædituorum cum sacerdotibus, quia in tantam Judas **679** et Benjamin venerant impietatem, ut in Templo Domini (juxta quod scribit Ezechiel, et Regnorum quartus liber ostendit) statuam Baal, [b] quam imaginem Zeli Dominus vocat, statuerint, et in eodem sanctuario idola et Dominum pariter venerati sint (*Ezech.* VIII). Unde signanter idolorum sacerdotes, non sacerdotes, sed [c] τεμενίτας, id est, *ædituos*, vel fanaticos appellavit (IV *Reg.* X *et* XVII), quod Hebraice dicitur ACCHUMARIM (הכמרים). Et ædituos ergo et sacerdotes quondam Dei, et eos qui in domatibus adorabant militiam cœli, solem et lunam et astra reliqua, et qui jurabant in nomine Domini, et in nomine idoli Ammonitarum Melchom (quod a LXX in *regem* versum est) auferet Dominus de loco Jerusalem, sive disperdet, ἀπό κοινοῦ enim subauditur. *Et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et disperdam nomina ædituorum cum sacerdotibus, et disperdam eos qui adorant super tecta militiam cœli, et disperdam eos qui adorant et jurant in Domino, et jurant in Melchom, et disperdam eos qui avertuntur*, sive *declinant de post tergum Domini, et qui non quærunt eum*, sive *non retinent.* Advertuntur autem post [*Al.* de post] tergum Domini Israel, qui relinquentes cultum ejus jurant in Melchom, et adorant militiam cœli, et venerantur Baal idolum Sidoniorum. Hucusque historiæ sensus expositus est : videamus et anagogen. Propter Dominum qui de tribu Juda ortus est, et propter Jerusalem in qua regnavit Judas, hoc est, Dominus atque Salvator, dicamus quando multiplicata fuerit iniquitas, et refrixerit charitas multorum, et veniente Domino, rara fides apparuerit in terra, intantum ut tententur etiam electi Dei (*Matth.* XXIV, *Luc.* XVIII) : tunc extendere Dominum ad supplicia peccatorum manum suam super Judam, qui sibi videtur nomen Domini confiteri, et super Jerusalem, Ecclesiam quæ ex pace sortita vocabulum est, et auferre de Ecclesia nomina Baalim, quod interpretatur *in sublimioribus.* Auferet autem Dominus nomina vanæ gloriæ et admirationis falsæ, quæ versantur in Ecclesia, in qua juxta Jacobum, [d] honoratur annulum aureum habens, et contemnitur pauper, **680** cum ad adventum judicis et senatoris, et in commune omnium divitum, plebs universa consurgit, et sancto pauperi ne standi quidem inter catervas potentium, et consessiones eorum tribuitur locus; sed et nomina sacerdotum cum sacerdotibus qui frustra sibi applaudunt in episcopali nomine, et in presbyterii dignitate, et non in opere (*Jacob.* II). Unde signanter non ait, *et opera sacerdotum cum sacerdotibus*, sed, *nomina :* qui tantummodo falsa nomina præferunt dignitatum, et malis operibus sua nomina destruunt, et eos qui adorant super tecta militiam cœli, qui elevantur adversus scientiam Dei; et omne quod geritur in sæculo, fictam sibi scientiam pollicentes, referunt ad ortus stellarum et occubitus, et mathematicorum sequuntur errores, et eos qui adorant Dominum et Melchom, qui sæculo pariter et Domino putant se posse servire, et duobus dominis satisfacere, Deo et mammonæ : qui militantes Christo, obligant se negotiis sæcularibus, et eamdem imaginem offerunt Deo et Cæsari, et cum Christi sacerdotes se esse dicant, filios suos consecrant *Melchom*, id est, *regi suo* (II *Tim.* II). Recte enim habent regem hominem, qui regem Dominum perdiderunt, et qui per mala opera declinant a Domino, et non requirunt eum, retinent sua peccata fugientem. Si quis autem voluerit juxta interpretationem nominum Judæ et Jerusalem super anima uniuscujusque hoc ipsum intelligere, non errabit, quod auferat Dominus universa quæ diximus, vel in consummatione mundi, vel in singulorum exitu, quando audient : *Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te* (*Luc.* XII). Et extendat manum suam super eum, qui Dominum [e] non confitetur, et super eum qui sensum pacis se habere jactat, ut auferat atque disperdat de tali Jerusalem omnem superbiam, et falsos in Deum cul-

[a] Verba *juxta Hebraicum* Regin. ms. ignorat.

[b] Imperite legunt editores ante nos, *quam imaginem cœli Dominus vocat.* Quod falsissimum est, cum idolum Baal Dominus numquam vocaverit *imaginem cœli*, sed *idolum* sive *imaginem Zeli* (*Ezech.* VIII, 3, V, 8). S. Cygiranni codex ms. retinet quoque vocem *idolum* hoc loco, quam *idolum Zeli Dominus vocat*; alii legunt, *imaginem.* Scio tamen Ezech. VIII cap. ex Theodotione *imaginem cœli* positum fuisse. MART. — Confer quæ ad Commentar. in Ezechiel. cap VIII, col. 83, observamus not. *a.*

[c] Restitutionem hujus loci noluit Erasmus sibi permittere; conjicit vero legendum ἱεροφάντας : Marianus Erasmo audacior, sed non diligentior in lectione manuscriptorum librorum, totum Hieronymi contextum subvertere ausus est, et pro Græcis Hebraica verba substituere hoc modo : *Unde signanter idolorum sacerdotes, non* הכהנים, *id est, sacerdotes, sed ædituos vel fanaticos appellavit.* Quam depravationem nemini condonandam vocat ipse restitutionem contra fidem omnium codicum mss. qui retinent quod nos edidimus. Porro nomen τεμένιτος vel τεμενίτης apud Suidam significat *ædituum*, sive eum qui degit in loco diis sacro; τεμένη enim apud Hieron. in c. VI. Ezechielis et apud eumdem Suidam sunt *templa, sacella, delubra et luci*; τεμένορος, quoque dicitur *ædituus* et *loci custos.* MART. — Reponimus ex nostris mss. τεμενίτας recte a τεμενίτης : minus enim probatur quod Martian. legit, τεμενίτους, a τεμένιτος, quæ Græca vox non videtur.

[d] Vulgati antea *veneratur.* Mox etiam pro *consessiones* retinent *consessionis :* ms. Reginæ, *inter catervas, et compressiones.*

[e] Idem Regin. ms. absque negandi particula, *qui Dominum confitetur.*

tus, et variorum errores dogmatum, et servitutem in Deum pariter et mundum, et per quotidiana peccata, aversionem a Domino et neglectum in Deum.

(Vers. 7.) *Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus* **681** *hostiam : sanctificavit vocatos suos.* LXX : *Timete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus victimam suam : sanctificavit vocatos suos.* Pro eo quod LXX transtulerunt, *timete*, et nos posuimus, *silete*, [a] in Hebræo interjectio est imperantis silentium, qua sæpe utuntur et Comici; sed et absolute præcipitur in cunctis silentium, quod dies ventura sit Domini. Diem autem Domini, diem intelligamus captivitatis et ultionis in populum peccatorem, et hostiam subversionis Jerusalem, et sanctificationem eorum quos dedicavit interfectioni, secundum illud quod dicitur in Jeremia : *Sanctifica eos in die interfectionis eorum* (*Jerem.* XII, 3). Et est sensus : Venit contra impium populum olim prædicta captivitas, jam prope est. Sub Josia enim rege prophetia texitur : hoc interfecto, [b] timete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini, quia præparavit Dominus victimam suam, sanctificavit vocatos suos. Tota vastitas venit, de qua et in Ezechiel : *Venit*, inquit, *finis : finis venit* (*Ezech.* VII, 2), et cætera. Hæc mihi victima placet, has mihi hostias sanctificavi. Potest autem hoc quod ait, *sanctificavit vocatos suos*, et de Babyloniis accipi, quos in ultionem populi etiam servos suos vocat, vindicantes injuriam suam. *Vocavi*, inquit, *Nabuchodonosor servum meum* (*Jer.* XXV,9). Et in eodem volumine, non solum servum, sed columbam eum quoque vocat : *A facie gladii columbæ* (*Ibid.*, 30). Porro secundum tropologiam, quia facies Domini est super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum, et prope est dies judicii (quia ad comparationem æternitatis omne hujus sæculi tempus breve est) sive exitus singulorum : timeant omnes, et sileant, ne facies Domini (de qua sanctus ait (*Ps.* IV, 7) : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*) peccatorum fenum, stipulam, ligna consumat. Præparavit enim Dominus hostiam suam, totum Levitici mysterium, quando per ignem et effusionem sanguinis, et veram oblationem salvi fient, qui salvandi sunt, et sanctificabuntur vocati. Quidam de nostris, diem Domini et hostiam ejus, et sanctificationem vocatorum, in adventu Salvatoris intelligunt, quando immolatus est **682** Agnus, et in sanguine ejus sanctificati sunt apostoli, et cæteri qui per eos vocati sunt.

(Vers. 8, 9.) *Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste peregrina. Et visitabo* [c] *omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa : qui complent domum Domini Dei sui iniquitate et dolo.* LXX : *Et erit in die hostiæ Domini, et ulciscar super principes, et super domum regis, et super omnes qui induti sunt vestimentis alienis : et ulciscar super omnes manifeste, qui sunt in vestibulis in die illa, qui complent domum Domini Dei sui impietate et dolo.* In die Judaicæ captivitatis, quando totus populus immolandus est, visitabit Dominus, et super principes qui mane bibebant siceram, et super filios regis, vel omnes de stirpe regia, vel certe proprie filios Josiæ, quos vel occisos vel captos legimus, et super omnes qui induti sunt veste peregrina, hoc est, qui pro Dei cultu venerati sunt idola. Et super omnes qui arroganter ingrediuntur super limen in die illa, hoc est, adversum superbos, qui cum quodam fastu et dignitatis supercilio, gradus templi et sanctuarii limen ascendunt. Porro quia in eo ubi nos interpretati sumus, *qui arroganter ingrediuntur* [d] *super limen*, potest intelligi secundum Hebraicum, *qui transiliunt limen* : et hoc historice sentiendum est, *vindicabo super eos*, qui juxta Regnorum primum librum non calcant limen idolorum, superstitionibus servientes, qui repleverunt domum [*Al.* templum] Domini Dei sui non solum idolorum cultu, sed iniquitate et scelere et omni mendacio, ut ad errorem religionis iniquitas quoque in subjectos et in proximos mendacium jungeretur. Sed quia semel et tropologice exponere cœpimus : Visitabit Dominus in adventu et passione Salvatoris, id est, in die hostiæ Filii sui super Pontifices et Sacerdotes populi Judaici, et super domum regiam. Usque ad illud enim tempus perseveraverunt reges [e] Judæ de stirpe David, secundum prophetiam Jacob : *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse erit expectatio gentium* (*Genes.* XLIX, 10). Post hostiam enim **683** Domini ablatum est regnum a Judæis. *Et super omnes*, inquit, *qui induti sunt vestimentis alienis*, qui recesserunt a protectione et indumento Dei, et suo errore cooperti sunt. *Et ulciscar super omnes manifeste qui sunt in vestibulis*, hoc est, qui egressi sunt de templo Dei : et cum deberent esse intrinsecus, propter peccata sua egressi sunt foras, et de Ecclesia Dei recesserunt, adimplentes templum ejus impietate et dolo. Hoc intellectum sit in primo Salvatoris adventu. Quia autem de consummatione mundi et die judicii, quem omnes diem

[a] Ita legunt omnes codices sine voce Hebræa הס, *has*, quam Hieronymus dicit esse interjectionem imperantis silentium, et qua sæpe utuntur et Comici. Grammatici hodierni Hebræi volunt esse apocopen verbi הסה *hissa*, quod significat *siluit*, reverentiæ causa ; et positum הס, *has*, pro הסה, *hasseh*. Porro quod ait S. doctor de interjectione imperantis silentium, non est intelligendum quasi *as* vel *has* sit interjectio apud comicos poetas ; sed quod ipsi habeant similes in lingua sua interjectiones quibus silentium imperatur. MART.

[b] In Victorii editione, *hoc interfecto, vastitas venit*, quatuor ferme, qui interseruntur hic, versibus prætermissis.

[c] Ex vulgatis trium linguarum editionibus Scripturæ supplet Victor. *super.*

[d] Victor. *ingrediantur limen :* tum Regin. ms., *potest legi.*

[e] Nomen *Judæ* Regin. ms. tacet.

[*Al.* in die] interpretantur Domini, semel exposuimus : scire debemus, quod illo tempore visitet Dominus super principes, et super pastores, qui lac de ovibus comedunt, lanasque tondentes, non curant de contritione gregis, et super filios regis qui se jactant Christianos, et quod regis Christi sint filii, glorientur : et super omnes qui induti sunt vestibus alienis. Vestis filiorum regis et principum indumentum, Christus est [*Al.* Christi *et* accepimus], quod accipimus in baptismo, juxta illud : *Induite vos Christum Jesum* (*Rom.* XIII, 14). Et : *Induite vos viscera misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ* (*Col.* III, 12), et cætera. In quibus præcipitur, ut induamur novo homine cœlesti, juxta Creatorem nostrum, et projiciamus indumentum veteris hominis cum operibus ejus (*Ephes.* IV). Cum ergo debeamus talibus indui vestimentis, pro misericordia induimur crudelitate; pro patientia, impatientia; pro justitia, iniquitate. Et ut semel dicam, pro virtutibus, vitiis; id est, pro Christo, Antichristo. Unde dicitur de istius modi homine : *Et indutus est maledictione sicut vestimento* (*Ps.* CVIII, 18). Vindicabit quoque Dominus manifestissime in adventu suo, etiam super eos qui cum bonis operibus in Ecclesia esse deberent, ejecerunt se ob conversationem pessimam, et traditi Satanæ versantur in vestibulis, immo nec in vestibulis, sed ante vestibula : quod significantius Græce dicitur ἐπὶ τὰ πρόπυλα. Et super omnes vindicabit, qui variis iniquitatibus atque peccatis implent Ecclesiam, et impietatibus atque mendacio, et miscent sanguinem sanguini. Quod si voluerimus hoc ipsum accipere super animabus singulorum, principes et domum regis, intelligamus λογισμοὺς [*Al.* addit καὶ αἰσθήσεις], id est, *cogitationes* et sensus, et ipsam animam, quæ debet esse hospitium **684** regis : et juxta superiorem expositionem indumenta quoque aliena, et omnia quæ sequuntur, referamus ad unumquemque credentium, qui cum debuerant induti esse Christo, et semper versari intrinsecus, variis se peccatorum operuerunt vestimentis, et egressi de Ecclesia, id est, congregatione sanctorum, pro virtutibus impleverunt templum corporis sui iniquitate et dolo.

(Vers. 10.) *Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus.* LXX : *Et erit in illa die, dicit Dominus, vox clamoris de porta compungentium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus.* In die hostiæ Domini quando extenderit manum suam super Judam et super omnes habitantes Jerusalem, et hostilis eam vallaverit exercitus, erit vox clamoris a porta piscium et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus. Portam piscium eam vocabant, quæ Diospolim ducit et Joppen, et vicinior mari erat inter cunctas vias Jerusalem, de qua et Esdras refert : *Portam vero piscium ædificaverunt filii Asnaa, ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas, et seras et vectes* (II *Nehem.* III, 3). Quod autem ait, *et ululatus a secunda*, secundi muri in eodem climate portam significat, de qua et in Regnorum libro scriptum est : *Et ivit Helchias Sacerdos, et Ahiham, et Achabor* [Al. *Achobor*], *et Saphan, et Asaias ad Oldam propheten, uxorem Sellum filii Thecuæ, filii Haras, custodis vestium, et hæc habitabat Jerusalem in secunda* (IV *Reg.* XXII, 14). Contritionem autem magnam a collibus de mente Sion et excelsiore urbis parte loquitur : quia cum altiora et arx civitatis fuerint occupata, facilior est in prona descensus. Si autem diem illam quam Dominus comminatur, diem judicii ut supra voluerimus accipere, eo tempore quando Vetustus dierum sessurus est, et aperiendi libri, et pandendæ conscientiæ singulorum : tunc implebitur vox clamoris a porta compungentium (*Dan.* VII). Prima enim porta oculorum erit, qua [*Al.* quando] exhibebuntur nobis peccata ante oculos nostros, et omnis pompa et imago antiquorum scelerum et vitiorum atque luxuriæ proferetur in medium. Tunc illud erit verum quod scriptum est : *Ecce homo et opera ejus ante faciem ejus.* Torquebit igitur eum conscientia, et postquam compunctus **685** clamaverit a prima oculorum porta, ululabit etiam a secunda, quam et aures intelligere possumus. Per hos enim vel maxime sensus, quibus vitia illapsa fuerant, eorum pœna sentietur, quando cernemus quod fecimus et [a] sermone docti, totumque audientes ordinem peccatorum, in ululatum compellemur, et conteretur [*Al.* compellimur *et* conteritur], in nobis quidquid fuerat excelsum, et propter cæcitatem et surdas aures ignorabatur a nobis. Vel certe cum verba sublimia et eruditio de excelso veniens, conteret nos atque confringet, et opere complebitur : *Rugiebam a gemitu cordis mei* (*Ps.* XXXIX, 9), ut sit sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Ps.* L); in nobis, qui homines sumus, et non tam grandia peccata fecimus, ut montibus comparentur, colles contriti sunt. In diabolo autem et angelis ejus, excelsa montium conterentur. Multi putant juxta historiam quod ad Babyloniorum tempora retulimus, intelligendum esse de primo Salvatoris adventu, quando propter peccata nimia, et clamorem populi concrepantem : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matt.* XXVII, 25), circumdata est ab exercitu Jerusalem, et a duobus ursis, Vespasiano videlicet et Tito, irridentium puerorum turba consumpta est (IV *Reg.* II). Quæ quidem intelligentia magis fidei nostræ convenit, sed ita ut sciamus et priori historiæ posse congruere, vel certe priorem captivitatem typum esse secundæ et perfectæ eversionis Jerusalem. Nec non et hoc animadvertendum (quia ADAGIM (דגים) manifeste in Hebræo, non *portam compungentium*; sed *portam piscium* sonat) allegorice, portam piscium esse in Jerusalem, per quam inferuntur boni pisces qui a malis fuerint separati, et lugebunt, cæteris introeuntibus, qui foris reman-

[a] Alii editi, *et audientes sermonem, docti, totumque ordinem*, etc.

serint. Vel certe in fine mundi et in consummatione lugebunt a porta piscium prima, qui suum baptisma non servaverunt; lugebunt a secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam. Et erit magna contritio super colles, qui nec pro peccatis incurvati sunt ut cervicem suam submitterent, et sua scelera deplorarent. Per has enim duas portas baptismi et pœnitentiæ in Jerusalem, id est, in Ecclesiam Dei vel introitus vel reditus est.

(Vers. 11.) **686** *Ululate, habitatores pilæ :* [a] *conticuit omnis populus Chanaan.* LXX : *Plangite qui habitatis concissam : quia assimilatus est omnis populus Chanaan.* Pila quæ Hebraice dicitur MACHTHES (מכתש), et ab Aquila versa est, εἰς τὸν ὅλμον, non per brevem syllabam prima (*Al.* primam) legenda est, ne σφαῖραν putemus, sed productam, ut de pila scianus dici, in qua frumenta tunduntur, vas concavum, et medicorum aptum usui, in [b] quo proprie ptisanæ feriri solent. Dicat aliquis intellexisse se quid significat pila, sed scire velle cur in præsenti loco assumpta sit. Quia semel descriptio est captæ urbis, et dicitur : *Vox clamoris a porta piscium, et ululatus a secunda, et contritio magna a collibus :* nunc idem descriptionis ordo servatur, et de ululatu dicitur eorum, qui habitant in valle Siloe. Et pulchre Scriptura non dixit, qui habitatis in valle, qui habitatis in gurgustio; sed qui habitatis in pila, quod scilicet quomodo frumenta feriente desuper vecte, contunduntur : ita de porta piscium, et de porta secunda, et de collibus proruens in vos decurret exercitus. Populum autem Chanaan appellavit populum Judæorum, juxta illud quod legimus in Daniele : *Semen Chanaan et non Juda* (*Dan.* XIII, 56); et ad Jerusalem : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3); et in alio loco : *Chanaan, in manu tua, statera iniquitatis* (*Osee* XII, 7). Quod si voluerimus juxta utramque translationem, tropologiam texere, recte ad ululatum et planctum concitantur qui in extremis peccatorum fæcibus habitant, et in scelerum suorum ima demersi dicunt : *Infixus sum in limo profundi, et non est,* inquit, *substantia* (*Ps.* LXVIII, 2). Unde et additur : qui habitatis concissam, hoc est, animam multis iniquitatibus vulneratam, sive Ecclesiam, quæ schismatibus, hæresibusque lacerata est, et ad singula vulnera plangit filios interfectos. Quod autem dicit : *Conticuit,* sive *assimilatus est omnis populus Chanaan,* blasphemiam eorum in die judicii cessare significat, et os quod in altum posuerunt, linguamque ad terram usque penetrantem, æterno silentio conticescere. Et quia peccatum peccavit Jerusalem, et ideo in commotionem facta est, populus dicitur *Chanaan,* quod interpretatur, **687** *commotio.* Non enim potest dicere : *Statuit super petram pedes meos* (*Psal.* XXXIX, 3); sed incertus et fluctuans semper in motu est. Unde et Noe vir sanctus, postquam evigilavit e somno, ex maledictione nomen imposuit Chanaan, dicens : *Maledictus Chanaan puer, famulus erit fratrum suorum* (*Genes.* IX, 25). Non solum autem Chanaan assimilantur peccatores, sed pro qualitate et diversitate peccati, alius assimilatur Pharaoni, alius Nemrod giganti. Et econtrario, per bona opera atque virtutes, quia et virtutum itinera sunt diversa, ille [c] spiritum assumit Abraham, hic Moysi, alius Eliæ; quamobrem ab Apostolo dicitur : *Æmulamini charismata meliora* (I *Cor.* XII, 31). Qui vero perfectus est, juxta eam tamen perfectionem quam humana conditio potest capere, similitudine Dei signatur.

*Disperierunt omnes involuti argento.* LXX : *Disperierunt omnes qui erecti sunt argento.* Qui sibi, inquit, in divitiis confidebant, et tantas habebant opes, ut se quasi involutos et septos suis divitiis æstimarent. Vel certe secundum LXX, qui erecti erant in superbiam et pauperes despiciebant, ira veniente, vastati sunt. Simulque considera quod non dixerit : *peribunt qui erecti sunt argento;* sed jam nunc, antequam [d] eis veniat supplicii dies, in eo ipso quod superbiant, et semper de thesauris suis cogitent et serviant eis, perierint atque corruerint. Quod qui intellexerit, puto eum non satis cupere divitias, in quibus non peribunt, sed perierunt qui erecti sunt. Neque vero æstimandum est eos solos periisse, qui argento erecti sunt, sed juxta hanc diffinitionem peribit et ille qui in generis nobilitate se jactat. [e] Qui gloriatur in dignitatibus, peribit; qui inflatur, peribit; qui in fortitudine corporis gloriatur, peribit. peribit qui in femineo languore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, et ad speculum comitur, quæ proprie passio et insania feminarum est. Si quis autem vult erigi et superbire sancta superbia, erigatur cum apostolis, quando dignus fuerit pro nomine Jesu Christi contumeliam pati, glorietur cum Apostolo, qui exsultabat in **688** tribulationibus, sciens quod tribulatio operetur patientiam, patientia spem, spes autem non confundat (*Rom.* V).

(Vers. 12.) *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis : qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, et non faciet male.* LXX : *Et erit in die illa, scrutabor Jerusalem cum lucerna, et ulciscar super viros qui contemnunt custodias suas, et dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, et non faciet male.* In tempore et in die captivitatis Jerusalem vel a Babyloniis vel a Romanis (quia dereliquit legem Domini, et impie egit in Dominum Creatorem suum), scrutabitur Dominus cum lucerna omnia abscondita Jerusalem, et nullum inultum patietur effugere. Legamus Josephi historias, et ibi reperie-

[a] Omnium Scripturæ editionum auctoritate supplet Victorius, *quia.*

[b] Regin. ms., *in qua proprie ptisanæ fieri solent.*

[c] Regin. ms., *ille typum assumit Abraham,* etc.

[d] Martian. incommodo sensu alterum *veniat* præponit, quod nos mss. editorumque codd. ope expunximus. Mox Regin. ms., *semper de thesauris suis cogitent, eosque servent, perierint,* etc.

[e] Pro his habet Regin. ms. *Peribit qui inflatur dignitatibus, peribit qui in fortitudine,* etc.

mus scriptum, de cloacis quoque, et speluncis, et antris, et sepulcris, extractos principes et reges et potentes et sacerdotes, qui se in eis metu mortis absconderant. Et visitabo, inquit, super eos, qui confidunt in corporibus suis, et in viribus suis, quas [a] διασυρτικῶς, fæces vocat, sive peccata, in quibus penitus fuere defixi : qui tollentes providentiam, nec boni nec mali Deum auctorem esse dixerunt : hoc est, quod nec bonis bona, nec mala malis redderet : sed quod fortunæ cuncta regerentur arbitrio, et casu ferrentur incerto. In consummatione autem mundi, quia dies Domini ipsa intelligitur, scrutabitur Dominus Jerusalem, id est Ecclesiam suam cum lucerna : et ulciscetur super viros contemptores, qui noluerunt suas servare custodias, id est, mandata Domini contempserunt, et insuper ratione se peccare, dicentes, blasphemaverunt in cordibus suis : quod nihil prodesset benefacere, nec obesset male agere, quia nec bonorum operum præmium, nec malorum pœnam restitueret Deus. Recte autem Jerusalem, id est, Ecclesia (quæ prius *Jebus* vocabatur, quod dicitur *conculcata*), quando conculcabatur a gentibus, et dæmonum ludibrium erat, dicta est Jebus, et postquam cœpit in ea pax habitare Domini, et factus est in pace locus ejus, nomen Jerusalem sortita est. Quia igitur in novissimo tempore, quod sæpe **689** jam diximus, multiplicata iniquitate, refrigescet charitas, et solis lumen recedet ab Jerusalem, et tanta erit vastitas, ut difficile salventur etiam electi Dei (*Matth.* XXIV) : tunc in lucerna sermonis sui atque rationis omnia vitia scrutabitur Dominus in Jerusalem, et in medium proferet, et de otioso quoque verbo fiet judicium et vindicta, non in peccatores (poterat enim et peccatum veniam promereri), sed in contemptores, de quibus dicitur in Abacuc : *Videte contemptores, et aspicite* (*Abac.* I, 5); et in alio loco : *Quare* [b] *non respicis ad contemptores;* Ac deinde : *Qui autem arrogans est, et contemptor, vir superbus,* et cætera. [c] Super his fiet ultio, qui custodias Domini non servaverunt, et dicunt in cordibus suis : *Non faciet Dominus bene, et non faciet male :* non quod male Deus faciat, sed quod mala videatur pœna esse ei qui patitur. Alioquin et scalpellus medici malus erit, quia resecat vulnera, et putridas amputat carnes. Et pater malus, cædens filium, ut a vitiis corrigat, et magister malus, corripiens discipulum ut erudiat : *Omnis enim disciplina ad præsens non videtur gaudii esse, sed tristitiæ : postea autem fructum pacificum his qui per eam eruditi sunt, reddet* (*Hebr.* XII, 11).

(Vers. 13, 14.) *Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum. Et ædificabunt domos, et non inhabitabunt : et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. Juxta est dies Domini magnus : juxta est, et velox nimis.* LXX : *Et erit fortitudo eorum in rapinam, et domus eorum dissipabuntur. Et ædificabunt domos, et non habitabunt in eis, et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum, quia juxta est dies Domini magnus : juxta et velox nimis.* Manifestum est quod juxta utramque captivitatem omnis eorum sit cæsus exercitus, et domus dirutæ, et agri vineæque vastatæ sint : nec ultra eos Dei distulerit patientia. Sed cum dicerent ad prophetas, hoc in tempus erit, et in dies longos, venerit eis dies Domini magnus et velox nimis. Juxta tropologiam autem cum venerit tempus judicii, sive uniuscujusque mortis et egressionis a sæculo : tunc omnis fortitudo eorum in direptionem erit, ut quod male valebat, et erigebatur adversus Dominum, infirmum, fractumque vertatur ad melius. Velut si quis fortitudinem latronis et piratæ et furis **690** diripiat, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas : debilitata enim membra quibus prius non bene utebantur, a malo opere cessabunt. Quod autem sequitur : *Et domus eorum in desertum,* multi sunt in Ecclesia ædificantes Sion in sanguine, et Jerusalem in iniquitate, quibus prodest tales domus destrui. Legamus Leviticum, ubi leprosa domus destrui jubetur (*Levit.* XIV). Et quia lepra permanens est et diffunditur, lapides ejus et ligna et omnis pulvis extra civitatem in locum immundum projici jubetur. Sed et in Jeremiæ principio tale quid scribitur, *Ecce dedi sermones meos in os tuum : ecce constitui te hodie* [Al. tacet *hodie*] *super gentes, et regna : eradicare, et suffodere, et dissipare, et ædificare, et plantare* (*Jer.* I, 9, 10). Destruitur ædificatio pessima, ut postea ædificatio bona construatur : eradicatur iniqua plantatio, ut plantatio juxta ponatur. Unde et in Salomone legimus : *Melius est habitare sub divo, quam in calce litis cum iniquitate, et in domo nova* (*Prov.* XXI, 9). Quasi bonus ergo Deus domos eorum, qui erant defixi in fæcibus suis, et dixerant in corde suo : *Non faciet bene Dominus, et non faciet male,* destruit, nec eos in leprosis et immundis domibus habitare permittit : nec facit ut bibant vinum de vineis, quas plantaverant. Si enim plantassent vineam Sorec, et vineam electam totam veram, bibissent vinum suum, et inebriati essent cum patriarcha Noe et Joseph in meridie (*Gen.* IX *et* XLIII); sed quia dixerunt : *Non faciet bene Dominus, et non faciet male* (*Deut.* XXXII, 32, 33), et de vinea Sodomorum erat vinea eorum, et propago eorum de Gomorrha, *Uva eorum uva fellis, et botrus amaritudinis eis : furor draconum, vinum eorum : et furor aspidum insanabilis* (*Jer.* IX, 25), propterea plantaverunt vineas, et non bibent vinum earum. Et mystice dicitur de Sodoma et Gomorrha, quod omnis plantatio eorum perierit. Si enim permansissent in eo quod cœperant, ut essent quasi pa-

[a] Editi legunt διασυρμικῶς, in quem sensum adducit Marianus in notis διασυρμὸς, quod *irrisionem* sonat. Sed retinenda lectio mss. codicum, quam nos secuti sumus, utpote meliorem, et quæ magis respondeat sententiæ Hieronymi dicentis corpora seu vires in quibus superbi confidunt vocatas fuisse διασυρτικῶς, id est *sermone mordaci* feces. MART. — Sic et nostri et Martianæi ferunt mss. Victorius maluit διασυρμικῶς.

[b] Negandi particula penes Martianæum deerat.

[c] Regin. cod., *De superbis fiet ultio.*

radisus Dei, et non finissent in malo, ut essent quasi terra Ægypti, plantatio eorum utique permansisset. Tale quid et illud super Ægyptiis sonat in Psalmis : *Occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina* (*Ps.* LXXVII, 47). Quasi clementissimus quippe Deus, omnem Ægyptiam plantationem et arbusculas, quæ in Ægypto radicatæ sanguineos habent **691** fructus, interfecit et subvertit, ne bibant qui male plantaverunt, et comedant ex eis fructum. Prope est dies Domini magnus et velox nimis, cui resistere nemo potest : prope autem est vel propter æternitatem, quia nihil ei longum est, vel propter pœnæ magnitudinem, quia patienti numquam [a] longe videtur supplicium quod inferendum est. Sive prope, ut supra diximus, cum exierimus a sæculo, et uniuscujusque mors consummationem mundi fecerit ; et non solum prope, sed etiam velox nimis, ut velocitas adventus ejus in eo quod additur, *nimis*, ostendatur.

(Vers. 15, 16.) *Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis : dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos.* LXX : *Vox diei Domini amara et dura posita est, fortis : dies iræ, dies illa, dies tribulationis et necessitatis, dies miseriæ et perditionis, dies tenebrarum et turbinis, dies nebulæ et caliginis, dies tubæ et clamoris super civitates munitas, et super angulos excelsos.* Juxta superiora, vel de Babylonica captivitate accipe, vel de extrema quam passi sunt a Romanis, super qua et Dominus flevit Jerusalem, dicens : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt* (*Matth.* XXIII, 37), et cætera. Vere enim expetita vindicta est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem occiderunt inter templum et altare (II *Par.* XXIV) : et ad extremum de Dei Filio, dicentes : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*, experti sunt diem amarum : quia ad amaritudinem Dominum provocaverant : diem a Domino constitutam, in qua non imbecillis quilibet, sed fortissimi viri deprimentur, et veniet super eos ira in finem. Sæpe quippe et ante iram Domini sustinuerunt ; sed ira illa non fuerat consummationis et finis (*Matth.* XXVII, 25). Quid necesse est nunc describere quantas in utraque captivitate sustinuerint calamitates, et quomodo qui lucem Domini respuerunt, in tenebris et in caligine versati sint, et qui noluerunt solemnium dierum audire tubas, audierint clamorem [*Al.* clangorem] bellantium? De civitatibus autem munitis et excelsis angulis Judææ, qui [*Al.* quod] ad **692** solum usque sunt diruti, puto oculorum magis esse quam aurium judicium : nobis præsertim qui nunc in ista sumus provincia licet videre, licet probare quæ scripta sunt. Vix ruinarum parva vestigia in magnis quondam urbibus cernimus. Silo, ubi tabernaculum et arca Testamenti Domini fuit, vix altaris fundamenta monstrantur. Gabaa illa civitas Saulis usque ad fundamenta diruta est (*Josue* XVIII). Rama et Bethoron et reliquæ urbes nobiles a Salomone constructæ, parvi viculi demonstrantur. Legamus Josephum et prophetiam Sophoniæ, illius cernemus [*Al.* cernimus] historiam : et hoc non tantum de captivitate dicendum est, sed usque ad præsentem diem, perfidi coloni post interfectionem servorum, et ad extremum Filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Jerusalem, et ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas : et ne fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est a Romanis et diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, et patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει ejus, de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem : adhuc fletus in genis et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat ; et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis et angustiæ, de die calamitatis et miseriæ, de die tenebrarum et caliginis, de die nebulæ et turbinis, de die tubæ et clangoris ? Habent enim et in luctu tubas, et, juxta prophetiam, vox solemnitatis versa est in planctum. Ululant super cineres Sanctuarii, et super altare destructum, et super civitates quondam munitas, et super excelsos angulos templi, de quibus quondam Jacobum fratrem Domini præcipitaverunt. Hæc de captivitate dicta sint Judæorum. Cæterum si diem Domini, ut supra, referamus ad consummationem mundi, sive ad uniuscujusque exitum vitæ, manifesta **693** erit interpretatio, quod vox diei Domini amara sit, et necessitate plena et ira, et tribuletur ibi fortis : cum etiam qui sancti sunt, salventur quidem, sed tamen sic quasi per ignem. Dies illa dies tribulationis, et angustiæ et calamitatis, et miseriæ, in qua dicent : Væ nobis, quia miseri facti sumus. Dies tenebrarum : *Omnis enim qui male operatur, odit lumen, et non venit ad lucem* (*Joan.* III, 20) ; et necesse est ut qui lumen oderit, eum tenebræ consequantur. Dies erit nebulæ et turbinis ; veniet enim super eum tempestas Domini, et clangor tubæ, quam Apostolus significat, dicens : *In novissima tuba* (I *Cor.* XV, 52). Erit enim dies tubæ et clangoris super civitates munitas, quas sibi in multitudine peccatorum cum Cain ædificaverant. Et super angulos excelsos, opera perversa et a recta via Domini declinantia (*Al.* a recta via deviantia). Unde et a Salvatore arguuntur ὑποκρίται Pharisæi, quod adorent (*Al.* orent) in angulis platearum (*Matth.* VI). Via enim recta et tendens ad paradisum arcta, et angusta est quæ ducit ad vitam. Via autem

[a] Vitiose erat penes Martianæum, *longum*. Mss. nostri post Victorium castigant.

fracta habens angulos et tortuosa, lata, et spatiosa est, quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII). Simulque inter verba severitatis Domini cerne clementiam, quod propterea amara sit dies, et dies iræ, et dies tribulationis, et dies tubæ et clangoris, ut civitates male munitæ et perversi anguli destruantur.

(Vers. 17, 18.) *Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora : sed et argentum eorum et aurum* [Vulg. addit *eorum*] *non poterit liberare eos in die iræ Domini, et in igne zeli ejus devorabitur omnis terra ; quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* LXX : *Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt, et effundet sanguinem eorum sicut pulverem, et carnes eorum sicut stercus boum* [Al. *bubalum*], *et argentum eorum et aurum eorum non poterit eruere eos in die iræ Domini, et in igne zeli ejus consumetur omnis terra : consummationem enim et festinationem faciet super omnes habitantes terram.* Non est difficile juxta priorem sensum hæc fuisse perpessam dicere Jerusalem, quæ propter crucem Domini sustinuit : recessit enim ab ea visitatio Domini, et tribulati sunt omnes **694** homines in tota Judæa, et propter magnitudinem pressuræ ambulaverunt ut cæci, quid agerent ignorantes. Et hæc passi sunt, quia Domino, id est, Dei Filio peccaverunt. Nam quia fuderunt sanguinem prophetarum et sanguinem Christi, fusus est sanguis eorum sicut humus in tota regione, et corpora eorum remanserunt insepulta, sicut stercora super faciem terræ. Divites quoque eorum qui argentum et aurum iniquitate nimia congregaverunt, opibus suis de die iræ Domini non potuerunt liberari : ignis enim zeli Domini succensus adversus eos, devoravit omnem provinciam. Nec grande fuit tempus in medio : nam post quadraginta et duos annos Dominicæ crucis, circumdata est ab exercitu Jerusalem, et consummatio illius facta est cum festinatione, et non solum illius, sed cunctis terræ Judææ habitatoribus. In consummatione autem vel mundi vel uniuscujusque tribulabuntur omnes homines, qui homines permanserunt, et mortui sunt quasi homines. Et ambulabunt ut cæci, quia lumen perdidere virtutum, et locum pœnitentiæ non habebunt : et hæc patientur quia Domino peccaverunt. Si enim Dominus [*Al.* Domini] justitia est, veritas, sanctitas, cæteræque virtutes, quisquis injuste fecit, et mentitus est, et scorta vitiaque sectatus est, Domino peccavit. Sed quod sequitur : *Et effundetur sanguis eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora boum*, videtur absurdum, ut in resurrectione mortuorum, et in consummatione mundi atque judicio, dicamus effundi sanguinem et corpora jacere quasi stercora. Igitur illud quod ad Noe dicitur : *Et sanguinem animarum vestrarum requiram de manu omnium bestiarum, et de manu hominis, et de manu fratris requiram animam hominis, qui effuderit sanguinem hominis : pro sanguine ejus effundetur sanguis illius* (*Genes.* IX, 5, 6), et in resurrectione credere ridiculum est, et in vita hæc stare non potest. [a] Quanti enim effuderunt sanguinem, et sanguis eorum effusus non est ? et alii occiderunt hominem veneno, vel suspendio, et tamen cum homo mortuus sit, non est sanguis effusus? Quomodo ergo Dominus est effusurus sanguinem eorum in talionem, cum ille **695** qui occidit, sanguinem non effuderit ? [b] Sanguis igitur hominis τὸ ζωτικὸν αἷτος, id est, *vitale*, quo vegetatur, et sustentatur, et vivit, debet intelligi : quod qui effuderit, sive per scandalum, sive perversitate doctrinæ, in die judicii effundetur ab eo, [c] id est, quod sibi videbatur habere vitale, cogetur amittere. Juxta hujuscemodi sanguinem, et caro intelligitur, de qua et Isaias ait : *Omnis caro, fenum* (*Isai.* XL, 6). Et in Genesi Dominus : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (*Gen.* VI, 3). Et Apostolus, de utroque : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non poterunt : neque corruptio incorruptionem Dei* [Al. tacet *Dei*] *hæreditabit* (I *Cor.* XV, 50). In die ergo consummationis, vel generalis, vel specialis, omnis sanguis qui effusus est, clamabit ad Dominum, et apparebit in medio, et opera sanguinis atque terrena sicut pulvis jacebunt et stercora, et argentum et aurum divites de die iræ non poterunt liberare, audiente eo, qui moritur : *Stulte, hac nocte tolletur anima tua a te ; quæ autem parasti, cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Non quod negemus aurum et argentum divites liberare de morte : *Redemptio enim viri animæ, propriæ divitiæ* (*Prov.* XIII, 8); sed quod eo tempore liberare non possint, quando divitias necessitate dimittunt. Omnis enim terra et universa quæ terrena sunt, zelo Domini devorabuntur. Et quod ait, *zelo* [d], intellige adhuc amantem Dominum. Nisi enim amaret humanam animam, numquam zelaretur eam : et in similitudinem mariti, peccatum ulcisceretur uxoris, qui, si non amaret, nec de adulterio ejus irasceretur. Et hoc faciet Dominus cum festinatione cunctis habitantibus terram, his qui se penitus terræ dederunt, et non fuerunt advenæ et peregrini, sicut justus qui loquitur : *Advena sum ego in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII, 13). Et rursum alibi nolens diutius in tabernaculo carnis habitare, lacrymabili voce testatur, dicens : *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est* (*Ps.* CXIX, 5). Etenim qui sumus in tabernaculo corporis hujus, ingemis-

[a] Recolenda hæc est Hieronymi enarratio a Patribus Trosleani concilii, quibus cap. 13 laudatur.

[b] Omittunt hoc loco Erasmus et Marianus Græca duo verba τὸ οἱ αἷτος, quæ mss. codices retinent etiam characteribus, ut Regius num. 3991, qui legit, *Sanguis igitur hominis tozoticonaitos.* Est autem τὸ ζωτικὸν αἷτος, *habitaculum* et *sedes vitæ*, quod de sanguine dicitur in Scriptura : *Anima enim omnis carnis in sanguine est* (Levit. XVII, 14). MART.

[c] In Regin. ms., *effundetur ab eo etiam id quod sibi videbatur*, etc.

[d] Supplet Victorius *Domini*, et pro *amaret*, *amat*, et pro *irasceretur*, *irascitur* legit.

cimus conquerentes: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)?

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) **696** *Convenite, congregamini, gens non amabilis : priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem : antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos ira indignationis* [Vulg. *dies furoris*] *Domini.* LXX: *Congregamini et colligamini, gens* [a] *inerudita : antequam sitis sicut flos pertransiens diem : antequam veniat ira Domini super vos : antequam super vos irruat dies iræ furoris Domini.* Post descriptionem malorum, quæ in die ventura sunt Domini (secundum duplicem captivitatis expositionem, quam supra diximus) populus ad pœnitentiam provocatur, et dicitur ei : *Convenite, et congregamini,* sive, ut in LXX scriptum est, [b] *colligamini,* id est, estote vobis (juxta Apostolum) charitatis vinculo copulati : *gens non amabilis,* quæ amore Dei indigna es : sive *gens inerudita,* de qua dicitur in Deuteronomio: *Populus stultus, et non sapiens* (*Deut.* XXXII, 6). Et in Jeremia : *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non recepistis* (*Jer.* II, 30), antequam fiat quod prophetatum est, antequam præceptum sequatur effectus (quod ita facile veniet quasi pulvis pertransiens), antequam super vos furor Domini compleatur. Simulque cerne Dei clementiam : sufficerat prudentibus malorum venientium impetum descripsisse; verum quia non vult inferre supplicia, sed tantum terrere passuros, ipse ad pœnitentiam provocat, ne faciat quod minatus est. Generaliter autem tota multitudo credentium, et eorum qui Dei populus nuncupatur, in Ecclesiam congregatur, et dicitur ei : Convenite in Ecclesiam, sociamini vobis [*Al.* nobis] charitate et pace, o gens inerudita, quæ non vis Dei recipere disciplinam, nec habere scientiam mandatorum ejus; sed divitiis et corporis sanitate et pulchritudine hujus sæculi, carnis quoque voluptatibus delectaris, quæ transit quasi flos qui in una marcescit die. Propterea autem dico vobis, convenite, sociamini, ne cum judicii tempus venerit, et omnis gloria vestra transierit: tunc velitis agere pœnitentiam, quando locus non erit pœnitentiæ, sed pœnarum. Quærat aliquis, quomodo hoc ipsum super unoquoque migrante de sæculo possit intelligi. Dicitur **697** ergo ad singulos: O tu, qui sæculi negotiis occupatus, per diversa discurris, revertere in sanctorum Ecclesiam, et junge te eorum vitæ et cœtui quos vides placere Deo, et dissoluta membra animæ tuæ nec sibi cohærentia in unam sapientiæ coge compagem, et illius hære complexui, et audi mystice : *Confortamini, manus dissolutæ : genua debilia, solidamini* (*Isai.* XL, 7) : nec glorieris in bonis carnis, et ejus flore qui præterit : *Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Aruit fenum, et flos decidit : verbum autem Domini manet in æternum.* Possumus hoc capitulo uti pro tempore : si quando viderimus aliquem honoribus sæculi [*Al. addit.* deditum] et congregandis divitiis occupatum, ad Ecclesiam vel raro, vel numquam venire, et dicere ad eum, congregare et conjungere populo Dei, qui Domini præcepta non audis, antequam gloria tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adveniat.

(Vers. 3, 4.) *Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domini. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum. Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur.* LXX : *Quærite Dominum, omnes humiles terræ : judicium operamini, et justitiam quærite, et respondete ea, ut protegamini in die iræ Domini, quia Gaza direpta erit, et Ascalon in desertum : et Azotus in meridie projicietur, et Accaron eradicabitur.* Humilis terræ appellatur, qui non humilitate, quæ virtutem sonat, sed peccatis humiliatus est, nec potest cum Christo dicere: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur. Et in alio loco sermo ad sanctum dirigitur : quanto major fueris, tanto magis humilia teipsum, et coram Deo invenies gratiam (*Eccl.* III). Qui autem peccatis humiliatus est, et aggravatus est conscientia delictorum, ac loquitur : *Sicut onus grave, gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII, 5), iste debet audire : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Mat.* XI, 28). Hoc dictum sit in principio secundum LXX interpretes. Cæterum juxta Hebraicum alter sensus est. Dicitur enim ad sanctos : O vos, qui mea præcepta custoditis, qui **698** in terra positi, et scientes, quoniam omnis qui se humiliat exaltabitur, imitati estis mansuetudinem meam, et judicium estis operati, quærite Dominum in mansuetudine vestra. Et si vultis scire quis iste sit Dominus, quærite justum, quærite mansuetum : *Pater enim omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22), qui [c] juste judicaturus est. Et quia [*Al.* qui] mansueti estis, propterea quærite mansuetum, ut quidquid in vestra mansuetudine minus est, ab eo qui fons est mansuetudinis, impleatur. Hoc autem dico vobis : Si quomodo abscondamini in die furoris Domini, hoc est, si forte possitis ex eo, quod quæsistis Dominum, et justitiam ejus [d] estis operati, iram diei vitare venientis, et effugere captivitatem, quæ vel a Nabuchodonosor, vel a Romanis inferenda est populo Judæorum. Si autem de his dubitat [*Al.* dubitant], qui ejus judicia fecerint, dicens [*Al.* dicentes]: *Si quomodo abscondamini in die furoris Domini,* quid fiet de peccatoribus? Tanta enim vastitas Judææ terræ veniet, et tam sublimis victor huc Babylonius

[a] Ms. Reginæ, *gens non inerudita,* dissentiente Græco, et mox, *pertransiens diei.*

[b] Pro *colligamini,* idem ms. habet *sociamini,* quam ipse videtur Hieronymus lectionem probare in Commentario.

[c] Vocem *juste,* quam ex nostris mss. ac pridem Victorius e suis, utpote necessariam, reposuerat, Martian. prætermisit.

[d] Verba, *estis operati,* Regin. ms. non habet : tum *Dei,* cum Victorio, pro *diei* legit.

ascendet exercitus, ut etiam potentissimas urbes Philistinorum, quæ semper vobis æquo certamine restiterunt, eadem captivitas apprehendat. Gaza enim destructa erit, et Ascalon in solitudinem redigetur, et Azotum, non furto, sed bello, id est, manifesta luce atque victoria in captivitatem trahent: et *Accaron*, quæ interpretatur *eradicatio*, hoc sustinebit, quod in suo vocabulo sonat, id est, *eradicabitur*. Hoc juxta litteram et Hebraicam veritatem. Juxta Septuaginta autem præcipitur humilibus terræ, de quibus supra dictum est, ut operentur judicium, et quærant justitiam, quam non puto aliam esse præter Christum. Et quia omnis qui quærit, inveniet (*Mat.* VII, 8), id quod invenerint, aliis respondeant, hoc est, alios doceant: *Sapientia enim abscondita, et thesaurus non comparens, quæ utilitas in ambobus* (*Eccl.* XX, 32)? Et hoc, inquit, præcipio vobis, ut in die iræ Domini protegamini, vel in consummatione mundi, vel in exitu uniuscujusque de sæculo, Gaza enim et Ascalon, et Azotus, et Accaron diversa supplicia sustinebunt: *Gaza* enim interpretatur *fortitudo ejus*. Omnes ergo qui sibi applaudunt in fortitudine **699** corporis et potentia sæculari, et dicunt cum diabolo, *fortitudine faciam*, diripientur in die iræ Domini, et ad nihilum redigentur. Ascalon quoque, quæ dicitur *ponderata*, vel *ignis homicida*, cum venerit dies iræ Domini, sceleris sui mensuram sentiet, et eodem quo operata est, pondere deprimetur. Et quia arsit ad effundendum sanguinem, et multas scandalizavit animas, et impletum est in ea: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* V, 7), non diripietur ut Gaza, sed in solitudinem redacta, gehennæ ignibus usque ad pulverem cremabitur. Nec non et *Azotus*, quæ Hebraice dicitur ESDOD (אשדוד), et in lingua nostra sonat, [a] *ignis generationis*, clara luce vastabitur: arsit enim libidine, et generationis incendio debacchata est. Et quia omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum (*Osee* VII), et sagittis ardentibus vulnerati sunt, non in tenebris, non in occulto judicio; sed in meridie, hoc est, quando sancti plenam recipient claritatem, projicientur in tenebras, et sanctorum consortium non habebunt. Sed *Accaron*, quæ interpretatur *sterilitas*, vel *eradicatio*: quia nullos fructus habuit et perversitate doctrinæ suæ eradicavit plurimos, ipsa quoque eradicabitur. Has autem omnes varietates intellige in animarum vitiis atque peccatis, et quia uniuscujusque opus quale sit, in die judicii ignis probabit (I *Cor.* III).

(Vers. 5-7.) *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: verbum Domini super vos, Chanaan, terra Philisthinorum: et disperdam te ita ut non sit habitator* [Vulg. *inhabitator*]. *Et erit funiculus maris requies pastorum, et caulæ pecorum: et erit funiculus ejus qui remanserit de domo Juda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum.* LXX: *Væ qui habitatis funiculum maris,* [b] *advenæ Cretensium: verbum Domini super vos, Chanaan, terra Allophylorum, et perdam vos de habitatione. Et erit Creta pascua gregum, et ovile pecorum, et erit funiculus* **700** *maris his, qui reliqui sunt de domo Juda: super ipsos pascentur in domibus Ascalonis: post meridiem divertent ÷ a facie filiorum Juda ⁑ quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum.* Quantum ad historiam, non est difficile interpretari, quia in superioribus dixerat: *Gaza destructa* [*Al. deserta*] *erit, et Ascalon in desertum: Azotum in meridie ejicient* [Al. *dejicient*], *et Accaron eradicabitur.* Quatuor magnis Palæstinæ urbibus nominatis, nunc ad ipsam generaliter provinciam patet sermonem Domini fieri, et prædici ei: Væ qui habitatis funiculum maris, Babylonio veniente; quia et ipsi qui juxta mare habitant, perient atque tollentur. Quod autem terra Palæstinorum terra sit Chanaan, nulli dubium est. Et disperdam te, inquit, ita ut nullus sit habitator: et in tantam venies vastitatem, quæ lætabaris in eversione Judææ, ut omnes tuæ urbes munitissimæ in ovilia sint pastorum. Et postquam Dominus visitaverit populum suum, et fecerit eos regredi sub Zorobabel et Jesu, et ædificaverint templum, et exstruxerint Jerusalem, tu ita inculta eris, et sic vepribus urticisque operieris, ut pastores de reliquiis Judæorum in Ascalone post meridiem requiescant, et in urbe quondam nobili greges suos faciant accubare, et hoc fiet, quia Dominus visitabit plebem suam, et avertet captivitatem ejus, quod factum nec ne sit, Deus viderit. Neque enim nunc nobis propositum est historiæ texere veritatem; sed ea intimare nostris, quæ accepimus ab Hebræis. Juxta spiritualem autem sensum et translationem LXX difficilis intelligentia est, maxime quia et in interpretatione discordant. Ubi enim nos transtulimus, *gens perditorum*, illi dixerunt, *advenæ Cretensium*: et quod Hebraice scriptum est GOI CHORETHIM (גוי כרתים), pro GOI, id est, *gente*, legerunt GAR, hoc est, *advenam*: et pro CHORETHIM, quod dicitur, *perditorum*, nomen *Cretæ* insulæ putaverunt. Denique et Aquila, et quinta editio interpretati sunt, **701** [c] ἔθνος ὀλέθριον: Et Theodotio ἔθνος ὀλεθρίας:

[a] Hanc interpretationem ipsemet Hieronymus damnat in Comment. in Amos I: *Azotus, id est, Asdod, ignem uberis, sive patrui. Licet quidam Dor pro Dod, male legentes, ignem generationis putent.* Et certe generatio apud Hebræos *Dor* appellatur, non *Dod*, et proclivis lapsus *D* in *R*, cum, ut ipse annotat, apice tantum hæ litteræ distinguerentur. Vid. Lib. Nomin. de Jesu in *Asdod*, et *Asoth*. Notatum econtrario Victorio est, quod si *ignem generationis* hæc vox significat, corrigendi sint Hebraici codices, et pro ד supponenda sit ר littera: licet Zachariæ IX, dum eamdem vocem exponit, *ignis generis*, aut *ignis patrui*, vel *ignis mamillæ*, ostendit se utramque lectionem habuisse, ut tam per ד quam per ר litteram vox scriberetur. Quippe cum generatio דור, *patruus*, דוד, *mamilla* appellatur.

[b] Regin. ms. *accolæ Cretarum*, hic atque infra: in Græco est, πάροικοι Κρητῶν. Paulo quoque post, *pascua pastorum*, pro *pascua gregum* legit, ad Græc. νομὴ ποιμνίων.

[c] Editi triplex nomen ἔθνος positum in mss. exemplaribus mutarunt cum γένος nomine: quod etsi

Symmachus quoque ἔθνος ὀλεθρευόμενον, quæ omnia cum interpretatione nostra faciunt. Rursum, ubi nos diximus, *Et erit funiculus maris requies pastorum*, et omnes interpretes huic translationi congruerunt, scribitur in LXX : *Et erit Creta pascua gregis, et ovile pecorum*. Igitur spiritualibus spiritualia comparantes, et Vulgatæ editionis cœptam semel tenentes semitam, quærimus an alibi in Scripturis sanctis nomen Cretæ legerimus. Et, ni fallor, illud in promptu est : *Cretenses semper mendaces : malæ bestiæ, ventres pigri : testimonium hoc verum est* (*Tit.* I, 12, 13). Qui fluctuant et circumferuntur omni vento doctrinæ in deceptione hominum, in versutia erroris : isti cum debuerint in terra confessionis, hoc est, in terra habitare Judææ, voluerunt magis advenæ esse Cretensium, qui diversis maris fluctibus hinc inde tunduntur, [a] et sonant ære Corybantio, et sunt, juxta Apostolum, *quasi cymbalum tinniens* (I *Cor.* XIII, 1). Et quia advenæ sunt Cretensium, ideo sermo Dei, hoc est, comminatio fit ad illos : et dicuntur terra Chanaan semper in fluctu, semper in motu, et terra Allophylorum : alieni enim a Deo, in funiculo maris et in Cretæ regione versantur. Fit itaque ad eos sermo Dei, vel in consummatione et fine mundi, vel quotidie per ecclesiasticos viros, et qui possunt cum apostolo dicere : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? ut ejiciantur de Creta, et perdantur de pristinis habitationibus suis, et illa regio quæ prius gregem perditum continebat, incipiat esse ovile pecorum Christi; et Judas, id est, vera confessio, habitet in funiculis maris. Cumque jam cœperit esse mundus ad vesperam, et de multis vocatis pauci electi, et qui nunc reliqui vocantur de domo Juda, paverint eos qui primum in mari, et in Creta, et in mendacio pascebantur : declinabunt in domibus Ascalonis, id est ubi prius ignis diaboli et interfectorum manabat cruor : *Ascalon* enim interpretatur *ignis homicida*. Et hoc fiet quia visitabit Dominus populum suum, et hi qui ante facile capiebantur sophismatibus hæreticorum, quasi de captivitate venientes, vincent adversarios suos, et habitabunt **702** in tabernaculis eorum. Quod autem legitur in LXX, *A facie filiorum Juda*, obelo prænotavimus, nec in Hebræo enim, nec apud ullum fertur interpretum, et contextum capituli sensumque conturbat : non quod difficile fuerit quomodocumque et hoc posito sententiam texere; sed semel decrevimus veritatem interpretationis, et lectoris magis eruditi, quam vulgi judicium sequi.

(Vers. 8 seqq.) *Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus* [Vulg. tacet *Deus*] *exercituum, Deus Israel : quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha : siccitas spinarum et acervi salis, et desertum usque in æternum, reliquiæ populi mei diripient eos : residui gentis meæ possidebunt illos. Hoc eis eveniet pro superbia sua, quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. Horribilis Dominus super eos : et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri* [Al. *vir*] *de loco suo, omnes insulæ gentium.* LXX : *Audivi opprobrium Moab, et contumelias filiorum Ammon : in quibus exprobraverunt populo meo, et magnificati sunt super terminos meos. Propterea vivo ego, dicit Dominus* [Al. *Dominus Deus*] *virtutum, Deus Israel : quia Moab sicut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, et Damascus derelicta quasi acervus areæ, et dissipata usque in sempiternum, et qui reliqui fuerint de populo meo, diripient eos, et residui gentis meæ possidebunt eos : hoc erit eis pro contumelia sua, quia exprobraverunt et magnificati sunt super Dominum omnipotentem : manifestus erit Dominus super eos, et disperdet omnes deos gentium terræ, et adorabunt eum singuli de loco suo, omnes insulæ gentium.* Quod excepto Daniele propheta, qui quatuor regnorum sæpius cernit visiones, et eorum differentias sub aliis atque aliis imaginibus exponit (*Dan.* VIII), Isaias, Jeremias, Ezechiel faciunt, ut post visionem Judæ adversum cæteras nationes, quæ in circuitu ejus sunt, vertant vaticinium, et juxta ἰδιώματα singularum, quæ eis ventura sunt, nuntient, atque in descriptione earum diutius immorentur : hoc nunc propheta Sophonias, quamquam breviter, eodem tamen ordine facit. Post Philisthiim enim contra quos supra comminatio præcucurrit, **703** Gaza, inquit, destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. Nunc adversus Moab, et filios Ammon, sive ut in LXX additum est, contra Damascum, quæ in Isaia (*Cap.* XVII) dicitur *Aram*, texitur prophetia, eo quod præbentes auxilia Nabuchodonosor, vastaverint Judam, conculcaverint sanctuarium ejus, templum quoque subverterint, et subjugato populo Israel, Dominum blasphemaverint. Nabuchodonosor quippe atque Chaldæi, Judæorum urbibus subrutis, cæteras gentes oppresserunt, et ita factum est, ut qui insultaverant populo Dei, ipsi quoque eadem malorum angustia premerentur, et haberent conservum Judam, quem putaverunt se habere subjectum. Igitur antequam veniat captivitas sub Josia adhuc rege, necdum Jerosolymis temploque subversis, dirigitur adversum insultantes prophetia, ut mala quondam populi Dei, cæterarum gentium levarentur malo [*Al.* malis].

idem significet, non erat tamen verbum ab Hieronymo positum nulla ratione abjiciendum. Significat porro ἔθνος ὀλέθριον, *nationem pestiferam* et *gentem perniciosam*. MART. — Pro ὀλέθριον, præfert Regin. cod. ὀλεθριασθρυῶν, ex quo verbo boni aliquid excudere integrum lectori sit. Pro ἔθνος constanter alias erat γένος.

[a] Erant Corybantes sacerdotes Rheæ sive Cybeles, qui sacro correpti furore cymbala pulsabant. Hi primum Idam Phrygiæ montem tenuisse dicuntur; postea autem in Cretam navigasse, quod nunc confirmare videtur Hieronymus, qui etiam legebat *ære Corybantio*, non *Corybantino* ut retinent veteres editiones. Vide *æra Corybantia* apud Virgilium III Æneid. MART.

Audivi, inquit, opprobrium Moab, quæ nunc Areopolis appellatur, et blasphemias filiorum Ammon, quæ et ipsa urbs Arabiæ secunda post Bosram Philadelphia dicitur : in quibus exprobraverunt populo meo, et ejectis Judæis, dilataverunt in terra eorum fines suos. Propterea quia blasphemaverunt me, et exprobraverunt populo meo, ego Dominus exercituum, qui possum implere quod comminor, et Deus Israel, qui in populo meo ipse patior injuriam, faciam ut sit Moab quasi Sodoma, et filii Ammon quasi Gomorrha. Legamus hujuscemodi visiones in Isaia et Jeremia, et eadem quæ nunc hic legimus, reperiemus. *Siccitas spinarum et acervi salis, et desertum usque in æternum*, pro quo nescio quid sibi volentes LXX *Damascum evulsam et derelictam* interpretati sunt, nisi fallor, verbi ambiguitate decepti : siccitas enim quod Hebraice dicitur MAMASAC (ממשק), excepta prima littera MEM si mutetur, et DALETH accipiatur, easdem litteras reliquas habet, quas et Damascus, et potest legi pro superiori verbo DAMASEC. Quæritur autem quomodo istæ urbes, hoc est, Moab et filii Ammon, redactæ sint in Sodomam et Gomorrham, et quasi spinarum ariditas et acervi **704** salis, usque in æternum non ædificentur? Et quod quidem vastatæ sint quasi Sodoma et Gomorrha, exponendi nulla est difficultas. Verum hoc quod sequitur : *Desertæ erunt usque in æternum*, aut destructionem regni earum interpretabimur (quia postea subversæ a Chaldæis, regnum suum perdiderunt, et deinceps vel ab Antiochis, vel a Ptolemæis tenta, novissime Romano imperio colla submiserint), aut certe ὑπερβολικῶς dici accipiendum est : [a] OLAM (עולם) quippe et *æternitatem* sonat et *sæculum*: ex quo et pro uno sæculo, et pro aliquanto tempore, et una ætate accipi potest. Et qui reliqui fuerint de populo Israel, vastabunt eos, et blasphemantia quondam Chaldæorum auxilia possidebunt. Hoc autem eveniet eis pro superbia eorum, quia blasphemaverunt, et magnificati sunt contra populum Domini exercituum, qui Dominus exercituum erit horribilis super eos, et horror ejus non interficiet superbos : non blasphemantium sanguinem fundet; sed disperdet et attenuabit omnia idola eorum, ut qui prius tenebantur errore, et Domini [b] beneficia non sentiebant, malorum necessitate pressi, sciant idola nihil prodesse, et adorent eum unusquisque de loco suo omnes insulæ gentium. Hucusque juxta Hebraicum. Nunc ad LXX interpretes revertamur, cogamusque Judæos, qui tantum sequuntur historiam, exponere nobis quando Moab et filii Ammon facti sint quasi Sodoma et Gomorrha, et quasi acervi salis, et desertæ usque in æternum : debent monstrare sulphureas pluvias, [c] vineas, terram in cineres favillamque conversam, mare supra de puteis quondam salis, quod nunc Mortuum dicitur, inundasse : quando eos diripuerint Judæi, quando residuæ gentes Israeliticæ possederint eos. Aut quæ indignatio Domini est pro blasphemia et contumeliis attenuare et disperdere eos? non Moab et Ammon, sed universam terram, ut adorent eum singuli de loco suo, omnes insulæ gentium? quod magis pro beneficio tribuet blasphemantibus, ut ab errore redeant ad salutem. Quod si voluerint dicere, post regressionem de Babylone has gentes populo Israel fuisse subjectas, **705** primum auctoritatem postulabimus Scripturarum, unde hoc factum probent : deinde cum minime potuerint demonstrare, concedemus eis ex superfluo, atque dicemus : Esto accidisse quod dicitis : quæ justitia Dei esset blasphemasse avos, et exprobrasse atavos, et postea nepotibus redditum? cum utique illa sententia, qua antea dicebatur in Lege, peccata patrum in filios in tertia et in quarta generatione restitui (*Exod.* xx), per Ezechielem soluta sit : *Vivo ego, dicit Dominus : nequaquam dicetur hæc parabola ; sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezec.* xviii, 20). Et simul animadverte, parabolam esse quod dictum est, nec id sonare quod in superficie litteræ proferunt. Quod si injustum est nepotibus reddere quod deliquerint avi : quanto injustius pro stultitia Judæorum hoc ipsum sperare in consummatione mundi fieri, quando non Christus eorum, ut putant; sed est venturus Antichristus. Sicubi enim arctati fuerint in historia, ut doceant completum esse quod dictum est, statim transiliunt ad futura Christi tempora, et omnia quæ non possunt exponere, post mulla sæcula sibi repromittunt, et dicunt, et Moab, et filios Ammon, et Ægyptum, et Philisthiim, et Idumæam, quæ nunc insultant Judæis, eo tempore puniendas. Interrogemus ergo eos, quare has potissimum gentes Deus puniat, et non totum orbem in quo Judæi longe lateque dispersi sunt. Si enim meretur Moab corripi, Judæis insultans, et filii Ammon et reliquæ gentes in circuitu, quare Gallia non corripitur? quare Britannias in comminatione non ponit? cur Hispaniæ a pœna alienæ sunt? quam ob causam de Italia nihil dicitur? de Africa cur tacetur? et ut semel dicam, cum totus orbis Judæos captivos teneat, quid solæ gentes tantum commisere flagitii, quæ in circuitu ejus sunt, ut solæ potissimum nominentur? Hæc contra Judæos, et generalem [d] in omnibus prophetis ubicumque adversum gentes aliqua prophetia dicitur, explanatio-

[a] Ita legunt omnes mss. codices cum L initiali, hoc est, *Lolam*; non *olam* ut in antea editis libris. Ex quo variantem in hoc loco Hebraicam lectionem colligimus; neque enim legebat Hieronymus in suo exemplari Hebraico עד עולם *ad olam*; sed לעולם *Leolam*, cum Lamed præfixo. Nisi dixerimus S. Doctorem non attendisse animum ad contextum, sed ad vocis *Leolam* significationem; non ipse transtulit *usque in æternum* quod utique indicat *ad olam* in Hebraico legisse, aut forte *ad lolam*. At de his æqui lectores eruditique ferant judicium. MART.

[b] Regin. ms. *et Dominum per beneficia non sentiebant.*

[c] Idem ms., *sulfureas pluvias, terram in cinerem favillasque conversam*, absque, *vineas*, voce.

[d] Interserit Victor. *eorum.*

nem. Nunc quod supra diximus, *Damascum* Hebraice non haberi, nec apud quemquam alium interpretem, etiam ex ipso Scripturæ ordine comprobabimus. **706** Ad id enim quod dixerat : *Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon*, postea retulit : *Quia Moab et Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha.* Quod ergo sequitur : *Et Damascus deserta, quasi acervus areæ*, debuerat et de Damasco aliquid præmisisse, ut quomodo de duabus gentibus dixerat : *Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon ut Gomorrha*, quarum peccata ante jam dixerat : sic et Damasci vel opprobria, vel blasphemias descripsisset, ut postea digne supplicium videretur inferre. Sed et hoc ipsum quod dicitur : *Quasi acervus areæ*, quod Græce [a] dicitur ὡς θιμωνία ἁλὸς, putamus LXX ἁλὸς interpretatos, id est, *salis ;* sed ab imperitis qui θιμωνίων, hoc est, *acervum* frumenti vel frugum putaverunt, pro ἁλὸς, additis duabus litteris ω et ν, quasi ad consequentiam frugum, ἅλωνος, hoc est, *areæ*, positum. Hoc de interpretationis varietate et errore sit dictum, et de difficultate historiæ. Qui autem doctus vir est, et spiritualibus spiritualia comparat, et non quærit quæ deorsum sunt, sed ea quæ sursum, et cum Christo resurgit ab inferis, et veterem hominem deponens induitur novo, opprobria [*Al.* opprobrium] Moab, et blasphemias [*Al.* contumelias] filiorum Ammon, ad magistros contrariorum Ecclesiæ dogmatum referet, qui et ipsi videntur de genere esse Abraham, et effugisse incendium Sodomæ et Gomorrhæ, et habitare in Segor parvula. Sed quia generatio eorum in tenebris est, et lumen veritatis non possunt aspicere (declinaverunt enim a Deo Patre, quod interpretatur ex nominibus Lot et Moab) et Dei esse filii cessaverunt (quod dicitur populus meus) et in tenebrosa spelunca concepti de incestis nuptiis substiterunt : propterea usque hodie simplicitati filiorum Judæ insultantes, magnificare cupiunt super terminos ejus possessionem suam, de quibus in Proverbiis dicitur : *Non transferas terminos sempiternos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). Vide hæreticos in dialectica sibi et rhetorica et omnium sophismatum dogmatibus applaudentes, contemnere Ecclesiæ rusticitatem, et quasi indignam mysteriis suis, quæ sibi quasi idola confinxerunt, **707** despicere, et habere pro nihilo : et non quæres quæ sint opprobria Moab, et contumeliæ filiorum Ammon, in quibus exprobraverunt populo Dei. Juravit itaque Dominus per semetipsum dicens : *Vivo ego, dicit Dominus.* Et pulchre ad distinctionem mortuorum deorum, qui appellantur idola, se viventem dicit Deus Israel, hoc est, populi videntis Deum : quod blasphemantes hæ gentes, id est, Moab et filii Ammon, de quibus supra diximus : *Sicut Sodoma et Gomorrha erunt*, videntur quidem sibi in eo quod gentiles non sunt, exisse de Sodomis et Gomorrhis, sed quia blasphemant populum Dei, et contra Israel faciunt, in Sodomam reputabuntur et Gomorrham, et ita delebuntur ut illæ deletæ sunt ante, nullum in se habentes vestigium viroris [*Al.* vigoris] et vitæ. Nec mirum si hoc de hæreticis intelligamus, cum reputentur quasi Sodoma et Gomorrha, cum etiam ad Ecclesiasticos, qui Dei non observavere mandata, et egressi sunt a præceptis ejus, dicatur per Isaiam : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, et attendite in legem Domini, populus Gomorrhæ* (*Isai.* I, 10). Et ad presbyteros cupientes sub figura Susannæ Ecclesiæ corrumpere castitatem, dicat Daniel : *Hoc est judicium Dei : semen Chanaan, et non Juda* (*Dan.* XIII). Et ut sciatis quotiescumque Sodoma et Gomorrha et Ægyptus nominantur, non de his dici provinciis, quas oculis cernimus, sed de aliis spiritualibus, quibus sermo propheticus comminatur : legite in Apocalypsi Joannis : *Locus autem in quo Dominus crucifixus est, vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus* (*Apoc.* XI, 8). Si ergo Jerosolyma in qua crucifixus est Dominus, vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, quare non econtrario Ægyptus et Sodoma et Gomorrha, si opera fecerunt Jerusalem, et terræ Judæ, in terram sortis Domini transferantur? Denique et David non erat de sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propositionis (I *Reg.* XXI), sed quia per singula crescebat opera, et persecutio Saul virtutum illius profectus erat, propterea in fuga sua dum nescit, subito antistes efficitur, et accipit panes propositionis, et non violat mandatum Dei. Hoc totum diximus, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon, ut Gomorrha. Damascus quoque quæ interpretatur, *sanguinem bibens*, aut *sanguis sacci*, **708** erit derelicta a Dei misericordia, quasi acervus salis. Quia enim princeps ejus est rex Aretha, et Damasceni Paulum occidere cupiunt, et per murum in sporta dimittitur (*Act.* IX), non dicitur ad Damascum : *Vos estis, sal mundi;* nec illud sal vocatur, quod semper offertur in victimis, sed quod infatuatum est, et de quo in Evangelio scribitur : *Si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum est utile, neque in terram, neque in sterquilinium, sed foras projiciunt illud, ut ab hominibus conculcetur* (*Matth.* V, 13). Et Moab igitur, et Ammon et Damascus, qui sese adversus Domini scientiam paraverunt, et blasphemaverunt populum Dei : et dixerunt in eum plurimas contumelias, et voluerunt dilatare terminos suos in terra Ecclesiæ, et populum Dei possidere, desertæ erunt et destructæ [*Al.* destitutæ], et reliqui de populo Dei, hoc est, viri Ecclesiastici in Scripturis Dominicis eruditi diripient eos, et residui gentis Dominicæ possidebunt eos, et hoc eis erit pro contumelia, quia [*Al.* qua] ex-

[a] Ad Regii ms. fidem reponimus θιμωνία ἁλὸς, pro quo erat θημωνία ἅλωνος. Nam et ἁλὸς, non ἅλωνος, positum hic ab Hieronymo, subsequens orationis contextus evincit, et in Græcis quoque vetustis exemplaribus hanc præ illa vocem obtinuisse, discimus ex Complutensi. Item *scribitur*, pro *dicitur*, præfert idem Reginæ ms.

probraverunt et magnificati sunt contra Dominum omnipotentem. Vide clementiam, vide misericordiam Domini : contumeliam patitur, blasphematur, diripiuntur termini ejus : et ille quid facit ? Mittit ad reliquias populi sui, de quibus diximus, ut sibi blasphemantes dividat, et in suam ducat possessionem. Multo enim stulto melius est servire sapienti, et fatuitatem ejus Domini sapientia corrigi, quam suæ eum stultitiæ derelinqui. Veniet itaque Dominus omnipotens, et manifestius erit super eos, quem nunc nesciunt, quem ignorant : et disperdet omnia dogmata, id est, deos eorum, et diversarum gentium idola, ut postquam simulacra, quæ de suo sibi sensu composuerant, eversa fuerint, convertantur gentes ad Dominum, et unusquisque in loco suo adoret eum quem nesciebat ante.

(Vers. 12 seqq.) *Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis : et extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur : et ponet speciosam in solitudinem et in invium et quasi desertum. Et accubabunt in medio ejus greges : omnes bestiæ gentium, et onocrotalus, et hericius in liminibus ejus morabuntur : vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari : quoniam attenuabo robur ejus. Hæc est civitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia* **709** *amplius : quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ? omnis qui transit* [Al. *transibit*] *per eam, sibilabit, et movebit manum suam.* LXX : *Et vos, Æthiopes, vulnerati gladio meo eritis : et extendam manum meam super Aquilonem, et* [a] *perdam Assyrium, et ponam Niniven in solitudinem, et inaquosam quasi desertum. Et pascentur in medio ejus greges, et omnes bestiæ terræ : et chamæleontes et hericii in præsepibus ejus cubabunt, et bestiæ clamabunt in foveis suis* [Al. *ejus*], *et corvi in portis ejus : quia cedrus altitudo ejus : hæc est civitas malis dedita, quæ habitat in spe, quæ dicit in corde suo : Ego sum, et non est post me amplius ; quomodo facta est in solitudinem pascua bestiarum ? omnis qui transit per eam, sibilabit, et movebit manus suas.* Judæi totum hoc capitulum et duo superiora contra Philisthiim, et Moab, et filios Ammon ad adventum Christi referunt, quem putant in consummatione mundi esse venturum, qui exstruat Jerusalem, et populum suum liberet de manu gentium, qua tenentur : et hoc sonare quod dicitur : *Et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Non solum autem superiores gentes, sed Æthiopes quoque et Assyrios et Niniven urbem Assyriorum eo tempore ponendam esse in solitudinem, et cubaturas [*Al.* cubituras] in ea omnes bestias terræ, sive ut in Hebræo scriptum est, *omnes bestias gentium :* ex quo significari putant de cunctis nationibus, quæ eversuræ sunt Niniven. Et quia Ninive, *speciosa* interpretatur, in præsenti loco speciosam referunt ad Babylonem. Et omne quod sequitur : *Onocrotalus et hericius in liminibus ejus morabuntur*, et cætera, Babyloni potius convenire, cujus et in Isaia eadem solitudo prædicitur. Et econtrario alii affirmant, manifeste de Assyrio dici, de quo jam præcesserat : *Et extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur, et ponet Niniven in solitudinem.* Per [*Al.* Post] Assyrios enim magis Niniven intelligi, quam Babylonem, quæ civitas Chaldæorum est. Quod autem ait : Onocrotalum et hericium in cardinibus ejus, et corvum in superliminari, solitudinis esse indicia [*Al.* judicia], et onocrotalorum duo genera : aliud aquatile, **710** aliud solitudinis. Et quod ait, *vox cantantis* [Al. *cantici*] *in fenestra*, vel dæmones intelligi, vel variarum voces volucrum, quæ solent in desertis urbibus commorari. Præterea quod et nos et LXX similiter transtulimus : *Corvus in superliminari*, in [b] Hebræo ponitur, HAREB (חרב), quod secundum lectionis diversitatem (ערב), vel *siccitas*, vel *gladius*, vel *corvus* accipitur. Unde et Aquila, *gladium*, alii *siccitatem* interpretati sunt. Et post eversionem quasi insultans ruinæ ejus, sermo propheticus loquitur : *Hæc est civitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia amplius ; quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ? Omnis qui transit* [Al. *transierit*] *per eam, sibilabit, et movebit manum suam.* Juxta hoc autem quod supra diximus, aut vere [*Al.* veræ] in deserta urbe habitabunt bestiæ, aut certe sub bestiarum figura multarum nationum varietas indicatur. Quod si quispiam quæsierit, quomodo juxta historiam ad tempora Nabuchodonosor hæc prophetia referatur : Æthiopibus etiam nuncupatis et Assyriis, quibus Medi et Persæ nihil fecerint, legat historias, et videbit Assyrios quoque et Æthiopes Medis fuisse subjectos, et Cambysis regnum, et Cyri potentiam, et omnia quæ deinceps sint secuta. Hæc Judaice dicta sint. Cæterum si notaverimus in omnibus Scripturis Æthiopes eos appellari, qui penitus in vitia sunt demersi, secundum illud quod in Jeremia legimus : *Si mutabit Æthiops pellem suam* (*Jer.* XIII, 23), Æthiopibus ad meliora conversis spes erit, nullum qui voluerit agere pœnitentiam, a salute alienum fore. Unde et prius anima polluta, et delictorum sordibus inquinata, dicit : *Nigra sum* (*Cant.* I, 4). Et postea in fine Cantici canticorum, de eadem jam purgata et

[a] Ms. Reginæ, *perdet*, et mox *ponet*, ad Græcum ἀπολεῖ, et θήσει.

[b] De hac vocis significatione et lectionis varietate diximus, tom. II adversus Richardum Simonem, pravo sensu Hieronymi opera subvertentem. Vide infra annotationes nostras marginales in Aggæi caput I. MART. — Quasi idem sit, inquit Bochartus Jerozoic. cap. V, חרב per *Cheth*, et ערב per *Ajin* : quod Hieronymo nullus concesserit. Nam ערב per *Ajin* et *Cholem*, *corvum* sonat ; sed חרב per *Cheth* et *Cholem*, *siccitatem*, et *vastitatem ;* aut *gladium*, si sit *Segol*. At non Hebræis litteris determinataque ejus vocis scriptura, sed Latinis *Hareb*, quæ utrique Hebrææ respondere vox possit, scriptum est ab Hieronymo : neque adeo jure a Bocharto, aliisque post eum criticorum filiis accusatur. Confer ipsum S. Doctorem infra in cap. I Aggæi, vers. 11.

lota per pœnitentiam scribitur : *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 5); Moyses quoque, id est, Lex Domini spiritualis, Æthiopissam de gentibus duxit uxorem (*Exod.* II) : et Maria, id est, synagoga Judæorum, et Aaron, id est, carnale sacerdotium, et non secundum ordinem Melchisedech, murmurant adversus Legem, sed frustra. Statim enim synagoga perfunditur **711** lepra, et extra castra projecta, completo tempore, ipso orante Moyse, in castra reducitur. Æthiopiæ enim manus jam prævenerat Deum (*Ps.* LXVII). Comminatur itaque nunc sermo divinus his qui peccatis inhærentes, et obliti sordibus delictorum, nolunt ad meliora converti, et tenebrosum colorem eluere, et comminatur eis gladium, de quo puto scribi et in Genesi : *Statuit Cherubim, et flammeum gladium, qui vertit ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et in Isaia : *Inducet gladium magnum et sanctum* [a] *super draconem colubrum tortuosum, et interficiet illum in die illa* (*Isai.* XXVII, 1, *sec.* LXX). Et dicit eos vel vulnerandos vel interficiendos gladio, ut timentes pœnas, imitentur Niniven, et agant pœnitentiam (*Jonæ* III), et non sustineant quæ Dominus comminatur. Quod quidem et Jeremiæ prophetia sonat : *Loquar*, inquit, *super gentem, et super regnum, et auferam et disperdam eos : et si pœnitentiam egerint, et ego pœnitentiam agam de omnibus malis quæ locutus sum, ut facerem eis* (*Jer.* XVIII, 7, 8). Et ut sciatis propterea nunc Dominum comminari Æthiopibus gladium, ut eos ad meliora convertat, post paululum in hoc ipso libro de Æthiopibus infert : *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei* [b] *filii dispersorum meorum deferent munus mihi* (*Infra* III, 10) : sive, ut in LXX habetur : *De finibus fluviorum Æthiopiæ suscipiam dispersos meos, et offerent hostias mihi.* Post hæc non loquitur Dominus ut supra; sed propheticus spiritus de eo : *Et extendet manum suam super Aquilonem, et perdet Assur* (*Jer.* I, 14). Aquilonem de quo Jeremias scripsit : *Ab aquilone exardescent mala super omnes habitatores terræ.* Et de quo Salomon commemorat : *Aquilo durus ventus : nomine autem dexter vocatur* (*Prov.* XXV, 23). Propterea autem extendit inferentem supplicia Deus manum suam, ut et Aquilo sentiat pœnas, et hi qui in terra ejus sunt, ad quam juxta Zachariam pergunt equi nigri, de quibus dicitur : *Erant* [Al. *In quo erant*] *equi nigri, ibant in terram Aquilonis* (*Zach.* VI, 6). Et pulchre qui moverit pedes suos, et recesserit ab Oriente, de quo idem propheta ait : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Ibid.*, 12), et ad Occidentem respexerit, statim pergit ad Aquilonem, qui [c] non est dexter, sed nomine dexter vocatur. Quod quidem et corporaliter intelligitur, **712** ut quicumque in Oriente steterit, et verterit se ad Occidentem respiciens, ad dexteram habeat Aquilonem, quem A dextrum vocant qui flatu illius refrixerunt, qui tantum nomine dexter est, cæterum re et opere potius in sinistra est. Postquam autem extenderit manum suam super Aquilonem Dominus, perdet etiam Assur, qui interpretatur εὐθύνων, quem multi putant *dirigentem* dici, sed falsum est : εὐθύνων enim *coarguens* dicitur, atque *convincens.* Et quoniam diabolus ipse est inimicus et ultor, et ipse peccata suggerit, et postea in peccatis coarguit peccatores, idcirco εὐθύνων vocatur. Hunc ego esse reor principem Assyriorum, qui habitat ad Aquilonem, et metropolim habet Niniven, et dicit in Isaia : *Fortitudine faciam, et sapientia intellectus auferam terminos gentium, et vires earum depascar* (*Isai.* X, *sec.* LXX). Porro quod sequitur de Ninive vastata : *Et pascentur in ea greges, et omnes bestiæ terræ, et chamæleontes, et hericii in præsepibus ejus accubabunt, et bestiæ requiescent in cardinibus ejus, et corvi in fenestris ejus*, et cætera : videtur mihi juxta illud intelligi debere, quod vel in Jona, vel in Naum propheta scriptum est. Et in Jona quidem Niniven, id est, *speciosam*, quæ ad prædicationem Jonæ, id est, *columbæ*, egerit pœnitentiam, Ecclesiam interpretati [d] sumus de gentibus congregatam. In Naum vero super mundo intelligentiam temperavimus : et de mundo quidem non difficile est interpretari et dicere, quod quando Æthiopes vulnerati gladio Domini fuerint, et extenderit manum suam super Aquilonem, et perdiderit Assyrium principem mundi, etiam ipse mundus cum principe suo pereat, et ad maximam solitudinem redigatur, et nulli miserabilis sit, sed omnes ad ruinam ejus sibilent, et moveant manus suas. De Ecclesia autem videtur prima fronte esse blasphemum, quod ea futura sit invia et deserta, et bestiæ habitent in ea, et postea ei cum insultatione dicatur : Hæc est civitas malis dedita, quæ habitabat in spe, quæ dicebat in corde suo : *Ego sum, et non est præter me amplius, quomodo facta est in solitudinem, pascua bestiarum?* Sed qui **713** consideraverit illud Apostolicum in quo dicitur : *In novissimis temporibus instabunt tempora pessima, et erunt homines sui amatores, avari, arrogantes, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, accusatores, intemperantes, crudeles, odio habentes bonum, proditores, temerarii, inflati, voluptatum amatores magis quam Dei : habentes formam pietatis, virtutem autem ejus denegantes* (II *Tim.* III, 1, *seqq.*). Necnon et hoc quod in Evangelio scriptum est, quod multiplicata iniquitate, refrigescat charitas multorum, intantum ut in illo tempore compleatur : *Verumtamen veniens Filius hominis putas inveniet fidem super terram* (*Matt.* XXIV, 12)? non mirabitur de extrema Ecclesiæ vastitate, quod, regnante Antichristo, redigenda sit in solitudinem, et tradenda bestiis, et passura quæ-

[a] Interserit Victorius, *et fortem*, juxta Græcum Septuaginta textum.

[b] Idem corrigit, *filia*, ex Hebraico et Vulgata editione : apud LXX pro *filia*, legitur *suscipiam*.

[c] In Regin. ms. verba, *non est dexter, sed nomine*, non habentur.

[d] Atqui nondum Jonam illustrare cœperat. Fortasse licia et subtegmina apud se texendo operi jam paraverat, atque ea sunt quæ hic laudat.

cumque nunc prophetæ describit. Si enim Deus propter infidelitatem ramis naturalibus non pepercit, sed fregit eos, et posuit flumina in desertum, et fontes aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, propter malitiam habitatorum ejus : cur non econtrario eos de quibus dixerat : *Posuit desertum in paludes aquarum, et terram sine aqua in fontes aquarum, et habitare fecit ibi esurientes*, et cætera, et quos inseruit de oleastro in radicem bonæ olivæ, si immemores beneficii recesserint a conditore suo, et adoraverint Assyrium, evertat et ad eamdem sitim reducat, in qua prius fuerant? Quod cum generaliter in adventu Antichristi, sive in fine mundi possit intelligi : tamen quotidie in his qui simulant se esse de Ecclesia Dei, et operibus negant, auditoresque legis sunt, et non factores, accipi potest, [a] qui frustra speciosos se esse jactent, cum habitent in eis greges, vitiorum scilicet multitudo, et bruta animalia corpori servientia, et omnes bestiæ terræ, quæ corda eorum comedunt, et chamæleontes qui non habent unum colorem ; sed diversis peccatis, nunc avaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exsultatione per momenta mutantur. Et hericii in præsepibus eorum, animal spinosum et plenum sentibus, et vulnerans quidquid contigerit. Sed et bestiæ cubabunt in foraminibus, id est, in cordibus eorum, et corvi immundæ **714** aves in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quo aut loquantur semper, aut audiant mala. Post quæ infertur et dicitur : ideo Ecclesiam hæc passuram fore, vel esse perpessam, quod in superbiam se elevaverit, et quasi cedrus suum cacumen erexerit, malis operibus dedita, et nihilominus futuram sibi beatitudinem repromittens, et in corde suo cæteros despiciens, nec putans quemquam esse præter se, et dicens : *Ego sum, et non est alia præter me ultra* : quomodo ergo facta est in solitudinem pascua bestiarum ? Ubi enim prius habitabat Pater, et Filius et Spiritus sanctus, et angeli ejus ministeriis præsidebant, tunc habitabunt bestiæ, de quibus et propheta complorat dicens : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Ps.* LXXIII, 19). Omnis qui transibit per eam, sibilabit et movebit manus suas. Quod si de angelis intellexerimus, ita interpretabimur : cum transierint per eam angeli, et non manserint in ea, ut prius facere consueverant, stupebunt et mirabuntur : et non eam fulcient, et sustentabunt ruentem manu sua, sed levabunt manus et pertransient. Vel certe cum sibilo attollent manus, et quasi plangentes in morem lugentium concrepabunt. Si autem hoc de diabolo et angelis ejus voluerimus accipere, qui vineam quoque, quæ de Ægypto translata fuerat, vastaverunt : dicemus, per animam de qua Christus recesserit, et quæ prius templum Dei fuerat, et esse desivit, transire serpentem, et sibilare in ea, et venena suæ malitiæ evomere : et non solum hoc facere, sed opera quoque sua quæ τροπικῶς manus vocantur, movere. Ac ne putes quia colubrum nominavimus, violenter nos manus colubri, pro opere intelligere, accipe testimonium Salomonis : *Mors, et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Hæc diximus, ut potuimus interpretationi allegoricæ servientes. Si quis autem magis verisimilia, et habentia rationem quam a nobis sunt disserta repererit, illius magis lector auctoritate ducatur.

(Cap. III. — Vers. 1 seqq.) *Væ provocatrix et redempta civitas : columba non audivit vocem, et non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Dominum* [Vulg. *Deum*] *suum non appropinquavit. Principes ejus in medio ejus, quasi* **715** *leones rugientes : judices ejus lupi vesperæ, non relinquebant in mane. Prophetæ ejus vesani, viri infideles : Sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem. Mane mane judicium suum dabit in luce, et non abscondetur : nescivit autem iniquus confusionem : disperdidi gentes, et dissipati sunt anguli earum : desertas feci vias eorum, eo quod non* [Vulg. *dum non*] *est qui transeat : desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. Dixi, attamen timebis me, suscipies disciplinam, et non peribit habitaculum ejus propter omnia in quibus visitavi eam. Verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.* LXX : *O illustris et redempta civitas, columba non audivit vocem, non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, et ad Dominum suum non appropinquabit. Principes ejus in ea veluti rugientes leones : judices ejus sicut lupi Arabiæ, non dimittebant in mane : prophetæ ejus portantes spiritum, viri contemptores : Sacerdotes ejus polluunt sancta, et impie agunt in legem : Dominus autem justus in medio ejus, et non faciet iniquitatem. Mane mane judicium suum dabit in luce, et non est absconditus, et nescit iniquitatem in exactione, nec in sempiternam injustitiam : detraxi superbos, dissipati sunt anguli eorum : destruxi vias eorum ut penitus non transeant : defecerunt civitates eorum, eo quod nullus subsisteret, neque habitaret. Dixi, verumtamen timebitis me, et suscipietis disciplinam, et non peribitis de oculis ejus in omnibus in quibus ultus sum super eam.* [b] *Præparare, consurge diluculo : disperierunt omnes racemi eorum.* Multi putant propter consequentiam sermonis dici adversum Niniven, de qua supra : *Et perdet Assyrium, et ponet Niniven in solitudinem.* Sed numquam Scriptura Niniven columbam vocaret : licet in Jeremia, *a facie gladii columbæ* de Nabuchodonosor quidam dictum putent (*Jer.* XV). Sed sciendum quod alii econtrario asserant, pro *columba*, ibi posse intelligi **716** [c] Ἑλλάδα, id est, *Græciam*, ut sit sensus, *a facie gladii Jona*, id est, *a facie gladii Græcia* : Jona

[a] Ms. Regin., *quod frustra speciosa esse se jactent.*

[b] Postremus iste versiculus, *Præparare*, etc., in Regin. ms. hic non habetur.

[c] Idem ms. *elaam*, qui et verba, *a facie gladii Jona*, prætermittit. Proxime superiorem expositionem de Nabuchodonosor ipse probat Hieronymus in Comment. in Jerem. cap. XXV, in fine : *Non mirabitur*,

enim tam columbam quam Græciam significat. Unde et usque hodie Græci Jones, et mare appellatur Jonium, et apud Hebræos permanet eorum vetus vocabulum. Sed et principes Romani apud barbaras nationes antiquum vocabulum retinentes, Cæsares appellantur. Omnis itaque contra Jerusalem sermo est : Væ civitas quondam columba, semper peccans, et captivitatibus tradita, et rursum redempta a Domino. Væ civitas provocatrix : quod significantius Hebraice dicitur MARA (מֹרָאָה), id est, παραπικραίνουσα : quod nos possumus dicere, Deum amarum faciens, id est, tuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem, ut qui misereri vult, punire cogatur. Non audivit præceptum Domini, et correpta noluit suscipere disciplinam ; nec prementibus malis aliquando confisa est in Domino Deo suo ; nec ambulavit post tergum ejus ; nec dicente eo : *Ego Dominus appropinquans, et non de longe* (*Jer.* XXIII, 23), ipsa ei appropinquare voluit. Describuntur quoque principes ejus, et judices, et prophetæ, et sacerdotes, ut in civitate populum, et in his quæ dixi, nominibus dignitatum, principes accipiamus. Principes igitur ejus quasi leones semper versabantur in prædis, et ad effundendum sanguinem subjectorum : judices ejus rapaces, non dimittentes aliis quod possint rapere. Prophetæ ejus *insanientes*, sive *stupentes*, quod Hebraice dicitur [a] PHOEZIM, et Aquila transtulit [b] θαμβευταί, loquebantur quasi ex ore Domini, et omnia contra Dominum prædicabant. Sacerdotes in loco sanctuarii commisere sacrilegium, et cum contra legem facerent, ex lege victimas offerebant. Propterea quia illi egerunt injuste, Dominus justus non faciet iniquitatem ; sed restituet urbi pessimæ quæ meretur. *Mane, mane*, id est, manifeste et absque **717** aliqua ambiguitate faciet de ea judicium, nec erit quod ab eo possit abscondi. Et hoc faciet Dominus, ut correpta civitas convertatur ad melius. Sed iniquus Israel non cognovit confusionem suam, nec intellexit idcirco sibi illatas plagas, ut ageret pœnitentiam. Vindicavi te, inquit postea de gentibus, et destruxi imperia earum, ut qui per plagas me non senseras, saltem per beneficia cognosceres. Vel certe sic intelligendum : Disperdidi omnes civitates tuas, o Juda, et omnes subjectos tibi pagos et tribus, et diversa confinia, et tanta hominum vastitas fuit, ut non esset qui habitaret in urbibus tuis ; et inquit, *columbam Domini intelligi Nabuchodonosor, qui supra eum vocari servum Domini legerit.*

[a] Confictam lectionem Græcam hic nobis obtrudunt veteres editiones : Erasm. et Marian. legunt enim ἐνθουσιαζόμενοι, cujus vocis nullum exstat vestigium in codicibus mss. qui distincte retinent Aquilæ lectionem, nempe θαμταί, sive θαμπταί cum π in medio, quod elementum omissum videtur ab antiquis exscriptoribus linguæ Græcæ prorsus imperitis. Θαμπταί porro *stupentes*, id est *insanientes* dicuntur propter furorem et insaniam pseudoprophetarum et similium falsorum doctorum. MART.

[b] Hanc vocem, Θαμβευταί, codicis Reginæ monitu, facem præferente Montfaucönio in Hexaplis, restituimus. Scriptum nempe ita invenimus, ΘΑΜΒΙΥΤΜ, quam scripturam uno alterove loco, quod ductus ipse litterarum monebat, nullo negotio emendamus, ΕΥΤΑΙ in fine, pro ΙΥΤΜ substituentes. Porro hanc unam esse germanam lectionem, sive interpretationem Aquilæ, ex eo manifesto liquet, quod ipsum verbum פחז alibi, sive Genes. XLIX, 3, θαμβεύειν reddiderit, unde ex illo derivatum nomen פיחזים, fuisse Θαμβευτὰς interpretatum, dubio vertetur nemini. Suffragatur et quam in ms. quodam noni sæculi invenisse se ait laudatus Montfauconius, lectio *caalbrutai*, quam commode satis, atque ingeniose ad Græcarum litterarum orthographiam in hanc Θαμβευταί exegit. Erat vero in hactenus vulgatis libris Θαμταί, vel Θαμπταί, quæ, ut ad veram lectionem proxime accederet, sponte se prodebat amanuensium corruptam vitio.



A postquam hoc feci, misi prophetas meos consurgens diluculo, et ad pœnitentiam provocans, dixique : Feci quidem tibi hæc, o Jerusalem, sed feci ut timeres me, et susciperes disciplinam, et non periret habitaculum tuum, hoc est, templum, propter omnia scelera quæ gesseras. At econtrario, habitatores Jerusalem, me eos ad pœnitentiam provocante, quasi de industria et ex contentione diluculo surrexerunt, ut festinatione qua ad me redire debuerant complerent omnes cogitationes suas, et opere demonstrarent, quod mente conceperant. Hoc juxta Hebraicum. Cæterum illustris et redempta civitas Christi sanguine, juxta superiora perspicue Ecclesia intelligitur, quæ et vocatur columba, propter simplicitatem multitudinis in ea credentium. Hæc

B non audivit vocem Domini, neque suscipere voluit disciplinam, nec confisa est in Domino, quia noluit appropinquare ad Dominum Deum suum, ut mereretur veniam peccatorum. Frustra enim quis vocem Domini Dei sui audire se dicit, et confidere in Domino, quando operibus fidem destruit, et magis mammonæ jungitur quam Domino Deo suo, et duplici corde accedit ad eum, et duobus Dominis, sæculo et Deo militare posse se credit. Hujus principes sunt sicut leones rugientes. Non ambiginus de rugitu leonum et discursu : quando viderimus principes ejus ita in subjectos populos detonare, et voce tyrannica rabidisque conviciis plebem conterere, ut non pastorem in grege, **718** sed leonem in-

C ter oviculas pules frendere. Judices quoque ejus quasi lupi Arabiæ, occidentes vespere, et nil relinquentes in mane : non aspicientes ad ortum solis, sed morantes semper in tenebris, et possessiunculas Ecclesiæ, et ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quod mane comedant, qui quasi in nocte, et nullo vidente, omnia populantur ; et cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt. Prophetæ etiam, id est magistri qui se putant docere populos, et de Scripturis sermocinari, πνευματοφόροι, id est, *portantes spiritum*, sive *spirituales* (et hoc εἰρωνικῶς legendum) sunt viri contemptores : non enim docere, sed facere in Ecclesia convenit, non factis verba destruere. Cæterum tu cum alium doceas, et ipse non facias, non tam

D doctor quam contemptor vocandus es, de quo et in

Habacuc scribitur : *Videte contemptores et respicite, et admiramini mirabilia, et disperdimini* (*Abac.* I, 5). Sacerdotes quoque qui Eucharistiæ serviunt et sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes εὐχαριστίαν imprecantis facere [a] verba, non vitam, et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita, de quibus dicitur : *Et sacerdos in* [b] *quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino* (*Levit.* XXI, *juxta* LXX). Cum hæc faciant principes, judices, prophetæ, sacerdotes Jerusalem, nihilominus clemens et justus est Dominus. Clemens, in eo quod a sua Ecclesia non recedit : justus, in eo quod reddit unicuique quod meretur. Postquam enim advenerit mane, et nox hujus sæculi pertransierit, dabit in luce judicium suum, et non abscondetur vel ipse, vel judicium ejus. Et cum cœperit a singulis exigere pecuniam quam eis commiserat, non erit injustus, nec faciet in perpetuum valere injustitiam ; sed superbos principes, quibus resistit Deus, detrahet de cathedris suis, et de culmine quod tenebant, et dissipabuntur anguli eorum, id est pravæ voluntates, et a recto itinere declinantes, in quibus semper et Pharisæi orare consueverant, angulari **719** lapide contempto. Puto autem quod et superbis prosit dehabi eos de arrogantia sua, et dissipari angiportus et angulos eorum, ut postea recto itinere gradiantur. Denique sequitur : *Et desertas faciam vias eorum, eo quod non sit qui pertranseat :* secundum illud quod in primo psalmo scriptum est : *Et iter impiorum peribit* (*Ps.* I, 6). Necnon et in Osee, ubi de Jerusalem dicitur fornicante : *Ecce ego claudam vias ejus spinis, et obstruam itinera ejus, et semitam suam non inveniet, et persequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet ; et dicet : Vadam, et revertar ad virum meum priorem, quoniam bene mihi erat tunc magis quam nunc* (*Osee*, II, 6, 7). Animadverte quod nisi clausæ fuissent viæ, et obsepta itinera, et nisi destruxisset Dominus vias ejus, numquam dicere potuisset anima fornicans : *Vadam, et revertar* [c] *ad virum meum priorem.* Dissipantur ergo itinera superborum et anguli eorum, ne ambulent in superbia et in pravitate, et urbes eorum quæ male ædificatæ fuerant in arrogantia et superbia, destruuntur, ne subsistant et habeant habitatores pessimos. Ac ne quis putet nos vim facere Scripturæ, discat ex consequentibus : Hæc autem, inquit, feci, ut dicerem eis : Ecce destructa sunt itinera malitiæ, de cætero timete me, et discite [*Al.* suscipite] disciplinam, ne et disciplina mea pereat, fructum in vobis conversionis non inveniens ; et omnia irrita sint, per quæ vos volui corripere, et lle vobis sermo qui in Jeremia scriptus est, possit aptari : *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non recepistis* (*Jer.* II, 30). Vel certe : timete me, et recipite disciplinam, ut non pereant omnia de conspectu Jerusalem, nec penitus ad solitudinem deducatur super his malis, in quibus [*Al.* qua] comminatus sum ei. Nec moveat aliquem (ut sæpe jam dixi) quod hæc adversum Ecclesiam dicta interpreter, cum sciat Jerusalem in Scripturis sanctis semper typum habere Ecclesiæ : de qua qui peccaverit, vel in Babylonem abducitur, vel si sponte descendere voluerit, in Jericho a latronibus vulneratur. Quæ est enim ita illustris ut Ecclesia, quæ in toto orbe fundata est : **720** ita redempta Christi sanguine et columba propter gratiam Spiritus sancti, ut Ecclesia de gentibus congregata ? in qua plurimi qui se dicunt in Christum credere, nec audierunt vocem ejus ; nec receperunt disciplinam, nec juxta eum esse voluerunt. Quod autem dicitur : *Principes ejus in ea sicut leones rugientes*, scio offensurum me esse plurimos, quod super episcopis et presbyteris hæc interpreter, cum et presbyteri mali, qui Susannam violare cupierunt, cæteros presbyteros qui bene vixerint, non condemnent. Et mali principes, quos describit sermo propheticus, non sint bonis principibus contumeliæ : *Stulto enim flagellato, insipiens sapientior erit* (*Prov.* XIX, 15) : si autem insipiens sapientior fit, quanto magis ille qui sapiens est ? Sed judices ejus ac principes capientes munera, vendentesque justitiam, nonne recte appellantur *lupi Arabiæ*, vel *vespertini*, sicut Symmachus transtulit ? Non enim merentur lupi dici Benjamin, qui mane rapiunt, et ad vesperam dant escam (*Gen.* XLIX) ; sed lupi vespertini, qui noctibus comedunt, et in mane nihil relinquunt. Quod autem sequitur : *Prophetæ ejus* πνευματοφόροι, id est, *portantes spiritum, viri contemptores*, nullum moveat quod super doctoribus interpretantes, eosdem et prophetas dicamus et contemptores, cum et Apostolus præcipiat : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). Et David loquatur in quinquagesimo psalmo : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Ps.* L, 13). Nisi enim Spiritus sanctus contristatus fugere consuevisset prius hospitium, et dimittere habitaculum suum, numquam et Paulus præcepisset quod supra dixi ; et David post adulterium formidaret, ne perderet quod acceperat, de quo et ad Hebræos scribitur : *Quanto arbitramini deteriora mereri supplicia eum, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti immundum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit* (*Heb.* X, 29) ? Sed et in tertio Regnorum *libro* scriptum est : hominem Dei, haud dubium quin prophetam, qui ad altare [d] dixerat in Samaria : *Altare, altare, hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur*

[a] Confer. lib. contra Luciferianos n. 5 et seqq. Cave enim hæc ita accipias, quasi necessariam putaverit S. Doctor in sacerdotibus rectam vitam, ut valide eucharistiamconficiant : cum id ille unum caveat, ne dum de sola sibi sacerdotes potestate oblandiuntur, rectam vivendi deserant normam, et quod potestate construunt, exemplo destruant.

[b] Ms. Reginæ, *in quacumque fuerit macula.*

[c] Interserit hic Regin. ms. *in domum meam*, Græco ut et supra textu renuente.

[d] Olim erat, *ad altare destructum, postquam dixerat.* etc., pro quo retinuit Victorius, *exstructum, postquam.*

**721** *David* (III *Reg.* XIII, 2), et cætera; quia contempserit verba Domini, et comederit apud pseudoprophetam (sic enim locum istum exponens Josephus interpretatus est), interfectum esse a leone. Et ne putaretur casus et non judicium Domini, et pseudopropheta qui eum deceperat, hoc futurum esse prædixit, et ipse leo contemptorem puniens, asinum reservavit. Non ergo mirum si doctores qui sancto Spiritu pleni fuerant, possint fieri contemptores, cum apud negligentes et non omni custodia conservantes cor suum, hæc ipsa causa frequenter soleat superbiæ in Dominum et contemptus existere, quod habeant scientiam Dei, et noverint multam bonitatem ejus, quam abscondit timentibus se, et contemnant divitias bonitatis ejus thesaurizantes sibi iram in die iræ et revelationis. Sacerdotes quoque (qui dant baptismum et ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum : faciunt oleum chrismatis : manus imponunt; catechumenos erudiunt : Levitas et alios constituunt sacerdotes) non tam indignentur nobis hæc exponentibus et prophetis vaticinantibus, quam Dominum deprecentur, et studiose agant ne de sacerdotibus qui violant sancta Domini, esse mereantur. Non enim dignitas et nomina dignitatum, sed opus dignitatis, et principes, et judices, et prophetas, et sacerdotes salvare consuevit : *Qui episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat* (I *Tim.* III). Videte quid dixerit : *bonum opus desiderat*. [a] Opus non dignitatem. Si autem, despecto opere, solam aspexerit dignitatem, cito corruit turris in Siloa, et excelsa cedri fulmine feriuntur, et erecta cervix frangitur, et cygnus, extento collo, et in sublime se tendens, inter immundas volucres computatur. Porro quod exposuimus juxta Hebraicum : *Verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas*, pro quo in Septuaginta scribitur : *præparare, consurge diluculo, dissipata est omnis frondositas eorum*, quia multum ab Hebraico discrepat, et magis videtur juxta LXX cum posterioribus concordare, in sequentibus exponemus.

(Vers. 8, 9.) *Quapropter exspecta me, dicit Dominus,* **722** *in die resurrectionis meæ in futurum : quia judicium meum ut congregem gentes, et colligam regna, ut* [Vulg. *et*] *effundam super eas* [Vulg. *eos*] *indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra : quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen* [Vulg. *in nomine*] *Domini, et serviant ei humero uno.* LXX : [b] *Propterea exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in testimonium : quia judicium meum in congregationes gentium, ut suscipiam reges, ut effundam super eos iram meam omnem, iram furoris mei : quia in igne zeli mei consumetur omnis terra, quia tunc convertam* [c] *super populos linguam in generationem ejus, ut invocent omnes nomen Domini, ut serviant ei sub jugo uno.* Hæc Judæi interpretantur in adventu Christi, quem sperant venturum esse, et dicunt universis gentibus congregatis, et effuso super eas furore Domini, in igne zeli ejus terram devorandam. Et sicut [d] ante ædificationem turris fuit, quando una lingua omnes populi loquebantur, ita conversis omnibus ad cultum veri Dei, locuturos Hebraice, et totum orbem Domino serviturum. Nos autem qui non sequimur occidentem litteram, sed spiritum vivificantem, nec Judaicas fabulas, audimus a Domino : *Præparare, consurge diluculo : dissipati sunt omnes racemi eorum ;* et præparati dicimus : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Ps.* LVI, 8). Audimusque in Proverbiis imperatum : *Præpara in egressu opera tua* (*Prov.* XXIV, 27). Et illud quod in Levitico (*Cap.* XVI) sacrate dicitur, ubi septimo mense, decima die mensis offert Aaron pro populo hircum emissarium, atque viventem, et ponens manus super caput ejus, imprecatur ei cuncta peccata populi Israel, traditque eum in manus hominis præparati, et mittit in eremum (intelligimus in nobis) et præparantes nos veri imperio sacerdotis, tollimus malum de medio Ecclesiæ. Cumque hæc fecerimus, nox præterit, appropinquat dies, et quasi in die honeste ambulantes, dicimus : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo* (*Psal.* LXII, 1). Statimque inferimus : *Mane exaudies orationem meam, mane assistam tibi, et videbo* (*Psal.* V, 4, 5). Nisi enim præparati fuerimus, **723** non nobis orietur sol justitiæ. Orto autem sole, omnes racemi de vinea Sodomorum dissipantur et pereunt, ut non solum grandes botri, sed etiam quod parvum esse videbatur in nobis, Christi lucerna radiante, dispereat. Et pro his omnibus mercedem nobis pollicens Deus, ait : *Exspecta me in die resurrectionis meæ in testimonium :* post vitia enim atque peccata Deus resurget in nobis. Et juxta quod in alio loco præcipit : *Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus Deus : et puer quem elegi* (*Isai.* XLIII, 10) : testis est nobis Pater cum Filio et Spiritu sancto, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum (*Deut.* XVII). Et magis mihi videtur sic stare sententia, et sub his tribus testibus veritas confirmari, quam per [*Al.* secundum] litteram. Duo enim fuerunt testes contra Susannam (*Dan.* XIII), et contra ipsum Dominum Salvatorem (*Matt.* XXVI), et tamen non stetit verbum in ore eorum. Contra Naboth quoque pene tota civitas dixit testimonium, consensusque testium pessimorum non firmitatem habuit veritatis, sed sceleris conjurationem (III *Reg.*

Mox quoque pro *filius nascetur David*, reposuit *filius nascetur domui Jacob.* In nostris mss. et Martian. editione nihil simile invenire est, duæque illæ voces, *exstructum postquam*, contextui incommodæ præterea videbantur.

[a] Vocem, *opus*, ἐμφατικωτέρως, duo nostri mss. supplent.

[b] Versiculos, *Præparare consurge*, etc, quem in superiori sectione diximus, in Regin. ms. non haberi, hic demum loci ab eodem recensetur.

[c] Idem ms., *convertam in populis linguam in generationes*, etc., juxta nonnullorum exemplarium Græcum textum. Mox emendamus, *invocantes nomen*, pro quo erat, *nomine*.

[d] Rursum idem ms., *Et sicut antea in ædificatione turris*, etc.

xxi). Quia judicium, ait, meum in congregationes gentium, ut suscipiam reges, in loco videlicet supplicíorum suorum, ut effundam super eos iram meam, omnem iram furoris mei. Qui minor est, cito meretur veniam, et misericordiæ proximus est : *Potentes autem potenter tormenta patientur* (*Sapien.* vi, 6). Unde gentes et gentium multitudo congregatur ad judicium; reges autem, id est, principes dogmatum perversorum adducentur in pœnam, ut effundatur super eos omnis ira furoris Domini. Et hoc non crudelitate fit aliqua, ut arbitrantur sanguinarii Judæi. sed misericordia, et consilio medicantis. Sequitur enim : *In igne enim zeli mei consumetur omnis terra.* Gentibus quippe ad judicium congregatis, et regibus ad supplicium, ut effundatur super eos ira, et non ex parte, sed tota, et ira ac furore sociato, consumatur in toto orbe quidquid terrenum est, quidquid ad opera terræ, id est, carnis pertinet : omnes ejus vepres et spinosa fruteta vastans, zeli mei vorabit incendium. Et tunc convertam super populos linguam in generationem suam, ut unusquisque errore deposito ad antiquum confessionis Domini eloquium revertatur : et *in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis* **724** *lingua confiteatur Dominum Jesum in gloria Dei Patris* (*Philipp.* ii, 10). Abjectisque lateribus, et bitumine quæ habebamus pro lapidibus et luto, quibus erroris nostri superbiam exstruebamus contra Dominum, recipiamus linguam quam ante perdidimus, et simus sub jugo Christi, dicentis : *Jugum meum suave est, et onus meum leve est* (*Mat.* xi, 30). Notandum autem quod in eo loco, ubi nos interpretati sumus : *reddam populis labium electum*, pro electo, Septuaginta dixerunt, *in generationem ejus*, ut subaudiatur, *terræ*. Et hinc error exortus est, quod verbum Hebraicum BARURA (ברורה), quod Aquila et Theodotio *electum*, Symmachus *mundum* interpretatus est : Septuaginta legerunt BADURA (בדורה), RES litteram DALETH existimantes, propter elementi nimiam similitudinem, quod parvo apice distinguitur. Necnon ubi nos transtulimus, *In die resurrectionis meæ in futurum*, et omnes interpretati sunt, *in testimonium*. Hebræus qui me in Scripturis instituit, asserebat LAED (לעד) in præsenti loco magis εἰς ἔτι id est, *in futurum*, debere intelligi, quam *in testimonium*, ED enim, quod scribitur per litteras AIN et DALET, ἔτι, et μαρτύριον, id est, *futurum*, et *testimonium*, intelligi. Possumus hunc locum et de primo Christi adventu exponere, quando, omni errore sublato, dæmonibusque calcatis, et terrenis operibus destructis, apostoli universis linguis locuti sunt (*Act.* ii), et veteri errore sublato, unum confessionis redditum est labium. Sed et reges qui destruuntur, et divino consumuntur ardore, perversorum dogmatum principes sentiendi sunt.

(Vers. 10 seqq.) *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii* [Al. *filia*] *dispersorum meorum, deferent munus mihi. In die illo non confunderis super cunctis adinventionibus tuis, quibus prævaricata es in me : quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo, et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini, Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur et accubabunt, et non erit qui exterreat.* LXX : *De finibus fluminum Æthiopiæ suscipiam dispersos meos : afferent victimas mihi. In die illa non confunderis ex omnibus adinventionibus tuis,* **725** *quibus impie egisti in me, quia tunc auferam a te detractionem contumeliæ tuæ, et ultra non adjicies ut magnificeris super montem sanctum meum : et relinquam in te populum mansuetum et humilem, et verebuntur nomen Domini, qui fuerint reliqui de Israel, et non facient iniquitatem, et non loquentur vana, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa, quoniam ipsi pascentur et accubabunt, et non erit qui exterreat eos.* Cum reddiderit Dominus credentium populis labium electum, et invocaverint omnes nomen Domini, et portaverint jugum ejus tunc etiam ultra flumina Æthiopiæ (unde venit regina Saba audire sapientiam Salomonis (III *Reg.* x) deferent victimas Domino : *Et Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Psal.* lxvii, 32) : veroque legifero, qui decem plagis percussit Ægyptum (*Exod.* ii), nubet Æthiopissa, invidente synagoga Hebræorum. Quod autem ait juxta Hebraicum : *Inde supplices mei filia dispersorum meorum, deferent munus mihi*, hujuscemodi est : O Israel, o synagoga quondam filia, quam in toto orbe dispersi, licet invideas [*Al.* invidia], licet æmulatione crucieris, tamen de Æthiopia mihi victimæ deferentur, id est, de gentilium populo. In die illa, id est, quando gentium crediderit multitudo, etiam tu non penitus confunderis super cunctis erroribus tuis, quibus prævaricata es in me, eligendo Barabbam, et Dei Filium crucifigendo (*Joan.* vi). Tunc auferam de medio tui Scribas, et Sacerdotes, et Pharisæos, magniloquos superbiæ tuæ, et nequaquam te in monte sancto meo ultra jactabis ; sed habebis populum pauperem, homines illitteratos, et piscatores, qui sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel, non multitudo quæ clamavit : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* xix, 6) : non pontifices et optimates ; sed reliquiæ nequaquam facient iniquitatem, nec loquentur mendacium in Christo, veritati credentes : nec invenietur in ore eorum lingua dolosa, scientes quod omne mendacium de diabolo est (*Joan.* viii) ; quoniam ipsi pascentur, et dicent : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit* (*Psal.* xxii, 1) : et non erit qui exterreat, vincente fide credentium persecutorum superbiam. Hoc de primo **726** adventu Christi intellectum sit, quod Judæi sibi in fine promittunt, et sperant se habitaturos in Jerusalem, et in morem pecorum corporalibus [a] do-

[a] Ms. Regin., *corporalibus bonis operibusque complendos*. Paulo post ex eodem et Victorio legimus

nis Judæ opibusque complendos et pascendos herbis viridibus, et deletis cunctis gentibus, sibique subjectis, nullum posse residere qui eos exterreat. Nos autem accipientes ex hac fabula occasionem veræ historiæ, dicimus [*Al.* dicemus], omnem nigredinem animæ, et tetrum colorem, ac draconis venenum, quo tincti fueramus vitiis atque peccatis, reddito nobis labio electo, sive mundo, et candido (ut interpretatus est Symmachus) derelinquere nos in fluminibus Æthiopiæ perversorum dogmatum magistros, quibus ante irrigabamur, et cum disperso [*Al.* dispersis] quondam Israel Christo munera delaturos. In die illa, qua nobis Christi lumen fuerit exortum, dicetur ad singulos nostrum : non confunderis ex omnibus tuis adinventionibus, cogitationibus videlicet pessimis, quibus impie agebamus contra Dominum, et tolletur universa superbia et contumelia per quam erigebamur contra Dominum, et contra montem sanctum ejus Dominum nostrum et Salvatorem, et pro superbis vanisque nominibus relinquetur in nobis populus mansuetus et humilis, ut nihil arrogans, nihil tumens, nihil quod Deo displiceat, cogitemus. Simulque considera quod in die judicii, et in consummatione mundi tollantur universa nomina dignitatum, et unus populus remaneat, et grex sub pastore bono, qui sit mansuetus et humilis. Tunc etiam populus Israel, plenitudine gentium subintrante (*Quia conclusit Deus omnes sub peccato, ut omnibus misereatur* (*Rom.* XI, 32)) timebunt nomen Domini. Et reliquiæ Israel non facient ultra iniquitatem, per quam Dominum negaverunt, nec loquentur vana : ineptas sibi fabulas promittentes : nec invenietur in ore eorum lingua mendacii, Christo per eos, qui veritas est, loquente. Tunc enim pascentur, et ipsi in uno grege, et accubabunt in Ecclesia, et veri Nabuchodonosor impetus non timebunt. Hæc videntes et legentes tanta mysteria, clamemus cum Apostolo, atque dicamus : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam* **727** *inscrutabilia sunt judicia tua, et investigabiles viæ tuæ* (*Rom.* XI, 33). Quod quidem et propheta sentiens, et secum volvens, de Dei judiciis suspicatur. *In nocte cum corde meo exercebar, et scopebam spiritum meum*, et dicebam : *Numquid in sempiternum abjiciet Deus, aut non addet ut misereatur ultra : aut continebit in ira sua misericordias suas? et dixi : Nunc cœpi : hæc est immutatio dexteræ excelsi* (*Psal.* LXXVI, 7, *seqq.*). Et est sensus : Hoc quod putabam Dominum in æternum relinquere peccatores, et misericordias suas ira succedente cohibere, intellexi idcirco factum, ut immutatione dexteræ suæ, quæ excelsi est dextera, universa mutaret, et misereretur his quos ante projecerat. Et nos igitur et reliquiæ Israel, scientes quod reddituri sumus rationem pro omni otioso verbo (*Matt.* XII), et quod disperdet Dominus universa labia mendacia, non loquamur vanitatem. *Vanitas quippe vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccl.* I, 2). Et : *Universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* 38). Nec ore nostro mendacium proferamus ; sed accepta potestate calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* X), nullam timeamus formidinem, nec luporum, Christo custode, vereamur insidias : sed dicamus, *Dominus illuminatio mea, et salvator meus; quem timebo* (*Psal.* XXVI, 1)? et cætera, quæ in vicesimo sexto psalmo continentur.

(Vers. 14 seqq.) *Lauda filia Sion, jubila* [Vulg. *jubilate*], *Israel, lætare et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos : rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa, dicetur, Jerusalem, noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuæ : Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipse salvabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua* [Vulg. *sua*] : *exsultabit super te in laude. Nugas quæ* [Vulg. *qui*] *a lege recesserunt, congregabo, quia ex te erant : ut non ultra habeas super eis opprobrium.* LXX : *Gaude, filia Sion ; prædica, filia Jerusalem, exsulta et delectare de toto corde tuo, filia Jerusalem. Abstulit Dominus iniquitates tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum, rex Israel Dominus in medio tui : non videbis mala ultra. In tempore illo, dicit Dominus Jerusalem, confide, Sion, non dissolvantur manus tuæ : Dominus Deus tuus in te fortis salvabit te : adducet super te lætitiam, et innovabit te in charitate sua, et lætabitur in te* **728** *in delectatione, quasi in die solemni : congregabo confractos tuos.* [a] *Væ qui accepit super eam opprobrium.* Non videatur mirum, ut sæpe diximus, aliter Hebraica capitula, et aliter LXX Græca videlicet Latinaque finiri. Ubi enim in sensu diversa translatio est, ibi necesse est diversa esse vel principia vel fines. Judæi cum Christo, quem putant esse venturum, hæc sibi omnia repromittunt, quæ nos qui Christum suscepimus, jam cum ipso sumus omnia consecuti. Si quis ergo Christianorum, et maxime novorum prudentium, quorum nomina taceo, ne quemquam lædere videar, existimat necdum prophetiam esse completam, sciat falso Christi portare se nomen, et Judaicam animam, circumcisionem tantum corporis non habere. Si enim hæc necdum facta sunt, sed futura, frustra credidimus Salvatoris adventum : frustra autem non credentes intelligimus in nobis esse completum mysterium, quod temporibus æternis tacitum est, et nunc manifestatum est per Scripturas propheticas et adventum Domini nostri Jesu Christi (*Coloss.* I). Denique consideremus ordinem lectionis, et videbimus, quod dicitur non ad Judæos, sed Christi Ecclesiam pertinere. Post hoc enim quod præcesserat (*Judicium meum in congregationes gentium, ut suscipiam reges*, usque ad eum locum, ubi ait : *Ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei sub jugo uno :* Et, *ultra flumina Æthiopiæ suscipiam* [b] *in dispersis meis qui afferent mihi victi-*

*residere*, pro quo erat *resistere*.

[a] Comma istud, *Væ qui accepit*, etc., in Regin., ms. non habetur.

[b] Idem ms., *suscipiam inde dispersos meos*, cui lectioni et Græci quidam libri suffragantur.

*mas:* et post reliquias populi Israel, credentes in Christo atque salvatas, de quibus dicitur: *Et timebunt nomen Domini qui sunt reliqui de Israel, et non erit qui exterreat eos*). Spiritus sanctus de generali mundi consummatione prædicans loquitur: *Gaude, filia Sion, prædica, filia Jerusalem*, lætare et delectare de toto corde tuo, filia Jerusalem. Omnis quippe Ecclesiastica anima, quæ in specula constituta est, et contemplatur pacem, lætatur et gaudet iniquitates a se esse sublatas, et [a] redemptas ab eo qui pretioso sanguine omnes redemit. *Christus enim factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio* (I *Cor.* I, 30). Et redemit nos rex Israel, qui habitat in medio nostri, dicens: *Ego et Pater meus veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23); et *habitabo et inambulabo in eis* (*Levit.* XXVI, 12): **729** et ultra non videbimus mala, solas virtutes cogitantes atque facientes. In illa die, dicit Dominus, videntibus nobis pacem, et in sublimi positis, ne dissolvantur manus tuæ, qui et per Isaiam dixit: *Confortamini manus dissolutæ, et opera tua robusta sint* (*Isai.* XXXV, 3). Dominus enim fortis, cui nemo potest resistere: salvator tuus, ipse tibi reddet lætitiam quam perdidisti, et veteri homine projecto, in novo ambulare te faciet, et hæc faciet in dilectione sua: non tuo merito, sed misericordia sua. Et lætabitur in te, et delectabitur, quasi pinguissimam solemnitatis tuæ hostiam suscipiens salutem tuam: et ipse tibi dicet: congregabo contritos tuos: *Cor*, quippe, *contritum et humiliatum Deus non despiciet* (*Psal.* L, 19); et, *Calamum contritum non confringet* (*Isai.* XLII). Hæc interim si voluerimus de secundo adventu accipere Salvatoris. Porro quia propheta Zacharias ad similem lætitiam cohortatur Sion et Jerusalem, et hanc ipsam prophetiam Matthæus dicit in primo adventu Christi esse completam (*Matth.* XXI), necessitate compellimur, immo ordine ipso ducimur veritatis, quod in Sophonia dicitur, non futurum sperare, sed factum. Scriptum est enim in Zacharia: *Gaude vehementer, filia Sion; prædica, filia Jerusalem: ecce rex tuus venit tibi justus et salvator: ipse humilis et ascendens super jugalem* (Al. *subjugalem*) *et pullum novum* (*Zach.* IX, 9). Hæc juxta Septuaginta dicta sint. Cæterum juxta Hebraicum, laudare jubetur Ecclesia et jubilare Israel, sensu videns Deum, et exsultare atque lætari in omni corde locus pacis, ad quem dictum est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Abstulit enim in fine et in consummatione mundi judicium ejus, nequaquam eam judicans atque corripiens, sed salvans: et avertit inimicos ejus, dæmonum turbas. Rex Israel Dominus in medio ejus erit: non timebit ultra malum. In die illa dicetur ad Jerusalem liberam [b]: non quæ servit cum filiis suis, sed quæ est mater sanctorum (*Galat.* IV): Noli timere, Sion (ipsa **730** quippe est et Jerusalem), nequaquam tua opera dissolventur: nec facies quæ te fecisse lugebis (*Al.* lugebas). Dominus Deus tuus, qui salvabit te, fortis et potens, ipse habitabit in medio tui, gaudebit super te in exsultatione et lætitia, et silebit peccata tua in charitate (*Al.* in pace), qua te dilexit: et exsultabit super te in laude, vel quia laudabilis sis, vel quia cum tuis laudibus canas. *Nugas*, sive, ut Aquila interpretatus est, *translatos, qui a te recesserunt, congregabo, quia ex te erant*, hoc est, hi qui per vitia atque peccata de tuo sinu fugerant, et facti erant sub dæmonum potestate, redintegrato omnium statu, venient ad te, et nequaquam ultra super perditis filiis tuis patieris opprobria. Id quod diximus *nugas* [c] (נוגי), sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem, et propterea a nobis ita ut in Hebræo erat, positum: ut nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem, quod non est hujus temporis disserere. Miror autem Aquilam et Septuaginta, pro eo quod nos interpretati sumus *erant*, in eo videlicet loco ubi diximus: *Congregabo quia ex te erant:* pro, *erant*, interpretari voluisse *væ*, sive *οἴ*: quod semper Aquila non pro plangendo, sed pro vocando et inclamando ponit: HAJA (הוי) enim, cujus verbi initium est, *sum*, præteritum tempus numero plurali significat, *erant*, vel *fuerant*. Hæc scio molesta esse lectori, qui si animadverterit non me controversias et declamationes scribere, nec in locis exsultare communibus: sed Commentarios, et Commentarios prophetarum, reprehendet potius sicubi rhetorum more ludere voluero, quam arguet in tantis obscuritatibus ut dignum est immorantem.

(Vers. 19, 20.) *Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: et salvabo claudicantem, et eam quæ ejecta fuerat congregabo: et ponam eos in laudem et in nomen in omni terra confusionis eorum. In tempore illo quo adducam vos; et in tempore quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terræ*, **731** *cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.* LXX: [d] *Ecce ego faciam in te, propter te, in*

[a] Duo ms., *et redemptam se ab eo.*

[b] Videntur ob ejusdem vocis *liberam* recursum hæc e vulgatis libris verba excidisse, quæ in Reginæ ms. hic interserunt; *Non timebis ultra malum. In die illa dicetur ad Jerusalem liberam*, quæ et si velis textui inferre, non abnuerim.

[c] Idem et Isidorus sentit Originum lib. X, lit. N, ubi, *Nugas*, inquit, *Hebræum nomen est, ita enim et in prophetis est expositum, ubi dicit Sophonias, Nugas qui a lege recesserunt*, et cætera, quæ ex præsenti Hieronymi testimonio delibavit. Equidem Latinæ linguæ ingenium, sive originem minime referre, sed ab alia antiquiori lingua adscitum videatur vocabulum ipsum *Nugas*. Hoc propemodum indicat et Charisius lib. I, ubi: *Nugas*, inquit, *licet indeclinabile sit: tamen commune est trium generum, hic, et hæc, et hoc Nugas*. Nos hæc in Hieronymi dixerimus gratiam, quem post Drusium criticorum filii passim suggillant, contendentes non eamdem esse vocis NUGÆ significationem in Latino atque Hebræo, in quo idiomate sonare potius aiunt, *mœrore affectum*. Diximus et alibi hac de re, nec pauca Martianæus in S. Doctoris defensionem seorsum congessit. Paulo post Regin. ms. præfert, *ut nos possemus scire*, pro *ut nosse possimus*.

[d] Versiculus, *Væ qui accepit*, etc., quem diximus

*tempore illo, et salvabo expressam, et repulsam suscipiam, et ponam eos in gloriam, et nominatos in omni terra. Et confundentur in tempore illo, quando bene vobis fecero : et in tempore cum suscepero vos, quia dabo vos nominatos, et in gloriam in cunctis populis terræ; quando convertero captivitatem vestram coram vobis, dicit Dominus.* Et hoc synagoga quæ non claudicat, sed utroque truncata est pede, pollicetur sibi in adventu Christi sui, quem sperat esse venturum : et putat, omnes gentes interficiendas a Domino, quæ afflixerunt Israel, et salvandam synagogam, et eam quæ acceperat libellum repudii colligendam, et ponendos eos in laudem, et in nomen in omni terra captivitatis suæ, in qua fuerant ante confusi. Et hoc fieri tempore, quando captivitas reducta fuerit Jerusalem, et exstructum templum, et reliquus cæremoniarum ordo servatus. Hæc sibi repromittit, et propterea non agit pœnitentiam, et dum sperat incerta, perdit certam salutem. Nec miror synagogam hæc dicere, quæ quia non recipit Christum, oculos dolet, et cum Lia lippescit, et non amatur a Jacob, et Rachel succedente, negligitur (*Gen.* XXIX). Christianos miror, immo semi-Judæos, qui sibi videntur esse de Ecclesia, ita dicere et ea profiteri, quæ si vera sunt, frustra credimus in Christum, et omne nostrum tollitur sacramentum, et miserabiliores sumus omnibus hominibus, credentes eum venisse qui non venit. Quia autem spes nostra certa est, et Judæorum cassa sunt vota, secundum priorem intelligentiam jam texamus præsens extremumque capitulum, et de Jesu filio Sirach testimonium proferamus : *Qui mittit lapidem in excelsum, super caput suum mittit* (*Eccl.* XXIII). Quia enim Sion et Jerusalem in excelso positæ sunt, quicumque Sion detrahit et Jerusalem, et mittit in eam contumeliarum lapides, in suum eos caput jacit, et revertetur opprobrium ejus in caput suum : *Et dolor ejus et iniquitas* [a] *super verticem ejus descendet* (*Ps.* VII, 17). Quanti hodie exprobrant animæ, **732** Dei mysteria consectanti, volentique videre pacem ejus, et dicunt : Insanus est, et ebrius, et musto plenus : hominum cœtus fugit : delicias aspernatur : aurum pro luto computat : solam diligit paupertatem. Qui autem infideles sunt, etiam crucem Christi exprobrant ei, et si quando eum in angustia viderint et in tentatione, dicunt : Ubi sunt misericordiæ tuæ, et justitiæ quas operatus es? Quid loquar de infidelibus, cum Ecclesiarum nonnulli principes hujuscemodi hominibus exprobrent, et vitam ipsorum arbitrentur amentiam, et non præsentem laudent conversationem, sed vetera peccata exprobrent? nec audiunt esse præceptum : *Noli improperare homini qui convertitur a peccatis suis* (*Eccl.* VIII). Væ igitur ei, qui tulit opprobrium atque suscepit, et hujuscemodi se officio mancipavit, ut detraheret Sion, et civitati Dei : quia pro hac injuria urbis suæ ultor est Dominus, et dicet ad Sion : *Ecce ego faciam in te propter te*, id est, faciam ultionem tuam, *et salvabo afflictam*, sive ut in Græco dicitur, *expressam ;* ut sit sensus : Ego salvabo eam, quæ in præsentiarum quasi [b] uva et oliva, ita tentationibus atque pressuris, ut prælo et trabe pressa est et afflicta, ut vinum faceret et oleum, et de vino biberet Jesus in regno Patris sui ; de oleo autem ungeretur præ participibus suis. Ego puto propter expressionem talis vini et olei, Job multa perpessum ; postquam autem vinum, et oleum fecerat, audisse a Domino ; *Putas me aliter tibi respondisse, nisi ut appareres justus?* (*Job.* XL, *sec.* LXX). Quasi ad uvam et olivam loqueretur ; Existimas me aliter te pressisse et afflixisse atque contrivisse, nisi ut vinum de te et oleum exprimerem? Sequitur : *Et eam quæ repulsa fuerat, suscipiam.* Videtur nos Deus repellere quando relinquit tentationi. Unde et Job, *Visitatio*, inquit, *Domini respexit* [Al. *despexit*] *me* (*Job.* X, 12). Et non solum justi loquuntur, et dicunt, *Nunc autem repulisti et confudisti nos*, sicut in quadragesimo tertio psalmo scriptum est; sed ipse Dominus atque Salvator, ex persona hominis quem assumpserat, *Tu autem*, ait, *repulisti et despexisti ; distulisti Christum tuum ; subvertisti testamentum* **733** *servi tui.* Quod autem justorum persona sit in quadragesimo tertio psalmo dicentium : *Nunc autem repulisti et confudisti nos*, ex sequentibus approbatur : *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, neque inique egimus in testamento tuo : nec recessit retro cor nostrum.* Eam igitur quæ in tentationibus videbatur abjecta, suscipiet Dominus in fine : et ponet eos in gloriam et nominatos in universa terra, filios videlicet expressæ et repulsæ, id est, Ecclesiæ. Quos autem alios possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi apostolos? Vide mihi Petrum et Paulum et Matthæum et Joannem; et considera hoc quod ad Abraham repromissum est : *Magnificabo nomen tuum*, in illis opere perpetratum. Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomen eorum : non quod ipsis prosit a nobis in Ecclesia nominari : sed quod nos magnificantes nomen eorum, et quæ scripserunt lectitantes, consequamur salutem. In tempore, inquit, illo, quando expressa et repulsa suscepta fuerit, et filii ejus positi in gloriam (gloriatur [*Al.* gloriabitur] **734** quippe Dominus in athletis suis, cum eos viderit coronari, sicut gloriatus est adversus diabolum de Job : unde et Apostolus in profectu discipulorum suorum exsultans, ait : *Etiam per vestram gloriam*) confundentur qui adversarii vestri fuerant, et tulerant contra vos opprobrium : et tunc videbunt eos quos miseros putaverant, esse felices, et quos pauperes existimabant atque dejectos, potentes fieri atque gloriosos. Tunc cernent captivitatem eorum

in ms. Regio superiori capitulo non adjungi, huic in eodem ms. præmittitur.

[a] Ms. Regin., *iniquitas ejus super verticem illius :* et paulo post, *Dei mysteria contrectanti*, pro *consectanti*. Denique inferius, *quid loquar de infidelibus ? hæc cum Ecclesiarum*, etc.

[b] Idem ms. *quasi si ad uvam et olivam ;* et mox, *ut prælo et tapeto pressa*, etc.

per quam in hoc sæculo duro fuerant imperio subjugati, reduci in cœlestem Jerusalem : seque resurgere in opprobrium et in confusionem æternam. Tribue nobis, Jesu Christe, expressis et afflictis et repulsis in isto sæculo, ut nos recipias et ponas in gloriam : confundatur [a] in tempore excetra, cessent sibila, venena torpeant, et confusio ejus proficiat ad salutem. Hæc juxta Septuaginta. Hebraicum autem, quia excepto principio, de quo in fine superioris capituli diximus, non multum ab eorum translatione discordat, indigere expositione non arbitror.

[a] Hunc locum more suo depravarunt veteres editores, confingentes de suo hujusmodi lectionem, *Confundatur quod superbit, cessent sibila*, etc., non intelligentes de Rufino scriptum esse, *Confundatur in tempore excetra*, ut confusio momentanea ei proficiat et salutem operetur. Quod et nos apprecamur æmulis nostris, qui hodie confusioni subjacent et contemptui. MART. — Olim erat, *confundatur quod superbit, cessent*, etc. Regin. ms., *confundatur serpens et hydra, cessent*, etc.

# S. EUSEBII HIERONYMI,

STRIDONENSIS PRESBYTERI,

# COMMENTARIORUM
# IN AGGÆUM PROPHETAM

AD PAULAM ET EUSTOCHIUM

LIBER UNUS.

## Prologus.

**735-736** Secundo anno Darii, regis Persarum filii Hystaspis, septuagesimum annum desolationis templi fuisse completum (quem Jeremias (*Cap.* XXV) vaticinatus est) Zacharias quoque propheta testis est : qui cum Visionis suæ titulum in secundo anno ejusdem regis undecimo mense Sabath, vicesima quarta die præposuisset, adjecit, dicens : *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste septuagesimus annus est* (*Zach.* I, 7, 12). Sed et Esdras, exstructo tantum altari, et jactis fundamentis templi, ad litteras regis Artaxerxis prohibitum opus refert : *Tunc intermissum est opus domus Dei in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii, regis Persarum* (I *Esdr.* IV, 24), statimque addidit : *Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Domini Israel : Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedec, et cæperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos* (I *Esdr.* V, 1, 2). Quo tempore apud Romanos septimus a Romulo regnabat **737-738** Tarquinius Superbus, habens annum imperii vicesimum septimum, qui post octo annos expulsus est a Bruto : ac deinde rempublicam per annos quadringentos sexaginta quatuor, usque ad Julium Cæsarem consules administraverunt. Hoc propterea, o Paula et Eustochium, diximus, ut de ipso statim titulo, qua ætate Aggæus propheta cecinerit, agnoscatis. Sciendumque est interim, juxta litteram, magni spiritus et Aggæum fuisse et Zachariam prophetas : ut adversum Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum, ædificationem templi impedientes, juberent templum exstrui : Zorobabel quoque et Jesum filium Josedec, et populum qui cum eis erat, non minori fidei ; ut prophetas magis audirent jubentes, quam prohibentis regis imperium.

## *INCIPIT LIBER.*

**737** (Cap. I. Vers. 1.) *In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ.* Quia populus qui videbatur sibi redisse de captivitate, necdum ædificaverat templum, nec muros exstruxerat civitatis, nec habebat gloriam pristinæ Jerusalem : sed habitabat in domibus concavis, et ut significantius Græce dicitur : κοιλοστάθμοις, id est, deorsum positis et in convalle demersis : propterea non ad eos fit sermo Dei sub rege Ezechia, sive Amon, sive Josia ; qui quamdiu stabat Jerusalem, populo Dei imperaverant ; sed sub Dario rege, Persarum principe, de

quo et Daniel mystice in suo volumine refert. *Darius* autem in lingua nostra sonat, *generationes factæ*, sive, *quæ fuerunt* : quod Græce dicitur γενεαὶ [a] γενόμεναι : nec merebatur absque templo populus et deorsum habitans alium habere regem, nisi qui generationibus serviebat, et amabat carnem, et primam sententiam ineruditi adhuc hominis, et ejecti de paradiso custodiebat : *Crescite et multiplicamini, et implete terram* (*Genes.* I, 28, *et* IX, 1). Ergo quia Darius amator erat coitus, et socius draconis, cujus omnis virtus in lumbo est (*Job.* XL) : idcirco in secundo anno visio populo cernitur, in immundo numero, et post unionem virginitatis et paradisi nuditatem, tunicas significante pelliceas. Denique in Genesi cum in primo die dictum sit, et in tertio, et in quarto, **738** et in quinto, et in sexto, post consummationem operum singulorum : *Et vidit Deus quia bonum est* : in secundo, juxta Hebraicum, et Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem non habetur. Neque enim poterat secundus dies, qui numerum facit qui ab unione dividit, quod bonus esset, Dei sententia comprobari. Mensis quoque sextus ascribitur, qui non habet solemnitates Dei, sicut mensis septimus ; sed vicinus est dierum sex, in quibus factus est mundus (*Ibid.*). In quo laboratur, et in sudore faciei comeditur panis : et terra generat nobis tribulos et spinas, et cum sementem acceperit tritici, lolio magis avenisque fecunda est. Sed quia jam altare ædificatum fuerat, et adversum repugnantes hostes templum [b] voluerant exstruere, nec exstruxerant : in uno die mensis sexti factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ut desereus populus secundum annum Darii regis, qui ab unione dividit ; et sextum mensem qui præterierat, et qui numerus labori deputatur, ad unionem reverteretur Dei, et imparem numerum solumque sequeretur : quem mundum esse gentilis quoque poeta novit dicens (*Virg. Eclog.* VIII) :

..... Numero Deus impare gaudet.

Fit autem verbum Domini, quærens ad quem veniat et quem doceat, in manu Aggæi prophetæ, qui bona habebat **739** opera, et in cujus factis poterat Dei sermo requiescere. Porro ubi manus [c] sanguine plenæ sunt, et interficitur Jesus, et audet populus dicere : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matt.* XXVII), ibi non fit sermo Dei. Usque hodie immundas habens manus carneus Israel, extendit eas ad Dominum ; sed quia sanguine plenæ sunt, loquitur ad eos Dominus per prophetam : *Si extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isai.* I, XV). Non fit in manibus eorum verbum Domini, quia immundæ sunt ; non venit ad eos sermo Dei, quia in se occidere sermonem Dei. Nec putandum in manu tantum Aggæi prophetæ factum esse sermonem Domini : sed quia *Aggæus* interpretatur [d] *festivus*, omnis qui potest festa celebrare, *non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* V, 8), potest Dei recipere sermonem. Habeamus et nos mundas manus, et vocemur ἑορτάζοντες, id est, *festa celebrantes*, et ad nos fiet sermo Dei. Proponamus ante oculos nostros, quia lex spiritualis est, spirituales solemnitates, de quibus scriptum est : *Tribus temporibus mihi festa celebrabitis in anno. Solemnitatem azymorum custodietis : septem diebus comedetis azyma : sicut præcepi tibi in tempore mensis novorum : in ipso enim es egressus ex Ægypto. Non apparebis in conspectu meo vacuus ; et solemnitatem messis primitivorum de operibus tuis quæcumque seminaveris in agro : et solemnitatem consummationis in exitu anni in congregatione operum tuorum de agro* (*Exod.* XXIII, 14, *seqq.*, *et Deut.* XVI). Si voluerimus in nobis fieri sermonem Dei, simus Aggæi, id est, festa celebrantes, et non appareamus in conspectu Dei vacui (II *Cor.* IX) : seminantesque in spiritu, de spiritu metamus æternam vitam ; ut celebremus [e] solemnitatem consummationis in exitu anni, id est, congregationem operum nostrorum de agro, solemnitatem primitivorum de operibus nostris, quæcumque seminaverimus in agro cui benedixit Dominus. Simus quoque Aggæi, et per omnem vitam nostram usque ad consummationem anni, id est, usque ad exitum **740** de sæculo isto, celebremus festa in operibus nostris, quæ nobis orta sunt in agro nostro. Multa sunt, et non hujus temporis, quæ de solemnitate dicantur, quibus potest de omni Scriptura lector diligens coaptare intelligentiam spiritualem.

*Ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda : et ad Jesum filium Josedec, sacerdotem magnum, dicens.* [f] Legimus in Paralipomenon, Jeconiæ qui in Babylonem ductus est, filium fuisse Salathiel, de quo natus est Zorobabel (I *Par.* III, 6). Quod quidem et Matthæus generationem Salvatoris enumerans, ait : *consummationis in exitu anni, id est congregationem operum nostrorum de agro, solemnitatem*, quæ nunc primum codicis Reginæ ope suffecimus, nihil de eorum germanitate dubitantes, quam et ejus codicis auctoritas evincit, et notatus in veteribus libris passim obvius lapsus indicio suo probat.

[a] Quare pro γενεαὶ γιγνομέναι veteres editiones retineant alia Græca verba γενέσεις γεγονοῖαι vel γεγονῆαι scire non possum. MART. — Contra Græcæ linguæ ingenium scribit Martianæus γιγνομέναι. Cæterum mss. magis ad veterem lectionem Erasmi ac Victorii γεγονοῖαι, vel γεγονῆαι accedunt. Unius Reginæ habet γεγονῖται.

[b] Contrario sensu unus Regin. ms. *noluerant*.

[c] Regin. ms. *ubi manus sanguineæ sunt*.

[d] Pro *festivus*, præfert idem ms. *solemnitas*.

[e] Recursus ejusdem verbi, *solemnitatem*, antiquis amanuensibus fraudi fuit, ut quæ inter utrumque intermedia est, trium ferme versuum pericopen descripsisse rati, properante oculo præterirent. Exinde qui hactenus prodierunt impressi libri his carent necessariis Hieronymiano contextui verbis, *consummationis in exitu anni, id est congregationem operum nostrorum de agro, solemnitatem*, quæ nunc primum codicis Reginæ ope suffecimus, nihil de eorum germanitate dubitantes, quam et ejus codicis auctoritas evincit, et notatus in veteribus libris passim obvius lapsus indicio suo probat.

[f] Pudeat nunc imperitum Joannem clericum objecisse mihi et stultitiæ vertisse quod scriptum in titulo libri Paralipomenon, *incipit præfatio Hieronymi in Paralipomenon*. Quasi liceat illi in crimen imperitiæ mihi vertere quod gloriæ esse deberet, imitari scilicet Hieronymum, atque in lectione mss. codicum ostendere fidem ac diligentiam. MART.

*Post transmigrationem autem Babylonis, Jeconias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud* (*Mat.* I, 12, 13). Hic Zorobabel de tribu Juda, hoc est de David stirpe descendens, typus est Salvatoris: qui vere destructum ædificavit templum, id est, Ecclesiam; et reduxit populum de captivitate. Et tam de veteris templi lapidibus, quam de novis, qui prius fuerant impoliti, ædificavit Ecclesiam, id est, et de reliquiis populi Judaici, et de gentium multitudine, Deo Patri exstruxit tabernaculum. Interpretatur autem secundum multiplices Hebraici sermonis accentus, vel ῥεῦσις παραχειμένη, id est, *fluxus adjacens*, *expositus*, vel *ortus in Babylone*, vel *princeps de Babylone*. Primæ interpretationi ille fluxus contrarius est, qui significatur in vocabulo *Jezabel*, id est, *fluxus vanus*, vel *fluxus menstruatæ*, qui utique manifeste immunditiam sonat. Sed et *Zabulon*, *fluxus noctis* exprimitur. Relinquentes ergo hujus mundi vanum et sordidum fluxum atque tenebrosum, sequamur fluxum Jesu, qui nobis expositus est ad bibendum, et largissimo fonte se præbet, juxta illud quod dicitur in Evangelio: *Stabat Jesus in templo, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII, 37). Et hoc ipsum tunc poterimus bibere, cum petierimus a Deo Patre, juxta quod legimus: *Petite, et dabitur vobis* (*Matth.* VII, 6). Salathiel quippe interpretatur, *petitio Dei*. Et nemo venit ad Jesum, nisi eum adduxerit Pater (*Joan.* VI, 45). Nascetur ergo nobis fluxus, expositus **741** per obsecrationem Dei, et erit de tribu Juda, regia scilicet, et confitente vel laudante Deum, quia Judas utrumque sonat. Porro *ortus in Babylone*, secundum historiam quidem vere de Zorobabel dicitur, quia ibi natus est. Sed et juxta altiorem intelligentiam Dominum nostrum Jesum sonat: quia ipse quoque natus sit in confusione hujus sæculi, et fuerit prope gravissimum flumen Chobar, et viderit magnam visionem illam quam sub typo ejus Ezechiel (*Cap.* I) in voluminis sui cernit exordio. Quod autem dixi interpretari Zorobabel, *principem de Babylone*, non quod vere princeps interpretetur, hoc dixi: siquidem apud Hebræos ex tribus integris nomen ejus traditur esse compositum: ZO enim dicitur, *iste*; ROB, *magister*, sive *major*: BABEL proprie *Babylonium* sonat, et efficitur nomen Zorobabel (זורבבל), *iste magister de Babylone*. Sed ad compendium intelligentiæ pro supradictis minutis, *principem* volui interpretari *de Babylone*, sive *in Babylone*. Ut quomodo Jesus filius Nave, qui et ipse in typo Salvatoris fuit, de solitudine populum in terra repromissionis induxit: sic et iste propterea ortus in Babylone sit, ut eos qui erant in Babylone, reduceret in terram repromissionis, de qua captivi abducti fuerant, et his qui erant in vinculis diceret: *Exite*. Et qui sedebant in tenebris: *Illuminamini* (*Isai.* XLIX). Sermo vero Domini, qui factus est in manu Aggæi, non solum ad Zorobabel dirigitur filium Salathiel, de quo jam diximus; sed et ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum. Quantum ad historiam pertinet, alter est Zorobabel de tribu regia, et alter Jesus de tribu sacerdotali. Quantum vero ad intelligentiam spiritualem unus atque idem est Dominus noster atque Salvator, rex et magnus sacerdos, cujus typum secundum id quod rex erat, portabat Zorobabel: secundum id autem [a] quod Pontifex erat, portabat homonymus ejus Jesus, qui interpretatur JAO *salus*, id est, *Domini salus* (יהושע), et est filius Josedec, quod et ipsum in linguam nostram vertitur JAO *justus*, id est, *Domini justus* (יהוצדק). Justus enim et sanctus Deus Pater, et Deus Filius, et non est in ipso iniquitas. **742** Adversus Marcionem et cæteros hæreticos, qui alterius boni, nescio cujus Dei filium, et non Creatoris, quem justum vocant, asserunt Dominum Salvatorem. Et vere est Jesus magnus Sacerdos, cui omnes Dei antistites comparati, parvi sunt et nihil. Si enim iste magnus dicitur Sacerdos, utique ad distinctionem eorum dicitur, qui minores sunt. Minores autem sunt omnes qui extra eum et post eum sunt, ut quomodo primogenitus est omnis creaturæ, et primogenitus ex mortuis: sic princeps et magnus sit in universis sacerdotibus.

(Vers. 2.) *Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Diligenter attende quod non Zorobabel vel Jesus dicant: *nondum venit tempus domus Domini ædificandæ;* sed populus qui adhuc sub Dario rege constitutus, necdum jugum servitutis excusserat. Semperque qui captivitate retinentur, et egressi sunt de Jerusalem, differunt et morantur ædificare templum Dei, et dicunt: *nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Et tu quando videris aliquem egressum de Ecclesia, qui traditus fuerat Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret (I *Cor.* V), cogitare atque disponere, ut ædificet templum per pudicitiam, quod per libidinem ante destruxerat, et tamen diem de die trahere, dic ad eum: Vere et tu de populo es captivorum, et tu dicis: *nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*. Qui semel decrevit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum: nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum: statim ut conversus inclamaveris nomen Domini, dicet: *Ecce adsum*.

(Vers. 3.) *Et factum est verbum Domini in manu Ag-*

[a] Quot sint restitutiones nostræ in hoc loco, non aliunde scire possumus quam ex depravatissimo veterum editionum hujusmodi et falso contextu: *Secundum autem quod pontifex erat portabat cognominis ejus Jesus, qui interpretatur Dei salus, id est, Domini salus: et est filius Josedech: quod et ipsum in linguam nostram vertitur* יה, *id est, Deus,* צדק, *id est, justus. Justus enim*, etc. Certe et nunc confidenter dicam nihil pene Hieronymianum esse, sed totum Erasmianum et Marianeum in præsenti Commentario. Quod si ita est, ubi ante nostram hanc ætatem exstitit verus et genuinus Hieronymus, vere pius, vere doctus ac fidus Interpres? MART. — Olim eodem sensu erat, *cognominis*: Martianæus absque aspiratione *omonymus* scribit, veteresque editiones, quod Hebraica obtruderint verba, plus satis castigat.

*gæi prophetæ, dicens : Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis : et domus ista deserta?* Sive ut LXX interpretati sunt, κοιλοστάθμοις, id est, *concavis*. In eadem die qua supra, rursum videtur hæc visio. Et proficientibus prophetæ operibus, prophetiæ quoque dona succrescunt, et habito paulisper silentio, ad id quod dixerat populus : *nondum tempus domus Domini* **743** *ædificandæ*, profertur Domini quasi cogitata responsio, et dicitur ad eos : Ergo ne tempus est, ut vos habitetis in domibus deorsum sitis, et in convalle positis : et mea domus quæ in monte est, deserta erit? sive ut habetur in Hebræo : *ut habitetis in domibus laqueatis* (id est, ornatis atque compositis, et quæ non tam ad usum sunt quam ad delicias), et habitaculum meum in quo fuerunt sancta sanctorum, et cherubim, et mensa propositionis, pluviis rigabitur, squalebit solitudine, sole torrebitur? Porro secundum anagogen : Omne tempus quo habitatio vallis eligitur, vel servimus deliciis, importunum est. Unde et Stoici quibus curæ est verba singula definire, tempus dixerunt esse correctionis sive efficientiæ : quod significantius Græce dicitur χρόνον εἶναι κατορθώσεως. Omne enim tempus in quo non virtutibus, sed vitiis deservimus, perit, et quasi non fuerit, reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis, vel in convalle habitat, vel in voluptate et luxuria sæculari suam contignat domum, iste templum Deo non ædificat, nec habet Dominus in eo ubi caput suum reclinet : et cum vulpibus ædificet domum, habitaculum quondam Dei patitur esse desertum.

(Vers. 4.) *Et nunc hæc dicit Dominus exercituum : ponite corda vestra super vias vestras.* Non sit aliud loquentis tempus, et aliud facientis : præcepta mea statim in opus vertite : Dominus est enim omnipotens qui præcipit, et utique non leve est Dei omnipotentis imperium. Habuistis hucusque corda vestra vitiis servientia, sine ordine, sine præceptore, quocunque trahebant desideria, pergentes. Nunc autem Dominus vobis præcipit ut ordinetis in se charitatem, et ponatis corda vestra super vias vestras, ut nihil absque judicio et consideratione faciatis; sed semper ante pedes vestros legalis lucerna præcedat, et dicatis : *Lucerna pedibus meis lex tua et lux semitis meis* (*Ps.* CXVIII, 105). Vel certe ita : Quia dicitis, non est tempus ædificandæ domus Domini, et ipsi habitatis in habitaculis quæ sunt in ima demersa, domus autem mea deserta est : considerate, jubente me Domino, et vos in memoriam redigite quæ feceritis, et quæ passi sitis.

(Vers. 5, 6.) *Seminastis multum, et intulistis parum : comedistis, et non estis satiati : bibistis,* **744** *et non estis inebriati : operuistis vos, et non estis calefacti. Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Omnis labor vester qui ædificastis domus vestras et neglexistis domum Dei, non habuit eventum. Seminastis enim plura, et multo minus quam satum fuerat, congregastis : nec potestis dicere ideo famem A secutam, quod in exercenda terra agricola cessaverit. Comedistis quoque (ne forsitan e vobis quispiam diceret voluntarium fuisse jejunium), et non estis saturati, quia parvos fructus congregaveratis in horrea. Vinum bibistis e vineis, sed non tantum ut lætaretur cor vestrum, et diceretur de vobis : *Et vinum exhilarat cor hominis* (*Ps.* CIII, 15). Habuistis pallium, sed quod frigus non repelleret, nec servaret calorem. Quicumque etiam vestrum sive negotiatione, sive mercenaria manu mercedes congregavit, frustra labor sine pretio laboris impensus est. Omnes enim velut si quis in pertusum sacculum mittat, pecuniæ defluxerunt. Sed et juxta intelligentiam spiritualem hi qui de Babylone reversi sunt, et necdum ædificaverunt templum Dei, sed ædificatio- B nem ejus quotidie differentes, dixerunt : *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ :* nec captivi sunt, nec adhuc plena libertate donati : verum quasi in meditullio quodam positi, seminaverunt multum et intulerunt parum : comederunt et non sunt satiati : biberunt, et non sunt inebriati : operuerunt se, et non sunt calefacti : congregaverunt mercedes, et quasi in pertusum marsupium mitterent, perdiderunt. Si quando videris inter multa opera peccatorum facere quempiam nonnulla quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala, paucorum obliviscatur bonorum ; sed faciet eum illa tantum metere, quæ in bonam terram seminaverit, et in sua horrea congregare. Qui autem penitus ἀποστάτης est, iste omnino non comedet, sed fame peribit. C Porro qui seminat multa, et infert pauca, comedit parum, et non in satietatem, juxta illud quod in maledictis Levitici Dominus comminatur : *Et comedetis et non saturabimini* (*Levit.* XXVI, 26). Qui vero sanctus est, usque ad satietatem comedet, et explebitur in illo quod scriptum est : *Justus comedens replet animam suam* (*Prov.* XIII, 25). Similiter qui penitus non bibit, siti peribit : sicut **745** et in Judith (si quis tamen vult librum recipere mulieris) : Et parvuli siti perierunt (*Judith.* VIII). Qui autem parum bibit, bibit quidem, sed non usque ad ebrietatem. Porro qui potest dicere ad Dominum : *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 6)! et inebriatur cum Noe (*Genes.* IX) : et licet in Ægypto constitutus, tamen in convivio D Joseph cum patriarchis et fratribus vino madet (*Ibid.*, XLIII) : iste præ magnitudine lætitiæ et quotidiano gaudio cum apostolis versus in ecstasin, appellabitur musto plenus (*Act.* II). Quomodo autem non sit huic expositioni contrarium illud quod filii Jonadab filii Rechab vinum non biberint, et laudentur a Domino, in Jeremia (*Cap.* XXXV) competentius [a] disseretur. Post hæc dicitur ad eos qui negligebant ædificare templum Domini : *Operuistis vos, et non estis calefacti.* Quod intelligimus de centesimo tertio psalmo, in quo de Deo dicitur : *Abyssus ut vestimentum amictus ejus.* Quamquam enim secundum

[a] Morte autem intercedente, ad illud usque capitulum non devenit, sed trigesimo secundo opus abrupit.

Hebraicam veritatem referatur ad terras, quæ [*Al.* quod] ambiantur Oceano, tamen secundum LXX translatores qui dixerunt : τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ, genere masculino, et non αὐτῆς, feminino, de Deo quod dictum est sentire compellimur, eo quod investigabilis sit ejus sapientia, et ponat Dominus tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII), et non indignis quibusque ejus sacramenta prodantur. Unde et justus lætatur, et dicit : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal.* CXXVIII, 11). Hoc pallium de multiplicis sapientiæ sensibus verbisque contextum, non sinit ferventes spiritu refrigerari, nec dilectionis calorem, Borea flante, frigescere : Qui vero medius est, et habet quidem pallium, sed quo non totus operiatur : quomodo parum in horrea comportavit, et comedit, et non in satietatem, et bibit, et non in ebrietatem : sic operietur quidem sensuum operumque suorum pallio, sed non calefiet. Qui autem propter nimiam animæ paupertatem non habet pallium : ideo non habet, quia, multiplicata iniquitate, charitas refrixit in eo (*Matth.* XXIV). Unde et de istiusmodi homine, cujus ab alio pallium possidetur, in lege præcipitur : *Reddes ei vestimentum antequam sol occidat : quoniam pauper est, et in ipso habet spem* (*Deut.* XXIV, 15). Sed et hoc eis accidit qui habitabant [*Al.* habitant] in convallibus, sive in laqueatis domibus, **746** et dicebant : *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*, ut mercedes in pertusum sacculum congregarent (*Isai.* XL, 10, *et* LXII, 11). Si quis e nobis bona operatur, et digna mercede (quam nobis redditurus est Dominus, de quo dicitur : *Ecce Dominus, et merces ejus in manibus illius, reddere unicuique secundum opera sua* (*Matth.* XVI, 27). Et aliud Apostoli : *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet* (1 *Cor.* III, 13), hic congregat conservandas mansurasque mercedes, et virtutibus virtutes semper adjungens, coacervat pecunias in sacculum non pertusum. Qui autem post bona opera non semel et bis, sed frequenter peccat, et præteritam charitatem sequentibus vitiis obscurat et sordidat, iste in pertusum sacculum pecuniam congregat. Hæc autem omnia evenerunt eis qui dixerunt : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, et cum ipsi habitarent in convallibus, desertam esse domum Domini patiebantur.

(Vers. 17, 18.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, afferte* [Vulg. *portate*] *lignum, et ædificate domum : et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus.* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Ponite corda vestra in vias vestras, ascendite super montem, et præcidite ligna* (cætera similiter). Rursum vobis ego Dominus præcipio, qui et prius jusseram, ut ponatis corda vestra super vias vestras, et consideretis cuncta quæ geritis, et relinquentes studium domorum vestrarum humilium, ascendatis in montem, ubi non sunt ligna quæ comburantur, sed quæ ad opera domus meæ proficiant : et ut hoc faciatis attentius, mihi scitote placiturum esse quod facitis. Aiunt Hebræi sola tantum ad contignandum ligna fuisse necessaria, stantibus muris templi post incendium. Hoc illi. Nobis autem præcipitur, non extra vias nostras ponere corda nostra ; sed quæ prius posueramus, rursum ponere in viis nostris, et postquam hoc fecerimus, ascendere de domibus concavis in montem, ut cum pervenerimus ad montis [*Al.* sermonis] altitudinem, in quo necessaria ad ædificationem templi Dei ligna sunt, de omni Scripturæ sanctæ monte, in quo varia virtutum et paradisi ligna plantata sunt, præcidamus ea, et ædificemus templum Domini **747** operibus bonis et dogmatibus veritatis : quod cum fuerit exstructum, placeat Domino, et [*Al.* ut] glorificetur in eo. Igitur quia hæc mandata sunt nobis ut ponamus corda nostra in viis nostris, ascendamus in montem rationabilem, et ad singula problemata, congrua de testimoniis Scripturarum ligna quærentes, præcidamus ea, et ædificemus domum sapientiæ in nobis : postquam enim hæc fuerit exstructa, finis ædificationis ejus erit, ut Dominus glorificetur in nobis.

(Vers. 9.) *Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus : et intulistis in domum, et exsufflavi illud :* LXX : *Respexistis in multa, et facta sunt pauca : et intulistis in domum, et exsufflavi illa.* Ut abjecta mora, et omni ambiguitate deposita, studiosius ædificetis domum meam, dico et aliud quod vobis acciderit, qui distulistis ædificare domum meam, non ut supra : *Seminastis multum*, et quia sementem terra non reddidit, *intulistis parum* ; sed cum jam candescerent segetes, et messium tempus instaret, et frumenta vos tenere in manibus putaretis, messuistis vacuos culmos, et inanes stipulas sine spicarum frugibus congregastis. Plenæ erant areæ : spes in oculis, luctus in manibus. Sed hoc quoque ipsum quod vix de multa segete et infinitis acervis fuerat electum, intulistis in domum, et mea virtute dispersum est. Exsufflavi enim illud, et redegi ad nihilum ; quia frumentum emortuum et vacui folliculi, quæ utilia esui [a] sunt, farinam et similam non habebant. Potest autem hoc quod dixit : *intulistis in domum, et exsufflavi illud*, et de donariis accipi quæ offerebant in altari, et Deus exsufflaverit ea. Sed quia dixit, intulistis in domum, si ea quæ illata sunt, donaria intelligimus, utique in templo oblata dicimus. Et non nobis congruet, quia eo tempore domus Dei adhuc ædificata non fuerat : quod quidem usque hodie plerisque contingit, qui habitant in ædificiis humilibus, et quantum in se est, despiciunt desolatam domum Dei, et cum possint ædificare, contemnunt : et quasi jam videntes maturas segetes, fructus sibi suorum operum repromittunt, et fallente spe, pro magnis vix parva reperiunt. Sed et hæc quoque parva, quæ **748** in domum et horreum

[a] Regin. ms. *quæ utilia esui non sunt* (suppl. *habebant*) *et farinam et similam non habebant.*

mentis condiderant, exsufflantur a sermone Dei, quasi indigna ejus custodia atque tutela. Quoties vidi ego tam in doctrina quam in conversatione de quibusdam sperata plurima : et postquam ventum est ut haberent tempus messium, id est, tempus docendi, vitamque suam in exemplum præbere populorum, de excelso præcipitatos, et minus inventum in eis, quam opinio sibi omnium promittebat. Unde accidit ut paulatim, negligentia subrepente, parvum quoque ipsum quod videbantur habere, perderent. Hæc autem idcirco perpessi sunt, quia securi fuerunt in pristinis domibus suis, nec ascenderunt Scripturarum montem, ædificationis de eo dominicæ ligna cædentes, nec exstruxerunt in se quotidie domum Domini; sed despicientes ejus desolationem, etiam id perdidere, quod se habere credebant. Supradicti enim mali hæc causa redditur.

(Vers. 10.) *Quamobrem, dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra continuit* [Vulg. *prohibita est ne daret*] *germen suum.* Non solum, inquit, cœli pluviam non dederunt, quibus irrigata humus fruges facit; sed ne rorem quidēm matutinum, atque nocturnum, ut arentes agri, saltem humore modico temperarentur. Terra quoque devoravit, et agricolis non reddītura sementem, et quæ sponte solet gignere, avaro sinu tenuit. Ego hunc arbitror esse rorem, de quo in benedictione dicitur ad Jacob : *Det tibi Deus de rore cœli* (*Gen.* XXVII, 28), et rorem Hermon qui descendit super montem Sion (*Psal.* CXXXII), et descendit, non de aere in quo multiplex volitat aquilarum et accipitrum et vulturum numerus; sed de cœlo, ut si cujus anima ardet perturbationibus, et jaculo diaboli vulnerata est, refrigeretur hoc rore, et æstus suos temperet. Quo retento, terra quoque non affert germen suum. Neque enim sine rore Christi potest ulla anima afferre frumenta.

(Vers. 11.) *Et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum.* Pro *siccitate* [a] Septuaginta μαχαίραν, **749** id est, *gladium* transtulerunt : sed et in Hebraico tribus [b] litteris scriptum reperi (חרב), HETH, RES, BETH, quod si HAREB legimus, *gladium* sonat : si OREB, καύσωμα (Al. καῦμα), quod nos translimus *siccitatem*, licet melius in *urentem ventum* transferri possit. Et revera quoniam sermo de terra est, et de agrorum sterilitate, magis mihi videtur *ventus urens* in præsenti loco intelligi debere, quam *gladius* : licet omnis plaga quæ propter peccata hominibus inferatur, possit et pro gladio accipi. Vocata est autem siccitas, sive gladius super terram, et super montes, ut non proferant triticum, et vinum et oleum, et quæcumque sponte generat humus. Præcedente autem fame, consequenter super homines, et super jumenta mors venit. [c] Et idem gladius vel ventus urens, omnia quæ manus hominum laboravere, consumit. Vocatur itaque vel inducitur vivens sermo Dei, et efficax, et acutus super omnem gladium bicipitem (*Heb.* IV), ut anima negligens (quæ terra interpretatur arens, et magis in concavis habitare, quam domum Dei exstruere desiderat) ejus mucrone feriatur, et quidquid fructuum se putat habere, disperdat. Infertur etiam gladius super montes elevantes se adversus scientiam Dei, et super frumentum, et vinum, et oleum, quibus quasi cibis et potu et refectione, hæreticorum conciliabula deceptis populis blandiuntur : Congrue quis dixerit panem illorum esse panem luctus, et furorem draconum esse vinum eorum, et furorem aspidum insanabilem : Oleum quoque, repromissionem de cœlestibus, quo quasi ungunt discipulos, et laborum præmia pollicentur, quæ detestatur propheta, dicens : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL), Sed et alia quæ absque auctoritate et testimoniis Scripturarum quasi traditione apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei ; homines autem et jumenta, vel λογισμοὺς et αἰσθήσεις, id est, *cogitationes* et *sensus* eorum accipiamus. Vel certe rationabiles in eis, et irrationabiles, id est, doctos et indoctos **750** pariter, et omnem laborem manuum, et jejunia eorum, et observationes varias, et chameunias, [d] id est, humi dormitiones. Qui tribus quadragesimis per annum jejunantes, et ξηροφαγίαις humiliantes animam suam, et vel maxime de Tatiani radice crescentes, super hujuscemodi laboribus audiunt : *Tanta passi estis sine causa.* Hæc autem universa quæ dixi, possunt de Ecclesiæ rectoribus intelligi, qui ædificantes carnalem domum, liberisque suis et possessionibus providentes, non curant, vel in seipsis exstruere templum Dei, vel Ecclesiam Domini, quæ [e] intecta et diruta est, instaurare : quorum sæpe vita et sermo incongruus scandalizat plurimos, et de

[a] Nihil hoc in loco Hieronymianum apud Erasmum et Marianum, qui et ῥομφαίαν, et καῦμα, Græca verba posuerunt, quæ in nullo codice manuscripto leguntur : deinde Hebraica similiter obtrudunt suo more, quorum lectio et punctuatio contraria est Hieronymo; nam illi legunt *hhereb*, ubi S. Doctor legebat HAREB, et *gladium* interpretabatur : ubi vero ille legebat *Hereb*, vel *Oreb*, juxta quædam exemplaria, id est, *siccitatem*, illi posuerunt *hhoreb*. E nostra itaque præsenti editione locus Sophoniæ supra cap. XI explicandus est, et castigandi critici Scriptores, Bochartus scilicet, Simonius, et aliqua parte Joannes Drusius, quorum memini tom. II. MART.

[b] Recole quæ superius ad Sophoniæ cap. II, de varia hujusce vocabuli pronuntiatione, atque adeo significatu observamus.

[c] In Regin. ms. *mors venit, id est, gladius, vel ventus urens*, etc. Paulo quoque post, *gladium ancipitem*, pro *bicipitem*, legitur.

[d] Glossema istud, *id est, humi dormitiones*, Reginæ ms. Mox ξηροφαγίαις reposuimus ex mss. pro ξηροφαγίοις.

[e] Rescribimus *intecta* ex Regin. ms. pro quo vulgati libri *infecta* præferebant. Mox idem ms. bono æque sensu, *quorum et vitæ sermo congruus scandalizat*, etc.

Ecclesia ejicit, et ad solitudinem perducit domum Dei. Nec hæc dicimus quo universos generaliter accusemus, sed quod in omni officio et gradu sint alii qui ædificent, et alii qui destruant templum Dei, et propter eorum vitium nec cœli rorem, nec terra det germen, siccetur humus, montes areant, triticum, et oleum, et omnia quæ terra gignit, homines quoque ipsi et jumenta, et universus labor manuum, secante gladio, et siccitate, vel vento urente dispereant.

(Vers. 13.) *Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedec sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi vocem Dei* (Vulg. addit *Domini*) *sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos, et timuit populus a facie Domini.* Diligenter attende, propter duas intelligentias Salvatoris in Zorobabel duce et Jesu sacerdote (ipse enim et rex est et sacerdos), quod non dixerit, Zorobabel et Jesus timuerunt, sed, audientibus Zorobabel et Jesu et populo verba Aggæi prophetæ, quæ verba sunt Domini, solus populus timuit a facie Domini, id est, sola multitudo, quæ necdum in unum et perfectum virum venerat, nec spiritui copulatus id [a] esse meruit quod spiritus. Timuit autem populus a facie Domini, sciens quod facies Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII).

(Vers. 13.) *Et dixit Aggæus nuntius Domini, de nuntiis* **751** *Domini, populo dicens : Ego vobiscum sum, dicit Dominus.* [b] Quidam putant et Joannem Baptistam, et Malachiam, qui interpretatur *Angelus Domini*, et Aggæum quem nunc habemus in manibus, fuisse angelos, et ob dispensationem et jussionem Dei assumpsisse humana corpora, et inter homines conversatos. Nec mirum hoc de angelis credi, cum pro salute nostra etiam Filius Dei humanum corpus assumpserit : et ob hanc causam etiam de apocryphis præbent testimonium, ubi dicitur : Quod Jacob, qui postea vocatus est Israel, angelus fuerit, et propterea supplantaverit fratrem in ventre matris suæ (*Gen.* XXV et XXXII). Joannem quoque ad vocem Mariæ matris Domini, exsultasse in utero Elizabeth (*Lucæ* I) : et omnium rationabilium unam esse naturam : et ob hanc causam homines qui placuerunt Deo, æquales angelis fieri. Hoc illi sentiant. Cæterum nos nuntium Domini, id est, angelum, qui Hebraice dicitur MALACH (מלאך), simpliciter prophetam dictum recipiamus ab eo, quod Domini voluntatem populo nuntiaverit, sive quia in multis locis Dominus noster atque Salvator angelus Dei dicitur, sicut ibi ; *Magni consilii Angelus* (*Isai.* IX, 6), typum Salvatoris dicimus in Aggæo præcurrisse. Porro quod ait, *nuntius Domini, de nuntiis Domini*, tale est quasi dixisset, propheta de prophetis. Quod ait, *nuntius Domini populo dicens : Ego vobiscum sum, dicit Dominus*, non loquitur ad Zorobabel et Jesum, cum quibus et in quibus semper erat Dominus (semel enim eos diximus secundum diversas intelligentias in persona Salvatoris accipi), sed ad populum qui timuerat a facie Domini. Quia populus erat, necdum ad Dei venerat charitatem, quæ foras mittit timorem. Accipit ergo populus pro Dei timore mercedem, ut Dominus cum illis sit, et est sensus : Ego ero vester adjutor, ædificate domum meam, quæ in vobis destructa est : me in medio vestri constituto, nemo ædificationem vestram prohibere poterit.

(Vers. 14.) *Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel, filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu filii Josedec sacerdotis magni,* **752** *et spiritum reliquorum de omni populo : et ingressi sunt, et faciebant opus in domo, Domini exercituum Dei sui : in die vicesima quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis.* Pro duce Juda, Septuaginta transtulerunt, *de tribu Juda*, et pro opere, *opera :* cætera similiter. Ubicumque autem nos ponimus, *Dominum exercituum*, illi diverse aut *Dominum omnipotentem*, aut *Dominum sabaoth*, aut *Dominum virtutum* interpretantur. Suscitatur ergo spiritus Zorobabel et spiritus Jesu, interim secundum litteram, ut regnum et sacerdotium ædificent templum Dei. Suscitatur etiam spiritus populi, qui in eis ante dormiebat, non corpus, non anima ; sed ut diximus, spiritus, qui magis ædificare scit templum Dei. *Et ingressi*, foris enim fuerant, *faciebant opera*, quæ digna erant penetralibus domus Domini : in eodem anno Darii regis quo et supra, in eo mense qui et in principio positus est ; sed non in eodem die. Ibi enim unus dies mensis ponitur : hic vero vicesimus quartus, ut inter primum diem, quo Dominus loquitur per Aggæum, et vicesimum quartum, quo ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini, viginti duo dies medii fuerint, quot et litteræ sunt apud Hebræos. Necesse enim habuerunt doceri quæ essent elementa principii sermonum Dei, quæ eos prohiberent dicere, *Nec dum venit tempus domus Domini ædificandæ*, et habitare in domibus concavis, et ut supra dixi, in ima demergi. Provocarentur vero ponere corda sua super vias suas, et meminissent propter negligentiam quanta perpessi fuerint. Et ut ascenderent in montem, et cæderent ligna, et ædificarent domum Domini, et non paterentur ea quæ fuerant ante perpessi. Denique in his viginti et duobus diebus, timuit populus a facie Domini, et ingressi sunt in die vicesimo quarto mensis, in sexto mense anno secundo

[a] Ms. Reginæ, *nec spiritui copulatus id erat, quod spiritus.*

[b] Nimirum Origenes tomo secundo in Joannem, cujus argumentum mox totidem pene verbis Hieronymus recitat, nosque inferius adducemus ad proœmium Commentariorum in Malachiam. Quam vero ab eo longe S. Pater abhorreret, tota ferme ejus evincit epistola ad Evangelum de Melchisedech, in nostra recensione 73, tum 122 ad Algasiam quæstione I. Ut plane adeo injuriosi Hieronymo sint, qui vel ex hoc Commentari loco, ut olim Rufinus Invectiv. I, vel ex apocrypho opere commentariorum in Psalmos, ut Genebrardus, huic eum adhæsisse errori putant. Plura inferius ad Malac. cap. I dicenda hac de re nobis sunt.

Darii regis, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui. Præcipitur autem nobis, ut ædificari possit domus spiritualis in sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales victimas placentes Deo, tales nos præbere, **753** ut suscitetur in nobis Spiritus sanctus, et ingrediamur in domum Domini, et faciamus opera Domini. Jam enim Zorobabel de genere David, et Jesus sacerdos in æternum suscitatus est a Patre in virtute, secundum spiritum sanctificationis de resurrectione mortuorum, ut ille præsit operi; nos vero faciamus, ipso adjuvante et disponente. Quæ tamen opera Dei facere ante non possumus, nisi timeamus a facie Domini, et credamus, et ingrediamur templum Dei, et ea quæ domui Dei digna sunt perpetremus. Quoniam vero adhuc in sæculo sumus, et tempus ædificationis nostræ sub Dario rege versatur, in quo generationi, conjugiis carnique servitur : idcirco in sexto numero quo factus est mundus, et in secundo anno qui dividit unionem (materia enim in qua mundi reparatio sobolisque consistit, duplicem numerum diligit), ingredimur domum Domini, et utroque populo congregato, exstruimus templum Dei. Ex [a] duobus enim duodecim numeris, vicesimi quarti numeri summa consistit : quia tam ex circumcisione quam ex gentibus, Christi Ecclesia prima quæ eversa fuerat, ædificata est. Sed et hoc possumus dicere, quia octavus numerus qui sanctus est, et in veræ circumcisionis typo accipitur, triplicatus vicesimum quartum numerum facit, figuraliter nos docemur, ut ædificemus domum Domini in amputatione carnis, et vitiorum circumcisione, et veram puritatem esse credamus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Porro alius sexies quartum supputavit numerum, et quatuor refert ad elementa mundi, ex quibus subsistimus; sex vero ad conditionem mundi, in quo ipsa elementa versantur. Et dicit : quia adhuc in materia sumus, et gravi corpore circumdamur, et servimus generationibus, exstruere quidem nos templum, et intrare in domum Dei, et quasi de somno gravi suscitari spiritum nostrum; sed adhuc in vicesimo quarto die idipsum facere.

(Cap. II. — Vers. 1 seqq.) *In septimo mense, vicesima et prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ dicens : Loquere ad Zorobabel, filium Salathiel, ducem Juda,* **754** *et ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, et ad reliquos populi, dicens : Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus, et confortare, Jesu fili Josedec, sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, et facite : quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum. Verbum quod pepigi vobiscum cum egredereminі de terra Ægypti, et spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. Quia hæc dicit Dominus exercituum, adhuc unum modicum est, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Eodem anno, sed mense septimo, in quo solemnitates Dei [*Al.* die] sunt prima et vicesima die mensis, id est, completis tribus hebdomadibus, et perfecta in mysterio Trinitatis requie, tertio factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, qui continuo labore sudabat, ut semper in eo sermo Dei haberet [b] accessum. Præteritorum enim obliviscens, et in futurum se extendens (*Philipp.* III), ita quotidie laborabat, quasi præcedentium operum nihil haberet. Dicitur ergo ei : *Loquere ad Zorobabel, et ad Jesum, et reliquum populum*, qui viderunt antiquam domum Dei, et nunc intersunt instaurationi ejus, numquid ad comparationem prioris, non talis est ista quæ cernitur, ut quodam modo non esse videatur? Verum nolite desperare, nec lassas manus dimittite, sed et tu, Zorobabel et tu, Jesu, et omnis populе, confortamini, et facite opus in domo mea : Ego enim sum vobiscum, et sermo meus quem pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti. Et spiritus meus non recedet a vobis : nolite timere, ego sum qui jubeo Dominus omnipotens, cujus dixisse, fecisse est. Quando primum testamentum **755** dabam, et in Sina monte sum visus, commovi cœlum et terram, et mare Rubrum, et desertum, ut vobiscum ponerem Testamentum; nunc autem polliceor vobis me adhuc semel cœlum et terram, et mare et aridam commoturum, ut illis commotis, moveantur omnes gentes, et veniant juxta LXX *quæ electa sunt Domini* de cunctis gentibus; juxta Hebraicum vero, *veniet desideratus cunctis gentibus* Dominus noster atque Salvator. Tunc implebo domum istam gloria majore quam priorem, et semper vobis addam, dicit Dominus omnipotens. Et ne forsitan sponsorem putetis infirmum : meum est aurum, et meum est argentum, et meæ sunt cunctæ opes. Ego in ornamentum templi aurum argentumque donabo, ut major fiat hujus domus gloria quam prioris. Et quia difficile videtur quod polliceor, et humana infidelitas ad majora promissa semper hæsitat, propterea rursum dico qui promitto, Dominus omnipotens sum. Porro quia scio ad ædificationem inclytæ domus, et quæ superatura sit domum pristinam, nihil ita facere, ut pacem, idcirco et hanc spondeo. Dabo enim in loco isto pacem, dicit Dominus exercituum : ut pax quæ exsuperat omnem sensum, custodiat domum meam, et sit in pace locus meus. Has interim παραφραστικῶς expositionis lineas duxerim, ut ex his ad sublimiorem intelligentiam, etiam nobis tacentibus, prudens lector ascendat. Fit ergo sermo Dei ad eos qui operari cœperant in domo Domini omnipotentis, jam in requie, id est,

[a] Melior utique lectio sit, quam et Victorius probat, *ex his enim duodecim numeris.*

[b] Ms. Regin., *haberet ascensum.*

in mense septimo, et in Trinitatis plenissimo sacramento, vicesima prima mensis, et ad Aggæum Dei festa celebrantem, qui rursum manum suam sermoni Domini præparaverat, et dicit ad eum : Loquere ad Zorobabel de tribu Juda, et ad Jesum sacerdotem magnum, qui pro nobis et homo fieri dignatus est et Sacerdos, et ad reliquias populi : ad comparationem enim totius orbis, [a] parva pars fuit in principio credentium. Igitur quæ locutus sit audiamus. Fuit quondam in Israel domus Dei, qui nunc ita deserta est, ut nec fuisse credatur ; ex **756** quo quæ fuerat dilecta, [b] facta est non dilecta, et qui non populus Dei, cœpit esse populus Dei. Et est domus illa quondam gloriosa : nunc in conspectu Zorobabel et Jesu et reliquiarum populi quasi non sit. Hoc autem non solum de templi ædificiis quæ cernimus corruisse, accipere debemus; sed de omnibus quæ quondam præclara habuere Judæi. Verumtamen quia facta est prior domus quasi non subsistens, provocatur Zorobabel dux, et Jesus sacerdos, ut regnum Christi, et sacerdotium roboretur, et populus ejus qui quondam terræ fuit populus, faciat opera in domo Domini, et sciat Deum sibi esse præsentem : faciat quoque verbum, quod pepigit Dominus cum eis quando egrediebantur de terra Ægypti. Atque utinam et nos egrediamur de Ægypto, ut verbum testamenti quod accepimus, impleamus. Repromittit quoque Dominus Deus his qui faciunt opera in domo ejus, et implent quem accepere sermonem, spiritum suum, dicens : *Et spiritus meus erit in medio vestrum.* Sacramentum cernite Trinitatis : Ego sum vobiscum, et spiritus meus, et Verbum, in quo posui testamentum cum egredemini de Ægypto. Quod autem dicit in medio vestrum, juxta illud sentiendum est, quod in Evangelio scriptum legitur : *Medius enim vestrum stat, quem vos nescitis, qui post me veniet* (*Joan.* I, 26). Hæc ergo dicit Dominus exercituum ad vos qui videtis domum priorem sic esse quasi non sit. Movi cœlum, quando de cœlo audita est vox mea. Movi terram, quando priori populo tradidi Testamentum ; et in adventu meo, caligo, turbo, tenebræ cernebantur. Movi mare Rubrum, quando viam præbui populo transeunti. Movi aridam, vel Ægyptum per plagas cultu Dei vacuam, vel solitudinem per quam quadraginta annis [c] circumduxi populum. Hæc adhuc semel movebo. Quod factum cernimus in adventu Domini Salvatoris. Tempore quippe passionis ejus, fugiente sole, cœlum motum est et tenebræ factæ sunt super omnem terram ab hora sexta usque ad horam nonam (*Matt.* XXVII, *et Luc.* XXIII). Mota est terra, et saxa scissa sunt, **757** et sepulcra reserata ; motum est mare dracone qui in eo erat interfecto ; mota est et arida, infructuosa quondam gentium solitudo. In hoc autem universitatis tremore, commotæ sunt etiam omnes gentes ; quia in omnem terram exivit sonus apostolorum Domini, et verba eorum penetraverunt usque ad terminos orbis terræ ( *Psal.* XVIII ). Ob id autem omnes motæ sunt nationes, ut ex earum motu [d] veniret electa gentium multitudo, et quæ ubicumque præclara sunt. Verbi gratia, electa de Corintho, quia multus erat in ea populus Dei. Electa de Macedonia, quia grandis in Thessalonica Dei Ecclesia congregata, non habebat necessarium ut de charitate doceretur (I *Thess.* 14). Electa de Epheso, ut arcana Dei et nullis antea revelata sacramenta cognoscerent. Quid plura ? omnes gentes commotæ sunt, ad quas Salvator apostolos miserat, dicens : *Euntes, docete omnes gentes* ( *Mat.* XXVIII, 29 ), et ex multis vocatis pauci electi, primitivorum Ecclesiam construxerunt. Unde et apostolus Petrus : *Salutat vos*, inquit, *quæ in Babylone est electa, et Marcus filius meus* ( I *Pet.* V, 15), et Joannes : *Senior*, inquit, *electæ dominæ;* ac deinde filios memorat electæ. Commotis ergo gentibus, quas quidem possumus et contrarias accipere fortitudines, non valentes splendorem Domini sustinere, venerunt electa omnium gentium, et repleta est gloria domus Domini, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis. Hæc secundum LXX. Cæterum in Hebraico melius et significantius habetur ut supra posuimus : *Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* Vere enim postquam ille venit, impleta est gloria domus Domini. Et quantum Dominus distat a servo, tantum domus [e] Domini melior est, cui præest Dominus, a domo priore cui præfuit servus. Quod autem ait : *Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum*, non puto quemquam existimare quod de argento loquatur et auro, quæ à divitibus et regibus possidentur. Hoc enim modo, non solum argentum et aurum Dei est quasi Creatoris ; sed et cætera metalla, æs, stannum, plumbum, et quod domat **758** omnia ferrum. Sed ego argentum, quo domus Dei ornatur, existimo eloquia Scripturarum, de quibus dicitur : *Eloquia Domini eloquia casta ; argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum* ( *Psal.* XI, 7 ) ; et aurum quod in occulto sanctorum sensu, et in cordis versatur arcano, et splendet vero lumine Dei, quod et Apostolum de sanctis, qui super fundamentum Christi ædificant, sensisse perspicuum est, aurum, argentum, lapides pretiosos ( I *Cor.* III ) ; ut in auro sensus occultus sit, in argento sermo [f] decens, in lapide pretioso, opera Deo placentia. His metallis illustrior fit Ecclesia Salvatoris, quam quondam synagoga fuerat ; his lapidibus vivis ædificatur domus Christi, et pax ei præbetur æterna. Porro quod sequitur in Septuaginta : *Et pacem animæ in acquisitionem omni qui*

[a] Idem ms., *quota pars fuit*, etc.

[b] Solemni amanuensium lapsu e Victorii editione exciderunt verba, *facta est non dilecta.*

[c] Demuo idem ms., *quadraginta annis populus circuivit.*

[d] Ferme rectius in eodem ms., *venirent electa gentium, et quæ ubicumque præclara sunt.*

[e] Vacat hic loci in Regin. ms. vox, *Domini.*

[f] Victor. *sermo dicens*; ferme rectius in Regin. ms. *sermo decens.*

*creatur, ut suscitet templum istud*, quasi superfluum et vix cohærens, quippe quod nec apud Hebræos, nec apud alium quemquam interpretem fertur, omisimus.

(Vers. 11 seqq.). *In vicesima et quarta noni mensis, in anno secundo Darii* [Vulg. addit *Regis*] *factum verbum est Domini ad Aggæum prophetam, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum; interroga sacerdotes legem, dicens : Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum; numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt : Non. Et dixit Aggæus : Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt : contaminabitur. Et respondit Aggæus, et dixit : Sic populus iste, et sic gens ista, ante faciem meam, dicit Dominus; et sic omne opus manuum eorum, et omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.* LXX : *Vicesima et quarta noni mensis, anno secundo sub Dario, factus est sermo Domini ad Aggæum prophetam, dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens; interroga sacerdotes legem, dicens : Si sumpserit homo carnem sanctam in summitate vestimenti sui, et tetigerit summitas vestimenti ejus panem, aut coctionem, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, si sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt :* **759** *Non. Et dixit Aggæus : Si tetigerit immundus in anima de omnibus his, contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt : contaminabitur. Et respondit Aggæus, et dixit : Sic populus iste, et sic gens hæc coram me, dicit Dominus, et sic omnia opera manuum eorum. Et quicumque appropinquaverit* [a] *ibi, contaminabitur, propter munera eorum matutina, dolebunt a facie malitiarum suarum, et odoratis in portis arguentes.* Propterea et Septuaginta interpretum editionem posuimus, quia in quibusdam verbis dissonare videbantur. Et hoc quod dicitur : *Propter munera eorum matutina, dolebunt a facie malitiarum suarum, et odoratis in portis arguentes*, nec in Hebræo, nec apud alios interpretes invenitur. Notandum quod in [b] isto loco : *In vicesima et quarta die mensis noni anno secundo*, non ut supra tertia vice dicitur : *Factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ;* sed *ad Aggæum prophetam.* Ibi enim (quia adhuc [c] profectum habebat, et opera tantum munda, cor autem illius necdum plenam sapientiam receperat; sive quia habitabat adhuc inter eos, qui dicebant : *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ*) in operibus tantum ejus sermo factus est Domini. Hic autem quoniam jam templi jacta sunt fundamenta, et ingressus est populus cum principibus in domum Dei, et facit opus congruum templo Dei, et audivit mysterium : *Movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*, et plenus est vaticinio; propterea [d] totus ad Aggæum fit sermo Domini. De vicesima quarta die et secundo anno jam diximus : Noni mensis numerus qui hic additur, numquam in bonam partem legitur. Pascha immolat populus, et alias celebrat festivitates; omnis ejus solemnitas die finitur octavo, nec ad nonum pervenit. Qui agnum paschæ præparant, transacta die nona, incipiunt præparare. Dies quoque propitiationis et expiationis mensis septimi, post diem nonam celebratur. Et in Jeremia (*Cap.* XIX *et* LII), sicut legentibus poterit esse manifestum, Jerusalem nono anno a Babyloniis oppugnatur. Quia igitur prophetia de immunditia populi futura **760** erat; idcirco secundo anno Darii novus mensis jungitur. Rursum quia datur locus pœnitentiæ post immunditiæ correptionem, vicesima quarta die sermo Dei fit ad Aggæum prophetam, ut quasi ex persona Domini quæstionem a sacerdotibus sciscitetur ex lege venientem, et dicitur ei : *Interroga sacerdotes legem, dicens.* Simulque considera sacerdotum esse officii, de lege interroganti respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, et ad interrogationem respondere de lege. Quod quidem et in Deuteronomio (*Cap.* 17) leginus, ut sicubi in urbibus Israel quæstio fuerit exorta inter sanguinem et sanguinem, inter judicium et judicium, lepram et lepram, contradictionem et contradictionem, eant ad sacerdotes atque Levitas, et ad pontificem qui in diebus illis fuerit constitutus, et quærant ab eo legem Domini; quibus respondentibus, faciant quod jubentur. Quod si non fecerint, exterminentur de populo suo. Et ne forsitan in veteri solum Instrumento hæc præcepta videantur; loquitur et Apostolus ad Timotheum, episcopum non solum irreprehensibilem esse debere, et unius uxoris virum, et sapientem, et pudicum, et ornatum, et hospitalem, sed etiam doctorem (I *Tim.* III). Et ne casu hoc dixisse videretur, ad Titum quoque super presbyteris (quos et episcopos intelligi vult) ordinandis, eadem cautela servatur (*Tit.* I, 5 seqq.). *Propter hoc reliqui te Cretæ, ut quæ residua erant corrigeres, et ordinares per civitates presbyteros, sicut ego præcepi tibi : Si quis est irreprehensibilis unius uxoris vir, filios habens fideles, non* [e] *in accusatione luxuriæ vel in subjectos. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse sicut Dei dispensatorem, non procacem, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, pudicum, benignum, justum, sanctum, continentem,*

[a] Rescripsimus *ibi*, ex Regin. ms. juxta Græcum textum, ἐγγίσῃ ἐκεῖ, *appropinquaverit ibi*, pro quo Martianæus *tibi* legit.

[b] Regin. ms., *Notandum autem, quod in quarto loco*, etc., rectius, ut videtur.

[c] Idem ms., *quia adhuc prophetiam habebat.*

[d] Victorius, fortasse rectius, *ad totum Aggæum sermo fit Domini.*

[e] Hæc ex antiqua Vulgata recitat Hieronymus ut probant voces sequentes *insubjectos*, *consolari in doctrina sana*, etc., quæ leguntur in omnibus codicibus mss., ut nos edidimus. MART.

*habentem in doctrina sermonem fidelem; ut possit consolari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi et non subjecti, vaniloqui, et seductores, et maxime qui de circumcisione sunt,* **761** *quibus oportet imponere silentium.* Hæc prolixius posui, ut tam ex veteri, quam ex novo Testamento, sacerdotum esse officium noverimus, scire legem Dei, et respondere ad quæ fuerint interrogati. Nec simplicitatem et ciborum continentiam in magistro sufficere : nisi quod ipse facit, possit et alios erudire. Certe quia responsuros puto: hoc eorum esse qui se ab adolescentia præparant ad docendum, frequenter autem judicio Domini, et populorum suffragio in sacerdotium simplices eligi : saltem illud habeant, ut postquam sacerdotes fuerint ordinati, discant legem Dei, ut possint docere quod didicerint, et augeant scientiam magis quam opes, et non erubescant a laicis discere, qui noverint ea quæ ad officium pertinent sacerdotum : magisque noctes et dies in Scripturarum tractatu, quam in ratiociniis et supputatione consumant. Quid est autem quod ex persona Domini Aggæus interrogat sacerdotes ? *Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora, sive in summitate vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid sanctificabitur?* Antequam de quæstione tractemus, debemus interim juxta litteram nosse, quid sit caro sanctificata, et quid sit immundus in anima. Hostia quæ immolabatur in altari carnes illius sanctæ erant, et inter ipsas sanctificatas carnes erat multa diversitas. Alias enim sacerdotes in templi adytis comedebant : alias propinqui eorum domi : alias hi qui de sacerdotibus videbantur esse maculati : alias Israelitæ qui nullam habebant immunditiam. Hujus diversitatis plena ratio in Levitico dicitur. Immundus autem in anima dicebatur, qui corpus hominis mortui attigerat. In quo animadvertendum, quamdiu anima in corpore sit, immundum non esse corpus humanum : statim vero ut spiritus vegetans artus recesserit, immundum fieri quod terrenum est, sicut in eodem Levitico scribitur: *Et ait Dominus ad Moysen, dicens: Dic sacerdotibus filiis Aaron, et dices ad eos: In animabus non contaminabuntur in gente sua; sed in cognatis qui appropinquant eis, super matre, et super patre, et super filiis et filiabus, et super fratre et sorore sua virgine quæ* **762** *appropinquat ei, et non est tradita viro : super his non contaminabitur, et non polluetur repente in populo suo in contaminationem sui* (*Levit.* XXI, 1, 2). Considera his præcipi sacerdotibus non ingredi ad quemlibet mortuum, nisi ad eos cognatos et propinquos, de quibus supra dictum est. Sacerdos autem magnus, id est pontifex, plus aliquid habebat a cæteris sacerdotibus : et nec pietas illum, nec affectus flectere poterat, ut immundus fieret in supradictis nominibus. Ait enim Scriptura : *Et super omnem animam quæ mortua est non ingredietur : super patre suo, neque super matre sua, et non contaminabitur.* Scientes ergo quid sit caro sanctificata, et immundus in anima, videamus prophela quid quærat. Si homo quicumque, non hic de Pontifice dicitur, aut de sacerdote, aut de Levita; sed quilibet homo : ubi persona non ponitur, passim omnibus licet carnem tangere. Si tulerit, inquit, carnem sanctificatam, et ligaverit in summitate vestimenti sui, et ipsa summitas vestimenti panem tetigerit, aut quamlibet aliam coctionem, aut vinum, aut oleum, aut omne extra hæc quo homo vesci potest, numquid panis, aut vinum, aut oleum, aut omnis cibus, tactu vestimenti in quo caro sancta ligata est, sanctificari potest? Et respondentes sacerdotes dixerunt : Non potest, hoc est, nihil eorum sanctificabitur de quibus quæris ; sed ita unumquodque permanebit ut fuerat. Rursum alia quæstio proponitur sacerdotibus : quod scilicet bene responderint ad superiorem, et quasi similitudo problematis coaptatur, in qua imperitus facile labi potuit. Da enim aliquem nescire legem, et sicut respondit de sanctificata carne non sanctificari panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, et in hoc æque respondebit, et dicet : Pollutum in anima non contaminare ea quæ sancta caro sanctificare non potuit. Interrogat igitur, et dicit : Si tetigerit is qui pollutus in anima est, hoc est, qui contagione mortui est immundus effectus, ex his omnibus, panem videlicet aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut reliquos cibos ; numquid ex contactu eorum hæc quæ tetigerit polluentur? Et responderunt sacerdotes, quorum princeps erat Jesus filius Josedec, unde et legem noverant **763**, et dixerunt contactu ejus, qui immundus est, omnia quæ ab eo contacta sunt pollui. Et respondit Aggæus et dixit, de superioribus tacens, quod sanctificata caro cæteros cibos sanctificare non possit ; et de secunda tantummodo quæstione sermonis sui texens occasionem : *Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus :* Qui immundus est in anima, et morticinum tetigerit, omne quod tetigerit, et quod obtulerit mihi, immundum erit. Quod autem dicit secundum litteram, hujuscemodi est : O populе, qui altari tantum exstructo, et diruta domo mea, hostias mihi offers in altari, et victimis ejus et carnibus te sanctificari putas : scito non tam sanctificari te ex hostiis quæ, templo diruto, tibi prodesse non poterunt : quam contaminari omnia opera tua, et cuncta quæ agis, ex eo quod negligis et tuam magis domum quam meam exstruere conatus es. Sanctum quidem est quod offertur in altari ; sed non tam sanctificaris ex hostiis, quam ex eo quod in convallibus habitas, et interes mortuis operibus, pollueris. Hæc juxta historiam : quamquam spiritualis in ea intelligentiæ lineas duxerimus. Cæterum secundum ἀναγωγήν Ecclesiasticus vir qui immolavit agnum immaculatum et anniculum, et indutus est Christo, si tulerit de carnibus ejus, et ligaverit in summitate vestimenti sui, et ipsa summitas tetigerit Scripturarum panem, qui confirmat corda credentium ; aut coctionem, apostolicas Epistolas, quæ quasi veteris Legis carnes concidunt et decoquunt,

et conditas præbent esui ; aut vinum quod lætificat cor hominis ; aut oleum, in quo exhilaratur facies audientis ; aut omnem cibum : lac, quo aluntur Corinthii (I *Cor.* 2), et olera quibus vescuntur infirmi (*Rom.* XIV, 3), et cætera his similia : non statim quasi sanctificata ea comedent quibuscumque data fuerint. Non enim ex eo quod dicuntur ; sed ex eo quod suscipiuntur, sanctificant audientes : quia multi auditores [a] legis sunt, et non factores. Sed et ob id puto hæc universa quæ dixi, ex tactu vestimenti ad vescentes nequaquam sanctificata deferri, quod summitate tantum pallii continguntur ; et sanctificatæ carnes intrinsecus, humorem, sanguinem, venas **764**, nervosque non norunt. Sicut igitur summitas vestimenti dominici, et levis tactus non sanctificat, nisi eum qui comederit carnes agni, et sanguinem ejus biberit : sic econtrario immundus in anima, perversæ quæque doctrinæ, quodcumque tetigerint, immundum faciant necesse est. Habent enim in sacramentis panem, et vinum, et oleum, et omnem cibum ; sed sacramenta eorum quasi panis luctus, omnes qui ea contigerint, contaminabuntur. Legunt et ipsi Scripturas, et quasi de Scripturarum testimoniis conspergunt panem, et tota nocte in clibano coquunt illum ; sed cum ad vescendum datus fuerit, comedentes ad insaniam provocat. Habent pulmentum et coctionem, conantes juxta perversitatis suæ sensum mystica quæque de Scripturis texere, et quasi coquere, et condire carnes agni, sed coctio illa perditio est. Habent et vinum, sed non de vinea Sorec, et quam plantavit Dominus in Jeremia, electam et totam veram (*Jer.* II) ; sed de vinea Sodomorum. Habent et oleum quod de veteris et novæ Scripturæ testimoniis violenter exprimunt, et quasi in refectionem deceptis et lassis mentibus pollicentur ; sed detestatur illud sanctus, et dicit : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Ps.* CXL, 5). Habent et diversos cibos, multiplices videlicet variarum ὑποθέσεων diversosque tractatus, quos quia immundi sunt qui scripserunt, et immundo ore prolati sunt, omnis qui tetigerit, immundus fiet, et in eorum trahetur errorem. Unde respondit Aggæus, qui scit differentias solemnitatum, et ob id festi sortitus est nomen : Sic populus iste et sic gens ista, Judæorum videlicet, atque gentilium, et hæreticorum omnium in conspectu meo, dicit Dominus : Omne quod fecerint, quod mihi obtulerint, vel vota pro salute, vel pacifica, vel pro peccato, vel pro delicto, vel in holocaustum, sive eleemosynas, sive jejunia, sive victus continentiam, et corporis castitatem, contaminata erunt in conspectu meo. Quamvis enim sancta videantur specie sui quæ offeruntur a talibus : tamen quia tacta sunt ab eo qui pollutus in anima est, omnia polluentur.

(Vers. 17 seqq.) **765** *Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra : antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem, et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti. Percussi vos vento urente, et aurigine, et grandine omnia opera manuum vestrarum, et non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus.* LXX : *Et nunc ponite super corda vestra a die hac et supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini, qui eratis quando mittebatis in cypselem hordei viginti sata, et fiebant decem sata hordei : et ingrediebamini torcular, ut hauriretis quinquaginta amphoras, et fiebant viginti. Percussi vos sterilitate, et corruptione aeris, et grandine omnia opera manuum vestrarum : et non reversi estis ad me, dicit Dominus.* Licet omnia quæ obtulistis mihi in altari, quia templum, non ædificaveratis, contaminata fuerint (sine exstructione quippe templi, donum omne pollutum est) ; tamen nunc te hortor, o popule, ut sensu ad præterita revertaris, consideresque quæ facta sint, hoc est, et ab hac die vicesima quarta noni mensis anno secundo Darii, quidquid retro gestum est mente complectere, et propter quæ, quanta sustinueris, ut cum deinceps prospera tibi evenerint, scias qua causa evenerint. Ergo antequam inciperes ædificare templum, et lapidem super lapidem ponere, cum accederes ad acervum, et putares viginti te habere modios, [b] nonne vix mediam partem colligere poteras ? Sive juxta LXX : Cum mitteres viginti modios hordei in vas quod vocatur *cypseles*, et existimares te quamquam hordeum mitteres, jumentorum cibum, vel de ipsis viginti modiis esse securum, nonne postea reversus ad vas vix decem modios reperisti ? Ad torcular quoque cum accederetis, et videretis uvas, et quinquaginta amphoras vobis oculi pollicerentur : non dico partem mediam, sed vix viginti amphoras exprimere poteratis. Et hæc feci percutiens vos vento urente, et corruptione aeris, et emorientibus frugibus, vacuisque spicarum folliculis, et vinearum botris, ut malorum pondere vos ad meam notitiam provocarem : **766** et nec sic fuit qui reverteretur ad me. Hebræus totam loci hujus continentiam ab eo quod scriptum est : *Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra*, usque ad eum locum ubi ait : *vinea et ficus et malogranatum, et lignum olivæ non floruit, ex die ista benedicam*, ita exposuit [*Al.* exponit] : Certe nunc templi fundamenta sunt jacta ; ex hac igitur die qua fundamenta jecistis (cum in præteritum vos sterilitate, et fame, et grandine, siccitate punierim, et non fuerit qui ad me per has plagas reverteretur e vobis), ponite corda vestra in futurum et deinceps, et videte quia omnia vobis prospero cursu fluant. Hoc autem eveniet quia templum meum ædificare cœpistis : nec in solo altari habentes fiduciam, ædificationem meæ domus contemnitis. Juxta quem sensum breviter possumus dicere, frustra aliquos munera offerre Deo, et eleemosynis atque oblationibus putare Deum pos-

[a] Deerat penes Martianæum, *legis :* id genus alia passim restituimus.

[b] Voculam, *nonne*, atque adeo interrogandi notam Regin. ms. non habet.

se placari, cum ipsi non exstruxerint in se templum Spiritui sancto. Tunc enim prosunt eleemosynæ, et munera quæ offeruntur in altari, cum seipsum quis ædificaverit templum Dei, et post ædificationem templi dona obtulerit in altari. Porro secundum tropologiam, et ad nos dicitur qui nunc in Jesum Christum credimus, si tamen credimus et opere fidei ostendimus veritatem, ut revertamur mente ad illud tempus quando gentiles eramus, quotidie vitiis servientes, nec exstruxeramus in nobis templum Deo. Quomodo autem architectus et scientissimus cæmentarius lapidem jungit lapidi, et inferiorem superiori calce gypsoque conglutinat : ita et architectus (quem se et apostolus esse dicit : *Quasi sapiens architectus fundamentum posui* (I *Cor.* III, 10) : et quem de Jerusalem ablaturum se Dominus comminatur) novit quomodo opera jungat operibus, et paulatim exstruat templum Dei. Fundamentum autem hujus templi ponitur Jesus, super quem unusquisque videat quid ædificet : Alius ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos; alius, ligna, fenum, stipulam. Et tribus bonis tria econtrario opponuntur mala. Isti sunt lapides de quibus exstructurum se Jerusalem Dominus repromittit : **767** *Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem tuum, et fundamenta tua sapphirum, et ponam propugnacula tua jaspidem* [Al. *jaspim*], *et portas tuas de lapide crystallo, et murum tuum de lapidibus electis* (*Isai.* LIV, 11, 12). Neque enim putandum est secundum Judaicas fabulas et inepta figmenta, Deum auro et gemmis ædificaturum Jerusalem, et non vivis lapidibus, qui nunc volvuntur super terram, et juxta naturas lapidum, vel igniti fide sunt, ut carbunculus; vel toti cœlestes, et in thronum Dei redacti, ut sapphirus; vel innocentia et bonorum operum simplicitate lucentes, ut crystallus. Dicitur ergo nobis ut consideremus quæ retro passi fuerimus antequam in nobis ædificaremus templum Dei. *Cum accederetis*, inquit, *ad acervum viginti modiorum, et fierent decem:* sive juxta **LXX** : *Cum mitteretis in cypselem viginti modios hordei, et fierent decem modii hordei.* Quidquid enim ante Christum videbamur habere virtutum bonorumque operum, non erat frumentum, sed hordeum : et ipsum hordeum, non secundum spem et vota nostra, quod de Isaac legimus, centenas fruges dabat (*Gen.* XXVI), sed vix mediam partem laboris nostri ex eo invenire poteramus, et dicebatur ad nos : *Tanta passi estis sine causa* (*Galat.* III, 4)? Sed et cum intraremus ad torcular, et quinquaginta vini amphoras supputaremus (quem numerum, completis septem hebdomadibus, unio divinitatis includit), et putaremus nos habere vinum, quod lætificat cor hominis, subtrahebatur nobis sanctus numeras tricenarius (in quo baptizatur Dominus, et Ezechiel visionem cernit in prophetiæ suæ exordio, et juxta Hebraicum sacerdotes accedebant ad ministerium Dei), et relinquebantur viginti. Quem numerum amat Esau, unde et Jacob sciens eum hoc numero delectari, mittit quædam animalia in munere, viginti et viginti. Simulque et cerne quod ipse Jacob licet sanctus (tamen eo tempore quo non erat cum patre suo *Isaac*, id est, *risu;* et matre sua *Rebecca*, id est, *patientia;* sed vicinos habebat Assyrios, et habitabat in Mesopotamia, hinc atque inde se cingentibus fluviis), viginti annorum spatio, crudelissimo et avarissimo servivit Labano (*Gen.* XXXII). Nec moveat **768** quempiam, si dicamus aliquos ante fidem Christi et exstructionem templi ejus, mediam partem se laboris sui posse percipere, cum apud incredulos nullus fructus sit bonorum operum. Non enim viginti reponit et invenit viginti; sed cum [*Al.* si] viginti reposuerit, invenit decem, id est, mediam partem laboris sui. Judæi, et ethnici, et Philosophi hujus sæculi, cæterique qui sapientiam jactant, in præsenti tantum tempore conversationis suæ et laboris fructum et gloriam capiunt, omnisque spes eorum et merces futuri sæculi tollitur. Hoc autem ideo fit ne penitus desperantes contemnant pœnitentiam; sed aliquando conversi ponant lapidem super lapidem, et ædificent templum Dei. Quod si in incredulitate permanserint, id ipsum medium quod videbantur habere, perdent. Sequitur enim : *Percussi vos vento urente, et aurigine, et grandine omnia opera manuum vestrarum.* Quidquid autem aurigine et grandine et vento urente percutitur, in pulverem redigitur et favillam, nihilque in eo quod ad utilitatem et ad esum pertineat[a], invenitur. Quæ quidem cuncta fecit Dominus, quia non est inventus in eis qui reverteretur ad eum. Quod si reversi fuerint, et ædificaverint templum Domini, a die qua ædificare cœperint, habebunt quæ prophetiæ sermo subtexit.

(Vers. 19, 20.) *Ponite corda vestra ex die ista et in futurum, a die vicesima et quarta noni mensis, a die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. Numquid jam semen in germine est, et adhuc ficus et vinea et malogranatum, et lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam.* LXX : *Ponite corda vestra a die ista et in futurum : a quarta et vicesima noni mensis, et a die in qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite in cordibus vestris : Si ultra cognoscetur super terram area, et si adhuc vinea et ficus et malogranatum, et ligna olivæ quæ non ferant fructum? a die hac benedicam.* Exposui, ait, vobis quæ sustinueritis antequam inciperetis ædificare templum meum : nunc exponam quæ vobis ventura sint prospera, quia templum meum ædificare cœpistis. A die igitur vicesima quarta noni mensis in quo templi fundamenta sunt jacta, **769** quanta rerum abundantia futura sit, considerate. Nonus est mensis quem nos Novembrem, vel Decembrem dicimus. NISAN (ניסן) enim apud Hebræos mensis est primus, qui appellatur *mensis novorum :* eo tempore quo Pascha faciunt, id est, incipiente

[a] In aliquot mss., *ad usum pertineat*, Victor., *ad esum perveniet.*

veris exordio, qui secundum lunæ cursum sæpe quamdam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili. Ergo si Nisan, Aprilem intelligimus, nonus mensis secundum supputationem Hebræorum December erit. Igitur decimus [*Al.* December] est mensis eo tempore quo semina latitant in terra, nec futura fecunditas conjectari potest. Numquid jam, ait, semen in germine est? Quod melius Hebraice dicitur, in folliculo, ut thecam frumenti significet. Numquid vinea et ficus, et malogranatum et lignum olivæ florem suum dederunt? ut ex flore intelligatur et fructus. [a] Utique non; mense enim, ut diximus, Decembri futurarum nulla signa sunt frugum. Ne igitur dicatis, hoc me prudenti ratione conjicere, et futuram fecunditatem de floribus arborum herbisque segetum suspicari : ecce nulla signa sunt; et tamen ego prædico vobis, quia cœpistis ædificare templum meum, ad benedictionem, meam frugum omnium fecunditatem. Hoc secundum Hebraicum diximus. Cæterum secundum Septuaginta longe alter est sensus, quem et ipsum primum debemus juxta litteram exponere, ut postea cœptus tropologiæ ordo tractetur. Ponite corda vestra a die hac, qua templum fundatum est, in futurum, et videbitis tantas futuras esse segetes, et tanta de cunctis agris frumenta portari, ut area nesciat fruges suas, sive ut non sint areæ singulorum, sed præ multitudine jungatur area areæ, et arearum separatio nesciatur in terra. Vinea quoque et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ quæ prius vestro vitio non afferebant fructus, quia mihi necdum cœperatis ædificare templum, tanta uvarum et pomorum abundantia curvabuntur, ut manifesta fecunditas manifestam indicet benedictionem. Nonum autem mensem, non in bonam partem accipi, et quartus Regnorum liber, **770** et Jeremiæ narrat historia, in quo obsessa dicitur esse Jerusalem (IV *Reg.* XXV, *et Jer.* XXX *et* XXXII). Tamen quoniam in fine noni mensis, templi fundamenta jaciuntur, hoc intelligere possumus, quod non incipiatur exstrui templum Domini, nisi mala opera finiantur. Unde et in vicesima quarta die mensis ejusdem, fundamentum templi ponitur, in quo numero duplex δωδεκὰς et tres ὀγδοάδες, quatuorque ἑξάδες sunt, de quo jam supra plenius disputatum est. Quicumque ergo Dei cultui se dedicaverit, et contempserit ῥάθυμον, id est, *negligentem* patronum (qui in Ezræ volumine juxta Septuaginta interpretes (I *Esdr.* IV), templum Dei ædificari vetat), iste [b] nescit mensuram frugum et mercedis suæ. Vel certe propter hoc quod dicitur : *si adhuc cognoscetur super terram area*, qui seminaverit in spiritu, et de spiritu messuerit vitam æternam (*Galat.* VI), nequaquam sibi thesaurizabit in terra, sed omnia opera ejus, et mercedes operum in cœlestibus colligentur. Vinea quoque, id est, sermo Dei, cujus in unoquoque Pater agricola est; et ficus, Spiritus sancti dona dulcissima; et malogranatum, Ecclesiastica dogmata et scientia Scripturarum, quæ sponsæ genis in Cantico canticorum comparatur (*Cant.* VIII), et ligna olivæ dabunt refectionem, et illuminationem cordis ei qui cœperit ædificare templum Dei. Quod autem vinea et ficus et oliva (paulisper de malogranato differo) referantur ad personam Salvatoris, et Dei Patris et Spiritus sancti, in Judicum libro (*Cap.* IX) plenius legitur, ubi vadunt infructuosa ligna, ut constituant regem super se, dicuntque per ordinem vineæ et ficui et olivæ, ut regnent super ea, et tam vinea, quam ficus et oliva renuunt tale imperium, nec dignantur super infructuosa ligna regnare. Tunc illa veniunt ad lignum sterilitatis suæ regem, id est, ad rhamnum spinosum fruticem, et arbusculam sentibus uncinisque contextam, quæ teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur : insuper et ignem emittat a se, et regnata ligna consumat. Referimus autem rhamnum ad diabolum, et secundum virgulti naturam, illius naturam interpretabimur. **771** Porro vinea et ficus, et oliva ibi erunt, ubi malogranatum fuerit, quæ arbor propter granorum nimiam multitudinem, et intertextis membranulis quamdam geometricam compositionem, et diversas quidem mansiunculas, sed tamen omnes una cortice comprehensas, semper in Scripturis super Ecclesiæ persona ponitur.

(Vers. 21 seqq.) *Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum, in vicesima quarta* [c] *die mensis, dicens : Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens : Ego movebo cœlum pariter et terram, et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium; et subvertam quadrigam et ascensorem ejus; et descendent equi et ascensores eorum vir in gladio fratris sui. In die illa, dicit Dominus exercituum : Assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum : quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* In LXX addita sunt, [d] *mare et aridam;* et minus habet, *Conteram fortitudinem regni gentium*, quod plenius ex ipsorum lectione noscitur [*Al.* noscetur]. Notandum autem quod in eadem die, hoc est, in vicesima et quarta noni mensis, tacito mensis numero, quia de Christi prophetabant [*Al.* prophetabatur] adventu, et de regno ejus, secundo ad Aggæum sermo fit Domini nostri, non in manu ejus ut prius, neque ad Aggæum prophetam, ut in visione quarta, sed tantum ad Aggæum, id est, ad Domini festa celebrantem : quia nequaquam venturum, sed venientem nuntiaret et cerneret. Et quomodo Abraham vidit diem Christi, et lætatus est (*Joan.* VIII); et Joannes Agnum Dei digito demonstravit (*Joan.* I): sic et ipse videns regnum Filii Dei, haberet in se universas solemnitates. In hoc loco apud plerosque diversa sententia est :

[a] Hanc placuit Reginæ codicis lectionem præferre : *Utique non; mense enim, ut diximus*, etc. In vulgatis antea libris erat, *utique nono mense, ut diximus.*

[b] Regin. ms., *iste nesciet mensuram mercedis suæ.*

[c] Vocem, *die*, ignorant Hebræus, et Hieronymi Latina versio.

[d] Post verba scilicet, *cœlum et terram.* Paulo inferius vox *nostri*, in Regio ms. non est.

Alii enim suspicantur de primo ejus adventu dici : alii de secundo, quando in sua majestate venturus [*Al.* futurus] est. Nos utrumque suscipimus, quia et tunc regnavit cum venit, et postea regnaturus est. Attamen si de fine mundi voluerimus accipere, illud dicemus quod apostolus ad Corinthios loquitur : Destruendum omnem principatum et omnem potestatem et **772** virtutem, ut sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* xv). Et quia mysticum est quod dicitur, et ad finem rerum pertinet; idcirco jubetur propheta ad solum Zorobabel loqui, quem in typo Christi propter assumptionem corporis ex semine David processisse monstravimus. Huic ergo dicuntur quæ in fine ventura sint, quod transeat figura hujus mundi, et fiat cœlum novum, et terra nova, [a] et commoveat Dominus cœlum et terram, et destruat omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dissipet [b] reges regum, sive ut habetur in Hebræo, *regnorum*, et interficiat omnem fortitudinem contrariam, ut ipsis quoque qui ante regnaverant, et gentes sub sua tenuerant ditione, prosit regni eorum destructio, et omni præliandi studio dissipato, sequatur pax; hoc est enim quod ait : *Et subvertam quadrigam, sive quadrigas, et ascensores earum, et descendent equi et ascensores eorum.* Et ut sciatis in subversione quadrigarum et corruentium equitum, hoc quod diximus significari : Videte quomodo de Christo dicatur in Zacharia quod veniat mansuetus rex, et ascendens super jugalem [*Al.* subjugalem] et pullum asinæ novellum, et disperdat quadrigas ex Ephraim (*Zach.* 9), et equum de Jerusalem, ut fiat unus grex et unus pastor, et utrumque agmen tam de gentibus quam de Judæis, sub pacifico pastore teneatur. Ut autem hæc quæ perversa sunt destruantur, unusquisque in gladio (quem ego puto sermonem esse doctrinæ acutissimum, et perversa quæque resecantem) consurget adversus fratrem suum, amputans omne contrarium. Sed horum universorum finis est optimus. Post destructionem enim soliorum, et fortitudines [*Al.* fortitudinis] regnantium, et quadrigarum, et equorum, et equitum, in die illa, dicit Dominus omnipotens : *Assumam te, Zorobabel, filium Salathiel, servum meum.* Servus autem dicitur propter corpus humanum, quia tunc et ipse filius subjicietur ei qui subjecit sibi omnia, et in subjectis omnibus videbitur et ipse subjectus. Sed cum hoc fuerit impletum, ponet illum Deus quasi signaculum in manu sua : *Hunc enim signavit* **773** *Deus Pater* (*Joan.* vi, 27) : et hic est imago Dei invisibilis, et forma substantiæ ejus : ut quicumque crediderit in Deum, hoc quasi annulo consignetur.

Obsecro te, lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti, nec requiras eloquii **774** venustatem, quam multo tempore Hebrææ linguæ studio perdidi : quamquam me [c] Alecto semper infantem ac mutum fuisse autumet. Cui ego dicam : *Dominus dabit verbum evangelizanti, virtutem multam* (*Ps.* lxvii, 12).

[a] In Victorii editione comma istud, *et commoveat Dominus cœlum et terram*, desideratur.

[b] Cum Victorio Regin. ms., *et dissipet sedes Regum.* Infra, *et currentium equitum*, pro *corruentium*, etc.

[c] Sane videretur ad codicis Reginæ fidem legendum ex S. Doctoris persona, *quamquam a lacte semper infantem ac mutum fuisse me autumem*; verum quod subsequitur, *cui ego dicam*, etc., id nullo opinari modo patitur. Hieronymus *Alecto* æmulum suum dixerit, quod ab inferendis injuriis numquam desineret. Porro ad postrema verba, *virtutem multam* sive *virtutes multas*, utrumque enim legitur, hæc observat Victorius : Hanc, ait, lectionem secutus est is, qui Marcum interpretatur a principio, in opere quod Hieronymo ascribitur, eamque ex cunctis Vaticanæ bibliothecæ mss. unus tantum codex retinet : sensusque hujus lectionis est : *Dominus dabit virtutes multas*, seu *virtutem multam, evangelizanti verbum.* Nos tamen correximus : *Dominus dabit verbum evangelizanti virtute multa. Evangelizantibus* enim legitur cunctis in vulgatis editionibus Græcis, et Latinis, tam manuscriptis, quam impressis. Eamque lectionem non solum alibi ipse Hieronymus semper sequitur, sed servavit adhuc vetustissimus, ac mille ferme annorum Vaticanus Græcus codex, legens δυνάμει πολλῇ, consentiuntque cum eadem quadraginta sex Bibliorum penes me vetustissima manuscripta exemplaria. Hebraicæ locutionis ambiguitas diversitatem introduxit.

# S. EUSEBII HIERONYMI
## STRIDONENSIS PRESBYTERI
# COMMENTARIORUM
IN
# ZACHARIAM PROPHETAM
## AD EXSUPERIUM TOLOSANUM EPISCOPUM
LIBRI DUO.

## Prologus.

**775-776** Ultimo jam autumni tempore frater noster, filius tuus, Sisinnius monachus, tuæ mihi

dignationis epistolam reddidit : qua lecta, gavisus sum esse te sospitem, et memorem mei, omniumque fratrum qui in sanctis locis Domino serviunt, in quorum refrigeriis facis tibi amicos de iniquo mammona, et præparas æterna tabernacula, ut possis cum David dicere : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum : concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Ps.* LXXXIII, 1). Si enim *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi ponat pullos suos* (*Ibid.*) : cur tu qui pontifex Domini es, et calcas in fine mundi torcularia, ut sitientibus populis sanguinis Christi vinum tribuas, non libere proclamabis ac dices : *Cor meum et caro mea* [a] *exsultaverunt in Deum vivum : beati qui habitant in domo tua* (*Ps.* LXXXIII, 3). Audio te in valle lacrymarum, in loco quem Deus posuit ad certamen, ut vincentibus coronam daret, ascensiones in tuo corde disponere, et ire de virtute in virtutem, et imitari Domini paupertatem, ut cum illo dives fias, et in te reclinet caput, et per singulos [b] dies suscipiatur, visitetur, alatur, vestiatur, et præcipue sanctarum Scripturarum lectione fervere. Cumque tibi **777-778** cuperem ingenioli mei aliquod offerre munusculum, et cœpta in duodecim prophetas explanatio perveniret ad calcem, susceptum opus deserere nolui, sed quod et absque te dictaturus eram, tuo potissimum nomini consecravi ; et gaudeo quod obscurissimus liber Zachariæ prophetæ, et inter duodecim longissimus, eo tempore disserendus est, quo ob festinationem ejus qui reversurus est, nullam moram patitur interpretatio : sed velim nolim, saltem lucrativis per noctem horis atque furtivis dictare compellor, quod tibi dirigam. Scripsit in hunc prophetam Origenes duo volumina, usque ad tertiam partem libri a principio. Hippolytus quoque edidit Commentarios, et Didymus quoque Explanationum libros, me rogante, dictavit, [c] quos cum aliis tribus in Osee et mihi προσεφώνησεν : sed tota eorum ἐξήγησις allegorica fuit, et historiæ vix pauca tetigerunt. Itaque imitari cupiens illum patremfamilias, *qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matt.* III, 52) : et sponsam de Cantico canticorum, quæ dicit : *Nova cum veteribus fratruelis meus servavi tibi* (*Cant.* VII) : historiæ Hebræorum tropologiam nostrorum miscui, ut ædificarem super petram et non super arenam (*Matth.* VII), ac stabile jacerem fundamentum, quod Paulus architectus posuisse se scribit (I *Cor.* III). Tuæ benevolentiæ erit, non eruditionem nostram, quæ vel nulla, vel parva est ; sed pronam in te suscipere voluntatem : ut nos ad cætera provoces, et in longo Scripturarum campo currere cohorteris. Si qui autem sunt, quibus interpretationem et horum, et aliorum voluminum ante promisi, ignoscant incredibili in te amori meo, et quidquid tibi scripsi, sibi scriptum arbitrentur : *Charitas enim benigna est, charitas non æmulatur, non quærit quæ sua sunt.* Sed jam tempus est, ut Zachariæ verba ponentes, Spiritui sancto interpretationis vela pandamus.

[a] Ita mss. nostri et Victorius ex cunctis vulgatis libris. Martianæus retinuit, *exsultavit.*

[b] Vocem *dies* Regin. ms. nescit. Et verius fortasse vacat, estque *homines* subintelligendum, pro *dies.*

[c] Insignis hic error in veteribus editionibus quæ absque ullo sensu legunt, *quos cum tribus aliis in Osee et Michæa προσεφώνησεν.* Pro *mihi* itaque obtrudunt nomen *Michæa*, quod imperitia exscriptorum antiquorum fluxit in quædam recentiora exemplaria. At lectio aliorum codicum mss. manifestissime comprobatur e præfatione in Osee prophetam, ubi scriptum est : *Vidi Didymum.... rogavique eum ut scribe-rel in Osee commentarios ; qui tres libros, me petente, dictavit, quinque quoque alios in Zachariam.* Hæc perfecte quadrant ad locum præsentem a nobis restitutum, ut prudenti lectori exploratum est. Non ergo in Michæam scripsit Didymus, sed in Osee et Zachariam. MART. — Pro *mihi*, duo e nostris codd. Palatin. alter et Regius, *Micha*, aut *Michæa*, cum antiquis editionibus præferunt : falso tamen, ut probe notatum est Martianæo. Nam in Osee et Zachariam elucubrasse Didymum Commentarios, Hieron. ipse prologo in Osee testatur, seque ait petente dictatos. In Michæam non item.

# *LIBER PRIMUS.*

(Cap. I. — Vers. 1.) *In mense octavo, in anno secundo Darii* [a], *factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filium* (Vulg. *filii*) *Addo, prophetam dicens.* LXX : *In octavo mense anni secundi sub Dario, factum est verbum Domini ad Zachariam Barachiæ, filium Addo prophetam, dicens.* Secundo anno Darii filii Hystaspis, septuagesimum desolationis templi annum, qui ab Jeremia (*Cap.* XXV *et* XXIX) prædictus est, fuisse completum, ipse Zacharias testis est, dicens, *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Ecce iste septuagesimus annus est* (*Zach.* I, 12) : nullique dubium quin Cyrus, rex Persarum, qui Chaldæorum destruxit imperium, primo anno regni sui, quinquaginta circiter millia hominum captivorum de Babylone remiserit in Judæam : qui vasa quoque quæ Nabuchodonosor abstulerat, reddidit, et templum reædificari [*Al.* ædificari] jussit in Jerusalem : principesque populi qui reversus est, constituit Zorobabel, filium Salathiel, et Jesum, filium Josedec sacerdotem magnum. Interfecto igitur apud Massagetas Cyro, qui triginta annis regnavit in Persis, a Tomyri regina Massagetarum, Cambyses filius ejus successit in regnum, qui expletis octo annis, duos magos fratres habuit successores : quibus occisis a populo, Darius, filius Hystaspis, ex sententia septem familia-

[a] Additum *regis*, quod neque in Hebræo resonat mss. nostrorum ope hic induximus.

rum rex Persarum constitutus est. Cujus regni anno secundo factus est sermo Domini ad Aggæum prophetam, et ad Zachariam, filium Barachiæ, filium Addo. Super Aggæo jam diximus, de Zachariæ titulo pauca dicenda sunt. Qui cum sit filius Barachiæ quæritur quare dicatur filius Addo. Nec ambigitur juxta Paralipomenon librum, quin ipse sit Addo, qui missus est ad Jeroboam, filium Nabath (II *Par.* XII), sub quo altare dirutum [*Al.* diruptum] est, et manus regis aruit, rursumque ad preces illius restituta est (III *Reg.* XIII) : Igitur a primo anno Cyri regis, usque **779** ad secundum annum Darii, filii Hystaspis, supputantur anni quadraginta, in quibus tantum altare fuerat exstructum, et jacta templi fundamenta, vicinis in circuitu nationibus opus prohibentibus, et Cambyse rege Persarum, qui [*Al.* quod] super hac re ad principes Syriæ κοίλης, et Phœnicis, ac Samariæ litteras miserat. Super quo plenius Esdras scribit historiam. Sed Aggæus in mense sexto in die prima ejusdem mensis prophetare exorsus est. Zacharias vero in eodem quidem anno, sed non in eodem mense : nam post duos menses octavo [a] anni mense fudit vaticinium. Unde recte juxta ordinem duodecim prophetarum, ille decimus, et hic undecimus ponitur. Magnæque confidentiæ est, immo spei fideique in Dominum, ut quod tanto tempore prætermissum est, vel rege prohibente, vel gentibus, ad commonitionem duorum hominum facere incipiant. Hæc juxta historiam solito more præmisimus. Nunc secundum ἀναγωγὴν breviter disserendum est. Octavus apud Hebræos mensis qui apud illos MARESVAN (מרחשון), apud Ægyptios *Athir*, apud nos *November* dicitur, hyemis exordium est : in quo æstatis calore consumpto, omnis terra virore nudatur, et mortalium corpora contrahuntur, nec est ulla ex lege solemnitas. Scriptum est enim quod ter per annum apparere debeat omne generis masculini coram Domino Deo nostro (*Exod.* XXXIV). Prima festivitas est Azymorum, *Phase*, quod apud nos Græco Latinoque sermone *Pascha* dicitur. Secunda Pentecostes post septem hebdomadas, in qua panes propositionis de novis primum frugibus offeruntur. Tertia, in mense septimo, [b] tubarum propitiationis et tabernaculorum, id est, σκηνοπηγίας, cujus extrema dies egressionis appellatur et terminus. Ergo in captivitate populus constitutus, et adhuc sub rege Persarum, necdum ædificato templo, necdum mœnibus murisque urbis exstructis, non videt prophetiam tempore lætitiæ, sed post lætitiam. Et tamen qui habebat memoriam Domini, et propter memoriam, benedictionem, **780** et ob benedictionem, testimonium : ideirco ad eum Zacharias, filius Barachiæ, filius Addo mittitur. *Zacharias* interpretatur *memoria Domini* : Barachia, *benedictio Domini* : Addo, *testimonium ejus*. Videamus ergo, sermo Domini qui erat in principio apud Deum Patrem, quid in Zacharia propheta sit locutus ad populum.

(Vers. 2, 3.) *Iratus est Dominus super patres vestros iracundia, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Ne sitis sicut patres vestri ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes.* LXX : *Iratus est Dominus super patres vestros ira magna, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus omnipotens : Convertimini ad me, dicit Dominus virtutum, et convertar ad vos, dicit Dominus virtutum ; et nolite fieri sicut patres vestri, quos arguerunt prophetæ, qui prius fuerant, dicentes.* Ira Domini non perturbationem ejus significat qui [c] irascitur ; sed eorum merita atque peccata, in quos ira Dei desævit : alioquin Dominus numquam iratus ulciscitur ; sed ad hoc corripit, ut emendet. Unde et propheta precatur in Psalmis : *Domine, ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me* (*Psal.* VI, 1). Et in alio loco legimus : *Corripe nos, Domine : verumtamen non in furore tuo, sed in misericordia* (*Jer.* X, 24). Iratus est ergo Dominus super patres eorum qui nunc corripiuntur, non juxta Septuaginta interpretes *ira magna ;* sed *ira* simpliciter. Si enim ira magna esset iratus, nunquam per Danielem et Ezechielem captivos ad pœnitentiam provocasset. Cumque in illos iratus sit, ad vos loquitur Dominus exercituum, pro quo in Hebraico positum est SABAOTH (שבות), quod interdum Septuaginta *omnipotentem*, interdum *virtutum* transtulerunt. Et loquitur : Convertimini ad me, et convertar ad vos, juxta illud quod legimus : *Accedite ad Dominum, et accedet ad vos.* Quibus hoc contrarium est ; *Recessistis a me, et ego recessi a vobis.* Præcipit autem eis, ut revertantur ad Dominum qui de Babylonia sunt reversi, ut et Dominus revertatur **781** ad eos, ne incipiant sustinere filii, quod quondam sustinuerunt patres, ad quos similiter prophetæ illius temporis sunt locuti. Notandum quod in paucis versiculis brevibusque sententiis semper in Aggæo et Zacharia addatur, *dicit Dominus exercituum*, ut sciant, Dominus esse qui præcipit adversus regis imperium et hostes circumfremen'es ; et hac ad ædificationem templi fiducia concitentur.

(Vers. 4.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.* LXX : *Hæc dicit Dominus* [d] *omnipotens :*

[a] Victorius, *octavo scilicet anni mense*. Paulo post vulgati omnes libri, *commotionem*, pro *commonitionem*. Nos Regin. ms. præferimus.

[b] Mendose erat penes Martianæum, *turbarum*. Mox pro *egressionis*, corrigit Victor. *egressio*, in recto. Locus est Levit. XXIII, ubi LXX habent ἐξόδιον.

[c] Amovimus hinc negandi particulam ad Regin. ms. fidem, et S. Doctoris mentem. Victorius quoque cui hæc lectio magis placuit, eam negationem in quinque Florentiæ aliisque Brixiæ codicibus se testatur non invenisse. Sensusque, ait, est : In Domino ira non significat perturbationem Dei, cum irascitur; sed significat eorum merita, atque peccata, in quos Dei ira desævit. Alioquin Dominus numquam iratus ulciscitur ; sed ad hoc corripit, ut emendet.

[d] Pro *omnipotens*, in Regin. ms. *virtutum* legitur : sicque est in Complutensi Græco exemplari, τῶν δυνάμεων.

*Convertimini a viis vestris pessimis, et ab adinventionibus vestris malis : et non attenderunt ut audirent me, dicit Dominus.* Ex superioribus pendet sententia, et quæ sequuntur prioribus coaptanda sunt. Non enim Zacharias ad populum loquitur ; sed ostendit quid priores prophetæ ad patres eorum locuti sunt, ad quod clamaverunt, dicentes : *Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini de viis vestris malis et cogitationibus vestris pessimis.* Hoc clamabat Isaias, hoc Osee, Joel, Amos, et Jeremias, ut vias malas desererent, et cogitationes pessimas derelinquerent, quibus et opere, et mente peccabant : et nihilominus per prophetas Dominum commonentem non audierunt, neque attenderunt, nequaquam prophetas qui eis loquebantur, sed me, [a] dicit Dominus : In illis enim ego eram qui loquebar et contemnebar. Unde et Dominus in Evangelio : *Qui vos*, inquit, *recipit, me recipit* (*Matth.* x, 40).

(Vers. 5, 6.) *Patres vestri ubi sunt, et prophetæ? numquid in sempiternum* [b] *vivent? Verumtamen verba mea et legitima mea, quæ mandavi servis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres vestros? et conversi sunt, et dixerunt : Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis* [Al. *nobiscum*] *secundum vias nostras et secundum adinventiones nostras, fecit nobis.* LXX : *Patres vestri ubi sunt, et prophetæ? numquid in sempiternum vivent? Verumtamen sermones meos, et legitima mea suscipite, quæ ego præcipio in spiritu meo servis meis prophetis, qui comprehenderunt patres vestros : et responderunt atque dixerunt : Sicut præparatus est Dominus omnipotens ut faceret* **782** *nobis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras, sic fecit nobis.* Ubi sunt, inquit, patres vestri, qui non audierunt, neque attenderunt me ? ubi prophetæ vestri ? ἀπὸ κοινοῦ enim audiendum est : patres vestri ubi sunt, et prophetæ vestri ubi sunt ? id est, pseudoprophetæ : numquam enim de sanctis prophetis diceret : *numquid in sempiternum vivent?* Et his ergo qui peccaverunt, et noluerunt ad me reverti [*Al.* converti], et his qui peccantes falsis pollicitationibus, deceperunt, morte subtractis, verba mea, quæ per prophetas meos locutus sum, permanent in æternum, quæ comprehenderunt patres vestros, et ostenderunt vera esse quæ dixi. Qui patres vestri rerum exitu prophetarum meorum in se vaticinia comprobantes, conversi sunt ad pœnitentiam atque dixerunt : Sicut prædixit Dominus exercituum ut faceret nobis, secundum opera nostra atque peccata reddidit nobis. Legamus Danielem ex persona sua, et populi, Domino confitentem, quod eum audire noluerint, et juste sibi acciderint quæcumque perpessi sunt (*Dan.* III).

(Vers. 7.) *In die vicesima quarta undecimi mensis Sabat : in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filium* [Vulg. *filii*] *Addo, prophetam, dicens.* LXX : *Quarta et vicesima, undecimo mense, qui est mensis Sabat : in secundo anno sub Dario, factus est sermo Domini ad Zachariam Barachiæ filium Addo prophetam dicens.* Quidam pro undecimo mense ponunt duodecimum : et vicesimum quartum diem ejusdem mensis arithmeticis rationibus interpretantes, quadrangulum firmum et stabilem numerum suspicantur, volentes certa esse et stabilia quæ scribuntur ; nos autem dicamus quod in eodem anno Darii regis secundo, tertio mense post primam Visionem, id est, undecimo post octavum, qui apud Hebræos appellatur SABAT (שבט), rursum ad Zachariam factus sit sermo Domini. Secundum numerum esse immundum, et ad conjunctionem carnis, et rerum sæculi, ad materiæ pertinentem, sæpe docuimus. Mensis autem undecimus qui appellatur SABAT, et lingua nostra in *virgam* vertitur, austeritatem et correptionem sonat, juxta illud Apostoli : *Quid vultis ?* **783** *in virga veniam ad vos* (I *Cor.* IV, 21)? Et Psalmistæ dicentis : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 5). Et est in acerrimo tempore hyemis, qui ab Ægyptiis *Mechir*, a Macedonibus περίτιος, a Romanis *Februarius* appellatur. Vicesima quoque quarta mensis dies illustrem noctis umbram significat, deficiente luna in tenebras, et cæco ac perpetuo noctis horrore crescente. Unde congrue qui adhuc in captivitate erant, et majore sui parte in Medis atque Chaldæis, et Assyriis exsulabant, in secundo anno et undecimi mensis gravissimo frigore, et in vicesima quarta die ejusdem mensis, cernunt Judaico populo quæ sequuntur.

(Vers. 8 seqq.) *Vidi per noctem : et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii et albi, et dixi : Quid sunt isti, domine mi? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir qui stabat inter myrteta, et dixit : Isti sunt quos misit Dominus, ut perambularent terram. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit. Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum,* [c] *usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es ? Iste septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, et verba consolatoria.* LXX : *Vidi in nocte : et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter duos montes umbrosos, et post eum equi rufi, et varii, et albi, et dixi : Quid sunt isti, domine? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir qui stabat inter montes, et dixit ad me : Isti sunt quos misit Do-*

[a] Unus Regin. ms., *sed contempserunt me, dicit Dominus.*

[b] Hic ex nostris mss., Hebræo et Vulgata assentientibus, rescripsimus *vivent*, pro quo erat *vivunt*. In fine cum legeretur, *ita fecit nobis* ex iisdem mss. et textibus, nos *ita* adverbium expunximus.

[c] Vocem *usquequo*, quæ et in Hebreo עַד־מָתַי resonat, et in Vulgata editione : deerat vero hic penes Martianæum, nos ex Reginæ ms. suffecimus.

*minus, ut circuirent terram. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter montes, atque dixerunt: Circuivimus omnem terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit. Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine omnipotens, usquequo non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste est septuagesimus annus. Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me, verba bona, et sermones consolatorios.* Primum disseramus historiam: *Vidi*, inquit, *per* **784** *noctem*: non in die, sicut Moyses, qui Deum facie videbat ad faciem: et Isaias qui loquebatur: *Vidi Dominum super thronum excelsum et elevatum* (*Isai.* VI, 1): antequam populus duceretur in captivitatem, antequam Jerusalem destrueretur et templum; sed adhuc in servitutis malis populo constituto, ea quæ pro eis videt, cernit in tenebris. *Et ecce vir ascendens super equum rufum.* Hunc Hebræi Michaelem angelum putant, qui ultor iniquitatum et peccatorum sit Israel. Et quod steterit inter myrteta quæ erant in profundo, Myrtos intelligi volunt prophetas et sanctos, qui in medio captivi populi versabantur, et erant in profundo: virum autem, id est, Michaelem, equi rufi et varii, et albi sequebantur, ordine, ut existimant, commutato: ut albi Medos Persasque significent, quia sub ipsis dimissa captivitas et templum instauratum est: varii, Macedonas, quorum nonnulli amici, alii persecutores fuerunt (plenissime super hoc Danielis (*Cap.* 8) ultima visio loquitur); Rufi vero regnum Romanorum cruentum et sanguinarium, quod populum interfecerit, templumque subverterit. Alii vero ordinem qui scriptus est, conservantes, virum qui ascenderit super equum rufum, et equos rufos, varios et albos, quatuor regna interpretantur. Primum et secundum sanguinarium, Assyrios et Chaldæos, quorum primi decem tribus sub Salmanasar duxere captivas. Secundi Judam et Benjamin, incensa Jerusalem civitate, temploque subverso. Tertios et quartos varios et albos, Medos significari putant et Persas: quorum alii clementes fuerunt, ut Cyrus, et Darius filius Hystaspis, et Assuerus, quem Græci Artaxerxem vocant, sub quo Esther impletur historia: alii crudeles, ut Cambyses, et cæteri. Vidente ergo propheta virum ascendentem super equum rufum, et post eum equos rufos, varios, et albos, et ignorante quod viderat, visionisque suæ cupiente scire rationem, atque dicente: *Quid sunt isti, domine mi?* Angelus qui loquebatur in eo, promittit se esse dicturum: et illo reticente, vir qui stabat inter myrteta, commemorat. Ista sunt regna quibus præcepit Dominus, ut perambularent terram, et suæ eam **785** subjicerent potestati. Denique angeli qui regnis et nationibus præsidebant, non ad alium veniunt, sed ad ipsum virum et angelum Domini, qui stabat inter myrteta, et dicunt: *Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit.* Et est sensus: Omnia sub nobis regna tuta sunt et pacata, nec aliqua premuntur angustia. Ex qua responsione angelus, qui interpellabat pro Israel, occasionem accipit pro populo deprecandi, et dicit ad Dominum: Cum omnis orbis quietus sit et pacatus, quare, Domine, non misereris Jerusalem et urbium Juda: maxime cum secundum promissa tua captivitatis tempus expletum sit? Responditque Dominus angelo qui loquebatur in propheta verba bona, verba consolatoria: bona, de futurorum promissione: consolatoria, de præsentium necessitate. Hæc juxta litteram, ne videremus celare nostros, quæ a peregrinæ linguæ magistris didicimus. Cæterum Ecclesiarum magistri, noctem in qua cernitur visio, obscuritatem mysticæ visionis intelligunt. *Posuit enim Deus tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 12). Et juxta Septuaginta interpretes de eo dicitur: *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus* (*Ps.* CIII, 6). Vir autem qui ascendebat super equum rufum, Dominus Salvator est, qui [a] dispensationem nostræ carnis assumens, audit in Isaia: *Quare rubra sunt vestimenta tua* (*Isai.* LXIII, 2)? Hic qui nunc [b] captivo populo rufus ostenditur, in Apocalypsi Joannis in candidis vestibus, et in candido equo sedere describitur (*Apoc.* III *et* VI). Quod autem stare dicitur inter duos montes umbrosos (licet in Hebræo non habeatur *duos*), novum et vetus sentiunt Instrumentum, quod densissimis foliis, et nemore, et umbrosis silvis dicitur esse coopertum, quia multis obscuritatibus involutum est. Myrteta autem quæ erant in profundo, inter quæ stare describitur, angelicas intelligunt potestates, quæ ei etiam in carne posito ministrarunt. Vel certe montes (ut tollamus quod scriptum **786** non est, *duos*) absolute et absque numero, plurimos sanctos sentire possumus et apostolos atque apostolicos viros, qui totum orbem rufi, et varii, et albi peragrasse memorantur. Quorum alii martyrio coronati sunt, et appellantur rufi. Alii operibus et doctrina, et varietate signorum, varii nuncupantur. Alii virginitatis integrorumque dogmatum, et puri cordis, [c] quod cernit Deum, præmia susceperunt. Denique interrogat propheta eumdem

[a] Maluisset Victorius, cum vetus olim lectio esset, *Qui in dispensationem nostræ carnis assumens*, rescribi, *Qui in dispensationem nostræ carnis assumptæ*. Sic, ait, infra Zachariæ IX: *Pharetra*, inquit Hieronymus, *in qua sagitta absconditur, dispensatio est carnis assumptæ*. Et Ephes. IV: *Nec statim*, inquit, *ista dicentes, locum alteri hæresi damus, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem. Sed sic unum et Dei hominis filium confitemur, ne dispensationem assumpti hominis, qua salvati sumus, ex parte credentes, in parte truncemus.* Christus enim veram nostram carnem, seu quod sacratius dicitur, veram carnis nostræ dispensationem assumpsit: contra id quod Marcion, Manichæus et Valentinus hæretici blasphemabant. Sic enim verum, et non phantasticum, nec spirituale, aereum, aut cœleste Christi corpus fuisse monstratur, ut eruditissime hunc errorem confutat D. Hieronymus capite 14 et 17 super Matthæum: et post eum Catholicæ veritatis patronus, propugnatorque D. Thomas, in III p. Summæ, q. 5, art. 1 et 2.

[b] Regin. ms., *qui nunc de captivo populo rufatus ostenditur.*

[c] Idem ms., *quo cernunt Deum.*

virum et angelum qui stabat inter myrteta, et dicit: *Qui* [Al. *Quid*] *sunt isti, domine mi?* Et angelus qui loquebatur in eo, sensus videlicet prophetalis, promittit se ostensurum esse quod cernitur [*Al.* cernit]. Cumque promiserit, non ipse respondit, sed alter qui stabat inter myrteta, et dicit: *Isti sunt quos misit Dominus, ut perambularent terram.* A Domino enim missi sunt apostoli, ut totum orbem Evangelica prædicatione complerent, qui postquam expleverunt opus, reversi sunt ad magni consilii angelum qui stabat inter eos, qui cum Apostolo loquebantur: *Christi bonus odor sumus in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt* (I *Cor.* II, 15), et inter utriusque vocationis populos. Et dixerunt ad eum: Perambulavimus terram, implevimus opus quod nobis injunctum est, et ecce omnis terra habitatur et quiescit, quæ ante deserta erat a Deo: nunc habitatio ejus est, quiescit a bellis, a vitiorum præliis atque peccatis: quia hæreditatem Domini suscepit revertentis ad Patrem, atque dicentis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27). Quod autem plena misericordia postulatur, ut instante anno septuagesimo, misereatur Deus Jerusalem, et urbium Juda, ad illam intelligentiam referunt: Quod quamdiu vera pax veniat, et sabbatismus, et septem decadarum numerus, id est, annus septuagesimus impleatur, nec Jerusalem plenam recipiat libertatem, quæ interpretatur visio pacis, et est Ecclesia, nec urbes Juda, animæ **787** Dominum confitentes. Denique Dominus repromittit verba bona, verba consolatoria: quod nunc ex parte cernimus, et ex parte prophetamus (I *Cor.* XIII, 12). Cum autem venerit quod perfectum est, destruantur quæ ex parte sunt: et liberati de Babylone hujus sæculi, clamemus: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV, 1).

(Vers. 14 seqq.) *Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, et ira magna ego irascor* [Al. *irascar*] *super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsæ* [Vulg. *ipsi*] *vero adjuverunt in malum. Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis: et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: et perpendiculum extendetur super Jerusalem.* LXX: *Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus omnipotens: zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, et ira magna ego irascor super gentes quæ superimpositæ sunt: pro eo quod ego quidem iratus sum modicum, ipsi vero superpositi sunt in mala. Propterea hæc dicit Dominus; convertar ad Jerusalem in misericordia, et domus mea instaurabitur in ea, dicit Dominus omnipotens: et mensura extendetur super Jerusalem.* Adhuc verba bona, et verba consolatoria hæc sunt, quæ nunc propheta clamare præcipitur: quod zelatus sit Dominus Jerusalem et Sion zelo magno. Qui autem zelatur, amare se eam quam zelatur, ostendit, nequaquam dicens per Jeremiam: *Sicut despicit mulier virum suum, ita despexit me domus Israel* (*Jerem.* III, 20). Cui per Ezechielem Dominus loquebatur: *Irascens jam non irascar tibi, et zelus meus recessit a te* (*Ezech.* XVI, 42). Qui ergo zelatus est Jerusalem, et Sion (una est autem atque eadem civitas), nunc irascitur super gentes opulentas, quas supra equos rufos et albos et varios nominavit: quod ipse tradiderit eos ad corripiendum: illæ vero sævierint in traditos; hic ut filium a pædagogo voluerit emendari; illæ ut hostem interficere, et punire conatæ sint. Cui simile est illud in Isaia: *Ego dedi eos in manus tuas: tu autem non fecisti eis misericordiam.* [a] *Senis aggravasti jugum, et dixisti, ero in sempiternum domina* (*Isai.* XLVII, 6). Zelus autem ἀνθρωποπάθως **788** sic accipitur, ut ira. Ex quo loco convincuntur hæretici, qui veteri detrahunt Testamento, quod irascens Deus non perdere cupiat eos in quos irascitur; sed emendare. Quia ergo, inquit, zelatus sum Jerusalem, et Sion zelo magno, quas adversarii plusquam volueram, depresserunt: idcirco hæc dicit Dominus: Revertar non in una misericordia, sed in multis misericordiis ad Jerusalem, et domus mea, id est, templum, ædificabitur in ea sub Zorobabel, et Jesu filio Josedec: et perpendiculum cæmentariorum extendetur super Jerusalem. Potest Jerusalem et Sion, visio pacis et specula, quæ non bella hujus sæculi, nec humilia atque terrena, sed pacem atque concordiam, et cœlorum excelsa considerat, Ecclesia intelligi. Cui propter vitia atque peccata, et refrigescentem quotidie charitatem irascens Dominus (*Matth.* XXIV), tradet eam persecutionibus, ut quasi in conflatorio mundum aurum appareat, et argentum. Adversarii vero quibus tradita est, eam delere innitentes, implent Jerusalem cruore cæsorum a porta usque ad portam. Unde Dominus pacem et misericordiam repromittens, rursum eam ædificaturum esse se dicit. Et perpendiculum sive funiculum secundum mensuras et ordines singulorum in ea esse tendendum. Quid sit autem funiculus, sequenti capitulo demonstratur, ubi dicit propheta: *Levavi oculos meos et vidi: et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum.* Templum autem Dei quod adversarii destruxerunt, potest et Domini venerabile corpus intelligi, de quo ipse dicebat: *Solvite templum hoc, et ego in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Quod in passione destructum, in resurrectione suscitatum est, et omnium templorum seminarium atque exordium fuit, de quibus et Apostolus loquitur: *Vos estis templum Dei, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (II *Cor.* VI, 16).

(Vers. 17.) *Adhuc clama dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc affluent civitates meæ bonis; et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Jerusalem.* LXX: [b] *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me: Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus omni-*

[a] Regin.: *Sed* pro *Senis*: tum alii libri, *jugum valde.*
[b] Prior iste versiculus, *Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me*, cum in nostris mss. tum in Complutensi, et Aldino Græcis exemplaribus non habetur.

*potens : adhuc diffundentur civitates in bonis, et misere-* A *bitur* **789** *Dominus adhuc Sion, et eliget adhuc Jerusalem.* Angelus qui supra dixerat ad prophetam : Clama : Hæc dicit Dominus exercituum, nunc quoque impellit ut clamet, non vocis intensione, sed mentis : et hoc est quod clamandum præcipit : Adhuc affluent civitates meæ bonis quas nunc cernis a Babyloniо igne vastatas, rursum rebus omnibus abundabunt, et præsentibus bonis præteritam miseriam Dominus consolabitur, et eliget Jerusalem, quam paulo ante projecerat. Quod si referimus ad Ecclesiam, cui vera bona et perpetua pollicetur, illa bona esse credenda sunt, de quibus scriptum legimus : *Videas bona Jerusalem* (*Ps.* CXXVII, 5). Et in alio loco : *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ, comedetis* (*Isai.* I, 19). Et illud : *Fidens* B *eris in Domino, et elevabit te super bona terræ.* Quæ sibi vir sapiens, cui Dominus incerta et obscura suæ sapientiæ revelarat, spe futurorum promittit, et dicit : *Credo videre bona Domini, in terra viventium* (*Psal.* XXVI, 13). His bonis post sævissimæ persecutionis incendia, quæ et a gentilibus, et ab hæreticis Arianis Ecclesiæ Domini pertulerunt, pace reddita, videmus Domini Ecclesias affluere, et consolatam Sion, et electam Jerusalem, quas dudum abjecerat. Hoc ipsum et de templo Domini, et de unoquoque credentium intelligere possumus. Quidam consolatam Sion, et electam Jerusalem et cætera quæ in hunc modum a prophetis omnibus prædicantur, ad cœlestem Jerusalem referunt, quæ destructa per ruinam, per virtutes ædificanda sit. C Quæ nos omnia rectius super Ecclesia interpretabimur.

(Vers. 18, 19.) *Et levavi oculos meos et vidi : et ecce quatuor cornua, et dixi ad angelum qui loquebatur in* [Al. *ad*] *me : Quid sunt hæc? Et dixit ad me : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israel et Jerusalem. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, et dixi : Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens : Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum, et venerunt isti deterere ea, ut dejiciant cornua gentium quæ elevaverunt cornu super terram Juda, ut dispergerent eam.* LXX : *Et levavi oculos meos et vidi : et ecce quatuor cornua, et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quid sunt hæc, Domine? Et dixit ad me : Hæc* D *sunt cornua quæ disperserunt Judam, et Israel,* **790** *et Jerusalem. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, et dixi : Quid isti veniunt facere? Et dixit : Hæc sunt cornua quæ disperserunt Judam, et Israel confregerunt : et nullus eorum levavit caput : et egressi sunt isti ut exacuant ea in manibus suis. Quatuor cornua, gentes sunt quæ elevaverunt cornu super terram Domini, ut dispergerent eam.* Quatuor cornua quæ ventilaverunt, et disperserunt Judam, et Israel, et Jerusalem, quatuor gentes esse, Babylonios, Medos atque Persas, et Macedonas, ac Romanos, et nunc Dominus a propheta interrogatus exponit, et Daniel plenissime replicat. Qui in Visione imaginis quæ habebat aureum caput, et pectus argenteum, et subumbilicum æneum, et crura, ac pedes ferreos et fictiles, has quatuor gentes interpretatus est (*Dan.* II). Et rursum in alia visione quatuor bestias, leænam et ursum, et pardum, et aliam horribilem bestiam, cujus nomen non posuit, easdem gentes sub alia figura monstravit. Medos autem et Persas unum regnum esse post victoriam Cyri, non ambiget [*Al.* ambigit], qui et sæculares et sacras litteras legerit. Et rectissime pro regnis cornua posuit, hanc habente Scriptura sancta consuetudinem, ut regnum semper interpretetur in cornibus, ut est illud : *Et exaltavit cornu Christi sui* (*Psal.* CXLVIII, 14). Et in alio loco : *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui* (*Luc.* I, 69). Et decem cornua in ultimo regnatura, idem Daniel propheta testatur (*Dan.* VII). Eo ergo tempore quo hæc visio cernebatur, jam Babyloniorum regnum præterierat, instabat Persarum atque Medorum, futurum erat Græcorum atque Macedonum, et Romanorum. Quæ Babylonii, quæ Medi atque Persæ, quæ Græci, id est, Macedones fecerint Judæ, Israel, et Jerusalem, vir eruditus agnoscit, maxime sub Antiocho, cognomento Ἐπιφανεῖ, sub quo Machabæorum historia texitur. Post adventum quoque Domini Salvatoris, quando circumdata est Jerusalem, quæ sustinuerint Israelitæ, et Evangelium ante denuntiat (*Luc.* XIX), et Josephus historiæ Judaicæ scriptor vernaculus plenissime edocet. Ista cornua ventilaverunt, et disperserunt Judam, per singulos propemodum viros, ut nemo eorum gravi malorum pondere depressus levaret caput. Quatuor quoque fabros, sive artifices quos Græci τέκτονας vocant, **791** non ipse propheta conspicit, sed ei Dominus ostendit, et exponit qui sint fabri et artifices, quos nos angelos intelligimus obedientes Dominicæ potestati ut quod gentes destruxerant, isti ædificent. Hoc autem, pro quo nos ex Hebræo interpretati sumus : *Venerunt isti deterere ea*, regna videlicet, Septuaginta interpretati sunt : *Venerunt isti exacuere ea, in manibus suis.* Exacuere ea autem, pro deterere accipiendum est. Vel certe deterere, ut omnia sub Christi jugo colla submittant, et non (ut quidam interpretatus est) *cum exacuta fuerint*, pejora fiant. Si enim ad hoc veniant angeli, ut malos pejores faciant, non fabri appellandi sunt, id est, destructores malorum, et ædificatores bonorum ; sed et ipsi pro malis et destructoribus accipiendi. Et hoc notandum quod ista quatuor cornua gentium, unum contra populum Dei cornu elevaverint ; non enim regnaverunt pariter, et simul oppresserunt Israel, sed sibi invicem successerunt, Babyloniis, Medi et Persæ. Persarum regno, regnum Macedonum ; regno Macedonum, imperium Romanorum. Hæc sequentes historiæ ordinem diximus. Quod autem oculos propheta levasse se dicit, illi spiritualiter sensui coaptandum est : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Ps.* CXX, 1). Et : *Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam jam albæ sunt ad metendum* (*Joan.* IV, 35). Et quod in Isaia legimus : *Dixit sa-*

*ctus, Levate oculos vestros, et videte quis ostendit hæc omnia* (*Isai.* LI, 6)? Elevatione ergo oculorum opus est et intelligentia spirituali, ut videamus contrarias fortitudines, quæ contra nos elevaverunt cornu suum: et de quibus Apostolus loquitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem: sed adversum principatus, adversum potestates, adversum mundi hujus rectores tenebrarum istarum, adversum spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12). Hos quatuor adversarios, qui contra Sanctos semper dimicabant, Christus oppressit adveniens. Et de his Psalmista congeminat: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Ps.* XC, 13). Possumus quatuor cornua, quæ regnaverunt contra populum Dei, et quatuor πάθη accipere, quæ eruditi non verbum de verbo exprimentes κακοζήλως *passiones*, sed *perturbationes* interpretantur, ægritudinem animi et gaudium: **792** duo præsentia, et duo futura, metum et cupiditatem, de quibus et illustris poeta significat (*Æneid.* VI):

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Adversum has, quatuor fabri, et (ut ita dicam) medici, bonique artifices, non cernuntur a propheta, necdum enim absque ostensione Dei per se eos videre poterat, sed ostenduntur ei a Domino, quatuor scilicet virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, de quibus plenissime in Officiorum libris Tullius disputat, scribens proprium quoque de quatuor virtutibus librum. Qui ergo vitia destruunt, virtutes ædificant, omnesque sancti, qui hæc remedia possidentes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Unde et Apostolus loquebatur: *Quasi sapiens architectus fundamentum posui* (I *Cor.* III, 10). Et iratus Dominus de Jerusalem ablaturum esse se dicit architectum et virum sapientem (*Isai.* III). Et ipse Dominus, Dei omnipotentis Filius et Creatoris [*Al.* Creator] omnium, fabri filius appellatur. Legi in cujusdam Commentariis, quatuor fabros, quatuor Evangelistas intelligi, qui oppressum Israelem, sensum videlicet videntem Deum, et Judam Dominum confitentem, et Jerusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, et quos vitiorum gentes disperserant de Ecclesia, per prædicationem Evangelii retraxerunt ad salutem.

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) *Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. Et dixi: Quo tu vadis? Et dixit ad me, ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus* [Al. *altitudo illius*]. LXX: *Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir, et in manu ejus funiculus geometræ, et dixi ad eum: Quo tu vadis? Et dixit ad me, ut dimetiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo.* Qui A prius oculis elevatis in quatuor cornibus tristia viderat, nunc rursum oculos levat, ut videat virum, de quo scriptum est: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12); de quo et supra legimus: *Et ecce vir ascendens super equum rufum, et stabat inter myrteta quæ erant in profundo*, sive, *inter montes umbrosos* (*Zach.* I, 8). Et de quo Pater loquitur: *Hic ædificavit civitatem meam* (*Heb.* XI), cujus artifex et conditor, Deus est. Hic et ab Ezechiele cernitur, habens funiculum in manu, et calamum **793** ad mensuram cubiti virilis, ut metiatur Jerusalem, cujus descriptionem, id est, latitudinem, et longitudinem, idem propheta mystico sermone prosequitur (*Ezech.* XL). Quidam putant hoc ex parte completum sub Zorobabel, et Jesu, et Esdra, et Nehemia, et cæteris B ducibus sive regibus, qui usque ad adventum Domini Salvatoris populum rexerunt Israel. Alii vero, et maxime Judæi in mille annorum regno interpretantur, corporales corporalia requirentes. Nostrorum autem plerique referunt ad cœlestem Jerusalem, et hanc dicunt iterum exstruendam, quæ ruina animarum peccatricum fuerat destituta. Hoc hæretici suspicentur. Cæterum nos montem Sion, et matrem primitivorum atque sanctorum interpretemur Ecclesiam, quæ ædificata est in passione Domini et resurrectione, et quotidie ædificatur ab eo qui novit mensuras, et merita singulorum. Quod de Ecclesia diximus, potest et de animabus accipi credentium, quæ quotidie ædificantur a Domino, et cernunt pacem ejus quæ apostolis est relicta.

C (Vers. 4 seqq.) *Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur; et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem, præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.* LXX: *Et ecce angelus qui loquebatur in me stabat, et angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum dicens: Curre et loquere adolescentulo illi, dicens: Frugifera habitabitur Jerusalem a multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. Et ego ero illi, dicit Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloriam ero in medio ejus.* Angelum qui loquebatur in propheta, et *stabat*, sive ut in Hebraico legitur, *egrediebatur*, [a] hoc enim D significat Jasa (נְעַר), Hebræi Michaelem putant. Et alterum angelum qui egrediebatur et veniebat in occursum ejus, Gabrielem suspicantur, qui loquitur ad Michaelem, ut loquatur prophetæ, quantam rerum omnium abundantiam, et multitudinem hominum, et jumentorum, firmitatemque murorum habitura sit Jerusalem, quæ in præsentiarum usque ad favillam, et cineres videatur esse destructa. Nos autem juxta spiritualem **794** sensum, hæc omnia interpretemur in Ecclesia, quæ absque muro, sive ut Septuaginta

[a] Non *Jotse* in participio legebat Hieronymus, juxta hodiernam Massorethicam punctationem, sed *Jatsa* sive *Jasa* more suo, in præterito, uti ex fide omnium mss. codicum exploratum nobis est. Editi legunt נְעַר cum *hhollem*, pleno, sive cum *vau*, quod non exprimit exemplar Massorethicum. MART.

transtulerunt, κατάκαρπος, id est, frugum omnium abundantia habitetur, et habeat multitudinem hominum, ac jumentorum, et Dominus ignis sit in circuitu ejus, et ipse in medio illius versetur in gloria. Ista est civitas de qua alibi legimus : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Ps.* LXXXVI, 2). Et rursum : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus* (*Ps.* VII, 1). In hac quicumque habitat, dicere potest : *Ego autem sicut oliva frugifera in domo Dei* (*Ps.* LI, 10). Et : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquas refectionis educavit me* (*Ps.* XXII, 1). Et habitabitur, inquit, Jerusalem præ multitudine hominum et jumentorum absque muro, sive frugum omnium abundantia. Quidam, homines et jumenta duos populos interpretantur, Judæorum atque Gentilium, quod illi qui in Lege versati venerint ad fidem Christi, homines appellati sint : nos autem qui post idololatriam quasi in deserto Legis et solitudine fuimus prophetarum, et ejus recepimus passionem, jumenta dici debeamus. Alii autem rationabiles quosque et Scripturarum eruditos scientia, homines intelligi volunt : jumenta vero simplices quosque credentium, et de his dici : *Homines et jumenta salvos facies* (Al. *salvabis*), *Domine* (*Ps.* XXXV, 7). Hæc jumenta, et hæc animantia audiunt boni pastoris vocem, et cognoscunt, et sequuntur eum : qui ipse est et pastor, quia regit nos ; et ostium, quia per illum in Ecclesiam, et ad Patrem ingredimur (*Joan.* X); et murus ignis in circuitu, ut credentes et habitantes in medio calefaciat (*Al.* calefiant), qui prius frigore charitatis intepuerant, et possint spiritu esse ferventes. Lupos autem et sævissimas bestias (de quibus scriptum est : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi* (*Ps.* LXXIII, 19) : et quorum fructus est, fenum, ligna, stipula (I *Cor.* III, 12) : et afferunt tribulos et spinas) suo igne consumat ; et qui adversariis ignis est, sit in medio credentium gloria. Quod autem murus Jerusalem sit Dominus, et in alio loco legimus : *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui* (*Ps.* CXXIV, 2). [a] Hæc omnia Judæi sub ἠλειμμένῳ, quem sibi spe vanissima repromittunt, putant carnaliter esse ventura, quod tantam Jerusalem habitura sit beatitudinem, **795** ut præ multitudine hominum et omnium jumentorum, murum habere non possit; sed murus sit ipsius Domini defensio, et illius in medio habitantis gloria perfruatur.

(Vers. 6 seqq.) *O o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus : quoniam in quatuor ventos* [Al. *ventis*] *cœli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion,* [b] *surge quæ habitas apud filiam Babylonis. Quia hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi ejus. Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi, et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.* LXX : *O o fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quia de quatuor ventis cœli congregabo vos, dicit Dominus. In Sion salvamini, qui habitatis filiam* [Al. *in filia*] *Babylonis. Hæc enim dicit Dominus omnipotens : post gloriam misit me ad gentes quæ spoliaverunt vos : quia qui tetigerit vos, quasi* [c] *qui tangat pupillam oculi ejus : Ecce ego inferam manum meam super eos, et erunt prædæ his qui servierant eis, et cognoscetis quia Dominus omnipotens misit me.* Plagæ orbis, quas Græci appellant κλίματα, juxta situm Jerusalem intelliguntur et templi. Assyrii ergo et Babylonii, qui Dei populum vastaverunt, habitant in terra Aquilonis. Denique in Jeremia (*Cap.* I), olla quæ juxta Ezechiel (*Cap.* XXIV) plena est carnibus (intelligitur autem urbs Jerusalem) a facie Aquilonis accenditur. Quia igitur angelus præceperat qui occurrerat angelo prophetanti in Zacharia, ut loqueretur ad puerum (ad comparationem enim angelicæ dignitatis, omnis humana natura pueritia nuncupatur, quia non angeli in nos, sed nos in angelos proficimus), et diceret ei : *Absque muro habitabunt* [Al. *habitabitur*] *Jerusalem*, et reliqua. Nunc idem ad eos fit sermo Domini qui habitant in Aquilone : ut a ventis quatuor congregentur, in quos fuerant in toto orbe dispersi, et revertantur in Sion qui habitabant in Babylone. Vel certe ita : Qui in quatuor plagis [*Al.* partes] cœli dispersi estis, fugite de terra Aquilonis, et, o Sion, quæ nunc habitas in Babylone, fuge et revertere ad pristinam sedem. Quod autem tertio, casu vocativo dicitur o, exhortatio ad fugam est, ut non semel, **796** sed crebrius ad fugiendum sciant se esse commonitos. Dicendum et aliter : Aquilo ventus durissimus est, qui durissima habitatorum suorum corda facit, et a quo succenduntur mala super omnes qui habitant in terra, et ad quem juxta hunc ipsum Zachariam prophetam, egrediuntur equi nigri, ut in sua regione consistant (*Zach.* I *et* VI). Ille quoque qui in Isaia gloriabundus dixerat : *In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, sedebo in monte sublimi, super montes excelsos in Aquilone* (*Isai.* XIV, 13), in frigidissimo terrarum loco regnum habere se jactat. Legimus in alio loco : *Ecce fumus ab Aquilone venit* (*Ibid.*, 31) : et qui procul a sancta urbe discesserant, dicitur de eis : *Ecce isti de longe veniunt ab Aquilone et mari* (*Ibid.*, XLIX, 12). Et per Jeremiam Spiritus sanctus loquitur, provocans eos qui in captivitate sunt, ut redeant Jerusalem : *Vade et lege sermones meos istos ad Aquilonem, et dices : Reverte ad me, habitatio Israel, dicit Dominus* (*Jer.*

[a] Quamplures mss. relinquentes vocem Græcam legunt hoc modo : *Hæc omnia Judæi sub Messia, quem sibi*, etc. S. Cygiranni monasterii exemplar ms. post *Messia*, subjungit vocem Græcam corruptam. Vide jam dicta de nomine ἠλειμμένος. in cap. XXVII Isaiæ, in notis nostris. MART.

[b] Hieronymi interpretatio, *fuge*, pro *surge :* est autem in Hebræo המלטי; paulo quoque post, *oculi mei*, pro *oculi ejus*, in Vulgata Hieronymi editione est, cum Hebræus tamen præferat עיני.

[c] Antea erat, *quasi tangat :* levia autem id genus menda taciti passim castigamus.

XLVI). Præcipitur itaque nobis qui habitavimus ad Aquilonem, et calorem Dominici fervoris amisimus, qui dispersi sumus in orbe terrarum, et de quibus Evangelium prædicat, quod in quatuor ventos mittat angelos suos Dominus (*Marc.* XIII), et congreget nos, et qui in hujus sæculi [a] vitiis et confusione versamur : ut fugiamus in Sion Ecclesiam Domini, et humilia relinquentes, in specula ejus et sublimitate dogmatum consistamus. Quod autem sequitur : *Hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me*, et reliqua, vox Salvatoris loquentis inducitur, qui omnipotens Deus a Patre omnipotente missum se esse dicit, non juxta id quod omnipotens est; sed juxta id quod post gloriam missus est. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et factus est obediens Patri usque ad mortem, et mortem crucis* (*Philip.* II, 6). Nec mirum quod Christus dicatur omnipotens, ex cujus persona legimus in Apocalypsi Joannis : *Hæc dicit testis fidelis, initium creaturæ Dei, qui est, et erat, et venturus est, Dominus Deus omnipotens* (*Apoc.* I, 4, 5). Illud quoque quod in vicesimo tertio psalmo legimus : *Levate portas, principes, vestras, et* **797** *elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ* (*Vers.* 7) : rursumque ab aliis angelis dicitur ignorantibus mysterium carnis [*Al.* incarnationis) assumptæ : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ*, refertur ad Christum. Ubi enim nos legimus *Dominus virtutum*, in Hebraico scriptum est SABAOTH (צבאות), quod a LXX interpretibus in *omnipotentem* vertitur. Ex quo intelligimus, ubicumque Dominus virtutum de Christo dicitur, omnipotentem eum debere intelligi. Nec mirum si Christus dicatur omnipotens : *Cui tradita est omnis potestas in cœlo et in terra* (*Mat.* XXVIII, 18). Et qui dicit : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* XVII, 10). Si autem omnia, id est, [b] Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen de lumine, ergo et ex omnipotente omnipotens : neque enim fieri potest, ut quorum una natura est, diversa sit gloria. Missus est ergo post gloriam divinæ majestatis ad gentes, quæ spoliaverunt populum Dei, ut qui eos fuerant ante prædati, prædæ sint servientibus sibi, et omnis quondam servientium turba cognoscat, quoniam omnipotens Deus miserit eum. Quod autem dicit : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi ejus;* tactum pro vexatione et injuria accipe, juxta illud quod legimus : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Ps.* CIV, 15). Qui enim sanctos Domini tetigerit, sic est quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus, et illum nitatur clara luce privare, de qua loquitur in Evangelio : *Vos estis lux mundi* (*Mat.* V, 14). Elevat autem Deus manum suam, ut percutiat gentes adversarias, et populum suum, [c] vel in Jerusalem reducat, vel in Ecclesiam. Gentes adversarias juxta tropologiam, contrarias accipe fortitudines, quæ quotidie peccatores suæ subjiciunt potestati, et sibi eos servire compellunt.

(Vers. 10 seqq.) *Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me ad te. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata, et eliget adhuc Jerusalem.* LXX : *Lætare et gaude, filia Sion, quia ecce veniam, et* **798** *habitabo in medio tui, dicit Dominus : et confugient gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt ei in populum, et habitabunt in medio tui : et scies quoniam Dominus omnipotens misit me ad te, et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sancta, et eliget adhuc Jerusalem.* Et hæc adhuc ex persona Domini intelligenda : quod hortetur populum suum de captivitate in sedem pristinam restitutum gaudere atque lætari, quod ipse Dominus veniat, et habitet in medio ejus, et multæ gentes credituræ sint in eum, de quibus dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 8) : et habitet in medio ejus loquens ad discipulos : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Mat.* XXVIII, 20). Et possideat Dominus Judam partem suam confitentem, et credentem nomini suo, et non alibi possideat, nisi in terra sancta, quæ interpretatur Ecclesia, et eligat adhuc Jerusalem, quam tentationi in persecutionibus dereliquerat. Judæorum alii putant sub Zorobabel et Jesu, Esdra et Nehemia, hæc ex parte completa, maxime quoniam Jerusalem eligitur, et possidetur Judas : duæ videlicet tribus quæ reversæ sunt de captivitate Babylonica, et appellatæ sunt Judas, et non Israel, qui [*Al.* quia] apud Medos huc usque versantur. Alii vero in futurum differunt, quod tunc credituræ sint gentes in eum qui mittatur a Domino, et eligenda sit Jerusalem, cum utique jam omnes gentes crediderunt in Dominum Salvatorem, nec possit eligi quæ omnino destructa est. Recte autem post captivitatem filia Sion provocatur ad gaudium, de qua et in psalmo dicitur : *Cum converterit Dominus captivitatem* [d] *populi sui, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel* (*Ps.* LII, 7).

(Vers. 13.) *Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* LXX : *Timeat omnis caro a facie Domini, quoniam surrexit de nubibus sanctis suis.* Cum hæc ita se habeant, et possessurus sit Dominus Judam partem suam, et electurus Jerusalem, omne hominum genus Domini formidet adventum, quia surrexit de habitaculo sancto suo. Surgere autem Dominus **799** dicitur, et quasi evigilare de somno, quando consurgit in vindictam populi sui, juxta illud quod scriptum est : *Exsurge, ut quid dormis, Domine* (*Ps.* XLIII, 23)? sive juxta LXX

[a] Regin. ms., *in hujus sæculi nocte versamur.*

[b] Nicænæ Synodi verbis in Symbolo Hieronymum uti, vulgo notum, et Victorio notatum est.

[c] In Regin. mss., *vel Jerusalem reducat in Ecclesiam.*

[d] Idem juxta Vulgat. edit., *captivitatem plebis suæ.*

qui dixerunt, *surrexit de nubibus sanctis suis*, patriarchas, prophetas, et apostolos intellige, quibus mandavit Dominus ne pluant super Israel imbrem. Istæ sunt nubes, de quibus scriptum est : *Et nubes spargant justitiam* (*Isai.* XLV, 8) : neque enim nubes istæ corporeæ, in quas aer densior cogitur, possunt pluere justitiam. In his et cum his nubibus Dominus in Evangelio venturum se esse dicit (*Luc.* XXI). Et in Isaia legimus, quod Dominus in Ægyptum venerit in nube levi (*Isai.* XIX). Ægyptus mundus accipitur, in quem Dominus descendisse memoratur in carne, quæ edita de utero virginali, nullo humani seminis et peccatorum pondere gravabatur. Quod autem omnis caro, non absolute hominum, et bestiarum, et volatilium, et piscium ; sed specialiter hominum accipiatur, illa Scriptura significat : *Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet* (*Ps.* LXIV, 3). Neque enim ad Dominum omnis caro irrationabilium ventura est animantium ; sed illa quæ donum sancti Spiritus susceptura est, et de qua dicitur : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ* (*Joel.* II, 28).

(Cap. III.—Vers. 1 seqq.) *Et ostendit mihi* [a] *Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini : et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan : Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te qui elegit Jerusalem. Numquid non iste torris est erutus de igne? Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli, qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis. Et dixit : Ponite cidarim mundam super caput ejus, et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus.* LXX : *Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem ante faciem angeli Domini, et diabolus stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum : Increpet Dominus in te, diabole, et increpet in te Dominus qui elegit Jerusalem. Nonne iste ut torris est* **800** *erutus de igne? Et Jesus indutus erat vestibus sordidis, et stabat ante faciem angeli, et respondit, et ait ad astantes coram facie sua, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitates tuas ; et induite eum poderem, et imponite cidarim mundam super caput ejus, et imposuerunt cidarim mundam super caput ejus, et circumdederunt eum vestimentis.* Antequam veniamus ad intelligentiam spiritualem, quomodo Hebræi locum istum edisserant, strictim breviterque dicendum est. Jesum sacerdotem magnum, quem Græci ἀρχιερέα, Latini *pontificem* vocant, filium Josedec intelligi volunt, qui cum Zorobabel populo præfuit. Ex cujus dextris stabat *adversarius* (hoc enim interpretatur *Satan*) ut adversaretur ei. Et recte stabat a dextris illius, non a sinistris, quia vera erat accusatio, eo quod et ipse cum cæteris alienigenam accepisset uxorem, quod A in Esdra et in Malachia, qui hunc prophetam sequitur, plenissimum scriptum est (I *Esdræ* XII, *et Malach.* II). Dixitque Dominus ad Satan, ad accusatorem, et ad adversarium ejus, ipse est enim inimicus et vindex, ac accusator fratrum suorum : *Increpet Dominus in te, Satan* : ut, *pluit Dominus a Domino : et increpet Dominus in te, qui elegit Jerusalem.* Cum ergo de cunctis Judæ urbibus nunc electa sit Jerusalem, nequaquam ei imputante Domino peccata quæ fecit, cur quasi *torrem*, quem vulgo *titionem* vocant, Jesum conaris obruere, qui de Babylonia captivitate quasi semiustus evasit? Quod autem sequitur : *Jesus erat indutus vestibus sordidis*, tripliciter interpretantur. Vel ob conjugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captivitatis. Angelus autem B ante cujus faciem stabat Jesus, præcepit cæteris angelis ex persona Domini, ut auferrent ab eo sordida vestimenta, de quibus supra diximus. Qui cum præceptum opere complessent rursum idem angelus loquitur ad Jesum : *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam* : hæc sunt sordida vestimenta, *et indui te mutatoriis*, hoc est, Israelitem tibi conjugem copulavi, pro quo Septuaginta transtulerunt ποδήρη quam nos *tunicam talarem* possumus dicere, eo quod usque ad talos et pedes [*Al.* ad pedes et talos] defluat. Quodque **801** sequitur : *Ponite cidarim mundam super caput ejus*, pro *cidari* in Hebræo legimus SANIPH (צניף), quæ *mitra* a plerisque dicitur, et in hac volunt intelligi sacerdotii dignitatem, quod, ablatis sordibus peccatorum, mundum habuerit sacerdotium. Hæc C Judæi. Nostri autem ita disserunt, sacerdotem esse magnum, ad quem dicitur : *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec* (*Ps.* CIX, 4). Qui quoniam per se videri non potest, a Domino prophetæ ostenditur stans coram angelo Domini, quem volunt magni consilii esse angelum, non quod alter et alter sit, aut duas personas recipiamus in Filio ; sed quod idem atque unus, et quasi homo sordidatus ostenditur, et quasi angelus mediator hominum et Dei apparere dicatur. Non autem esse Jesum filium Josedec, ex hoc conantur ostendere, quod non sit appositum in præsenti loco, *filius Josedec*, qui in aliis locis, et ubi vere de Jesu dicitur filio Josedec, semper patris cognomine censeatur. Stans igitur cernitur Jesus, et stabili consistens D gradu : *et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.* Tentatus enim est per omnem modum absque peccato. Et in Evangelio ad eum tentator accedit, quærens semper dextris ejus et virtutibus contraire. Quodque sequitur : *Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te qui eligit Jerusalem*, sic edisserunt, quia Pater et Filius Dominus est, et in centesimo nono psalmo legimus : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* : Dominus de altero Domino loquitur, non quod ipse Dominus qui loquitur, increpare non possit ; sed quod ex unitate naturæ, cum alter increpaverit, increpet ipse qui loquitur. *Qui enim videt*

[a] Vulgata Hieronymi editio interserit, *Dominus*.

*Filium, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) : et iste est qui elegit Jerusalem, Ecclesiam quæ pacem Domini contemplatur. Torris autem de igne erutus, rectissime intelligi potest, qui cum in Babylone fuerit, non est Babylonio igne consumptus, nec flamma sæculi hujus attactus. Unde et Moyses in solitudine cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, et non comburebatur (*Exod.* III). Hic Jesus erat indutus vestibus sordidis; qui cum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, *et ipse infirmitates nostras portat,* **802** *et pro nobis dolet, et nos reputavimus eum esse in dolore, et in plaga, et in angustia. Ipse vero vulneratus est,* [a] *propter peccata nostra* (*Isai.* LIII, 4). Et in Apostolo legimus : *Christus redemit nos de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13). Hic in vicesimo primo psalmo loquitur : *Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 1). Et in sexagesimo octavo psalmo : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita* (*Psal.* LXVIII, 6). Quæ universa appellantur sordida vestimenta, et auferentur ab eo cum peccata nostra deleverit, ut quia ille sordidis indutus est vestibus, nos resurgentes in eo audiamus post baptisma : *Candida sint semper vestimenta tua* (*Eccl.* IX, 8) : credentiumque omnis Ecclesia audit per Isaiam : *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I, 16). Et de ipsa prophetatur in Cantico canticorum : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* III, 6)? Ποδήρην autem, incarnationem ejus accipe, quæ de terra est, et significatur in pedibus. Cidarim mundam super caput illius, splendorem divinæ majestatis intellige, ut unus atque idem secundum hominem ποδήρη, secundum Deum cidari ornatus esse videatur.

(Vers. 6, 7.) *Et angelus Domini stabat, et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt.* LXX : *Et angelus Domini stabat : et contestabatur angelus Domini ad Jesum, dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens : Si in viis meis ambulaveris, et præcepta mea custodieris, et tu judicabis domum meam; et si custodieris atrium meum, dabo tibi qui conversentur in medio stantium istorum.* Hebræi cœptæ interpretationis ordinem prosequentes, ad Jesum filium Josedec ab angelo Domini hæc dicta intelligunt : quod post ablationem vestium sordidarum, et restitutam mundi sacerdotii dignitatem, præcipiatur ei juxta illud quod in Evangelio scriptum est : *Ecce sanus factus es, ultra noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* V, 14); et repromittitur ei præmium, si in viis Domini ambulaverit, et ejus præcepta servaverit, quod et ipse judex sit domus ejus, id est, pontifex perseveret in templo, et custodiat atria ejus, atque vestibula, **803** et det ei Dominus ex angelorum numero (qui eo tempore stabant ante conspectum ejus) quorum circumvalletur auxilio, et ab omni hostium fraude securus sit. Juxta nostros, qui hæc omnia referunt ad Dominum Salvatorem, hoc videtur esse difficile, quod Jesu ab angelo dicitur : Si ambulaverit in viis Domini, et ejus præcepta servaverit, ipse quoque judicet domum ejus, et custodiat atria illius, et det ei Dominus ambulantes de his qui assistant ei. Quod facile solvitur, si consideremus eum, qui formam servi est dignatus assumere (*Philip.* II). *Et cum dives esset, pro nobis pauper factus est* (II *Cor.* VIII, 9). Quidquid igitur de membris dicitur, refertur ad corpus : noster profectus, Domini victoria est. Cumque nos pervenerimus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV), ille judicabit domum Dei, secundum id quod Apostolus dixit : *Christus autem sicut filius super domum ejus, cujus domus sumus nos* (*Hebr.* III, 6). Et ad Timotheum : *Si tardavero, ut scias quomodo debeas in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis* (I *Tim.* III, 15). Et non solum judicabit domum ejus; sed custodiet atria Domini, de quibus scriptum est : *Adorate Dominum in atrio sancto ejus* (*Ps.* XXVIII, 2). Judicabit autem, sive dijudicabit, dominum ejus, et pro meritis singulorum, alii dans decem civitates, et alii quinque (*Luc.* XIX), et alios in Ecclesia constituens prophetas, et alios apostolos, alios doctores, alios signa facientes (I *Cor.* XII), alios pro oculis habens, alios pro manibus, alios pro pedibus, juxta illud quod legimus : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* (*Ps.* LXXXI, 1). Dedit quoque ei de angelorum numero ministros, qui in carne constituti, similes angelorum sunt, et de quibus Apostolus loquebatur : *Noster municipatus in cœlestibus est* (*Phil.* III, 20). Si enim angeli non nubunt neque nubuntur, et qui in virginali continentia perseverant, similes angelorum sunt (*Matth.* XXII), cur non putemus angelicæ dignitatis apostolos, et sanctos quosque datos Jesu, qui assistant ei in Ecclesia, et numquam fluctuantes habeant pedes, sed cum stante stent Domino?

(Vers. 8, 9.) *Audi, Jesu sacerdos magne, tu et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam* **804** *servum meum Orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt.* LXX : *Audi ergo, Jesu sacerdos magne, et proximi tui qui sedent ante faciem tuam, quia viri* τερατοσκόποι, id est, *portentorum spectatores sunt, quia ecce ego adducam servum meum Orientem, quia lapis quem dedi ante faciem Jesu super lapidem unum, septem oculi sunt.* Nostri in hoc loco arctantur a Judæis, quod juxta consequentiam textumque sermonis magis debeant Jesum sacerdotem intelligere filium Josedec, quam Dominum Salvatorem. Si enim ad Dominum sermo est, et ad Christum dicitur : *Audi, Jesu sacerdos magne :* quis est de quo infertur : *Ecce ego adducam servum meum Orientem,* qui alio nomine lapis appellatur, et datus est coram

[a] Interserit Regin. ms., *propter iniquitates nostras et infirmitates, et propter*, etc. Rectius penes Victor., *propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata*, etc.

Jesu, et super hoc lapide septem sunt oculi? Econtrario nostri nituntur asserere, et Jesum sacerdotem magnum, et Orientem, et lapidem, secundum diversas intelligentias Christum appellari. Sed hoc quomodo de ipso [*Al.* seipso] dicatur ad eum quasi de altero, exponere difficillimum est. Qui igitur Jesum volunt esse filium Josedec sacerdotem magnum, amicos ejus qui habitant, vel sedent coram eo, et qui viri sunt portendentes, discipulos ejus interpretantur et prophetas. Prophetæ enim in signum sunt positi futurorum. Quid est igitur quod Jesus et amici ejus coguntur audire : *Adducam servum meum oriem*, et reliqua? Supra promiserat [*Al.* permiserat] Deus Jesus filio Josedec sacerdoti magno, quod si in viis ejus ambulasset, et ejus præcepta servasset, ipse dijudicaret domum ejus, et atria ejus custodiret, et daret ei ministros angelicæ dignitatis : nunc ei dicit et amicis illius, plenam felicitatem, et perfectam beatitudinem tunc futuram, quando venerit Oriens, de quo scriptum est : *Ecce vir Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12). Et in Malachia : *Orietur in* [Al. tacet *in*] *vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* (*Mala.* IV, 2). Et in Numeris : *Orietur stella ex Jacob, et* [a] *homo ex Israel* (*Num.* XXIV, 17). In Evangelio quoque apertissime de Christo legimus : *In quibus visitabit nos Oriens ex alto : Illuminare eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Luc.* I, 78). Qui Oriens ipse dicitur et lapis angularis (*Ephes.* II), quia populum utrumque **805** conjungat, et duos parietes in unam domum consocict : Hic non credentibus lapis scandali est, de quo et in Psalmis dicitur : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : A Domino factum est istud* (Ps. CXVII, 22, 23). Super hunc lapidem septem oculi sunt, de quibus loquitur Isaias : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Dei, spiritus sapientiæ et intelligentiæ, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Dei* (*Isa.* XI, 1 *seqq.*). Qui sacerdotem magnum, et amicos ejus Dominum Salvatorem, et discipulos illius intelligi volunt viros τεραστοσκόπους, et portendentes, sic accipiunt, ut ad apostolos (*Al.* discipulos) referant, qui ejus mystica signa perspexerint, et ex præsentibus futura cognoverint, dum in eo qui a nativitate cæcus fuit (*Joan.* IX), oculos restitutos super populo gentilium interpretantur, et in muliere sanguine defluente (*Matth.* IX), Ecclesiam edisserunt sanguinis operibus liberatam. Hoc autem quod sequitur : *quia ecce lapis quem dedi coram Jesu*, amatores historiæ sic de Christo intelligunt, ut post Jesum filium Josedec Christum dicant venturum. Hoc enim esse coram Jesu, id est, in conspectu ejus, et ante faciem, ut futura significet, et appellari eum lapidem pro fortitudine, et robore, quo omnia regna contriverit, quem etiam in Daniele de monte sine manibus præcisum legimus (*Dan.* II).

(Vers. 10.) *Ecce ego cælabo sculpturam ejus, dicit Dominus exercituum, et auferam iniquitatem terræ illius in die una. In die illa dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum, subter vineam, et subter ficum.* LXX : *Ecce ego fodiam foveam, dicit Dominus omnipotens, et contrectabo omnem iniquitatem terræ illius in die uno. In die illo, dicit Dominus omnipotens, vocabit unusquisque proximum suum subter vitem et subter ficum.* Supra dixerat : *ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt.* Nunc consequenter μεταφορὰν servat a lapide, et dicit : *Cælabo sculpturam ejus ;* sive *sculpam cælaturam illius.* Quod enim Hebraice scriptum est [b] MAPHATE PHETHEE (מפתח פתחה), Aquila interpretatus est διαγλύψω ἄνοιγμα αὐτῆς, id est, *sculpam aperturam ejus :* Theodotio et Symmachus, *sculpam sculpturam ejus.* Et est sensus : **806** Istum lapidem clavis crucis, et lancea militis faciam vulnerari, et in illius passione auferam iniquitatem terræ in die una, de qua scriptum est : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Ps.* CXVII, 24). In die illa passionis Christi, vocabit vir qui perfectus est in Christo, et cum apostolis ad Dominicæ benevolentiæ culmen ascendit, proximum suum, vel credentes ex Judæis, vel certe gentilium populum, subter vineam quæ appellatur Sorec, et de qua dicit in Evangelio : *Ego sum vitis* (*Joan.* XV, 1), et cujus fructus lætificat cor hominis : et subter ficum, Spiritus sancti poma dulcissima, ut æterna pace requiescant, et compressa seditione mundi et cruore bellatorum [*Al.* bellorum], sciant se esse sub rege, cujus mystice in Salomone nomen est pacis. De hac eadem sessione subter vineam, et subter ficum, etiam Michæas propheta commemorat, dicens : *In die illa vocabit unusquisque proximum, et fratrem suum subter ficum, et vineam suam, et non erit qui exterreat* (*Mic.* IV, 4). Quod autem scriptum est juxta Septuaginta : *Ecce ego fodiam foveam*, possumus fossam vel foveam, pro sculptura lapidis intelligere : omne enim quod sculpitur et foditur. Tamen si quis et contentiosius noluerit hoc referre ad lapidem ; sed quasi proprium habere principium, suamque sententiam, dicamus Deum omnipotentem in die passionis Filii sui, sive (ut Judæi putant, in ultimo fine mundi, quando judicaturus advenerit) effodere et in medium proferre opera singulorum, et contrectare universam terram in die judicii : hanc enim esse diem unam, et in die illa unumquemque sanctorum, socios suos et amicos, qui et ipsi sunt sancti, vocare ad requiem, et operum suorum virtute gaudere.

(Cap. IV. — Vers. 1.) *Et reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum qui suscitatur de somno suo.* LXX : *Et reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me sicut suscitari*

[a] Regin. ms., *et consurget homo*, etc.
[b] Idem ms., *Maphete phaetehæe ;* tum Aquilæ Græcum textum, verbumque, *id est*, prætcrit.

*solet homo de somno suo*. Quo enim abierat, ut reverteretur, maxime qui loquebatur in propheta, et absque eo in quo loquebatur esse non poterat. Sed quotiescumque humana fragilitas suæ relinquitur imbecillitati, Dei [*Al.* Deus] a nobis et angelorum ejus auxilium **807** abire credendum est. Ergo et propheta stupore magnæ visionis attonitus, tota mente torpebat, et clarum veritatis lumen videre non poterat : unde a visione præterita suscitatur ad aliam visionem quasi de somno evigilans, ut videat quod clausis oculis non videbat. Dicamus et aliter. Proverbium Salomonis testimonium est : *Si sederis, absque timore eris : si autem dormieris, dulciter dormies, et non timebis terrorem supervenientem tibi, nec impetus impiorum ingruentes* ( *Prov.* III, 23 *et seqq.*). Qui hoc somno dormierit, et audierit dictum de se quod scriptum de Lazaro legimus : *Si dormit, salvus erit* (*Joan.* XI, 12), poterit cantare cum sponsa : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). Videamus ergo ad quæ contemplanda quasi de somno propheta consurgat.

(Vers. 2 seqq.) *Et dixit ad me, quid tu vides? et dixi : Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius : et septem lucernæ ejus super illud : septem et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus. Et duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus. Et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens : Quid sunt hæc, domine mi? Et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Numquid nescis quid sunt hæc? et dixi : non, domine mi. Et respondit, et ait ad me, dicens : Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens : Non in exercitu, nec in robore; sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum : Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum? et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus.* LXX : *Et dixit ad me, quid tu vides? Et dixi : Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas* [a] *super eum; et septem lucernas super illud, et septem infusoria lucernarum, quæ erant super illud. Et ecce duæ olivæ super illud, una a dextris lampadis, et una a sinistris : et interrogavi, et dixi ad angelum qui loquebatur in me, dicens : Quid sunt hæc, Domine? respondensque angelus qui loquebatur in me, dixit ad me : Non cognoscis quid sunt hæc? Et dixi : Non, domine. Et respondit et ait ad me dicens : Iste est sermo Domini ad Zorobabel, dicens : Non in fortitudine magna, neque in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus omnipotens : Quis es tu, mons magne, ante faciem Zorobabel, ut corrigas? et educam lapidem* **808** *hæreditatis : æqualitatem gratiæ gratiam ejus.* Angelus qui suscitavit Zachariam quasi de somno hominem consurgentem, interrogat quid viderit, ut illo respondente, et ignorante, et sciscitante quid cernat, atque dicente : *Quid sunt hæc, domine mi?* audiamus ab eo : *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel : Non in exercitu, nec in robore; sed in spiritu meo, dicit Dominus.* Dicamus igitur singula percurrentes, primum quid videatur Hebræis, a quibus in veteri Testamento eruditi sumus : deinde per hos quasi gradus ad Ecclesiæ culmina [*Al.* limina] conscendamus. Candelabrum aureum solidum, Legem, id est, νόμον interpretantur. Lampadem autem, id est flammam in vertice candelabri lucentem atque fulgentem, Christum, qui caput Legis sit, et omnem mundum illuminet. Septem lucernas super candelabrum, septem gratias Spiritus sancti, de quibus supra diximus, quod in lapide uno septem oculi sint. Nulli enim dubium quin Lex, Spiritu sancto dictante, conscripta sit. Septem autem infusoria in quibus oleum sit, quod mittatur in lucernas, quæ super candelabro luceant, hoc intelligi volunt, septem istas gratias de cœlo ad homines per Legem descendere. Duas autem olivas super candelabrum a parte dextera et sinistra, inter quas media lampas luceat, Legem et Prophetas interpretantur. Cumque propheta narrasset visionem suam, nesciens quid videret, interrogat angelum loquentem in se, sensum videlicet a Deo illuminatum. Iste enim angelus noster est, qui prudenter intelligens, Dei nobis indicat voluntatem, et dicit : *Quid sunt hæc, domine mi?* Angelus autem non explanat visionem prophetæ, ut rogatus ab eo fuerat; sed interrogantem rursum interrogat : Num ignoras quid sint hæc? Quo respondente, nescio : etiam ipse respondit; *Hoc est verbum Domini ad Zorobabel dicens : Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.* Sermo ergo Domini ad Zorobabel, qui locutus est non in exercitu, neque in robore; sed in spiritu meo, ipse est interpretatio visionis : non in exercitu, neque in multitudine bellatorum; sed in spiritu Dei reductum populum, et plenius reducendum, et adversarios esse vastandos. **809** Quodque sequitur : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum;* ad diabolum dictum intelligunt, qui stabat a dextris Jesu, ut adversaretur ei, et se elevabat contra Zorobabel et populum Judæorum. In planum autem versus et humiliatus est : et sub pedibus jacet Israel, quia educet Deus lapidem primarium, Christum Filium suum qui semper auxilio fuit populo Israel. Et gratia ejus, id est, lapidis in eos quos reduxit de captivitate, exæquabit gratiam quam in patres eorum semper exercuit. Hæc ab Hebræis dicta reperimus. Nunc quid ab ecclesiasticis viris in Commentariis scriptum sit, disseramus. Candelabrum (*Al.* autem) aureum de auro purissimo Ecclesiam intelligunt, quæ in Scripturis sanctis sensum ac mentem magis quam verba perquirit. Quod autem in sensu aurum accipiatur, posteriora et humeri columbæ in sexagesimo septimo psalmo ostendunt : quæ dicuntur auri virore sive fulgore radiare. Lampadem et ipsi Christum intelligunt, quod luceat in Ecclesia, qui de seipso dicebat : *Nemo lucernam accendit, et ponit eam sub modio* (*Matt.* V, 15), hoc est, sub mensura Legis; sed super candelabrum, id est, Evangelii

[a] Victorius corrigit, *super illud*, scilicet *candelabrum*. Tum Regin. ms., *et septem lucernæ*, in recto.

libertatem, ut luceat cunctis qui sunt in domo. Lucernas septem et effusoria [*Al.* suffusoria] earum et ipsi gratias sancti Spiritus intelligunt, per quas oleum misericordiæ Dei cunctarumque virtutum Ecclesia suscipit. Duas olivas super candelabrum, et ipsi Moysen et Eliam intelligunt, qui cum Domino loquebatur in monte, et significabant quid in Jerusalem passurus esset (*Matth.* XVII). Omnis enim lex et propheta de Christi prædicant passione. Alii duas olivas a dextris, et a sinistris, Legem et Evangelium interpretantur, ut in dextra Evangelium sit, in sinistra Lex: de qua dextra, et sinistra dicitur in Cantico canticorum: *Sinistra ejus sub capite meo, et dextera illius amplexatur* [Al. *amplexabitur*] *me* (*Cant.* II, 6). Montem autem plerique nostrorum, diabolum interpretantur, et Antichristum, qui coram Zorobabel (de quo nasciturus est Christus) stare audeat, et se erigere, et in Evangelio dicere: *Hæc omnia mihi tradita sunt, et dabo ea tibi, si procidens adoraveris me* (*Matt.* IV, 9). Quem Dominus suis pedibus prosternens, et de superbo humilem faciens, atque dejectum, dicit: *Vade retro, Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et* **810** *ipsi soli servies* (*Ibid.*, 10, *et Deut.* VI, 13). Dantque exemplum in Evangelio lunatici, quem cum apostoli non potuissent sanare, interrogant cur sanare nequiverint, et audiunt: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium* (*Matt.* XVII, 19, 20). Mons ibi aperte diabolus accipitur. Alii autem temeritate non parva, hoc quod manifeste de diabolo dicitur, ad Christum referunt, qui in Scripturis sanctis mons sæpius appellatur. Nec necesse est dare exempla, quorum magna copia est. Ad hunc autem ducuntur errorem, quia scriptum est in Septuaginta: *Quis es tu, mons magne, ante faciem Zorobabel, ut corrigas?* quod videlicet mons iste qui ante faciem Zorobabel est, hoc est, qui de Zorobabel stirpe descendat, velit mundum ipse corrigere, et de ipso sit quod sequitur: *Educam lapidem hæreditatis* de qua scriptum est: *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* (*Psal.* XV, 5). Et in alio loco: *Elegit nobis hæreditatem suam pulchritudinem Jacob quam dilexit* (*Psal.* XLVI, 5). Et rursum: *Facta est pars Domini Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel* (*Psal.* CIV). Et in secundo psalmo: *Dominus dicit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* XI, 7, 8). Educet autem Dominus lapidem primarium, de quo legimus: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1, 3). Quod autem dicit: *Exæquabit gratiam gratiæ ejus*, hoc significat. Nos omnes de plenitudine ejus accepimus, et gratiam pro gratia, id est, pro gratia Legis, gratiam Evangelii, ut æqualem gratiam, et par munus A et ex Israel credentes accipiant, et populus ethnicorum. Unde et Gabriel loquitur ad Mariam: *Invenisti gratiam apud Dominum* (*Luc.* I, 30). Et Paulus apostolus scribit: *Gratias enim salvati estis* (*Ephes.* II, 8): Et Joannes evangelista: *Lex*, inquit, *per Moysen data est: gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17).

(Vers. 8 seqq.) *Et factum est Verbum Domini ad me dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Quis enim despexit dies parvos? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi* **811** *sunt* [Vulg. tacet *sunt*] *Domini, qui discurrunt in universa terra.* LXX: *Et factus est sermo Domini ad me dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus complebunt eam. Et scies quoniam Dominus omnipotens misit me ad te: quis enim despexit in dies parvos? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel: septem isti oculi* [a] *Domini sunt, qui respiciunt super omnem terram.* Ab Hebræis, et a nostris multa dicuntur, quorum pleraque sectantes, et alia repudiantes, quid nobis placeat, inferamus, servantes historiæ veritatem, ut ex hac possimus eum, qui per historiam prophetatur, agnoscere. Manus Zorobabel principis Judæorum, qui reversi sunt de Babylone, templi fundamenta fecerunt, et manus ejus usque ad templi fastigia venient, complentes quod cœperant, et omnia quæ cœpta fuerant, exstruentes. Legimus apud Ezram quod a Zorobabel templum cœptum sit atque perfectum (I *Esd.* IV *et* VI). Cumque, ait Zacharias propheta, in templo, quod nunc ædificatis, videritis a vobis culmen impositum, tunc intelligetis me missum a Domino, et quæ locutus sum, ipso mandante, dixisse. *Quis enim despexit dies parvos?* Quis hic pro raro accipitur, juxta illud: *Quis putas est dispensator fidelis et prudens* (*Luc.* XII, 42)? Et, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, et quis ascendet in montem sanctum tuum* (*Psal.* XIV, 1)? Rarus ergo est, qui dies parvos hujus sæculi despiciat, et regiam potestatem putet esse nihili. Cum viderimus potentes sæculi fulgere auro, purpura, gemmisque rutilare, circumdari exercitu, dicamus in nobis: quis, putas, despicit dies parvos? Unde et Jacob vitam hominum brevem intelligens: *Parvi sunt*, inquit, *et pessimi dies vitæ meæ* (*Gen.* XLVII, 9). Qui ergo despexerint dies parvos (hoc autem refert ad regiam potestatem, ut commoneat Zorobabel, et Jesum, et populum ædificantes templum Dei, nequaquam adversarios timere prohibentes; sed audire Dominum cohortantem), ex eo quod despiciunt regale fastigium, lætabuntur et videbunt auxilium Salvatoris, qui de Zorobabel stirpe promittitur, et propter fortitudinem, lapis appellatur, et lapis stanneus: Pro quo in Hebraico scriptum est ABDIL [*Al.* Abdel], (עבדיל), eo quod sit murus et fortitudo roburque creden-

[a] Regin. ms. quia et Vaticanum exemplar Græcum vocem *Domini* non agnoscunt.

tium. Sicut enim **812** stannum ab igne alia metalla defendit, et cum sit natura æs ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, uritur et crematur, sic omnis angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Salvatoris, imbecilla probatur et fragilis. Lapis autem iste, id est, massa, qui apud Hebræos ABDIL scribitur, id est, *stanneus*, ἐτυμολογεῖται ἀποχωρίζων, id est *separans*, et *secernens*, ut quomodo stannum mixta et adulterata inter se per ignem metalla dissociat: ita Dominus verus probator et χωνευτὴς ab auro et argento bonorum operum æs vitiorum plumbumque secernat, ut purum aurum remaneat et argentum. Aliis verbis ἀποχωρίζων iste et separator in Evangelio scribitur: *Cujus ventilabrum in manu sua, et ipse purgabit aream suam, et separabit paleas a tritico* (*Luc.* III, 17), qui clamat per Jeremiam: *Quid paleis ad frumentum? dicit Dominus* (*Jer.* XXIII, 28). Multi nostrorum manus Zorobabel, qui fundaverit domum, et ipse perfecerit eam, Christum interpretantur. Quod si recipimus, cogemur exponere quid sit lapis stanneus in manu Zorobabel. Neque enim in manu Christi, Christus alius approbandus est? Licet quidam lapidem stanneum corpus Domini acceperint, quod nullis peccatorum fuerit maculis sordidatum, nec plumbus vocetur, sed stannum purissimum. Septem autem oculos, qui discurrunt in universa terra, et cuncta dijudicant, supra exposuimus, septem esse spiritus: et quod Deum nihil lateat, qui et præteritorum, et præsentium, et futurorum conscius est, et reddit unicuique secundum opera sua, maxime cum in persona separantis bonos a malis, et conflatoris advenerit.

(Vers. 11 seqq.) *Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus? Et respondi secundo, et dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta* [Al. *super*] *duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? Et ait ad me dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, non, domine mi. Et dixit: Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* LXX: *Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ a dextris candelabri, et a sinistris? Et interrogavi secundo, et dixi ad eum: Quid sunt duo rami olivarum, qui in manibus* **813** *duarum narium aurearum sunt, et quæ infundunt et retrahunt suffusoria aurea. Et dixit ad me: Nescis quid sunt hæc? et dixi: Nequaquam, domine. Et ait: Isti sunt duo filii pinguedinis, qui assistunt Domino universæ terræ.* Interrogante propheta quid significarent duæ olivæ, quarum altera stabat ad dextram candelabri, altera ad sinistram, Dominus sive angelus Domini noluit respondere. Quod propheta intelligens, secundo sciscitatur, et dicit: Quid sunt duæ spicæ istæ olivarum, sive duo rami? de minoribus interrogans, quoniam majora audire non meruit. Duo autem isti rami sunt in manu duarum narium, sive super duo rostra aurea, A quæ Hebraice SINTHOROTH [*Al.* Sinthuroth] (צנתרות), Græce μυξωτῆρες appellantur, qui et ipsi duo μυξωτῆρες, super quos duæ spicæ sunt, vel duo rami olivarum de auro purissimo sunt. Cumque et de duobus ramis propheta quæreret, et rursum interrogaretur ab angelo, utrumnam sciret quid duo rami significarent, et ille dixisset: *non, Domine:* respondit angelus Domini: *Isti sunt duo filii olei*, ut Symmachus voluit, sive [a] στιλπνότητος, ut interpretatus est Aquila, id est, *splendoris:* vel ποιότητος, hoc est, *pinguedinis*, ut verterunt Septuaginta: aut λαμπρότητος, id est, *claritatis*, ut Theodotio transtulit: *qui assistunt Dominatori universæ terræ.* De duabus olivis quæ erant ad dexteram lampadis et sinistram, supra legimus. Et idcirco nunc interrogans super his pro- B pheta, non meretur audire, quia priora non retinet, sive quod ibi obscurius dictum est, hic manifestius audire desiderat, aut certe silentio angeli confutatur ejus pertinacia, quod majora se scire contendat, quamquam Hebræi ideo eum de olivis interrogantem, nihil audisse confirment, quia non bene interrogavit, nec totum quæsierit quod scire debuerat. Denique postea plenius sciscitatur addens, spicas vel ramos olivarum, de quibus supra tacuerat; ibi enim dixit: *Quid sunt duæ olivæ istæ?* hic interrogat; *Quid sunt duæ spicæ olivarum?* μεταφορικῶς quod in morem spicarum [b] rectæ sint arbores, et quasi spicæ aristis, sic istæ vallo quodam ramorum atque foliorum tectæ sint et in sublime surgentes. Duas olivas quidam e nostris **814** Filium interpretantur, et C Spiritum sanctum, et mediam lampadem Deum Patrem. Sed nescio quomodo absque blasphemia, alterum a dextris, alterum accipiant a sinistris. Ramos quoque, sive spicas olivarum, incarnationem Salvatoris et similitudinem columbæ Spiritus sancti edisserunt, quia totas olivas videre nequeamus, sed partem quamdam et, ut ita dicam, ramusculos incarnationis Christi, et ostensionis Spiritus sancti nobis esse monstratos. Alii duo intelligunt Testamenta, a dextris Evangelium, a sinistris Legem, eo quod in altero spiritualis sensus sit, in altero corporalis; et quod nec totum Evangelium, nec totam Legem explanare possimus, *et nunc ex parte cognoscamus, et ex parte prophetemus* (I *Cor.* XIII. 9), et nondum possimus intelligere quod perfectum est. Sunt qui duos D ramos olivarum vel duas spicas, et filios pinguedinis vel splendoris, sacerdotium interpretentur et Legem, quæ præbeant gaudium universæ terræ. Alii Enoch et Eliam, quorum alter in præputio, alter in circumcisione placuit Deo, et cum corpore raptus in cœlum est (*Gen.* V, *et* I *Reg.* II). Pro splendore, et oleo, et pinguedine, et claritate, in Hebraico legimus ISAAR (יִצְהָר), juxta illud quod de gaudio et felicitate sanctorum in Psalmis scriptum est: *Inebriabuntur ab ubertate*, sive *pinguedine domus tuæ* (*Psal.* XXXV, 9): πιότης [*Al.* πιότητος] enim magis *pinguedinem* quam *ubertatem* sonat. Hæc ut quivimus, et ut vires inge-

[a] Confer. epist. 57 ad Pammach. num. 11.

[b] Martianæus retinuit, *tectæ sint arbores.*

nioli nostri ferre potuerunt, locuti sumus, et Hebræorum et nostrorum varias opiniones breviter perstringentes, si quis melius immo verius dixerit, et nos libenter melioribus acquiescimus.

(Cap. V. — Vers. 1 seqq.) *Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi, et ecce volumen volans, et dixit ad me : Quid tu vides? Et dixi : Ego video volumen volans : longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me : Hæc est maledictio quæ egredietur super faciem universæ terræ : quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides* **815** *ejus.* LXX : *Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi falcem volantem. Et dixit ad me : Quid tu vides? Et dixi : Ego video falcem volantem, longitudinis cubitorum viginti, et latitudinis cubitorum decem. Et dixit ad me : Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ : quia omnis fur ex hoc usque ad mortem punietur, et omnis perjurus ex hoc usque ad mortem cruciabitur. Et educam illud, dicit Dominus omnipotens, et ingredietur in domum furis, et domum jurantis in nomine meo mendaciter, et requiescet in medio domus ejus, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus.* Conversus, inquit propheta, ad aliam visionem, et a lætis atque felicibus oculos meos ad tristiora sustollens, cerno volumen volans [a] quod Hebraice dicitur MEGELLA [*Al.* Gemell.] (מגלה), et ab Aquila et Theodotione versum est διφθέρα, a Symmacho κεφαλίς, id est, *capitulum*, juxta illud quod in psalmo legimus : *In capitulo libri scriptum est de me* (*Ps.* XIX, 8); sive juxta Septuaginta [b] δρέπανον πετόμενον, id est, *falcem volantem.* Omnia enim quæ supra viderat, ædificationem templi, adventum Domini Salvatoris, libertatem de Babylone populi nuntiarant. Itaque ne elevaretur cum Apostolo cor ejus (cui datus est angelus Satanæ qui eum colaphizaret (II *Cor.* XII), ne se extolleret), videt et ipse quæ tristia sunt, ut quidquid ex bonorum revelatione arrogantiæ creverat, ex tristium comminatione decrescat. Volumen autem volans ostenditur, in quo omnium peccata descripta sunt, ut unusquisque recipiat secundum opera sua, sive bonum, sive malum, dicente Daniele : *Throni positi sunt, et libri aperti sunt* (*Dan.* VII, 10). Sin autem *falcem* accipimus, ut LXX transtulerunt, de Apocalypsi Joannis sumamus exemplum, in qua scriptum est : *Et respondit angelus, et dixit ei qui sedebat super equum : Mitte falcem tuam acutissimam, et mete vineam* [c] *tuam, quoniam maturæ sunt uvæ ejus* (*Apoc.* XIV, 18). Pro falce in Deuteronomio *sagittas* et *gladium* legimus : *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes* (*Deut.* XXXII, 42). Et quia Deus angelis peccantibus non pepercit, qui proprio vitio habitaculum perdidere cœleste, ideo ipse dicit per Isaiam : *Inebriatus est gladius meus in cœlo* (*Isai.* XXXIV, 5). Gladio enim interibunt **816** omnes peccatores populi, non utique gladio corporali (siquidem multæ et diversæ præter gladium ad mortem viæ sunt), sed gladio spirituali, quo percutiendi sunt qui non egerunt pœnitentiam, et quibus comminatur Psalmista proclamans : *Nisi convertamini, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum : et in ipso paravit vasa mortis* (*Psal.* VII, 13 *et* 14). Et in Jeremia legimus : *Usquequo secabis mucro*, vel *gladius Domini? Usquequo non quiesces? convertere in vaginam tuam* (*Jer.* XLVII, 6). Iste gladius non solum falx appellatur, quæ fenum, stipulam, spinasque succidit; sed et securis arborum dicitur, quæ succidet eos, qui non fecerint dignos fructus pœnitentiæ. Et de quibus Joannes Baptista proclamabat : *Ecce securis ad radices arborum posita est : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matt.* III, 10). Volumen istud in quo peccata omnium describuntur, sive falx quæ cunctorum delicta succidit, mittitur in vineam Sodomorum, de qua scriptum est : *Inimici nostri insipientes : ex vinea enim Sodomorum vinea eorum, et propago eorum de Gomorrhis : Uva eorum, uva fellis, et botrus amaritudinis eis. Furor draconum, vinum eorum et furor aspidis insanabilis* (*Deut.* XXXII, 31 *seqq.*). Hæc falx viginti habet cubitos longitudinis, et decem latitudinis, in quo numero tristibus læta sociantur. Ad hoc enim Dominus corripit ut emendet. In vicesimo, qui ex duabus decadibus efficitur, austera et tristia nuntiantur : in decimo, id est, una decade, meliora et prospera : per omnia enim flagella atque supplicia eruditur Israel. Simulque moneamus eos qui parva putant crimina furtum atque perjurium, quod inducatur maledictio quæ in volumine ac [*Al.* a] falce descripta est, in domum furis atque perjuri, et commoretur in ea, et omnia ejus ligna lapidesque consumat. Quod si in his quæ minora putantur (furtum dico, et perjurium) tanta pœnarum comminatio est, quid dicemus de fornicatione, adulterio, homicidio, sacrilegio, cunctisque criminibus, quæ ab Apostolo inter carnis opera numerantur (*Galat.* V)? Legi viginti cubitos longitudinis, et decem latitudinis, ad ætatem referri Domini Salvatoris, id est tricenarium numerum **817** efficere : quod non judicet Pater quemquam : sed omne judicium dederit Filio, et ab eo mundus judicandus sit (*Joan.* V).

(Vers. 5 seqq.) *Et egressus est angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Leva oculos tuos, et vide quid sit hoc quod egredietur. Et dixi : Quidnum est? Et ait : Hæc est amphora egrediens; et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce ta-*

[a] Omnes mss. codices quos inspexi habent hic metathesim primæ syllabæ : legunt enim *Gemella* pro *Magella*. MART.

[b] Verba δρέπανον πετόμενον, *id est*, in Palatin. ac Reginæ mss. desiderantur.

[c] Victorius quinque Florentinorum codicum ope, et Brixianorum aliquot, itemque Vulgatæ editionis auctoritate reposuit, *terræ*, pro *tuam*.

*lentum plumbi portabatur, et ecce mulier una* [a] *sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas, et projecit eam in medium amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus.* LXX : *Et egressus est angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me : Suspice oculis tuis, et vide quid sit quod egreditur ; et dixi, Quid est ? Et ait : Hæc est mensura quæ egreditur. Et ait : Hæc est iniquitas eorum in omni terra. Et ecce talentum plumbi elevatum est : et ecce mulier una sedebat in medio mensuræ, et dixit : Hæc est iniquitas, et projecit eam in medio mensuræ, et projecit lapidem plumbeum in os ejus.* Amphora sive mensura egrediebatur, et ferebatur in aere. Et ne dubitaremus quo proprie vocabulo nuncupetur, ipse angelus, qui ostenderat amphoram, sive mensuram, illi nomen imponit, et dicit, juxta Septuaginta, *hæc est iniquitas eorum in universa terra ;* juxta Hebræos : *Hic* [Al. *Hæc*] *est oculus,* id est, *ostensio* omnium peccatorum. Et ecce mulier sedebat in medio amphoræ, vel mensuræ, quæ apud Hebræos dicitur EPHA (אֵיפָה), crebroque a LXX in ὄιφι [Al. *ephi*] vertitur ; et hæc ipsa mulier vocabatur *impietas.* Cum hæc itaque [*Al.* ita] cerneret, ecce talentum plumbi, id est, massa instar lapidis ferebatur, vel suo impetu, vel Domini jussione, vel ferebatur ab alio cujus nomen tacitum est. Angelus autem iste qui loquebatur in propheta, et egrediens ex eo, illi universa monstrabat, arripuit mulierem quæ vocabatur impietas, et præcipitem misit in medium amphoræ, quæ prius libere ferebatur, et supra amphoram sedens, omnibus apparebat. Ac ne forte rursum elevaret caput, et sua iniquitate et impietate gauderet, talentum plumbi in modum gravissimi lapidis mittit in os amphoræ : ut impietatem in medio opprimat atque concludat, ne quo [*Al.* quoquo] modo possit erumpere. Hæc quasi umbras quasdam et lineas futuræ imaginis **818** duximus, ut quod reliquum est suis coloribus impleamus. Angelus qui loquebatur in propheta, egressus de eo, et quasi cominus loquens, præcipit illi ut levet oculos suos, et videat peccata populi Israel in mensuram coacervata perfectam, et impleta delicta cunctorum : et hanc esse *oculum eorum*, quod Hebraice dicitur ENAM (עֵינָם), et scribitur per AIN, JOD, NUN, MEM : Sive *iniquitatem eorum ;* quæ si per VAU litteram scripta esset, recte legeretur ONAM [*Al.* UNAM] (אוֹנָם), ut LXX putaverunt : et hic error in editione Vulgata frequenter inolevit, ut quia VAU et JOD litteræ eadem forma, sed mensura diversæ sunt, altera legatur pro altera. Hæc amphora sive mensura, oculus eorum est in universa terra, hoc est, ostensio peccatorum, ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacervata oculis omnium panderentur, ut egrederetur de loco suo Israel, et cunctis gentibus qualis in terra sua fuerit, monstraretur. Et ecce talentum plumbi portabatur. Pro talento plumbi, in consequentibus legimus lapidem plumbi. *Talentum* vocatur CHACHAR (כִּכָּר) ; *lapis* ABEN (אֶבֶן). Ipse est igitur lapis plumbi, qui et talentum plumbi, quod nos manifestius exprimentes, massam vel sphæram plumbi interpretati sumus, ex quo significatur pondus gravissimum peccatorum. Et super hanc mensuram atque amphoram omnium delictorum, media sedebat impietas, quam alio nomine idololatriam possumus appellare, et negationem Dei. Unde a Salvatore dicitur ad Judæos : *Implete mensuram patrum vestrorum* (*Matth.* XXIII, 32). Hæc impietas quæ sedebat super peccata Israel, et in suo scelere gloriabatur, postea mittitur in medium Babylonis, et captivitatis malo premitur. Vel juxta Theodotionem, ipsa se projicit et abscondit in medium amphoræ, ducitque super se pondus gravissimum plumbi, ut obturatum os habeat, et ultra se jactare non possit. Vel certe ab angelo Dei opprimitur, ut quæ prius lætabatur in scelere, æterno silentio conticescat. Quo autem, et a quibus conclusa portetur, sequens lectio docet.

(Vers. 9 seqq.) *Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi* **819** *alas milvi, et levaverunt amphoram inter terram et cœlum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quo istæ deferunt amphoram ? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.* LXX : *Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et ipsæ habebant alas sicut alæ sunt upupæ. Et elevaverunt mensuram inter terram et cœlum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me : Quo istæ deferunt mensuram ? Et dixit ad me : Ut ædificent ei domum in terra Babylonis, et præparent, et ponant eam ibi super sedem suam.* Duas mulieres egredientes, Judæi arbitrantur regnum Medorum et Macedonum, quorum utrumque afflixerit populum Babylonium, et ibi impietas eorum sedem posuerit. Hoc autem arte confingunt, ne quod de se dictum est, in se intelligatur. Duæ enim mulieres quæ egrediuntur, haud dubium quin de terra Judæa, accipiendæ sunt decem et duæ tribus : quarum alteræ ab Assyriis, alteræ a Chaldæis captæ sunt. *Et in alis earum erat spiritus*, id est, potestas diaboli, de quo in Ecclesiaste scriptum est : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccl.* X, 4). Et in Evangelio spiritum immundum legimus qui cum de domo sua fuerit ejectus, circumiens deserta et arida, cum aliis septem spiritibus nequioribus se, revertitur in pristinam domum (*Luc.* XI). Ab hoc igitur spiritu istæ mulieres quasi vento flatuque raptatæ, volatu celeri ferebantur, et habebant alas ; juxta Hebraicum ASIDA (חֲסִידָה), quod Aquila, Symmachus, et Theodotio *herodionem ;* soli LXX *upupam* transtulerunt. [b] Asidam Hebræi *milvum* putant, avem rapacissimam, et semper domesticis avibus insidiantem ; hero-

[a] Nostri mss. ipseque Hieronymus in subnexa expositione, *sedebat*, præferunt.

[b] Conferendus Helianus Hist. animal lib. XIII, cap. 22. Sunt qui ciconiam dicant, a quibus dissentit Olympiodorus.

dionem vero, hi qui de volucrum scripsere naturis, tria genera autumant: unum album, aliud stellatum; tertium nigrum, quod et sævissimum est et sanguinarium, et pugnans ad coitum impatiens: ita ut ex oculis eorum erumpat cruor. Upupam autem, quam nos de Græci nominis similitudine traximus (nam et ipsi *popam* appellant ab eo, quod stercora humana consideret [*Al.* consideat]), avem dicunt **820** esse spurcissimam, semper in sepulcris, semper in humano stercore commorantem: denique et nidum ex eo facere dicitur, et pullos suos de vermiculis stercoris alere putrescentis. Quamcumque ex tribus avibus intelligere volueris asidam, convenit istis mulieribus Judæ, et Israeli, quæ propter peccata putentia traditæ sunt dæmonum potestati, et ab eis ductæ in captivitatem. Tuleruntque amphoram sive mensuram, in qua clausa tenebatur impietas, massa plumbi desuper posita ne possit exire, et pondus gravissimum omnium peccatorum per aerem inter terram et cœlum [a]. Quod propheta intelligens, non interrogabat [*Al.* interrogat] quæ sint istæ mulieres (patebat enim spiritui prophetali) nec quid portent, de quo supra fuerat eruditus; sed quo portent. Denique sequitur: *Dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram?* Qui respondit: *Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Pro quo Septuaginta transtulerunt, *in terra Babylonis.* Sennaar enim campus est Chaldæorum, in quo hi qui moverant ab Oriente pedes suos, et in Dei servitute stare non poterant, ædificaverunt turrim superbiæ (*Genes.* XI); unde et civitas ipsa appellata est *Babylon*, id est, *confusio*, eo quod ibi linguæ omnium confusæ sint atque permixtæ. Impietas ergo defertur ab istis mulieribus in Babylonem: ut ibi ædificetur domus ejus, et stabiliatur, et ponatur super basem suam, et æterna statione requiescat. Vere enim in Babylone sedes est impietatis, et juxta historiam et juxta mysticos intellectus. Si volueris duas mulieres accipere hæreticorum populos et Judæorum (quorum utrique egrediuntur a facie Dei, et spiritu feruntur incerto, et habent alas milvi, herodii, et upupæ, dum semper in modum perdicis faciunt divitias, non cum judicio (*Jerem.* XVII), et de Ecclesia rapere festinant, et contentionibus ac jurgiis delectantur, et quoscumque deceperint, trahunt ad interitum, volutantur in cœno libidinum et sordibus sempiternis), istæ mulieres levant pondus impietatis gravissimum, et ædificant in confusione domum suam, et serviunt regi Babylonio, ut ibi habitent hæreticorum populi et Judæorum, **821** ubi morantur idololatriæ, ligno et lapidibus servientes.

(Cap. VI.) *Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: Et ecce quatuor quadrigæ egredientes in* (Vulg. *de*) *medio duorum montium, et montes, montes ænei* (Vulg. *ærei*). *In quadriga prima equi rufi, in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes. Et respondi, et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine mi? Et respondit angelus, et ait ad me: Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, et albi egressi sunt post eos, et varii egressi sunt ad terram Austri. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et quærebant ire et discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite et perambulate terram, et perambulaverunt terram. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* LXX: *Et conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi: Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, et montes erant montes ænei. In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii sturnini. Et respondi, et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine? et respondit angelus qui loquebatur in me, et dixit: Hi sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur ut assistant Domino omnis terræ. In quo erant equi nigri, egrediebantur super terram Aquilonis, et albi egrediebantur post eos, et varii exibant in terram Austri, et sturnini egrediebantur, et considerabant ut circuirent terram. Et dixit: Ite et circuite terram, et circuierunt terram: et clamavit, et locutus est ad me dicens: Ecce qui egrediuntur super terram Aquilonis: requiescere fecerunt furorem meum in terra Aquilonis.* Transivi, ait, ad aliam visionem, et oculos cordis mei ad cœlum altius sublevavi: vidique quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium qui erant ænei, id est, insuperabiles atque fortissimi, et qui nulla possent vetustate consumi. Quos enim supra montes **822** myrteos, vel umbrosos dixerat atque nemorosos, nunc æneos vocat. In quadriga prima equi rufi erant, cruenti, et sanguinarii, et Babylonia crudelitate terribiles. In quadriga secunda, equi nigri, regnum Medorum atque Persarum: quod bigæ sedens et egrediens per Assueri regis edictum, mortem omnium Judæorum tristi nuntio præferebat. In quadriga tertia, equi albi, Macedones, sub quorum rege Antiocho Machabæorum victoriam legimus. In quadriga quarta, equi varii fortes. Scimus enim Romanorum reges, alios in gentem Judæam fuisse clementes, ut C. Cæsarem, Augustum et Claudium: alios persecutores atque terribiles, ut C. Caligulam, Neronem, Vespasianum et Hadrianum. Pro *fortibus*, quos Aquila [b] κρατεροὺς, Septuaginta ψαροὺς transtulerunt, in Hebraico scriptum est AMASIM (עמצים). Et quædam exemplaria male habent πυρροὺς, confundentia colorum differentias atque regnorum, cum πυρροὶ, id est, *rufi*, non AMASIM, sed ADAMIM (אדמים) appel-

[a] Supplet Victorius verbum, *elevantes*, codicum quorumdam suffragio.

[b] In aliis libris καρτεροὺς: verius κραταιοὺς Aquila posuerit. E τῶν LXX exemplaribus, quæ ψαροὺς præferant, quod verbum *sturninos* significat, nulla supersunt quod sciam: omnia habent πυρροὺς, male, ut Hieronymus notat.

lentur. Propheta ergo quærente quid sibi vellent significare quæ cerneret, Angelus qui loquebatur in eo, respondet, et narrat quatuor esse ventos cœli, id est, quatuor plagas mundi, quæ Græci vocant κλίματα, qui assistant et pareant Domini voluntati. Nihil enim hæc quatuor regna, quæ diximus, absque Domini voluntate fecerunt. In qua erant équi nigri, egrediebantur, inquit, in terram Aquilonis. Quam pulchre quadriga prima in qua erant equi rufi prætermittitur, quid et secunda et tertia fecerint quartaque describitur. Jam enim eo tempore, quo hæc propheta referebat, regnum præterierat Babylonium, et omnem Asiam Medorum potentia possidebat: sub quorum rege Dario, anno ejus secundo, mense undecimo (*Al.* decimo), qui appellatur SABAT (שבט), vicesima quarta die mensis, omnia quæ supra exposuimus, contemplatur. In qua erant igitur equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: ut Chaldæorum regnum [a] Medica virtus everteret. Et hoc notandum, quod κλίματα, id est, plagæ orbis et mundi, juxta situm Jerusalem, et templi in Scripturis sanctis appellentur. Albi quoque egressi **823** sunt post eos, secuti Medorum Persarumque vestigia, reges Macedonum, ut Chaldæos ac Babylonem suo imperio subjugarent. Quarti vero, id est, sturnini et varii, pro quo in Hebræo legitur BORODIM (ברדים), et qui alio nomine appellantur AMASIM, id est, *fortes*, atque *robusti*, egressi sunt ad australem plagam, et totam terram impetu celeri lustraverunt. Clamatque angelus qui loquebatur in prophetis, ad imperium Romanorum: *Ite, perambulate terram*, et orbem circuite terrarum, vestrisque pedibus cuncta regna substernite. Conversusque ad prophetam clara voce testatur: *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra*, ad quam profecti sunt. Traditum mihi est ab Hebræis in loco vel difficillimo, quod Alexander et omnes Macedones, id est, equi albi qui egressi sunt post Medos et Persas, A qui et ipsi perrexerant in terram Aquilonis, requiescere fecerint spiritum prophetalem in terra Aquilonis, eo quod contra Medos Dei impleverint voluntatem, et in brevi imperium Medorum atque Persarum a Macedonibus sit deletum. Grandis enim eorum est consolatio qui premuntur, si sciant hostes suos cito esse perituros. Hæc ut potuimus, immo ut accepimus, nostræ linguæ studiosis tradimus [*Al.* tradidimus] sequentes historiæ veritatem: nec quadrigas Pharaonis, et currus Babylonios instar explanationis Ægyptiæ tenaci memoria conquirentes; **824** non enim quid ubi scriptum, sed qua ratione sit scriptum, considerandum est. Juxta allegoriam quæcumque in quatuor cornibus et quatuor fabris diximus, etiam in præsenti loco accipiamus. Legi in cujusdam B volumine, quatuor quadrigas, in quibus sunt equi rufi et nigri, et albi, et varii, ac fortes, quatuor Evangelia intelligenda et equos Apostolos, per diversitatem colorum diversas gratias possidentes: quorum alii rufi sint in martyrio, alii obscuri, et nigri, et Christi mysteria cognoscentes, de quibus dicatur in Psalmis: *Caligo sub pedibus ejus* (*Psal.* XVII, 10). Et: *Posuit tenebras latibulum suum* (*Ibid.*, XII) Alii albi. gratia virginali; alii varii et fortes, habentes gratiam curationum diversarumque virtutum. Hæ quadrigæ quatuor, sive currus, missi sunt in quatuor ventos cœli, id est, ad cardines mundi, et universum orbem terrarum, ut explerent Domini voluntatem: quibus postea infertur ab Angelo: *Ite, et perambulate terram*, et in cunctis terrarum finibus Evangelium seminate. Hoc quoque quod sequitur: *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*, sic explanavit, ut diceret requievisse spiritum Domini, sive angeli, quando in terra Aquilonis, diaboli regna durissima apostolica prædicatione subversa sunt, et hæc esse regna, quæ Domino Salvatori in monte excelso diabolus ostendens, sibi tradita gloriatus sit (*Matth.* IV).

[a] Vitiose lectum est hactenus, *modica*. Nos *Medicam*, id est, Medorum, ex Regin. ms. substituimus, historiæ atque orationis contextu cogente.

# LIBER SECUNDUS.

**825-826** Ab obscuris ad obscuriora [*Al.* obscura] transimus, et cum Moyse ingredimur in nubem et caliginem (*Exod.* XXXIV). Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum Dei (*Ps.* XLI, 8); et gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur (*Eccl.* I, 6): Labyrinthios patimur errores, et Christi cæca regimus filo vestigia. [a] Ad hanc difficultatem urget petasatus libri portitor (*Horat.* I, *epist.* 2):

Dimidium facti, qui cœpit, habet. . . .

quanto magis nos qui tertiam partem jam confecimus viæ, eodem debemus in reliquis labore sudare, ne perdamus præterita, et imperfectum opus augeat lectoris desiderium! Itaque, mi Exuperi Papa venerabilis, adesto præsens orationibus, qui corpore absens es, et impetra a Domino, ut auferatur a facie mea velamen Zachariæ, [b] quod ante oculos obtendebatur [*Al.* appendebatur] Moysi (*Exod.* XXXI;

[a] Aliqui putant *petasatum* dici, qui cothurno vel socco calciatus est; sed hic rectius intelligitur *portitor petasatus*, qui petaso sive galero tectus est: quod significat hominem ad iter paratum, ut erat Sisinius qui in Ægyptum ire festinabat. MART.

[b] Erasmus legit *ante oculos ostendebatur*; Marianus vero Erasmi castigator, *ante oculos appendebatur*; nos manuscripta exemplaria secuti sumus, quia omnia istiusmodi retinent *obtendebatur*. MART.

ARCHIGYMNASII INSULENSIS CATH

II *Cor.* III), quia fulgorem vultus ejus, vulgus ignobile ferre non poterat : ut ego quoque cum David queam dicere : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa* (*Ps.* LXVII, 12). Secundi libri Explanationum in Zachariam istud exordium est, quem tanta celeritate dictamus, ut pene non sit emendandi spatium : dum frater Sisinnius Ægyptum ire festinat, ut odorem bonæ fragrantiæ, qui a te missus est fratribus, illuc quoque perferat ; et nequaquam Æthiopiæ flumine, sed Galliarum largissimis aquis rigentur arva sitientia.

(Vers. 9. seq.) *Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Sume a transmigratione ab Holdai et a Tobia, et ab Idaja, et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ filii Sophoniæ qui venerunt de Babylone. Et sumes argentum et aurum, et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni, et loqueris ad eum dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domini. Et ipse exstruet templum Domino, et ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio : et consilium pacis erit inter illos duos. Et coronæ erunt Helem et Tobiæ et Idajæ et Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. Et qui procul sunt, venient et ædificabunt in templo Domini, et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.* LXX : *Et factus est sermo Domini ad me dicens : Accipe quæ de captivitate sunt a principibus, et ab utilibus ejus, et qui cognoverunt eam : et ingredieris tu in die illa in domum Josiæ filii Sophoniæ, qui venit de Babylone, et accipies argentum et aurum, et facies coronas, et impones super caput Jesu* [a] *filii Josedec sacerdotis magni, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus omnipotens : Ecce vir, Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit domum Domini, et ipse accipiet virtutem, et sedebit, et imperabit super throno suo. Et erit sacerdos a dextris ejus, et consilium pacis erit inter duos : corona autem exspectantibus et utilibus ejus, et qui cognoverunt eam, et in gratiam filii Sophoniæ, et in psalmum in domo Domini, et qui longe sunt ab eis, venient et ædificabunt in domo Domini. Et scietis quia Dominus omnipotens misit me ad vos, et* **827** *erit, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.* Semel proposui arcana eruditionis Hebraicæ, et magistrorum synagogæ reconditam disciplinam, eam dumtaxat, quæ Scripturis sanctis convenit, Latinis auribus prodere. Quamobrem necesse mihi est in locis obscurissimis historiæ lineas ducere, et sic quæ ab ecclesiasticis viris accepi, proferre in medium, lectoris arbitrio quid magis sequi debeat, relinquens. Et primum lectionis ordo reddendus est, ut quod dicitur, juxta litteram perspicuum fiat. Accipe, inquit, ab Holdai, et a Tobia, et ab Idaja, qui de Babylonica captivitate venerunt, et sumes ab eis quæ offeruntur munera, argentum, et aurum, et intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ ; et ibi facies coronas, auri atque argenti varietate distinctas, non unam coronam ; sed vel duas vel plures : ATAROTH (עטרות) quippe, id est, *στέμματα*, non unum, sed vel dualem, vel pluralem numerum significant. Cumque coronas feceris, impones unam ex eis in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni, et loqueris ad eum : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Ecce vir cujus nomen est, Oriens*, quod Hebraice dicitur SEMA (צמח), non per SIN, sed per SADE litteram scriptum. Qui idcirco *Oriens*, id est, *ἀνατολή*, vel [b] *ἀναφύη*, sive *βλάστημα*, nuncupatur, id est, *germen*, quia ex se repente succrescet, et ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit, qui vir ædificabit templum Domini. Cumque illud exstruxerit, ipse quoque portabit gloriam, id est, coronam alteram, quæ Hebraice HOD (הוד), et ab alio *ἐπιδοξότης* : ab alio *εὐπρέπεια* : ab alio *ἀρετή* : ab alio *δόξα* scribitur, quæ vel *inclytum*, vel *decorem*, vel *virtutem*, vel *gloriam* sonant. Significari autem putant Zorobabel, qui ex humili atque captivo in ducem populi Judaici repente consurgens, ædificavit templum Domini, et sedit super solio suo, et principis potestate dominatus est : sed et pontifex, inquit, Jesus filius Josedec sedebit in sacerdotali throno, et junctis animis atque consiliis, Dei populum gubernabunt. Et erit pax inter duos illos, hoc est, inter eum qui de tribu regia est, et eum qui de Levitica stirpe descendit, ut sacerdotium pariter et regnum Dei **828** populum regant, ipsasque coronas quas de auro feceris et argento, postquam impositæ fuerint capiti Jesu filii Josedec et capiti Zorobabel filii Salathiel, nominibus eorum a quibus oblatæ sunt, consecrabis in templo, id est, Helem, et Tobiæ, et Idajæ, et Hen. Nomen secundum et tertium idem est quod supra. Primum mutatum est, et pro *Holdai* nunc *Helem* posuit. Quartum quod supra non dixerat additum, hoc est *Hen*, de quibus loquemur in consequentibus. Repositis autem, ait, coronis in templo Domini, et in sempiternam memoriam consecratis, de toto orbe terrarum, et procul positæ gentes venient, et ædificabunt in templo meo unusquisque pro viribus suis. Et tunc exitu rerum et prosperitate omnium cognoscetis, quod Dominus miserit me, et ipso cuncta jubente, prædixerim. Hæc autem omnia erunt, si obedieritis præceptis Domini, et mandata illius feceritis. *Holdai* interpretatur *deprecatio Domini*, quod Græce significantius dicitur *λιτάνευσις Κυρίου*. *Tobia*, *bonus Domini*. *Idaja*, [c] *notus Domini*. Pro HOLDAI (חלדי), nunc in primo loco posuit HELEM (חלם), quod interpretatur *somnium* ; et in quarto loco addidit HEN (חן), id est, *gratia*. Horum quatuor hominum coronæ erunt apud filium Sophoniæ, quem supra Josiam legimus, qui custos et ædituus est templi Do-

[a] Deerat penes Martianæum vox *filii*.

[b] Prior interpretatio, *ἀναφύη*, Aquilæ est : posterior, *βλάστημα*, Symmachi, quod ex codice Hexaplari Barberinio discimus.

[c] Corrupte Martian. retinuit, *potus Domini*, contradicentibus mss. quoque nostris, et Hebraica etymologia a ידע verbo derivata.

mini, et ibi æterna statione requiescent. Hebræi Ananiam, Azariam et Misael de captivitate venientes aurum et argentum in munera templi, et coronas pontificis, ac ducis attulisse commemorant, et quem supra non dixerat, *Hen*, id est, *gratiam*, Danielem venisse cum munere, et idcirco *Helem* positum pro *Holdai*, ut ex interpretatione nominis quod dicitur *somnium*, ostendatur in captivitate positum Danielem, et tres pueros regalis somnii mysteria cognovisse. Assumptis enim tribus pueris, Daniel oravit Dominum, et interpretationem somnii consecutus est (*Daniel.* II). Hæc juxta historiam Circumcisio conatur exponere. Nobis autem incumbit necessitas juxta LXX interpretes dicere quæ nostri dixere majores. Accipe a captivitate, et a principibus, et ab utilibus ejus, et ab his qui cognoverunt **829** eam, aurum, et argentum, et ingressus in domum Josiæ filii Sophoniæ, qui et ipse venit de Babylone, fac in ea coronas aureas et argenteas, quas impones super caput Jesu filii Josedec sacerdotis magni. Captivitas Judæorum, id est, populi Dominum confitentis, vitia sunt atque peccata : quæ, qui cœperit agere pœnitentiam, et desiderare pristinam Jerusalem, id est, Ecclesiam Christi, in Babylone deserit ac dimittit, et offertur a principibus captivorum, et ab utilibus ejus, id est, captivitatis (qui et ipsi pro utilitate sua traditi sunt angelo Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret (I *Cor.* V), et ab his qui cognoscunt eam, videlicet captivitatem, in bonam partem post supplicia esse vertendam. Offertur autem aurum et argentum ab his, qui et sensu, et sermone Dominum confitentur, et fiunt ex eo, id est, auro et argento [a] coronæ in domo Josiæ, qui interpretatur *salvatus*, et est filius *visitationis Domini*, id est, ἐπισκοπῆς κυρίου. Visitatur enim a Domino qui prius male ægrotaverat. Et recte dicitur Josias, *salvatus*, quia et ipse reversus est de Babylone. Imponuntur autem coronæ, vel corona, Jesu filio Josedec sacerdoti magno, quia nobis proficientibus et reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur : immo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, salvator in singulis coronam accipit, juxta illud quod et Paulus loquitur : *De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex : non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum Domini Salvatoris nostri Jesu Christi* (I *Tim.* IV, 8). Unde a corona justitiæ et Pater Domini Salvatoris nomen accepit. *Josedec* enim interpretatur *Dominus justitiæ*, eo quod reddat unicuique secundum opera sua. De hac corona et Jacobus in Epistola sua loquitur : *Beatus vir qui sustinet tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jacob.* II). Jubetur autem prophetæ ut postquam coronam imposuerit, vel coronas, super caput Jesu filii Josedec sacerdotis magni, loquatur ad eum, et dicat : *Hæc dicit Dominus : Ecce vir, Oriens nomen ejus : et subter eum orietur*, et reliqua. Non Jesum dividimus, nec duas personas in unam **830** possumus facere personam; sed ipse qui Jesus appellatur, eo quod salvaverit mundum, et Oriens dicitur, quia in diebus ejus orta est justitia. Et canitur in Psalmo : *Veritas de terra orta est* (*Ps.* LXXXIV, 12), eo quod de utero virginali in sæculorum consummatione generatus dixerit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), et extrema hora venerit, juxta Joannis Epistolam dicentis (I *Joan.* II, 18) : *Filioli, nunc extrema hora est*, in qua stantem, et nihil agentem gentium populum conduxit ex denario, et misit ad vineam (*Matth.* XX). Alioquin si secundum diversitatem nominum diversus efficitur, alius erit pastor, alius aries, alius agnus, alius janua, alius lapis offensionis, et petra scandali. Iste igitur qui nostris virtutibus coronatus est, orietur et appellabitur *Oriens*. Ad quem locutus est Pater : *Filius meus es tu : ego hodie genui te* (*Ps.* II, 7) : Et subter eum orietur multitudo credentium, et ædificabit domum Domini, Ecclesiam, et ipse accipiet virtutem et decorem ac profectum, et gloriam singulorum, et sedebit et dominabitur in throno suo, in throno David, de quo et in Evangelio scriptum est : *Et erit sacerdos a dextris ejus* (*Luc.* I), sive juxta Hebraicum, *super thronum suum ;* quia ipse et rex et Pontifex est : et sedebit tam in regali, quam in sacerdotali throno, et consilium pacificum erit inter utrumque, ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium, sed in unius gloria Domini Jesu utrumque consentiat. Legi in cujusdam libro hoc quod dicitur (*Zach.* VI, 13) : *Et consilium pacificum erit inter duos*, ad Patrem referri et ad Filium : quia non suam, sed Patris venerit facere voluntatem, et Pater in Filio sit, et Filius in Patre (*Ibid.*, XIV). Corona autem, id est, insigne victoriæ, cum Christus fuerit coronatus, his quoque repromittitur, qui exspectant eum, et intelligunt utilitatem quondam captivitatis suæ, et noverunt Dei universa mysteria, ut sint in gratiam filii Sophoniæ, hoc est visitationis Domini. Et qui in Babylone dicebant (*Ps.* CXXXVI, 1, 2) : *Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion : in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*, postquam reversi fuerint in Jerusalem, accipiant Psalmum et tympanum, et canant in Ecclesia Domini, et qui per majora **831** peccata longe fuerant ab Judæa, et confessione verissima, veniant, et per singulos profectus suos ædificent domum Domini, et tunc universi pari mente cognoscant, quod Dominus omnipotens prophetam miserit ad eos. Fient autem omnia quæ promissa sunt, si Dominum audire voluerint, et acta pœnitentia, in bonis operibus manserint.

(Cap. VII. — Vers. 1 seqq.) *Et factum est in anno quarto Darii regis : factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.* [b] *Et miserunt ad domum Dei Sarasar et Rogommelech, et*

[a] Nomen *coronæ*, quod mutilo sensu in antea vulgatis libris deerat, nostri mss. supplent.

[b] Insignis hic depravatio contextus tam in Hebræo, quam in LXX interpretibus. In Hebræo enim legitur

*viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini : ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum et prophetis loquentes : Numquid flendum est mihi in quinto mense : vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens : Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo* [a] *per hos septuaginta annos, numquid jejunium jejunastis mihi? et cum comedistis et cum bibistis, numquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? Numquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta, et ipsa et urbes illius* [Vulg. tacet *illius*] *in circuitu ejus, et ad austrum et in campestribus habitaretur?* LXX: *Et factum est in quarto anno sub Dario rege : factus est sermo Domini ad Zachariam, quarta die mensis noni qui est Casleu, et misit in* [Al. *de*] *Bethel Sarasar et Arabesser rex, et viri ejus ut deprecarentur Dominum, dicens ad Sacerdotes domus Domini omnipotentis, et ad prophetas, dicens : Ingressa est huc in mense quinto sanctificatio, juxta quod fecerunt jam annis pluribus : et factus est sermo Domini virtutum ad me, dicens : Dic ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens : Si jejunatis, et plangitis in quintis et septimis, et ecce septuaginta anni, numquid jejunium jejunastis mihi? et si comeditis aut bibitis, nonne vos comeditis, et vos bibitis? Numquid non ista sunt verba mea, quæ locutus est Dominus in manibus prophetarum, qui fuerunt prius quando Jerusalem habitabatur, et erat abundans, et civitates ejus per circuitum,* **832** *et montana et campestria habitabantur?* In quarto anno Darii regis, in mense nono, qui appellatur CASLEU, (כִּסְלֵו), et in quarta mensis ejusdem die miserunt ad domum Dei, id est, ad templum quod jam a Zorobabel et a Jesu fuerat instauratum, Sarasar et Rogommelech et cæteri qui cum eis erant, quos Persas fuisse duces regis Darii timentes Deum, Hebræi autumant : ut quia jam audierant templum esse constructum, quærerent a sacerdotibus domus Domini et prophetis, utrum secundum consuetudinem pristinam flere et jejunare deberent, an luctum mutare lætitia. Et est sensus sciscitantium : Quinto mense qui appellatur apud Romanos *Julius*, a Nabuchodonosor subversa est Jerusalem, quam ob causam propter solitudinem templi huc usque jejunavimus et planximus, et mœrorem nostrum fletu et jejuniis consolati sumus. Nunc quia dicitur, templum esse constructum, et videmus nequaquam causam permanere tristitiæ, respondere quæsumus, utrum hoc facere debeamus, an mœrorem gaudio commutare? Et simul considerandum quod fletus atque jejunium sanctificatio dicitur. Unde et in Joel præceptum est sacerdotibus, ut sanctificent jejunium et prædicent curationem (*Joel.* v). Curat enim vulnera delinquentis, abstinentia et jejunium, et curatos quosque sanctificat. Postquam interrogaverant Persarum duces per eos quos miserant, et ad sacerdotes atque prophetas sciscitantium fuerat expleta legatio, fit sermo Domini ad prophetam, imperans ut loquatur ad vulgum et ad sacerdotes, quid legatis debeant respondere. Quando jejunabatis et plangebatis in quinto mense captivitatis Jerusalem, et in septimo mense, quando Godolias interfectus est ab Ismael, per annos septuaginta desolationis templi et subversionis Jerusalem, numquid mihi proderat quod jejunabatis (IV *Reg.* XXV; *Jer.* XLI)? Et econtrario, si quando [b] manducatis et bibitis, numquid non vobis et comeditis et potatis? Neque enim his rebus placatur Deus, sed bonis operibus, et si illius præcepta faciamus, quia esca nos non commendat Deo. Neque si non manducaverimus, deficiemus : neque si manducaverimus, abundabimus. Numquid non hæc sunt verba mea, adhuc **833** stante Jerusalem et urbibus Juda, quæ loquebar ad vos in manibus prophetarum meorum, cum adhuc staret Jerusalem, et urbes Juda rebus omnibus abundarent, et tam montana regio, quam campestris frugibus redundaret, et fidissima pace frueretur? Hæc autem erant verba Domini, quæ sequens Scriptura testatur, velle se verum judicium et misericordiam in proximos, et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem non calumniari, et malum non cogitare in corde suo. Hæc, inquit, noluerunt facere, et surdis auribus mea imperia contempserunt : quam ob rem venit indignatio magna super Jerusalem; et quomodo illi me audire noluerunt, sic et ego non exaudivi eos : et nunc tanta scrupulositate quærunt, quando debeant jejunare et plangere, cum ante dixerim per Isaiam : *Non tale jejunium elegi, dicit Dominus, neque ut humiliet homo animam suam ; sed solve omne vinculum iniquitatis : dissolve obligationes violentarum cautionum : esurienti da panem tuum ex animo. Si videris nudum, operi eum ; et pauperem et absque tecto indue in tabernaculum tuum. Tunc erumpet temporanea lux tua, et sanitates tuæ cito orientur* (*Isai.* LVIII, 5, *seqq.*). Hoc quod scriptum est in Septuaginta : *Misit de Bethel Sarasar et Arabesser* [Al. *Arbath Sager*] *rex*, nullus nostrorum potuit exponere : neque enim quod male versum est ex Hebræo, ulla ratione explanari potest. Quis est enim iste *Sarasar*, vel *Arabesser rex*? aut cujus rex provinciæ, aut in quam vel de qua misit Bethel? aut cujus Bethel rex esse poterat Arabesser, quæ olim cum Judæa fuerat destituta, et eo tempore nequaquam vocabatur *Bethel*, id est, *domus Dei;* sed *Bethaven*, id est, *domus idoli?* Hoc quoque quod sequitur : *Ingressa est huc in mense quinto sanctificatio, sicut fecerant jam per multos annos*, sic conantur exponere : sanctificationem ingressam, vasa templi quæ a Nabuchodonosor sublata fuerant, illo tempore restituta. De quinti autem et

apud Erasm. et Marian : *Et Regemmelech*, in LXX vero, *Et Arbath Sager rex*, etc. Quæ depravationes occurrunt etiam infra in Commentariis, ubi hæc eadem nomina posita leguntur. MART.

[a] Interserit Regin. ms. *mense*, quod Hebræus et Vulgatus interpres tacent.

[b] Regin. ms., *manducabatis, et bibebatis*, moxque *comedistis*, et *potastis*.

septimi jejunio, tentaverunt referre ad dies hebdomadis. Sed quia sequitur, decimi jejunium, compulsi sunt ad menses referre, et quod sit ipsum quinti, septimi decimique mensis jejunium, omnino siluerunt. Unde priore simus explanatione contenti, et non inclinemur [*Al.* indignemur] ad falsos commentantium **834** conatus qui de interpretationis errore venerunt.

(Vers. 8 seqq.) *Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: Hæc ait Dominus exercituum dicens: Judicium verum judicate, et misericordiam, et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, et verterunt scapulam recedentem: et aures suas aggravaverunt, ne audirent: et cor suum posuerunt adamantem* [Vulg. *ut adamantem*] *ne audirent legem, et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum, et facta est indignatio magna a Domino exercituum. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabunt et non exaudiam, dicit Dominus exercituum. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt; et terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens; et posuerunt terram desiderabilem in desertum.* LXX: *Et factus est sermo Domini ad Zachariam dicens: Hæc dicit Dominus omnipotens, dicens: Judicium justum judicate, et misericordiam et miserationem faciat unusquisque ad fratrem suum: et viduam, et pupillum, et pauperem non opprimatis: et malitiæ unusquisque fratris sui nolite meminisse in cordibus vestris. Et noluerunt attendere, et dederunt dorsum contemnens: et aures suas aggravaverunt, ut non audirent: et cor suum posuerunt inobediens, ut non audirent legem meam, et verba mea quæ misit Dominus omnipotens in spiritu suo, in manibus prophetarum priorum. Et facta est ira magna a Domino omnipotente, et erit sicut dixi, et non audierunt eum. Sic clamabunt, et non exaudiam eos, dicit Dominus omnipotens: et ejiciam eos in omnes gentes quas ignoraverunt: et terra desolata est post eos a perambulante et revertente, et posuerunt terram electam in solitudinem.* Hæc magis volui, ista quæsivi, quæ non facientes, captivitati estis traditi; et [a] non desolationis ac mortis quinti mensis septimique jejunium. Justum judicium judicate, ne audiatis in Psalmis: *Usquequo judicatis iniquitatem, et personas peccatorum sumitis? Judicate pupillo et viduæ: humilem et pauperem justificate* (*Ps.* LXXXI, 2, 3), ne vobis quoque loquatur Isaias: *Qui justificant impium propter munera: et quod justum est* A *justo auferunt* (*Isai.* V, 23): et propter vos **835** Abacuc ex persona eorum qui opprimuntur, Deo faciat invidiam: *Contra me factum est judicium, et judex accipit: ideo dissipata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium, quia impius opprimit justum* (*Abac.* I, 3, 4). Nec novum putemus Dei esse præceptum, olim per Moysen ista mandaverat: *Sic magnum judicabis ut parvum: personam non accipies, et pauperis non misereberis in judicio: quoniam Dei judicium est* (*Deut.* I, 17). Misericordiam quoque et miserationes faciet unusquisque cum fratre suo. Post judicii [b] severitatem sequatur in cunctos clementia, et maxime in fratres, quos vel ejusdem sanguinis, vel unius nobiscum fidei esse perspicimus. Viduam quoque et pupillum, de quibus nobis præceptum est: *Esto pu-* B *pillis pater, et pro viro matri eorum; judicans pupillum, et justificans viduam* (*Eccl.* IV, 10). Et advenam et pauperem nolite calumniari, quia alterum peregrinatio, alterum egestas humilem facit. Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo, sive ut a Septuaginta dicitur: *Et malitiæ unusquisque fratris sui* [c] *non meminerit in cordibus suis* (*Luc.* X). Fratrem autem et proximum, vel omne hominum genus debemus accipere; quia ex uno sumus parente generati, vel eos qui domestici fidei sunt, juxta parabolam Evangelii, quæ proximum non consanguineum, sed omnes homines vult intelligi. Quod autem ante debeat ira finiri, quam sol occumbat, et omnium malorum quæ ab aliis passi sumus, deleri memoria, et in multis locis legimus, et maxime in [d] Jeremia, C qui ex persona Dei loquitur: *Et malitiæ proximi sui unusquisque in cordibus vestris ne memineritis.* Cum ego ista præceperim, illi attendere noluerunt, et verterunt scapulam recedentem, sive dorsum contemnens, ex habitu corporis mea imperia respuentes. Solemus enim quando rugata fronte, et nare contracta contemnimus admonentes, dorsum vertere, juxta illud quod scriptum est: *Verterunt ad me dorsa, et non facies suas* (*Jerem.* II, 27). Et aures, inquit, suas aggravaverunt ne audirent, sicut aspidis [*Al.* aspides] surdæ obturantis [*Al.* obturantes] aures suas, quæ non audiet [*Al.* exaudient] vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. Ingravaverunt enim aures suas **836** ut non audirent, et cor suum posuerunt, ut non acquiescerent legi Dei. Unde Isaias D ad eos comminans loquitur: *Incrassatum est cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne forte viderent oculis suis, et audirent auribus, et corde intelligerent, et converterentur, et ego sanarem eos* (*Isai.* VI, *et Act.* XVIII, 27).

[a] Regin. ms., *captivitati estis traditi, et desolationi ac morti. Justum judicate, ne,* etc., cui fere Victorius concinit, inducta negandi particula.

[b] Minus recte legunt vulgati libri, *Post judicii veritatem sequatur,* etc.

[c] Penes Victor., *ne memineritis in cordibus vestris.*

[d] Pro *Jeremiæ*, quod legunt omnes mss. codices, Marianus *Zachariæ* nomen substituit, quia hæc verba consequentia leguntur in hoc eodem propheta, non apud Jeremiam. Nos autem imitari voluimus prudentiam doctissimorum virorum qui non ausi sunt in Evangeliis nomen Zachariæ substituere, et delere nomen Jeremiæ, quod tamen fluxit imperitia veterum librariorum in contextum sacrum Evangelii secundum Matthæum, cap. XXVII, vers. 9. MART. — Cum hæc non Jeremiæ, sed potius Zachariæ verba sint, quæ infra replicat S. Doctor cap. 8, corrigit hic Victorius, *in Zacharia;* cujus tametsi exemplum contra mss. fidem non sequimur, non videtur damnanda licentia.

Porro quod dicitur juxta Hebraicum : *Et cor suum posuerunt adamantem* (Al. *ut adamantem*), duritiam cordis ostendit, et cor lapideum, quod noluerint verba Dei suscipere. Adamas enim lapis fortissimus, qui Hebraice dicitur SAMIR (שמיר), intantum durus est, ut omnia metalla confringat, et ipse non confringatur ab ullo. Unde a Græcis *indomabilis* dicitur. Ab hoc adamante induratum est cor Pharaonis, ne dimitteret populum Dei (*Exod.* VII *et seqq.*). Et quia habuerunt, immo posuerunt cor suum adamantem, propria voluntate cordis duritiam suscipientes, ne audirent verba Domini, quæ misit in spiritu suo, id est, in Spiritu sancto per manum prophetarum priorum, Isaiæ, Osee, et cæterorum, qui mundas habuerunt manus, quos ante captivitatem fuisse manifestum est : idcirco ad magna peccata, magna facta est indignatio, et Domini verba completa sunt, par pari referentis, ut sicut illi ambulaverunt ad eum perversi, et ipse adversum eos perversus incederet, et non audiret verba [a] inclamantium, quia et illi verba Domini surda aure contempserint. Quamobrem et dispersit eos per omnia regna quæ nesciunt, Assyriorum, et Chaldæorum, Medorum, atque Persarum, et gentium cæterarum, quæ his imperiis subjacebant, et in quarum terris disseminati sunt. Et omnis Judæa deserta est, eo quod nullum habuerit habitatorem, et non esset in ea transiens et revertens. Et terram quæ favus erat præ omnibus terris et propter abundantiæ multitudinem lacte et melle manabat, verterunt in solitudinem. Possumus hæc et ad eos referre, qui in Ecclesia delinquentes, projecti sunt de terra confessionis ; quia noluerunt audire Dominum, et verterunt ad eum scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt, et cor posuerunt ut adamantem. Et facta est super eos indignatio **837** Domini, et dispersi sunt per omnia regna vitiorum, et desolata est terra eorum, vel anima vel corpus, non habens habitatorem Dominum, nec in se spiritum revertentem. Et terra quondam desiderabilis, quæ erat hospitium Trinitatis, versa est in desertum, habitationemque draconum. Quæ plana sunt, velociter transeamus, ut in obscuris spatium disserendi sit : non enim longos florentesque tractatus in quibus plausibilis ludit oratio, sed commentarios scribimus, quorum officium est, præterire manifesta, obscura disserere.

(Cap. VIII.— Vers. 1 seqq.) *Et factum est verbum Domini exercituum, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus exercituum : Reversus sum ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem : et vocabitur Jerusalem, civitas veritatis ; et mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* LXX : *Et factus est sermo Domini omnipotentis, dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens : Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno, et furore* [b] *maximo zelatus sum eam. Hæc dicit Dominus omnipotens : Revertar ad Sion, et habitabo in medio Jerusalem : et vocabitur Jerusalem civitas vera, et mons Domini omnipotentis, mons sanctus.* Quod Dominus Jerusalem, id est, Israeliticum populum in solitudine instar uxoris acceperit, et jacentem in idololatriæ sanguine, operuerit pallio suo, et amore coluerit maritali, in Ezechiele (*Cap.* XVI) plenius discimus, quæ postea similam comedens, et mel, et oleum, et vestibus ornata pulcherrimis, et habens ex largitate viri omnia ornamenta gemmarum, fornicata est cum Assyriis atque Chaldæis, et audivit a Domino : *Sicut despicit uxor virum suum, sic despexit me domus Israel* (*Jerem.* III). Captivitati autem tradita et illusa ab amatoribus suis, et pristino decore nudata, postquam divaricavit pedes suos omni transeunti, et polluta est usque ad verticem, memor pristinæ felicitatis [c] ingemit : *Revertar ad virum meum priorem : quia melius mihi erat tunc quam nunc* (*Osee* II, 7). Quam ille suscipiens et rursum habens in conjugio, cui prius dixerat : *Non irascar tibi, et zelus meus* **838** *recessit a te* (*Ezech.* XVI), nunc loquitur : *Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam.* Quantum prius indignatus sum, quod a multis amatoribus deturpata est, et maculavit torum meum : unde, et tradidi eam amatoribus suis, nequaquam ut sub marito adulteram, sed ut scortum et vile mancipium, et in lupanaribus prostitutam : tanto nunc amplius ad eam reversus sum; quia egit pœnitentiam, et ædificavit templum meum in quo habitabo in medio illius. Et vocabitur civitas veritatis, quæ antea dicebatur urbs mendacii, de qua et in Isaia scriptum est : *Veritas dormivit* [Al. *dormitavit*] *in ea : nunc autem homicidæ* (*Isai.* II, 21). Vocabitur autem et mons Domini omnipotentis, mons sanctificatus, in quo templo instaurato, immolantur victimæ, cæremoniarum ordo servatur. Hæc juxta historiam. Cæterum nulli dubium est, Sion et Jerusalem, speculam et visionem pacis, posse accipi animas fidelium, quibus cum peccaverint, iratus Dominus tradit eas captivitati, ut quæ Deum per bona prosperaque non senserant, per mala sentiant et adversa. Cumque egerint pœnitentiam, revertetur Dominus ad Sion, et habitabit in medio Jerusalem, quam unam atque eamdem intelligimus civitatem, et in quibus ante regnabant vitiorum peccatorumque mendacia, postea Christus veritas commorabitur. Et mons Domini exercituum vocabitur mons sanctus, de quo dicitur : *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion* (*Ps.* CXLII, 1). Et : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte sancto suo* (*Ps.* XLVII, 1). De quo Isaias Michæasque clamitant : *In novissimo dierum erit mons* [d] *Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum omnes populi, et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus in montem Do-*

[a] Ms. Regin., *verba incantantium.*
[b] Regin. ms. *furore magno*, juxta Græc. μεγάλῳ ; et mox *reversus sum*, pro *revertar.*
[c] Fortasse verius in eodem ms. *ingeminat*, pro *ingemit.*
[d] In aliis libris, *mons domus Domini.*

*mini, et ad domum Dei Jacob* (*Isai.* II, 2, 3; *Mich.* IV, 1, 2). De hoc monte, et de hac civitate, et apostolus Paulus (si tamen in suscipienda Epistola, Græcorum auctoritatem Latina lingua non respuit) sacrata oratione disputans ait : *Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum angelorum millia, et Ecclesiam primitivorum, qui scripti sunt in cœlis* (*Heb.* XII, 22).

(Vers. 4, 5.) *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc* **839** *habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem, et* [a] *viri baculus in manu ejus præ multitudine dierum. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, et puellis, ludentibus in plateis ejus.* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Adhuc sedebunt senes et anus in plateis Jerusalem, unusquisque in manu virgam suam retinens, præ multitudine dierum : et plateæ civitatis replebuntur pueris et puellis, ludentibus in plateis ejus.* Tanta, inquit, erit, reverso me in Sion, et habitante in medio Jerusalem, rerum omnium prosperitas, et bellorum quies atque tranquillitas, ut nullo hoste remanente, usque ad ultimam ætatem in utroque sexu senilis ætas perveniat, et trementes artus baculo regente sustentent. Plateæ quoque civitatis impleantur pueris puellisque ludentibus. Hoc autem fieri solet, quando securitas et profunda pax urbium est, ut gaudium civitatum, lusibus et choreis [*Al.* choris] ætas lasciva concelebret. Quod si referimus ad Ecclesiam, de qua dicitur : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Ps.* LXXXIX, 2) : Et : *Flumnis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum altissimus : Deus in medio ejus non commovebitur* (*Ps.* XLV, 45), quis poterit ambigere plateas Ecclesiæ, esse virtutes, in quibus sapientia agit fiducialiter et in murorum summitatibus prædicatur? Unde et ad Dominum Psalmista conclamat : *Latum mandatum tuum vehementer* (*Ps.* CXVIII, 96). In his plateis Dominum Salvatorem sponsa perquirens, loquitur in Cantico canticorum : *Consurgam et circuibo civitatem in foro, et in plateis ejus, donec inveniam eum quem dilexit anima mea* (*Cant.* III, 2). Habitabunt igitur, vel sedebunt, senes et anus, de quibus scriptum est (si cui tamen placet librum recipere) : *Senectus honorabilis, non multi temporis, nec numero annorum æstimabilis* (*Sap.* IV, 8). Cani autem sunt hominum prudentia, et senectus vita immaculata : de quibus et Dominus loquitur ad Moysen : *Constitue tecum septuaginta senes, quos ipse nosti quoniam senes sunt* (*Num.* XI, 16); quamobrem et ante Abraham nullus appellatus est senex, de quo scriptum legimus : *Deficiens Abraham mortuus est : nutritus in senectute bona, senex et plenus dierum* (*Gen.* XXV, 8. Gloria enim senum cani sunt, de quibus dicitur : *Cani hominis* **840** *sapientia ejus* (*Sap.* IV, A 8). Hi tenebunt præ dierum multitudine virgas et baculos in manibus suis, et dicent ad discipulos : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis et mansuetudinis* (I *Cor.* IV, 21)? Qui enim de labiis suis profert sapientiam, virga percutit virum [b] excordem. Et e contrario : *Qui parcit baculo suo, odit filium suum : qui autem diligenter corripit, diligit* (*Prov.* XIII, 24). Et non solum senes, sed anus quoque sedebunt in plateis Jerusalem : quas Paulus apostolico ore describens : *Honora*, inquit, *viduas quæ vere viduæ sunt.* Et in alio [*Al.* eodem] loco : *Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, quæ fuit unius viri uxor, in bonis operibus habens testimonium : si educavit liberos, si recepit hospitio, si sanctorum pedes lavit, si in tribulationibus positis ministravit, si omne opus bonum persecuta est* (I *Tim.* V, 3, B 9, 10). Istiusmodi senes et anus sedebunt in plateis Jerusalem, et tenebunt baculos in manibus suis, et plateæ civitatis complebuntur pueris et puellis ludentibus. Isti sunt pueri et puellæ, senes, et juvenes, quos Psalmista ad cantandum Domino cohortatur dicens : *Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini* (*Ps.* CXLVII, 12). Et Joannes evangelista atque apostolus : *Scribo*, inquit, *vobis, pueri, quoniam dimittuntur vobis peccata propter nomen Salvatoris : Scribo vobis, patres, quia cognovistis eum qui a principio est* (I *Joan.* II, 12, 13). Et de his Salomon in Proverbiis loquitur : *Et det innocentibus versutiam : puero autem juniori sensum,* C *et intelligentiam.* Et rursum : *Audite, pueri, disciplinam patris, et attendite ut cognoscatis intelligentiam* (*Prov.* I, 4, 8). De his pueris, virgunculis ac puellis, et quadragesimus quartus psalmus, *Adducentur*, inquit, *regi virgines post eam.* Juxta quod scriptum est : *Exsultaverunt et lætatæ sunt filiæ Judæ in omnibus judiciis tuis, Domine* (*Ps.* XCVI, 8). Quæ cum audierint ab Apostolo : *Gaudete, iterum dico gaudete* (*Philip.* IV, 4), mentis lætitiam gestu corporis indicabunt, et tripudiante saltatu, dicent cum David : *Saltabo et ludam in conspectu Domini* (II *Reg.* VI, 22).

(Vers. 6.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Si difficile videbitur in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? dicit Dominus exercituum?* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Si impossibile erit coram reliquiis populi hujus* D **841** *in diebus illis : numquid et coram me impossibile erit? dicit Dominus omnipotens.* Per singula verba atque sententias quibus Israeli prospera et pro rerum magnitudine pene incredibilia promittuntur, propheta proponit : *Hæc dicit Dominus omnipotens*, alio sermone hoc loquens : Ne putetis mea esse quæ spondeo, et quasi homini non credatis : Dei sunt promissa quæ replico. Supra dixerat, anus et senes

[a] Unus ms. S. Albini Andegavensis, quem laudat Martianæus in Notis ad Hieronymianam Latinam interpretationem, in recto *vir* legit, quam ipse ibi lectionem retinuit, probatque ex Hebræo idiomate.

[b] Pro *excordem*, uno verbo, retinuit Martianæus manifesto errore duobus verbis, *ex corde*, cum et Victorius antea Brixianorum codicum ope, *vecordem* restituisset, cui et illud notatum est, hoc testimonium inveniri in Græco apud LXX. Prov. X, Ὃς ἐκ χειλέων προφέρει σοφίαν, ῥάβδῳ τύπτει ἄνδρα ἀκάρδιον, cujus loco nos in Vulgata editione legimus : *In labiis sapientis invenitur sapientia, et virga in dorso ejus, qui indiget corde.*

in plateis esse sessuros, et pro temporis longitudine baculos manibus retenturos, arctandas plateas hominum multitudine, pueros ac puellas quasi in festis diebus choros ducere, et exstruendam Jerusalem, atque in statum felicitatis pristinæ restituendam. Hoc reliquiis populi, quæ de captivitate venerant, videbatur incredibile, cernentibus urbem penitus destitutam, murorum ruinas, combustos parietes, manus Babylonias ostentare ; idcirco consociat : Si vobis qui estis reliquiæ captivi populi, vel difficile vel impossibile videtur esse quod spondeo, ut in diebus illis quibus ædificanda est Jerusalem, tanta felicitas sit : numquid in conspectu Domini aut difficile erit, aut impossibile, qui hæc futura meo ore promittit? *Quæ enim apud homines impossibilia sunt, apud Deum possibilia sunt* (*Matth.* XIX, 26). Hæc persecutionis tempore in Ecclesiis Christi expleta conspeximus, quando in tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent, divinos libros ignibus traderent, omnes insulæ, metalla, carceres, confessorum et martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet rursum Ecclesias construendas ab his ipsis qui ante destruxerant? non quod iidem homines fuerint, sed quod eadem regalis potestas quæ prius sedebat in insidiis cum divitibus (*Psal.* X), et quasi ex senatus-consulto Christi nomen conabatur exstinguere, nunc expensis reipublicæ Ecclesiarum basilicas exstruat, et exaltet summa fastigia, ut non solum laquearia et tecta fulgentia auro decoret ; sed parietes diversi marmoris vestiat crustis, et divinos libros quos prius tradebat incendio, nunc deauratos et purpuratos, et gemmarum varietate distinctos, in custodiam Romani veneretur status.

(Vers. 7, 8.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis,* **842** *et de terra occasus solis. Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem : et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et in justitia.* [a] LXX similiter. Hæc Judæorum alii dicunt, post Zorobabel et Nehemiam, ædificato templo, et muris civitatis exstructis, et statu Judaico restituto, a Machabæis et diversis principibus, qui usque ad Herodem rexere Judæam, esse completa. Alii in consummatione mundi sub Christo, quem frustra præstolantur, explenda commemorant. Nos autem et illo tempore, id est, post Zorobabel et Nehemiam, dicimus ex parte completa, et quasi in typis et imaginibus præcessisse, quando populus reductus est de captivitate, et habitavit in Jerusalem, et Dei populus appellatus est, et rursum Dominus vocatus est Deus eorum : nequaquam in mendacio et iniquitate, sed in veritate et justitia. Et nunc plenissime sub Domino Salvatore in Ecclesia, id est, in vera Jerusalem promissionem rebus expleri, maxime quia dicitur : *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra Occidentis,* de quibus et Dominus in Evangelio loquebatur : *Multi de Oriente et Occidente venient, et accubabunt in regno cœlorum cum Abraham, Isaac, et Jacob* (*Matt.* VIII, 11). Et multo ante Psalmista promiserat, dicens : *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. Ab ortu solis usque ad occasum , de Sion decor pulchritudinis ejus* (*Psal.* XLIX, 1, 2). Veniet enim ex Sion qui eripiat, et avertat iniquitates a Jacob quando ab Oriente , et Occidente incensum offertur nomini Domini in omni loco, et sacrificium mundum, nequaquam in victimis veteris Testamenti, sed in sanctitate evangelicæ puritatis, de quo incenso et alibi legimus : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* (*Ps.* CXL, 2, 3). Et quod sit hoc incensum, sequens sermo demonstrat : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Postquam enim de virga Jesse pullulavit, qui dominaretur gentibus, et in ipso gentes sperarunt (*Rom.* XV), et de Oriente, et de Occidente, tam primus populus quam novissimus in Dominum crediderunt, et factus est grex unus : tunc ad lætitiam omnes provocatæ sunt nationes, et concitatæ ad gaudium, propheta dicente : *Lætamini, gentes, cum populo ejus* (*Ps.* XXI, 28). Juxta **843** illud quod alibi scriptum est : *Recordabuntur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ, et adorabunt coram eo universæ familiæ gentium.* Quodque sequitur : *In veritate et justitia*, hoc significat, quod veteris Legis umbra discedat, et Evangelii veritas veniat, nequaquam in justitia Judæorum, sed in justitia Christiana : ipse enim Dominus veritas est atque justitia, de quo legimus : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Psal.* LXXXIV, 12). Unde et in quarto decimo psalmo, justitia simul et veritas nominantur : *Qui ambulat sine macula et operatur justitiam, et loquitur veritatem in corde suo.*

(Vers. 9.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Confortentur manus vestræ, qui auditis in diebus his sermones illos per os prophetarum in die quo fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur.* Septuaginta pro Domino exercituum, *Dominum omnipotentem*, cætera similiter transtulerunt. Ædificato templo sub Zorobabel et Jesu (in quarto enim anno Darii regis, quarta die mensis noni, qui appellatur CASLEU, hæc universa dicuntur, quando jam templum fuerat exstructum) iidem prophetæ Aggæus et Zacharias, qui ut ædificaretur, et duces et populum fuerant cohortati, nunc cohortantur eos, ut ex priorum veritate his quæ in futurum promittuntur, accommodent fidem, et confortent manus suas, nequaquam Medorum impetum et impedire cupientium per circuitum nationum insidias formidantes : et confortentur per os prophetarum ex die quo templi fundamenta sunt jacta, usque ad diem quo superædificatum est templum, et audiant quæ sequuntur. Breviter explanamus historiam quidquid de Jerusalem, et de templo dicitur, spiritualiter ad

[a] Quæ deerant verba, *LXX similiter*, nostri mss. sufficiunt.

Ecclesiam referentes, in qua confortantur manus per bona opera, et fundantur domus, quando fidei fundamenta jaciuntur, templumque exstruitur, quando multitudo credentium roboratur, et ita vivit, ut templum Dei esse mereatur.

(Vers. 10.) *Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat, neque introeunti et exeunti erat pax præ tribulatione : et dimisi omnes homines unumquemque contra proximum suum.* **844** LXX : *Quia ante dies illos merces hominum non erit in lucrum, et merces jumentorum non subsistet, et egredienti, et ingredienti non erit pax præ tribulatione : et emittam omnes homines unumquemque ad proximum suum.* Septuaginta ad futurum tempus omnia retulerunt, sed melius ad præteritum, ut in Hebraico habetur, et [a] expositionis veritas approbabit. Antequam fundaretur domus Domini, et ædificaretur templum Domini, omnis labor vester irritus fuit. Et tam homines quam jumenta in agricultura, in mercimoniis, operibusque diversis, cassis conatibus frustrabantur : foris adversarii, domi seditio turbabant pacem, et erat ubique [b] justitium ob bellorum frequentiam, et insidias domesticas, dum nec frater fratri exhibet fidem, et omnis est inimica propinquitas. Hunc sensum aliis verbis Aggæus propheta comprehendens ait : *Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra : antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem : et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti. Percussi vos vento urente et aurigine, et grandine omnia opera manuum vestrarum, et non erat in vobis qui revertereturad me, dicit Dominus* (*Agg.* II, 16 *seqq.*) : quod et in Ecclesia et in unoquoque credentium accipere possumus. Siquidem antequam domus Dei in nobis fundamenta jaciantur, et ædificemur templum Deo, et audiamus de Apostolo ; *Vos estis templum Dei : et Spiritus sanctus habitat in vobis* (II *Cor.* VI, 16), quidquid boni operis habere videbamur [*Al.* videamur], sive rationales, qui appellantur homines, sive simplices, qui jumenta dicuntur (*homines enim et jumenta*, inquit, *salvos facies, Domine* (*Ps.* XXXV, 7), mercedem non habet apud Deum, et sunt in nobis bella atque discordiæ, et ubique tribulatio et sine pace Christi, quam ad Patrem vadens, apostolis dereliquit (*Joan.* XIV), impleturque in nobis Domini sententia : *Inimici hominis, domestici ejus* (*Mich.* VII, 6). *Omnis enim frater supplantatione supplantat ; et omnis amicus fraudulenter incedit,* [c] *et vir fratrem suum deridet, et veritatem non loquitur, didicit lingua eorum loqui mendacium* (*Jerem.* IX, 4). Quod si convertamur ad Christum, et templum ejus **845** efficiamur, statim audiemus Apostolum proclamantem : *Unusquisque accipiet propriam mercedem juxta opus suum* (I *Cor.* III, 8).

(Vers. 11, 12.) *Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum ; sed semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum : et terra dabit germen suum : et cœli dabunt rorem suum : et possidere faciam reliquias populi hujus, universa hæc.* LXX : *Et nunc non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus omnipotens ; sed pacem monstrabo. Vinea dabit fructum suum : et terra dabit germina sua : et cœlum dabit rorem suum : et possidere faciam reliquias populi mei hæc omnia.* Priusquam domus Dei fundamenta jacerentur, et ædificaretur templum, merces hominum non erat, nec merces jumentorum, nec præ tribulatione et angustia pax introeuntibus, et exeuntibus, et omnes homines inter se hostili odio dissidebant. Nunc autem quia jam domus Domini fundamenta jacta sunt, et templum ædificatum est, nequaquam faciam ut prius feceram his qui de captivitate Babylonia sunt reversi ; sed erit ubique pax et gaudium, et ariditatem ac famem pristini temporis futura abundantia compensabit. Vinea enim dabit fructum suum, et torcularia omnia complebuntur, terra lætis segetibus vestietur, et irrigantibus pluviis ac rore nocturno, omnia pullulabunt : universa quæ dixi, faciam [d] reliquiis populi mei possidere ; quia fundamenta domus Domini jacta sunt, et templum exstructum est. Hæc eadem et Aggæus propheta eodem tempore loquitur, qui supra dixerat : *Percussi vos vento urente et aurigine et grandine omnia opera manuum vestrarum,* postquam templi fundamenta sunt jacta : *Ponite,* inquit, *in corda vestra ex die ista et in futurum, a die vicesimo quarto noni mensis : a die quo fundamenta jacta sunt templi, ponite super cor vestrum. Numquid jam semen in germine est : et adhuc vinea et ficus et malogranatum et lignum olivæ non floruit ? Ex die ista benedicam, et rursum movebo cœlum pariter et terram* (*Agg.* II, 18 *seqq.*). Dicamus et aliter, cœptam super Ecclesia explanationem sequentes. Priusquam fidem Christi quis recipiat, et in eo Spiritus sancti **846** fundamenta jaciantur, nullus audire poterit, est merces operi tuo. Sive ille Judæus sit, sive hæreticus, sive gentilis : quidquid boni operis fecerit, nisi in nomine Christi fecerit, mercedem sui boni operis non habebit. Videmus hæreticorum virgines, philosophorum rigorem, Judæorum in escarum varietate observantiam : et tamen dicimus [*Al.* dicitur], juxta Aggæum, quod comedant, et non satientur : bibant, et non inebrientur : operiantur, et non calefiant ; et qui mercedes congregat, mittat eas in pertusum sacculum (*Agg.* I). Postquam vero fidem Christi receperint, et illi et hi qui in Ecclesia fuerant peccatores, et pro magnitudine delictorum

[a] Victor., *et in expositionis serie veritas*, etc.

[b] In aliis libris *justitia*, in aliis æque male *jurgium*. Notum quippe, publicum luctum, seu malum, et publici juris cessationem, *justitium* dici.

[c] Verba, *et vir fratrem suum deridet*, ad nostrorum mss. fidem interseruntur.

[d] Antea erat *faciam populi mei reliquias possidere*. Nostri mss. emendant.

captivitati hujus mundi traditi, et Babylonio igne combusti, et audierint Dominum prædicantem : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me : evangelizare pauperibus misit me : prædicare captivis remissionem, et cæcis ut videant : sanare eos qui contrito sunt corde* (*Isai.* LXI, 2), et completum fuerit in eis illud quod per Amos dicitur : *Convertam populi mei Israel captivitatem, et ædificabunt civitates dissipatas, et plantabo eos* (*Amos* IX, 14), tunc in diebus illis orietur justitia et multitudo pacis (*Psal.* LXXI). Vinea dabit fructum suum, quæ dicit in Evangelio : *Ego sum vitis, vos rami. Omnem ramum qui manet in me, mundat Pater, ut majores fructus afferat* (*Joan.* XV, 8). Cumque mundati fuerint rami ejus, id est, flagella et propagines, et gemmantibus oculis spem futurorum cœperint fructuum polliceri, ut impleatur illud quod scriptum est : *Vineæ florentes dederunt odorem* (*Cant.* II, 13) : tunc pendentes botros colorabit sol justitiæ, ut missi in torcularia octavi et octogesimi tertii psalmi, qui pro torcularibus inscribuntur, Domini calcentur pede, qui ascendit de Bosor, [a] ut fundat vinum quod lætificat cor hominis. Terra quoque dabit germen suum, non arida et petrosa et plena sentium ; sed terra bona quæ dat centesimum et sexagesimum et tricesimum fructum (*Matth.* XIII) : ut qui seminaverint in lacrymis, in gaudio metant (*Psal.* CXXV). Sed et cœli dabunt rorem suum, de quibus in decimo octavo Psalmo (*Vers.* 1) scriptum est : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* De his cœlis in Deuteronomii **847** cantico dicitur : *Lætamini, cœli cum eo* (*Deut.* XXXII, 43), id est, cum Domino Salvatore, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII), qui loquitur cum Moyse : *Exspectetur ut pluvia eloquium meum, et descendant ut ros verba mea* (*Deut.* XXXII, 2). Resurgent enim qui erant peccatis mortui, et suscitabuntur qui jacebant in sepulcris dealbatis, quæ plena sunt ossibus mortuorum, et lætabuntur qui morantur in terra. Et quæ sit causa lætitiæ, sequens sermo demonstrat : *Ros enim qui a te est, sanitas eorum est.* Et hæc omnia, pacem videlicet et vinearum fructum, et terrarum abundantiam, quæ cœlorum rore succrevit, possidebunt reliquiæ populi mei, de quibus Isaias loquitur : *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Isai.* I, 9). Reliquiæ enim secundum electionem gratiæ, salvæ factæ sunt : non ex operibus; alioquin non esset gratia.

(Vers. 13 seqq.) *Et erit, sicut eratis maledictio in gentibus, domus Juda, et domus Israel : sic salvabo vos et eritis benedictio : nolite timere, confortentur manus vestræ. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent me patres vestri, dicit Dominus, et non sum misertus : sic conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Jerusalem et domui Juda : nolite timere.* LXX : *Et erit, sicut eratis in maledictione inter gentes, domus Juda et domus Israel : sic salvabo vos, et eritis in benedictione : confidite et confortamini in* [b] *cordibus vestris, quia hæc dicit Dominus omnipotens : Sicut cogitavi ut affligerem vos in eo quod me ad iracundiam provocassent patres vestri, dicit Dominus omnipotens, et non me pœnituit : sic paratus sum et cogitavi in diebus istis, ut benefaciam Jerusalem et domui Juda : confidite.* Hæc post ædificationem templi futura promittit, ut sicut erant in cunctis gentibus in maledictionem et in sibilum, et in exemplum, domus Juda, et domus Israel (duæ videlicet, et decem tribus), sic cum salvatæ fuerint, et reversæ in Judæam, sint omnium benedictio. Nolite, inquit, timere adversarios rebellantes : confidite vera esse quæ per me Dominus pollicetur : **848** confortentur manus vestræ : implete opera quæ cœpistis. Causa confortationis, Domini promissio est : *Hæc enim dicit Dominus omnipotens*, cui nihil impossibile est, qui potest quæ promittit, implere : sicut excogitavi ut affligerem vos, et captivitati traderem, quia me patres vestri ad iracundiam provocarunt, *et non sum misertus :* quod LXX transtulerunt οὐ μετενόησα, hoc est, *non me pœnituit*, quod Hebraice scribitur ULO NAAMATHI (ולא נחמתי) ; non sum autem misertus, ut vos captivitate corrigerem, et per omnia tormenta et flagella erudirem : sic nunc in præsenti tempore cogitavi, ut benefaciam Jerusalem et domui Juda. Et notandum quod quando irascitur, [c] maledictio sit in gentibus domus Juda, et domus Israel, id est, omnes duodecim tribus quæ captivitati traditæ sunt. Postquam autem cogitavit ut benefaciat, non facit Judæ et Israel, id est, duabus et decem tribubus, Jerusalem videlicet et Samariæ, Oollæ et Oolibæ ; sed relicto Israel in captivitate, benefacit Jerusalem et domui Juda : et jungit in fine : *Nolite timere*, sive, *confidite*, eo sensu quem supra exposuimus. Super Ecclesia autem et super unoquoque credentium sic intelligi potest, quod persecutionis tempore cunctis in circuitu gentibus in maledictum, et in exemplum fuerint Christiani, quia offenderint Dominum suum : et postea sint in benedictione, quando pax reddita fuerit, et hoc omne eveniat, quia Dominus qui prius fuerat iratus, postea sit misertus Jerusalem, visioni pacis, et Judæ, quæ fidem Domini confitetur. Singuli quoque credentium, qui propter vitia ejiciuntur de Ecclesia, et traduntur Satanæ in interitum carnis (I *Cor.* V), ut discant non blasphemare (I *Tim.* I), cum egerint pœnitentiam, revertentur in pristinum statum, et

[a] Regin. ms. *ut fundant*, scilicet botri.

[b] Pro *cordibus*, restituit Victorius *manibus*. Non solum enim, ait, Septuaginta, quorum hæc est interpretatio, legunt ἐν ταῖς χερσὶν ὑμῶν : verum Hebraicum quoque, Latina editio, et ipse Hieronymus in Commentario. Confortari autem manibus, opus cœptum explere, significat.

[c] Antea, *maledicti sunt*. Paulo post Victorius, *non bene facit*, pro *non facit*.

videbunt pacem Dei, et confessionis suæ gloriam possidebunt. Hoc quod scriptum est : *Non sum misertus*, vel *non me pœnituit*, calumniantur hæretici, quasi aut crudelis, aut mutabilis sit Deus, si eum aut non pœniteat, aut pœniteat. Si enim pœnituerit, dicunt eum esse mutabilem ; si non pœnituerit, asserunt esse crudelem. Pœnituit autem **849** Deum quod Saul unxit in regem (I *Reg.* xv). Et apud Ninivitas, quibus per prophetam nuntiaverat : *Adhuc triduum, et Ninive subvertetur* (*Jonæ* III, 4 ), qui egerunt pœnitentiam, dicitur et ipse mutasse sententiam suam, non vitio mentis improvidæ, sed ex eorum quæ male aut bene faciunt, varietate. Si enim male fecerint, comminatur : si pristina peccata defleverint, [a] miseretur : non mutatur Deus qui unus atque idem est, et mutari non potest; sed illis ex malis ad bona opera commutatis, mutat et suum ipse decretum. Qui et in Genesi loquitur : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est ; et peccata eorum magna sunt nimis : descendens ergo videbo si juxta clamorem eorum qui venit ad me, compleant : sin autem non, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 20, 21 ). Quod dixit, hoc est : Si permanserint in furore, non deerit pœna peccantibus : si desierint ab insania, mea fient cognitione dignissimi. *Cognoscit autem Dominus eos qui sui sunt* ( II *Tim.* II, 19 ). Et Apostolus scribit ad Galatas : *Sed tunc nescientes Deum* (*Galat.* IV, 8 ). Cumque noverit omnes Deus, et nihil eum nec præteritorum, nec præsentium lateat, nec futurorum, impios in Evangelio nescire se dicit : *Recedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos* (*Luc.* XIII, 27 ). Ergo et notitiam, et pœnitentiam, et iram, et indignationem et omnes affectus Dei, non humani sermonis vitio, sed divinæ majestatis sensu accipiamus.

(Vers. 16, 17.) *Hæc sunt ergo verba quæ facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris, et unusquisque malum contra amicum suum non cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.* LXX : *Isti sermones sunt quos facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem et judicium pacificum, et justum judicate in portis vestris, et unusquisque malum proximo suo non cogitet in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis, quia hæc omnia odi, dicit Dominus omnipotens.* Promisi, me non juxta dies priores facere reliquiis populi captivorum. Et sicut cogitavi ut affligerem eos, cum me ad iracundiam provocassent patres eorum, et non sum misertus : sic nunc [b] cogitavi conversus **850** in diebus istis, ut benefaciam Jerusalem et domui Juda. Ut igitur permaneat sententia mea, et non fiat irrita pollicitatio, hæc facite quæ præcipio : *Loquimini veritatem cum proximis vestris.* Proximum, omne hominum genus accipiamus, quia ex uno sumus parente generati. Alioquin si proximus propinquus accipitur, peregrinis et alienis mentiendum est. Hoc idem Apostolus loquitur : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo* (*Ephes.* IV, 25). Veritatem, inquit, et judicium pacis judicate in portis vestris. In judicio prima sit veritas atque justitia ; deinde sequitur misericordia. Hoc est enim judicium pacis, ut propositum judex habeat pacificare discordes, juxta illud Evangelii : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Quodque sequitur : *In portis vestris*, illi prophetico congruit : *Oderunt in portis corripientem, et verbum sanctum abominati sunt* (*Amos* V, 10). Et in alio loco : *Non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta* (*Ps.* CXXIX, 6). David quoque judicabat in portis, quando Absalon veritatem judicii repromittens, patri tendebat insidias (II *Reg.* XIX). Et quæritur quare apud Judæos in portis locus fuerit judicandi. Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, et aliquod subire dispendium, judices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos in exitu et introitu urbis audirent, et finito negotio, unusquisque confestim ad sedes proprias reverteretur. *Et malum*, inquit, *contra amicos vestros ne cogitetis in cordibus vestris :* RAAH (רעה), quod omnes voce consona κακίαν, id est, *malitiam* interpretati sunt, dupliciter accipere possumus, et pro afflictione, et pro malo. Pro afflictione : *Si est malitia in civitate quam Dominus non fecerit* (*Amos* III, 6). Et : *Sufficit diei malitia sua* (*Mat.* VI, 34). Pro malo in Jona propheta loquitur Deus : *Ascendit clamor malitiæ eorum ad me* (*Jonæ* I, 2). Et in Apostolo legimus : *Repleti omni iniquitate et malitia* (*Rom.* I, 29). Utroque igitur modo nec affligit amicum suum, nec malum adversum eum cogitat in corde, qui sanctus est. *Et juramentum*, ait, *mendax ne diligatis :* præcipiente Domino in Evangelio : *Ego autem dico vobis, ut non juretis penitus, sed sit vester sermo, est est, non non* (*Mat.* V, 34); qui enim non juraverit, numquam poterit pejerare. **851** Qui jurat, audiat illud quod scriptum est : *Non assumes nomen Domini Dei tui super re vana* (*Exod.* XX, 7). Omnia hæc sunt quæ odi, dicit Dominus : juxta Malachiæ verba dicentis : *Et omnia quæ oderam, faciebatis* (*Mala.* II, 13; *sec. LXX*). In præceptis quæ ad vitam pertinent, et sunt perspicua, non debemus quærere allegoriam, ne juxta Comicum, nodum quæramus in scirpo (*Plautus, Men.* II, 1).

(Vers. 18, 19,.) *Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et in lætitiam, et in solemnitates præclaras : veritatem tantum, et pacem diligite.* LXX : *Et factus est sermo Domini omnipotentis ad me, dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens. Jejunium quartum, et jejunium quin-*

[a] Verbum, *miseretur*, sine quo incongruus erat, aut mutilus sensus, suffecimus ex Regin. ms. in quo et *deleverint*, pro *defleverint*, legitur.

[b] In eodem ms., *cogitare conversus sum in rebus istis.*

*tum, et jejunium septimum, et jejunium decimum erunt domui Juda in gaudium et in lætitiam, et in festivitates* [Al. *solemnitates*] *bonas* (hoc enim Hebraice dicitur TOBIM (טבים), id est, ἀγαθὰς), *et* [a] *lætamini, et veritatem et pacem diligite.* Ad id quod supra Sarasar, et Rogommelech per legatos quæsierant, utrum in mense quinto, et in mense septimo, sicut habetur in LXX, jejunare deberent et plangere, an post ædificationem templi finire jejunium, luctumque deponere, multis in medio positis quæ facerent, et quæ sperarent, ex persona Domini propheta respondit : *jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi* (ἀπὸ κοινοῦ enim subauditur *mensis*) *domui Juda et Jerusalem in dies festos vertetur et gaudium.* Veritatem tantum Deus quærit, et pacem. In hoc loco nostrorum multi multa dixerunt, et inter se dissonantia. Quidam obscuritatem silentio professi, quasi profundissimam foveam in commentariis transierunt : rectius arbitrantes, nihil omnino quam parum dicere. Cogimur igitur ad Hebræos recurrere, et scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere : præsertim cum non **852** prophetia aliqua de Christo, ubi tergiversari solent, et veritatem celare mendacio; sed historiæ ex præcedentibus et consequentibus ordo texatur. Jejunium [b] quarti mensis, qui apud Latinos vocatur *Julius*, die septima et decima ejusdem mensis, illud arbitrantur, quando descendens Moyses de monte Sina tabulas Legis abjecerit atque confregerit (*Exod.* XXXII), et juxta Jeremiam muri primum rupti sunt civitatis (*Jer.* LII). In quinto mense, qui apud Latinos appellatur *Augustus*, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt montem non ascendere; sed per quadraginta annos longis ad terram sanctam circuire dispendiis, ut exceptis duobus, Caleb et Josue, omnes in solitudine caderent (*Num.* XIV). In hoc mense, et a Nabuchodonosor (*Jer.* LII), et multa post sæcula a Tito et Vespasiano, templum Jerosolymis incensum est, atque destructum, capta urbs [c] Bether, ad quam multa millia confugerant Judæorum, aratum templum in ignominiam gentis oppressæ, a [d] Turannio Rufo. In septimo vero, qui apud nos appellatur *October*, sicut supra diximus, occisus est Godolias, et Judæ tribus ac Jerusalem reliquiæ dissipatæ (IV *Reg.* 25). Legamus Jeremiam (*Cap.* XXXIX *et* XLI). Mense decimo, qui apud nos *Januarius* dicitur, eo quod janua anni sit atque principium, Ezechiel in captivitate positus audivit, et cunctus populus captivorum quinto mense templum esse subversum, quod plenissime in eodem propheta cognoscimus. Hoc est igitur omne quod dicitur : Dies planctus et jejuniorum quos hactenus habuistis in luctum, sciatis vobis, quia cogitavi ut benefaciam Jerusalem, et domui Juda, in lætitiam et gaudium, et solemnitates, esse vertendos : ita dumtaxat si veritatem diligatis et pacem. Juxta ἀναγωγήν, quia tunc jejunamus, quando sponsus aufertur a nobis (*Luc.* V), et non meremur ejus habere præsentiam, cum reversus fuerit Dominus ad nos, **853** et cogitaverit ut benefaciat nobis, omnis tristitia vertetur in gaudium; et fames pristina sermonis Dei, præsentia doctrinarum ejus, et cœlestis panis saturitate, pensabitur.

(Vers. 21, 22.) *Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi, et habitent in civitatibus multis, et vadant habitatores unus ad alterum, dicentes : Eamus et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum. Vadam etiam ego, et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandum faciem Domini.* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Adhuc venient populi multi, et habitatores urbium multarum; et congregabuntur qui habitant civitates in una civitate, dicentes : Eamus ut deprecemur faciem Domini, et quæramus vultum Domini omnipotentis. Vadam etiam ego, et venient populi multi et gentes plurimæ, ut quærant faciem Domini omnipotentis in Jerusalem, et ut deprecentur faciem Domini.* Jejunium quarti, [e] et quinti, et septimi, et decimi mensis in solemnitates optimas commutabitur, intantum ut civitates Judææ quæ prius desertæ erant, frequenti habitatore celebrentur : et una civitas pergat ad alteram, et se mutuo cohortentur, et dicant : quia per hos septuaginta annos viæ Sion luxerant, eo quod non esset qui iret ad solemnitatem, omnes portæ ejus desertæ, et sacerdotes illius gementes : nunc pace reddita, pergamus Jerusalem, in qua lege præceptum est, ut victimas immolemus, et ter in anno omne masculinum nostrum appareat in conspectu Domini (*Exod.* XXIII), et dicente altera ad alteram : Eamus et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum omnipotentem, respondebit altera civitas : *Vadam etiam ego :* quo tempore venient populi multi et

[a] Regin. ms., *et lætabimini*, juxta Græcum εὐφρανθήσεστε.

[b] Indicitur die 17 Tamuz : et quod infra exponitur jejunium quinti die nona mensis Ab. Huc porro referendus Philastrius cap. 145, et Seldenus de anno civili Judæorum cap. 8.

[c] Hactenus obtinuit in editis æque ac mss. libris *Bethel*, quæ civitas nec a Tito aut Vespasiano capta est, neque in expugnatione Jerosolymorum locum habuit. Repositum est adeo unius mutatione litterulæ *Bether*, quæ urbs expugnata sub Adriano est in rebellione Judaica, quam movit Barchochebas. Nec dubium, si fidem historiæ spectes, quin ita ab Hieronymo scriptum sit, *Bether* : tametsi videatur ipse, duplex bellum, alterum sub Adriano, alterum sub Tito, in unum confundere, cum inter expugnationem Bether, et Jerosolymorum incendium, anni supra sexaginta intercesserint.

[d] Alterum hic nec minus grave obtinebat in hactenus vulgatis libris mendum, in quibus, *Tito Annio Rufo* legebatur, pro *Turannio Rufo*, quod ad historiæ veritatem restituere non dubitavimus. Turannius scilicet, non Titus Annius appellabatur, qui aratrum Jerosolymis impressit, cujus meminere etiam vetustissimi Judæorum, ut Sanhedrin cap. 7 et alibi, טורנוס רופוס חרש ההיכל, *Turannus Rufus aravit templum.*

[e] Voces *et quinti* in nostris mss. et Victorii edit. non sunt.

gentes innumerabiles et robustæ, ut sacrificia in Jerusalem offerant Domino exercituum, et deprecentur faciem ejus. Appropinquat enim Dominus his qui non tentant eum, et ostendit faciem suam his qui non sunt increduli (*Sap.* I). Qui viderit Filium, videt et Patrem (*Joan.* XIV); et imago est Dominus atque Salvator Dei invisibilis : non quod Filius visibilis sit, et invisibilis Pater ; sed quod Filio nominato, sentiatur Pater. Nequaquam enim Pater, si non habet Filium. Unde et ipse loquitur in Evangelio : **854** *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* ( *Joan.* XVII, 6). Quod de Jerusalem et Zorobabel, sive post Zorobabel, diximus, rectius et plenius refertur ad Christum, et Jerusalem, quæ intelligitur Ecclesia : et tunc de terrarum toto orbe, et populos, et gentes ad offerenda in templo Domini sacrificia concursuras. Persecutionis quoque tempore, ut ante perstrinximus, magistri et sacerdotes Ecclesiæ audacter captivis et credentibus repromittant, quod rursum ædificandæ sint παροικίαι et pacis reddenda tranquillitas, et in Ecclesiis facies Domini deprecanda. Manifesta transcurrimus, ut in obscurioribus immoremur.

(Vers. 23. ) *Hæc dicit Dominus exercituum : In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæ, dicentes : Ibimus vobiscum : audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : In diebus illis si apprehenderint decem viri de omnibus linguis gentium, et tenuerint* [Al. *tetigerint*] *fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus tecum, quia audivimus quod Deus vobiscum est.* Quidam ex Judæis hæc sub Zorobabel, et post Zorobabel dicunt esse completa. Alii in futurum tempus, differunt, quando Christum sperant esse venturum. Nos autem in adventu Domini Salvatoris, quando de Maria natus est Virgine, et rectius et verius intelligimus. Denique scriptum est : *Usquequo veniant populi* (*Zach.* VIII, 20)? Quando dicitur, *usquequo*, non de præsenti tempore significat, in quo erant Zorobabel et Jesus ; sed de futuro, quando venient populi multi et gentes robustæ, ut quærant Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecentur faciem Domini. In illo igitur tempore, et in illis diebus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, fimbriam viri Judæi, dicentes : *Ibimus vobiscum : audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Et in Isaia legimus : *Apprehendent septem mulieres virum unum, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantum vocetur* [Al. *invocetur*] *nomen tuum super nos : aufer opprobrium nostrum* (*Isai.* IV, 1). Quæ igitur ibi septem mulieres appellantur, id est, Ecclesiæ, quarum numerus et in Paulo apostolo continetur : ad septem enim scribit Ecclesias, ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, **855** ad Thessalonicenses. Et in Joannis Apocalypsi in medio septem candelabrorum (*Apoc.* I), id est, Ecclesiarum, Ephesiorum, Smyrnensium, Pergamenorum, Thyatirenorum, Sardensium, Philadelphiensium, Laodicenorum varietate (*Al.* veritate], et auro purissimo Dominus accinctus ingreditur : nunc in propheta Zacharia decem nominantur, quas requisivit et Dominus, ut si invenisset in Sodomis et Gomorrhis, Adama et Seboim, eas de interitu liberaret. Iota enim littera, ex qua sumit nomen Salvatoris exordium, non solum apud Græcos, sed et apud Hebræos, denarium numerum significat. Et hoc mystico sermone monstratur, quod omnes qui censentur vocabulo Christiano, quos et Dominus septem millia tempore persecutionis Jezabel et fugæ Eliæ reliquisse se dicit, qui non curvaverunt genua ante Baal ( III *Reg.* XIX), et in mensuram viri perfecti venerint ex omnibus linguis et nationibus, apprehendent fimbriam viri Judæi, id est, Domini Salvatoris, de quo et in Psalmis dicitur : *Juda rex meus* ( *Ps.* LIX, 9). Et : *Judas, te laudabunt fratres tui.* Et rursum ; *Non deficiet princeps ex Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 8, 10) : *Erit enim radix Jesse : et qui exsurrexerit ut dominetur gentibus, in ipso gentes sperabunt* (*Isai.* XI, 10). Cumque apprehenderint eum, cupient ejus hærere vestigiis ; quoniam Deus cum eo sit. Vel certe ex omnibus linguis et nationibus quicumque crediderint, apprehendent virum Judæum, apostolos qui ex Judæis sunt et dicent : *Eamus vobiscum :* audivimus enim per prophetas, et omnium Scripturarum voce cognovimus, quod Dei Filius Christus Deus et Dominus sit vobiscum. Ubi manifestissima prophetia est, et de Christi atque apostolorum ejus prædicatur adventu, et fide universarum gentium, nihil amplius requiramus. Quod autem numerum septem millium ad Christianorum nomen diximus pertinere, supputa Græce **856** [a] ἑπτάκεις χιλίους et χριστειανοὺς, et eumdem

[a] Hic locus multum torsit Marianum Victorium, ut ipse fatetur in suis annotationibus ; cumque Erasmus legisset ἑπτάκις χιλίους χριστιανοὺς, ille restituit ἑπτάκις χειλίους *et* χριστιανοὺς. Ego vero non multum sudavi in hoc restitutionis opere, quia veram et germanam lectionem reperi in nostris codicibus mss. ad hunc modum positam, ΕΠΤΑΚΕΙC ΧΕΙΛΙΟΥC ΕΤ ΧΡΙCΤΕΙΑΝΟΥC, quæ ipsissima est Mariani restitutio, præter pauca elementa quæ desunt in prima voce et ultima apud eumdem Marianum. Porro voces Ἑπτάκεις χειλίους efficiunt apud Græcos numerum 1946, quem etiam conficit vox χριστειανοὺς, quæ sic legitur in manuscripto monasterii S. Cygiranni, in quo omnes voces Græcæ perfectæ sunt cum numero elementorum. In aliis χρειστιανοὺς scriptum reperi, quod idem est ad summam numeri 1946. Male itaque restitutus est locus a Mariano, qui pro 1946, tantum 1941 voluit computare. MART.— Notatum probe Victorio et Martianæo, eumdem debere numerum Græce reddere duas ex una parte voces, ἑπτάκεις χιλίους, quem ex alia reddit vox χριστιανοὺς : hocque uno dissentiunt, quod iste ut summam utrinque conficiat 1946, ἑπτακεῖς legit et χριστειανοὺς : ille 1941 duntaxat supputans, ἑπτάκις et χριστιανοὺς scribit. Re autem ipsa non hic aut ille de industria numerus captatur ab Hieronymo ; sed Græcarum dictionum in supputationis summa conformitas. Præferenda fuit adeo Victorii lectio, quam et mss. nostri afferunt : imo nec erat necesse χειλίους Æolice, ut aiunt, pro χιλίους, scribere, quod-

numerum summamque reperies, id est, mille nongentos quadraginta et unum. Sed et parabolam decem virginum in Evangelio (*Matt.* xxv), quas in sensibus carnis et spiritus interpretamur, si oleum bonorum operum suis lampadibus præpararint, et quinarium numerum duplicaverint, ut sint sanctæ (juxta Apostolum) corpore et spiritu, ad hujus numeri referunt sacramentum. Decem quoque civitates, quas qui corporis sensus optime gubernarit, numero duplicato, accipiet in futurum (*Luc.* xvi).

(Cap. IX. — Vers. 1.) *Onus verbi Domini in terra Adrach, et Damasci requiei ejus : quia Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel.* LXX : *Assumptio verbi Domini in terra Adrach* [Al. *Sedrach*] *et Damasci sacrificii ejus, quia Dominus respicit homines, et omnes tribus Israel.* Omnis hæc Visio sive *pondus* et *onus* verbi Domini, ut interpretatus est Aquila, ad vocationem gentium, et exstructionem Ecclesiæ pertinet. Et est ordo verborum : Assumptio verbi Domini, acuti in peccatores, mollis in justos : ADRACH (חדרך) quippe hoc resonat ex duobus integris nomen compositum : AD, *acutum*, RACH, *molle*, *tenerumque* significans ; et non ut male a quibusdam legitur, *Sedrach*. Quidam Adrach referunt ad populum Judæorum, Damascum ad vocationem gentium. Unde populus, sive assumptio verbi Domini fit in terra *Adrach* super quam et austeritatem suam Dominus exercuit et clementiam (*Isai.* xi, 10, *sec. LXX*). Austeritatem in eos, qui credere noluerunt : clementiam in illos, qui cum Apostolis sunt reversi. Damascus autem propter requies Domini est, juxta illud quod scriptum est in Isaia : *Et erit requies ejus honor. Siquidem antequam sciret puer eligere bonum aut malum, et vocare patrem et matrem, accepit virtutem Damasci et spolia Samariæ* (*Isai.* viii, 4). Unde et *Damascus* in linguam nostram vertitur, *sanguinem bibens* aut *sanguis cilicii*, ut prior interpretatio cruentum populum significet ; secunda, crudelitati ejus **857** pœnitentiam copulatam. Quodque sequitur : *Quia Domini est oculus hominis et omnium tribuum Israel*, sic edisserunt : Idcirco templum Dei de utroque populo construendum est, id est, et de terra Adrach, et de Damasco requie ejus : quia Domin est, quicumque et de gentibus respicit Deum, et sperat in eum, et de cunctis tribubus Israel : sive, juxta LXX, quia Dominus æqualiter cunctos homines respicit, et universas tribus Israel. Dicamus et aliter : in terra Adrach onus verbi Domini est, et pondus gravissimum. In Damasco autem victimæ ejus et sacrificium, quia Dominus et gentium fidem et Circumcisionis perfidiam absque acceptione ulla respicit personarum, et est æqualiter omnium Deus : aliis sententiæ suæ grave pondus imponens, et in aliorum sede requiescens. Judæi hæc omnia in adventu Christi, quem sibi ultimo tempore repromittunt, dicunt esse complenda, et terra Adrach, et Damascus, et Emath, et Tyrus, et Sidon, et Ascalon, et Gaza, Accaron quoque et Azotus et Philisthiim, potentissimo regi colla submittant, et ei serviant habitanti in Jerusalem : nullusque audeat elevare contra Israel manum, pacatis omnibus per circuitum. Quæ nos universa spiritualiter in adventu Domini et in Ecclesia ejus transacta convincimus.

(Vers. 2 seqq.) *Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus et Sidon : assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. Ecce Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igne devorabitur.* LXX : *Emath in finibus ejus Tyrus et Sidon : quoniam sapientes fuerunt nimis, et ædificavit Tyrus munitionem suam, et congregavit argentum ut humum, et aurum ut lutum viarum. Propterea Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et ipsa in igne concremabitur.* [a] Emath, quæ interpretatur χόλος, id est, *indignatio*, ipsa est quæ ab Antiocho Ἐπιφανεῖ, Epiphaniæ nomen accepit, et nunc Syriæ Cœles est civitas. Et hæc igitur, et Tyrus et Sidon erunt in terminis **858** Damasci, sive in terminis terræ Adrach, ut credant in Dominum Salvatorem, cui a Patre dictum est : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* ii, 8). Hujus Tyri filiæ, id est, animæ Christo credentium, deferent regi munera, ut impleatur quod scriptum est : *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus* (*Ps.* xliv, 13). Cumque urbs Dei Ecclesia fuerit exstructa, de qua Psalmista decantat : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Ps.* lxxxvi, 2), statim sequentur et cætera : *Ecce alienigenæ et Tyrus et populus Æthiopum, isti nati sunt ibi* (*Ibid.*, lvi, 4). De alienigenis in duobus psalmis dicitur : *Mihi alienigenæ serviunt*, sive *subjecti sunt*. De Æthiopibus in propheta legimus Sophonia : *Trans flumina Æthiopiæ inde ferent dona mihi* (*Soph.* iii, 10). Et in Psalmo : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Ps.* lxvii, 32). De Tyro autem Evangelium loquitur : *Væ tibi, Chorozaim ; væ tibi, Bethsaida ; quoniam si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ fuerunt in vobis, olim forsitan in sacco et cinere pœnitentiam egissent* (*Mat.* xi, 21). De Tyri et Sidonis finibus illa mulier Chananæa Syrophœnissa, cujus filia male se habebat a dæmonio, occurrit Domino Salvatori (*Marc.* vii) ; et Tyriorum ac Sidoniorum fidei primitias dedicavit, ut quæ tempore Christi non

[a] Nomen *Emath*, quod deerat, utpote contextui necessarium, ex Reginæ ms. suffecimus.

que magis displicet, χριστιανοὺς, pro χριστιανούς. Si enim ς juxta orthographiæ leges ab utroque verbo eximas, par ipse numerus prodibit, 1941, quem et in Latino duo nostri præferunt mss., idque unum est, quod S. Pater argute prætendit ex numeri conformitate, ut septem hominum millia, qui non curvaverunt genua ante Baal, Christianos significare, demonstret. Cæterum non ignoramus in hisce gemantiæ lusibus, et plus aliquid dicere : ut est illud quod Menasse Ben Israel docet, *Sæpe ad numerum, quem verbi alicujus litteræ faciunt, unitatem adjici, quam vocent* כולל (id est, universum) *quia pro tota voce ponatur.*

crediderant, quia necdum viderant signa atque virtutes, postea viderent per apostolos et crederent, essentque beatitudinis illius compotes, quam Dominus repromittit, dicens : *Beatiores qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx, 29). Tyrus autem et Sidon (quarum altera συνοχή, id est, *angustia* : altera θήρευμα, id est, *venatio*, interpretatur) intantum sibi sumpsere sapientiam, ut sophismatibus suis et [a] dialecticorum retibus et sophistarum texturis, quas munitiones, Scriptura commemorat, proponeret [b] Tyrus ænigmata Salomoni, id est, regi pacifico, et argentum suum, nitorem videlicet eloquentiæ, et aurum, sensuum calliditatem, instar pulveris et luti quod in plateis ac viis est, congregaret, ut regnum idololatriæ quod munierat, possideret. Sed adversus has munitiones Apostolus loquitur : *Nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum :* **859** *cogitationes destruentia, et omnem altitudinem extollentem se adversum scientiam Dei* (II *Cor.* x, 4, 5). Et sub persona Ninive quæ interpretatur *ornata*, vel *pulchra* (nihil enim mundo ornatius est), Dei per prophetam contra mundi homines sermo dirigitur : *Et tu inebriaris, erisque despecta, et quæres auxilium ab inimico : omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis : si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Et Tyrum igitur et Sidonem Dominus possidebit, cum ante percusserit fortitudinem earum in salsissimo et amarissimo mari hujus sæculi, et ne quid in eis pristinæ remaneat sapientiæ, id est, tumentis stultitiæ, per quam sibi imbecillas munitiones, et argentum et aurum luto similia compararunt, igne eas excoquet et mundabit ad purum, de quo Salvator loquitur in Evangelio : *Ignem veni mittere super terram, et quam volo, ut ardeat* (*Luc.* xii, 49), juxta illud quod in Marco scriptum est : *Omnis igne salietur* (*Marc.* ix, 48).

¶ (Vers. 5 seqq.) *Videbit Ascalon, et timebit, et Gaza, et dolebit nimis : et Accaron, quoniam confusa est spes ejus, et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. Et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philistinorum. Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus, et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda, et Accaron quasi Jebusæus. Et circumdabo domum meam ex his qui mihi militant, euntes, et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor : quia nunc vidi in oculis meis.* LXX : *Videbit Ascalon, et timebit : et Gaza, et dolebit nimis : et Accaron, quoniam confusa est de spe sua, et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. Et habitabunt alienigenæ in Azoto : et destruam injuriam alienigenarum, et auferam sanguinem eorum de ore illorum, et abominationes eorum de medio dentium illorum, et remanebunt et isti Deo nostro, et erunt ut* χιλίαρχος, id est, *tribunus in Juda : et Accaron sicut Jebusæus, et ponam in domo mea elevationem, ut nemo pertranseat, sive revertatur, et nequaquam superveniat eis ultra abactor et eminans : quia nunc vidi in oculis meis.* Ascalon interpretatur *ignis ignobilis*, sive *ponderata* [Al. *pondera*] : Gaza, *fortis*, aut *imperium* : Accaron, *sterilis*, sive *eradicata* : Azotus, quæ Hebraice dicitur ESDOD (אשדוד), *ignis* [c] *generans*, aut *ignis patrui*, vel *ignis mamillæ* ; Jebusæus, *conculcatam* **860** sonat. Nominum expressimus etymologias, ut sensum breviter percurramus. Videns Ascalon et Gaza et Accaron, quod Emath esset in finibus Damasci, et Tyrum et Sidonem, postquam percussæ sunt in circuitu, et omne earum fenum, ligna, et stipula incendio conflagravit, possessas esse a Domino, et ipsæ timore ac dolore et confusione perterritæ, cœperunt sperare meliora. Denique Ascalon, in qua erat prius diabolus, *ignis ignobilis*, et usque ad mensuram ac pondus venerat peccatorum, pavore contremuit, eo quod habitatores habere desiverit. Et Gaza doluit nimis, agens pœnitudinem scelerum pristinorum, quæ quondam fortis ac dura fuerat indomabilis, et sibi regnum omnium promittebat, eo quod rex ejus et princeps, sermo contrarius et potestas inimici, suum perdidisset imperium. Accaron quoque sterilis, quia absque Lege et notitia Dei filios non habebat, eradicata est, ut audiret illud propheticum : *Lætare, sterilis; quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis : quoniam plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1). Cumque Ascalon et Gaza et Accaron fuerint perterritæ, et doluerint, eo quod vel habitatores non habuerint, vel regem perdiderint, vel spes eas [*Al.* earum] frustrata sit pristina, alienigenæ sedebunt in Azoto, ubi ignis generat, quem Dominus misit super terram, et ardere desiderat (*Luc.* xii). Ipse enim baptizat in Spiritu sancto et igne (*Matth.* iii), ubi fratruelis et patruus est ἀδελφιδοῦς [Al. ἀδελφίδος] καὶ πατράδελφος, quem in Cantico canticorum sponsa desiderat : ubi ignis mamillæ est et largissimi uberis, de quo in eodem Cantico legimus : *In medio uberum meorum commorabitur* (*Cant.* i, 12). Et in Apostolo : *Lac vobis potum dedi non escam* (I *Cor.* iii, 3). Pro eo quod juxta LXX diximus : *et habitabunt alienigenæ in Azoto*, in Hebræo legitur, *habitabit*, vel *sedebit* MAMZER (ממזר) *in Azoto*, pro quo nos posuimus, *et sedebit separator in Azoto*. Separatorem Dominum intellige, qui frumentum a paleis separet (*Matth.* iii *et* xiii), et pisces bonos a piscibus malis, et argentum et aurum a sordibus scoriaque discernat. Cumque hoc fecerit, promittit et cætera : *Disperdam injuriam*, vel *superbiam Philisthinorum*. Pro quibus LXX *alienigenas* transtulerunt. *Philisthiim* interpretantur in lingua nostra, *cadentes poculo :* **861** quod de calice biberint Babylonis, et inebriati corruerint. Illi itaque tempore vocationis gentium et adventus Christi non

[a] Victor., *et dialecticæ retibus et* σειρειτῶν (sic) *texturis.*

[b] Non repetit hic Regin. ms. nec Vict. nomen *Tyrus.*

[c] Confer quæ superius observamus ad Sophon. cap. ii, col. 699, not.

habebunt superbiam, sed humilem et mansuetum sequentur Jesum. Et auferet de ore eorum sanguinem, verba blasphemiæ et abominationes, idolorum cultum, et esum eorum quæ immolata sunt idolis, de medio dentium eorum ; ut postquam hæc ablata fuerint, ipsi Philistiim, hoc est, alienigenæ relinquantur Domino, et sit dux in Juda, id est, in populo Dominum confitente, ut prior populus qui erat in capite, vertatur in caudam, et novissimus qui erat in cauda, in caput transeat ; et Accaron sterilis quondam, et idcirco, eradicata, sit quasi Jebus, id est, quasi Jerusalem. Hæc enim civitas tribus nominibus appellatur, *Jebus*, *Salem* et *Jerusalem*. Et circumdabo, inquit, domum meam, hoc est, Ecclesiam, ex his qui militant mihi, id est, ex his qui mihi serviunt in variis ministeriis, et ad meum imperium huc illucque discurrunt, euntes et revertentes. Sive : Circumdabo domum meam angelorum præsidio, de quibus et in alio loco scriptum est : *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Ps.* xxxiii, 8) ; ut non sit qui vadat et revertatur, hoc est, qui insidias meo populo moliatur. Nec transibit super eum ultra exactor, de quo dicit Isaias : *Cessavit exactor* (*Is.* xiv, 5) ; vel certe, ἐξελαύνων, id est, foras educens, et vinctos in captivitatem trahens ; quia oculis suis, quos prophetas et omnes sanctos intelligere possumus, vidit Dominus vocationem gentium et Ecclesiæ securitatem.

*Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem : Ecce rex tuus veniet tibi, justus et salvator : ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.* LXX : *Gaude vehementer, filia Sion; prædica, filia Jerusalem : Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvans, ipse mansuetus et ascendens super subjugalem et pullum novum, et disperdet quadrigas ex Ephraim, et equum* 862 *de Jerusalem, et disperdet arcus pugnantium et multitudinem, et pacem ex gentibus, et dominabitur* [a] *ab aquis usque ad mare, et a fluminibus usque ad exitus terræ.* Hanc prophetiam Evangelistæ scribunt esse completam, quando Dominus ingressus est Jerusalem, sedens super asinam et pullum asinæ, et puerorum cum palmarum ramis occurrit turba, clamantium : *Benedictus qui venit in nomine Domini : hosanna in excelsis* (*Mat.* xxi) ; et increpantibus Pharisæis, cur non corriperet clamantes pueros, respondit : *Non legistis : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ps.* viii, 3)? Exsultat ergo Sion et jubilat Jerusalem, una atque eadem civitas (Sion enim arx est Jerusalem) quia venit ei rex suus, qui omnium prophetarum vaticiniis repromissus est : Justus et ipse, *Salvator*, id est, *Jesus*, sicut angelus interpretatus est, loquens ad Virginem : *Et vocabitur Jesus, quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis suis* [Al. *eorum*] (*Mat.* i, 21). *Pauper* quoque, sive, ut LXX transtulerunt, *mansuetus*, qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est, et dicit in Evangelio : *Discite a me, quoniam mansuetus sum, et humilis corde* (*Mat.* xi, 29). Et, ascendens super asinam subjugalem, sive super pullum novum, utrumque videlicet populum, Circumcisionis et Præputii, quorum prior gravissimum Legis portaverat jugum, sicut in Actis apostolorum scriptum est : Nec nos, nec patres nostri potuerunt portare grave Legis jugum (*Act.* xv). Unde et Paulus scribit ad Galatas qui circumcidi volebant : *State, et nolite iterum jugo servitutis contineri* (*Galat.* v, 1). Pullus autem novus, gentilium multitudo, frena non habens Legis, nec rectus ab aliquo, sed semper in præcipitiis et in voraginibus idololatriæ elisus atque confractus, Domini sessione didicit ambulare et rectam viam ingredi. *Et disperdam*, inquit, *quadrigam ex Ephraim*. Adhuc ex Dei Patris persona dicitur, quod quadriga, sive currus, ex Ephraim pereat, et equus de Jerusalem. Et interim secundum litteram hæc loquitur : Non erunt prælia, omnibus Christi adventu et nativitate pacatis. Porro secundum altiorem intelligentiam, Ephraim refertur ad hæresum multitudinem, quæ interpretatur χαρποφορία, 863 id est, *ubertas* et frugum *abundantia*, de quibus scriptum est in septuagesimo septimo psalmo : *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* De his quadrigis et curribus [Al. aurigis] legimus : *Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus : ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos autem surreximus et erecti sumus* (*Ps.* xix, 8, 9). Equus qui disperditur de Jerusalem, ille est de quo legimus : *Fallax equus in salutem* (*Ps.* xxxii, 17). Et in Jeremia, qui luxuriæ vacabant et libidini, audiunt : *Equi insanientes in feminas facti sunt mihi : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* (*Jer.* v, 8). Unde revocantur ad pœnitudinem, dicente Psalmographo : *Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus* (*Ps.* xxxi, 9). Cumque disperdiderit Deus currus Ephraim et equum de Jerusalem, qui de istiusmodi equis et curribus fuerint liberati ; transferentur in Domini servitutem, et efficientur Cherubim, et de ipsis dicetur : *Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium* (*Ps.* lxvii, 18). Et : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, proxima mea* (*Cant.* i, 8). Et : [b] *Ascende equos, et equitatio tua salus* (*Abac.* iii, 8). Dissipabitur arcus belli, ut non mittantur ignita jacula, quæ voluptuosorum possint corda percutere. Et loquetur pacem gentibus, de quibus scriptum est : *Ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* xlix, 10). Et rursum : *Super ipsum gentes sperabunt* (*Isai.* xi). Et : *Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ* (*Ps.* lxxi, 8). Hoc non est extenuandum per allegoriam ; sed credendum vere esse completum, secun-

[a] Regin. ms., *dominabitur aquis usque ad mare, et flumina exitus terræ*, juxta Græcum in plerisque exemplaribus, καὶ κατάρξει ὑδάτων ἕως θαλάσσης, καὶ ποταμῶν διεκβολὰς γῆς.

[b] Refigit Victor. ad Græc. textum, et Latinam editionem, *Ascendes super equos tuos*, etc.

dum illud quod legimus : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 8). In septuagesimo quoque primo psalmo sub persona Salomonis et veri pacifici dicitur : *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terræ terminos* (*Vers.* 8).

(Vers. 11, 12.) *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua : convertimini ad munitionem, vincti spei : hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* LXX : *Et tu in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu qui non habet aquam : sedebitis in munitione vincti congregationis, et pro una die peregrinationis* **864** *tuæ duplicia reddam tibi.* Postquam sermo prophetæ, immo ipse Deus Pater omnipotens, nuntiavit Sion et Jerusalem quod veniret ad eas rex suus, mitis, et ascendens super asinam subjugalem, et pullum asinæ, et potestas ejus esset futura a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos terræ, facit apostropham ad ipsum Christum, de quo vaticinium est, et loquitur : *Tu quoque in sanguine testamenti*, sive *pacti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quod ita intelligitur : In sanguine passionis tuæ eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti. Denique postquam Dominus resurrexit, hi qui peccatis Adam, sive, ut quidam volunt, erroris inoliti, ac mortis vinculis tenebantur, resurrexerunt cum eo, et apparuerunt in sancta civitate. De hoc sanguine testamenti, et ipse futuram indicans passionem, ad discipulos loquebatur : *Accipite, et bibite ex hoc omnes : hic est enim calix novi testamenti in sanguine meo* (*Matth.* XXVI, 27, 28). In hujus præfigurationem lacus qui non habet aquas, et Joseph a fratribus missus est in [a] lacum (*Gen.* XXXVII) : et Daniel (*Dan.* VI) et Jeremias a Chaldæis et populo Judæorum : Banaias quoque tempore nivis et frigoris descendit in lacum, ut ibi leonem interficeret (II *Reg.* XXIII, 20). Jeremias autem non in aquam laci ; sed in lutum cœnumque laci demergitur, quod posset suffocare magis quam refrigerare sitientem (*Jerem.* XXXVII et XXXVIII). Unde in psalmo scribitur : *Infixus sum in limum profundi, et non est substantia* (*Ps.* LXVIII). In hoc lacu inferni morabatur dives ille quondam purpuratus, cujus lingua magniloqua pœnarum exurebatur incendiis, et intantum non habebat ulla aquarum refrigeria, ut extremi digiti pauperis tincti in aqua refrigerium postularet (*Luc.* XVI). Rursumque ad ipsos qui vincti erant, et Christi misericordia liberandi sermo dirigitur : *Convertimini ad munitionem, vincti spei.* Et est sensus : Qui nunc vincti estis et immiti atque terribili inferno tenemini, qui solutionem vinculorum in Christi speratis adventu, convertimini ad munitionem, sive sedebitis in munitione, de qua scriptum est : *Munimentum sancti timor Domini ;* **865** ut possitis discere : *Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias* (*Ps.* LXX, 5), et de vobis quoque propheta commemoret : *Ecce civitas firma, salutare nostrum ponet murum et antemurale* (*Isai.* XXVI, 1). Hanc autem munitionem ad quam Deus cohortatur vinctos spei, sive vinctos sperantes Ecclesiæ, non aliam debemus accipere nisi habitationem paradisi, in quam primus cum Domino latro ingressus est (*Luc.* XXIII) : et ideirco per Zachariam provocantur ad munitionem ; quia jam tunc et ex illo tempore Dominus promittebat, ut pro brevi tribulatione, æterna reciperent præmia. Sive, ut in LXX legitur : *pro una die peregrinationis tuæ, duplicia reddam tibi.* Ad comparationem enim æternitatis, omne quod patimur in mundo una dies appellanda est, non habitationis, sed peregrinationis : quia advenæ sumus et peregrini sicut omnes patres nostri. Nam in præsenti momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur (II *Cor.* 4). Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna.

(Vers. 13.) *Quoniam extendi mihi Judam, quasi arcum implevi Ephraim, et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia, et ponam te quasi gladium fortium.* LXX : *Quoniam tetendi te, Juda, mihi quasi arcum : implevi Ephraim, et suscitabo filios tuos, Sion, super filios Græcorum, et attrectabo te quasi gladium pugnatoris.* Hoc Judæi ad Machabæorum tempora referunt, qui vicere Macedonas, et sordidatum templum idololatria post trium et semis annorum spatium mundaverunt. Quodque sequitur : *Quasi arcum implevi Ephraim*, eos significari æstimant, qui de decem tribubus quæ appellantur Israel, venerant sub Ezechia, quibus etiam Josias regnasse memoratur : ita dumtaxat ut prius testimonium aliter quam nos explanavimus, interpretentur, et dicant : O Christe, quem speramus [Al. sperabamus] esse venturum, et qui regnaturus es in universis terminis terræ : in sanguine testamenti tui quo conspersam Jerusalem, juxta Ezechielem (*Cap.* XVI), in suo sanguine reperisti, et inisti pactum cum Abraham in divisionibus vituli et arietis et hirci ; dimisisti populum tuum Israel de captivitate et camino Chaldæorum, in quibus **866** nulla erat misericordia (*Gen.* XV). Propterea et vos, o Israelitæ, qui vincti eratis, et sperabatis in Domino, revertimini ad munitissimam Jerusalem : quoniam hodie vobis habetis Dominum pollicentem, quod pro brevi captivitatis injuria, duplicata omnia recipiatis, sicut recepisse legimus et Job (*Cap.* XLII). Juxta tropologiam hic locus explanari sic potest : Extenditur Judas in arcu, cum Dominus atque Salvator a Patre in hunc mundum mittitur, qui ipse est et arcus, et sagittarius et sagitta. Arcus, ut in præsenti loco. Sagittarius, ut in quadragesimo quarto psalmo : *Sagittæ tuæ acutæ potentissimæ* (*Psal.* XLIV, 6), quibus [*Al.* qui] cum fuerit vulneratus, dicit : *Vulneratus charitate ego sum* (*Cant.* II, 5). Sagitta vero, ipse est qui loquitur per Isaiam : *Posuit me sicut sagittam electam, et in pharetra sua abscondit me* (*Isai.* XLIX, 2). Sagitta electa, verbum Dei est ; pharetra in qua sagitta absconditur, dispen-

[a] Voces, *in lacum*, non habet Regin. ms. qui et *Eleanan* pro *Banaias*, paulo post præfert.

satio carnis assumptæ. Hac impletur Ephraim, ut cum armatus fuerit et paratus ad bellum, et ipse cum gentibus sagittis Domini vulneretur, ex cujus tribu primus populum scidit Jeroboam (III *Reg.* 12), quem in hæreticorum persona accipi, Osee propheta plenius demonstrat (*Ose.* v et vi), et quod supra diximus: *Filii Ephraim, intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli* (*Ps.* LXXVII, 9). Suscitante enim Domino filios Sion, hoc est, filios Ecclesiæ, et contrariorum dogmatum magistri, et philosophorum omnis assertio, atque argumenta gentilium destruentur, quia ipse Dominus gladius fortium est, de quo dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna; propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua* (*Ibid.* XLIV, 4 *et seqq.*). Hoc gladio Æthiopes vulnerantur, de quibus scriptum est: *Et vos, Æthiopes, vulnerati meo gladio eritis* (*Soph.* II, 12), qui postquam Christi gladio fuerint vulnerati, deponent tetrum colorem, et exsultantes loquentur: *Erit splendor Domini Dei nostri super nos* (*Ps.* LXXXIX, 17): quod et David sibi post pœnitentiam repromittit: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Ibid.*, L, 9). Iste est gladius de quo scribit Apostolus: *Vivens sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus.*

(Vers. 14.) *Et Dominus Deus super eos videbitur,* **867** *et exibit ut fulgur jaculum ejus, et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri. Dominus exercituum proteget eos.* LXX: *Et Dominus Deus super ipsos apparebit; et egredietur sicut fulgur sagitta ejus: et Dominus Deus* [a] *omnipotens sonabit in tuba, et ibit in commotione terroris sui. Dominus omnipotens proteget eos.* Et hunc locum ad Machabæorum referunt tempora quod illis contra Antiochum dimicantibus atque vincentibus, Domini fuerit pugna atque victoria, qui egressus sit fortis ad prælium, et instar fulguris illius potentia apparuerit victisque adversariis, et turbinis morte dispersis, protexerit populum Judæorum. Nos autem referemus cuncta ad intelligentiam Salvatoris, de quo supra dictum est: *Extendi mihi Judam quasi arcum.* Quo extenso, et hæreticis atque gentilibus a Sion filiis interfectis, apparebit gloria Domini, et egredietur ut fulgur jaculum ejus, de quo fulgure et in Abacuc legimus: *In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ* (*Abac.* III, 11). Quod fulgur et splendor alio vocabulo tuba appellatur et clangor, ut cum sanctus clamor [*Al.* clangor] insonuerit, dicat qui prius surdis auribus fuerat: *Disciplina Domini aperuit mihi aures, et dedit mihi aurem ad audiendum.* Quodque sequitur: *Et vadet in turbine Austri*, sive *vadet in motu comminationis suæ.* Ideo comminatur, et dicit, se illaturum esse supplicia, ut pœnitentium misereatur. Denique jungit et dicit: *Dominus omnipotens proteget eos*, quos prius sua comminatione terruerat. Legamus historiam Ninivitarum.

(Vers. 15, 16.) *Et devorabunt et subjicient lapidibus fundæ: et bibentes inebriabuntur quasi vino* [Vulg. *a vino*], *et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris, et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* LXX: *Et consument eos, et obruent in lapidibus fundæ, et bibent sanguinem eorum sicut vinum, et implebunt sicut phialas altare, et salvabit eos Dominus in die illa sicut oves populum suum, quia lapides sancti volventur super terram ejus.* Pro eo quod nos diximus, *elevabuntur*, et in Hebraico scriptum est METHNOSASOTH (מתנוססות), potest interpretari **868** *vagantes*, sive *fugientes.* Protectis filiis Sion, et Domino canente, et vadente in turbine contra adversarios eorum, tanta erit ruina Græcorum, ut non dicam gladiis, sed jactu lapidum et fundarum rotatibus opprimantur, ita ut prædæ sint et devorationi inimicis suis. Tunc bibentes inebriabuntur quasi vino. Non hi qui cæsi sunt, ebrii erunt sanguine suo; sed hi qui vicerint quasi ebrii cum desperatione pugnabunt, et placebunt Domino quasi altaris cornua, ejusque libatio. Hoc enim intelligitur in phialis, quibus super altare liba funduntur. Salvabit quoque Dominus eos sicut oves et gregem populi sui: non enim ut armatus exercitus et instructus arte bellandi adversum Macedones dimicabit; sed veniet quasi grex paratus ad mortem, et Domino auxiliante, superabit. Et lapides sancti qui oppressi fuerint (lapides autem vocat, propter duritiam tribulationum et animi fortitudinem) elevabuntur de humilitate sua, et erunt in terra illius gloriosi. Aliter: Lapides sancti ejus de genere sacerdotali per diversa fugientes, illo tribuente victoriam consequentur, dicamus et juxta anagogen, immo explanemus prophetiam multis obscuritatibus involutam. Filii Sion protecti a Domino suo, devorabunt adversarios suos, quos intelligimus filios Græciæ. Et subjicient lapidibus fundæ, comminationibus Scripturarum, de adversariis suis subjectos humilesque facientes: nihil enim ita percutit, ut exemplum de Scripturis sanctis, et testimonium rotatu oris emissum. Quod autem in LXX dicitur: *Et bibent sanguinem eorum quasi vinum*, in Hebræo non ita legimus; sed *bibentes inebriabuntur quasi vino*, ut audiant illud de Cantico canticorum: *Bibite, amici, et inebriamini* (*Cant.* v, 1). Et ita placebit eorum ebrietas, quasi altaris sacrificium; et quasi cornua, sive anguli altaris. Salvabit quoque eos Dominus, quasi gregem populi sui, quia lapides sancti volventur super terram ejus, qui tantum erunt leves et in sublime nitentes, ut non præstolentur ædificantium manus, sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi, et contineri angulari lapide, de quibus et Petrus apostolus **869** loquitur: *Sicut lapides vivi superædificamini in domum spiritualem, et sacerdotium sanctum, offerentes spirituales victimas, placentes Deo* (1 *Petr.* I, 5). Isti sunt lapides qui clamabunt, si tacuerit populus Judæorum (*Luc.* XIX), et volventur quamdiu in corpore fuerint super terram, quia aggravat terrena habitatio

[a] In Græco *Deus*, in Regin. ms. *omnipotens* desideratur.

sensum multa curantem (*Sapien.* IX), et in carne positus Sanctus loquitur : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ* (*Ps.* LIV,7)? qui quantum in se est, conatur et volvitur; et erigitur ad summa, sed carnis fragilitate retinetur. Terra autem illa est super quam volvuntur lapides, de qua legimus : *Cantate Domino, omnis terra* (*Ps.* XCV, 1). Et : *Omnis terra adoret te, et psallat tibi* (*Ps.* LXV, 4).

(Vers. 17.) *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* LXX: *Quia si quid optimum illius, et si quid bonum ab eo, frumentum juvenibus et vinum boni odoris ad virgines.* Ideo, inquiunt, Machabæi huc illucque fugientes, Domino auxiliante, superabunt, ut, ejectis Macedonibus de terra Israel, mundetur templum, Legis præcepta serventur, et eruditio Scripturarum rursum germinet virgines, id est, populos credentium in unum Deum, qui prius idololatriæ fuerant cultibus constuprati. In frumento electorum, id est, BAURIM (בחורים), non *juvenes*, ut Septuaginta transtulerunt; sed *electos* et eruditos viros intelligi volunt, qui frumentum, id est, Legem Dei comedere mereantur. Pro vino, quod Hebraice dicitur THIROS (תירוש), Aquila οἰνίαν interpretatus est: quod et ipsum ad ubertatem vindemiæ referri potest. Hæc Judæi æstimant. Cæterum nos frumentum electorum, sive juvenum, et vinum germinans virgines, sive vinum boni odoris ad virgines, intelligimus Dominum Salvatorem, qui loquitur in Evangelio : *Nisi granum tritici cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum permanet: sin autem moriatur, majores fructus affert* (*Joan.* XII, 24). De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cœlo descendit, et qui confirmat cor hominis (*Ps.* CIII). Hunc panem comedunt, qui in Christo robusti sunt, et ad quos Joannes Evangelista loquitur : *Scribo vobis, juvenes, quia sermo Dei in vobis* [Al. *nobis*] *manet, et fortes estis, et vicistis malignum* (I *Joan.* II, 14). Qui frumentum est electorum, sive juvenum, ipse est et vinum quod lætificat **870** cor hominis, et bibitur ab his virginibus, quæ sunt sanctæ et corpore et spiritu, ut inebriatæ atque gaudentes, sequantur Ecclesiam, et dicatur de eis : *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi : afferentur in lætitia et exsultatione* (*Ps.* XLIV, 15, 16). Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriatæ poculo Salvatoris generantur in virgines, et audent dicere : *Introducite me in cellulam vini, confortate me in unguentis* (*Cant.* II, 4)? Vinum hoc boni odoris est, unde in eodem carmine dicitur ; *Potabis me de vino unguentarii, de rivis malogranatorum* [Al. *gnatorum*] *tuorum* (*Ibidem*). Hoc vino inebriati sunt qui sequuntur Agnum Dei quocumque vadit, vestiti candidis vestibus; quia se cum mulieribus non coinquinaverunt : virgines enim permanserunt (*Apoc.* XIV).

(Cap. X. — Vers. 1 seqq.) *Petite a Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. Quia simulacra locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniatores locuti sunt frustra, vane consolabuntur : idcirco abducti sunt* [Al. *adducti*] *quasi grex : affligentur, quia non est eis pastor.* LXX : *Petite pluviam a Domino opportunam, temporaneam et serotinam : Dominus fecit phantasias, et pluviam hiemalem dabit eis, unicuique herbam in agro : quoniam hi qui loquebantur, locuti sunt labores : et divini visiones falsas, et somnia falsa locuti sunt, vane consolabantur : ideo arefacti sunt sicut oves, et afflicti sunt, quia non erat qui sanaret.* Ita felicitas quæ in Machabæorum tempore promissa est, quando sancti lapides elevati sunt super terram, et res Israelitica crevit in majus, intantum ut rursum frumento Legis populi vescerentur, et vino sancti Spiritus inebriarentur virgines vestræ, ex parte promittitur. Cæterum quia jam extremum tempus est prophetarum, et mundus declinat ad finem, et omnia quæ prædicta sunt, sui terminum præstolantur : Petite a Domino ut det vobis pluviam serotinam : ut Christus qui promissus est, veniat et tribuat vobis rores et nives, pro quibus scriptum est in Hebræo AZIZIM (חזזים). Et nescio quid volentes LXX *phantasias* interpretati sunt, nisi forte magnitudinem gratiæ admirationemque donorum, nomine phantasiæ voluere describere. Dominus ergo qui facturus **871** est nives et siccitatem omnis terræ, evangelicæ prædicationis irrigaturus est pluviis : ipse dabit imbres credentibus, et ubertate omnia complebuntur, ut postquam in Christo crediderint nationes, intelligant vana esse quæ ante coluerunt. Sive ipse Israel intelligat, qui quondam deceptus idololatriæ erroribus tenebatur, frustra se coluisse simulacra, et divinorum audisse mendacia, et acquievisse somniis, quibus Scriptura præcipit non credendum (*Deut.* XIII). Et ob hanc causam ducti sunt quasi grex in captivitatem, et afflicti absque pastore Deo, quia Legis notitiam non habebant. Omnis hic locus obscurus et dubius est, et debet nobis lector ignoscere, si in his quæ ambigua sunt, et nos pendulo incedimus gradu. Possumus autem juxta spiritualem intelligentiam dicere, quod credentes in Christo Dominus adhortetur ut petant serotinam pluviam in consummatione mundi, quando plenitudo donanda est gratiæ, et singulis in agro suo herba succrescet, ita ut possint dicere : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquas refectionis educavit me* (*Ps.* XXII, 1, 2). Omnia enim simulacra, et divini et somniatores frustra locuti sunt, et vane consolabantur. Quæ de hæreticis loquitur, qui sub nomine Christiano non intelligunt, nec de quibus dicant, nec de quibus affirment, et attendunt spiritibus erroneis, et magistris dæmoniorum in hypocrisi mendacia loquentium, et cauteriatam habentes conscientiam (I *Tim.* IV): ut nequaquam credentes eorum consolationibus abducantur qui vana promittunt, et propterea traditi sunt Satanæ in interitum carnis (I *Cor.* V), et abducti in captivitatem regis Babylonii, et affligentur, quia Christum pastorem non habent, quem sibi falso nomine repromittunt.

(Vers. 3 seqq.) *Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo, quia visitavit Dominus exercituum gregem suum domum Juda : et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul, et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt, quia Dominus cum eis.* LXX : *Super pastores concitatus est furor meus,* **872** *et super agnos visitabo : et visitabit Dominus Deus omnipotens gregem suum domum Juda, et ponet eos sicut equum decorem suum in prælio, et ex ipso respexit, et ex ipso posuit, et ex ipso arcus in furore,* [a] *egredietur omnis qui educit simul, et erunt quasi bellatores conculcantes lutum viarum in prælio, et præparabuntur, quia Dominus cum eis est.* Et in hoc loco duplex Judæorum expositio est. Alii enim arbitrantur in adventu Christi universa complenda : alii sub Machabæis jam esse completa. Est autem eorum quæ Dominus pollicetur, ista explanatio : Super pastores et principes ac sacerdotes iratus est Dominus, et super hircos, et populum visitavit, juxta illud quod scriptum est : *Grex perditus factus est populus meus, pastores ejecerunt eos* (*Jer.* L, 6), ut vitio magistrorum discipuli punirentur : non injustitia judicis, qui peccata patrum reddit in filios ; sed quia, illis peccantibus, populus applausit simul : et tunc quidem visitavit Dominus hircos suos, vel agnos pinguissimos, et fecit, juxta Septuaginta, utilitate sicuti. Postea vero visitavit Dominus omnipotens gregem suum domum Juda : suscitavit enim Judam Machabæum, et cæteros ex eo, contra duces Antiochi, et posuit illos quasi equum gloriæ suæ in prælio, hoc est, qui de illius stirpe generati sunt : multo enim tempore Macedonas oppresserunt. Quodque sequitur : *Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul,* sic ἀναφορικῶς intelliguntur, ut angulum interpretentur regiam potestatem, quod parietes ipsa contineat [*Al.* continebat]. Et ex ipso, inquit, paxillus, id est, sacerdotium. Lege Isaiam, in quo Eliachim in templo Dei quasi paxillus figitur (*Isai.* XXII). Ex ipso arcus prælii, fortes ad bellandum : ex ipso etiam omnis *exactor* simul, quod in Hebraico scriptum est, NOGES (נוגס), et Aquila interpretatus est ἐπιτάσσων : ut non solum fortes et boni, sed alii ex eis fuerint indigni genere suo. Judas enim Machabæus et omnes qui de genere ipsius principes fuere in populo, et angulus erant ; quia regia potestate populum continebant, et paxillus, ipsi enim erant sacerdotes, et arcus prælii, quia viri exstitere fortissimi, ut non solum **873** exercitum aciemque disponerent, sed primi ad prælium prosilirent. Possumus de hoc quod sequitur : *Ex ipso egredietur omnis exactor simul*, pro quo LXX transtulerunt : *Ex ipso egreditur omnis qui educit simul*, et hoc dicere : Nulla erit dignitas in exercitu, quæ non illius arbitrio disponatur. Et erunt viri fortissimi, conculcantes Macedonas quasi lutum viarum in prælio : erunt autem fortissimi, atque bellabunt, quia Dominus cum eis est. Nostri hæc ad persecutionis tempora referunt, quod pro vitio sacerdotum frequenter etiam populus tradatur adversariis : et tamen Dominus omnipotens visitet postea gregem suum domum Juda, qui Deum et sermone et animo confitetur : et ponat eos quasi equum gloriæ suæ in bello, de quo sancti dicunt : *Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus* (*Abac.* III, 8). Ipse erit et arcus furoris Domini, de quo ait : *Inebriabo sagittas meas sanguine* (*Deut.* XXXII, 42). Et rursum : *Sagittæ meæ consument eos.* De hoc arcu, et de his sagittis in septimo Psalmo (*Vers.* 13, 14) legimus : *Arcum suum tetendit, et paravit illam ; et in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Et conculcabunt, ait, adversarios suos in martyrio coronati, et dicent : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropinquarent super me nocentes, ut ederent carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* (*Psal.* XXVI, 1 *seqq.*) Quando implebitur illud eloquium : *Unus ex vobis persequetur mille, et duo convertent in fugam* [b] *multa millia* (*Deut.* XXXII).

(Vers. 6, 7.) *Et confundentur ascensores equorum, et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo : et convertam eos, quia miserebor eorum : et erunt sicut fuerant, quando non projeceram eos : ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos. Et erunt quasi fortes Ephraim : et lætabitur cor eorum quasi a vino, et filii eorum videbunt, et lætabuntur : et exsultabit cor eorum in Domino.* LXX : *Et confundentur ascensores equorum : et confortabo domum Juda et domum Joseph salvabo, et habitare eos faciam, quia dilexi eos. Et erunt sicut* **874** *quando non eos abjeceram, quia ego Dominus Deus eorum, et exaudiam eos : et erunt quasi bellatores Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi in vino, et filii eorum videbunt et lætabuntur, et gaudebit* [c] *cor eorum in Domino.* Et hæc juxta superiorem sensum dupliciter edisserunt, ut aut sub Machabæis transacta jam dicant, aut sub Christo in ultimo sæculo transigenda commemorent : Et est sensus : Cum positus fuerit Judas quasi equus decorus in prælio, et conculcaverit quasi lutum adversarios, et Domino secum bellante, superarit : tunc omnis equitatus Græciæ corruet, et domus Juda et domus Israel (eam enim vocat domum Joseph, id est, decem tribuum) pariter salvabuntur, et convertam eos de captivitate in qua fuerant, et erunt sicut eo tempore, quando non projeceram eos : ego enim sum Dominus Deus eorum, qui illos exaudiam deprecantes. Et Ephraim qui nunc captivi detinebatur, postea laxabuntur, et in tantum venient gaudii, ut eos vino madidos arbitreris. Filii

[a] In Regin. ms. *qui egreditur* : in Græco est ἐξελαύνων, aut ἐλαύνων, et ἐξερευνῶν.

[b] Idem ms., *decem millia.*

[c] Addit Regin. ms., *et exsultabit.*

quoque eorum cernent patrum triumphos, et in Domino lætabuntur, quo præbente, victoriam consecuti sunt. Quæramus historiam quando Judas et Israel adversum Græcos pariter dimicarint, vel quo tempore Ephraim de captivitate Assyria sit reversus, quando, juxta Ezechielem (*Cap.* xxxvii) duæ virgæ, id est, Judas et Ephraim, sibi junctæ sint, et in unum baculum copulatæ. Quod juxta tropologiam sic explanari potest. Quando visitaverit Dominus omnipotens gregem suum domum Juda, tunc confundentur ascensores equorum, de quibus scriptum est : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* xv, 1). De quibus etiam Psalmistæ voce cantatur: *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos* (*Ps.* lxxv, 7). Et sanctorum congeminat chorus : *Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine* [Al. *nomen*] *Dei nostri invocabimus; ipsi obligati sunt, et ceciderunt : nos vero surreximus, et erecti sumus* (*Ps.* xix, 8, 9). In hoc equitatu confidebat rex Ægyptius; et præcipitatus in mare, quasi plumbum submersus est in profundum (*Exod.* xv), et sui exemplo didicit verum esse, quod scriptum est : *Fallax* **875** *equus ad salutem* (*Ps.* xxxii, 17). Hos currus et quadrigas, supra in quatuor perturbationibus interpretati sumus, qui nisi frenis boni regantur aurigæ, ad præcipitia deferuntur. Alius est autem auriga, de quo loquitur Elisæus : *Pater, pater, currus Israel, et auriga ejus* (IV *Reg.* ii, 12). Tunc Deus domum Juda et domum Joseph confortare se dicit (III *Reg.* xii, 16), ut qui, Jeroboam regnante, divisi sunt, Christo imperante, socientur, et sit unus pastor et unus grex. Et Judas enim et Joseph diversis nominibus, ad unam Salvatoris conferuntur intelligentiam, quia et Joseph esurientibus in Ægypto populis frumenta largitus est (*Genes.* xlii *seqq.*) : et Dominus famem mundi sua saturavit præsentia. Et convertet eos, et miserebitur eorum : et sic erunt unum sicut fuerunt antequam projiceret eos. Hæc universa in persecutionibus accipe, quando, desperatis omnibus, exaudivit servos suos Dominus. Et erunt quasi fortes Ephraim, qui primum debiles et infirmi, postea fortes erant, et suo nomine digni : *Ephraim* enim interpretatur *ubertas*. Et lætabitur cor eorum, cum biberint vinum, quod expressum est de vinea Sorec. Filii quoque eorum quibus Paulus apostolus loquitur : *Filioli mei, quos rursum parturio donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* iv, 19). Et Petrus princeps apostolorum : *Sicut filii*, ait, *obedientiæ, non conformati juxta priorem conversationem* (I *Pet.* i, 14). Et in Psalmo legimus : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Ps.* xxxiii, 12). Isti igitur filii exsultabunt et lætabuntur, et cor eorum gaudebit in Domino.

(Vers. 8 seqq.) *Sibilabo eis, et congregabo illos quia redemi eos, et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati. Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei, et vivent cum filiis suis, et revertentur. Et reducam eos de terra Ægypti, de Assyriis congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus.* LXX : *Significabo eis, et suscipiam illos, quia redimam eos, et multiplicabuntur sicut erant plurimi, et seminabo eos in populis, et qui erant de longe, recordabuntur mei. Nutrient filios suos et convertentur, et convertam eos de terra Ægypti, et de Assyriis suscipiam illos, et in Galaaditin et in Libanum introducam* **876** *eos, et nullus ex eis deerit.* Signum congregationis suæ, vel sub Macedonibus, vel in consummatione mundi, ut prius diximus, meum, inquit, habebunt sibilum, ut ex sibilo meo illos congregem, et me doceam esse pastorem. Ego enim redemi eos, et liberavi eos de captivitate, extenso brachio : et ego eos multiplicabo, qui ante multiplicaveram, ut dispersio in populis non videatur esse divisio, sed sementis operatio, et liberorum ac nepotum segete multiplicata, vivant cum filiis suis : et revertantur non solum de terra Ægypti, sed et de Assyriis, et ex utraque orbis parte redeant ad Judæam, et ad terram Galaad et Libani, quam prius decem possidebant tribus, quæ appellantur domus Joseph et Ephraim : et tantus erit numerus reductorum, ut multitudinem terra non capiat. Secundum ἀναγωγήν significat Dominus et sibilat his qui peccatis fuerant ante captivi, et loquitur ad eos : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis,* [a] *et invenietis requiem animabus vestris. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mansuetus sum et humilis corde : Jugum enim meum suave, et onus meum leve est* (*Matth.* xi, 29, 30). Quid hac significatione sibiloque clementius, quo dispersus populus congregatur? Congregantur autem, quia Dominus redemit eos : non corruptibilibus argento et auro, ex vana sua conversatione; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Domini Jesu (I *Pet.* i). Unde loquitur in Psalmo : *Exsultatio mea, erue me a circumdantibus me* (*Psal.* xxxi, 7). Et iterum : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis* (*Psal.* xxx, 6). Et multiplicabit [*Al.* multiplicabo] eos sicut fuerant antea multiplicati, ut impleretur illud quod promissum est Abrahæ : *Multiplicabo eum, et benedicam illi, et benedictus erit, ut fiat pater multarum gentium* (*Gen.* xvii, 9). Filios autem Abraham non eos debemus accipere, quibus Dominus loquitur : *Si filii essetis Abraham, opera patris vestri faceretis* (*Joan.* viii, 39), sed illos de quibus Apostolus ait : *Quotquot ex fide sunt, filii sunt Abraham* (*Rom.* viii). De hac multiplicatione Isaias mystico sermone testatur, dicens : *Qui modicus est, erit in millibus ; et qui parvus, erit in gentem magnam* (*Isai.* lx, 22). Multiplicationem autem et benedictionem liberorum non accipiamus **877** carnaliter : alioquin Elias et Elisæus et Jeremias et Baptista Joannes (quo major inter natos mulierum non fuit) (*Matth.* xi) hac benedictione ca-

[a] Rescribit Victorius ex ipso Matthæi textu, *et ego reficiam vos*, pro, *et invenietis requiem animabus vestris*, quæ verba subjungit illis, *et humilis corde*, etc.

ruerunt, sed illam qua vocantur ad fidem multitudines nationum. Denique sequitur : *Seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei.* Seminati sunt in populis, qui Domini audiere sermonem : *Euntes, docete omnes gentes* (*Matt.* XXVIII, 19). Et in alio loco : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat in æternum* (*Joan.* XV, 16). Cumque apostoli fuerint in populis seminati, gentes et populi longe positi recordabuntur mei, illo prophetico huic sententiæ congruente : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Ps.* XXI, 28, 29). Quodque dicitur : *De longe recordabuntur mei*, illi simile est : *Qui longe estis, recordamini Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum* (*Jer.* XXXI). Longe fuit omnis gentium multitudo; sed recordata est Dei, quia ex uno omnes parente generamur. Cumque apostolis in cunctis gentibus seminatis, gentes longe positæ Dei fuerint recordatæ, vivent cum filiis suis, ut qui prius infidelitate mortui erant, fide vivere incipiant. Isti sunt filii, quos Paulus nutrivit in Evangelio, scribens ad Corinthios : *Lac vobis potum dedi* (I *Cor.* III, 2). Et Petrus in dispersione scribit fidelibus, qui renati erant : Non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem viventis Dei, et permanentis, sicut modo generati parvuli, ut rationabile lac concupiscerent et in ipso crescerent in salutem (I *Pet.* I). Ad hos filios scribebat et evangelista Joannes : *Filioli, custodite vos ab idolis* (I *Joan.* V, 21). Et reducam, inquit, eos de terra Ægypti, et de Assyriis congregabo eos. De terra Ægypti, in qua imperabat rex Pharao, qui quondam gloriabundus aiebat : *Mea sunt flumina, et ego feci ea* (*Ezech.* XXIX, 3). Et de terra Assur, quam tenebat rex Assyrius, sensus magnus, qui et ipse dicebat : *Super sidera cœli ponam thronum meum, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). Cum autem de tenebris Ægypti et de tribulatione mundi, et de potestate Assyrii, qui interpretatur *arguens* atque *convincens* (ipse est enim inimicus et ultor), **878** nationes Dominus congregarit, inducet eos in terram Galaad, et Libani. *Galaad* in linguam nostram vertitur, *testimonium transmigrationis*, quando de carnalibus transimus ad spiritualia, de parte venimus ad totum : terrena relinquimus, et ad cœlestia transmigramus : *Libanus* autem interpretatur λευκασμὸς, id est, *dealbatio*. Adducimur itaque de tenebris Ægypti, ut postquam transierimus et migraverimus a mundo, dealbemur in Domino, et dicatur de nobis : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 6) ? Alii juxta Græci sermonis ambiguitatem, qua et mons Phœnicis et thus Libanus dicitur, nunc Libanum *thus* interpretantur, et ex thure significari putant Deum, ut postquam de terra transierimus ad cœlum, impleatur in nobis oratio Salvatoris : *Pater, da eis ut sint in nobis unum, sicut ego et tu unum sumus* (*Joan.* XVII, 22). Unde et sponsa in Cantico dicit ad sponsum : *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor Libani* (*Cant.* IV, 11). Cumque induxerit nos in terram Galaad et Libani, non invenietur nobis locus, ut nequaquam terræ stringamur angustiis; sed cœlorum latitudine [*Al.* altitudine] perfruamur.

(Vers. 11, 12.) *Et transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus : et confundentur omnia profunda fluminis : et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. Confortabo eos in Domino : Et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.* LXX : *Et pertransibunt in mari angusto : et percutient in mari fluctus, et siccabuntur omnia profunda fluviorum : et auferetur universa injuria Assyriorum, et sceptrum Ægypti tolletur. Et confortabo eos in Domino Deo suo, et in nomine ejus gloriabuntur, dicit Dominus.* Narrant Hebræi captivum populum Judæorum, non solum in Medos et Persas, sed in Bosphorum quoque et septentrionalem plagam ab Assyriis atque Chaldæis esse translatum, et postea eos ex parte revocatos, Dei [a] eos ad se convertente clementia; et hoc esse quod nunc dicitur : *Transibunt in mari angusto.* Propontidis angustias, quæ Chalcedonem, et quondam Bizantium brevi freto dividunt. Et percutiet, inquit, Dominus (vadens ante populum suum) maris fluctus, et confundentur omnia profunda fluviorum, ut olim factum est, Jordane siccato (*Josue* III), et mare Rubrum transgressus est populus in deserto (*Exod.* XXIV). Cumque fuerit de captivitatis profundo et **879** malorum amaritudine liberatus, humiliabitur Assur, et Ægypti imperium recedet ab eis. Et confortabuntur in Domino, et in nomine illius ambulabunt in terra Israel, dicit Dominus. Hæc ut ab Hebræis nobis tradita sunt, nostræ linguæ hominibus expressimus, fidem dictorum ad eos a quibus sunt dicta referentes. Cæterum nos qui Christi censemur nomine, occidentem relinquimus litteram, et sequimur spiritum vivificantem, immo spiritualia spiritualibus comparantes, non Bosphorum et siccitatem rursum maris et arentia fluenta Jordanis, quæ fabularum similia sunt, sed dignam in servos suos Dei clementiam quærimus, quo præeunte, et nobis aperiente viam, transimus maris fretum, sive angustum mare, quod peccatoribus latissimum est : *Lata enim et spatiosa via quæ ducit ad mortem : arcta et angusta quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 13). De hoc mari et in Psalmis legimus : *Qui descendunt in mare navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo* (*Ps.* CVI, 22). In hoc mare sæculi, in quo sanctorum numerus coarctatur, et in tribulatione positus est, descenderunt apostoli, et primus Dominus, ut nos de amaris fluctibus liberaret (*Marc.* IV). In hoc mare sagena Evangelii mittitur (*Matth.* XIII), quæ testimoniis texta est Scripturarum, ut pisces multos

[a] Regin. ms., *Dei ad eos se convertente clementia.*

et obrutos mundi hujus gurgitibus, in auram extrahat liberam, ut possint laudes Deo canere. Hi sunt qui descenderunt in mare, et in Ecclesiarum navibus faciunt opera multa, et Dei cernunt mirabilia in profundo divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus (I Cor. II); et in Spiritu sancto qui scrutatur etiam alta Dei, quibus Dominus loquitur : *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). De his piscatoribus qui descendunt in mare, et sunt in navibus, Isaias quoque vaticinatur : *Volabunt in navibus alienigenarum, et mare pariter deprædabuntur* (*Isai.* XI, 14). In Ecclesiis enim de numero gentium congregatis, toto apostoli orbe volitarunt, ut deprædarentur mare, et draconis **880** spolia tollerent, qui regnabat in mari, et de quo scriptum est : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia, quorum non est numerus : animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt : Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 25, 26). Latum et spatiosum mare est parvis et magnis animantibus, quæ cum dracone versantur, et quorum non est numerus. Qui autem super mare sunt, et in ipso mari volitant in navibus, audient cum Salvatore : *Tu dominaris potestati maris : motum fluctuum ejus tu mitigas* (*Ps.* LXXXVIII, 10). Cumque transierint in maris freto, et fluctus ejus suo conculcaverint pede, confundentur omnia profunda fluminis, de quo scriptum est : *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede* (*Psal.* LXV, 6), ut humilietur injuria, sive superbia Assur, et Ægypti a sanctis atque credentibus recedat imperium, et qui liberati sunt, confortentur in Domino, et dicant : *Fortitudo mea, et laudatio mea, Dominus* (*Ps.* CXVII, 14). Et iterum : *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII, 1). Et cum Jeremia : *Fortitudo mea, et auxilium meum, et refugium meum, Domine Deus meus* (*Jerem.* XVI, 19). Unde et Apostolus, in quo Christus loquebatur, aiebat : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Phil.* IV, 13). Et non solum confortabuntur in Domino, sed et gloriabuntur in eo et dicent : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Et : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). Et in alio loco : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur : intelligere et scire Dominum, et facere misericordiam et judicium in medio terræ* (*Jerem.* IX, 23, 24). Verum quia in Hebraico scriptum est : *Et in nomine ejus ambulabunt*, sic intelligendum est : quod in nomine Christi ambulent Christiani, et scribatur in calculis eorum nomen novum, et sub tanti nominis dignitate ambulent cum Domino, sicut ambulavit Enoch, et placuit Deo, et translatus est (*Genes.* V).

# LIBER TERTIUS.

(**881—882**.) Urget me frater Sisinius incompta et impolita transmittere ut non dicam emendandi, sed ne relegendi quidem habeam facultatem. Ille festinat in opus suum, nos in nostro opere minus facimus, dum eruditio incassum vertitur; et quidquid sensu concipimus, composito non licet ornare sermone. Rudes igitur, non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros : dum ipse tua festinat sanctis æra dividere, et nos non patitur nostra tibi æra numerare. Quamvis enim elegans sit exercitatumque ingenium, et longo usu trita currat oratio : tamen nisi Auctoris manu curata fuerit et polita, redolet sordes negligentiæ, et vel nimio verborum flore luxuriat, vel hiulca vocalibus fit, vel aspera consonantibus. Unde et de Virgilio traditum est, quod libros suos quasi ursorum fetus lingua composuerit, et lambendo fecerit esse meliores, qui durarent in memoriam sempiternam, et necessitatem metri libera oratione complerent. Transimus ad Libanum, et ad duas virgas, tresque pastores, qui in uno mense succisi sunt, et ad triginta argenteos, de quibus emptus est ager figuli in sepulturam peregrinorum (*Matth.* XXVII), et ad stulti vasa pastoris, et cætera usque ad finem voluminis : quæ tantis sunt contexta mysteriis, ut misericordia Dei et tuis indigeamus orationibus, ne cursus noster aliquo præpediatur errore, et malevolis justa sit occasio detrahendi, qui ad hoc solum linguas habere se putant, ut proximos lacerent, et duritiam frontis attritæ verborum rabie consolentur.

(Cap. XI.-Vers. 1.) *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat* [Al. *comedet*] *ignis cedros tuas. Ulula, abies, quia cecidit cedrus : quoniam magnifici vastati sunt. Ululate, quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* LXX : *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. Ululet pinus, quia cecidit cedrus, quia optimates contriti sunt. Ululate, quercus Basanitidis, quoniam depositus est saltus nemorosus.* Perspicue Libanus, ad quem prophetalis sermo convertitur, dicens : *Aperi, Libane, portas tuas*, templum intelligitur Judæorum, quod instauratum, immo ædificatum a Zorobabel, rursum a Vespasiano, et Tito canitur subvertendum. Et quia Libanum, templum appellaverat μεταφορικῶς, et in reliquis servat translationem, ut per cedros et abietes et quercus Basan saltumque nemorosum, principes ac sacerdotes et populum significet Judæorum. Aperit autem Libanus portas suas, ut Romanus intret exercitus, et comedat ignis cedros ejus, ut vel incendio cuncta vastentur, vel hostili impetu duces ac principes consumantur. Ululant abietes, quia cecidit cedrus, mutuo sacerdotes et principes sua populatione lugentes. Quodque prius dixit obscure, nunc ponit mani-

festius, *quoniam magnifici vastati sunt*. Cupio scire quæ sint cedri Libani, quæ combustæ sunt : quæ abietes, quibus ululatus indicitur : quæ pinus, quæ corruit : *magnifici*, inquit, *vastati sunt*. Ululate, quercus Bazan, id est, confusionis et ignominiæ, quia saltus *munitissimus*, [a] qui Hebraice dicitur BESOR, **883** et a LXX translatus est, *nemorosus*, excisus est; quia templum, quod inexpugnabili creverat firmitate, et a diversis regibus et principibus, ac postea ab Herode constructum est, Romano oppugnante, deletum est. Hunc locum quidam non intelligentes, Libanum et abietes et pinos et quercus Basan, et saltum nemorosum sive munitum, ad contrarias referunt fortitudines, de quibus et in Ezechiele sub nomine Assur, et Pharaonis dictum sit : *Ecce Assur cypressus in Libano, et bonus ramis, et condensus umbraculo, et excelsus magnitudine, et in medio nubium factum est culmen ejus : aqua nutrivit eum : abyssus exaltavit illum* (*Ezech.* XXXI, 3, 4), et cætera, quæ tam de Assur, quam de Pharaone dicuntur, vel ad contrarias fortitudines, vel ad superbos quosque et principes dici arbitrantur, de quibus et in Psalmo legimus : *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani* (*Psal.* XXVIII, 5). Et in alio loco : *Dies, Domini sabaoth super omnem contumeliosum et superbum, et super omnem excelsum atque sublimem* (*Isai.* XXII, 12, 13). Et post paululum : *Et super omnem cedrum Libani excelsam* (Al. *excelsorum*], *et super omnem arborem quercus Basan.* Et de hoc Libano asserunt prophetæ : Libanus cum excelsis cadet. Nos autem priorem interpretationem sequamur, præsertim cum et ea quæ sequuntur, huic sensui congruant.

(Vers. 3.) *Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum : vox rugitus leonum, quia vastata est superbia Jordanis.* LXX : *Vox lugentium pastorum, quoniam misera facta est magnificentia eorum. Vox rugientium leonum, quia afflictus est fremitus Jordanis.* Pars superioris capituli, et in his versiculis continetur. Quos vocaverat cedros, abietes, pinos et quercus Basan, et exponens quæ essent istæ arbores intulerat, dicens : *Quoniam magnifici vastati sunt*, nunc per aliam μεταφορὰν dicit esse pastores, id est, principes atque doctores, et qui primi erant in populo, quod flere debeant et lugere, quia magnificentia eorum et pulchritudo et decus vastata sint, atque consumpta : templum videlicet, in quo sibi gloriabantur. Et *vox*, inquit, *rugitus leonum*, quos excelsas arbores, et rursum pastores, eosdem nunc leones appellat. Et quia leones dixerat, servat translationem, ut inferat : *Quoniam vastata est* **884** *superbia Jordanis*, sive fremitus et sonitus aquæ decurrentis, qui Hebraice dicitur GAON (גאון). Et quomodo templi altitudinem juxta situm terræ Judææ altitudini Libani comparavit (nihil enim Libano in terra repromissionis excelsius est, nec nemorosius atque condensius) sic Jordani fluvio, qui maximus in Judæa est, juxta quem morantur leones, fremitum junxit leonum propter ardorem sitis, et ob deserti viciniam et latitudinem vastæ solitudinis, et arundineta, et carecta. Unde et per prophetam dicitur : *Ascendit leo de Jordane* (*Jer.* IV, 7), volens ostendere Nabuchodonosor se sedibus suis, quasi leonem de cubili exisse contra Jerusalem. Aliter : Vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Jordanis. Vox, inquit, optimatum, quia templum destructum est, unde sperabant semper auxilium, et quod justos et bellatores ac potentes quondam nutriebat leones.

(Vers. 4, 5.) *Hæc dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus, et pastores eorum non parcebant eis.* LXX : *Hæc dicit Dominus omnipotens : Pasce oves occisionis : quas qui possederunt, interficiebant, et non agebant pœnitentiam, et qui vendebant eas, dicebant : Benedictus Dominus, et divites facti sumus, et pastores earum nihil patiebantur super eis.* Ubi manifestissima prophetia est, et per translationem historiæ verus ordo narratur, superflua est tropologiæ interpretatio, ut alios bonos, alios malos dicamus esse pastores, et hoc tam ad veterem populum referri, quam ad novum, id est, tam ad Judæorum sacerdotes et principes, quam ad episcopos et presbyteros Christianorum, et quicumque pastores fuerint negligentes, et unum de minimis scandalizaverint, ipsos esse qui nutriant pecora occisionis, et non patiantur super eis quidquam nec doleant, nec possint dicere cum Apostolo : *Quis scandalizatur, et ego non uror* (I. *Cor.* XI)? et vendant populos sibi creditos, de quibus scriptum est : *Qui devorant populum meum sicut cibum panis* (*Ps.* LII, 5), et ex aliorum mortibus divitias consequantur, laudantes eos, qui prædas agunt de miseris, et iniquis benedicentes. Hæc alii interpretentur ut volunt : nos teneamus explanationis ordinem quem semel arripuimus. **885** Quoniam apertus est Libanus, et cedri ejus atque abietes flamma urente combustæ sunt, ululatusque pastorum auditus est, et rugitus leonum, quia omnis pulchritudo et superbia Jordanis vastata est atque consumpta : ideireo hæc mihi dixit Dominus Deus meus : O propheta Zacharia, ad te iste sermo confertur : Pasce gregem occisionis, hoc est, nunc interim nutriatur, et crescat, qui postea ab hostibus occidendus est, quas oves et pecora, principes Romanorum, qui possidebant ea, et obtinebant jure victoriæ, interficiebant, et non miserebantur, sive immolabant, et non sentiebant dolorem, id est, nihil mali pro tanta crudelitate patiebantur, et vendebant ea quæ non propter clementiam, sed propter pretium reservabant. Legamus veteres historias, et traditiones plangentium Judæorum, quod in tabernaculo Abrahæ (ubi nunc per annos singu-

[a] Editi legunt בציר *Batsir*, unde variantem ex Hebræo colligimus lectionem. Legebat itaque Hieronymus ut hodie legimus in exemplari Massorethico בצור sive *Batsor*, non *Batsir* ex eorumdem castigationibus *Cerî*, et *Ketiv*. MART.

los mercatus celeberrimus exercetur) post ultimam eversionem, quam sustinuerunt ab Adriano, multa hominum millia venundata sint, et quæ vendi non potuerint, translata in Ægyptum, et tam naufragio et fame, quam gentium cæde truncata. Isti ergo victores, et Domini ultores qui occidebant, et non dolebant, et vendebant pecora atque dicebant : *Benedictus Dominus, divites facti sumus*, hanc habebant sententiam. Propter peccata sua offendere Judæi : ideo eos oppressimus, et ex pretio eorum divites facti sumus. Nec mirum, inquit, si hostes jure victorum occidebant pecora, et non dolebant, vendebant, et in suo scelere gloriabantur; cum ipsi pastores eorum, atque doctores non pepercerint eis, et culpa eorum, grex lupis traditus sit.

(Vers. 6, 7.) *Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus : Ecce ego trădam homines unumquemque in manu proximi sui, et in manu régis sui, et concident terram, et non eruam de manu eorum, et pascam pecus occisionis, propter hoc, o pauperes gregis.* LXX : *Ideo non parcam ultra super habitatores terræ, dicit Dominus. Et ecce ego trădam homines unumquemque in manus proximi sui, et in manu regum ejus, et concident terram, et non eruam de manu eorum, et pascam oves occisionis in Chananitide.* Hoc quod LXX in extremo capitulo transtulerunt : *Et pascam oves occisionis in terra* **886** *Chanaan*, non est in Hebræo, et a nullo alio transfertur interpretum. Quia ergo pastores eorum non parcebant eis, et ipsi primum meum populum devoraverunt : idcirco, et ego non parcam ultra super habitatores terræ Judææ, dicit Dominus. De hac enim terra loquitur, de qua ei sermo erat, et non de orbe terrarum, sicut Judæi male interpretantes a se volunt in aliam partem Dei depravare sententiam. Post eversionem quippe templi (quæ propterea eis accidit, quia per quadraginta et duos annos, postquam passus est Dominus, accepto spatio, pœnitentiam agere noluerunt) dimittam, inquit, unumquemque contra proximum suum, et mutua se cæde truncabunt, sive in ipsa obsidione templi, quando Jerusalem Romanus cinget exercitus : tanta enim inter ipsos Judæos erunt bella atque discordiæ, ut in tres partes populus dividatur. Legamus Josephum et septem Judaicæ captivitatis libros, et hanc prophetiam esse completam, historiæ veritate cernemus. *Et concident*, ait, *terram*, haud dubium quin Romani omnem terram et universas urbes destruxerint Judæorum. *Et non eruam eos de manu eorum.* Audi, Judæe, qui tibi spes vanissimas repromittis, et non audis dicentem Dominum atque firmantem : *Non eruam de manibus eorum*, quod æterna sit apud Romanos tua futura captivitas. *Et pascam pecus occisionis*, ut semper Judæi nutriantur ad mortem ; propterea quia Dei est ista sententia : O vos qui estis pauperes gregis, hoc est, justi de Israel, qui credidistis in Dominum Jesum, et Dei filium suscepistis, audite quæ dicantur, et sequentis capituli sacramenta cognoscite. Quod autem secundum Septuaginta legimus : *Et pascam oves occisionis in terra Chanaan*, sic possumus intelligere ; quod populum Judæorum, qui destinatus est morti, in toto orbe dispersum (hoc est, in terra Chanaan atque gentilium) pascat Dominus, et nutriat ad immolandum.

(Vers. 8, 9.) *Et assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculos* [Vulg. *funiculum*] *; et pavi gregem. Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis; siquidem et anima eorum variavit in me. Et dixi : Non pascam vos; quod moritur, moriatur, et quod succiditur* **887** *succidatur , et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui.* LXX : *Et assumam mihi duas virgas : unam vocavi decorem, et alteram vocavi funiculum, et pascam oves. Et auferam tres pastores in mense uno, et ingravescet anima mea super eos : siquidem et animæ eorum* [a] *rugiebant super me. Et dixi : Non pascam eos ; quod moritur, moriatur, et quod deficit, deficiat, et reliqui devorent unusquisque carnes proximi sui.* Supra dixerat : Propter hoc, o pauperes gregis, et facta ἀποσιωπήσει, subaudiebatur, *attendite*, quia Libani portæ apertæ sunt, et quercus Basan, abietes cedrique succisæ, et intulerat comminans : *Non parcam ultra super habitatores terræ, dicit Dominus.* Et hoc de uno Judaico populo dicere videbatur, quod interfectis prophetis, etiam in Filium Dei misissent manus, et voce temeraria conclamassent : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25) ! Nunc Creator universitatis et Dominus mysteria sui orbis exponit, et dicit duas habuisse se virgas, quarum alteram decorem vocaverit, alteram [b] funiculos, et in duabus virgis vinctum paverit gregem : tres quoque pastores in uno mense succiderit, et contracta sit, sive indignata, aut (ut Septuaginta transtulerunt) *ingravescet anima mea super eos;* haud dubium quin pastores significet, quos succidit in mense uno. Redditque causam cur pastoribus indignatus sit intantum, ut eos in uno mense succiderit : *Siquidem et anima*, inquit, *eorum variavit in me.* Et est sensus : Non me pleno animo dilexerunt : nec pastores mercenarii verum amavere pastorem : *Quia pastor bonus ponit animam suam pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11). Quamobrem et ego indignatus sententiam protuli, et ad ipsos pastores, quos mea indignatione succideram, sive succisis pastoribus ad relictum [*Al.* reliquum] gregem locutus sum : *Non pascam vos ;* sed quod mortem elegit, sua voluntate moriatur, et se alterutrum devorent, mutuaque cæde dilanient. Hæc παραφραστικῶς diximus, ut futuræ explanationis semitam sterneremus. Creator et pastor cujus oves cognoscunt vocem, et sequuntur eum, duas sibi as-

[a] Rescribit Victorius, *irruebant* pro *rugiebant*, ad Græc. ἐπωρούοντο sive, ut ipse mavult, ἐπορέυοντο.

[b] Ms. Reginæ, *funiculum*, hic atque infra, sed et in Hebræo plurium est numerus : tum *et duabus virgis junctis paverit gregem*, etc. Paulo quoque post, *ingravata anima ejus*, pro *ingravescet anima mea.*

sumpsit virgas, sive duas σκυτάλας, id est, *baculos*, qui Hebraice dicuntur MACALOTH (מקלות), **888** ut pastoris habitum demonstraret. Unam virgam vocavit decorem, hoc est, sub Noe omne hominum genus sua benedictione protexit : quando instaurato mundo, necdum peccata sorduerant. Et idcirco vocatio cunctarum gentium appellatur decora et pulchra, quia nihil justius est, quam universitatis parentem vocare omnes æqualiter, quos æquali conditione generavit. Et alteram vocavit funiculos ; quando enim dividebat Altissimus gentes, et disseminabat filios Adam, statuit terminos gentium, juxta numerum angelorum Dei (*Deut.* XXXII). Et facta est pars Domini populus ejus Jacob ; funiculus hæreditatis ejus Israel. Et pavi, inquit, gregem : sive ipsum Israelem, sive cum Israele omne hominum genus. Et succidi, inquit, tres pastores in uno mense. Legi in cujusdam Commentariis : Pastores Domini indignatione succisos, in sacerdotibus et falsis prophetis et regibus intelligi Judæorum ; quod post passionem Christi, uno omnia succisa sint tempore, de quibus loquitur Jeremias : *Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Dominus. Tenentes legem meam, nescierunt me. Et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetabant in Baal, et idola secuti sunt* (*Jer.* II, 8). Nec hac explanatione contentus, tres pastores in uno mense succisos, eos vult accipi, qui in Patrem et Filium et Spiritum sanctum peccaverunt ; omnes enim hæreticos, aut in unam, aut in duas, aut in tres simul peccare personas. Dixerit ille quod voluit, neque enim alterius sensui detrahendum est. Nobis tres pastores qui in uno mense succisi sunt, Moyses videtur, et Aaron, et Maria (*Num.* 20) ; quorum Maria in mense primo, qui vocatur NISAN (ניסן), mortua est in deserto Sin, et in eodem loco propter aquam contradictionis, eodemque mense, Moyses et Aaron condemnati sunt, ne terram repromissionis intrarent. Atque ita factum est, ut e tribus pastoribus, alia præsenti morte succideretur, alii sententia mortis futuræ. Et contracta est, inquit, anima mea super eos : videlicet super tres pastores quos præposueram gregi meo. Quia et illorum anima variavit in me, non enim glorificaverunt **889** me ad aquam contradictionis. Si autem ad populum referimus, quod anima populi variaverit in Deum, sic exponendum est : Idcirco eis indignatus sum, quia et ipsi inter me et idola fluctuantes, variis contra me pugnaverunt modis. Quamobrem indignatus dixi ad Moysen : [a] *Non pascam vos : dimitte me, et disperdam eos* (*Exod.* XXXII, 10). Quando autem dicit, cum irascitur, *Dimitte me*, provocat ad rogandum, et ostendit se ab eo posse retineri. Quod moritur, inquit, moriatur, et quod succiditur succidatur ; omnium corpora ruant in solitudine, et versi in seditionem, instar bestiarum mutuis lacerentur morsibus, A nullusque terram repromissionis introeat. Quidam duas vocationes Judæorum et gentium, in primo Israel, et novissimo intellexere nomine Christianos. Sed quomodo vocatio Christiana ante projecta sit, et Judæi remanserint et pasti sint a Deo, non satis attenderunt.

(Vers. 10, 11.) *Et tuli virgam meam quæ vocabatur decus, et abscidi eam ut irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis. Et in irritum deductum est in die illa, et cognoverunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.* LXX : *Et assumam virgam* [b] *meam pulchram, et projiciam eam, ut dissipem testamentum meum quod disposui ad omnes populos, et dissipabitur in die illa, et cognoscent Chananæi oves, quæ custodiuntur mihi, quia verbum Domini est.* Post vocationem Israelis, et B assumptionem virgæ secundæ, quæ vocabatur funiculus, tulit Dominus virgam primam, totius orbis nationes, quæ vocabatur decora, et abscidit eas a cultu suo, quia veneratæ sunt idola, et omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Ps.* XIII). Manifestiusque exponens quæ esset hæc virga, intulit : *Ut irritum facerem fœdus meum quod percussi cum omnibus populis* : Statim enim ut Israel assumptus est, gentium turba projecta est : et ut nata est filia Archisynagogi, quæ postea in Evangelio, cum duodecim esset annorum, ægrotare et mortua esse narratur, αἱμορρροοῦσα cœpit sanguinem fluere, et perpetua infirmitate cruciari (*Marc.* V ; *Matth.* IX). Et in irritum, ait, deductum est fœdus meum quod cum omnibus **890** inieram nationibus. Et intellexerunt C pauperes gregis, id est, populus Israel qui mea mandata custodit, quia verbum Domini est, id est, voluntatis est Domini abjicere gentes negantes, et in Abraham Israel assumere confitentem. Pro eo quod nos interpretati sumus, *et cognoverunt sic pauperes gregis*, Septuaginta transtulerunt, *et cognoscent Chananæi oves, quæ custodiuntur mihi*, quod ita nonnulli edisserunt : Cognoscet populus Judæorum, ad quem dictum est : *Semen Chanaam, et non Juda* (*Dan.* XIII, 56); qui nunc meis cæremoniis custoditur : sive quia Chananæi interpretantur, *parati ad humilitatem*, cognoscent qui olim parati sunt ut humilientur a Domino, et relinquantur. Cur autem pro D eo quod nos interpretati sumus, *sic pauperes*, illi dixerunt, *Chananæos*, causa manifesta est : apud Hebræos enim, *sic*, CHEN (כן) dicitur : ANIE (עניי), *pauperes* ; illi duo verba in unum copulantes, pro eo quod est, *sic pauperes*, hoc est, CHEN ANIE (כן עניי), nomen *Chananææ* gentis interpretati sunt.

(Vers. 12, 13.) *Et dixi ad eos : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam, et si non, quiescite ; et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me, Projice illos* [Vulg. *illud*] *ad statuarium, decorum pretium quod appretiatus sum*

[a] Hæc verba, inquit Victorius, *non pascam vos*, sunt in Zacharia hic : tamquam autem ad Moysen illa dicta sint, Hieron. interpretatur : sicut Isaiæ verba : *si audieritis, quæ bona sunt, terræ comedetis*, ad Israel in eremo dicta esse, hoc eodem loco exponit.

[b] Antea deerat vox *meam*.

*ab eis : et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* LXX : *Et dicam ad eos : Si bonum est in conspectu vestro, date statuentes mercedem meam, aut renuite. Et statuerunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Depone eos in conflatorium, et recogita si probatum est, sicut probatus sum pro eis. Et tuli triginta argenteos, et misi eos in domum Domini in conflatorium.* Cognoscentibus Israelitici gregis pauperibus, qui mea mandata custodiunt, verbum esse Domini quod locutus sum, et vera quæ dixi, [a] ait ad eos, id est, ad pauperes gregis, si vobis placet (homines enim estis et semel libero arbitrio vos creavi, quibus et in eremo locutus sum : *Si audieritis me, quæ bona sunt terræ, comedetis* (*Isai.* 1)) pro hac assumptione, qua abjeci universum hominum genus, et vos mihi in peculiarem elegi gregem, et Creator omnium **891** volui parvum habere funiculum, reddite mihi mercedem meam, id est, mea præcepta servate. Sin autem non vultis mercedem reddere, nec placet in oculis vestris meo censeri nomine, aperte renuite, et facite quod vultis. Qui tunc quidem responderunt Moysi : *Omnia quæcumque dicit Dominus, faciemus* (*Exod.* XXIV, 3). In fine autem temporum pro eo quod eos elegi de medio nationum, et liberavi de Ægypti fornace ferrea, appenderunt mercedem meam triginta argenteos, pro meo sanguine dantes Judæ proditori (*Matt.* XXVI). Et dixit, inquit propheta, Dominus ad me, sive ipse Salvator, cujus priora sunt verba, patrem ad se locutum esse contestans : *Projice illud ad statuarium* : pro quo in Hebræo legitur JOSER (יוצר), id est, τὸν πλαστήν, quem nos, *fictorem et figulum* possumus dicere. Et est sensus : Projice pretium meum ad figulum, qui Creator et fictor est omnium. Nec dixit, *depone;* sed, *projice*, ut fictoris plastæque judicio merces Domini penderetur. Et εἰρωνικῶς pretium suum, id est, divinæ majestatis, in triginta cernens argenteis, et tam vili mercede se proditum : *Decorum*, inquit, *pretium quo appretiatus sum ab eis* ; hoc autem pressius est legendum cum irrisione et subsannatione dicentis : Tanto me populus meus et pauperes quondam gregis, et a me electi in filios, emendum atque vendendum pretio judicarunt. Et tuli, ait Dominus per prophetam, sicut mihi a Deo fuerat imperatum, triginta argenteos, et non eos deposui, sed projeci in domum Domini ad fictorem : in domo Domini feci eos a proditore reddi sacerdotibus et pharisæis, ipso confitente, qui vendidit : *Peccavi, tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 4).

A At illi quoniam pretium sanguinis erat, noluerunt illud reponere in corbonam, id est, in gazophylacio; sed emerunt ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Nos enim omnes qui peregrini et advenæ Legis fuimus, redempti pretiosissimo ejus sanguine, in domo figuli **892** Creatorisque omnium sepelimur et requiescimus. Pro πλάστῃ atque fictore, *statuarium* [b] olim interpretatus sum, verbi ambiguitate compulsus, quod statuarium fictoremque uno sermone significat. Judæi istum locum malitiose interpretantes, triginta argenteos, triginta Legis mandata commemorant, quæ facere jubeantur in Lege, et rursum triginta sex alia quæ prohibeantur in Lege, et dici eis, ut argentum mandatorum Domini plastæ suo atque fictori reddant Deo : quod quia facere no- B luerunt, esse projectos. Breviter indicare volui quid sentiant, alioquin explanationem eorum laciniosissimam tædet revolvere, ut ad reliqua transeamus.

(Vers. 14.) *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam et* [Vulg. addit *inter*] *Israel.* LXX : *Et abjeci virgam* [c] *secundam, quæ appellabatur funiculus, ut dissiparem testamentum quod erat inter Judam et Israel.* Et in hoc loco longam cujusdam explanationem, immo tricas inextricabiles legisse me novi, duarum virgarum in unam societatem ex Ezechielis volumine proferentis, et omnia quæ de concordia Judæ et Ephraim spiritualiter sentienda sunt, huic capitulo coaptantis. Nos autem cœptum sequamur ordinem. Postquam a Judæis crucifixus est Dominus et triginta C appretiatus argenteis, et pretium sanguinis ejus in sepulturam projecit gentium, quæ peregrinæ erant a Lege et mandatis Dei : statim Dominus sententiam suam ultra non differens, *Præcidi*, ait, *virgam meam secundam*, quæ proprie mea erat, quæ sic mihi hærebat, ut in Jeremia perizoma et cinctorium atque lumbare, sive, ut consueto verbo utar, coxale sit appellata : quæ secunda virga quondam appellata funiculus et pars mea, a me ideo projecta est, ut dissolverem fœdus et germanitatem atque concordiam, quæ inter Judam fuerat et Israel, et fratres a se invicem separarem. Ut in apostolorum et eorum qui egerunt pœnitentiam **893** numero, rursum [d] Judas appellaretur et confitens Deum suum : Israel autem et Ephraim et Joseph vocarentur, qui in cordis duritia permanentes dixerunt : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Unde non intulit : *ut irritum facerem pactum*, sive *testamentum*, quod habui cum Juda et Israel (usque

[a] Verba, *ait ad eos*, penes Martian. non habentur : apud Victor. desideratur, *id est.*

[b] Retractat se, inquit Victorius in hunc locum, quod vocem יוצר, *statuarium* verterit, cum tamen *figulum* verius significet, uti interpretatus est Matthæus evangelista cap. XXVII, dum ait : *Et dederunt eos in agrum figuli.* Idem facit Isai. XIX de verbo אגמין. Utrobique autem Græcas tantum voces respiciens, lapsus videtur. Sicut enim hic πλάστην ita ibi στρεβλοῦντα, quæ erat Aquilæ interpretatio, tantum, non etiam Hebraicam simul vocem attendit. Manet tamen utroque in loco prima ejus interpretatio. Adeo enim totum per orbem ejus editio statim divulgata est, ut emendasse postea satis non fuerit. At non ita evenit Isaiæ XXXVIII, ubi vocem חדל, prius pro *cessavit*, postea pro *quiete* interpretatus est : quippe cum emendatio recepta fuerit, quamvis in ipso Hieronymo utraque simul versio commixta esset.

[c] Vocem *meam*, quæ neque in Græco resonat, neque in Regin. ms., hinc amovimus.

[d] Ms. Regin., *Judas appellarentur et confitentes*,

hodie enim pœnitentibus porrigit manum) sed ut de uno populo credentes alios, et alios non credentes inter se divideret, dicens : *Nolite arbitrari quia veni mittere pacem in terram : non veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare hominem adversum patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* x, 34, et 35).

(Vers. 15 seqq.) *Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti : Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit : et id quod stat non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. O pastor, et idolum derelinquens gregem : gladius super brachium ejus et super oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* LXX : *Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoralia pastoris imperiti : Quia ecce ego suscitabo pastorem super terra, qui derelictum non visitet et dispersum non requirat, et fractum non sanet, et integrum non dirigat, et carnes electorum devoret, et talos eorum pervertat. O qui pascitis vana, et qui deseruistis oves, gladius super brachium ejus, et super oculum ejus dextrum, brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus cœcitate obscurabitur.* Quando dicit, *Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti*, illud significat quod supra assumpserit sibi virgas duas, unam decorem, et alteram funiculum. Et quia illas suo vitio peccatoque projecit, et soluta germanitate inter Judam et Israel, nos inserti sumus in radicem bonæ olivæ, et cæcitas ex parte facta est domui Israel, donec intraret plenitudo gentium (*Rom.* xi), nunc prophetæ dicitur, ut gravissimum pastoris stulti, sive imperiti, assumat vaticinium. Pastor stultus, et imperitus, haud dubium **894** quin Antichristus sit; qui in consummatione mundi dicitur esse venturus, et qualis venturus sit, indicatur. Vasa autem pastoris, insignia illius et habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulam, et sibilum. Et quomodo Isaias, ut captivitatem populi demonstraret, nudus ingreditur (*Isai.* L) : et Jeremias vadit ad domum figuli, ut ex dissipatione vasis quod currebat in rota, et manu fingebatur artificis, et interitum Israel, et Dei potentiam ostenderet (*Jerem.* xviii) : et Ezechiel, ut subversionem Jerusalem et fugam Sedeciæ, et onera captivorum, non solum voce, sed et habitu demonstraret, perfodit parietem, et in suis humeris excipitur (*Ezech.* xii) : sic Zacharias habitum stulti et imperiti pastoris assumit, ut eum nuntiet qui venturus est (*Zach.* xi). Iste pastor ideo consurget in Israel, quia verus pastor dixerat : *Jam non pascam vos.* Qui alio nomine et in Daniele propheta (*Cap.* ix), et in Evangelio (*Marc.* xiii), et in epistola Pauli ad Thessalonicenses (II *Thess.* ii), *abominatio desolationis*, sessurus in templo Domini prophetatur, et se facturus ut Deum, qui et per Isaiam magnus sensus dicitur (*Isai.* xxxii). Et ad hoc venit, non ut sanet, sed ut perdat gregem Israel. Pastor enim bonus ægrotantia pecora visitat, dispersa inquirit, relicta affert, lassa sustentat. Econtrario pastor malus omnia adversa agit, et carnes pinguium devorat, ungulas arietum et ovium dissolvit atque pervertit, ne recto ingrediantur pede. Hunc pastorem [a] susceperé Judæi, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione adventus sui, ut qui non crediderunt veritati, ne salvi fierent, credant mendacio, et judicentur, quia consenserunt iniquitati. Descripto autem pastore pessimo, stulto et imperito, ad ipsum pastorem prophetalis sermo convertitur : O pastor, et idolum. [b] Tam sceleratus est pastor, ut non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum se appellat Deum, et vult ab omnibus adorari. Qui dereliquit gregem a bestiis devorandum, quem Dominus tanto tempore custodierat. Gladius super brachium ejus, et robur, et super **895** oculum dextrum ejus, quo se acute Dei jactabat cernere sacramenta, et plus videre quam omnes retro prophetæ viderant, intantum ut Dei Filium se vocaret. Gladius autem ille est, de quo et supra diximus, et nunc dicemus ex parte, de quo et Isaias loquitur : *Inebriatus est gladius meus in cœlo* (*Isai.* xxxiv, 5). Propterea autem gladius Domini super brachium ejus, et super oculum dextrum illius erit : ut robur ejus et omnis jactantia fortitudinis ejus ariditate siccetur, et scientia, quam sibi falso nomine promittebat, æternis tenebris obscuretur.

(Cap. XII. — Vers. 1.) *Onus verbi Domini super Israel : Dixit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo : Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu ; sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem. Et erit in die illa, ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levaverunt* [Vulg. *levabunt*] *eam, concisione lacerabuntur, et colligentur adversus eam omnes gentes* [Vulg. *omnia regna*] *terræ.* LXX : *Assumptio verbi Domini super Israel, dicit Dominus extendens cœlum et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo : Ecce ego ponam Jerusalem ut superliminaria quæ moventur omnibus* [Al. *in omnibus*] *populis in circuitu, et in Judæa. Et erit obsidio circa Jerusalem, et erit in die illo, ponam Jerusalem lapidem qui conculcatur a cunctis gentibus : omnis qui conculcaverit eam illudens illudet, et congregabo super eam omnes gentes terræ.* Triplex interpretatio est ab eo loco, in quo legimus : *Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu*, usque ad eum locum ubi scriptum est (*Cap.* xiii, *v.* 7) : *Framea suscitare super pastorem*

[a] Maluit Victorius, *suscipient*, cum sermo de Antichristo sit, quem pro Christo Judæi susceperi sunt : quemadmodum dictum est a Christo : *Veniet alius in nomine suo, et suscipietis eum.*

[b] Addit Regin. ms. *derelinquens gregem*, quæ in aliis libris non est invenire.

*meum ; et super* [a] *virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : Percute pastorem, et dispergentur oves.* Alii enim Judæorum putant jam hæc ex parte completa a Zorobabel, usque ad C. Pompeium, qui primus Romanorum Judæam cepit et templum, quam historiam scribit Josephus. Alii vero quando Jerusalem fuerit instaurata, in fine mundi esse complenda : quod sibi cum πλησμένῳ suo, quem supra stultum pastorem legimus, miserabilis gens Judæa promittit. Alii autem, hoc est, **896** [b] nos qui Christi censemur nomine, in Ecclesia usque ad finem mundi quotidie expleri et explenda, memoramus. Et ne per singula extendamus modum voluminis, propanentes : Hæc dicunt illi : sic alii suspicantur : nos ita sentimus, tres posuimus sententias, ut ex interpretationis varietate, quid cui coaptandum sit, prudens lector intelligat. Dominus igitur qui cœlum extendit ut pellem, et terram alta mole solidavit, et spiritum hominis finxit in eo, idem animarum Creator est omnium, ut ex duabus substantiis animæ et corporis, unum animal compingeret. Spiritus enim pro anima frequenter accipitur, ut ibi : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* xxv, 46). Et : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur* (*Ps.* ciii, 29). Iste igitur Creator universitatis et Dominus, se Jerusalem superliminare [c] crapulæ omnibus populis in circuitu positurum esse, testatur, ut qui limen ejus attigerit, inebrietur et corruat, sive ipsum superliminare in eum corruat a quo contingitur. Sed et Judas, obsessa Jerusalem, est captus a gentibus, et in illarum transiens societatem, cogetur obsidere metropolim suam. Non solum autem Dominus Jerusalem ponet cunctis populis quasi superliminare crapulæ ; sed ponet illam quasi lapidem oneris cunctis populis, quem qui levare voluerit, concisione lacerabitur. Congregabuntur enim adversus Jerusalem omnia regna terrarum. Mos est in urbibus Palæstinæ, et usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis, et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, et eos pro varietate virium sublevare, alii usque ad genua, alii usque ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Athenensium, juxta simulacrum Minervæ, vidi sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cum autem quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa **897** fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemquam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est : Ponam Jerusalem cunctis gentibus, A quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, et pro virium varietate vastabunt ; sed necesse est ut dum levatur, in ipso nixu et elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram [d] aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquat. Super Ecclesia sic interpretari potest, quod cuncti persecutores qui contra domum Domini dimicarunt inebrientur eo calice quo universis gentibus propinat Jeremias, ut bibant, et inebrientur, et cadant, et vomant, et insaniant (*Jer.* xxv). Scio persecutionis tempore multos e nostris contra Ecclesiam pugnare compulsos ; sed quicumque hoc pondus voluerit sublevare, levabit quidem, et pro ira Domini qua corripit peccatores, suis manibus sustentabit : verum ipse non erit impunitus, Dei contra se gladio B dimicante. Pro lapide oneris, quem nos, ut potuimus, interpretati sumus, Septuaginta verterunt, *lapidem conculcatum a cunctis gentibus. Omnis qui conculcaverit eum* (sive *eam*, id est, Jerusalem) *illudens illudet.* Qui manifestus est sensus, quod utroque modo Jerusalem et ab inimicis gentibus, et a persecutoribus conculcanda sit et illudendum ei pro voluntate illudentium. Sed melior et verior est sensus superior. Breviter singula exponimus, ut tandem veniamus ad calcem, ne si prolixius scripserimus, et rerum obscuritate, et sermonis longitudine, Lectoris animus confundatur.

(Vers. 4.) *In die illa dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus in amentiam : et super domum Juda aperiam oculos meos, et* C *omnem equum populorum percutiam in* [Vulg. tacet *in*] *cæcitate.* LXX : *In die illa, dicit Dominus omnipotens : Percutiam omnem equum in stupore, et ascensorem ejus in amentia : super domum autem Juda aperiam oculos meos, et omnes equos populorum percutiam in cæcitate.* In illo tempore (hoc enim significat *dies*) quando obsessa fuerit Jerusalem, ita ut Judas quoque eam obsidere cogatur, et carnaliter et spiritualiter percutiet Dominus omnes adversariorum **898** equos in stuporem, ita ut omnes stupeant qui eos viderint esse percussos, et ascensores eorum, malorum premente magnitudine, vertentur in amentiam, et super domum Juda, qui contra metropolim suam facere aliquid cogebantur, aperiet Dominus oculos suos, ut eorum misereatur, et eos dignos D suo faciat aspectu, oculorumque suorum illustret lumine : omnes autem equos populorum æterna percutiet cæcitate. Qui spiritualiter equi intelligendi sint, supra diximus : *Fallax equus in salutem* (*Ps.* xxxii, 17). Et : *Hi in curribus, et hi in equis* (*Ps.* xxix, 8), et cætera his similia. Ascensores quoque eorum, vel dæmones, vel falsos magistros diximus, qui omnes in stuporem vertentur et amentiam, ut nihil sapere convincantur : sed palpabiles eos opprimant tenebræ, quales fuerunt quando Ægyptiorum primi-

[a] Mendose legerat Martian. *vim*, pro *virum*.

[b] Regin. ms., *hoc est nostri, qui Christi censentur nomine, hæc et alia usque ad finem mundi quotidie explenda memorant*. Quæ quidem lectio, iis maxime verbis, *hæc et alia*, pro *in Ecclesia*, verior videatur.

[c] Vocem, crapulæ, Regin. ms. nescit.

[d] Duo mss. *scissuram*, *vel læsuram in levantium corporibus*, etc.

tiva percussa sunt (*Exod.* xi). Super domum autem Juda, id est, populum qui confitetur Deum, et fractus persecutionis angustiis ac timore perterritus, videtur esse in numero persequentium : aperiet Dominus oculos suos, ut plerosque respiciat dicentes ad se : *Respice in me, et miserere mei* (*Ps.* LXXXV, 16), et mereantur audire : *Erit tibi Dominus lumen æternum* (*Isai.* LX). Hæc est gravissimi lapidis laceratio, quam in adversarios suos, qui Jerusalem levare et vexare conati sunt, Dominus commiratur.

(Vers. 5.) *Et dicent duces Juda in corde suo : Confortentur mihi habitatores Jerusalem in Domino exercituum Deo eorum* [Al. *suo*]. LXX : *Et dicent tribuni*, id est, οἱ χιλίαρχοι, *Juda in cordibus suis : Inveniemus nobis, qui habitant Jerusalem, in Domino omnipotente Deo eorum.* Cum aperuerit Dominus oculos suos super Judam, et percusserit omnes equos gentium cæcitate, duces Juda, de quo supra dictum est : *Sed et Judas erit in obsidione contra Jerusalem*, vota facient in cordibus suis, quia loqui libere non audebunt, ut vincat Jerusalem, et victus Judas cum hostibus vincat cum civibus suis. Pro eo quod nos diximus : *confortentur mihi*, et LXX transtulerunt εὑρήσομεν ἑαυτοῖς, *inveniemus nobis ;* in Hebraico scriptum EMSA LI (אמצא לי), quod Aquila transtulit, χαρτέρησον μοι, id est, *conforta mihi*, ut sit sensus : Optabunt chiliarchi, et tribuni, ac duces Juda, **899** ac vota facient in abscondito mentis arcano, ut Deus confortet habitatores Jerusalem in Domino Deo suo, et vincant adversarios suos. Juxta tropologiam, duces ac tribuni apostoli sunt, et omnes apostolici viri atque doctores, qui Christi exercitui præfuerunt, qui nollent sibi alios invenire nisi eos qui habitent in Jerusalem, visione pacis, et qui habitent in Domino omnipotente Deo suo. De his ducibus Paulus apostolus fuit, qui invenit Titum, et Timotheum, Lucam atque Sylvanum : Petrus quoque qui Marcum scriptorem erudivit Evangelii [Al. *in Evangelio*], et cæteri apostoli qui omnem mundum sua doctrina et eruditione compleverunt, ut haberent discipulos habitatores Jerusalem.

(Vers. 6, 7.) *In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in feno : et devorabunt ad dextram, et ad sinistram, omnes populos in circuitu : et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo, in Jerusalem. Et salvabit Dominus tabernacula Juda, sicut in principio : ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium Jerusalem contra Judam :* LXX : *In die illa, ponam tribunos Juda sicut torrem ignis in lignis, et sicut fenum ignis in stipula, et devorabunt a dextris et sinistris omnes populos Domini per circuitum, et habitabitur Jerusalem adhuc in semetipsa, et salva faciet Dominus tabernacula Juda, sicut a principio : ut non magnificetur gloria domus David, et elatio habitatorum Jerusalem super Judam.* Quando duces Juda dixerint in cordibus suis : Conforta mihi, Domine, obsessos Jerusalem, ut qui sua imbecillitate victi sunt, tuo superent auxilio : tunc ego Dominus omnipotens Deus eorum, ponam principes Juda sicut fornacem ignis in lignis, et sicut facem in stipula, ut devorent adversarios, quibus simulata amicitia jungebantur. Devorent autem a dextris et sinistris, et omnes populos occidant in circuitu, ut rursum Jerusalem habitetur in loco suo, et nequaquam hostiles impetus timeat. Urbes quoque et oppida, ac villas, et viculos tribus Judæ, qui direpti fuerant atque vastati, instaurent sicut fuerant antequam vastarentur, et nequaquam domus regia, et inclyti ac magnifici tribus Juda, et habitatores Jerusalem glorientur adversus tribum **900** Juda, quod suo regatur imperio, suo consilio gubernetur ; sed sciant quod Domini sit in utrisque victoria. Hæc juxta historiam seu facta sint, seu futura, fidem rerum Domini judicio relinquentes, et sanctis ejus, qui ab eo sapientiæ ac veritatis spiritum receperunt. Nos dicamus, quod tempore persecutionis Ecclesiæ, duces et tribuni nominis Christiani, de quibus supra diximus : cum Dominus pacem reddiderit Jerusalem, et interfecerit adversarium spiritu oris sui, futuri sint quasi caminus ignis in lignis, ut devorent infructuosas arbores, et sicut faces in stipula, ut quodcumque frumentum non habet, et circumfertur omni vento doctrinæ, tradatur incendio. Et devorabunt (inquit) duces Juda, et tribuni ad dexteram, et ad sinistram, eos qui in medio itinere incedere noluerunt, nec scierunt [*Al.* nesciunt]. ὑπερβολὰς esse κακίας, unde Dei populus pollicetur, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabimus, via recta gradiemur (*Num* xx). Via dextera, parcitas est, quam Græci φειδολίαν vocant : sinistra, luxuries : media rectaque frugalitas. Omnes igitur qui sunt in via dextra, quibus dicitur : *Ne sis justus nimis* (*Eccl.* VII, 17) : Et in sinistra, qui audiunt : *Viæ quæ ad sinistram sunt, perversæ sunt* (*Prov.* IV, 27), devorans flamma consumet, et desertis adversariis atque sublatis, rursum Jerusalem, id est Ecclesia, pristinam gloriam recipiet, et erit in suo statu, et Judæ tabernacula salvabuntur, toto orbe dispersa Christianorum conciliabula, de quibus quasi tentoriis et tabernaculis ire cupimus ad domum, quæ non est manufacta, et ad cœlestem Jerusalem. Propterea autem tabernacula plebis et omnium qui censentur nomine Christiano, et reputantur in vulgus, antiquam pacem recipient obsessis Ecclesiarum principibus, et in fugam versis, ut nequaquam putant magistri atque doctores sua doctrina et sapientia : sed Domini auxilio pacem Ecclesiis redditam.

(Vers. 8.) *In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit qui offenderit ex eis in die illa; quasi David : Et domus David, quasi Dei, sicut Angelus Damini in conspectu eorum.* LXX : *Et erit in die illa, proteget Dominus habitatores Jerusalem ; et qui infirmus in eis fuerit in die illa, erit quasi domus David ; et domus* **901** *David, quasi domus Dei, et angelus Domini in conspectu eorum.* Juda obtinente victoriam, et Domino restituente tabernacula ejus sicut fuerant a principio, ut nequaquam domus regia contra populum glorietur, in illa die et in illo tem-

pore, Dominus (cujus auxilio Judas a dextris et a sinistris adversarios devorabit) proteget etiam obsessos Jerusalem : et in tantam felicitatem ac beatitudinem omnia mutabuntur, ut qui vilissimus putabatur, sit quasi domus regia ; et qui de domo regia erat, sit quasi de domo Dei, id est, quasi nuntius Domini et angelicæ dignitatis in conspectu eorum, qui eo tempore fuerint resalvati. Juxta anagogen : Proteget Dominus habitatores Ecclesiæ, pace Ecclesiarum post persecutionem gravissimam reddita, quando et sui nominis interpretatione decorabitur : *Jerusalem* enim *visio pacis* exprimitur. Et tam beati erunt qui pro Ecclesia militarunt, et in persecutione Dominum sunt confessi : ut qui minimus fuerit, et quasi [a] homo in aliquo peccato dictoque offenderit, ponatur in ordine magistrorum : et magistri, qui suum servaverint gradum, sint quasi domus Dei, et quasi angelus Domini ; quia hoc omni studio laboramus, positi in terra, et vario labore sudantes, ut transformemur in angelicam gloriam.

(Vers. 9.) *Et erit in die illa : quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem. Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum.* LXX : *et erit in die illa : quæram auferre omnes gentes quæ veniunt contra Jerusalem, et effundam super domum David : et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et misericordiæ.* In die illo quando proteget Dominus habitatores Jerusalem, quæret Dominus conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Jerusalem. Conteret autem non in perditionem, sed in emendationem, ut adversum Jerusalem militare desistant, et esse incipiant de Jerusalem. Si enim de nihilo creavit omnia, non idcirco fecit ut perderet quæ creavit ; sed ut illius misericordia quæ creata sunt salvarentur. Unde et in Sapientia, quæ Salomonis **902** inscribitur (si cui tamen placet librum recipere), scriptum reperimus : *Creavit ut essent omnia, et salutares generationes mundi : et non erit eis venenum mortiferum* (*Sapient.* I). Sicut enim venit Dominus ut quæreret quod perierat, et salvavit humanum genus : sic et gentes in eo perdidit, quod gentes erant adversariæ. Denique sequitur : *Effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et misericordiæ.* De hac gratia scribit et Paulus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* [Al. *vestris*] *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Et in supradicto volumine continetur : *Quæ in cœlo sunt, quis investigabit* [b] *? nisi quod tu dedisti sapientiam, et Spiritum sanctum tuum misisti de excelsis : et sic correctæ sunt semitæ eorum qui versantur in terra : et quæ tibi placent, eruditi sunt homines* (*Sap.* IX, 16). Et in Isaia loquitur Deus : *Dedi spiritum meum super te* (*Isai.* XLII, 1). Et rursum de eodem Scriptura commemorat : *Dedi spiritum meum super eum* (*Ibidem*). Verbum autem effusionis, sensum largitatis ostendit : sicut manifestum est in eo quod diximus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris.* Et in alio loco ex persona Dei : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* (*Joel.* II, 29). Qui sit autem spiritus gratiæ, idem Apostolus loquitur ad Hebræos : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia eum qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit* (*Heb.* X, 29) ! Unde et Spiritus sancti diversæ gratiæ esse dicuntur. Et salutatio Apostoli : *Gratia* (inquit) *vobis et pax multiplicetur* (I *Tim.* I, 1) : ut postquam nobis peccata donaverit, tunc pax per misericordiam consequatur. Hæc Judæi ex parte jam facta, et plenius in consummatione mundi futura commemorant. Nos autem post adventum Christi quotidie impleri intelligimus et probamus.

(Vers. 10.) *Et aspicient ad me quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super unigenitum : et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* LXX : *Et aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt : et plangent super eum planctum, quasi super charissimum : Et dolebunt dolore, quasi super primogenito.* Hebraicæ **903** litteræ DALETH et RES, hoc est D et R, similes sunt, et parvo tantum apice distinguuntur. Ex quo evenit ut idem verbum diverse legentes, aliter atque [c] aliter transferant. Intelligentiæ gratia unum demus exemplum : *Et vestitus*, inquit, *erat Samuel* EPHOD BAD (I *Reg.* II, 18), id est, *indumento lineo*, BAD enim *linum* appellatur : unde et BADDIM *lina* dicuntur. Pro quo Hebraico Latinoque sermone, male quidam legunt EPHOD BAR : siquidem BAR, aut *filius* appellatur, aut frumenti *manipulus*, aut *electus*, aut οὖλος, id est, *crispus*. Quod ibi errore interpretationis accidit, etiam hic factum deprehendimus. Si enim legatur DACARU (דקרו), ἐξεκέντησαν, id est, *compunxerunt* sive *confixerunt* accipitur : sin autem contrario ordine, litteris commutatis, RACADU (רקדו), ὠρχήσαντο, id est, *saltaverunt* intelligitur. et ob similitudinem litterarum error est natus. Joannes autem evangelista, qui de pectore Domini hausit sapientiam, Hebræus ex Hebræis quem Salvator amabat plurimum (*Joan.* XIX), non magnopere curavit quid Græcæ litteræ continerent ; sed verbum interpretatus e verbo est, ut in Hebræo legerat, et tempore Dominicæ passionis dixit esse completum. Quod si quis non recipit, det testimonium, de quo sanctarum Scripturarum loco Joannes ista protulerit : et cum non repererit, cogetur ingratis suscipere veritatem. Plangent autem Judæi quasi super unigenito et primogenito, idipsum significante in Domino Salvatore, et unigenito et primogenito. Unigenitus dicitur, propter naturæ proprietatem : [d] Primogenitus juxta Apostolum, ex mortuis resurgentium (*Coloss.* I). Pro unigenito, *cha-*

[a] Mendose retinuit Martian. *hoc* pro *homo*.

[b] Victorius ad sacrum textum restituit ad hunc modum : *Quæ in cœlo sunt, quis investigavit ? et consilium tuum quis cognovit, nisi quod*, etc. Mox *versabantur* pro *versantur*, legitur in Reginæ ms.

[c] Alterum hoc *aliter* penes Martianæum deerat.

[d] Mutilo aut potius nullo sensu penes Martianæum deerat vox, *Primogenitus*.

*rissimum* Septuaginta transtulerunt, de quo in Evangelio legimus : *Hic est Filius meus charissimus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 17). Tunc dolebunt a se crucifixum, cum viderint in [a] claritate regnantem. Verbum κατωρχήσαντο, apud Græcos, non ab *illusione*, sed a *saltatu* compositum est, quod scilicet contra Dominum quasi ludendo saltaverint, quando dicebant illudentes atque ridentes : *Vah ! qui destruis templum, et in tribus diebus ædificas illud : salvum fac temetipsum, descendens de cruce* (*Matth.* XV, 29, 30). Hæc et alia **904** illudentes, et quodam amentiæ tripudio saltantes loquebantur.

(Vers. 11, 12.) *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra, familiæ et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres* (sive *uxores*) *eorum seorsum* (verbum enim Hebraicum נשׁים, id est γυναῖκες, [b] utrumque significat). *Familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum : et mulieres eorum seorsum : familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.* LXX : *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus malogranati quod in campo succiditur, et planget terra per tribus ac tribus : tribus David seorsum, et mulieres eorum seorsum : tribus domus Judæ seorsum, et mulieres eorum seorsum : tribus domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : tribus domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum : tribus Simeon seorsum, et mulieres eorum seorsum : omnes reliquæ tribus seorsum, et mulieres eorum seorsum.* ADADREMMON (הדדרמון), pro quo LXX transtulerunt ῥοῶνος, urbs est juxta Jezraelem, quæ hoc olim vocabulo nuncupata est, et hodie vocatur Maximianopolis in campo Mageddon, in quo Josias, rex justus, a Pharaone cognomento Nechao vulneratus est (IV *Reg.* III) : super quo Lamentationes scripsit Jeremias, quæ leguntur in Ecclesia, et scripsisse eum, Paralipomenon testatur liber (II *Paral.* XXXV). Sicut igitur eo tempore post reges peccatores spes omnis populi erat in Josia, et occiso illo, magnus planctus in urbe commotus est, sicut legimus in Hebraico : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus* (*Thren.* IV, 10) (licet alii juxta intelligentiam spiritualem hoc referant ad Dominum Jesum), ita crucifixo Salvatore renovabitur planctus in Jerusalem, sicut quondam fuit in urbe Adadremmon, in campo Mageddon. Quodque sequitur : *Plangent familiæ et familiæ*, sive *tribus et tribus seorsum : familiæ domus David seorsum, et uxores*, sive *mulieres eorum seorsum*, hoc significat, quod tempore tribulationis et luctus non debeamus servire conjugiis **905** et operi nuptiarum. Unde et in Joel, captivitate propinqua, dicitur ad Judæos : *Egrediatur sponsus de cubiculo* [Al. *cubili*] *suo, et sponsa de thalamo suo* (*Joel.* II, 16). Et impendente diluvio, imperatur Noe : *Ingredere in arcam tu, et filii tui, et uxor tua, et uxores filiorum tuorum* (*Gen.* VII, 1). Et postea finito diluvio, dicit [*Al.* dicitur] ad eum : *Egredere tu, et uxor tua, et filii tui, et uxores eorum* (*Gen.* VIII, 16), ut qui in arca, impendente discrimine, fuerant separati, redditi mundo, generationi et liberis deservirent. Hoc autem non solum in tempore fit angustiæ, sed et in tempore orationis : quando volumus Dominum deprecari, dicente Apostolo ad Corinthios : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (I *Cor.* VII, 5). Igitur et nunc tribus domus David, et tribus domus Nathan, et tribus domus Levi, et tribus domus Semei, a suis uxoribus separantur : ut plangant unigenitum et primogenitum Dominum Jesum, de quo dixerat : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Mat.* XXVII, 25). In David regia tribus accipitur, hoc est, Juda. In Nathan prophetalis ordo describitur. Levi refertur ad sacerdotes, ex quo ortum est sacerdotium. In Semei doctores accipiuntur : ex hac enim tribu magistrorum agmina pullularunt. Reliquas tribus tacuit, quæ non habent aliquod privilegium dignitatis. In eo autem quod ait : Omnes tribus reliquæ, tribus et tribus seorsum, et uxores eorum seorsum, universas absque nomine comprehendit. Dicamus, et juxta LXX ῥοῶν appellatur, non una arbor malorum granatorum, id est, mali punici, sed locus his arboribus consitus, de quo juxta intelligentiam spiritualem sponsus dicit in Cantico canticorum : *Descendi, ut viderem in genimine torrentis si floruisset vinea, si floruissent mala punica* (*Cant.* VI, 10). Descendit enim Salvator ad torrentem hujus sæculi et turbidas aquas, de quibus et in typo ejus Elias bibisse describitur (III *Reg.* XVII) : ut post flores vineæ et mali punici fructum utrumque susciperet, et inebrians Ecclesiam suam, audiret ab ea : *Potabis me de vino unguentarii, de vino malorum granatorum* [c] *meorum* (*Cant.* VIII, 2). Hujuscemodi potio non solum æstus stomachi **906** fugat, sed et corruptum ventrem sanare dicitur, et reliquis prodesse visceribus. Nihil hoc pomo pulchrius ; in rubore, Ecclesiæ significat verecundiam : in granorum ordine, gradus et membra totius corporis per singula officia distributa. Cum in hujuscemodi vinea et malis fructum Salvator non invenerit, dicet : *Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet Pater ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat* (*Joan.* XV, 2). Et in alio loco Joannes Baptista conclamat : *Jam securis ad radices arborum posita est* (*Mat.* III, 10). *Omnis arbor quæ*

[a] Regin. ms., *in majestate regnantem ;* et mox, *a saltu*, pro, *a saltatu*.

[b] Vitiose Martian., *utrum significat*.

[c] Victorius *tuorum* reponi vult. Licet enim, inquit, *meorum* legatur Cant. VIII, et ita esset hic antea impressum : supra tamen in fine cap. IX *tuorum* legitur. Ex personæ enim mutatione, ut hæc quoque vox mutaretur, necesse fuit. Non enim, *potabis me*, ut Hieronymus citat, est in Vulgata ipsisque LXX, sed potius, ποτίσω σε, *potabo te*.

*non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Luc.* III, 9). In succisione vitium [*Al.* vitiorum] vel malorum, [a] quando in die judicii omnia deponentur nomina dignitatum, et impletum fuerit illud quod scriptum est: *Ecce homo et opera ejus* (*Matth.* III, *Luc.* III); et paleæ a tritico separatæ, erit planctus magnus non in alio loco, sed in Jerusalem. Etenim plaga atque judicium a sanctis incipiet, et reges et sacerdotes et prophetæ et doctores tundent manibus pectora: cum mala pulcherrima viderint esse succisa, et eum quem confixerant, in Patris ac sua majestate regnare (I *Petr.* IV).

(Cap. XIII.— Vers. 1.) *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* LXX: *In die illa erit omnis locus apertus in domo David, et habitantibus Jerusalem: et in transmutationem et in aspersionem.* De hoc fonte, qui egreditur de domo David, et in Ezechiele propheta scribitur (*Ezech.* XLVII), quod erumpat fons in domo Domini, et crescat in fluvium, qui appellatur aqua remissionis et indulgentiæ; et pergat ad solitudinem et ad mare, quod nunc vocatur Mortuum, piscesque omnes vivificet, et ex utraque ripa fluminis varii generis consurgant arbores, per singulos menses semper novis fructibus abundantes. Et ut sciamus domum, hoc est, templum Dei, ipsam esse domum David, quæ in Ezechiele domus Dei, in Zacharia domus David appellatur: hic fons de domo Dei egrediens, refertur ad Ecclesiam et ad scientiam Scripturarum, ut omnes renascamur in Christo, et in aqua baptismatis nostra nobis peccata **907** donentur. Nihil immundius menstruata, quæ quidquid attigerit, immundum facit: et hujus tamen sordes Christi abluentur baptismate. Pro ablutione peccatorum et menstruatæ, LXX transtulerunt, *transmutationem* et *aspersionem:* quod de Lege transeamus ad Evangelium, de littera ad spiritum, de umbra ad veritatem, pro brevibus et præsentibus futura et æterna succedant. Aspersio autem sanguinem Domini significat, de quo et Petrus apostolus loquitur: *Gratia vobis, et pax multiplicetur, in obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi* (I *Pet.* I, 2). Et rursum: *Scientes quod non corruptibilibus argento et auro redempti estis, sed sanguine pretioso, ut agni immaculati et purissimi* (*Ibid.*, 18), quo qui aspersus fuerit et redemptus, dicere poterit cum propheta: *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L, 9).

(Vers. 2.) *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra, et prophetas* [Vulg. *pseudoprophetas*], *et spiritum immundum auferam de terra.* LXX: *Et erit in die illa, dicit Dominus Sabaoth, disperdam nomina idolorum de terra, et non erit ultra eorum memoria, et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra.* In die illa quam crebro commemorat, omnia idola auferentur de terra, sive illa idola de quibus Psalmista dicit: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum* (*Ps.* CXIII, 12), ut nulla sit alia religio, nisi tantum nominis Christiani, et de quibus in propheta scriptum est: *Ululate, sculptilia in Jerusalem et in Samaria. Sicut enim feci Samariæ et sculptilibus illius; sic faciam Jerusalem et idolis ejus* (*Jer.* XXX). Sive hæc idola, de quibus Apostolus loquitur: *Spiritus autem manifeste dicit: quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam suam* (I *Tim.* IV, 1, 2). Sicut enim idola fiunt manu artificis: ita hæreticorum perversa doctrina, quodcumque simulaverit, vertit in idolum, et facit pro Christo adorari Antichristum. Pro pseudoprophetis, in Hebraico absolute leguntur *prophetæ*, id est, NEBIM (נביאים), qui et ipsi pseudoprophetas significant; sed tamen et ab **908** ethnicis sacerdotes idolorum vocantur prophetæ.

(Vers. 3.) *Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini:* [b] *et configent eum pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum* [Vulg. *genitores ejus*], *cum prophetaverit.* LXX: *Et erit, si prophetaverit homo ultra, dicet ad eum pater suus et mater sua, qui genuerunt eum: Non vives, quoniam mendacium locutus es in nomine Domini: et compedient eum pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum, cum prophetaverit.* Nominibus idolorum de terra sublatis, et pseudoprophetis, atque immundo spiritu qui loquebatur in eis, si quis ultra tentare voluerit, et quippiam ex persona Domini prophetare, statim pater ejus et mater obliviscentur parentum, ut Dei retineant servitutem, et proferent contra filium mortis sententiam: et tam piæ erunt omnium in Deum mentes, ut non exspectetur publicum judicium; sed pereant qui tales sunt, sententia propinquorum. Pro eo quod nos diximus, *configent eum*, idem verbum est in Hebræo quod supra, DACARU (דקרו). Qua ergo ratione LXX interpretes ibi κατωρχήσαντο, id est, *insultaverunt*, sive *illuserunt*, et ut verbum de verbo exprimam, *contra eum saltaverunt;* et hic συμποδιοῦσιν transferre voluerunt, id est, *compedient:* eum et Aquila, et Symmachus, et Theodotio, et ibi et hic similiter verterint, *confixerunt.* Recte autem qui falsa prophetaverit, *homo* appellatus est, dicente Apostolo: *Cum enim sint inter vos æmulationes et contentiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* III, 3)? Et in Psalmis: *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI, 7). Et indigni spiritu Dei merentur audire: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis: quia* [c] *carnales sunt* (*Gen.* VI, 3).

(Vers. 3 seqq.) *Et erit in die illa, confundentur*

[a] Minus bene penes Martian, *quoniam in die*, etc.
[b] Interserit Regin. ms. *illudent*, sacro renuente textu.
[c] In aliis libris, *quia carnes sunt.*

*prophetæ unusquisque ex visione sua, cum prophetaverit, nec operientur pallio saccino ut mentiantur: sed dicet, Non sum propheta : homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant* **909** *me.* LXX : *Et erit in die illa, confundentur prophetæ unusquisque ex visione sua cum prophetaverit : et induentur pelle cilicina, qua mentiti sunt, et dicet : Non sum prophetes ego, quia homo genuit me a juventute mea, et dicam ad eum : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: Quibus percussus sum in domo diligentis me.* Qui prophetare tentaverit, et parentum judicio fuerit condemnatus, et vaticinii illius falsitatem rerum contrarius exitus approbaverit, confundetur ex visione sua, nec ultra operietur cilicio ut mentiatur. Hic enim erat habitus prophetarum, ut quando populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio. Unde et Isaiæ præcipitur, ut auferat saccum de lumbis suis, et nudus incedat (*Isai.* xx) : nequaquam enim tempus esse pœnitentiæ, sed imminentis captivitatis. Ergo et iste pseudopropheta nequaquam habitum accipiet prophetalem, ne sub alieno vestitu et operimento simplices quosque decipiat; sed magis terram findet vomere, et agriculturæ deditus hominem se probabit. Deique subjacere sententiæ, qui locutus est ad Adam : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos germinabit tibi : et comedes herbas terræ : et in sudore vultus tui vesceris pane* (*Gen.* III, 17 *et* 18). Cumque se ostenderit ad hoc natum, ut in sudore faciei suæ comedat panem suum, interrogabit eum alter, et dicet : Quid sibi volunt istæ plagæ, et hæc vulnera quæ in medio manuum tuarum sunt? Et est sensus : Quare adhæres patibulo? cur manus tuæ transfixæ sunt clavis? quid commisisti, ut huic pœnæ et cruciatui subjaceres? Et ille respondebit, et dicet : Hæc vulnera et has accepi plagas, parentum meorum judicio condemnatus, et eorum qui me non oderant, sed amabant. Et intantum, fugato mendacio, veritas obtinebit, ut etiam ipse qui suo punitus est [a] vitio, recte perpessum se esse fatealur. Hebræi hoc quod scriptum est : *Nec operientur pallio saccino, ut mentiantur*, sic edisserunt, et non replebuntur spiritu dæmoniaco, quos τριχιῶντας, id est, *pilosos*, in Isaia legimus, ne per hanc occasionem ementiti habitus, Dei **910** in se eloquia mentiantur, sive Dominum negent : CHAESU (כחשו) enim, et *mentiantur* et *negent*, interpretari protest.

(Vers. 7 seqq.) *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute pastorem , et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus : partes duæ in ea* [b] *dispergentur, et deficient ; et tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem , et uram eos sicut uritur argentum : et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum , et ego exaudiam eum : dicam, Populus meus es : et ipse dicet, Dominus Deus meus.* LXX : *Framea, consurge super pastorem meum, et super virum civem ejus, dicit Dominus omnipotens. Percute pastorem , et dispergentur oves : et inducam manum meam super pastores. Et erit in die illa, dicit Dominus, duæ partes peribunt et deficient, et tertia pars relinquetur in ea : et transducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit nomen meum, et ego exaudiam eum, et dicam, Populus meus iste est, et ipse dicet, Dominus Deus meus es tu.* Pro framea quam LXX ῥομφαίαν transtulerunt in Hebraico AREB (חרב), apud Aquilam et Symmachum, μάχαιραν, id est, *gladium* sive *mucronem* reperimus. Et pro eo quod nos vertimus *super virum cohærentem mihi*, id est, προσκεκολλημένον μοι, Aquila interpretatus est *super virum contribulem meum* , id est, σύμφυλόν μου [*Al.* μοι] : Symmachus , *super virum populi mei*, quod Hebraice dicitur AMITHI (עמיתי) : LXX : *super virum civem ejus :* Theodotio, *super virum proximum ejus :* VAU in fine sermonis pro JOD legentes, quæ litteræ sola inter se distant magnitudine; et si JOD legatur, *meum* significat : si VAU, *ejus.* Miror autem quosdam hanc prophetiam (quam evangelista Matthæus retulit ad Dominum Salvatorem postquam in passione ejus fugere discipuli , et tunc eam dicit esse completam) allegoricis interpretationibus velle tenuare, et dum plus cupiunt videri nosse quam cæteri, veritatis regulam non tenere. Refert enim evangelista Matthæus : *Tunc dicit illis Jesus : omnes vos scandalum patiemini in me in* **911** *ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Et iterum : *Hoc autem totum factum est, ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (*Matt.* xxvi, 31 *seqq.*). Nec putandum est de altero loco assumptum testimonium, quia in Evangelio Deus a se dicit pastorem esse percussum , et in præsenti loco , gladio atque mucroni legimus imperatum : *Percute pastorem , et dispergentur oves.* Hic gladius et hæc romphæa est et framea, de qua et in vicesimo primo psalmo Dominus loquitur ad Patrem : *Erue a framea animam meam, et de manu canis unicam meam* (*Psal.* xxi, 12). De hac romphæa et in Amos propheta scriptum est : *In gladio morientur omnes peccatores terræ* (*Amos* ix, 10). Quod juxta litteram penitus stare non potest : multi enim peccatores naufragio pereunt : alii veneno : hi aquis suffocantur, illos consumit incendium. Hoc autem gladio et hac romphæa omnes intereunt [*Al.* puniuntur] peccatores, et tetri coloris Æthiopes, de quibus Sophonias sacro ore testatur, dicens : *Sed et vos , Æthiopes , interfecti gladio meo eritis* (*Sophon.* i , 12). Postquam pastor bonus qui animam suam posuit pro ovibus suis (*Joan.* x, 15) , qui locutus ad Patrem est : *Quem tu percussisti , ipsi persecuti sunt,*

[a] Regin. ms., *suo punitus est judicio.*

[b] Ex Vulgata editione rescribit Victorius, *dispergentur*, quam, inquit, emendationem approbat et Hebraica vox יכרתו, et Græca ἐξολοτρευθήσεται.

*et super dolorem vulnerum meorum adjiciebant* ( *Ps.* LXVIII, 27), Patris voluntate percussus est, et vir cohærens Deo qui ait : *Ego in Patre , et Pater in me* (*Joan.* XIII, 10), pependit in patibulo, et dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46): statim dispersæ sunt oves , omnis in Christo multitudo credentium. Convertitque Dominus manum suam, ut in LXX legimus, ad pastores, quos multi male Judæorum principes interpretantur. Ut autem in Hebræo scriptum est, *ad parvulos*, quibus Dominus dixerat in Evangelio : *Ne timeas, grex parvule* (*Ibid.*, XII). Et in Isaia : *Ecce ego et pueri*, sive *parvuli , quos mihi dedit Deus* ( *Isai.* VIII, 18). Et duæ partes factæ sunt in omni terra Judæorum atque gentilium , qui pariter perierunt et defecerunt : in passione enim ejus, vox Psalmistæ completa est dicentis : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Psal.* XI, 1). Et : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Ps.* XIII, 3). Pereuntibus **912** gentilibus et Judæis, tertia in orbe pars, hoc est, tertius Christianorum populus , repente succrevit. Et pulchre ait: *Tertia pars relinquetur in ea*, hoc est, in terra : quia de Judæis atque gentilibus hi qui Dominum confessi sunt, soli vitæ et habitationi terræ reservati sunt. Ipsa quoque tertia pars ne delicata esset , et secura [a] confessione, quasi argentum et aurum per ignem ducitur et probatur, quem et Dominus in credentibus ardere cupit ( *Luc.* XII ), et Paulus fervere desiderat (*Rom.* XII). Unde et apostoli in spiritu et igne Domini baptizati (*Act.* II) loquuntur in psalmo : *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum* ( *Psal.* LXV, 10, 11 ). Et post paululum : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* : Et in alio loco dicitur ad credentem : *Si transieris per ignem , flamma non comburet te : quia tecum sum* (*Isai.* XLIII, 2). Idcirco autem non consumit incendium , et flamma non devorat , *quia vox Domini intercidentis flammam ignis* (*Ps.* XXVIII, 7). Cum sic probati fuerint parvuli , super quos Dominus convertit manum suam, et per vocationem eorum omnis nationum turba crediderit , tunc credentium populus vocabit Christum nomine suo, et illo dicente : *Tu es populus meus*, populus respondebit : *Dominus Deus meus es tu.* Judæi hæc ad Christum referunt : et in ultimo tempore futura contendunt ; sed hoc inter nos et illos est, quod nos expleta jam dicimus, illi explenda commemorant.

(Cap. XIV. — Vers. 1, 2.) *Ecce dies veniunt* [Vulg. *venient*] *Domini, et dividentur spolia tua in medio tui. Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capietur civitas, et vastabuntur domus , et mulieres violabuntur, et egredietur media pars civitatis in captivitatem , et reliquum populi non auferetur ex urbe.* LXX : *Ecce dies Domini veniunt, et dividentur spolia tua in te, et congregabo omnes gentes super Jerusalem, ad bellandum; et capietur civitas, et diripientur domus, et mulieres polluentur, et egredietur media pars civitatis in captivitatem : reliqui autem populi* [b] *mei non peribunt de civitate.* Dies quos venturos Dominus comminatur, ut dividantur spolia Jerusalem in medio ejus, et cætera quæ prophetalis sermo comprehendit, **913** hi sunt de quibus et in Isaia legimus : *Dies Domini insanabilis veniet furoris et iræ, ponere totum orbem in solitudinem, et peccatores auferre de eo* (*Isai.* XIII, 9). Quanta autem necessitas erit , ut spolia ejus dividantur in medio illius? Solet hoc frequenter accidere, ut quæ subito impetu in civitate direpta sunt, foris in agro aut in solitudine dividantur, ne forte hostes superveniant. Hic autem tantum malorum pondus incumbet, ut quæ direpta sunt, in civitatis medio dividantur pro securitate victoriæ. Et non solum capietur Jerusalem, cunctis gentibus adversum eam in prælio concitatis; sed et vastabuntur domus habitantium Jerusalem, et mulieres violabuntur in dolorem dominorum et maritorum, qui nec populationem domorum, nec uxorum stuprum ab hostibus prohibere poterunt, juxta illud quod alibi legimus : *Qui congregati sunt in medio tui, gladio cadent et filios vestros in conspectu vestro allident, et domus vestras deprædabuntur, et uxores vestras habebunt* (*Isai.* XIII), quo nihil crudelius nihilque miserius inveniri potest, ut timore mortis propriæ, nec salutem filiorum, nec uxorum pudicitiam defendere audeant. Hoc ipsum et Amos propheta ad Amasiam impium sacerdotem comminans loquitur : *Uxor tua in civitate fornicabitur, et filii tui et filiæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur* (*Amos* VII, 17). Et hæc populo Judæorum universa contingent : *Quia fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversum Dominum et adversum Christum ejus* (*Psal.* II, 1, 2). Qui irrisit et subsannavit eos, et in furore suo conturbavit illos, intantum ut Apostolus quoque cerneus eos annos qui ad pœnitentiam dati fuerant, jam esse completos, et nihilominus illos in negatione persistere qui occiderunt Dominum, et prophetas et apostolos persecuti sunt, dixerit : *Pervenit super eos* [Al. *nos*] *ira in finem* (I *Thess.* II, 16). Hæc omnia plenissime Josephus, qui Judaicam scripsit historiam, et multo majora quam legimus in prophetis, eos sustinuisse commemorat. Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani Vitas Cæsarum **914** triginta voluminibus exaravit. Quomodo autem media pars capta sit civitatis, et reliquus populus in urbe permanserit, et illo tempore et aliis approbatur, septentrionalem urbis et inferiorem partem esse captam, montem autem templi, et Sion, in quo arx erat, integra remansisse. Judæi hæc sub Gog dicunt esse complenda : alii temporibus Macedonum et Ægyptiorum, diversarumque gentium ex parte transacta. Nos temporis [c] veritatem

[a] Regin. ms., *et secura confessio.*
[b] Additum, *mei*, post Victorium ex Regin. ms. suffecimus, Græco ipso cogente textu, τοῦ λαοῦ μου.
[c] Victorius, *temporis varietatem* ; tum duo mss., *Domini scientia relinquentes.*

Domini sententiæ relinquentes, quæ scripta sunt, explicemus.

(Vers. 3, 4.) *Et egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem, et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem et ad Occidentem, prærupto grandi valde.* LXX : *Et egredietur Dominus, et prœliabitur contra gentes illas, sicut in die commissionis, et in die prœlii : et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientalem plagam. Et scindetur mons Olivarum, media pars ejus ad Orientem, et media pars illius ad mare, voragine magna nimis.* Egredi Deum, et pugnare contra gentes, et stare pedes ejus super montem Oliveti, et cætera quæ in Scripturis sanctis ἀνθρωποπάθως dicta, et carnaliter continentur, digne Deo debemus accipere. Alioquin, cum loquatur Apostolus : *Qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 15). Et rursum : *Regi autem sæculorum incorruptibili, invisibili Deo* (I *Tim.* I, 17). Et in Evangelio scriptum sit : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse narravit* (*Joan.* I, 18). Et iterum : *Non quia Deum vidit quisquam, præter eum qui est de Patre* ( *Ibidem*, VI ) : sicut iram ejus et pœnitentiam, et animam, et manus, et pedes, et ventrem, et oculos, et cætera corporis membra, pro varietate causarum et sensuum interpretationis accipimus : sic et hoc quod scriptum est, *Egredietur Dominus, et prœliabitur*, juxta illud accipiendum quod in Abacuc legimus : *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo* (*Abac.* III, 13). Et in Michæa : *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendit et calcabit super excelsa terræ, et consumentur* **915** *montes* [a] *subtus eum, vallesque scindentur* (*Mich.* I, 3, 4). In Isaia quoque : *Dominus virtutum egredietur, et conteret bellum, et suscitabit zelum, et clamabit super hostes suos cum fortitudine* (*Isai.* XLII, 13). Egredietur ergo Deus de loco suo, quando quietem et mansuetudinem et clementiam suam pro emendatione peccantium rumpere cogitur, qui cum per naturam dulcis sit, vitio nostro παραπικραίνεται, id est, *amarus efficitur* : non sibi, sed patientibus, quibus amara tormenta sunt. Iste qui alibi loquitur per prophetam : *Ego sum Deus, et non commutor* (*Malach.* III, 6). Et ad ipsum dicitur : *Tu autem idem es, et permanes* (*Ps.* CI, 28). Et in epistola Jacobi : *Apud quem non est commutatio* ( *Jacob.* I, 17 ) : nunc egreditur et prœliatur sicut in die certaminis, quando Pharaonem in mari submersit Rubro, et pro Israelitico populo dimicavit (*Exod.* XIV). Et stabunt pedes ejus his quorum misertus fuerit, et nequaquam movebuntur, ut rursum de eo dici possit : *Et Dominus tuba canet ; et ambulabit in* [b] *comminatione iræ suæ* (*Zach.* IX). Nec ambulabit, declinante jam sole, et vicinis tenebris post meridiem, quod super Adam eum fecisse legimus (*Gen.* III). Cumque steterit, non stabit in valle et in locis humilibus, sed in monte, qui non infructuosas arbores habeat, et silvam sterilem ; sed ubi oliveta nascuntur, quibus alitur lumen æternum, et solvuntur infirmitates, et requies lassis tribuitur. Et ipse mons Olivarum in quo stant pedes Domini, contra Jerusalem est et ad Orientem, unde oritur sol justitiæ, illisque olivis consitus est, de quibus dicitur : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ* (*Ps.* CXXVII, 3). Cujus media pars scindetur ad orientem, in qua sunt arbores plantatæ de gentibus, de quibus una loquitur : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Ps.* LI, 10). Et altera media pars scindetur ad Occidentem et mare, prærupto grandi valde, qui circumcisionis est populus, ad quem Deus loquitur per prophetam : *Quid dilecta mea in domo mea fecit abominationem ? Numquid vota et carnes sanctæ auferent a te malitias* (*Jer.* XI, 15) ; aut in his effugies? Hæc dilecta in domo Dei fecit abominationem, **916** ut Dei Filium crucifigeret, et audiret : *Olivam umbrosam, et nemorosam* [c] *pulchritudinem vocavit Dominus nomen tuum ;* et inutiles facti sunt rami tui, qui fracti sunt de bona radice, ut nos in locum eorum insereremur. Et animadverte mysteria Scripturarum, quando [*Al.* quomodo] media pars quæ vergit ad Occidentem, et salsis atque amaris fluctibus tunditur, non simpliciter in mari esse dicatur, sed in prærupta maris voragine et magna nimis, de qua et Michæas loquitur : *Detraham in vallem lapides ejus* ( haud dubium quin Jerusalem), *et fundamenta ejus revelabo* (*Mich.* I, 6). Hæc ut in locis difficillimis et valde obscuris, pro tenuitate virium nostrarum diximus. Cæterum Judæi occidentem sequentes litteram, conantur ostendere, stantem Dominum super montem Oliveti, et ipsum montem in duas partes esse divisum, ut contra orientem unius partis habeat scissura principium, et altera pars finem tendat ad Occidentem : et in medio valde [*Al.* valle] præcipiti, alia pars ad Aquilonem, ad Austrum alia dividatur.

(Vers. 5) *Et separabitur* [d] *medium montis ad Aquilonem, et medium ejus ad Meridiem. Et fugietis ad vallem montium meorum : quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum, et fugietis sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Juda, et veniet Dominus Deus meus : omnesque sancti cum eo.* LXX : *Et inclinabit media pars montis ad Aquilonem, et media pars ejus ad Austrum. Et obturabitur vallis montium meorum, et* [e] *adjungetur vallis montium*

[a] Mendose retinuit Martian. *super*. Victorius *subter* scripserat : nos sequimur Reginæ exemplar.

[b] Ex ipso Zachariæ textu corrigit Victorius, *in commotione*, quod est Græce apud LXX ἐν σάλῳ. Vulgata editio habet, *in turbine*.

[c] Idem legendum contendit. *pulchritudine* : quod sit Græce apud LXX : εὐσχιον τῷ εἴδει.

[d] In Hieron. interpretatione *mons* absolute pro *medium montis* legitur, dissentiente Hebræo הַצִּי הָהָר. Vide quæ in eum locum annotamus.

[e] Regin. ms. *replebitur*, pro *adjungetur* : est autem in Græco, ἐγκολληθήσεται.

*usque ad Asael : et replebitur sicut repleta est a facie terræmotus in diebus Osiæ regis Juda, et aderit Dominus Deus meus, et omnes sancti cum eo.* Pro eo quod nos diximus, *fugietis*, LXX et reliqui interpretes [a] ἐμφραχθήσεται, id est, *obturabitur*, sive *replebitur*, transtulerunt. Et pro eo quod nos posuimus, *quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum*; pro proximo, LXX *Asael* transtulerunt : Aquila ipsum verbum Hebraicum posuit ASEL (אצל) per *e* brevem litteram (ἀζέλ), Theodotio per extensam (ἀζήλ); solus **917** Symmachus *proximum* interpretatus est, quem et nos secuti sumus. Dicamus παραφραστικῶς ut possint patere quæ scripta sunt : Cum mons Oliveti grandi voragine præruptus fuerit, ita ut una pars voraginis ad Orientem, altera ad Occidentem respiciat, repente et in ipsa voragine excelsa ex utraque parte prærupto, alia vorago rumpetur ad Aquilonem, alia ad Austrum, et præruptum quadrangulum fiet, ut quadrifariam in quatuor plagas Orientis et Occidentis, Aquilonis et Austri vorago tendatur. Et fugietis, inquit, ad vallem quæ est inter templum et Sion. Hi enim templi et Sion duo montes, Dei montes appellantur ; quia vallis illa montis Oliveti, quæ præruptis hinc atque inde montibus cingitur, usque ad templi montem qui sanctus est, suam voraginem trahet. Terræmotus autem in diebus Osiæ regis Juda, illius temporis traditur, quando Osias, qui altero nomine Azarias dicitur, illicitum sibi sacerdotium vendicare conatus, lepra percussus in fronte est (II *Par.* XXVI), de quo terræmotu et in Amos principio (*Amos* I) legimus : *Verba Amos qui fuit in pastoralibus de Thecue, quæ vidit super Israel in diebus Osiæ regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræmotus* (*Isai.* I). Denique postquam hic mortuus est rex scelestus, ad cujus impietatem omnis terra commota est, vidit Isaias visionem magnam, quam suo volumini intexuit. Transeamus ad intelligentiam spiritualem. Postquam mons Olivarum ad Orientem et Occidentem vocatione Gentium et abjectione Judæorum fuerit separatus, rursum alia scissura fiet Aquilonis et Austri. Aquilo jungetur Occidenti, Auster Orientali plagæ ; ad sinistram stabit Circumcisio, ad dextram populus Christianus. De his duobus ventis Ecclesia loquitur : *Surge, Aquilo, et veni, Auster* (*Cant.* IV, 16), ut Aquilone vento frigidissimo recedente, qui interpretatur diabolus, Auster calidus ventus adveniat, quem sponsa perquirens, ait : *Ubi pascis, ubi cubas, in meridie* (*Ibid.*, I, 16)? De quo et Abacuc mystice loquitur : *Deus de Theman veniet* (*Abac.* III, 3), pro quo in Hebraico scriptum est : *Deus ab Austro*, id est, *a luce plenissima.* De qua alibi Psalmista conclamat : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXVI). Cum autem tanta fuerit duorum populorum in toto orbe divisio, ut alii **918** ad Orientem et Austrum, id est, ad dextram : alii ad Aquilonem, et Occidentem, ad sinistram videlicet separentur, tunc quicumque sanctus est, fugiet ad vallem montium Dei, de quibus supra diximus, templi et Sion, duo videlicet Testamenta : quoniam vorago illa quæ prius fuerat utriusque montis, tendetur usque ad Asael, hoc est, usque ad domum Dei, quæ vicina est paradiso, et cœlesti Jerusalem, et monti sancto, in quo templum situm est. Et sicut eo tempore quo sub Osia rege leproso vehementissimus terræmotus mortalium corda perterruit, et territos huc illucque dispersit : ita duorum populorum separatio, et rursum credentium in una fide societas, inter duos montes placabili sede requiescet : quoniam et vetus et novum Instrumentum sibi utrumque jungetur. Quod autem dicitur, *usque ad Asael*, id est, *usque ad proximum*, hoc significat, juncta quidem sibi esse duo Instrumenta Legis et Evangelii ; sed ita juncta ut magis vicina sint quam unita : multa enim veteris Legis amisimus, et novæ gratiæ suscepimus. Cum autem hoc fuerit ratione perfectum : tunc veniet, inquit, Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Sin autem voluerimus pro eo quod nos diximus, *fugietis*, sequi illud quod alii Interpretes transtulerunt, *obturabitur*, sive *replebitur* vallis montium eorum : hoc dicemus, quod adventus Domini Salvatoris, duobus inter se populis separatis, obturet et repleat eam voraginem quæ duos populos dividebat, ut plana via ad se mutuo gradiantur.

(Vers. 6, 7.) *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus et gelu. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox, et in tempore vesperi erit lux.* LXX : *In die illa non erit lux, sed frigus et gelu erit una die, et dies illa nota erit Domino : et non dies neque nox, et ad vesperam erit lux.* Manifeste de secundo Salvatoris prædicatur adventu, de quo et Joannes in Apocalypsi sua [*Al.* sic] loquitur : *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui eum compunxerunt* (*Apoc.* I, 7). Et Dominus in Evangelio pronuntiat venturum Filium hominis in nubibus cœli cum fortitudine et gloria multa (*Matth.* XXIV). [b] Veniet cum nubibus, id est, angelis, qui sunt ministri spiritus, et ad diversa mittuntur officia, et cum prophetis atque apostolis, **919** de quibus scriptum est : *Veritas tua usque ad nubes* (*Psal.* XXXV, 6). Cumque dies adventus ejus fuerit impletus, non erit lux, sed frigus et gelu, refrigerata omnium charitate, et præ multitudine malorum quæ superventura sunt, frigescentibus cunctis, et calorem pristinæ fidei perdentibus. Postquam autem omnes peccatores frigus suum geluque contraxerit, una dies erit atque perpetua : nequaquam sibi luce et tenebris, die et nocte succedentibus ; sed ipse Dominus erit lux omnium : de quo Isaias plenius : *Non erit*, inquit, *tibi sol in lucem diei, neque ortus lunæ illuminabit te per noctem ; sed erit tibi Dominus lux æterna, et Deus tuus gloria tua* (*Isai.* LX, 19). Qui et in alio loco clamat

[a] Vitiose erat penes Martianæum, ἐμφαχθήσεται.
[b] Reperit Victorius : *Veniet autem cum fortitudine et gloria multa.*

ad Jerusalem : *Illuminare, illuminare, Jerusalem : venit enim lux tua super te, et gloria Dei tui super te orta est. Ecce enim tenebræ et caligo operient terram super gentes : super te autem apparebit Dominus, et gloria* [a] *ejus in te videbitur. Et ibunt reges in lumine tuo, et gentes in splendore tuo* (*Vers.* 1 *et seqq.*). Si caligo et tenebræ operient terram super gentes, quomodo rursum gentes ambulabunt in splendore Domini ? Sed illæ gentes erunt in tenebris quas frigus geluque contraxerit : et illæ ambulabunt lumine Domini, quæ secutæ fuerint reges, apostolos et prophetas, de quibus scriptum est : *Cor regis in manu Domini* (*Prov.* XXI, 1). Denique in tempore vesperi, hoc est, tenebrarum et tristitiæ omnium peccatorum, sanctis lux erit, et una et æterna dies, quæ si nota erit Domino (neque enim ignorare poterit quam creavit), considerandum est quomodo dicat in Evangelio, quod diem illam nec angeli, nec Filius noverit, nisi solus Pater (*Matth.* XXIV).

(Vers. 8.) *Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem, medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare Novissimum : in æstate et in hieme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram.* LXX : *In die illa egredietur aqua viva de Jerusalem, media ejus pars ad mare primum, et media pars ad mare novissimum : in æstate et in vere erit sic : et erit Dominus in regem super omnem terram.* In illo tempore (hoc enim significat dies quæ soli nota est Domino, in qua sibi non succedent lux et tenebræ ; sed erit **920** lumen perpetuum, juxta illud quod in Apocalypsi legimus : *Et civitas non habebit necessariam lucem solis, quoniam Dominus Deus omnipotens lumen ejus erit* [*Apoc.* XXI, 13]), egredientur aquæ viventes de Jerusalem, de quibus supra (*Cap.* XIII) ponentes Ezechielis testimonium, disputavimus, quarum media pars ibit ad mare Orientale ; quod Græcorum libri λίμνην Ἀσφαλτῖτιν [*Mss.* Ἀσφαλτίτην] vocant, et vulgo *mare* appellatur *Mortuum*, ex eo quod nihil in aquis ejus possit vivere. Et media pars ad mare novissimum, quod ducit ad Ægyptum, et facit littora Palæstinæ. In æstate, inquit, et in hieme ita erit, ut aquæ istæ quæ exibunt de Jerusalem, nec gelu constringantur hiemis, nec æstatis nimio fervore siccentur : quamquam pro hieme *vernum tempus* Septuaginta transtulerint, quod ad distinctionem æstatis non convenit. Cumque vitales aquæ utrumque mare fuerint ingressæ, et amaras aquas dulci flumine mitigarint : tunc erit Dominus rex super omnem terram. Aqua quæ egreditur de Jerusalem, hoc est, de Ecclesia, doctrinam indicat Salvatoris : *De Sion enim egreditur lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Isai.* II, 3) ; juxta illud quod alibi scriptum est : *Repleta sunt omnia scientia Domini, sicut aqua multa operiens mare* (*Ibid.*, XI, 9). Harum aquarum media pars ibit ad mare Orientale, populum Circumcisionis, qui in apostolis et per apostolos est electus ; et medium earum ad mare Novissimum, ut de Oriente et Occidente veniant qui accumbent cum Abraham ; Isaac et Jacob. Vel certe Orientale mare et mare Novissimum, intelligamus vetus Instrumentum et novum, quod nisi flumine Salvatoris et spirituali ejus intelligentia fuerit dulcoratum, amarissimum est ; occidente littera, et spiritu vivificante (*Matth.* VIII). Quodque sequitur : *In æstate et in hieme erunt*, subauditur aquæ vivæ quæ egrediuntur de Jerusalem, ut et in pace et in persecutionibus istæ viventes aquæ manare non cessent. Sive quia LXX transtulerunt, *In æstate et in vere ita erit*, hoc dicamus, quod illo tempore non sit hiems, sed ver, æstasque perpetua, quando vox turturis audietur in terra nostra, et ficus afferent grossos suos, et vi- **921** neæ florebunt, et hiems pertransibit, et pluvia recedet, et abibit sibi (*Cant.* II). In quo [*Al.* illo] tempore ideo ver necessarium erit, quia flores apparebunt in terra nostra ut celebremus Pascha et Pentecosten, in quibus de terrenis transeamus ad cœlestia, et omnes fructus nostros offeramus Deo. In Phase enim hiemis finis, veris exordium est ; in Pentecoste æstatis principium, quando labores manuum nostrarum et fructuum offerimus Deo. De hac æstate et vere perpetuo justus loquitur ad Dominum : *Tu fabricatus es auroram et solem, æstatem et ver tu plasmasti* (*Ps.* LXXIII, 16, 17). Tunc erit Dominus rex super omnem terram, quando dicemus : *Dominus regnavit, exsultet terra* (*Ps.* XCVI, 1). Et iterum : *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur* (*Ps.* XCV, 10). Aquam autem vivam recte a nobis doctrinam Salvatoris expositam, sciet ille qui biberit, et qui Salvatorem audierit prædicantem : *Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viventis, et salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Et rursum : *Qui credit in me* (*sicut dixit Scriptura*) *de ventre ejus egredientur flumina aquæ viventis* (*Joan.* VII, 38). Sicut enim qui biberit de doctrina ejus, habebit in se fontem viventem : sic qui crediderit in eo, juxta id quod Scripturarum vocibus continetur, flumina aquæ viventis egredientur de ventre illius. Aquas viventes multi ad baptismum referunt, quæ in vere et in æstate, hoc est, in Pascha et Pentecoste, sitientibus largiendæ sunt, quando implebitur quod scriptum est : *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* I, 16).

(Vers. 9 seqq.). *In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum : et revertetur omnis terra usque ad desertum de colle Remmon ad Austrum Jerusalem : et exaltabitur, et habitabitur in loco suo, a porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, usque ad portam angulorum : et a turre Ananeel usque ad torcularia regis, et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius, sed sedebit Jerusalem secura.* LXX : *In die illa erit Dominus unus, et nomen ejus unum : circuiens omnem terram, et desertum a Gabaa usque Remmon ad Austrum Jerusalem : Rhama vero in loco permaθήσεται.* Antea erat, *et gloria Dei tui super te orta est :* pro quo Victorius restituerat, *orietur.*

[a] Ita rescripsimus ad Regii cod. fidem, Græco totidem verbis concinente, καὶ ἡ δόξα αὐτοῦ ἐπὶ σὲ ὀφ-

*nebit, a porta Benjamin, usque ad portam* **922** *primam, usque ad portam angulorum, et usque ad turrem* [a] *Anamael, usque ad torcularia regis habitabunt in ea, et anathema ultra non erit, et habitabit Jerusalem confidens.* Exstructionem urbis Jerusalem, et aquarum egressum de medio ejus, quæ ad utrumque defluant mare, Judæi et Christiani judaizantes, ultimo sibi tempore repromittunt, quando rursum exercenda circumcisio sit, et immolandæ victimæ, et omnia Legis præcepta servanda, ut non Judæi Christiani, sed Christiani Judæi fiant. In die, inquiunt, illa, quando Christus in Jerusalem aurea atque gemmata sederit regnaturus, non erunt idola nec divinitatis cultura diversa, sed erit Dominus unus, et revertetur omnis terra usque ad solitudinem, id est, in antiquum statum. Ponitque locorum vocabula a quo loco usque ad quem locum ædificanda sit Jerusalem: de colle Remmon (hoc enim Gabaa sonat, ubi arbor maligranati est) usque ad australem plagam Jerusalem. Quodque sequitur: *Rhama autem in loco suo permanebit*, melius interpretatus est Aquila et cæteri, qui posuerunt, *exaltabitur*: Rhama quippe *exaltatio* dicitur, juxta illud prophetale et Evangelicum: *Vox in Rhama audita est*, hoc est, *in excelsis sonuit* (*Matth.* II, 18). Exaltabitur itaque Jerusalem, et ædificabitur in loco pristino, a porta Benjamin, usque ad portam quæ dicitur angulorum, et a turre Ananeel (non ut Græci et Latini male legunt Anamael) usque ad torcularia regis: quod Hebraice scriptum est AMMELECH (חמלך) [*Al.* Amalech]. Et habitabunt, inquit, in ea, hoc est, in Jerusalem: et anathema amplius non erit: nullus videlicet metus hostilis impetus, nulla formido; sed sedebit vel habitabitur Jerusalem æterna pace requiescens. Hæc Judæi juxta litteram somniant, et nostri χιλιασταί, qui rursum audire desiderant: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* I, 28), et pro hujus vitæ continentia brevique jejunio, bulbos sibi, et vulvas, et aves [b] Phasidis, et attagenem, nequaquam [c] Ionicum, sed Judaicum repromittunt, de quibus vere potest Dominus dicere: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt* (*Gen.* VI, 3). *Caro enim pugnat contra spiritum,* **923** *et spiritus contra carnem* (*Galat.* V, 17). Nec opponant nobis Joannis Apocalypsim (*Cap.* XX), quia et ipsa spiritualiter disserenda est. Nos autem cœlestem Jerusalem interpretemur Ecclesiam, quæ, in carne ambulans, non vivit secundum carnem, cujus municipatus in cœlo est (*Philipp.* III). Postquam enim Dominus Jesus rex fuerit super omnem terram, de quo ad Patrem Spiritus sanctus loquitur per Prophetam: *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 1): tunc unus Dominus erit, de quo scriptum est: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus* (*Deut.* IV, 35): Et unum nomen ejus, omni prava religione calcata, juxta illud quod Propheta decantat: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* (*Ps.* VIII, 1)! Et rursum: *Magnificasti super omnes nomen sanctum tuum* (*Ps.* CXXXVII, 3). Et alibi: *Sicut nomen tuum, Deus, ita et laus tua in universa terra* (*Ps.* XLVII, 11): de quo et Abacuc loquitur: *Laudis ejus plena est terra* (*Abac.* III, 5). De cujus gloria nominis ipse Deus loquitur: *Absque me non scies Deum, et præter nomen meum, quod magnificatum est super omnes* (*Isai.* XLIV, 8). Tunc revertetur omnis terra, in qua habitavere Judæi usque ad desertum, id est, usque ad populum gentium, qui prius desertus erat, et Legis notitiam non habebat: a Gabaa usque ad Remmon, hoc est, a colle usque ad excelsum, quia de terra et de deserto ad colles, et de collibus ad montana consurgimus. Unde et sponsus in Cantico canticorum transilit colles qui minores sunt, et salit super montes excelsos (*Cant.* I), de quibus scriptum est: *Montes excelsi cervis* (*Ps.* CIII). Sin autem *Remmon*, malogranatum accipere volumus (utrumque enim apud Hebræos interpretatur), hoc dicamus, quod fines Ecclesiæ de collibus incipiant, ut omnis ordo Ecclesiasticus construatur, de quo supra diximus, quando interpretati sumus planctum unigeniti, et planctum sicut Adadremmon. Nec hoc est Ecclesia fine contenta; sed perveniet usque ad Austrum in luce plenissima, super quo dudum exposuimus. et nunc idcirco reticemus, ne eadem sæpius inculcantes, lectori simus fastidio. Et exaltabitur Ecclesia quæ cœpit a collibus, et pervenit ad meridiem; et habitabit in loco suo, de quo scriptum est: *In loco* **924** *pascuæ ibi me collocavit* (*Ps.* XXII, 1). A porta Benjamin, qui interpretatur *filius dexteræ*, et non *filius dierum*, ut male quidam suspicantur: aliud est enim si in NUN litteram, aliud si in MEM finiatur. Et perveniet usque ad locum portæ orientalis et prioris, usque ad portam angulorum. A virtute incipimus: hoc quippe dextera significat; et pervenimus usque ad portam priorem, ut per eam ingrediamur ad cæteras: statimque nobis occurrit porta angulorum, ubi angularis lapis est, *quem reprobaverunt ædificantes, et factus est in caput anguli*

[a] Duo mss. *Ananeel*, hic quoque penes LXX; in aliis libris *Anameel*.

[b] Mss. codices legunt *phasides*; sed retinenda lectio librorum editorum *aves phasidis*, quia *phasidis* est nomen substantivum casus genitivi, non accusativus pluralis numeri et adjectivum nomen. Sed addamus in codicibus mss. sæpius scriptum esse elementum I pro E, et vicissim E pro I, ut jam sæpissime docuisse me memini antequam næniæ Quæstionum Hieronymianarum Joannis Clerici prodirent in lucem. Sunt porro *aves phasidis*, nostri *phasiani*, aves notæ a Phasi fluvio ad nos traductæ ab Argonautis: ex ea namque regione in Græciam transportatas dicunt. Vide Martial. lib. XIII, 72. MART. — Æque bene, quidquid Martianæo videatur, legunt mss. *Phasides*.

[c] Ionicum dixit, quia Attagen Ionicus maxime celebratur: consule Plinium lib. X, cap. 48. Est vero Attagen avis Asiatica, quam nos franculinum dicimus, *an francolin*; species quædam phasiani, quæ jam in Gallia et Hispania capitur et maxime per Alpes. Attagen olim existimatus inter raras aves, ut ex hoc loco colligitur. MART.

(*Ps.* CXVII, 22). Qui angularis lapis parietem utrumque connectit, et duos populos in unum redigit (*Ephes.* II), de quo et Deus loquitur per Isaiam : *Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum et pretiosum in fundamentis ejus : et qui crediderit in eum, non confundetur* (*Isai.* XXVIII, 16). Hic lapis angularis et cæteros lapides angulares superædificari sibi voluit, ut apostolus Paulus posset libere dicere : *Ædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*Ephes.* II, 20). Hos lapides non imitantur hæretici, qui omnia gloriæ et lucri causa faciunt, et orant in angulis platearum, rectam semitam relinquentes. Omnis enim angulus rectam lineam frangit : et idcirco meretrix in Proverbiis (*Cap.* VII), utcumque eam accipere voluerimus, cujus non quiescunt pedes domi, sed aut foris vagatur, aut in omnibus insidiatur angulis platearum, cum viderit juvenem insipientem (non [a] invitat enim quem senserit esse prudentem et maturum senectute, de quo scriptum est (*Sap.* IV, 8) : *Cani hominis sapientia ejus*), statim apprehendit, et osculatur atque blanditur, et ducit ad lupanar, et invitat ad coitum. Relinquamus igitur simulatos angulos, et ad firmos atque robustos Christi angulos transeamus, ad quos cum pervenerimus, statim nobis occurrit turris *Ananeel*, quod interpretatur, *gratissimus Dei*. Quid enim turre Salomonis gratius est ? de qua ad sponsam dicitur : *Sicut turris David cervix tua, quæ ædificata est in Thalphioth : mille scuta pendent super illam : omnia jacula potentium* (*Cant.* IV, 4). Hanc turrem Dominus in Evangelio (*Cap.* XIV) ædificari vult, expensis prius et sumptibus supputatis : et de qua dicitur ad Jerusalem : **925** *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Ps.* CXXI, 7), de qua et sanctus ad Dominum loquitur : *Deduxisti me, quoniam factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici* (*Ps.* LX, 4). De turre Ananeel pervenimus ad regis torcularia, pro quibus et tres psalmi titulum habent. Et Dominus dicit in Isaia : *Torcular calcavi solus* (*Isai.* LXIII, 3), ut exuberet in illis nostra vindemia, et exprimamus botros, et rubentia in Christi sanguine musta calcemus; ut bibamus vinum quod lætificat cor hominis (*Ps.* CIII); et sponsa desiderat sponsi sodalibus loquens : *Inducite me in cellam vini, ponite super me charitatem* (*Cant.* II, 4). Si nos istiusmodi inebriarint torcularia, habitabimus in Jerusalem, in qua anathema ultra non erit, maledictio videlicet et abominatio. Unde dicit et Apostolus : *Si quis non amat Dominum, sit anathema* (I *Cor.* XVI, 2). Et in alio loco : *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu* (I *Cor.* XII). [b] Et pro fratrum salute anathema esse cupit, imitari volens Dominum suum, qui et ipse cum non esset maledictio, pro nobis factus est maledictio (*Rom.* IX). Ablato autem omni anathemate, habitabit Jerusalem secura atque confidens, et illud in se exprimens : *Qui confidit in Domino, beatus est.* Et : *Melius est confidere in Domino, quam confidere in homine* (*Ps.* CXVII, 8) : de qua securitate et confidentia Jeremias propheta commemorat : *Benedictus erit homo, qui confidit in Domino* (*Jerem.* XVII, 7).

(Vers. 12.) *Et hæc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversum Jerusalem. Tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus contabescent in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo* [Vulg. *eorum*]. LXX : *Et hæc erit ruina qua percutiet Dominus omnes populos qui militaverunt contra Jerusalem. Tabescent carnes eorum stantium super pedes suos, et oculi illorum defluent de foraminibus eorum, et lingua eorum tabescet in ore eorum.* Quæ passuræ sint gentes quæ contra urbem Domini dimicabunt, præsens Scriptura testatur : Stabunt, inquit, super pedes suos, et caro eorum tabescet et defluet, et oculi eorum computrescent, et de suis **926** foraminibus excident; lingua magniloqua, quæ Dei populum blasphemabat, solvetur in saniem, et intra vallum dentium computrescet. Hæc passos non esse Romanos qui Jerusalem subverterunt, cunctis perspicuum est : nisi forte Judæi illas nationes asserunt [*Al.* asserent] perpessuras, quæ contra auream et gemmatam dimicaturæ sunt Jerusalem. Nos autem dicemus, omnes persecutores, qui afflixerunt Ecclesiam Domini, ut taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præsenti sæculo recepisse quæ fecerint. Legamus Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, [c] quid sævissimus omnium Maximinus, et nuper Julianus, passi sint : et tunc rebus probabimus etiam juxta litteram, prophetiæ veritatem esse completam, quod computruerint carnes eorum, et oculi contabuerint, et lingua in pedorem et saniem dissoluta sit. Porro si ex hoc dicto hæreticis crudelitas Dei videtur ostendi, audiat hæc universa fieri, ut deficientibus malis succrescant bona. Qui enim in Domino et cum Domino steterit, defluent ejus carnalia, ut oriantur spiritualia, et oculi qui male videbant, cadent de foraminibus suis, ut alii reponantur, qui possint Dominum suscipere cum propheta dicente : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Ps.* CXXII, 1). Et lingua blasphemans ideo computrescet, ut altera lingua na-

[a] Regin. ms., *non vitat enim quem*, etc.

[b] Notanda isthæc Hieronymi expositio propter imperitiam criticorum neotericorum, qui volunt Paulum aliter sensisse, et contra unanimem sanctorum Patrum consensum docent multa quæ nesciunt, in hoc se doctos arbitrantes, si inaudita et nova loquantur. MART.

[c] Interserit idem ms. *quid Licinius :* qui quidem et immanissime in Christianos sæviit, et tandem a militibus interfectus est. De cæteris ita Hieronymus colligit, quod Maximiano carnes computruerint : talbe oculorum interierit Maximinus : linguæ pedore et sanie Diocletianus. Priores duos, Valerianum et Decium, ut et postremum Julianum, ad prophetæ verba non trahit, nisi eo, *quod Domini ultio apparuerit in adversarios ejus*, ut ipse ait supra in Naum cap. I. Confer aureum Lactantii libellum, *de mortibus Persecutorum*.

scatur, quæ glorificet Deum, et possit dicere: *Lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam* (*Ps.* LXX, 15). Unde et Simeon suscipiens in ulnis infantem, et futura prænuntians, ait: *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum* (*Luc.* II, 34), ut mala cadant, et optima suscitentur. Unde et Dominus: *In judicium*, inquit, *ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Non videbat gentilium populus, et post fidem Christi cœpit veritatis lumen aspicere, quæ loquitur per prophetam: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis ut videant*, **927** *et illuminentur sapientia* (*Isai.* LXI, 1, 2), de qua scriptum est: *Sapientia hominis illuminat faciem ejus* (*Eccl.* VIII, 1). Et in Psalmis legimus: *Dominus illuminat cæcos*, sive *sapientes facit* (*Ps.* CXLV). Hoc enim magis significat σοφοῖ. Videbant Judæi; et quia lumen recipere noluerunt, æterna cæcitate cooperti sunt.

(Vers. 13, 14.) *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: et apprehendet vir manum proximi sui, et conferetur manus ejus super manum proximi sui. Sed et Judas pugnabit adversum Jerusalem, et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu: aurum, et argentum, et vestes multæ satis.* LXX: *Et erit in die illa stupor Domini magnus super eos: et apprehendet unusquisque manum proximi sui, et adhærebit manus ejus in manu proximi sui: et Judas præparabitur in Jerusalem, et congregabit robur omnium populorum per circuitum: aurum, et argentum, et vestes multas nimis.* Cum hæc fuerint expleta miracula, ut caro hostium defluat, tabescant oculi, et lingua in ore blasphemantium computrescat: tunc erit magnus tumultus, sive stupor in eis; hoc enim significat ἔκστασις quam LXX transtulerunt: Et apprehendet unusquisque manum proximi sui, et conferetur manus [a] cum alterius manu, præ formidine, et malorum pondere, quæ supervenient. Judas quoque pugnabit contra metropolim, de quo et supra (*Cap.* XII) diximus, et a Domino concessa victoria: congregabuntur divitiæ omnium gentium quæ militaverunt contra Jerusalem, aurum et argentum, et vestium multitudo, quæ in rebus pretiosissima sunt. Hæc sibi infelix Juda promittit, aurum accipere sperans, quæ triginta argenteis Dominum appretiavit. Nos autem cœptum sequentes ordinem, omnia ista referamus ad Ecclesiæ beatitudinem, quod cuncti qui in ea fuerint admirentur subjectionem hostium, et suam felicitatem, et unusquisque apprehendat manum proximi sui, ut conserant dexteras, et mutua fide ac necessitudine copulentur. Quod autem in Hebraico legimus: *Et Judas pugnabit adversum Jerusalem;* pro quo LXX transtulerunt: *Et Judas præparabitur in Jerusalem*, utroque modo accipiamus, **928** quod Judas qui quondam Domini confessus est nomen, et in persecutionibus coactus, Christi populum persecutus est, et ipse vertatur ad lætitiam. Vel certe Judas, omnis confitens et fidelis, non adversum Jerusalem pugnet, sed præparet se in Jerusalem, ut contra adversarios dimicet. Et congregabit ipse Judas divitias omnium gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multas nimis. Aurum et argentum in sensu et sermone intelligi sæpe diximus: unde et vestes [b] æque debemus accipere, quibus Christi decoratur Ecclesia, de qua scriptum est: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* (*Ps.* XLIV, 10). Quibus vestibus indutam se credentium turba lætatur et dicit: *Exsultabo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, et tunica lætitiæ* (*Isa.* LXI, *juxta* LXX). Dixerat enim ei Dominus: *Vestivi te* τριχάπτοις *et byssinis* (*Ezech.* XVI). In τριχάπτοις vestes tenues accipiamus, quæ tam pulchræ sunt atque subtiles, ut capillorum similes esse videantur. Has vestes Ecclesia congregat, ut habeat quibus induat populum suum, cui a vero concionatore præceptum est: *In omni tempore sint vestimenta tua candida* (*Eccl.* IX, 8).

(Vers. 15.) *Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.* LXX: *Et hæc erit ruina equorum et mulorum, camelorum et asinorum, et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, juxta ruinam hanc.* Et hæc Judæi sub ἡλειμμένῳ suo carnaliter explenda contendunt. Grandis revera Domini fortitudo, ut corruant in castris hostium equi, et muli, cameli, et asini, et omnia jumenta eorum sicut et homines corruerant [*Al.* corruent]. Magnus triumphus, gloriosa victoria, bruta animalia Deo pugnante superari. Dicamus ergo juxta cœptam tropologiam: quod idcirco omnia mala corruant, quæ prius contra Ecclesiam dimicaverunt, ut [c] bona repente consurgant. Denique qui prius equus fuerat hinniens ad uxorem proximi sui (*Jerem.* V), et impatiens ad libidinem ferebatur, et jacebat in turpitudine voluptatum: cum sequi cœperit castitatem, dicetur ad eum: **929** *Surge, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 31). Et: *Surge, veni, proxima mea* (*Cant.* II, 10). Et in Apostolo: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Cumque surrexerint qui ante ceciderant equi, et mollia terga Domino præbuerint ad sedendum, dicent ad Deum: *Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus* (*Abac.* III, 8). Juxta hunc sensum mulos accipiamus, qui steriles sunt, et non procreant filios; sed voluptate lasciviunt: de quibus Psalmista commemorat: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Ps.* XXXI, 9). Sicut ergo qui proni sunt ad libidinem, equi appellantur: sic mulos juste vocabimus, qui virgines sunt carne et non spiritu: qui eunuchizantur non propter regna cœlorum, sed propter hominum voluptatem [*Al.* voluntatem]. Cum

[a] Verba, *cum alterius manu*, penes Victorium desiderantur.

[b] Ferme rectius in Regin. ms., *et vestes eas debemus accipere.*

[c] Idem ms., *ut in pœna repente*, etc.

igitur isti muli, et isti eunuchi, versi fuerint in progeniem, et spirituales filios procrearint, audient per Isaiam ; *Et ne dicat eunuchus, quoniam sum lignum aridum. Hæc enim dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muro meo locum nominatum, et nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis quod non deficiet* (*Isa.* LVI, 3 *seqq.*). Tales mulos et mulas habebant reges Israel, et maxime David, qui refertur ad Christum (II *Reg.* XIII, *et* III *Reg.* I). Si intelleximus qui sint equi et muli ruentes et consurgentes, transeamus ad camelos, animal ruminans, ungulamque non findens (*Levit.* XI) : et dicamus, camelum esse omnes peccatores terræ, qui gravi peccatorum sarcina deprimuntur, et videntur sibi sanctas Scripturas legere, sed ungulam non findunt, ruminantes eloquia divina, et ea quæ scripta sunt negligentes. Rectius autem camelus dici potest populus Judæorum, qui et ipse Legem Dei meditatur, et eam ruminat et volvit in pectore, sed non dividit ungulam, ut credat in Patrem, et in Filium : et in eo immundus est, quod nequaquam separat litteram a spiritu, umbram a veritate, et portat Legis onera, et audit per prophetam : *Væ, gens peccatrix, populus plenus delictis* (*Isai.* I, 4). De istiusmodi camelo qui ruminat, ungulamque non findit, et in Proverbiis quasi ad filium dicitur : *Qui reliquit custodire disciplinam patris, meditabitur eloquia mala* ( *Prov.* XXI ). Post camelum transeamus ad asinum, qui quondam ferebatur infrenis, et **930** immundus erat, et multos habebat dominos, et per præcipitia labebatur, ut corruens repente consurgeret, et portaret Dominum Salvatorem, et ingrederetur in sanctam Jerusalem, et eum parvulorum turba credentium susciperet triumphantem ( *Matt.* XXI *et Joan.* XII ). Hunc asinum ad vitem et vineam Salvator dicitur alligasse (*Gen.* XLIX, 11), de qua in Psalmis scriptum est : *Vineam transtulisti ex Ægypto, et ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Ps.* LXXIX, 9 ). Ad quam ipse vinitor loquitur : *Ego plantavi te vineam frugiferam totam veram* (*Jer.* II, 21 ). Omnia quoque jumenta et animantia, quæ uno nomine propheta comprehendit, pro singulorum naturis interpretanda sunt, et hoc magis Dei Filio convenit, quam ea quæ stulta populus Judæorum vaticinatione præsumit.

(Vers. 16.) *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerint contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum.* LXX : *Et erit, quicumque derelicti fuerint de cunctis gentibus, quæ venerint contra Jerusalem, ascendent per annos singulos, ut adorent regem Dominum omnipotentem, et celebrent festivitatem Tabernaculorum.* Omnes, inquit, qui relicti fuerint de gentibus quæ venerint contra Jerusalem, ascendent per singulos annos, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum. Hæc quoque Judæi cassa spe in mille annorum regno futura promittunt, cujus solemnitatis istud exordium est : Egressus populus Israel de Ægypto per vastam et terribilem ac latam solitudinem, in qua non erat domus, villa, oppidum, specus, faciebat sibi tabernacula atque tentoria ( quæ nunc a similitudine parvulæ avis papiliones vocantur ) in quibus cum conjugibus morarentur ac liberis, et cibum caperent, et per diem solis ardores, per noctem humorem, et frigus, et roris injuriam devitarent : jussumque est ut in mense septimo quinta decima die mensis fieret tabernaculorum solemnitas : *Et cum te*, inquit, *interrogaverit filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt hæc tabernacula? respondebis ei : Multo tempore peregrinati sumus in Ægypto, de qua eduxit nos Dominus in solitudinem, et idcirco tabernacula suscitamus, ut beneficiorum Dei omni tempore recordemur, cum cœperimus* **931** *habitare in urbibus* (*Deut.* VI, 20, 21, *et Lev.* XXIII, 43). Præcepit quoque ut facerent tabernacula de ligno pulcherrimo, quod Judæi [a] citrum vocant, et de palmarum ramis ac frondibus ligni densissimi, et salicis, et populi. Historiæ jecimus fundamenta, ut ex his ad spiritualia transeamus. Quamdiu in profectu sumus et in cursu atque certamine, habitamus in tabernaculis, hoc omni mente nitentes, ut de tabernaculis ad firmam et stabilem sedem transeamus, id est, domum Dei. Unde et sanctus [b] David dicit in Psalmo : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* ( *Ps.* CXIX, 5) ! Et : *Advena ego sum, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII, 31). Hoc loquitur qui in Ægypto est, et adhuc in sæculo constitutus. Qui autem egreditur de Ægypto, quæ Hebraice dicitur MESRAIM (מצרים), et interpretatur *tribulatio* ; et ingreditur vitiorum solitudinem, carpit iter suum, et dicit in psalmo : *Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (*Ps.* XLI, 5). Admirabile est enim nolle habitare cum Ægyptiis ; sed submerso Pharaone, terram cupere repromissionis intrare ( *Exod.* XIV ). Unde et alibi loquitur : *Quam* [c] *dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Ps.* LXXXIII, 1). Et post paululum ; *Beati omnes qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Ibid.*, 5). *Vox enim exsultationis et salutis in tabernaculis justorum* (*Ps.* CXVII, 15). Et in Proverbiis scriptum reperimus : *Domus justorum permanent, et tabernacula eorum, qui recte agunt, stabunt* (*Prov.* II, 21). De domibus, quod permaneant : de tabernaculis, quod statura sint, pollicetur. Dicit et in alio loco sanctus

[a] Emendamus ad fidem Regii ms. *citrum*, pro quo lectum hactenus est falso, *cedrum*. Erat enimvero *citrum* unum e quatuor lignis, quæ ad conficienda tabernacula requirebantur jure, quod luculenter, qui Hebræorum δευτερώσεις prosecuti sunt, tradunt. Vide Menacoth cap. III, 6 ; Maimonidem cap. VII, 5. Hebraice Levit. XXIII dicitur אתרוג.

[b] Nomen, *David*, rectius hinc amoveas, quod et nostri mss. ignorant.

[c] Impressorum lapsu tum hocce testimonium misere luxatum, cum paulo superius, *delicta*, pro *dilecta*, aliaque id genus menda sæpe castigantur.

vir : *Unum petivi a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, et videam delectationem Domini, et visitem templum ejus* (*Ps.* XXVI, 4). Qui in istiusmodi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atriis ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solemnia tabernaculorum in ligno sapientiæ pulcherrimo, **932** de quo in Proverbiis dicitur : *Lignum vitæ est omnibus qui appropinquant ei, et qui reclinantur super* [a] *eum, quasi super domum firmitatis* (*Prov.* III, 18). Et in ramis palmarum, in quibus signum victoriæ, et virtutis præmium continetur, et in frondibus densissimæ arboris quam myrtum Judæi intelligunt, propter mortificationem [b] carnis ac libidinum. Unde et Domino Salvatori a magis myrrha offertur in munere (*Matt.* II). Et in ramis, inquit, salicis et populi, quam quidam unam arborem vocant ; ipsumque ligni nomen quod Græce dicitur ἁγνὸς, indicat castitatem. Aiunt medici, et hi qui de arborum et herbarum scripsere naturis, quod si quis florem salicis, sive [*Al.* et] populi mixtum aqua [*Al.* aquæ] biberit, omnis in eo frigescat calor, et libidinis vena siccetur, ultraque filios generare non possit. Qui talium arborum ramis protectus fuerit, exerceat festivitatem tabernaculorum, sextum mensem transiens, qui refertur ad mundum, et septimo agens sabbatum spirituale, in quinta decima die mensis ejusdem, quando noctis luna plenissima est, et omnes ejus tenebræ claro lumine resolvuntur. Hæc breviter diximus, olim animo contemplantes librorum magnitudinem, ut ad reliqua transeamus.

(Vers. 17.) *Et erit, qui non ascenderint de familiis terræ ad Jerusalem, ut adorent regem Dominum exercituum, non erit super eos imber.* LXX : *Et erit, qui non ascenderint de familiis terræ ad Jerusalem, ut adorent regem Dominum omnipotentem, et isti illis apponentur.* Pro eo quod Septuaginta transtulerunt, *et isti illis apponentur*, in Hebraico scriptum est, ULO ALEHEM [c] EJE GESEM, quod Aquila et Symmachus et Theodotio similiter interpretati sunt, *et non erit super eos imber.* Ecclesia Domini Jesu appellatur cœlestis Jerusalem, de qua Apostolus scribit : *Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum* (*Galat.* IV, 26) ; et : *Accessistis ad Sion montem, et* **933** *civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem* (*Heb.* XII, 22). Et hæc Jerusalem non est in locis humilibus sita, sed in monte excelso, de quo [ *Al.* qua ] Salvator loquitur : *Non potest civitas abscondi super montem posita* ( *Mat.* V, 14). Unde qui adoraturus est Dominum exercituum in Jerusalem, debet ad montana conscendere. Qui autem de familiis ac tribubus terræ est, et idcirco Dominum non potest adorare, non erit super eum imber temporaneus, et serotinus, nec terra illius pluviis cœli rigabitur. Sive, ut verterunt Septuaginta, *qui non ascenderint de familiis terræ ad Jerusalem, ut adorent regem Dominum omnipotentem*, cum illis reputabuntur, qui pugnaverunt adversum Jerusalem, et quorum tabescet caro, et oculi defluent, et lingua putrescet.

(Vers. 18, 19.) *Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non venerit : nec super eos erit, sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum.* LXX : *Sin autem Ægypti tribus non ascenderit, nec venerit illuc : et super eos erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt ut agerent solemnitatem scenopegiæ. Hoc erit peccatum Ægypti, et peccatum omnium gentium quæ non ascenderint ut celebrent festivitatem scenopegiæ.* Qui Ægyptius est, et gentium cæterarum, quamdiu Ægyptius et ethnicus permanet, non ascendet in Jerusalem : et quia ascendere non potest, nec gradum ad excelsa subrigere, ideo non erit super eum imber Dominicæ benedictionis. Et hoc peccatum erit maximum Ægyptio, [d] Assyrio, Chaldæo, Syro, Moabitæ, et Ammonitæ, si noluerint egredi de terris suis, et ascendere Jerusalem, ut per tabernacula transeant in Jerusalem, et inveniant æternam domum, aliarumque gentium homines esse desistant, et efficiantur Israelitæ in quibus dolus non est (*Joan.* I). Hæc omnia quæ nos celeri sermone perstringimus, Judæi, et judaizantes nostri, immo non nostri, quia judaizantes, sperant futura corporaliter, utique et circumcisionem sibi, et conjugia in mille annorum **934** imperio promittentes, ne impleatur in illis maledictio quæ scripta est : *Maledicta sterilis quæ non facit semen in Israel ;* et : *Beatus qui habet semen in Sion et domesticos in Jerusalem* (*Isai.* XXXI, 9, *sec.* LXX). Quod si verum est, omnes virgines quas mille annorum regnum invenerit, maledictioni et sterilitati perpetuæ subjacebunt : aut certe nupturæ sunt, ut maledictionem effugiant.

(Vers. 20.) *In die illa erit, quod super frenum equi est, sanctum Domino : et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum,* LXX : *In die illa erit, quod super frenum equi est sanctum Domino omnipotenti : et erunt lebetes qui in domo Domini sunt sicut phialæ ante domum altaris : et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctus*

[a] Reponendum omnino est sequiori genere *eam*, juxta Græcum, ἐπ' αὐτὴν : deinde pro *domum*, legendum *Dominum*, ut in Græco est, κύριον. Victorius præterea *firmati sunt*, pro *firmitatis* substituit, consentientibus in hac ejus lectione quinque mss. codicibus, sed Græco, ἀσφαλὴς, dissentiente.

[b] Regin. ms., *mortificationem vitiorum ac libidinum.*

[c] Ita legunt omnes mss. nostri codices ; in Hebræo scriptum est, ולא עליהם יהיה הגשם, quod nunc legimus. *Volo alehem jihjeh heggeschem.* Quæ lectio Hebraica quantum distet ab antiquorum lectione nunc manifestum et exploratum nobis est. MART. — Malim IJE, quæ tertiæ personæ terminatio est : potuit vero vocis similitudo amanuensem decepisse.

[d] Nomen *Assyrii*, quod et abundare videtur, Victorius tacet.

*Domino omnipotenti.* Verbum Hebraicum MESULOTH (מצולות), Aquila et Theodotio βυθὸν interpretati sunt, id est, *profundum* : Symmachus περίπατον σύσκιον, id est, *incessum umbrosum*. Soli Septuaginta χάλινον, id est, *frenum*, transtulerunt ; quos et nos in hoc loco secuti sumus, ne novum aliquid in quæstione vulgata videremur afferre. Quod cum ab Hebræo quærerem quid significaret, ait mihi, [a] non debere nos legere MESULOTH, sed MESALOTH, quod significat *phaleras* equorum et *ornatum* bellicum, et excepto hoc loco, in nullo penitus sanctarum Scripturarum volumine hoc verbum reperiri. Frenum autem lingua Hebraica RESEN (רסן) appellari, et non MESULOTH, quod LXX transtulerunt. Et esse sensum : Tempore solemnitatis perpetuæ, et regni Jerusalem, pacatis omnibus et tranquillis, nequaquam opus esse equitatu, quod genus bellantium fortissimum est ; sed omnem ornatum, et decorem phalerarum ad cultum Domini conferendum. Hoc illi dixerint. Nos equorum *profundum*, [b] et incessum σύσκιον, *umbrosum*, sive *tenebrosum*, referamus ad scientiam mysticam, quam et David quasi equus optimus se habere jactabat, dicens : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Ps.* L, 8). Et Apostolus : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33) ! De hoc profundo propheta **935** clamavit ad Dominum, et exaudivit eum. In his profundis et tenebris posuit Deus latibulum suum (*Ps.* XVII) : has tenebras et sacramenta divina ingressus est Moyses in Sina montis caligine, ut videret Deum (*Exod.* XIX) : de quibus et David in Psalmo alio loquebatur : *Judicia Domini abyssus multa* (*Ps.* XXXV, 9). Hæc arcana et ista mysteria sancta sunt Domino, quæ noverat evangelista Joannes, qui ausus est dicere, quod angeli forsitan nesciebant : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Et idcirco amatur a Domino, quia optimum habebat profundum ; et recubuerat super pectus Jesu, unde et hauserat sapientiam (*Joan.* XXI). Sin autem voluerimus, ut LXX transtulerunt, *frenum*, accipere sermonem Dei, intelligamus in freno, eum qui equos insanientes libidine, et mulos steriles atque lascivos refrenat a vitiis, et coercet, et non patitur ire per præceps, de quibus dicitur : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In freno et chamo maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te* (*Ps.* XXXI, 9, 10). De hoc freno et Jacobus loquitur : *In equorum ora mittimus frenos, et omne corpus eorum circumagimus* (*Jacob.* III, 3), ut scilicet recto gradiantur itinere, et mollia ad sedendum Domino possint terga præbere. Tale frenum et talis sermo auri et argenti varietate compositus, feros equos Salvatori præparat ad sedendum ; et sanctos facit, ac proprie illius cultui consecratos. Audivi a [c] quodam rem, sensu quidem pio dictam, sed ridiculam. Clavos Dominicæ crucis, e quibus Constantinus Augustus frenos equo suo fecerat, sanctum Domini appellari. Hoc utrum ita accipiendum sit, lectoris prudentiæ relinquo. Nos transeamus ad lebetes, qui futuri sunt in domo Domini, quasi phialæ altaris. Erit enim omnis lebes in Jerusalem, et in Juda sanctificatus Domino omnipotenti. Ament æneos lebetes, qui amaverunt ollas Ægyptias, et carnes, et pepones, et allia, et cæpe [*Al.* cæpas], et **936** cucumeres (*Num.* XI). Nos Judaicos lebetes in quibus coquebantur carnes victimarum, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus sponsa dicit ad sponsum : *Fratruelis meus descendit in hortum meum ad phialas aromatum, pascere in hortis, et colligere lilia* (*Cant.* VI, 1). Hortus et paradisus in quem sponsus descendit ad sponsam, sanctarum lectio Scripturarum est : de quibus lilia, et violas et rosas et varia decerpit aromata, ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis liba diffundat. Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phialas Domini, et dicere potuerint : *Christi bonus odor sumus* (II *Cor.* XV), et pro virulentia carnium, varios cœperint flores gestare virtutum : tunc erunt in Jerusalem, et in Juda sanctificati Deo omnipotenti, de quibus frequentius diximus, quod Jerusalem visionem pacis, et Judas exprimat confitentem.

(Vers. 21.) *Et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis : et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.* LXX : *Et venient omnes qui immolent et sument ex eis, et coquent in illis, et non erit Chananæus ultra in domo Domini* [d] *omnipotentis in die illo.* Pro Chananæo, Aquila interpretatus est *mercatorem*, quem et nos in hoc loco secuti sumus. Cum lebetes fuerint versi in phialas, venient omnes in circuitu nationes, sive qui relicti fuerint de universis gentibus [e] immolantes, et sument lebetes, et coquent in eis carnes victimarum, ut non crudas carnes agni comedant, sed omni carnotio succederet. At qui hinc autumant, ipsum proprie abs Hieronymo Ambrosium suppresso nomine suggillari, non animadvertunt, in eamdem expositionem plerosque alios concessisse, e quibus est Cyrillus Alexandrinus, Theodoritus, Sozomenus, Paulinus Aquileiensis, et Gregorius Turonensis *de Gloria Mart.* cap. 6, qui utique a vetustioribus se Patribus accepere, eamque declarant jam ante Ambrosium invaluisse sententiam. Quin ipse Hieron. cum id se, ait, præsentem audivisse, Ambrosium, quem numquam est allocutus, ab hac eximit suggillatione. Paulo post, *ita*, adverbium quod deerat ex mss. suffecimus.

[a] Si *Mesaloth*, sive *Metsilloth* legamus : *tintinnabula* equorum, quæ gestant sub collo, vel ornamentum quod habent inter oculos, significat, a radice צלצל, *tsalsal* : sin autem *Mesuloth*, ut legebant Aquila et Theodotio, *profunditates* et *voragines* interpretabimur a radice שול, *tsul*. MART.—In Regin. ms., *sed Maselloth*.

[b] Concinnius fere Victorius, *et περίπατον σύσκιον, id est, incessum umbrosum, sive*, etc.

[c] Equidem ita S. Ambrosius in Orat. de Obitu Theodosii num. 47, de hisce clavis a Constantino in frenos, et ad diadema adhibitis, iisque per fidem ad posteros reges transmissis, locutus est : *Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est, quod super frenum : ex illo fides, ut persecutio cessaret, de-*

[d] Ita et nostri mss. et Græcus habet, παντοκράτορος. Antea erat, *virtutum*.

[e] Penes Victorium, *immolant ei*.

nium humore decocto, remaneat quod igne paratum fuerit ad vescendum. Quæ sint phialæ coram altari Domini, in quas lebetes Israelitici convertantur, et supra diximus, et nunc ex parte dicemus. Laudat sponsa in Cantico canticorum sponsum suum : *Maxillæ ejus sicut phialæ aromatum* (*Cant.* v). In maxillis sermo accipitur, qui prolatus a Domino, varia unguenta depromit, et tanta erit boni odoris fragrantia ut faciat sibi Dominus **937** flagellum de Scripturarum textum testimoniis, et ejiciat de templo vendentes et ementes, et dicat ad eos : *Scriptum est, domus Patris mei, domus orationis vocabitur cunctis gentibus : vos autem fecistis eam domum negotiationis* (*Mat.* XXI, 13). Quidam illud quod in Daniele scriptum est, licet in Hebraico non legatur : *Semen* **938** *Chanaan, et non Juda* (*Dan.* XIII, 56) : et quod ab Osee propheta de Ephraim dicitur : *Particeps idolorum Ephraim : posuit sibi scandala, provocavit Chananæos : fornicantes* [a] *fornicati sunt* (*Osee* IV, 17, 18 ), huic coaptant loco, et omnem fornicatorem, Chananæum et alienigenam appellari volunt, quem de domo Dei asserunt auferendum.

[a] Regin. ms., *fornicantes ædificati sunt*, sacro tamen textu renuente.

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

# COMMENTARIORUM

IN

# MALACHIAM PROPHETAM

AD MINERVIUM ET ALEXANDRUM

LIBER UNUS.

## Prologus.

**939-940** Ultimum duodecim prophetarum Malachi [*Al.* Malachim] interpretari volumus, cujus nomen LXX transtulerunt, *Angelus ejus* , dicentes : *Assumptio verbi Domini super Israel in manu Angeli ejus* : pro quo in Hebræo legitur MALACHI (מלאכי), quod rectius et expressius dicitur, *Angelus*, id est *nuntius meus*. Nec putandum est, juxta quorumdam (*Origenistarum*) opinionem, angelum venisse de cœlo, et assumpsisse corpus humanum, ut Israeli quæ a Domino sunt mandata, loqueretur. Si enim interpretanda sunt nomina, et ex nominibus non spiritualis intelligentia, sed historiæ ordo texendus est : ergo et *Osee*, qui *salvator* dicitur, et *Joel* qui interpretatur *Dominus Deus*, sive *incipiens*, et cæteri prophetæ non erunt homines ; sed vel angeli, vel Dominus atque Salvator , quia hoc eorum nomina resonant. Denique exceptis Septuaginta, alii interpretes nomen MALACHI ita ut in Hebræo legitur, transtulerunt. Malachi autem Hebræi Ezram æstimant sacerdotem, quia omnia quæ in libro illius continentur, etiam hic propheta commemorat, dicens : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Mal.* II, 7). Tempus quoque **941-942** titulusque conveniunt : quod et in Psalmis [a] diximus, qui titulos non habent, eorum esse credendos, quorum priores psalmi nominibus prænotati sunt. Igitur et Malachi, id est, Ezras, post Aggæum et Zachariam, qui sub Dario prophetaverunt, fuisse credendus est. Et propterea titulum non habere, quia liber ejus pro titulo sit : in quo discimus, quod in regno Artaxerxis regis Persarum, Ezras filius Saraiæ, et cæterorum, usque ad eum locum ubi dicitur : *Filius Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis*, ab initio ascenderit de Babylone, et dederit ei rex secundum manum Domini Dei sui, omnem petitionem ejus : ascenderintque cum illo de filiis Israel, et de filiis sacerdotum, et de filiis Levitarum, et de cantoribus, et de janitoribus, et de Nathineis in Jerusalem, anno septimo Artaxerxis regis, et venerint in Jerusalem mense quinto : ipse est annus septimus regis, quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo mensis quinti venit in Jerusalem. Hæc, mi Minervi [*Al.* Minerve], et Alexander, non tam sanguine, quam religione concordes, ne susceptum

[a] Disseruit hac de re epistola in nostra recensione 140 ad Cyprianum num. 4.

opus dimitterem prophetarum, et extraordinario vobis labore sudarem, breviter in Proœmio sum locutus : ut proponens verba Malachi, primum juxta Hebraicam veritatem, deinde juxta LXX interpretes, orationum vestrarum fultus auxilio, edisseram quæ sequuntur. Scripsit in hunc librum Origenes tria volumina ; sed historiam omnino non tetigit, et more suo totus in allegoriæ interpretatione versatus est, nullam [*Al.* non ullam] Ezræ faciens mentionem ; [a] sed angelum putans fuisse qui scripsit, secundum illud quod de Joanne legimus : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Mat.* XI, 10). Quod nos omnino non recipimus, ne animarum de cœlo ruinas suscipere compellamur. Alios commentarios in hunc prophetam legisse me nescio : excepto Apollinaris brevi libello, cujus non tam interpretatio quam interpretationis [b] puncta dicenda sunt.

[a] Diximus et supra ad Aggæi caput primum hanc fuisse Origenis doctrinam, homines aliquot sanctitate, atque illustrioribus donis insignitos angelos natura exstitisse : quod cum ejus desiderentur in Malach. Commentaria, satis luculenter intelligere est ex T. V, in Joan. 1, 6, ad laudatum hic quoque versiculum, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, etc., ubi, Ἐφίσταμεν, inquit, μήποτε εἷς τῶν ἁγίων ἀγγέλων τυγχάνων ἐπὶ λειτουργίᾳ καταπέμπεται τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν πρόδρομος· καὶ μηδὲν θαυμαστὸν τοῦ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως ἐνσωματομένου κατὰ φιλανθρωπίαν ζηλωτάς τινας καὶ μιμητὰς γεγονέναι Χριστοῦ, ἀγαπήσαντας τὸ διὰ τοῦ ὁμοίου τοῦ σώματος ὑπηρετῆσαι τῇ εἰς ἀνθρώπους αὐτοῦ χρηστότητι. *Annotamus, num forte unus sanctorum angelorum existens, præcursor ad ministerium demittatur Servatoris nostri. Nec mirum profecto est, Christi primogeniti omnis creaturæ ob amorem erga homines incarnati æmulatores, imitatoresque aliquos exstitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati, quam in ipsos ostendisset, inservire eadem corporis similitudine.* Hieronymus, qui id se omnino non recipere hic profitetur, alibi in epistolis ad Evangelum de Melchisedech, et ad Avitum cap. 1 et Apolog. adversus Rufinum prima, non perfunctorie castigat.

[b] Reg. ms., *quam interpretationis notæ dicendæ sunt.*

# *INCIPIT LIBER.*

(Cap. I.—Vers. 1.) *Onus verbi Domini ad Israel, in manu Malachi.* LXX : *Assumptio verbi Domini super Israel, in manu angeli ejus.* Quid significet *onus*, id est, *pondus*, quod Hebraice MASSA (משא), et ab Aquila [a] ἄρμα dicitur, vel quid λῆμμα, id est, *assumptio*, quod et Septuaginta et cæteri interpretes transtulerunt, in aliis prophetis diximus. Nam et Naum scribit : *Onus Ninive : liber Visionis Naum Elcesæi* (*Num.* II). Et Abacuc : *Onus quod vidit Abacuc propheta* (*Abac.* I). Et Zacharias : *Onus verbi Domini in terra Adrach, et Damasci requiei ejus* (*Zach.* IX *et* XII). Et rursum in consequentibus : *Onus verbi Domini super Israel.* Illa itaque simus explanatione **943** contenti : et nunc hoc tantum dicamus, quod pondus verbi Domini ad Israel, sive, ut LXX dicunt, *super Israel*, grave quidem sit, quia pondus appellatur, sed consolationis aliquid habeat, quod non contra Israel, sed ad Israel sumitur. Aliud est enim quando, verbi gratia, ad illum vel illum scribimus, aliud quando contra illum et illum : quia in altero pars amicitiæ, in altero inimicitiarum aperta confessio est. Sciendumque quod abducto in captivitatem Israel, id est, decem tribubus, indifferenter pristino nomine, et duæ tribus Juda et Benjamin appellentur Israel. Quod autem dicitur : *In manu angeli ejus*, sive *Malachi*, manum pro operibus accipite. Unde et in manu Aggæi, et in manu Jeremiæ, et in manu [b] Moysi factus est sermo Dei. In quorum enim manibus est iniquitas, et quorum dextra repleta est muneribus, et quorum manus plenæ sunt sanguine, in his non fit sermo Dei ; sed qui lavant inter innocentes manus suas (*Psal.* XXV). Quibus aquis et Pilatus manus lavare conatus est, ne Judæorum blasphemiis consentiret (*Matt.* XXVII), de quibus Psalmista lætatur, dicens : *Super aquas refectionis educavit me* (*Ps.* XXII, 2). De hac aqua per prophetam Dominus pollicetur : *Aspergam vos aqua mundissima* (*Ezech.* XXXVI). Qui autem peccator est, inebriatur calice Babylonio, et dicitur de eo : *Spinæ nascuntur in manu ebriosi* (*Prov.* XXVI, 9).

LXX : *Ponite super corda vestra.* Hoc in Hebraico non habetur, sed puto de Aggæo additum, in quo legimus : *Et nunc ponite super corda vestra a die hac et supra* (*Aggæi* II, 16). Post titulum igitur prophetæ sive proœmium, dupliciter accipiendum est : *Ponite super corda vestra*, id est, animadvertite et considerate, id quod supra dictum est : *Assumptio verbi Domini super Israel in manu Angeli ejus.* Sive diligenter animadvertite, quæ dicenda sunt postea, ut ea non corporis auribus, sed animi et cordis intelligentia cognoscatis, et faciatis vobis thesauros, in quibus recipiatis divitias sermonum Dei : et sapientia agat fiducialiter, cum dilatati fueritis, et repleto corde sermonibus Dei, pepuleritis cogitationes pessimas, quæ egrediuntur de corde, homicidia, adulteria, fornicationes, **944** furta (*Matt.* XV), et

[a] Vitiose lectum est hactenus ὅραμα, nostris quoque contradicentibus mss., pro ἄρμα, qua voce continuo usus est Aquila, interpretans Hebraicum מַשָּׂא. Recole, si libet, frequentissima exempla in Commentariis in Isaiam a cap. XV, 1, et deinceps. Hoc quoque ipso in Tomo, Osee VIII, 10.

[b] Duo mss., *et in manu Osee factus est* ; ex quibus mox cum Victorio verba, *et quorum dextra repleta est muneribus*, quæ penes Martianæum deerant, suffecimus. Leviora quoque inferius emendamus.

reliqua, et impleatis quod a Salvatore dictum est : *Qui habet aures audiendi, audiat (Luc.* VIII, 8)

*Dilexi vos, dicit Dominus. Et dixistis, in quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus : et dilexi Jacob, Esau autem odio habui? Et posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumæa, destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt : hæc dicit Dominus exercituum. Isti ædificabunt, et ego destruam : et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum. Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis : Magnificetur Dominus super terminum Israel.* LXX : *Dilexi vos, dicit Dominus : et dixistis, in quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus : et dilexi Jacob, Esau autem odio habui : et posui terminos ejus in desolationem, et hæreditatem ejus in domata deserti. Quia dicet Idumæa, destructa est : revertamur et reædificemus deserta. Hæc dicit Dominus omnipotens : Ipsi ædificabunt, et ego destruam : et vocabuntur eis termini iniquitatis, et populus super quem præparatus est Dominus usque in æternum. Et oculi vestri videbunt, et vos dicetis : Magnificatus est Dominus super terminos Israel.* Israel, hoc est, Judas, ad quem solebat fieri verbum Dei et visio Domini, onus ejus et pondus suppliciorum gravissimum portare compellitur, ut graviora peccata deponat, et sentiat per tormenta, quæ non sensit per beneficia. Et ne pœna in suos videatur injusta, subjicit Dominus : *Dilexi vos : Quem enim diligit Dominus corripit : castigat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6) : Et dicendo *dilexi*, præsens negat, dum præteritum confitetur. Illique respondent temeritate qua peccant, obliti beneficiorum ejus : *In quo dilexisti nos?* Ad quæ Dominus : Ut cætera, inquit, taceam, et quod nuper de Babylonia captivitate venistis, incunabula vestra tractabo, antequam nasceremini, immo priusquam Rebecca Esau et Jacob utero suo funderet (*Gen.* XXV) : in Jacob vos dilexi : in Esau Idumæos odio habui. Quem locum apostolus Paulus mystica disputatione eventilans, scribit ad Romanos, duo pariter testimonia de **945** Genesi Malachique [*Al.* Malachiaque] conjungens : *Sed et Rebecca de uno concubitu habens Isaac patris nostri. Nam cum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneat : non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 10, *et seqq.*). Hoc enim quod dicitur : *Sicut scriptum est*, et ad Geneseos librum, et ad prophetam Malachi refertur. Non solum, ait, dilexi Jacob antequam nasceretur, et odio habui Esau priusquam ex utero matris funderetur ; sed in posteros eorum amorem meum et odium conservavi : odium in Esau cujus montes qui appellantur Seir, redegi in solitudinem, et urbes feci esse desertas, et a serpentibus ac bestiis obtineri. Si autem dixerit Edom, hoc est, Esau : destructi quidem sumus, [a] ad iram Dei, rursum ædificabimus civitates : hæc Domino prædicente cognoscite : quod illis ædificantibus, ego destruam, et iram meam æterna eorum vastitas approbabit. Odium igitur in Esau rebus ostendi, amorem autem in vos, hoc est, in Jacob, sequentibus approbabo. Illis destructis atque redactis ad solitudinem, videbunt oculi vestri, et dicetis : *Magnificetur Dominus super terminum Israel ;* et ex comparatione malorum quæ frater vester patitur, Dei in vos beneficia sentietis. Judæi falso sibi blandiuntur, Edom Romanos et Israel in consummatione mundi se prophetari : quod destructo Romano imperio, hoc est, Idumæo, regnum orbis veniat ad Judæos. Hæc prout potuimus, historiæ fundamenta jacientes, locuti sumus : nunc veniamus ad intelligentiam spiritualem. Israel, *vir*, vel *sensus cernens Deum*, sive ut ego melius puto, εὐθύτατος Θεοῦ, id est, *rectissimus Dei*, diligitur a Domino, et vult dilectionis ejus in se scire rationem. Dominusque respondit, Esau et Jacob de una stirpe generatos, hoc est, vitia atque virtutes ex uno cordis fonte procedere : dum ex arbitrii libertate in utramque partem ut volumus, declinamus ; sed priora nascuntur vitia per infantiam, pueritiam, juventutem, quæ postea ætas firmior corripit atque supplantat. Major frater hispidus est et sanguinarius (*Genes.* XXV) : **946** venationibus, silvis et bestiis delectatur. Minor levis et simplex, et innocenter habitans domum. Deus fines Idumææ, hoc est, terræ et sanguinariæ ponit in solitudinem, et nihil de terra crescere sinit et esse perpetuum. Quod si impudens malitia ea quæ sunt Dei sermone destructa, rursum ædificare nitatur, Dominus se eorum quæ instaurantur a vitiis, adversarium profitetur. Et postquam fuerint hostilium terminorum cuncta subversa : tunc [b] oculos possumus videre Israelis, et sanctos quosque dicere : *Magnificetur Dominus in terminis eorum, qui mente conspiciunt Deum* (*Sapient.* XI). Porro dilectio et odium Dei vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus ; alioquin novimus quod omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit quæ creavit ; sed proprie eos suæ vindicet charitati, qui vitiorum hostes sunt et rebelles. Et econtrario illos odit, qui a Deo destructa cupiunt rursum exstruere. Odisse autem Deus ἀνθρωποπάθως dicitur : ut flere, ut dolere, ut irasci : ut quando audimus odium ejus in malos, ea quæ Deum intelligimus odisse, fugiamus.

(Vers. 6.) *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi honor meus est? et si dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* LXX : *Filius glorificat patrem, et servus dominum suum timebit. Et si pater ego sum, ubi est gloria mea? Et si dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus omnipotens.* Licet priusquam nasceremini, in Jacob quasi filios amare vos

[a] In aliis libris, *ab ira Dei.*

[b] Penes Vict., *tunc oculis possumus videre Israel*, etc.

cœperim : tamen eligite quo me vocabulo nominetis, aut pater sum vester, aut dominus. Si pater, debitum patri honorem reddite, et dignam parente offerte pietatem. Si dominus, cur me contemnitis? cur dominum non timetis? Loquitur autem ad eos qui sub Zorobabel et Jesu filio Josedec, et Ezra sacerdote, et Neemia, de captivitate Babylonia sunt reversi (I *Esdr.* III), exstructoque altari, necdum templum ædificaverant, nec muros exstruxerant civitatis, et nihilominus in peccatis pristinis permanebant, Deum nec amore, nec timore venerantes. Quod autem *gloriam* diximus, vel *honorem*, et apud Græcos δόξα, et apud Hebræos **947** CHABOD (כבוד), unum verbum est; sed nos pro Latinæ linguæ proprietate, *honorem* posuimus. Nam et in Evangelio ubi loquitur Dominus, et Salvator : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII, 1), apud Græcos δόξασον legitur, id est, *glorifica*. Quem locum plerique Latinorum *honorifica*, interpretati sunt. Simulque consideremus, quod filius ac servus in Scripturis sanctis voluntate fiat, non necessitate naturæ. Qui enim spiritum adoptionis acceperit, in filium Dei vertitur : qui autem spiritum servitutis in timorem, Dei servus efficitur (*Rom.* VIII). Vult itaque primum Deus, ut filii ejus simus, et bonum voluntate faciamus : si hoc consequi volumus, ut saltem servos nos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus. Legimus in malam partem filios : *Eramus filii iræ, et filii gehennæ* (*Ephes.* II, 3), quos Pharisæi, mari terrisque circuitis, dignos genuere tormentis (*Matth.* XXIII). Et Judas proditor, *filius perditionis* appellatur (*Joan.* XVII); et in octogesimo octavo psalmo de Domino scribitur : *Filius iniquitatis non apponet nocere ei* (*Ps.* LXXXVIII, 23). In Osee quoque filii fornicationis vocantur, qui sunt de matre meretrice generati, de qua scriptum est : *Fornicata est mater vestra* (*Osee* II, 5). Et in Evangelio Judæi filii diaboli sugillantur : *Vos de patre diabolo nati estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII, 44). In bonam partem filios legimus, ut filios Dei : *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Et filios sapientiæ, Evangelio proclamante : *Justificata est sapientia, a filiis suis* (*Matth.* XI, 19) : Et filios Abraham : *Amen amen dico vobis, potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Matth.* III, 9). Et filios Apostoli : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV, 19), et multa istiusmodi. Filius ergo honorat, sive clarificat patrem, juxta illud quod scriptum est : *Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant vestra* [a] *opera, et glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis* (*Matth.* V, 16). Servus quoque honorat dominum suum non eadem charitate qua filius ; sed ἀπὸ κοινοῦ subauditur, honorat filius patrem, servus dominum suum ; et tamen Deus omnipotens sciens differentiam filii et servi, et a filio gloriam, a servo timorem expetit : *Principium enim sapientiæ timor Domini* (*Eccl.* I, 16), ut de timore servorum, **948** ad filiorum gloriam transeamus.

(Vers. 7.) *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis : In quo polluimus te? in eo quod dicitis, mensa Domini despecta est.* LXX : *Vos, sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum? Offerentes ad altare meum panes pollutos, et dixistis : In quo polluimus ipsos? in eo quod dicitis, mensa Domini despecta est ÷ et quæ superposita sunt, dëspexistis ÷* Quod autem sequitur : *Et quæ superposita sunt despexistis*, obelo prænotavimus, quia in Hebraico non habetur, et de sequentibus additum est. *Ad vos*, igitur, *o sacerdotes, qui despicitis nomen meum*, iste sermo dirigitur : qui reversi de Babylone, metu præteritæ servitutis, debueratis ad Dominum plena mente converti : et non solum hoc non facitis, sed imitantes Cain, superbis contra Deum vocibus respondentes, sciscitamini ab eo quem occulta non fallunt, et dicitur : *In quo despeximus nomen tuum* (*Gen.* IV)? ut dissimulationis impudentia, vulnus conscientiæ protegatis. Vultis ergo scire in quo despexeritis nomen meum? Offertis super altare meum panem pollutum : panes videlicet propositionis, quos juxta traditiones Hebraicas, ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis : et nunc sumitis quoscumque de medio, et voce temeraria respondetis, et dicitis, *in quo polluimus eos*, sive *te?* Dum enim sacramenta violantur, ipse cujus sunt sacramenta violatur. Hoc autem quod sequitur : *In eo quod dicitis, mensa Domini despecta est*, possumus ita interpretari : Quod reversi de Babylone, necdum templo ædificato, manentes in casulis, et in ruinis urbis antiquæ, altare tantum exstruxerant, non ejusdem gloriæ, cujus pristinum fuerat, et putabant deesse religionis sanctimoniam, quia deerat ædificationis ambitio. Tenues lineas duximus, quibus imprimenda est explanatio spiritualis. Corripit sermo divinus episcopos, atque presbyteros et diaconos negligentes, sive quoniam genus sacerdotale et regale sumus, omnes qui baptizati in Christo, Christi censentur [*Al.* censemur] nomine, cur despiciant nomen Dei : et interrogantibus, **949** in quo despexerint nomen ejus, causas monstrat offensæ : Offertis, inquit, super altare meum panem pollutum. Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, et sordidi mundum sanguinem bibimus, et dicimus, mensa Domini despecta est ; non quod hoc aliquis audeat dicere, et quod impie cogitat scelerata voce, proferre ; sed opera peccatorum despiciunt measam Dei. Possumus et aliter dicere : Doctor Ecclesiæ qui spiritualem conficit panem, et eum populis dividit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra sæculi quæ gloriam consequuntur, loquatur in populis et divitibus blandiatur, et honoret peccatores, et juxta Jacobum suscipiat

[a] Interserit Victorius *bona*, ex ipso Matthæi textu.

eos, qui cum annulis aureis ad se veniunt (*Jacob.* II), et pauperes sanctos repellat, nomen Dei despicit, et panem polluit doctrinarum, et in ipsum Deum jacit contumelias, mensam Scripturarum ejus mensis idolorum sæcularisque doctrinæ putans esse communem.

(Vers. 8.) *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* **LXX** : *Quia si offeratis cæcum in sacrificium, nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si susceperit te, si acceperit faciem tuam, dicit Dominus omnipotens.* De diversitate victimarum, et quæ vel offerri debeant, vel non offerri, in Levitico plenius discimus (*Levit.* XXI *et* XXII). Reversi itaque de Babylone sacerdotes et Levitæ, janitores atque cantores, et Nathinnæi servique Salomonis, quorum Ezras scribit κατάλογον, illicitas Deo victimas offerebant, cæcas videlicet et claudas, ac varia debilitate confectas (I *Esd.* II); hoc est enim quod dicit languidum, uno cuncta sermone comprehendens. Si istiusmodi, inquit, duci tuo offeres munera, nonne respueret? nonne sibi factam putaret injuriam? et hoc audetis offerre Deo, quod dare hominibus non audetis? Longum est nunc omnium victimarum aperire mysteria : de his tantum loquar quæ præsenti capitulo continentur. Cæca est animæ victima, quæ non illustratur Christi lumine, nec habet oculum de Evangelio contuentem (*Matth.* 6). **950** Clauda est rogantis oratio, quæ duplici mente accedit ad precandum, et audit cum populo Judæorum : *Usquequo claudicatis utroque pede* (III *Reg.* XVIII, 21)? Et languida, et omni infirmitate cooperta, quæ non habet Christi Dei virtutem, Deique sapientiam. Istiusmodi preces, quæ sine lumine veritatis sunt, et non habent sapientiæ firma vestigia, et debilitatibus variis contabescunt, si offerantur Ecclesiarum principi, aut cuilibet erudito sapientique doctori, nonne repudiabuntur, et in contumeliam ejus recident, qui talia est ausus [a] offerre?

(Vers. 9.) *Et nunc deprecamini vultum Dei ut misereatur vestri : de manu enim vestra factum est hoc, si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito?* **LXX** : *Et nunc deprecamini faciem Dei vestri, et rogate eum : in manibus vestris facta sunt hæc, si suscipiam ex vobis facies vestras, dicit Dominus omnipotens : quia et in vobis claudentur ostia, et non succendetur altare meum gratis.* Multum in hoc loco Septuaginta interpretes ab Hebraica veritate discordant : et necesse est, ubi diversa est interpretatio, ut diversus et sensus sit. Quia obtulistis claudas et cæcas et debiles victimas, vos enim hæc quæ dixi universa fecistis : agite pœnitentiam, si quo modo misereatur vestri Deus : nullus enim in vobis usque ad extremum ministerium, non dico pontifex, non sacerdos, non Levita, non cantor, sed nec janitor quidem, et is qui ignem supponit altari ad cremandum holocausta, qui non a me mercedem accipiat laboris sui. Hoc autem dicens, decimas significat omnium frugum, quæ offeruntur a populis. Ex quo ostenditur, acceptiorem esse Domino servitutem, quæ mercedem in præsentiarum non postulat. Unde et Apostolus gratis prædicat Evangelium (I *Thess.* II); et nocte et die manibus suis laborat, ne cui oneri sit et hanc gloriam suam gratuitæ predicationis in gentibus, nequaquam evacuandam esse testatur (II *Thess.* III). Porro LXX alium multo suggerunt sensum : O sacerdotes, qui hostias debiles immolatis, convertimini ad pœnitentiam, et vultum Domini deprecamini et orate pro operibus manuum vestrarum. Quod autem infert : *Si* **951** *suscipiam ex vobis facies vestras*, nescio an conveniat exhortationi pœnitentiæ. Nemo enim dicit, ora me, et non parcam tibi. Sequitur : *In vobis claudentur ostia*, Patris videlicet, et Filii, et Spiritus sancti. Unde Salvator loquitur : *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 9). Sive aliter : Non vobis aperientur ostia Scripturarum, nec perspicere poteritis sancta sanctorum, nec Domini sacramenta cognoscere; nec succendere thymiama ejus ad altare : quia orationes vestræ ad illum non pervenient. Et hoc quod dicitur δωρεάν, et nos interpretati sumus *gratuito* : qui hanc sequuntur intelligentiam quam nunc exponimus, vertunt in *gratiam*, ut videlicet gratiam non habeant altari Domini serviendi.

(Vers. 10 seqq.) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Et vos polluistis illud, in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est, et quod superponitur, contemptibile est cum igne qui illud devorat. Et dixistis : Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum. Et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis munus : numquid suscipiam illud de manu vestra? dicit Dominus.* **LXX** : *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non suscipiam de manibus vestris, quia ab ortu solis usque ad occasum nomen meum gloriosum est in gentibus : et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium mundum, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Vos autem contaminastis illud, in eo quod dicitis, mensa Domini polluta est, et qui superponuntur despecti sunt cibi ejus, et dixistis,* [b] *hæc de afflictione sunt, et exsufflastis ea, dicit Dominus omnipotens. Et inferebatis rapinas, et clauda* **952** *et debilia, et offerebatis sacrificium : si suscipiam ea de ma-*

[a] Corrupte Martian. retinuit *auferre*.

[b] In Regin. mss. *ecce*, pro *hæc*, juxta Græcum Complutense exemplar, cui laudatam ab Hieronymo versionem sæpius adhærere novimus : ἰδοὺ pro ταῦτα.

*nibus vestris, dicit Dominus omnipotens?* Regula Scripturarum est : Ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Ergo proprie nunc ad sacerdotes Judæorum sermo fit Domini, qui offerunt cæcum et claudum, et languidum ad immolandum; ut sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras. Et nequaquam taurorum hircorumque sanguinem; sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas, et non in una orbis provincia Judæa, nec in una Judææ urbe Jerusalem; sed in omni loco offerri oblationem, nequaquam immundam, ut a populo Israel; sed mundam, ut in [a] cæremoniis Christianorum. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen Domini in gentibus, dicente Salvatore : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6). Cumque, inquit, nomen meum magnum in gentibus sit futurum, o vos principes Judæorum, polluistis illud atque polluitis. Sic enim futurorum texit vaticinium, ut præsens tempus non deserat. Propterea autem, o sacerdotes et principes Judæorum, in omni loco mihi offertur oblatio mundā, et magnum est nomen meum in gentibus, quia dicitis mensa Domini contaminata est, et quod superponitur, contemptibile est cum igne qui illud devorat. Reversus de Babylone populus, altare tantum fortuitis et impolitis lapidibus, juxta Ezræ librum exstruxerunt (1 *Ezr.* VI), absque templo, absque urbis ædificiis, absque exstructione murorum, et putabat minorem esse cultum religionis, quia templi ornatus deerat. Ad quos Dominus loquitur : Pollutum putatis altare, et holocausta ac victimas quæ supra imponuntur : ignem quoque qui victimas devorat, esse pollutum; nec intelligitis omnipotentem Deum, non aurum, gemmasque, et hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntates. **953** Qui autem arbitrantur non altare, sed mensam debere intelligi, in qua panes ponebantur, quomodo hoc interpretari possint quod sequitur, *cum igne qui illud devorat*, omnino non video : neque enim ignis devorat panes propositionis, quos semper novos [*Al.* novis] pro veteribus commutabant, et ablati cedebant in usus sacerdotum (*Levit.* II, 4). Aut certe ita intelligendum : Polluistis nomen meum in eo quod dicitis : quid prodest si offeramus optima? qualiacumque fuerint quæ offeruntur, igne sunt devoranda. Fructus autem altaris ignis est, cibusque ignis hostiæ vel holocausta. Nec sufficit prioris sermonis impietas, sed etiam hoc dixistis : *Ecce de labore, et exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum.* Cujus orationis hic sensus est : Dixistis, de captivitate reversi sumus, hostibus prædæ fuimus, multum in longo itinere laboravimus, pauperes sumus, quidquid habere potuimus, viæ labore consumptum est : qualiacumque habemus, offerimus; et hæc dicendo exsufflastis vestra sacrificia, id est, exsufflatione mea digna fecistis : sive ut in Hebræo legi potest : *Et exsufflastis me* hæc dicendo; non sacrificio, sed mihi cui sacrificabatis, fecistis injuriam. Quamobrem nequaquam suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus omnipotens. Quidam putant hoc quod ad Judæos specialiter dicitur, eo quod victimæ eorum immundæ sint atque pollutæ, et sacrificium transferatur ad gentes, intelligi debere super Ecclesiæ sacerdotibus, qui negligenter offerunt victimas Domino. Quod si recipimus : ergo ab Ecclesia rursum ad aliam religionem victimæ transferendæ sunt. [b] Et quomodo Legi Evangelium, sic rursum Evangelio ea quæ non sunt futura, succedent. Mensam quoque Domini contaminatam ad sanctas Scripturas referunt, si aliter quam scriptæ sunt, intelligantur.

(Cap. II. — Vers. 1, 2.) *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino. Quia rex magnus ego sum* [Vulg. tacet *sum*], *dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.* ✠ [c] *Et nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes : Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus* **954** *vestris et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.* LXX : *Et maledictus qui erat potens, et habebat in grege suo masculum, et votum ejus super eo, et immolat debile Domino : quia rex magnus ego sum, dicit Dominus omnipotens, et nomen meum illustre in gentibus. Et nunc mandatum hoc ad vos, o sacerdotes, si non audieritis, et si non posueritis cor vestrum, ut detis gloriam nomini meo, dicit Dominus omnipotens : mittam super vos maledictionem, et maledicam benedictioni vestræ, et maledicam ei; et dissipabo benedictionem vestram ÷ et non erit vobis; quia vos non ponitis in cor vestrum.* Hoc quod scriptum est, *et dissipabo benedictionem vestram*, a LXX additum est, et in Hebraico non habetur. Quidquid potest in excusationem peccati sui humanus animus invenire, et falsa se satisfactione defendere, hoc prævidens sermo divinus corripit atque condemnat. Et est sensus, quia offertis cæcum

[a] Victor. ait : Hieron. cæremonias Christianas Missam appellat, quam Græci λειτουργίαν vocant : de qua fit mentio Act. XIII : λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, καὶ νηστευόντων, εἶπε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Ministrantibus*, seu verius, *sacrificantibus autem illis, et jejunantibus, dixit Spiritus sanctus.* Hoc enim nomine et Clemens martyr, et Basilius, et Chrysostomus Missam inscribunt. Hanc autem sacrificium esse, non solum hic abs Hieronymo erudite, sed præclarius, et illustrius super XLVI Ezechielis, discere potes. Ex quo non possum non mirari novorum hæreticorum vesaniam, qui contra ipsius Christi institutionem, et perpetuum totius Ecclesiæ usum atque consensum, sacrificium, quo numquam terrarum orbis caruit, a fidelibus tollunt. Convincerem hanc falsitatem multis, si vel ab aliis ante nos id docte copioseque factum non esset, vel nos disputationes, et non potius scholia nunc texeremus.

[b] Nonnulli codices mss. aliter legunt et alium sensum retinent, scilicet, *Et quomodo legimus Evangelium, si rursum Evangelio ea quæ non sunt futura* succedant? MART.

[c] Initium II cap. sec. LXX.

et claudum et languidum, et hoc ipsum non de vestro, sed de rapinis, et spoliis fletibusque miserorum, et insuper dicitis, de labore et paupertate offerimus quod habemus : propterea ego dico generaliter, ut vos arguat propria conscientia. Certe obtenditis paupertatem et captivitatis injuriam, et tenuitatem rei familiaris : audite quod infero : *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.* Si non habes masculum, nihil tibi nocet maledictio. Hæc autem dicendo, ostendit eos habere quæ optima sunt, et offerre quæ mala sunt. Ad vos igitur, o sacerdotes, hoc mandatum est, fecistis quod impium est in contemptum mei. Sed quia malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem, etiam nunc dico : Si me audire nolueritis, nec intelligere, ut detis nomini meo gloriam, quod est horribile in gentibus, veram in vos mittam penuriam, ut nequaquam mentientes; sed omnium rerum coacti egestate, dicatis vos non habere optima, quæ offeratis. Et maledicam, inquit, benedictionibus vestris, hoc est, his quæ nunc meis benedictionibus possidetis : sive quidquid a vobis benedicetur [*Al.* benedicitur], a me maledictum erit. *Et maledicam illis*, subauditur *benedictionibus vestris;* quoniam noluistis intelligere quæ dicuntur; hoc est enim quod dicitur : *non posuistis super cor.* **955** Possumus maledictum et dolosum accipere populum Judæorum, qui cum haberet in grege suo masculum Dominum Salvatorem, et immaculatum agnum, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I), et omnium prophetarum vaticinatione commonitus, ut immolaret atque susciperet arietem, qui hærebat [a] ex cornibus in virgulto Sabec (*Gen.* XXII), hoc facere noluit; sed immolat debile Domino, crucifigens Salvatorem, et eligens Barabbam latrocinii et seditionis auctorem (*Joan.* XVIII), qui juxta mysticos intellectus refertur ad diabolum : illisque comtemnentibus, et præferentibus diabolum Salvatori, nomen Christi horribile est in gentibus, quæ passionem Domini susceperunt, et eum formidoloso honore venerantur. De nobis quoque dici potest : Si creati a Deo sapientes, habentesque naturam sacris congruam disciplinis, nostrum negligamus ingenium, et nos dedamus vitiis atque luxuriæ, et habentes masculum, immolemus debile Domino. Debilis autem est, et maculata nostra oratio, quando ira, invidia, inimicitiis, et alia animi perturbatione corrumpitur : si offerentes munus ad altare, et recordati quod aliquid frater noster habeat adversum nos, non ante pergimus, et satis ei facimus (*Mat.* V, 23). Unde et Apostolus præcipit : *Volo* [b] *ergo viros orare in omni loco, levantes sanctas manus sine ira et disceptatione* (I *Tim.* II, 8). Pastorque cogitationum nostrarum atque virtutum sensus est, de quo in centesimo secundo Psalmo (*Vers.* 1) dicitur : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Qui si gregem suum bene rexerit, impletur in eo illa benedictio : *Benedicta armenta boum tuorum, et greges ovium tuarum* (*Deut.* XXVIII, 4). Sin autem habens naturaliter masculum, id est, forte, rigidum ac robustum, immolet leve vel nimia mollitia femineum atque lascivum, vel diversis animæ perturbationibus debile atque corruptum, sentiet in se completum esse quod scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Et : *Cui plus dederint, plus exigent ab eo* (*Luc.* VII). Unde proprie sacerdotibus dicitur, quod si audire noluerint, et corde retinere, ut dent gloriam nomini Domini per bonam **956** conversationem (*Rom.* II); sed econtrario nomen illius propter eos maledicatur in gentibus, mittat in illos egestatem bonorum omnium, et benedictiones eorum, vertat in maledictionem. Qui sanitate abutuntur in libidinem, et divitias vertunt in luxuriam, bonamque famam sordida conversatione deturpant, hi benedictiones Dei mutant in maledictionem. Vel certe, quia ad Sacerdotes proprie mandatum est, vertuntur benedictiones eorum in maledictionem, quando non benedicunt sanctis ex vero cordis affectu, sicut Isaac Jacob, et Jacob patriarchis, et Moyses duodecim tribubus (*Gen.* XXVII *et* XLIX, *et Deut.* XXIII), sed per dulces sermones et benedictiones decipiunt corda innocentium (*Rom.* XVI), et qui inique agunt benedicuntur ab eis, adulanturque peccatoribus dummodo divites sint atque eorum vitiis blandiuntur, de quibus dicitur : *Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum supplantant* (*Isai.* III, 11).

(Vers. 3, 4.) *Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum. Et scietis quia misi ad vos mandatum istud* [Al. *vestrum*], *ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum.* LXX : *Ecce ego separabo vobis humerum, et dispergam ventriculum super faciem vestram, ventriculum solemnitatum vestrarum, et suscipiam vos simul : et cognoscetis, quia ego misi ad vos mandatum hoc, ut esset testamentum meum ad Levitas, dicit Dominus omnipotens.* Quia ad sacerdotes loquitur : Projiciam, inquit, in facies vestras, ea quæ sanctiora putatis in Lege, et vobis a Deo pro virtutum munere ex hostiis condonata : *Brachium*, pro quo LXX *humerum* interpretati sunt, id est, *armum* animalis *dextrum*. Et dispergam, inquit, ἔνυστρον id est, *ventriculum;* sive juxta Hebræos, *stercus*, id est, PHARES (פרש), μετωνυμικῶς, pro eo quod continet, id quod continetur appellans, et [c] armum enim et pectusculum, et linguam, et ventriculum, et ea quæ in Levitico describuntur, accipiebant ex hostiis sacerdotes (*Levi.* VII *et* IX). Quæ omnia pro peccatis eorum se abjicere, et in facies sacerdotum mittere contestatur (*Num.* XVIII; *Deut.* XVIII), ut scilicet tales sint qui offerunt, qualia et illa **957** quæ offeruntur. *Et assumet vos*, inquit, *secum*, id est, *stercus solemnitatum vestrarum*, ut fetentes facies putida stercoris commixtione turpentur, et ex eo quod vos abjicio, intelligatis ipsum esse me,

[a] Regin. ms., *qui hærebat cornibus.*
[b] Idem ms., *Volo vos orare*, etc. Græc. dissentiente textu.
[c] Confer epist. 64, ad Fabiol. num. 2.

qui quondam elegi patrem vestrum Levi, et per Levi Aaron, et vobis sacerdotii gloriam condonavi, ut esset pactum meum sive testamentum cum Levi, et æterno milii sacerdotio ministraret. Notandum, quod BRITH (בְּרִית) verbum Hebraicum, Aquila συνθήκην, id est, *pactum* interpretatur. LXX : semper διαθήκην, id est, *testamentum*, et in plerisque Scripturarum locis, testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viventium. Voluit autem Deus, et omnes quidem homines, sed præcipue sacerdotes, maculam non habere, et sive humerum, sive brachium ornare bonis operibus. In pectusculo significatur bona conscientia : in lingua, sancta confessio : ut quod corde credimus ad justitiam, ore confiteamur in salutem (*Rom.* x). In ventriculo quoque nihil habere mortiferum; sed quod nostram vitam sustentet ac vegetet : nisi enim cibi in ventriculo concoquantur, et eorum succo corpus irrigetur, attenuatum viribus caret, et fertur in mortem. Nos autem omnia in contrarium vertimus, ut projiciat nobis Dominus brachium, sive separet opera nostra a sanctorum operibus, et quibus præceptum est ungere caput nostrum (*Matt.* vi), et lavare faciem a peccatorum sordibus jejunantes, et revelata facie gloriam Domini contemplari (II *Cor.* III), nunc dicimus : *Confusio vultus mei operuit me* (*Ps.* XLIII, 16), et juxta Cain concidit facies nostra (*Gen.* IV), nec possumus illud implere quod præceptum est : *Levate oculos vestros et videte* (*Jer.* XIII, 20); sed stercore vitiorum habemus litas facies atque pollutas, et dicimus : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Ps.* XXXVII, 6). Unde omnia ista in stercus versa sunt, dicente Scriptura : *Et assumet vos secum stercus*, videlicet quo litæ sunt facies nostræ, qui debueramus pleni ac mundi venire in solemnitatibus Dei, et vel carnes agni comedere calciati (*Exod.* XII), vel expletis septem hebdomadibus, fructus operum nostrorum offerre Deo (*Lev.* XXIII) vel in tabernaculis hujus sæculi vivere transeuntes, **958** et dicere : *Advena sum ego et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII). Et quia pro eo quod nos vertimus : *assumet vos secum stercus*, interpretati sunt Septuaginta, *et assumam vos simul*, subjicitur intelligentia, quod postquam turpitudine, et ignominia cooperti fuerint sacerdotes, et intellexerint peccatum suum, et egerint pœnitentiam, tunc assumantur a Domino, et huic sensui convenire quod sequitur : *Et cognoscetis quia ego miserim ad vos mandatum hoc.* Sed superior mihi vera videtur interpretatio, ne inter verba comminationis, verba posuerit blandientis, maxime cum et ea quæ sequuntur, Dei indignationem sonent.

(Vers. 5 seqq.) *Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis, et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* LXX : *Testamentum meum fuit cum eo vitæ et pacis, et dedi ei* [a] *timorem ut timeret me, et a facie nominis mei formidaret. Lex veritatis* [Al. *veritas*] *fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace dirigens ambulavit mecum, et multos convertit ab iniquitate. Quoniam labia sacerdotis custodient scientiam, et lex requiretur ex ore ejus : quia angelus Domini omnipotentis est.* Describitur ex persona Dei, perfecti officium sacerdotis, qualis esse debeat, et qualem cum esse voluerit, qui esse præcepit. Supra enim dixerat : *Ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum;* et per Levi patriarcham pervenit ad posteros, Aaron et Eleazarum, Phinees et cæteros, qui de ejus stirpe generati sunt : nunc in fine ait : *Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* Ex quo perspicuum est, omne quod dicitur per Levi, ad sacerdotes et specialiter ad pontificem pertinere. Legimus in Numeris de Phinees, qui Zamri cum scorto Madianitide pugione percussit : *Phinees filius Eleazar, filii Aaron sacerdotis, requiescere fecit furorem meum a filiis Israel, quoniam æmulatus est zelum meum contra eos, et non perdidi filios Israel in zelo meo,* **959** *sic dicens : Ecce ego dabo* [Vulg. *do*] *ei testamentum pacis, et erit ipsi et semini ejus post eum testamentum sacerdotii sempiterni : pro eo quod zelatus est Deo suo, et exoravit pro filiis Israel* (*Num.* XXV, 11). Vitæ autem testamentum, sive pactum, non hujus arbitremur quæ nobis cum bestiis et cunctis animantibus communis est, sed illius quæ dicit : *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 7). *Etenim vita nostra cum Christo abscondita est in Deo* (*Col.* III, 3) : de quo possumus dicere, quod et ipse pax nostra sit, Apostolo confirmante : *Ipse enim est pax nostra* (*Ephes.* II, 14). Dedit ergo Dominus Levi, et per eum posteris ejus, ut timerent eum : *Principium enim sapientiæ timor Domini* (*Ps.* CX, 10), et a facie ejus formidarent, sive subtraherent se atque contraherent, mentis formidinem horrore corporis indicantes, juxta illud quod scriptum est : *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2)? Lex veritatis fuit in ore ejus, hoc est, doctrina [b] populorum, quæ in sacerdote nullo debet mendacio deturpari; sed tota de veritatis fonte procedere. Et iniquitas non est inventa in labiis ejus, ut imitetur Dominum suum, de quo dicitur : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (I *Pet.* II, 22). In pace et in æquitate ambulavit mecum, ut et ipse in se pacem habeat, et cæteros pacificet, nulliusque personam accipiat in judicio, et idcirco ambulet cum Deo, sicut ambulavit Enoch, qui translatus est [c] ad Dominum, et non inveniebatur (*Genes.*

[a] Pressus Græco Regin. ms. *ut timore timeret* me, ἵν φόβῳ φοβεῖσθαί με.

[b] Malim cum Regin. ms. legi, *doctrina apostolorum*, *quæ in sacerdote nullo debet veneficio deturpari.*

[c] Quidam editi libri, *a Domino.*

v); *Et multos avertit ab iniquitate.* Qui sacerdos est, et non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit. *Labia sacerdotis custodient scientiam* : non dixit, *proferent*, sed, *custodient*, ut loquantur in tempore, dentque conservis cibaria in tempore suo. *Et legem requirent ex ore ejus.* In Aggæo hoc idem scribitur : [a] *Interrogate sacerdotes legem Domini* (*Aggæi* II, 12). Ad sacerdotis pertinet disciplinam interrogatum respondere de lege. Qui si ignorantiam in cæteris diligentem, in Scripturis sanctis obtenderit negligentem, frustra jactat dignitatem, cujus opera non exhibet. Hoc est quod apostolus Paulus scribit ad Titum : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere* (*Titum.* I, 9). Et ad Timotheum : **960** *Quoniam ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possint instruere ad salutem, ut peccantes coram omnibus arguas* (II *Tim.* III, 13). Sequitur : *Quia angelus Domini exercituum est.* Exponit nomen suum Ezras sacerdos Dei, hoc est, *Malachi*, quod *angelus Domini* interpretatur ; angelus autem, id est, nuntius, sacerdos Dei verissime dicitur, quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem : et idcirco in sacerdotis pectore rationale est (*Exod.* XXIX), et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus, sacerdotem doctum esse debere, et præconem dominicæ veritatis. Quidam hoc quod ad Levi et per Levi ad sacerdotes dicitur, falso putant intelligendum esse de Christo, non respicientes ea quæ sequuntur, personæ Christi esse contraria.

(Vers. 8, 9.) *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege.* LXX : *Vos autem declinastis de via mea, et infirmos fecistis multos in lege, corrupistis testamentum Levi, dicit Dominus omnipotens. Et ego dedi vos contemptibiles, et dissolutos in omnes gentes, pro eo quod non custodistis vias meas, sed accipiebatis personas in lege.* Hæc ad Christi non pertinere personam, nec ad eos qui illius cultui dedicati sunt, etiamsi ego taceam prudens lector intelligit. Et est sensus : Ego vos volui facere quæ priori capitulo continentur, et de quibus per Moysen in Deuteronomio sum locutus : *Date Levi doctrinam ejus, et veritatem viro justo* (*Deut.* XXXIII, 8, *sec. LXX*), et reliqua : vos autem recessistis de via recta, sive declinastis, dicente me : *Non declines neque ad dextram, neque ad sinistram* (*Deut.* V, 32); et infirmos fecistis multos in lege, sive scandalizastis, ut Aquila et Symmachus verterunt. Declinare ad dextram, est abstinere a cibis quos Deus creavit ad utendum : condemnare nuptias, et in illud incurrere, quod in alio loco scriptum est : *Ne sis justus multum* (*Eccl.* VII, 17). Ad sinistram divertere, est cum quis luxuriæ se tradit et libini, et scandalizat multos in lege : cui melius est, ut mola A **961** asinaria ligetur circa collum, et in mare præcipitetur, quam scandalizet unum de minimis. Infirmos autem faciunt multos, qui cum credentes in Christo fidei robur acceperint, infirmari eos faciunt negligentia conversationis suæ, quibus rectissime dicitur : *Irritum fecistis pactum Levi*, pactum vitæ et pacis, et cætera, quæ pertinere ad officium diximus sacerdotis. Quam ob causam, et ego, inquit, dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, ut vos contemnerent, et pro honore et gloria, quasi dejectos humilesque calcarent : *Sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege.* Inter omnia peccata Levi, sive eorum qui ex Levi sunt, sacerdotum Dei, illud et ultimum et maximum ponitur, quare accipiant faciem in lege, ut non causas, sed personas B considerint, justumque pauperem despicientes, iniquos divites suscipiant et honorent. Ad quos in octogesimo primo psalmo dicitur : *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis* (*Psal.* LXXXI, 2)? et Paulus ad Galatas : *Deus*, inquit, *personam hominis non accipit* (*Gal.* XXVI). Pleniusque apostolus Jacobus hoc peccatum arguit, atque condemnat (*Jac.* 2). Quidquid autem priori populo dicitur, etiam nobis dictum putemus ut cautiores recedamus a vitiis, et faciem non suscipiamus in lege, nec qui sumus cultores Dei, veritati mendacium præferamus.

(Vers. 10 seqq.) *Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Juda,* C *et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem : quia contaminavit Juda sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam Dei alieni. Disperdet* [Al. *disperdat*] *Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum.* LXX : *Nonne Pater unus omnium vestrum? Nonne Deus unus creavit vos? Quare reliquistis unusquisque fratrem suum, ut abominabile faceret testamentum patrum vestrorum. Derelictus est Judas, et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem, quia contaminavit Judas sancta Domini, in quibus dilexit, et adinvenit deos alienos. Disperdat Dominus hominem qui facit hæc,* **962** *donec exturbetur de tabernaculis Jacob, et de his, qui offerunt sacrificium Domino omnipotenti.* Antequam de præsenti capitulo disputemus, D Hebræorum est ponenda traditio, immo Scripturæ veritas explicanda. Legimus in volumine, quod Ezræ titulo prænotatur, ex persona ipsius Ezræ loquentis : *Accesserunt ad me principes, dicentes : Non est separatus populus Israel, et sacerdotes et Levitæ a populis terrarum, et de abominationibus eorum, Chananæi videlicet, et Ethæi, et Pheresæi, et Jebusæi, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Ægyptiorum, et Amorrhæorum. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi, et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. Cumque audissem sermo-*

[a] Rescribit Victorius, *Interroga*, ex Aggæi textu.

*nem istum, scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbæ, et sedi mœrens* (1 *Esdr.* IX 1 *seqq.*) Et rursum in consequentibus: *Inventique sunt de filiis sacerdotum, qui duxerunt uxores alienigenas de filiis Jesu, filii Josedec, et fratres ejus, Maasia, et Eleazar, et Jarib, et Godolia, et dederunt manus suas, ut ejicerent uxores suas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent* (1 *Esdr.* x, 18, 19). In fine quoque capituli post enumerationem eorum, qui uxores alienigenas acceperant [*Al.* acciperent], Scriptura commemorat: *Omnes hi acceperunt uxores alienigenas: et fuerunt ex eis mulieres quæ pepererant filios.* Reversi ergo de captivitate Babylonia, tam principes, et sacerdotes, ac Levitæ, quam reliquus populus abjecerunt uxores suas Israelitici generis, quæ paupertate et injuria longioris viæ, et fragilitate sexus non ferentes [a] laborem, confectæ erant, et infirmitatem ac deformitatem corporum contraxerant: et cum alienigenis vel ætate florentibus vel cultu corporum pulchrioribus, vel potentum ac divitum filiabus matrimonia copularant. Corripit itaque eos Ezras propheta, et ad repudium novarum conjugum provocat, ut uxores quas dimiserant, recipiant: *Nonne*, inquit, *pater unus Abraham omnium nostrum est?* de quo in Isaia scribitur: *Respicite in Abraham patrem vestrum, et in Saram, quæ genuit vos, quia unus erat, et vocavi eum* (*Isai.* LI, 2). Nonne Deus unus creavit nos, qui ex Abraham nostrum **963** elegit genus? Quare ergo veteres uxores contemnimus, et fratrum nostrorum abjicimus filias, ut relinquamus pactum patrum nostrorum, et non ex Lege accipiamus uxores? Transgressus est Juda (hæc enim tribus reversa est de Babylone cum sacerdotibus ac Levitis, et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem. Nequaquam in decem tribubus, quæ ab Assyriis tenebantur; sed in his [b] qui ad Cyri regis imperium sub Zorobabel et Ezra, et Neemia de Babylonia sunt reversi. *Quia contaminavit Juda sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam Dei alieni*, miscendo cum alienigenis semen Israel, et gentilium; id est, ethnicorum filias, idolis servientes, sumendo uxores. Quia igitur hoc fecerunt, prophetæ ad eos sermo dirigitur, et a peccato maledictionibus retrahuntur. *Disperdat Dominus virum qui fecerit hoc.* Quam pulchre non abscidit errori veniam, nec dixit, maledicat Dominus ei qui fecit hoc; sed qui fecerit, in futurum tendens maledictionem, ut peccatores ad pœnitentiam provocet. Doctorem, inquit, atque discipulum de tabernaculis Jacob, sive ille sacerdos sit, sive laicus, una maledictione ferientur, et non erit in eis pœnæ diversitas, in quibus peccata sunt paria. Et offerentem munus Domino exercituum: subauditur, disperdat Dominus et eum, qui pro hujuscemodi hominibus voluerit ad altare munus offerre, quorum solum remedium est, non facere quæ fecerunt. Quidam hunc locum non intelligentes, nec scientes historiæ veritatem, id quod ait: *Nonne pater unus omnium nostrum?* de Abraham sic intelligunt, ut etiam gentium patrem Abraham esse commemorent, secundum illud quod scriptum est: *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Mat.* III, 9)? Vel certe unum Deum Patrem affirmant juxta illud quod in Deuteronomio legimus: *Nonne iste ipse est Pater, qui possedit te, et fecit te, et creavit te* (*Deut.* XXXII, 6)? Et rursum: *Deum qui te creavit, reliquisti* (*Ibid.*, 18). Et alibi: *Filios genui et exaltavi: ipsi autem reliquerunt me* (*Isai.* I, 2). Et in Psalmorum volumine: *Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Ps.* XVII, 46). **964** Et ab hoc uno patre, qui peccaverunt, recedentes, multos vitiorum suorum patres fecere: *Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo natus est.* Idque quod sequitur: *Quare despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum*, sic interpretati sunt, ut dicerent: Nos cunctos ab uno patre generatos, unum esse debere, et unum confessionis habere labium; sed postea per superbiam et ædificationem turris contra Deum in multas linguas atque sententias esse divisos (*Gen.* XI). Ad eleemosynam quoque referunt, ut dicant: Despicere nos fratres nostros, quando non communicamus eis quæ a Deo ad sustentandam vitam accepimus. Et ad hoc transeunt, ut asserant fratrem nostrum, secundum Scripturas, dominum appellari, qui præcepit Mariæ Magdalenæ, ut nuntiet fratribus suis, Dominum surrexisse (*Joan.* XX), et loquitur in Psalmo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo tibi* (*Ps.* XXI, 23). Deseruerunt ergo Judæi fratrem suum, et contaminaverunt pactum patrum suorum, quod Deus pepigerat ad Abraham, Isaac, et Jacob, ut in semine eorum, quod interpretatur *Christus*, benedicerentur omnes gentes. Hæc varie suspicantur, quia certam viam non reperiunt. Denique et hoc quod sequitur juxta LXX: *Derelictus est Judas, et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem*, sic edisserunt: Desertos esse Judæos, quia blasphemaverunt Dominum Salvatorem, et sustinuisse quod scriptum est: *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine* (*Ps.* V, 11), ut in cunctas provincias vagi, et profugi spargerentur. Contaminaverunt enim sancta Domini, pro Dei Filio diligentes, et adinvenientes sibi deos alienos: *Qui enim non recipit Filium, non recipit Patrem, qui misit eum* (*Luc.* IX, 43). Et idcirco quia hoc fecerunt, tamdiu disperire donec humilientur, vel captivitatis injuria, vel ob conscientiam peccatorum: et projiciantur de tabernaculis Jacob, ut destructo templo, atque altari, nequaquam apud eos offerantur hostiæ [*Al.* bestiæ]. Nec hac explanatione contenti (quia *Judas* [יְהוּדָה] interpretatur *Domini confessio*) ad pœnitentem, intelligentiam transferunt, qui postquam Dominum confessus est, **965** si peccaverit, abominationem facit in Israel, et in Jerusalem, in sensu vidente Deum, et in visio-

[a] Unus ms., *labore confractæ erant.*
[b] Idem, Regin. ms. cui et Victorius consentit, *sed in his quæ Cyri;* et consequenter, *sunt reversæ.*

ne pacis. Polluit enim Christi mysteria, indigne accipiens corpus ejus et sanguinem (1 *Cor.* xi), pro eo quod dilexerit vitia, et adinvenerit sibi deos alienos, secundum numerum peccatorum habens numerum deorum. Juxta apostolum Paulum : Voracium Deus venter est (*Phil.* iii), et secundum Petrum [*Al.* Jacobum]. *A quo quis vincitur, ei subjicitur* (II *Petr.* ii, 19). Et qui hoc fecerit, exterminabitur [*Al.* exterminatur] de Ecclesia, et de tabernaculis Jacob, qui supplantat vitia atque peccata, donec humilietur in bonum suum, et offeratur pro eo victima Domino omnipotenti.

(Vers. 13 seqq.) *Et hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini fletu, et gemitu* [Vulg. *mugitu*], *ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis : quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est? et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel; operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum : custodite spiritum vestrum, et nolite despicere.* LXX : *Et hæc quæ oderam, fecistis : operiebatis lacrymis altare Domini planctu et gemitu, de laboris adhuc dignum respicere sacrificium, aut suscipere acceptabile de manibus vestris. Et dixistis, propter quid? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem adolescentiæ tuæ, quam tu reliquisti, et hæc particeps tua, et uxor testamenti tui, et non alius fecit, et reliquiæ spiritus tui. Et dixistis : quid aliud præter semen quærit Deus? et custodite in spiritu vestro, et uxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas : sed si odio habens dimiseris eam, dicit Dominus Deus Israel, operiet impietas cogitationes tuas, dicit Dominus omnipotens : et custodite in spiritu vestro, et nolite derelinquere.* Interpretemur historiam, et singulis versiculis breves sententias coaptantes, quod nobis ab Hebræis sit traditum, disseramus. Derelictæ uxores Israeliticæ, et in thoris maritorum alienarum gentium feminas contemplantes, ad Dei solius auxilium confugiebant, diebus ac noctibus ante altare Domini **966** provolutæ lacrymis, gemitu, atque ejulatibus invidiam faciebant ejus providentiæ; quod non respiceret humana, et [*Al.* misera] miserias non juvaret. Unde dicit Deus, sacrificium et hostiam de manibus sacerdotum, qui ista commiserunt, se accipere non posse, uxorum fletu et planctibus impeditum, et insuper eos quærere : quam ob causam de manibus eorum non accipiat sacrificium, statimque infert : Quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, dicens : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in una carne* (*Genes.* ii, 24) : et idcirco particeps dicitur, et uxor conjunctionis, et fœderis, quæ a Deo de costa viri facta est. Et residuum spiritus ejus, sive Dei, ut quidam putant, sive mariti, ut alii suspicantur, quod propter affectam quodammodo una anima in duobus esse videatur, conjunctis spiritu, mente sociatis. Cum ergo unus utrumque fecerit, et virum et mulierem : propterea a Deo facta est utriusque conjunctio, ut liberi nascerentur. Unus enim Deus, quid quærit nisi semen Dei, hoc est filios de Israelitica stirpe generatos? Cum ergo habeatis fecundas conjuges, et liberis gaudeatis, quid pulchritudinem uxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non uxoribus? Præcipit itaque per prophetam Deus, et dicit : *Custodite spiritum vestrum;* ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini. *Et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere,* ut quæ tibi virginali primum juncta est matrimonio, perseveret usque ad senectutem. Sed poterat fieri, ut principes, sacerdotes, Levitæ, populus responderent : Præcepit Deus per Moysen, ut cum odio habuerimus uxores, dimittamus eas. Et legendum est : Dicis mihi scriptum est : *Cum odio habueris uxorem tuam, dimitte, dicit Dominus Deus Israel* (*Deut.* xxiv). Statimque respondit : hoc quidem in Lege præceptum est, sed propter duritiam cordis vestri. Quod plenius Dominus in Evangelio prosequitur : Quicumque autem, excepta causa fornicationis, uxorem inique dimiserit (*Mat.* v, 52), operiet vestimentum ejus iniquitas, id est, corpus quo anima vestitur, dicit Dominus exercituum : ut in quo peccavit, in ipso puniatur. Quapropter, hac quæstiuncula dissoluta, inculcat **967** et replicat quod supra dixerat : *Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere,* vel custodiam spiritus vestri, vel certe uxorem, si pauper est, aut deformis. Quod nos specialiter juxta Ezræ librum super uxoribus exposuimus derelictis : hoc alii generaliter contra eos dictum putant, qui aliena diripiunt, et injuste divitias congregantes, audent offerre munera, Deo, quæ dicit se nequaquam posse suscipere, lacrymis eorum, qui vastati sunt, et fletu, ac gemitibus prohibitum, et congruere locum istum illi testimonio : *Honora Deum ex justis tuis laboribus* (*Prov.* iii, 9). Sed et istum sensum interserunt, eos qui propter rei familiaris amissionem, et interitum liberorum, et naufragium, et cætera quæ ad damnum pertinent rerum sæcularium, vertuntur in fletus, et totos se tradunt planctui, et gemitibus : nec animi robore, et spe in Deum, et præmiis futurorum cuncta contemnunt : etiamsi dirigant ad Deum orationem, non suscipi ab eo, quia indecoris et incongruis viro planctibus deturpentur. Hoc autem quod sequitur : *Quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuæ,* sive *adolescentiæ quam tu despexisti : et hæc est particeps* [Al. *pars*] *tua, et uxor pacti,* vel *testamenti tui; et non alius fecit : et reliquiæ spiritus tui,* sic interpretantur, ut uxorem adolescentiæ naturalem dicant intelligentiam, et legem in corde perscriptam, quæ omnibus hominibus insita est. Unde et gentes non habentes legem Dei, ea quæ sunt Legis, operantur. Et de hac conjuge in Proverbiis prædicari : *A Deo conjungitur uxor viro* (*Prov.* xix, 24); et jubemur ut de nostris aquis bibamus et fontibus : nullusque in potando sit particeps, et ut

lætemur cum uxore adolescentiæ nostræ. Hæc uxor impellit etiam in credulos dicere : *Deus judicet, et Deus videat* (*Judic.* VII, 13) : et ipsi cuncta inter me et te dijudicanda permitto, de qua et Ecclesiastes loquitur : *Et vive vitam cum muliere quam dilexisti omnibus diebus* [a] *vanitatis tuæ, qui tibi dati sunt sub sole* (*Eccl.* IX, 9). Hæc uxor residuum spiritus nostri est, quia nostro semper sensui copulatur : quæ si recedat a nobis, statim offendimus Deum, **968** et operit nos nostra impietas. Unde rursum ingeritur : *Custodite spiritum vestrum* (*Galat.* VI), non carnem in qua qui sunt, Deo placere non possunt, non animam : *Animalis enim homo non recipit ea, quæ spiritus sunt* (I Cor. II, 14); sed spiritum : *quia spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus* (*Rom.* VIII, 16).

(Vers. 17.) *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : in quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis : omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii?* LXX : *Qui provocastis Dominum in sermonibus vestris : et dixistis, in quo provocavimus* [b] *te? In eo quod dicitis, omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et in his sibi complacet; et ubi est Deus justitiæ?* Hunc locum plenius septuagesimus secundus psalmus exsequitur, cujus principium est : *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei : Quia zelatus sum super iniquis, pacem peccatorum videns : Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Ps.* LXXII, 1 *seqq*). Ac deinde : *et dixi, ergo sine causa justificavi cor meum : et lavi inter innocentes manus meas.* Reversus ergo populus de Babylone, et videns cunctas in circuitu nationes, ipsosque Babylonis idolis servientes, abundare divitiis, vigere corporibus, omnia quæ bona putantur, in sæculo possidere; se vero qui habeat [*Al.* habebat] notitiam Dei, squalore, inedia, servitute coopertum, scandalizatur et dicit : Non est in rebus humanis providentia, omnia casu feruntur incerto, nec Dei judicio gubernantur, quin potius mala [*Al.* mali *et* boni] ei placent, et bona displicent : aut certe si Deus cuncta dijudicat, ubi est illius æquum justumque judicium? Istiusmodi quæstionem mens incredula futurorum quotidie suscitat Deo, et cum viderit iniquos potentes, sanctos humiles illos rebus omnibus affluere, hos ne ea quidem quæ ad victum necessaria sunt, habere; et interdum surdis auribus cæcisque oculis, et omni parte membrorum ulceribus, et infirmitate depressos, qualis in Evangelio (*Luc.* XVI) Lazarus legitur, qui ante fores divitis **969** purpurati, desiderabat micis, quæ abjiciuntur de mensarum reliquiis, inopem animam sustentare; divitem vero tantæ feritatis et crudelitatis, ut non misereatur homo hominis, cujus etiam canum lingua miseretur, non intelligentes tempus judicii, nec vera bona illa esse, quæ perpetua sunt, dicunt : Mali ei placent, *et ubi est Deus judicii?*

(Cap. III.—Vers. 1.) *Ecce ego mitto* [Al. *mittam*] *angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam : et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* LXX : *Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam : et subito veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, et angelus justitiæ quem vos vultis.* Hoc interpretatus est Dominus in Evangelio de Joanne Baptista, dicens : *Iste est de quo scriptum est : Ecce ego* [c] *mittam angelum meum ante faciem tuam, et præparabit viam tuam coram me* (*Matth.* XI, 10) ; nec eisdem usus est verbis, quæ LXX interpretes transtulerunt. Marcus quoque evangelista duo testimonia Malachiæ, et Isaiæ sub unius prophetæ sermone contexens ita exorsus est : *Initium Evangelii Jesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Marc.* I, 2). Hoc licet verbis aliis in Malachia legimus. Quod autem sequitur : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini; rectas facite semitas ejus* (*Isai.* XL, 3), ab Isaia propheta dicitur : statimque utrumque testimonium de quo dicatur, exponens : *Fuit*, inquit, *Joannes in deserto, baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum* (*Marc.* I, 4). Sed et evangelistæ vaticinium prophetarum super Joanne interpretati sunt cumque in sensu consentiant, in verbis discrepant. Pro eo enim quod LXX transtulerunt : *Rectas facite semitas Dei nostri*, Marcus Lucasque dixerunt : *Rectas facite semitas ejus.* Joannes autem : *Dirigite*, ait, *viam Domini.* Ex quo perspicuum est, apostolos, et evangelistas, et ipsum Dominum Salvatorem non LXX interpretum auctoritatem sequi, qua Hebrææ linguæ habentes scientiam, non **970** indigent; sed ex Hebræo transferre quod legerint : non curantes de syllabis punctisque verborum; dummodo sententiarum veritas transferratur. Quod quidem et in pluribus locis eos fecisse docuimus, et maxime in eo libro qui a nobis inscriptus est, *de optimo genere interpretandi*, multis simul testimoniis approbatum est. Hoc ergo quod dicitur : *Ecce ego mitto angelum meum et præparabit viam ante faciem meam*, ex persona Christi dicitur, quod Joannem miserit in deserto

[a] Olim erat *nativitatis*, cui fere concinit in Græco Aldinum exemplar νεότητος. Verum et mss. plerique omnes libri, *vanitatis*, et Græcus emendatior textus ματαιότητος : denique Hebræus הבלך. et Vulgata impressam lectionem probant.

[b] Regin. ms., *provocavimus eum*, juxta Græcum, παρωξύναμεν αὐτὸν, pro quo tamen, σε, *te* præfert Aldinus codex.

[c] Mutat Victorius ex ipso Matthæi textu, *mitto*, pro *mittam*, et *qui præparabit*, pro *et præparavit* : denique, *coram te*, pro *coram me*. Alioquin, ait, iisdem fere verbis cum Septuaginta usus fuisset Evangelista, quod factum negat Hieronymus. Nec imus inficias, ita in Matthæi Græco legi; verum Hieronymiani mss. nihil hic ab impressa lectione discordant, quam tametsi non moveas, satis abunde est, in quo differat a Septuaginta.

Judææ prædicare baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Quod autem sequitur : *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis*, ita de se quasi de altero loquitur, juxta consuetudinem Scripturarum. Nullisque dubium est quin Dominator iste salvator sit, qui Creator est omnium, et angelus testamenti, et magni consilii Angelus appellatur. Alii vero hoc quod dicitur : *Ecce ego mitto angelum meum et præparabit viam ante faciem meam*, ex persona Patris dictum putant : et quod sequitur : *Statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis*, de Domino Salvatore ab eo dictum intelligunt. Præparat autem viam Joannes, et rectas facit semitas Dei nostri in cordibus credentium, in quibus propter pravitatem, et incredulitatem, prius Deus ambulare non poterat. Templum autem vel Ecclesiam interpretantur, vel unumquemque credentium in Ecclesia : *Ædificamini domos spirituales, sacerdotium sanctum : offerentes spirituales victimas, et acceptabiles Deo per Christum Jesum* (I *Petr.* II, 5). Eos vero qui crediderint : *Nescitis quod templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* ( I *Cor.* III, 16 )? Judæi hoc quod dicitur : *Ecce ego mitto angelum meum*, de Elia propheta dictum intelligunt, et quod sequitur : *Statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis ; et angelus testamenti quem vos vultis*, referunt ἠλειμμένον, hoc est, *Christum* suum, quem dicunt ultimo tempore esse venturum. Sed miror quomodo eos rerum exitus non doceat veritatem. Quod enim templum **971** suum inveniet dominator, quod usque ad fundamenta destructum est, aut si ab alio exstruendum est antequam Christus adveniat, quid Christus eorum amplius facturus est, cum ab alio restituta sint omnia ? Dominus noster in Evangelio Eliam prophetam, Joannem Baptistam interpretans loquitur : *Si vultis scire, ipse est Elias qui venturus est* (*Mat.* XI, 14), de quo et hic idem propheta quem nunc disseruimus, scribit in fine : *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (*Infra* IV, 5). Quomodo autem Elias Joannes sit, dedit nobis viam intelligentiæ, in virtute et spiritu Eliæ eum venisse, commemorans.

(Vers. 2. seqq.) *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus ejus ? Et quis stabit ad videndum eum ? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, et emundans quasi* [Vulg. tacet *quasi*] *argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum : et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda, et Jerusalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum : nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, et non mutor.* LXX : *Ecce veniet* [Al. *venit*], *dicit Dominus omnipotens, et quis sustinebit diem introitus ejus ? aut quis ferre poterit ut aspiciat eum ? Quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorii, et quasi herba lavantium : et sedebit conflans et emundans sicut argentum, et sicut aurum, et emundabit filios Levi, et fundet eos sicut aurum et sicut argentum, et erunt Domino offerentes hostias in justitia* [Al. *justitia*] *: et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut diebus pristinis, et sicut annis prioribus. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox super maleficos, et superadulteros, et super eos qui jurant in nomine meo mendaciter. Et qui fraudant mercede mercenarios, et opprimunt per potentiam viduas, et perculiunt pupillos et pervertunt judicium advenæ, et qui non timent me, dicit Dominus* **972** *omnipotens : quoniam ego Dominus Deus vester, et non mutor.* Supra legimus notam Domino quæstionem ab his qui dicunt : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent, aut certe si displicent, ubi est Deus judicii? hoc est, ubi est justitiæ veritas? Ad quam dissolvendam Domini sermo respondit : Mittam angelum meum, qui præparabit viam meam, et veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, qui judex est veritatis, de quo dicitur in Psalmo : *Deus, judicium tuum regi da : et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 1). *Non enim Pater judicat quemquam ; sed judicium omne dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Et ille est angelus testamenti quem vos quæritis, cui mala non placent, qui personam in judicio non accipit (*Coloss.* III, 25), qui nulla nec misericordia, nec severitate mutatur : *Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in hoc* (*Psal.* LXXIV, 9), id est, misericordia justitiam temperat, et justitia misericordiam. Iste igitur statim et velociter veniet ad templum suum, id est, Ecclesiam. *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus ?* Si cogitare præ potentia majestatis ejus nemo potest, ferre quis poterit? Et quis stabit ad videndum eum, hoc est, quis eum poterit lippientibus [a] et cæcutientibus oculis in sua claritate conspicere, qui est sol justitiæ, et in cujus pennis est sanitas? Ipse veniet quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum (*Inf.* 2) : Ignis enim in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (*Ps.* XLIX). Tunc vocabit cœlum desuper, et terram ut dijudicet populum suum, flumina ignis [b] trahent ante eum, peccatores quosque volventia. Ignis autem dicitur Dominus, et ignis consumens (*Deut.* IV), ut ligna nostra, fenum, stipulamque comburat. Et non solum ignis ; sed et herba fullonum, quæ Hebraice BORITH (בורית) appellatur, et LXX πόαν

[a] Regin. ms., *lippientibus oculis, et cæcis mentibus in una claritate*, etc.

[b] In eodem ms., *trahentur*. Victorius, Alludi, inquit, reor ad illud Danielis VII : Ὁ θρόνος αὐτοῦ φλὸξ πυρός· οἱ τρόχοι αὐτοῦ πῦρ φλέγον· ποταμὸς πυρὸς εἱλκεν ἐκπορευόμενος ἔμπροσθεν αὐτοῦ. *Thronus ejus flamma ignis. Rota ejus ignis ardens : Fluvius ignis trahebat egrediens a facie ejus. Trahebat*, inquit, Hieronymus, *peccatores quosque, flammis eos involvens.*

id est, herbam fullonum, vertunt. Ipse his qui peccant graviter, ignis conflans est, atque consumens : qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat, secundum **973** illud quod scriptum est in Isaia : *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum, spiritu judicii, et spiritu combustionis* (*Isai.* IV, 4). Qui sordes habent, spiritu judicii indigent, ut laventur : qui sanguine pleni sunt, spiritu combustionis, ut sanguis qui in eis extrinsecus litus est, auferatur. Et sedebit conflans et emundans sicut argentum, ut secundum Ezechielem (*Cap.* XXII), quidquid in auro nostro et argento, id est, sensu et eloquio, ære, stanno, ferro, plumboque commixtum est, in camino Domini percoquatur, ut purum aurum remaneat, et argentum. Unde et Dominus in Evangelio loquitur: *Ignem veni mittere super terram, et quam* [Al. *quem*] *volo ut ardeat* (*Luc.* XII, 49); et purgabit filios Levi. *Tempus est enim ut judicium incipiat a domo Dei* (I *Petr.* IV, 17). Et alibi scribitur : *A sanctis meis incipite* (*Ezech.* IX, 6). In filiis autem Levi : omnem sacerdotalem intellige dignitatem. Si autem sacerdotes purgandi sunt et colandi, ut purum aurum remaneat et argentum, quid de cæteris est dicendum? Qui cum emundati fuerint et colati, tunc offerent Domino justa sacrificia, et placebit sacrificium eorum, quod offerunt pro Juda, et Jerusalem, hoc est, pro his qui Dominum confitentur, et pacem ejus mente conspiciunt, *sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui;* ut quomodo in principio placuerunt Deo, sic post peccatum et pœnitentiam placere incipiant; cum omni fuerint peccatorum sorde purgati. *Et accedam*, inquit, *ad vos in judicio, et ero testis velox.* Quanta formido judicii, cum ipse sit testis et judex. Testis est autem cunctis maleficis et adulteris, hæc enim crimina perpetrantur occulte, et ideo proferuntur in medium, ne diu lateant. Post maleficos ponuntur adulteri: post adulteros perjuri: post perjuros, qui calumniantur mercedem mercenarii, et nolunt reddere pro operis labore quod debent. Viduas quoque et pupillos, subauditur calumniantur, et opprimunt peregrinum et alienigenam, vel certe catechumenum, qui necdum in civitate Christi civis effectus est. Et si ista universa non fecerint, sufficit eis solum crimen ad pœnam, quod non timuerunt Dominum. Nequaquam igitur levia putemus esse peccata perjurium, et mercedem **974** non reddere laboranti, et calumniari viduam et pupillum, et opprimere alienigenam et peregrinum : quæ maleficio, et veneficiis, et adulterio comparantur. Hæc et juxta historiam, et juxta tropologiam intelligimus, ut quod eo tempore dicebatur ad principes Judæorum, nunc dicatur ad principes Ecclesiarum. Quodque sequitur : *Ego dominus et non mutor*, idcirco ponit, quia supra dixerat : *ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum*, ne putemus eum divinitatis mutare naturam, quum pro pro nobis aut angelus, aut ignis, aut BORITH nominatur.

(Vers, 6.) *Et vos, filii Jacob, non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis.* LXX : *Et vos, filii Jacob, non recessistis a peccatis patrum vestrorum, declinastis a legitimis meis, et non custodistis.* Supra dixerat: Ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Justumque judicem esse se dicens : quod non accipiat personam in judicio, intulit : *Ego Dominus et non mutor.* Et est sensus : Vos per maleficia, et adulteria, et perjuria, et calumnias, et violentiam quotidie mutamini, ego in judicio nulla personarum varietate commutor. Cumque severum, et justum judicem esse me fatear, o filii Jacob : tamen non estis tormentorum diversitate consumpti, juxta illud quod scriptum est in Jeremia : *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non recepistis* (*Jer.* II, 30) : nec hoc nuper facitis, nec semel, ut erroris mereamini, veniam, sed hæreditariam habebis impietatem, ex diebus patrum vestrorum a legitimis meis recedendo, et non custodiendo quæ præcepi. Filios autem Jacob secundum ἀναγωγὴν supplantatoris, et germani primitiva rapientis, qui non recedant a peccatis patrum suorum, et declinent a legitimis, et non custodiant quæ præcepta sunt, intelligamus eos qui in Ecclesia constituti non recedunt a vitiis, et falsum sibi religionis Christianæ nomen assumunt.

(Vers. 7 seqq.) *Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis, in quo revertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis : In* **975** *quo* [a] *confiximus te? in decimis et primitivis. In* [Vulg. *Et in*] *penuria vos maledicti estis, et me vos confixistis, gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus : si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ* [Al. *vineæ*] *vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes : eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.* LXX : *Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus omnipotens. Et dixistis, in quo revertemur? Si supplantat homo Deum, quia vos supplantastis me? Et dixistis : in quo supplantavimus te? quia decimæ et primitiæ vobiscum sunt, et vos videntes respicitis, et me vos supplantatis* [Al. *supplantastis*] : *annus impletus est, et intulistis fructus in thesauros, et erit rapina in domibus vestris. Revertimini ergo in hoc, dicit Dominus omnipotens : Nisi aperuero vobis cataractas cœli, et*

[a] Antea erat *configimus*, et *primitiis*, et *configitis:* quæ verba Regin. ms. juxta Vulgatam castigat, *confiximus*, et *primitivis*, et *confixistis*. Mox quoque legebatur, *in horreum meum*, pro quo Regin. ms. tantum habet *in horrea*. Nos *meum* induximus post Victorium, quod verbum nedum in illo ms. sed neque in Hebraico aut Vulgata editione sit.

*effudero vobis benedictionem meam usque dum suffi-* **A** *ciat, et dividam vobis cibos, et non disperdam fructum terræ vestræ, et non infirmabitur vinea vestra in agro, dicit Dominus omnipotens: et beatos vos dicent omnes gentes, quia eritis vos* [a] *terra voluntaria, dicit Dominus omnipotens.* Et in principio diximus, Malachi prophetam Ezram sacerdotem debere intelligi; omniaque quæ in illius scribuntur historia, in hoc quoque volumine contineri : et nunc dicimus, temporibus ejus et Neemiæ (quos simul vixisse manifestum est) famem fuisse gravissimam, et ob famem seditionem, et pauperes rerum necessitate compulsos, filios suos et filias, et omnem possessionem, universamque substantiam vendidisse. Denique dicunt : *Filii nostri, et filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, et comedamus et vivamus. Et erant* **B** *qui dicerent : Agros nostros et vineas, et domos nostras apponamus, et accipiamus frumentum in fame. Et iratus sum,* inquit Ezras. *nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc : cogitavitque* **976** *cor meum mecum, et increpavi optimates et magistratus* (*Num.* v, 2 *seqq.*), et reliqua : Famis igitur tempore annona charissima, intantum, ut suos filios vendere cogerentur, et hi qui parum habebant, et qui in horrea multas fruges congesserant, pro necessitate vel pro pretii magnitudine Levitis decimas nolebant reddere, qui non habebant partem in hæreditate Judææ; sed primitiæ et decimæ erant hæreditas eorum. Quod ne putetur nostrum esse, ponamus Ezræ testimonium : *Et ego cognovi.* inquit, *quoniam partes Levitarum non fuissent datæ, et fugisset unusquisque* **C** *in regionem suam de Levitis, et de cantoribus, et de his qui ministrabant : et egi causam adversum magistratus, et dixi : Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, et feci stare in stationibus suis. Et omnis Juda apportabat decimas frumenti, vini et olei in horrea, et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, et Sadoch scribam* (*Neem.* XIII, 10 *seqq.*), et cætera. Audivimus Ezræ historiam, nunc prophetæ verba repetamus, diligentius intuentes an prophetia historiaque concordent. Quando dicitur : Revertimini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus omnipotens, quos hortatur ut redeant, perspicuum est a Domino recessisse. Et vide clementiam Domini, par pari repromittit, ut in qua mensura mensi fuerint, rementiatur eis (*Matth.* VII, 1). Et **D** sicut in Levitico scribitur : *Si ambulaveritis ad me perversi, et ego ambulabo contra vos furore perverso* (*Lev.* XVI, 27, 28). Sic et nunc populum cohortatur ad reditum, ut ipse quoque ad eos redeat. Qui non intelligentes se a Domino recessisse, impudenter interrogant : *In quo revertemur?* Et dicunt : Quando enim recessimus, ut merito redire cogamur ? Dominus respondit : *Si affiget* [Al. *affigit*] *homo Deum, quia vos configitis me?* Verbum Hebraicum, [b] quod scribitur HAJECBA (היקבע), LXX interpretati sunt *si supplantat :* pro quo Aquila, et Symmachus, et Theodotio posuerunt, *si fraudat,* ut sit sensus : Si fraudat homo Deum, quia vos fraudastis [*Al.* fraudatis] me ? Et revera secundum historiæ ordinem, quia decimas et primitias Levitis populus non reddebat, **977** seipsum fraudem, dicit Dominus, sustinere, cujus ministri fame [c] coacti, et penuria templum deseruerint. Si enim per alios visitatur in carcere, et ægrotus suscipitur, et esuriens sitiensque cibum accipit atque potatur, cur non in ministris suis ipse decimas accipiat, et si non dentur, parte sua ipse privetur ? [d] Hoc quod diximus HAJECBA, lingua Syrorum et Chaldæorum interpretatur, *si affiget :* unde et nos ante annos plurimos ita vertimus, magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt Deum, quam ad decimas ac primitias ([e] quibus visitatur in carcere, et ægrotus suscipitur, et esuriens sitiensque cibum accipit, atque potatur) scripta referentes. Quærat prudens lector quomodo nostra interpretatio cum his congruat, quæ sequuntur : *In decimis et primitiis,* et videat an possimus hæc dicere : *Ut me affigeretis cruci :* ut sceleratas manus injiceretis Deo vestro, multarum ante rerum meditatione fecistis, subtrahendo decimas et primitias, non dico sacerdotibus meis et Levitis, sed mihi, qui eas per Moysen jussi dari [*Al.* dare] (*Exod.* XXIII). Hoc de verbo uno a nobis dictum sit, lectoris arbitrio intelligentiæ judicium relinquentibus; nunc sequamur ordinem prophetiæ. Quia mihi non reddidistis decimas et primitias, idcirco in fame et penuria maledicti estis, et vos me supplantatis, sive fraudatis atque privatis, gens tota. Pro *gente,* quæ in Hebraico scribitur AGGOI (הגוי), *annum* [f] Septuaginta interpretati sunt ἔτος pro ἔθνος. Et est sensus. Ecce annus expletus est, et nihil in meos thesauros, sed in vestra horrea comportastis : Et pro decimis et primitivis [*Al.* primitiis], quæ parva erant, si a vobis darentur], ubertatem possessionum vestrarum, et omnem frugum abundantiam perdidistis. Ut autem sciatis, me hoc irascente perfectum, quia fraudastis me parte mea, hortor vos, atque commoneo, ut inferatis decimas in hor-

[a] Hinc quoque *ut* voculam amovimus, eodem ms. Græcoque textu suffragantibus.

[b] Hæc verba, *quod scribitur,* Victorius tacet.

[c] Regin. ms., *fame quotidie acti, et penuria,* etc.

[d] Idipsum invenies in Lexico pentaglotto, ubi radix קבע *Caba,* sive *Ceba,* significat *fixit, infixit, confixit, affixit.* Et apud Syros Colos. II, וקבעה *Vecabeh,* significat. *Et affixit illud in cruce sua.* Ex quo manifestum est Hieronymum calluisse linguam Chaldæorum et Syrorum, quidquid velit imperitus quæstionum Hieronymianarum auctor nuperus. MART.

[e] Malim utique ad ejusdem ms. fidem, tribus versibus, quos parenthesi inclusimus, hinc amotis, utpote qui orationis rectam perturbant seriem, videnturque omnino scribarum errore totidem verbis ex paulo superiori contextu repetiti, continuo legis, *ad decimas et primitias, quæ sunt scripta referentes.*

[f] Liquet ex Græcarum vocum, ἔθνος, et ἔτος, similitudine, non ipsos LXX interpretes falsos in interpretando esse, qui שנה legerint pro הגוי, quæ duæ voces inter se immane differunt : sed potius Græci codicis descriptores ἔθνος pro ἔτος perperam posuisse.

rea, hoc est, in thesauros templi, et habeant sacerdotes atque Levitæ, qui mihi ministrant, cibos : et **978** probate me, si non tantas pluvias effundero, ut cataractæ cœli apertæ esse credantur. *Et effundam vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Verbum effusionis, nomen largitatis ostendit. Sed fieri potest ut agros irrigantibus pluviis, sit quidem fertilitas ; verum aut [a] locusta aut bruchus, aut erugo aut eruca destruant, et labores hominum pereant ; propterea jungit et dicit : *Et increpabo pro vobis devorantem*, locustam videlicet, et reliqua quæ diximus : et non corrumpet fructum terræ vestræ. Vinea quoque implebit torcularia, et cunctæ per circuitum nationes mirabuntur fertilitatem terræ vestræ, intantum ut omnes in ea habitare desiderent, et abundantia rerum omnium cunctis gentibus sitis exemplo. Quod de decimis primitiisque diximus, quæ olim dabantur a populo sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite, quibus præceptum est, non solum decimas dare et primitias ; sed et vendere omnia quæ habent, et dare pauperibus, et sequi Dominum Salvatorem (*Matth.* XIX, *et Marc.* X). Quod si facere nolumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, et sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus. Unde dicit et Apostolus : *Honora viduas, quæ vere viduæ sunt* (I *Tim.* V, 3) : et presbyterum duplici honore honorandum, maxime qui laborat in verbo et doctrina Dei. Quod qui non fecerit, Deum fraudare et supplantare convincitur, et maledicitur ei in penuria rerum omnium : ut qui parce severit, parce et metat ; et qui in benedictione seminaverit, in benedictionibus fructus colligat abundanter (II *Cor.* IX, 6). Si quando fames et penuria, et rerum omnium egestas opprimunt mundum : sciamus hoc ex Dei ira descendere, qui in pauperibus, si non accipiant eleemosynam, fraudari se loquitur, et sua portione [*Al.* possessione] privari. Possumus decimas et primitias et sic interpretari : Si quis doctus et eruditus in Lege [*Al.* legem] Dei, potest cæteros erudire, non debet suæ assignare prudentiæ, ingenioque quod possidet : sed gratias agat **979** primum Deo, qui cuncta largitur ; deinde sacerdotibus ejus ac magistris, a quibus doctus est. Si enim non egerit gratias, sed sibi scientiam vindicaverit, in penuria maledicetur. Quod si intelligens largitorem Deum, et his agens gratias, per quos a Deo eruditus est, humiliaverit se, et in horreum Dei intulerit cibos, hoc est, Scripturæ sanctæ alimenta in Ecclesia populis ministraverit : statim aperientur super eum cataractæ cœli, et effundetur pluvia spiritualis, et mandabit Deus nubibus suis, ut pluant super eum imbrem, et abundantia rerum omnium perfruetur, et increpabit etiam pro eo devorantem, contrarias scilicet fortitudines, et labor ipsius afferet fructum, et consequetur illud quod scriptum est : *Beatus qui in aures loquitur audientium* (*Eccl.* XXV). Levabit quoque oculos suos, et videbit regiones, quoniam jam albæ sunt ad metendum (*Joan.* IV) : et colliget fructus in vitam æternam. Nec erit sterilis vinea in agro ejus, ille qui dicit in Evangelio : *Ego sum vitis* (*Joan.* XV, 1). Et qui loquitur per prophetam : *Ego te plantavi vineam frugiferam, omnem verum* (*Jer.* II, 21) ; et tantam (per humilitatis confessionem, et gratiarum actionem in Deum, ac magistros Ecclesiæ ejus) beatitudinem consequetur ut omnes beatum illum dicant gentes, et in terra ejus atque doctrina habitare desiderent, qui illum in Ecclesia audierint disputantem.

(Vers. 13, seqq.) *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus, et dixistis : quid locuti sumus contra te ? Dixistis, vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum ? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem : et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt.* LXX : *Ingravastis super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis, in quo locuti sumus contra te ? Et dixistis, vanus est qui servit Deo : et quid amplius, quia custodivimus mandata ejus, et quia ambulavimus supplices ante faciem Domini omnipotentis ? Et nunc nos beatos dicimus alienos, et ædificantur omnes qui faciunt iniquitatem, et restiterunt Deo, et salvi facti sunt.* Prius dixerat : Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis, in quo eum fecimus laborare ? In eo cum **980** diceretis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii ? nunc idem plenius repetit : Populus enim qui de Babylone reversus videbatur Dei habere notitiam, et observare legem, et intelligere peccatum suum, et pro peccato offerre victimas, decimas reddere, observare sabbatum, et cætera quæ Dei Lege præcepta sunt, cernens cunctas in circuitu nationes rebus omnibus abundare, se in penuria, et fame, et miseria constitutum, scandalizabatur ad singula, atque dicebat : Quid mihi prodest, quia unum et verum Deum colo, abominor idola, et compunctus conscientia delictorum, ante Deum tristis incedo ? Quem locum ut supra diximus, septuagesimus et secundus Psalmus plenius latiusque prosequitur. Unde propheta, qui est medicus spiritualis, medetur cunctis vulneribus, et verba blasphemiæ in Creatorem recidere contestatur, et dicit ex persona Dei : Invaluerunt super me verba vestra, sive ingravata sunt : etenim juxta Zachariam, iniquitas sedet super talentum plumbi (*Zach.* V) : et quod contra Deum dicitur, gravi blasphemiarum mole deprimitur. Qui non intelligentes verba gravissima, et blasphemiam suam, interrogant, quid locuti sumus contra te ? Quibus respondit Dominus : Dixistis : Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus ? In præ-

[a] Concinnius fere et brevius in Regin. ms. *aut locusta veniat, aut bruchus, aut eruca, et labores hominum*, etc.

senti sæculo mercedem pro Dei exigunt servitute, ideo non recipiunt. Et quia ambulavimus tristes coram Domino, juxta illud quod scriptum est in Psalmis : *Tota die tristis ingrediebar* (*Psal.* XXXVII, 7). Beatos igitur dicimus arrogantes, qui superbiunt contra Deum, et impia blasphemiarum verba jaculantur. Si quidem ædificati sunt, et post scelera atque blasphemias prosperis omnibus perfruuntur. Tentaverunt Deum, sive restiterunt Deo, et salvi facti sunt. Salutem, felicitatem præsentis sæculi putant : et idcirco decipiuntur erroribus. Hæc et de hæreticis Marcione et Valentino, et cæteris, qui vetus non recipiunt Testamentum, et contra Creatorem mundi loquuntur, intelligere possumus, quod proficiant in impietate sua, et multos sceleris socios habeant : [a] ad quos scandalizati, **981** qui in Ecclesia perseverant, et ignorantes causas judicii Dei, prophetæ verba contexunt.

(Vers. 16.) *Tunc locuti sunt timentes Deum* [Vulg. *Dominum*], *unusquisque cum proximo suo.* LXX : *Hæc locuti sunt, qui timent Dominum, unusquisque ad proximum suum.* Juxta Hebræos ita intelligendum est : illis de Dei judicio blasphemantibus, qui timent Deum ad invicem sunt locuti, quod retributio bonorum vel malorum, non sit in præsenti et brævi sæculo, sed in futuro et æterno; et quod homo non possit Dei scire judicia, et de illius æquitate ac justitia disputare; et cætera quæ debet justus cum justo loqui. Nec dixit, quæ sint locuti; sed ex eo quod intulit : *Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque cum proximo suo*, intelligere debemus ea locutos timentes Deum, quæ omnium Scripturarum vocibus continentur. Juxta LXX vero ἐξαίρετον legendum, et pressa voce, ut dicamus : Hæc sunt locuti, qui timent Dominum, unusquisque ad proximum suum : hoc est, qui frustra jactitant et dicunt, quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino? Si enim timerent Dominum, ista non dicerent.

(Vers. 17, 18.) *Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium, et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Et convertimini, et videbitis quid sit inter justum, et impium : et inter servientem Deo, et non servientem ei.* LXX : *Et attendit Dominus, et audivit, et scripsit librum monumenti in conspectu suo his qui timent Dominum, et qui reverentur* [Al. *et verentur*] *nomen ejus. Et erunt mihi, dicit Dominus omnipotens, in die qua ego facio, in acquisitionem, et eligam eos sicut eligit homo filium suum qui servit ei : et* [b] *convertimini, et videbitis quid sit inter justum, et iniquum, et inter servientem Deo, et eum qui non servit ei.* Hæc justis loquentibus, et timentibus Deum, singulis cum proximo suo, qui verba blasphemiæ, nec audire voluere **982** nec dicere, attendit Dominus et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus, et cogitantibus nomen ejus : ut cum dies judicii venerit, reddat et blasphemantibus pœnas, et timentibus præmia. Liber autem scriptus est, de quo in Daniele legimus : *Throni positi sunt, et libri aperti sunt* (*Dan.* VII, 10). Et erunt Domino exercituum in peculium timentes Dominum, in die qua judicii tempus advenerit. Pro *peculio* in Hebræo legitur [c] SGOLLA (סגולה), quod Aquila περιούσιον, et cæteri περιποίησιν interpretati sunt. Timentes igitur Dominum, qui locuti sunt cum proximo suo, et ad verba blasphemiæ respouderunt, erunt in die judicii in peculium, et parcet eis : quia omnis homo sub peccato. Sive eliget eos, sicut eligere solet homo filium suum servientem sibi. In quo duplex affectus est, et pietatis in filium, et servitutis in famulum. Et tunc qui nunc blasphematis et dicitis : *Quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino?* [d] ex illorum electione et beatitudine, et vestram miseriam cognoscetis, et versi in pœnitentiam, videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei.

(Cap. IV.— Vers. 1 seqq.) *Ecce enim dies veniet, succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* LXX : *Quia ecce dies venit ardens sicut clibanus, et comburet eos, et erunt omnes alienigenæ, et universi qui faciunt iniquitatem, stipula : succendet eos dies veniens, dicit Dominus omnipotens, et non relinquetur in eis radix neque ramus. Et orietur vobis qui timetis nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de vinculis relaxati, et* **983** *conculcabitis iniquos, et erunt cinis subter* [Al. *inter*] *pedes vestros, in die qua ego facio, dicit Dominus omnipotens.* Quia laborare me fecerunt impii in sermonibus suis, et dixerunt :

[a] Reginæ ms., *a quibus scandalizati;* et paulo post, *Prophetæ verba contexit.*

[b] Sic habent et mss. nostri, et Græcus archetypus, ἐπιστραφήσεσθε. Antea erat, *convertar.* In Hebræo quoque *convertimini* Martian. pro *convertemini* legerat.

[c] Mss. nostri, *Sogolla*, hic atque alibi. Conferendus porro ipse Hieronymus in Matth. cap. VI ad versic. *Panem nostrum supersubstantialem :* ubi, *consideravimus*, inquit, *in Hebræo, et ubicumque LXX* περιούσιον *expresserunt, nos invenimus Sgolla* (mss. *Sogolla*) *quod Symmachus* ἐξαίρετον, *id est*, præcipuum, *vel* egregium *transtulit, licet in quodam loco*, peculiare, *interpretatus sit*, etc.

[d] Retinuit Martianæus, *et illorum electionem, et beatitudinem*, minus recte, et contra mss. fidem, juxta quos locum Victorius antea emendaverat. Unus insuper e nostris, *et vestra miseria* legit, pro *vestram miseriam.*

Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : et, vanus est qui servit Deo : et, quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et ambulavimus tristes coram Domino exercituum (*Sap.* II, *in fin.*)? Et adversum eorum verba temeraria locuti sunt timentes Deum, et unusquisque cum suo proximo contulerunt ea quæ ad timorem Dei pertinent : attendit Dominus et audivit, et scriptus est liber monumenti his qui timent Dominum, et cogitant nomen ejus, et cum dies venerit, habere se eos in peculium pollicetur, et parcere eis sicut parcit homo filio suo servienti sibi, pleniusque inculcat, et dicit : *Ecce dies veniet*, id est, dies judicii, quæ sanctis lux erit, et peccatoribus tenebræ ; et ipsa dies erit succensa quasi caminus, sive clibanus, ut omnes impii vertantur in stipulam, et camini crementur ardoribus. Cumque eos inflammaverit atque combusserit, non relinquet in eis ullam radicem et germen malitiæ. Hoc de impiis quid in die judicii sint passuri. Econtrario dicitur quid timentibus nomen Dei eveniet : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ :* qui [*Al.* quia] vera omnia judicabit : et nec bona nec mala, nec virtutes, nec vitia latere patietur. Et sanitas erit in pennis ejus, ut sanatos per pœnitentiam portet in humeris suis, juxta id quod in Deuteronomio scriptum est : *Expandens alas suas suscepit eos, et in humeris suis portavit illos* (*Deut.* XXII, 11). Tunc egredientur qui nunc sæculo quasi carcere sunt inclusi, et salient quasi vituli de armento, sive quasi vituli de vinculis liberati. Unde Apostolus dicit : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 23), ut egrediatur et saliat sicut vitulus de vinculis liberatus, et sicut victima Domini. Nec hoc lætitiæ fine contentus est ; sed calcabit impios, cum fuerint cinis. Unde et ad justos fit imprecatio : *Deus autem conterat* [Al. *conteret*] *Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI, 20). Abraham locutus est ad Dominum, comparatione divinæ **984** majestatis cinerem esse se sentiens : *Ego sum terra et cinis* (*Gen.* XVIII, 27) ; et propterea videbit solem justitiæ, et requiescet inter medios ejus cleros, atque ipso portante ad cœlestia sublevabitur. Qui vero per superbiam dixit : *Ponam super sidera sedem meam, ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13), deducetur in terram, et erit quasi cinis sub sanctorum pedibus, cum dies Domini advenerit judicantis.

(Vers. 4.) *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Oreb, ad omnem Israel præcepta et judicia.* [a] LXX similiter. Justa meritorum in futuro erit retributio, quando superborum radicem, et germen devorans flamma consumet et comburet, et timentibus Dominum orietur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Igitur mementote legis Moysi servi mei, quam ei dedi in monte Oreb, qui est Sina, ad omnem Israel præcepta et judicia. Dicente autem Apostolo : *Scimus quia lex spiritualis est* (*Rom.* VII, 14) : et beato David : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Ps.* CXVIII, 18) : et quia spiritualiter omnes cœleste manna comedebant, et universus populus Israel de eadem spirituali, et sequente eos bibebant petra, petra autem erat Christus (I *Cor.* X, 3, 4) : qui credunt in Christo, spiritualiter debent legis præcepta servare, quæ dedit in OREB (חרב), quod interpretatur, *siccitas*, per quam omnium vitiorum humor excoquitur, et ad radios solis justitiæ, libidinis rheuma siccatur. Locutus est autem Dominus ad universum Israel, qui sensu cernit Deum, et de quibus in Evangelio dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matt.* V, 8).

(Vers. 5, 6.) *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis : et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* LXX : *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magna et illustris : qui convertet cor patris ad filium, et cor hominis ad proximum suum; ne forte veniens percutiam terram penitus.* Post Moysen (cujus mandata [b] spiritualiter docuimus esse servanda) Eliam dicit esse mittendum : in Moyse, Legem, in Elia, **985** prophetiam significans, dicente Abraham ad quemdam divitem purpuratum : *Habent Moysen et prophetas, illos audiant* (*Luc.* XVI, 29). Et Dominus atque Salvator transfiguratus in monte, loquentes secum habebat Moysen et Eliam in candidis vestibus, qui et dicebant ei quæ passurus esset in Jerusalem (*Marc.* IX) : Lex enim et omnis prophetarum chorus Christi prædicat passionem. Igitur antequam veniat dies judicii, et percutiat Dominus terram anathemate, sive omnino, vel subito, ut LXX transtulerunt : hoc enim significat ἀρδήν, mittet Dominus in Elia (qui interpretatur, *Deus meus*, et est de oppido Thesbi, quod *conversionem, et pœnitentiam* sonat) omnem prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet et Isaac et Jacob, et omnium patriarcharum, ut credant posteri eorum in Dominum Salvatorem, in quem et illi crediderunt : *Abraham enim vidit diem Domini, et lætatus est* (*Joan.* VIII, 56) : sive cor patris ad filium, id est, **986** cor Dei ad omnem, qui spiritum adoptionis acceperit. Et cor filiorum ad patres eorum, ut Judæi et Christiani, qui nunc inter se discrepant, pari in Christum religione consentiant. Unde dicitur ad apostolos, qui seminarium in toto orbe Evangelii sententiæ assertores facit, qui Moysen et Eliam duos in die Domini designatos testes futuros, et cum Antichristo pugnaturos, interpretantur. Notum vero plerosque alios Patres de Elia et Enoch intelligere. Hic interim *specialiter*, haud bene pro *spiritualiter* legit.

[a] Verba. *LXX similiter*, quæ passim alibi, hic quoque mss. codicum suppetiis, ut pote necessaria, suffecimus.

[b] Gerohus duodecimi sæculi scriptor, in lib. *de corrupto Ecclesiæ statu*, a Balusio editus in Miscell. ex hoc Hieronymi testimonio, quod ad finem usque libri recitat, S. Doctorem inter præcipuos illius

prodiderunt: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Ps.* XLIV, 17). Si enim Elias non cor patrum ad filios ante converterit, et cor filiorum ad patres eorum, cum venerit dies magnus et horribilis (magnus sanctis, horribilis peccatoribus), percutiet verus et justus judex, non cœlum, nec eos qui versantur in cœlo; sed terram anathemate, qui faciunt A opera terrena. Judæi, et judaizantes hæretici ante ἠλειμμένον suum Eliam putant esse venturum, et restituturum omnia. Unde et Christo in Evangelio proponitur quæstio: *Quid quod Pharisæi dicunt, quod Elias venturus est?* Quibus ille respondit: *Elias quidem veniet, et si creditis, jam venit* (*Mar.* IX, 10, 12), in Elia Joannem intelligens.

# ERUDITIONIS HIERONYMIANÆ DEFENSIO ADVERSUS J. CLERICUM,

## A DOMNO JOANNE MARTIANÆO ELUCUBRATA,

### ET COMMENTARIIS IN PROPHETAS SUBJUNCTA.

### ADMONITIO.

Innocentiæ defensio, ut ait egregius orator, sæpe multorum improbitate interclusa respirat; neque veritas valet apud plures, cum ex omni loco repulsa vi et gratia, locum, ubi consistat, reperire non potest. Hæc ego nequaquam pertimui incommoda, doctoris maximi nunc causam dicturus adversus Joannem Clericum, apertum Ecclesiæ Catholicæ hostem, sanctorum Patrum contemptorem, Christi Dei latentem inimicum, infensumque litteratis omnibus. Quem enim eruditorum et maxime fidelium non moveant convicia Quæstionum Hieronymianarum, quibus vir imperitissimus errore tumens hæretico insectatus est sanctum, et immortale illud ingenium? Quis ferat diutius virum summum impune lædi ab infimo clerico; atque interpretem sacrorum Bibliorum suis numeris absolutum contemni procaciter ab inverecundo et sophista verboso? Hoc sane nec animo Catonis mihi ferendum est, nec Ciceronis stomacho, quippe cui nihil antiquius quam ut nomen Hieronymi summo semper in honore sit; neque alicujus imperitiæ subeat notam propter hominem, qui inepte Minervam docet. Tantæ igitur causæ cum summa voluntate, et exspectatione quamplurium sodalium et omnium bonorum actor accedo, non ut augeam invidiam scriptoris hæretici vita atque libris C omnium jam opinione damnati; sed ut succurram Hieronymianæ laudi et existimationi, quam omnibus ex partibus violare ac corrumpere pertentavit loquax ille criticus. Equidem, ut de me confitear, cum multæ mihi a Joanne Clerico calumniæ et in illis insidiæ factæ sint; numquam tamen neque tantum me exspectatio accusationis meæ et judicium Eruditorum potest commovere, quantum istius nefariæ expostulationes, rixæ, calumniæ et insidiæ, quas uno tempore Hieronymo et Operum ejusdem editioni nostræ novæ facere conatur. Verum hoc nobis percommode cadit, quod cum incredibili ejus audacia singularis stultitia conjuncta est. Nam ut apertus in oppugnanda summorum virorum (Origenem dico et Hieronymum) existimatione fuit; sic in spe faciendi miraculum sui et admirationem obtinendi perspicua sua consilia, conatusque omnibus fecit. Neque vero antiquorum studia et eruditionem pro nihilo duxisse contentus, audet insuper imperatorem tuendæ in republica litteraria libertati publicæ seipsum præficere. « Videor mihi, inquit, non meam, aut aliorum, qui nominatim lacessiti sunt; sed non exiguæ, nec spernendæ partis humani generis causam dicere. Aguntur enim hic jura naturæ humanæ, agitur communis totius reipublicæ litterariæ libertas; quæ violantur atque opprimuntur ab iis qui ab aliquot sæculis contendunt a litterarum studiosis nullo modo posse in dubium revocari quod sanxerunt consensus et auctoritas priorum ætatum, » etc. *Quæst.* 3, *pag.* 46.

Ad decutiendum itaque jactantiam et arrogantiam ficti hujusmodi vindicis libertatis, mendacia ejus imperitiamque in medium profero: etsi enim ipsum numquam animi sui pœniteat, ego saltem evertam hac defensione rationes ejus, et opinionem falsam eruditionis quam copia librorum editorum sibi fecit apud multos imperitos. Postquam vero nomen sapientis ac eruditi assertum fuerit Hieronymo; B pedem iterum conferam cum critico nostro, ut doceam eum omnino fuisse destitutum judicio, fide, diligentia et scientia in oppugnanda editione nostra Parisina operum S. doctoris.

### CAPUT PRIMUM.

*De absoluta Hieronymi eruditione, deque imperitia singulari Joannis Clerici.*

Quod erat optandum maxime ad confirmandam omni ratione eruditionem linguarum Græcæ, Latinæ et Hebraicæ in S. Hieronymo, id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum hoc tempore nobis videtur. Inveteravit enim jam opinio Ecclesiæ Dei perniciosa apud simplices quosdam catholicos ac linguarum Orientalium rudes imperitosque, Hieronymum ex sese non satis calluisse sermonem Græcum vel Hebraicum, sed semper Græcis et Judæis usum esse familiarissime interpretibus, quorum ope ex parte didicerat ipsorum idiomata, et ea quæ in commentariis suis, præsentibus amicis et posteris, nobis tradere curavit. Indoctam hujusmodi opinionem et iniquam suspicionem ex hominum animo evellere tentaveram annotationibus quamplurimis et commentario singulari in librum Hebraicorum Nominum; sed nunc Joannes Clericus, vir et oratione insuavis et minime moderatus, officium meum vehementius et studium etiam fregit quodammodo: spoliavit enim disputationem nostram suo decore, imbecillamque reddere speravit, quod præfracte negare ausus sit perfectam fuisse in Hieronymo linguarum peritiam. Adduco itaque hominem cum suis quæstionibus Hieronymianis, in quo reconciliare existimationem Hieronymi si forte amissam, redire in gratiam cum studiosis amicis, satisfacere possum æmulis atque benevolis. De quo si lectores prudentes severe, religioseque judicaverint, auctoritas eruditionis absolutæ, quæ in Hieronymo remanere debet, hærebit: imperitiæ autem argumenta et indicia in Clerico nostro perpetuum defixa manebunt.

#### § 1. *De Græca eruditione S. Hieronymi.*

Sermonis Græcorum notitiam invidet Hieronymo Joannes Clericus, propter nonnulla verba Chronici, et libri Locorum Eusebiani, quæ, quamvis minime obscura, evertit Hieronymus interpretatione sua, non Latine convertit; si hoc concedimus nauseanti stomacho clericorum, et Josepho Scaligero petulanter et præter decorum insultanti cæteris omnibus scriptoribus. Sed pergamus ad D argumenta quibus summi viri illi Hieronymum impugnant, et linguæ Græcæ peritiam in eo mediocrem, vel nullam fuisse contendunt.

I. « Ne inquirenda sint, inquit Clericus, neve ab iis qui non quærerent, incredibilia videantur quæ sunt nobis dicenda, nonnulla hic subjiciemus exempla, nam omnia colligere longum esset; sed ea seligemus, ex quibus manifesto liquebit, non esse temere fidendum *Hieronymo* Græca vertenti. *Sane*, inquit, *Scaliger, si quis hodie ita, ut fecit* Hieronymus, *Græca verteret, non dico ab alienis, sed ut Actæon a suis canibus mordicus discerperetur*. Nos particulatim proferemus aliquot periodos prooemii Eusebiani in Chronicum Canonem, subjecta versione *Scaligeri*,

deinde *Hieronymi*, ut possint inter se conferri : Μωϋσέα γένος Ἑβραῖον προφητῶν ἁπάντων πρῶτον ἀμφὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν... ἀμφί τε τῆς τῶν ἐθνῶν δι' αὐτοῦ θεοθεογνωσίας χρησμοὺς καὶ λόγια θεῖα γραφῇ παραδεδωκότα, etc. Hoc est, interprete Scaligero : *Mosen genere Hebræum, qui prophetarum omnium primus de Salvatore nostro, de Christo, inquam, et de ea quam gentes per eum adeptæ sunt, Dei cognitione, vaticinia et oracula divino scripto tradidit*, etc. Audiamus nunc Hieronymum : *Moysem gentis Hebrææ, qui primus omnium prophetarum, ante adventum Domini Salvatoris, divinas leges sacris litteris explicavit. Temporibus Inachi fuisse, eruditissimi viri tradiderunt*, etc. Nulla fuit ratio *Hieronymo* mutandi sensum verborum ἀμφὶ τοῦ, etc. παραδεδωκότα, nisi quod ea non satis intelligeret, nam non paulo melior est sensus Eusebii, et facile potuit eleganter Latine exprimi ; ita ut nullus supersit locus excusationi *Hieronymi*, petitæ ex dissimilitudine linguarum. Nec paraphrasin habet verborum *Eusebii*, sed alium sensum, eumque, ut dixi, cum Eusebiano minime conferendum. » Ita Joannes Clericus. Quæst. 3, pag. 52 et seqq.

Quod in isthac objectione observat post Scaligerum Joannes Clericus, in se expletum imprudentes voluerunt ambo illi critici ; ab eis enim, ut Actæon a suis canibus, mordicus discerpitur Hieronymus, qui iniquos objurgatores vocat canes suos : *Quapropter audiant*, inquit, *canes mei*. Præf. in Job. Et præfatione in translationem suam Latinam Eusebii Chronicorum : *Nec ignoro, multos fore qui, solita libidine detrahendi omnibus, quod vitare non potest nisi qui omnino nihil scripsit, huic volumini genuinum dentem infigant*, etc. Calumniantur itaque Scaliger et Clericus Hieronymum interpretem prœmii Eusebiani in Chronicum Canonem, et ejus translationem arguunt ; quia non attendunt hoc loco mutatum fuisse in meliorem sensum Eusebii contextum, et sublatam vel contradictionem, vel ambiguitatem verborum Græcorum, quæ manifesta nobis esset et explorata, si Latina translatio pure fuisset litteralis. *Mosem* dicit Eusebius, *primum prophetarum omnium, qui de Christo et gentium vocatione oracula divina tradiderit* : quæ sententia videtur profecto contraria iis quæ de Abraham dicuntur et patriarcha Jacob cum in priore, tum in posteriore libro Chronicorum. Nam de Abrahamo scriptum legimus : *Primo omnium prophetarum ei verbum Dei, cum in figura apparuisset humana, vocationem gentium polliceatur, quam in nostrum tempus sermo Christi deduxit ad finem per Evangelicam in omnes gentes prædicationem.* De Jacob autem idem Eusebius dicit : *Jacob centesimo quadragesimo septimo ætatis suæ anno diem obiit, prophetans de Christo et de vocatione gentium.* Si Abraham primus est omnium prophetarum, et Jacob ante Moysem prophetavit, sive divina edidit oracula de Christo Domino ac gentium per eum vocatione ; quomodo sibi constans est Eusebius, docens Mosem primum esse prophetarum omnium, qui de Salvatore et Evangelica prædicatione oracula et vaticinia tradidit ? Possumus equidem hac exceptione Eusebium, excusatum dimittere, quod dixerit hæc a Mose *scripto* fuisse tradita ; at simplex lector, nescius illius exceptionis faciendæ, multa deprehendet in recitatis testimoniis sibi contraria nec satis cohærentia. Commodius igitur locum mutavit Hieronymus, non interpretis, sed scriptoris functus officio, ut Mosem Judæorum legislatorem suo proprio vocabulo nominaret, dicens : *Moysen gentis Hebrææ, qui primus omnium prophetarum, ante adventum Domini Salvatoris, divinas leges sacris litteris explicavit, Inachi fuisse temporibus, eruditissimi viri tradiderunt.* Hæc sane ex judicio, non æmulationis studio, aut ex odii præsumptione expendere debuit Joannes Clericus, ne diceretur ei : *Unde putabam bene mereri de Latinis meis, et nostrorum ad discendum animos concitare ; inde in culpam vocor.* Verum ut ad compendium responsionis veniam, perneccessaria fuit ratio *Hieronymo* mutandi sensum verborum ἀμφὶ τοῦ, etc., quæ quia perfecte intelligebat, noluit in Latinum sermonem convertere. Unde nullus superest locus calumniæ *Clerici* petitæ ex dissimilitudine Græcorum verborum Eusebii, et Latinorum Hieronymi, cum prudenti lectori compertum sit Græca fuisse mutata, ut sensus commodus et dilucidior inveniretur in Latina interpretatione, qui obscurus et ambiguus habebatur in origine Græca.

II. « Sequuntur hæc apud Eusebium, inquit Joan. Clericus : *In præsenti quidem opere, temporibus in unum collatis, annorum uniuscujusque gentis numeris invicem ex adverso inter se oppositis Chronici Canonis opus confeci*, Χρονικοῦ Κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην. Legamus nunc *Hieronymum*, qui multo obscurius, nec tam Latine, dum hæc verba interpretatur, ne sensum quidem eorum reddidit : *In præsenti autem stylo eadem tempora contra se invicem ponens, et singularum gentium annos dinumerans, ut quid cuique coætaneum fuit ita curioso ordine coaptavi.* Videtur credidisse σύνταξιν esse *ordinem*, cum sit idem ac σύνταγμα, et hoc opus significet ; pro cujus titulo numquam maluisset dicere *curiosum ordinem*, si Græca verba assecutus esset ; at *certe*, ut habet *Scaliger* in hunc locum, *non intellexit.* »

Non potuit Criticus noster manifestius imperitiam suam prodere, quam cum illam Scaligerianæ tamquam pedissequam adjunxit. Volunt illi Hieronymum non intellexisse Eusebium, quia ipsimet nec Græca Eusebii, nec Latina Hieronymi intelligere studuerunt. Quid enim apud eruditos atque studiosos lectores aliud esse potest *Canon Chronicus* Eusebii, quam *series temporum contra se positorum*, et *curiosus ordo* regnorum ex adverso inter se oppositorum, ut *quid cuique coætaneum fuerit* uno intuitu percipiatur ? Perfectissime ergo interpretatur Hieronymus, et pura Latinitate donat verba Græca Eusebii, dicens : *In præsenti autem* (a) *stylo, eadem tempora contra se invicem ponens... curioso ordine coaptavi.* Stylum vocat *Canonem Chronicum*, quia per *stylos*, id est, *columnas*, liber hic est *dispositus*, et curioso ordine coagmentatus, sive *apta dispositione temporum descriptus*. Non igitur pro titulo Canonis Chronici voluit dicere *curiosum ordinem*, ut falso objicit calumniator Clericus : sed *Chronici Canonis syntaxim*, interpretatur *seriem* et *ordinem curiosum temporum* per columnas *contra se invicem positorum*. Pudeat proinde pedissequum Scaligeri et alienæ et propriæ imperitiæ, qui sibi passus est persuaderi σύνταξιν et σύνταγμα non significare *seriem* rerum in unum collatarum, *ordinem, compositionem*, sive etiam *in classes distributionem.* Quod perinde est ac si dicerem *Canonem*, ut facile mihi concedent qui Græce sciunt atque Latine.

III. Ne quid prætermittam eorum quæ objiciuntur a Clerico, meminisse juvat quæstionis hujusmodi positæ numero 6, pag. 54. « Sed quare verba, *Ego autem, qui nihil prius habeo veritate, rem accuratius investigare decrevi ;* quare, inquam, hæc verba vertit : *Quæ cum ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius persequi ?* Nam falsum est *Eusebium* concedere *Porphyrio* rem *ita se habere*, etc. »

Si hujus quæstionis exspectasset explicationem ab aliquo Hieronymi lectore studioso, numquam tam aperte ineptire potuisset Clericus noster, ut putaret Eusebium Latinum concedere Porphyrio, *Seniramidem fuisse post Mosem ; atque eumdem Mosem annis pene* 850 *Trojano bello seniorem habendum.* Verba *quæ cum ita se habeant*, non ad Porphyrii opinionem referenda sunt, sed ad dissonantes sententias Christianorum et ethnicorum de Mosis ætate et antiquitate, ut sit sensus : quæ cum ita se habeant, et diversæ sint eorum sententiæ, *necessarium duxi diligentius veritatem persequi*, sive *rem accuratius investigare decrevi.* Hunc sensum habet Eusebius tum apud se, tum apud Hieronymum ejusdem interpretem ; alienum vero atque absurdissimum apud Hieronymi criticos sycophantas Scaligerum et Clericum.

IV. Sequentia verba non minus depravata contendit Clericus : « *Cum autem apud Hebræos, diversas temporum observassem editiones, alteram quidem redundantem, alteram vero deficientem, hanc secutus sum. Nihilominus et sic quoque Hebræorum progenitorem Israelem, a quo Judaicæ gentis duodecim tribus Israelis nomine censentur, Inacho quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, tempore æqualem fuisse reperi.* Pro quibus hæc habet *Hieronymus* a mente *Eusebii* aliena, nec perspicuitate, aut elegantia, aut etiam ipsa re laudanda : *Neque me fugit in Hebræis codicibus dissonantes ætatum annos inveniri, plusque vel minus, prout interpretibus visum est, lectitari ; sequendumque illud potius, quod exemplariorum multitudo in fidem traxit. Verum utcumque quis volet, computet, et reperiet Inachi temporibus quem primum Argis regnasse aiunt, Patriarcham fuisse Israelem, a quo duodecim Judæorum tribus Israelis vocabulum sortitæ sunt.* Recte animadvertit *Scaliger*, neque tale quidquam scriptum ab Eusebio, neque eam ejus fuisse mentem. Hoc nimirum volebat episcopus Cæsariensis, in sacris Judæorum libris, duplicem annorum rationem inveniri : alteram longiorem, quæ est LXX interpretum ; alteram breviorem, quæ Codicum Hebræorum ejus ævi fuit, et quam licuit *Eusebio*, præsertim ex *Aquila*, *Symmacho*, et *Theodotione*, cognoscere. Se vero hanc posteriorem secutum ; nec tamen ex hoc calculo Inachum esse antiquiorem Israele. Est quidem hic paralogismus, ut animadvertit *Scaliger*, sed est deterior

(a) *Rectius tamen esset* stylis *plurium numero. Sic paulo post* σύνταξιν *penes Eusebium significare* librum *nullum dubium erit ei, qui secum ipso Hieronymum conferat : ubi enim dixerat ante Euseb.*, ἐν μὲν τῇ πρὸ πάντος σύνταξει, *Hieronymus vertit in priori libello.*

ratiocinatio *Hieronymi*, qui vult, quemcumque calculum sequamur, rem eamdem constare. Præterea reliqua omnia sunt inania. »

In quo sit Eusebii paralogismus ego nullus video; in quo sit Hieronymi pejor ratiocinatio nec video, nec videre possum, si sapio. Volebat Eusebius in sacris Hebræorum codicibus dissonantes ætatum inveniri numeros: longiorem apud LXX, breviorem in fonte Hebraico; se vero minorem hanc summam secutum; nec tamen ex hoc calculo breviori *Inachum* esse antiquiorem *Israele*, a quo duodecim Judæorum tribus *Israelis* vocabulum sortitæ sunt. Quid in verbis Latinis Hieronymi alienum ab hac mente Eusebii vel illi contrarium reperiri possit nequaquam intelligo. Quamvis enim Græca ad verbum non fuerit interpretatus Hieronymus, et de suo nonnulla addiderit, nihil tamen scripsit contra mentem Eusebii; quia discrepantes fatetur in sacris Hebræorum libris annorum summas et numeros; nec breviorem calculum respuit quem secutus est Eusebius: sed juxta ejusdem mentem Inacho æqualem facit Jacob patriarcham. Hæc facile animadvertere potuisset Clericus noster, nisi pingui Minerva fuisset præpeditus, et calumnias calumniis cumulare voluisset.

V. Quod addunt ex eodem Proœmio redarguentes constanter Hieronymum, quia dixerit *manifestum esse* Semiramidem et Abrahamum contemporales fuisse, putant nobis approbare hoc argumento: « Male *manifestum* dicitur quod ad Eusebium usque nemo prodiderat, nemo crediderat, nondum probatum fuerat, nondum concessum. »

Quasi vero probatione indigeant quæ a nemine negantur, et multa per se non manifesta sint in Historiæ monumentis, quæ ex sola lectione fidem obtinent. Manifestum erat igitur historica fide, et comparatione diversorum monumentorum historicorum, tum Hebræorum, tum cæterarum gentium, Semiramidem et Abrahamum genere Chaldæum eadem ætate vixisse, et celebres exstitisse.

VI. « Hæc satis superque essent, inquit Clericus, si res nobis esset cum hominibus, qui tam severi essent censores dudum mortuorum, quam sunt iniqui judices viventium. Sed horum causa, subjiciemus adhuc unicum locum ex Chronico, ad Num. 1250, in quo versio *Hieronymi* est a duobus summis criticis merito castigata, ubi de Poeta, qui non amplius exstat: *Arctinus*, inquit, *qui Æthiopidam composuit, et Ilii Persin*. Est in Græco ἰλίου πέρσιν, hoc est, *Trojæ excidium*, ut ostendit *Jos. Scaliger*. Quare ita debuit verti; sed vocem rariorem πέρσιν non intellexit *Hieronymus*. Vide et *Claudium Salmasium*, pag. 600. Exercit. Plinianarum Ed. Ultrajectinæ. »

Quid est, quæso, calumniari et desipere, si hoc non est? Asserit Clericus versionem Hieronymi, scilicet *Ilii Persin*, a summo critico Jos. Scaligero merito castigatam ad Num. 1250. Jamvero locum recitatum revolvens, hæc tantummodo lego apud Scaligerum: « *Et Ilii Persin*. ἰλίου πέρσις idem, quod ἰλίου ἅλωσις. » In cæteris, quæ numero 1250 dicuntur, altum de Hieronymo et ejus versione silentium. In manifestissimo itaque mendacio hic deprehendimus calumniatorem Clericum, et deinde in triplici imperitia, quæ profecto veniam non meretur apud eos etiam, qui ei parcere maxime student. Somniavit ergo primum vocem πέρσις, quæ significat *excidium* et *eversionem*, esse vocem *rariorem*; cum ipsa hæc vox reperiatur in Lexico Scapulæ puerorum manibus trito, et usitata consuetudine recepto. Ignoravit secundo Clericus noster antiquorum Scriptorum morem, quo voces Græcas usurpabant sæpius in opusculorum inscriptione, sicut Varro secundo Rerum rusticarum: *Sed bono animo es*, inquit, *non minus satisfaciam tibi, quam qui* Bugoniam *scripsit*. Sciebat haud dubie eruditissimus Varro βουγόνους et βουγενεῖς, *apes* dictas a poetis; *Bugoniam* tamen Latine non expressit, quia apud eruditos homines usitatiora erant in librorum epigraphis propria nomina Græca, quam Latina translata. Hunc morem secutus Hieronymus in Græcorum opusculis propria inscribit nomina, *Ilii Persin*: περὶ Ἀρχῶν *Origenis; De visione* τετραπόδων, et sexcenta his similia quæ nemo, præter Clericum, ignorare et calumniari potuit. Tertium denique imperitiæ Clericanæ argumentum sumitur ex eodem Eusebii proœmio, e quo calumniandi sumpsit exordium ipse Joannes Clericus; nam manifestum nobis est et exploratum, intellexisse Hieronymum vocem Græcam πέρσιν, eique congruam aptasse versionem Latinam, cum hoc modo sit interpretatus in proœmio Eusebiano in Chronicum Canonem: *Post quos facta est Trojanæ urbis eversio, quam Homerus longo sequitur intervallo*. Hic igitur ἰλίου, intelligit *Trojæ excidium*, seu *eversionem;* uti supra πέρσις μέχρι τῆς ἰλίου ἁλώσεως, in linguam nostram verterat, *usque ad Trojæ captivitatem*. Pudeat proinde amicum, et laudatorem quemcumque critici nostri Clerici, tantam in eo imperitiam non deprehendisse, nec Doctoris Hieronymi causam intrepide contra eumdem hæreticum suscepisse defendendam.

Præter jam recensita atque confutata, nihil aliud objicere potuit Clericus e duobus libris Chronicorum Eusebii, ut ostenderet Hieronymum linguæ Græcæ fuisse imperitum. Unde conjicere nobis licet summam hujus idiomatis peritiam adeptum esse sanctum Doctorem, quippe qui a reprehensoribus suis in nullo fuerit errato deprehensus. Cætera porro a pagina 59 usque ad paginam 63, cum sint meræ calumniæ Clerici verbis diffluentis, risu a nobis excipiuntur, quia nihil illo infantius dum ait pag. 62: «Sunt qui suspicari queant eum, callida excusatione, imperitiæ peccata in festinationem voluisse conjici. Certe si verum dicere velimus, non abhorret ea ars ab ingenio *Hieronymi*, quod totum fuit ad jactantiam et dissimulationem compositum. » Quod cum sit stomachose ac proterve scriptum a Clerico, aliis illud indignum, aliis ridiculum videbitur. Ridiculum iis, qui istius Criticam in veri tuitione, in testimoniorum fide, in difficultatum probatione, non in perpetuitate calumniæ positam arbitrabantur: indignum iis, qui altius perspiciunt, et Quæstiones Hieronymianas ad fidem Ecclesiæ corrumpendam spectare non dubitant. Sed pergamus ad reliqua, quæ proprio marte sic explere voluit Clericus.

VII. « Quod si quis tamen putet lapsum fortasse esse festinatione, in eo libro convertendo, *Hieronymum*, suscipiat in se laborem conferendi cum Græcis versionem Latinam libri alterius ejusdem *Eusebii*, de Situ et Nominibus Locorum Hebraicorum, videbitque passim Bethlehemitam Solitarium majoris peritiæ aut diligentiæ in eo opere specimina non edidisse. 1° Ad primam vocem *Ararat*, dixerat *Eusebius*, *ferri adhuc monstrari in montibus Armeniæ reliquias arcæ*, δείκνυσθαι λείψανα τῆς κιβωτοῦ, hoc est reliquias ligni, ut liquet manifesto ex mediis ac postremis paragraphi verbis. Quare ergo Hieronymus vertit *vestigia*, voce incommoda et obscura? Quare postea *monumenta*, ac tandem simpliciter *ligna?* Quæ ratio fuit obscurius loquendi, cum clara vox suppeteret? 2° Ipse *Martianæus* notavit συνευωχεῖσθαι male verti paulo post *gaudere*, cum sit *epulari* cum aliquo. Sed Hieronymus rationem habuit etymologiæ ab εὖ et ἔχειν, *bene habere*, quæ ratio interpretandi fallacissima est, nec hominis admodum periti. 3° Ibidem male ἀποβατήριον, *exitus*, vel *egressus*, vertitur, quasi esset ἀπόβασις. Est autem locus in quem fit exscensio, seu *exscensorium*, si ita loqui licet. Alioquin ἀποβατηρία est κλίμαξ νεώς, ut docet *Hesychius*, hoc est, *scala* per quam e navi fit exscensio. 4° In verbis *Nicolai Damasceni*, ubi meminit montis Baridis, quare omittitur vox μέγα, quæ antecedit ὄρος, et *mons* simpliciter dicitur, cum sit necessaria? Non imperitiæ hoc est, sed negligentiæ. 5° Postquam idem scriptor dixit famam esse in montem Barim multos, tempore diluvii, confugisse, addit: *et quemdam vectum arca ad jugum appulisse, et reliquias lignorum diu servatas. Fuerit fortasse hic vir, de quo Moses Judæorum legislator scripsit.* Manifestum est respici ad Noachum, cujus, tametsi solus memoratur, tamen non excluditur familia. At hæc minime intelligens Hieronymus, plurali numero loquentem inducit Nicolaum: *alios vero in arcæ alveo supernatantes*, etc. »

Si ad rogata Clerici minutatim interrogantis respondeamus, longiorem trahimus funem contentionis: rem itaque ac quæstiones paucis absolvam. 1° Quærit ille cur Hieronymus vocem Græcam λείψανα Latine verterit *vestigia* et *monumenta*, et non *reliquias arcæ?* Quam dubitationem afferre illi non potuit nisi propria imperitia. Adeat igitur *Marium Nizolium* in notis ad Ciceronem col. 1652, a quo perdiscet *vestigia*, et *monumenta*, et *reliquias* apud Latinos ejusdem esse significationis. *Vestigium*, *gii*, *reliquiæ*, *signum*, *nota*, *monumentum*. 2° Duplex mendacium confingit Clericus, ego enim nequaquam cogitavi, συνευωχεῖτο τοῖς οἰκείοις, male verti, *gaudebat cum liberis;* nec Hieronymus rationem habuit etymologiæ ab εὖ et ἔχειν, sed sensum verborum eleganter expressit, *gaudensque cum liberis;* quia Noe cum sua prole egressus ex arca, et immolans Deo victimas, non poterat sancte epulari, nisi gaudens cum liberis, *domesticis suis*. 3° Hic dicendum est imperito Clerico: Quid te tantopere supinat? Vult enim ἀποβατήριον significare locum (*a*) in quo fit *exscensio*, sive *descensio;* et simul negat Hieronymum eleganter vertisse *exitum* vel *egressum*, quasi idem esset ἀποβατήριον, quod ἀπόβασις. Ergo apud Criticum nostrum longe diversa sunt, *descendere de navi*, et *exire*, sive *egredi ex navi; exscensio* et *egressus*. Sed doceamus eum quid sit ἀπόβασις, ut discat non calumniari versionem, quam non intelligit: Ἀπόβασις, inquiunt eruditissimi linguæ Græcæ, est *exitus*, *egressus*, *descensio*, Plin., *desultura;* Plaut., *eventus;* Thucyd., ἀπόβασις τῆς γῆς, *egressus in terram* (Livius, *exscensu e navibus in terram facto*). Vocabant igitur Armenii locum ἀπόβασις Noe, *exitum*

(*a*) *Confer quæ in hunc locum annotavimus, tom.* III, *col.* 125 *et* 127.

vel *egressum;* quem nos Gallico sermone diceremus *la descente*, *le débarquement.* 4° Superflue Hieronymum nomen Græcum μέγα in Latinum transtulisset, cum de Baride monte postea subjiciat: *ad quem multos in diluvio confugisse autumant, ibique esse salvatos.* Non enim nisi ad montem altissimum confugere potuerunt, qui tempore diluvii salvi facti sunt in monte, ut refert Nicolaus Damascenus. 5° Ineptit Clericus vituperator Hieronymianæ versionis, nolens in plurali numero dictum, *Alios vero in arca alveo supernatantes*, etc. Cum tamen concesserit ab ipso Noacho (cujus solius Eusebius meminit) non excludi familiam ejus. Melius itaque plures in plurali interpretatur Hieronymus, quam si κακόζηλος solum Noe nominasset.

VIII. « In voce *Astaroth Carnaim*, ὑπὲρ τὴν Σοδομῖτιν, hoc est *Supra Sodomiticum tractum*, vertitur, *in supercilio Sodomorum;* quod ferri non potest, nisi Sodomi esset mons, in cujus supercilio ea urbs fuisset condita, quod falsum esse omnes norunt. »

Nonne miraris, prudens lector, animadversionem tam doctam et acumen ingenii Clerici nostri? Ferri non potest, inquit, *in supercilio Sodomorum*, nisi Sodomi esset mons, etc., ferret utique, si sciret *supercilium* idem esse quod *locus superior* et *eminentior;* et id significare hoc loco *in supercilio Sodomorum*, quod significat in voce, *Save*, *super regionem Sodomæ.* Intelligamus ergo utrumque locum, in *superioribus* et *eminentioribus* partibus quæ possessionis erant Sodomorum; et nugas meras Clerici ridebimus.

IX. « In *Arbo* aut potius *Arbee*, dicitur Chebron fuisse βασίλειον Davidis, hoc est, οἴκημα, *sedes regia Davidis*, quod male vertitur *regnum.* Perinde est ac si quis diceret Græce, de Versalia, ubi regia Ludovici XIV, Βερσαλίαν βασίλειον εἶναι Βασιλέως Κελτῶν, verteretque alius, *Versaliam regnum esse Celtarum regis.* »

Hem tibi hominem Græce ac Latine scribentem. Sed quid reponis, si dixero imperitum et insipientem? Imperitus sane qui nescivit (*a*) βασίλειον in Scripturis sacris significare *regnum*, ut Prov. XVIII, 19, ἰσχύει δὲ ὥσπερ τεθεμελιωμένον βασίλειον, *invalescit autem tamquam fundatum regnum.* Quam significationem agnoscit Epitome Thesauri linguæ Græcæ Henrici Stephani, ut mirum valde nobis sit Criticum hominem ignorasse quod legitur etiam apud Grammaticos. Cæterum stulti Scriptoris indicium est, Ludovicum Maximum vocare *Regem Celtarum*, quasi solis Celtis imperet, et non Franciæ hominibus, sive toti genti Francorum. Plura dixi de hac inerudita difficultate ad calcem libri de Canone sacrorum Voluminum Gallico sermone scripti: quare difficultati jam supersedeo.

X. Postquam sic imperite redarguit Hieronymum Joan. Clericus: mox conversus ad reprehensionem Bonfrerii et Martianæi hæc subjungit: « Exempla ejus rei insignia habemus, in libro hoc de Locis Hebraicis. Cum enim nec *Jac. Bonfrerius*, nec *Joan. Martianæus*, memores essent in mss. Græcis H et I passim misceri.... reliquerunt in voce *Astaroth*, Σοδομίτην, pro Σοδομῖτιν. Quare, inquies, rem pueris notam probas? Quia in ea peccaverunt *Bonfrerius* et *Martianæus*, immo, si eorum editionibus stamus, ipse *Hieronymus*, deceptus prava Scriptura Græca. Sic enim loquitur *Eusebius*, de Amalecitide: Ἀμαλεκῖτις, χώρα ἐν τῇ ἐρήμῳ. At editum est Ἀμαληκίτης, qui merus est solœcismus, et in Hieronymo pariter: *Amalecites*, *regio in deserto*, etc. »

Fidei plenum putabunt Clericum in hoc paragrapho, qui Bonfrerium et Martianæum numquam legerunt, sed qui amborum editiones *libri Locorum* studiose perscrutati fuerint, critici perversam fidem, imperitiam et inconstantiam vix ferre poterunt. Observavit doctus Bonfrerius in voce *Astaroth Carnaim*, et in *Lasan*, pro Σοδομίτην, legendum Σοδομὰν, vel Σοδόμην. In voce quoque *Save et Seboim*, puram Eusebii edidit lectionem, Σοδομῖτιν scilicet, et non Σοδομίτην. Deinde habet ad vocem *Amalecites*, pro *Amalecitis:* « Amalecites, potius patronymicum nomen a regione, quam ipsum regionis nomen est: Regio et populus *Amalec* dicitur. » Ita *Jac. Bonfrerius.* At improbe in illum insultat Clericus, quasi nihil horum scripserit Editor Eusebii peritissimus. Quod nunc ad me attinet, exemplum capere de Bonfrerio docto atque prudente haudquaquam dubitavi, unde lectorem commonere de ejusdem viri observationibus studebam, dicens ad vocem *Lasan:* Bonfrerius legendum credit τὴν Σοδομὰν; et rectius esse quam quod de Sidone apud Hieronymum legitur. Antea ad vocem *Bethsaida* in contextu Græco legebam Γενησαρίτιδι; in Notis autem cum Bonfrerio Γενησαρίτη, addens ex tempore: *Hujusmodi lectiones permittimus Eruditorum judicio.* Præterea ut calumniam Clerici manifestam faciamus, meminerint lectores libri

(*a*) *Reponit Clericus: etiamsi* βασίλειον *inveniretur in Scripturis pro Regno, adhuc male verteretur Hebron fuisse regnum David, pro regia, sive sedem regiam David: cum constet super omnem Tribu Juda se extendisse Regnum ejus.*

A Nominum Hebraicorum scripsisse me in Notis ad tertium Fragmentum Græcum, col. 560, verba consequentia: *Non desunt in manuscripto Græco scriptoris errores, nec corruptelæ nominum: manifesta et confessa vitia plerumque sine notis emendo; cætera describo diligenter, prout scripta leguntur in codice Græco: v. g.* Σιθ, pro Σήθ, etc. Quis crederet post expressam conceptis verbis hujusmodi annotationem, mihi imputandum a Clerico Critico, quod memor non fuerim *in mss. Græcis* H *et* I *passim misceri?* Nisi res ageretur cum imprudenti negotii hujus et lectionis manuscriptorum cum Græcorum, tum Latinorum, provocarem eum ad collationem et contentionem codicis Græci manuscripti, quo ego usus sum, ut ipse testis invitus accederet, centies mea diligentia mutatum fuisse in Editione nova I in H, quia sciebam ab imperitis exscriptoribus *iota*, pro *eta* scriptum fuisse in exemplaribus pervetustis. Sed credo in te impune abiturum, o Clerice, qui merum solœcismum in voce, *Amalecites* invenisse gaudebas? Relege quæ ex Cassiodoro docere voluisti Quæstionum Hieronymianarum pagina 66, et deinde pag. 378 et seqq. Vide quantum tibi parum constes coarguens lectionem *Amalecites*, pro *Amalecitis;* et simul monens veteres scripsisse sæpius *omnis* pro *omnes*, B et *omnes* pro *onnis*, id est, accusativos plurales promiscue terminatos in ES, EIS, et IS. Disce proinde *Amalecites* et *Amalecitis* promiscue scriptum ab Antiquis, ut *Joannis*, pro *Joannes*, in casu nominativo. Quæ cum ita sint, te ipsum testem adhibeo propriæ imperitiæ et inconstantiæ, quam dissimulare debuisses si licuisset per consuetam detrahendi libidinem, et artem illam tuam criticam qua cæteris omnibus scriptoribus præferre te non erubescis.

XI. « Contra Græcam eruditionem Hieronymi objicit ultimo loco Clericus noster: addam hic rem leviculam quidem, sed quæ ostendet nihil esse verius quam quod dixi. Scripsit Eusebius: Ἰτουραία ἢ καὶ Τραχωνῖτις, *Ituræa, quæ et Trachonitis.* Quare vertit Hieronymus: *Ituræa et Trachonitis regio?* etc. Potest enim lector suspicari esse nomina duorum tractuum regionis; quæ fuit Tetrarchia Philippi. Morosus es, inquies, qui talia ad vivum resecas? Immo vero morosa negligentia est ejus, qui non commodius vertit: nec scio annon existimavit delendam particulam ἢ *quæ*, quod putaret esse ἢ *sive.* Ratio suspicandi, hæc est, quod in voce, Τραχωνῖτις, similiter offenderit, Τραχωνῖτις χώρα, ἢ καὶ Ἰτουραία, hoc est, *Trachonitis regio, quæ et Ituræa*, nempe dicitur. Vertit tamen ille: *Trachonitis regio, sive Ituræa.* Si ego ita vertissem, numquam mihi ignovisset C *Martianæus*, quamvis dicerem me esse *novi Operis conditorem.* Vociferaretur esse hanc artem, qua conarer occultare meam imperitiam, ne malæ translationis arguerer, etc. »

Quamdiu erit in Clerico nostro inexhausta aviditas loquendi et carpendi Hieronymum, tamdiu ineptum et imprudentem se prodet: nam qui aut tempus quid postulet, non videt; aut plura loquitur; aut se ostentat; aut eorum quibuscum disputat; aut rerum ipsarum dignitatis rationem non habet: aut denique in aliquo genere; aut inconcinnus; aut multus est, is ineptus dicitur. *Vociferaretur*, inquit, *Martianæus*, si cum Hieronymo vertissem: *Trachonitis regio, sive Ituræa.* Immo laudaret te magna voce *Martianæus*, si artis criticæ peritus fuisses, et tam aperte imperitiam tuam non ostentares. Quis jam non miretur puerilis jactantiæ observationes, quas in summum virum, etiamsi ipsæ veræ essent, nullus prudens dignaretur scribere? Sed cum sint imperitissimæ ac falsissimæ, nihil in eis existit quo veniam Clerico tribuere possimus. 1° Inepte reprehendit Hieronymum Clericus, nesciens sanctum Doctorem imitari stylum Lucæ evangelistæ, qui D capite tertio, versu primo, *Philippum* dicebat tetrarcham esse τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος, id est, *Iturææ et Trachonitidis.* Arguatur itaque sanctus evangelista, et non Hieronymus, quod omissa particula ἢ, *quæ*, locum suspicandi præbuerit lectoribus, *Ituræam* et *Trachonitin* esse nomina duorum tractuum regionis, quæ fuit tetrarchia Philippi. Non est igitur imperitiæ aut negligentiæ quod omissa fuerit particula Græca in versione Hieronymi, qui potius evangelistæ vestigiis insistere voluit, quam putida interpretatione torquere semetipsum. 2° Ituræam et Trachonitin diversas esse regiones eruditissimi viri suspicantur, Strabo, Andrichomius et Bonfrerius, nec opiniones eorum penitus ignorare debuit criticus scriptor loquens de re Geographica. 3° Pueris rem notam ignorat Clericus, nempe eamdem rem significare interpretationem Hieronymi *Ituræa, sive Trachonitis*, et interpretationem ejusdem Clerici, *Ituræa, quæ* et *Trachonitis:* in utraque enim phrasi intelligimus

*Locus autem quem adducit hic Martianæus proprie non significat* regnum fundatum, *sed regiam fundatam; in Hebraico enim est* ארמון, *armon, quod significat* palatium.

unam regionem, quæ vel *Ituræa*, vel *Trachonitis* dicitur. 4° Nulla fides est in critico nostro qui dissimulavit Hieronymum centies particulam Græcam ἡ, optime per relativum pronomen *quæ*, expressisse in libro Locorum, v. g. col. 141 : Ἀμάν, ἡ νῦν Φιλαδελφία, *Aman, quæ nunc Philadelphia;* col. 165 : Βαβὲλ, ἡ Βαβυλών, *Babel, quæ et Babylon;* col. 185 : Καριαθιαρείμ, ἡ καὶ Καριαθβάλ, *Cariathiarim, quæ et Cariatbaal;* col. 203 : Ἐγλὼμ, ἡ καὶ Ὀδολλάμ, *Eglom, quæ et Odollam.* Ibidem : Ἐσὼρ, ἡ καὶ Ἀσὼρ, *Esor, quæ et Asor.* Similiter col. 268 et 275 : Σοφειρὰ, ἡ καὶ Σουφὴρ, *Sophera, quæ et Sophir.* Videant nunc lectores eruditi et prudentes, quanti facienda sit critica Joannis Clerici, in qua nullum est judicium, nulla fides, eruditio nulla : quæ tamen in hoc genere scriptionis officia sunt et Auctorum munera.

### § 2. *De eruditione Hebraica S. Hieronymi.*

Explosis jam difficultatibus Joannis Clerici Græcanicis, quibus ipse viam sibi muniendam speraverat *ad judicium paulo audacius et liberius ferendum de eruditione Hebraica Hieronymi,* nunc aliquot insignioribus Quæstionum Hieronymianarum exemplis demonstrabimus illarum auctorem Hebraicæ linguæ imperitissimum, et ineptissimum esse criticum in reprehensione sancti Doctoris, cujus virtus et scientia splendet in Ecclesia Dei tamquam clarissimum lumen, quo, sicut nummus in Crœsi divitiis, obscuratur omnis eruditio Clericana, et *judicium audacius* ad calumniam. Consilio autem amicorum meorum (præsertim clarissimi viri domini de *Camgrand*, archidiaconi ecclesiæ Sanctorum; et domini *Bellet*, canonici studiosissimi ac eruditi), mitto nugas et ineptias aniles Quæstionum Hieronymianarum Clerici, quia risu et cachinno, non responsione mea, dignas censent. Præterea jubent sapientissimi præfecti Congregationis nostræ, et sodales amantissimi mei haud pauci, ut tempus et laborem impendam in edendis operibus sancti Hieronymi non in confutando hæretico, qui nec loquendi, nec libros edendi finem novit facere. Pauciora itaque proponam exempla, e quibus doctus et intelligens existimator de prætermissarum Quæstionum imperitia poterit habere judicium.

I. Peritiam grammaticæ nullam fuisse in Hieronymo hujusmodi argumentis docere voluit Criticus noster : « Hæc cum sint, inquit, meridiano sole clariora, monachus noster Benedictinus, quem vel hinc discere par fuisset, frustra ab *Hieronymo* exspectari posse quidquam eximium, in Hebraica grammatica, hunc locum et similia nobis oggerit, ut ab *Hieronymo* accipiamus, scilicet, quod nescimus. Operæ pretium est hominem audire grande arcanum, et quod fugit hactenus omnes grammaticos Hebræos, aperturum : *Quatuor*, inquit, *nomina ab Hieronymo vel Philone hic recensita, apud Hebræos per diphthongum scripta leguntur, hoc modo* : הירם, *Hiram;* אישטוב, *Histob;* עירא *Hira;* אישבשת *Hisboseth. Neque vero litteræ* aleph, heth, *et* ain, *apud veteres Hebræos pro consonantibus usurpata erant, sed pro vocalibus, ut perspicue declarat Hieronymi præsens annotatio, quæ statuit*, aleph, heth, *et* ain *diphthongum constituere, cum* jod *sequenti, in quatuor jam dictis nominibus. Hinc evanescunt opinationes quorumdam hodiernorum grammaticorum, quibus visum est quamcumque diphthongum Hebraico exsulare idiomate, Hebræasque voces a consonanti semper littera, non a vocali, initium ducere.* 1° Non *quidam*, sed omnes omnino grammatici Hebræi veteres et recentiores censuerunt nullam vocem a vocali incipere ; si paucos excipias, quos nomine appellare nihil attinet. 2° Plerique omnes etiam existimarunt dari diphthongos, exceptis potissimum Judæis Germanis; qua de re vide *Joan. Buxtorfii* Thesaurum capp. 3 et 4, aliosque grammaticos. 3° Grammaticorum sententia, qua negant syllabam Hebraicam inchoari a vocali, non est opinatio, sed certissima veritas; quam nemo oppugnarit, nisi dormitans, ut hic *Hieronymus*, et rauca ejus echo *Martianæus*. Tribus verbis res demonstratur. Vocalis omnis certum habet sonum, ut A, E, I, O, U, non promiscue quinque illis sonis effertur, quemadmodum *aleph, heth,* et *ain*, quod ex nominibus propriis, in quibus occurrunt, manifesto liquet ; cum ab antiquis Interpretibus ita pronuntientur, ne quis nos solorum Massoretharum auctoritate niti putet. 4° Primus index nominum, qui in manus incidet, rem demonstrabit, sed vel ex quatuor allatis nominibus manifesta fiet. Quæro, si alpha sit vocalis, quænam quinque vocalium sit? Sine dubio A. Itaque legendum esset AISTOB, et AISBOSETH, non *Histob*, et *Hisboseth*, sine diphthongo, aut *Eistob*, et *Eisboseth*. Deinde quæ vocales erant *Hheth* et *Hain* ? An prius Græcorum ἦτα et posterius O ? Quomodo hic nobis conflant *Diphthongum*, si *Hieronymo* credimus, qualis est Græca EI? Scribendum fuisset Ηιρὰμ, et Οιρὰ, quod tamen non fecerunt LXX Intt. quibus prolatio eorum nominum probe nota erat, et ne ipse quidem *Hieronymus*. An tres vocales conjunctæ cum A Jod facient unam eamdemque diphthongum? Nemo crediderit. Quid igitur hinc colligemus? Nec Bethlehemitam, nec Parisiensem Monachum, quos tamen minime æquarim, ne quid fallatur *Martianæus*, satis attendisse quid dicerent. Si attentiore animo scripsissent, non magis dicturi fuissent *Aleph*, *Heth*, et *Hain*, esse vocales, et constituere apud Hebræos diphthongos, quam H Latinum, in Latina lingua. Pene oniseram *Martianæum*, ut figmentum hoc de vocibus apud Hebræos a vocali inchoatis tueatur, afferre exemplum Arabum, qui *Vau*, quo multa vocabula inchoantur, pronuntiant ut W, quod Galli exprimunt per *ou*, ut *ouaheb*, quod *Waheb* efferunt Arabes, Grammatici vero hodierni Hebraicæ linguæ scribunt *vaheb*. At eum scire oportuit neminem Arabem habere *Vau* pro consonante, non magis quam gentes Europæas, quæ littera W utuntur ; quod ea littera per se nullum sonum habeat, sed debeat necessario cum vocali conjungi, cum in linguis Europæis, tum etiam in Arabica. Quod si malit adhuc *Martianæus* temere ab oscitante *Hieronymo* prolata præferre manifesto usui, certæque Analogiæ linguæ Hebraicæ, per me licet. Suis animum pascat somniis, et quæ indulgentia nostra summopere indigent, ea maxime pergat in *Hieronymo* mirari. Numquam nos pudebit hujusmodi homini non placuisse. » *Quæst. 4, pag.* 85 *et seqq.*

B Quod tot ineptias et tritas grammaticales vitilitigatoris nostri descripserim, veniam precor ab omnibus studiosis ; necessitate enim compulsus id peregi, ut interim *stulto responderem juxta stultitiam suam, ne sapiens sibi videretur*, neque, *dormitantes nos, oscitantes, somniantes, rauciso-nos* rideret Joannes Clericus, Apollinis filius, Musarum parens, vindex libertatis litterariæ. Sed age porro totum Hieronymi locum et incorruptam nostræ annotationis integritatem hic replicemus; ut inde meridiano sole clarior sit imperitia, improbitas, ac perversitas opinionum Clerici, qui vas sincerum incrustare cupit in omnibus. Contextus itaque Hieronymianus iste nobis est :

Hiram, vivens excelse.
Histob, vir bonus.
Hiras, vigilans.
Hisboseth, vir confusionis.

IDCIRCO CUM ASPIRATIONE HÆC NOMINA POSUIMUS : QUIA ET APUD GRÆCOS ET APUD HEBRÆOS PER DIPHTHONGUM SCRIBUNTUR.

C *Annotatio nostra.*

Quatuor nomina ab Hieronymo vel Philone hic recensita, apud Hebræos per diphthongum scripta leguntur hoc modo עירם *Hiram*, אישטוב *Histob*, עירא *Hira*, אישבשת *Hisboseth*. Neque vero litteræ *aleph*, *heth* et *ain* apud veteres Hebræos pro consonantibus usurpatæ erant, sed pro vocalibus, ut perspicue declarat Hieronymi præsens annotatio, qua statuit *aleph*, *het* et *ain* diphthongum constituere cum *jod* sequenti in quatuor jam dictis nominibus Hebraicis. Hinc evanescunt opinationes quorumdam hodiernorum grammaticorum , quibus visum est quamcumque diphthongum ex Hebraico exsulare idiomate; Hebræasque voces a consonanti semper littera non a vocali initium ducere. Jam quod spectat Græcas diphthongos quatuor nominum supra positorum, non facile apparet ita hoc esse, ut Hieronymus testatur; nisi forte in voce *Hiram*, quæ apud Græcos legitur Χειρὰμ : alia namque nomina Græce leguntur absque diphthongis, Ἰεβοσθὲ, Ἰστὼβ, Ἴρας. Verum inspectis diligenter LXX interpretibus, docemus nomen *Hisboseth* scriptum esse cum diphthongo in manuscripto D Alexandrino II Reg. II , 10, Ειεβοσθαὶ, *Eiebosthai*. Ex quo satis liquet cætera nomina Hebraica similiter per diphthongum ει fuisse scripta antiquitus apud Græcos ; idque verius comprobatur ex voce *Jabes*, quæ Ἰαβὶς passim scripta, in eodem M. A. legitur cum diphthongo Ειαβεῖς. Denique notum est eruditis vocalem I, et diphthongum ει indifferenter fuisse usurpatas tam apud Græcos quam Latinos ; illoque usu recepto Ἰστὼβ et Εἰστὼβ, Ἴρας et Εἴρας promiscue scripta fuisse.

Hæc omnia ructaverunt oscitantes et dormitantes *Hieronymus*, et rauca ejus Echo *Martianæus*, quorum ructatrix menta somnium habetur apud Clericum, quem concertavisse de Tripode cum Apolline vix dubitamus, si ei credimus qui se magnifice jactat atque ostentat. At enim somniantem deprehendo eum, cum ait, afferre me exemplum Arabum, ut figmentum meum quod vocat, tuear ex initiali *vau*. Relegat ipse annotationem meam in diphthongos Hebræorum ab Hieronymo notatas, et si casu in mentionem *vau* incidi, somniatorem me profiteor ; sin minus, falsis somniis et contumeliis animum pascere Clericum nostrum, pro comperto habeamus et explorato. Verum caute pedetentim omnia dicamus, et singillatim difficultate critici alte repetamus, ut gravi somno stertentem atte

tius possimus inspicere. 1° Non *quidam*, inquit, ***sed omnes, si paucos excipias, grammatici Hebræi, veteres et recentiores censuerunt nullam vocem a vocali incipere.*** Certe in parvo numero, si paucos excipias, remanent *quidam* tantum, non *nulli*, nec *omnes*. Atqui minor est grammaticorum numerus, non infinitus, ut stultorum et criticorum; bene itaque monui et apposite, quando *quosdam* appellavi. Deinde paucos legi grammaticos Hebræos, et quos revolvi libros id genus, *quosdam* dicere debui, ne cum Clerico scire jactarem, quod nequaquam scio. 2° Non plerique omnes existimarunt dari diphthongos, siquidem Latini nostri Hebraicorum operum grammaticorum scriptores, diphthongos, minime nos docent. Vide Bellarminum, Mair, Thomam nostrum *Dufour*, Pagninum, etc. 3° Grammaticorum sententia de syllabis non inchoandis a vocali, tantum abest a vero, ut contraria sit manifestior et veracior apud omnes sanæ mentis homines, nec œstro Rabbinico percitos. Sententiam nostram Hieronymianam demonstrant perquam evidenter nomina propria virorum, regionum et montium apud LXX Intt. quos secuti sunt Origenes et cæteri Græci Scriptores in Lexicis Nominum Hebraicorum. 4° Primus index nominum pervetustus docebit ineptire Clericum, qui statuit vocalem א *Aleph*, semper legendam per A, cum sæpius legatur per I : per E, et per O, vel per U. Quomodo autem *aleph*, *heth*, et *ain* conflarent diphthongum apud Antiquos, satis dictum est in nostra annotatione, quam nemo impugnarit nisi dormitans et stertens Clericus criticus. Ex his liquido apparet Militem nostrum gloriosum omnium sermonibus posse vapulare, cum se Hieronymo in Hebraica re Grammatica audet præferre.

II. « Nunc veniamus, ait idem Criticus, ad constructionem nominum, cujus hæ duæ sunt potissimum regulæ, oportere cum substantivo adjectivum convenire genere; et adjectivum quidem postponi. Constat etiam perpetuo usu nomina numeralia, quæ *ordinalia* dicuntur, formare femininum in ית *ith*, excepto ראשנה *prima*. Sic a חמש hhamesch, *quinque*, formatur חמשי hhamischi, *quintus*, et חמשית hhamischith, *quinta*. Quod si ignoret *Martianæus*, legat *Joannis Buxtorfii* Thesaurum lib. II, cap. 1, et Gram. *Th. Erpenii* lib. III, cap. 7. Res enim usque adeo nota est, ut tempore abutatur, qui eam post grammaticos probare aggrediatur. Attamen *Hieronymus*, si credimus mss. codicibus *Martianæi*, existimavit *quintam generationem* dici posse Hebraice חמישה דור *hhamischa dor*, cum vox דור sit generis masculini, et necesse sit dici דור חמישי *dor hhamischi*, ut Concordantiæ docebunt, si iis consultis, in re clara opus sit. Sic enim habet Hieronymus in epistola ad Damasum; *Si esset* quinta generatio, *sermone legeretur illorum* AMESA DOR. In margine ascripsit Editor חמישה דור *hhamischa dor*. Quod idem est ac si dicerem Latine *quinta annus*, aut aliquid deterius. *Amerbachii* fratres qui editionibus Erasmianis addiderant voces Hebraicis characteribus scriptas, ediderant hunc locum ad normam grammaticæ Hebraicæ. Sed eos ita castigat *Martianæus* : *Vitiatus omnino hic locus in editis antea libris; nam pro* חמישה דור *amesa dor, ut posuit Hieronymus, genus mutarunt et ordinem verborum, legentes* חמישי דור dor amisi *genere masculino, contra fidem omnium codicum mss. epistolæ ad Damasum.* Illi nimirum existimationi *Hieronymi* consultum volebant, quam hic imprudens prodit *Martianæus*; qui, si probe inspexit mss. codices, nos docet hic triplex, quod diximus, peccatum ab Hieronymo admissum esse; quod si in ludo litterario Latine committeretur a pueris, non effugerent ferulam.

Attamen existimo mss. codices hic habere quod scriptum voluit Hieronymus, et bona fide citatos ad testimonium a *Martianæo*. Persuadet hoc ejusdem generis peccatum quod proxime antecedit. Agens enim de voce חמשים *hhamuschim*, quæ occurrit Exodi XIII, 8, ita loquitur : *In reliqua parte interpretationes non discordant, omnis pugna de verbo est* AMUSIM, *quod his litteris scribitur, heth, mem, sin, jod, mem, utrumnam* quinque, *an* munitos *sonet. Et quidem* quinque *hoc sermone dici negare non possumus non* quinta, *ut illi interpretati sunt, singulari.* At nos pernegamus חמשים, quibuscumque punctis afficiatur, significare *quinque :* et omnes, quibus non ignota sunt elementa linguæ Hebraicæ, norunt חמש *hhamesch* quidem esse *quinque :* חמשים, *hhamischim* vero aut *quintos*, aut *quinquaginta.* »

Ut frangamus breviter tantos spiritus Clerici nostri, monemus præsentes et ævi futuri studiosos omnes, imperitum adeo fuisse hunc Hieronymi hostem, ut jam senex ignoraret quæ pueri et infantes docere eum potuissent. Reprehendit enim et acriter castigat Hieronymum, quasi nescivisset constructionem nominum et genus vocis Hebrææ דור *dor*; quia ipsemet necdum scivit nomen Hebræum חמישה *Amesa*, esse generis masculini, et non feminini, ut hoc loco scribit conceptis verbis, et docere satagit contra Hieronymum et nostram editionem, in qua posui חמישה דור, AMESA DOR, quod idem est apud doctorem Clericum, ac si dicerem Latine *quinta annus*, aut aliquid deterius. Prima igitur barbarismi hæc ac solœcismi fœditas absit ab Hieronymo, totaque hæreat in Clerico constructionis inscio et generis nominum Hebraicorum. Secundum ejusdem scriptoris peccatum minime condonandum, si Latine a pueris committeretur in ludo litterario, inscitia est ingens, qua constare putat perpetuo usu nomina numeralia, quæ *ordinalia* dicuntur, formare femininum in ית *ith*, excepto ראשנה *rischona*, id est, *prima.* Nam alia omnia nomina ordinalia feminina a primo usque ad decimum duplicem habent formam in fine, ית *ith*, scilicet et *iia* sive *ija* : v. g. שני *scheni*, id est, *secundus*, habet שנית *schenith*, et שניה *schenijach*. Quod si adhuc ignoret Clericus, legat Pagnini Thesaurum ad vocem שני *scheni;* et opus Grammaticum *Th.* nostri *Dufour*, pag. 191. Aut in re Grammatica, si necesse est ut eum Prophetarum auctoritate revincamus, legat eloquentissimum Isaiam cap. XV, 5, et XIX, 24, qui utitur voce feminina, שלישיה *schelischia*, hoc est, *tertia* vel *triennis*, *tertiana.* Idem usus apud Jeremiæ cap. XLVIII, 34. Et valde mihi miram est criticum scriptorem in tanta librorum suorum farragine ignorare regulas grammaticæ; novumque Bibliorum sacrorum interpretem, prophetalem stylum, solœcismum existimare. Tertium imperitiæ Clericanæ argumentum sumimus ex ordine verborum חמישה דור *Amesa dor*, sive, ut ipse legit, *hhamischa dor;* quam constructionem præposteram voluit, nesciens in libris sacris nomen *ames* et *amesa*, sive *hhanesch*, et *hhamischa*, non postponi, sed præcedere substantivum : v. g. Gen. V, 6, *Et vixit Seth* AMES SCHANIM, *quinque annos*, et XLVII 2, *Accepit* HHAMISCHA ANASCHIN, *quinque viros.* Discat itaque ordinalia nomina formæ masculinæ in I, suo substantivo postponi, ut *jom hhamischi*, id est, *dies quintus;* alia vero numeralia generis quidem masculini, sed terminationis femininæ, præcedere suum substantivum, v. g. Lev. XXIII, 6, *ubahhamischa asarjom*, id est, *et in quinta decima die.* Vide etiam Num. librum, cap. XXVIII, 17, et cap. XXIX, 12.

Sunt ea quidem manifesta imperitiæ peccata, quæ non patiuntur doctorem Clericum ferulæ manum subducere : sed quid dicam de eodem improbo laudatore et patrono falsorum editorum Hieronymi? Laudat enim *Amerbachios* quod ad normam Grammaticæ Hebraicæ posuerint *dor hhamischi*, et sustulerint Hieronymiana verba *Amesa dor;* ut consultum esset hac depravatione existimationi sancti Doctoris : imprudentem vero vocat *Martianæum*, qui bona fide genuina verba restituit in contextu epistolæ ad Damasum. At cum sint falsi præmia nulla, et parum virium falsitas habeat; quid est quod falsarios laudibus exornet, et tantum valeat iniqua depravatio apud ipsum; sincerum vero editorem non amet singulariter? Vis scire causam? Non laudat sinceram scriptorum fidem, quia ipsemet non est integer animi; sed pectus gerit totum compositum ad dissimulationem et falsitatem. Falsus est Christianus, falsus interpres Bibliorum sacrorum, falsus artis criticæ scriptor, falsus libertatis animorum vindex, falsus quamplurium voluminum editor : merus autem criticus sycophanta et clericus imperitissimus.

Utrumque probare possum ex ejusdem verbis consequentibus : *Attamen existimo*, etc., pernegat namque ore perfricato *Amusim* significare *quinque*, quia sententiam Hieronymi mutilatam ac depravatam recitat hoc modo : *Et quidem* quinque *hoc sermone dici negare non possumus, non* quinta, *ut illi interpretati sunt, singulari.* Hoc non dixit Hieronymus; nec tale quid a nobis editum legitur. Vera sententia Hieronymi hæc est : *Et quidem* quinque *hoc sermone dici, negare non possumus : verum* quinque *plurali numero, non* quinta, *ut illi interpretati sunt singulari :* AMUSIM ergo (חמשים) quibuscumque afficiatur punctis, significat *quinque* plurali numero, id est, *quintatos, quinos, quintos* et *quinquaginta*, ut ipse Clericus imprudens fatetur, affirmans quod antea pernegaverat, docensque quod a se depravatum oppugnaverat.

III. Postquam propria imperitiæ tela contorsit Clericus noster, aliena adversus Hieronymum quærit auxilia cum hac præfatione : « Ne autem videar solus ita sentire de eruditione Grammatica *Hieronymi*, proferam nonnulla huc facientia ex Biblicis Exercitationibus *Joannis Morini;* quæ ille quidem alio consilio scripsit, sed non minus confirmant nostram sententiam; quamvis omnia quæ habet non probemus. »

Septem vero, vel octo profert consequenter *Morini* observationes, quarum duas abjicit tamquam falsas; et quidem priorem abjectam hunc in modum illustrat : « Quod

pluribus explicat *Morinus*, sed fallitur; quia pro voce אלהי, hic ab *Amerbachiis* perperam addita, fuisset addenda אלה, quam *Hieronymus* legebat *Eloe*; ut recte post *Joannem Drusium* observavit *Joan. Martianeus.* »

Denique ad calcem omnium observationum *Morini* hæc addit *Joann. Clericus* : « Hæc vir doctissimus, quibus nihil verius esse sciunt qui *Hieronymi* opera legerunt, aut ejus translationem cum Hebraico codice studiose contulerunt; quæ tamen, ut et alia similia, ne tentavit quidem confutare *Martianæus.* »

Verum est, Clerice, vir materia risus benignissima, nolui commovere cachinnos eruditorum, tentans *Morini* observationes confutare. Quis enim sapiens risum tenebit, cum audierit a *Morino* fuisse redargutum *Hieronymum* propter casum absolutum, non distinctum a casu reginiinis, sive quia non distinxit inter formam absolutam et constructam in נסוכי אדם *nasiche adam*, Mich. v, 4, transtulit enim Hieronymus *primates homines*, non *primates hominum*. Verum quomodo legere potuit sanctus Doctor, *nasiche adam*, seu *nesiche adam*, si non distinxit inter formam absolutam et constructam? Dicat nunc Clericus an putet *nesiche* esse formam absolutam? Si constructam dixerit; ergo formam reginiinis distinxit Hieronymus a forma absoluta נסוכים, *nesichim*. Quod si Latina translatio non servat formam regiminis, *primates hominum*, non Hieronymo interpreti succenseant Morinus et Clericus, si euphonia linguæ Latinæ, in quam transferebat, integra conservetur. Deinde arguant Aquilam et Grammaticæ Hebrææ imperitum pronuntient, quod cum Hieronymo non distinxerit inter formam absolutam et constructam; posuit enim *constitutos homines*, non *constitutos hominum*.

Futiles hujusmodi observationes, nec doctissimo viro sat dignas, prætermisisset mecum Clericus, nisi invidia et odio premeretur, atque opuscula Hieronymiana premere tentaret in omnibus. Sed si eum non pudet propriæ imperitiæ propter tricas Grammaticales *Morini* eruditioni *Hieronymi* nonnihil detrahentis, pudeat saltem audire doctissimos quosque scriptorum suorum, id est, heterodoxorum laudibus efferentes eruditionem Hieronymianam. Habebant illi Lexica hodierna, multasque grammaticas Hebraicas, at non adeo ineptire voluerunt cum Clerico nostro, ut propterea Hieronymo se præferrent in Hebraicis. Noverant docti illi Protestantium magistri nullam posteritatem non accipere a majoribus, et quidquid in lexica vel Grammaticas derivatum est, ab antiquis Judæis et interpretibus acceptum fuisse ac mutuatum, non a neotericis scriptoribus conflictum atque pervulgatum. Sed nunc audiamus ipsos interpretem Hieronymum laudibus prosequentes.

Ex Notis criticis Ludovici Capelli in librum Estheræ, pag. 570, nov. Edit. « Cum ergo constet titulos esse Hieronymi, quo fine, aut consilio illis subjicerentur segmenta ex alterius translatione? Tertio, si horum segmentorum translatio Latina cum Græca conferatur, deprehendetur in ea Hieronymi judicium, ingenium, eruditio, docta et ingenua libertas in transferendo, adeoque styli, seu sermonis puritas, elegantia, dicendique character idem, qui in reliquo libri corpore. Neque enim barbare, aut sordide de verbo ad verbum ex Græco translata sunt illa segmenta, sed docte et eleganter sensum Græci contextus (quantum id commode fieri potuit servata phrasi et Latinæ linguæ elegantia, atque puritate) expressit bona fide Hieronymus. »

Ex Prolegomeno X. Briani Waltoni : « Concludimus itaque Vulg. auctoritatem haud aliam esse quam versionum aliarum quæ fideliter originales textus reddunt, cum quæ de illa scripserint celebriores Eccles. Roman. doctores ejusque auctoritate, aliis versionibus adaptari possint. Licet vero divinam non agnoscamus, magni tamen faciendam, et non temere proscindendam, tum propter ejus antiquitatem et usum generalem per Occidentem per mille annos, tum propter interpretis, quem Hieronymum ex parte majore agnoscimus, doctrinam et fidelitatem, quem de Ecclesia bene meruisse gratis animis prædicant Protestantium doctissimi. *Numquam dubitavi*, ait vir doctus, *quin auctori ejus Ecclesia Christiana eo nomine multum debeat, quod Latinis auribus, tam peregrina lingua scripta mysteria regni cœlorum fecerit intelligibilia.* Certe Theodorus Beza Præf. in N. Test. anno 1559, omnibus cæteris Latinis versionibus præferendam affirmat, Erasmumque reprehendit, quod veterem interpretem rejiciat, quia a Græcis hodiernis codicibus dissentiebat, cum emendatius exemplar secutus esse videatur. Unde Vulgatam contra Erasmum defendit Beza, sic eumdem contra Bezæ censuras, sæpe injustas, justo volumine tuetur vir doctissimus Jo. Boys... Paulus Fagius in cap. 4 versionis suæ Latinæ Paraphr. Chald. contra eos, qui, cum Vulgata non ad verbum Heb. textui per omnia respondeat, eam exsibilant, damnant, rejiciunt, hæc habet : *Non attendunt quid vel quem secutus fuerit Vulgatus auctor, cum enim a veritate Hebraica dissentire videtur, vel Sept. vel paraphrastem Chaldæum, vel aliquem ex Rabbinis secutum fuisse fere semper deprehendo : non est ergo temere nata Vulgata editio, ut quidam scioli stulte et imprudenter clamitant.* Ludovicus *de Dieu*, vir linguarum cognitione insignis, in notis ad Evangelia, ubi versionem Syriacam, Arabicam, etc., cum Vulgata et Erasmi, maxime vero cum Bezæ versionibus confert, præfat. ita de Vulgatæ Auctore scribit : *Si Vulgatum interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum immo doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero; suos habet nævos fateor, habet et suos barbarismos, sed quin passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.* Hinc sæpe inter varias lectiones Vulgatam reliquis præfert, et contra Bezam defendit, etc. Tandem illustriss. Grotius præfatione annotationum suarum in Vet. Test. rationem reddens, cur ad Vulgatum, quasi textum, notas suas referat, dicit *se Vulgatum interpretem semper plurimi fecisse, non modo quod nulla dogmata insalubria continet, sed etiam quod multum habet in se eruditionis, quamquam in dicendi genere satis horridus.* Ex his testimoniis satis clare constat Protestantium doctissimos, licet Vulgatam in thronum authentias non ponant, nec fontibus æquent, nec ab omni errore immunem statuant, haud tamen eam contemnere, sed ei honorem debitum deferre, ob causas quas jam declaravimus. » Hactenus Brianus Waltonus, quem scimus eruditum fuisse ac prudentem virum. Clamitet ergo *Clericus* cum imperitis et sciolis Vulgatum interpretem, hoc est, Hieronymum, ejusque translationem *stulte et imprudenter* reprehendat abjiciatque; mihi sufficit cum doctissimis omnium ætatum Scriptoribus *judicium, fidem, ingenium et eruditionem Hieronymi* admirari, laudare atque defendere.

## CAPUT II.

*De sinceritate et utilitate editionis novæ Operum S. Hieronymi, deque imperitia ac malevolentia Quæstionum Hieronymianarum Joannis Clerici.*

Dudum e tenebris prodierant in lucem opuscula haud pauca Joannis Clerici tam critica quam miscellanea, ubi sæpius occurrunt disceptationes viris doctis contumeliosæ, atque sapienti lectori graves et molestæ : sæculo autem præsenti ineunte prodierunt ejusdem auctoris Quæstiones Hieronymianæ in quibus totum pectoris virus, iram scilicet et odium effudit in nos nostramque novam editionem S. Hieronymi. Neque vero cæterorum criticorum morem secutus, eventilare voluit apices solummodo Clericus noster, litterasve calumniari editionis nostræ; sed eam evertere funditus, auctorisque memoriam e vivis tollere si potuisset. Quantum enim *Martianæum* opera sua sollicitari studuerit, testis est admonitio præfixa Quæstionibus Hieronymianis, qua litteratorum omnium invidiam, immo charissimorum sodalium in me singulare odium sese concitaturum speravit : quinetiam præpositorum meorum prudentiam et auctoritatem interponere blandiendo curavit, ut sic tandem editione Hieronymiana mihi interdiceretur. Et sane si Clerico nostri præbuissent assensum, prorsus nihil abfuisset, quin essem miserrimus omnium editorum et scriptorum hujus temporis.

Tantarum autem irarum dum causam inspicio, non aliam suspicor præter susceptam Hieronymi defensionem, et eruditionis ejusdem exornatum a me tropæum. Nec magnus sum in ea re opinator, cum Clericus ipse mecum consentiat, suam Quæstionem 7 ita exorsus : *Jam diximus nullam nobis controversiam futuram fuisse cum* Martianæo, si *modicas laudes in* Hieronymum *contulisset.* Capitis itaque causa mihi est quod, Hieronymum ad cœlum laudibus levaverim, et ejus opuscula contra Clericos objurgatores amaverim defensitare. Sed audiamus oratorem ipsum criminosum argumenta dicentem criminis mei.

LECTORI S. P. D. JOANNES CLERICUS.

« Nemo non laudavit industriam ac eruditionem monachorum Benedictinorum e congregatione S. Mauri, qui « in Gallia egregias editiones Patrum aliquot Latinorum « et Græcorum emiserunt; nemo non optavit eos, pulcherrimo instituto pergere Bibliothecas nostras ditare. Placuit præsertim bonis atque eruditis omnibus, Patres illos « ab iis ita illustratos præfationibus et notis, ut ab omni « contumelia erga recentiores abstinerent; donec *Joan.* « *Martianæus* sodalium suorum æquitatem et prudentiam « minime imitatus cœperit *Hieronymum* edere, atque in « proœmiis, notisque eruditissimorum virorum et Romanæ « Ecclesiæ addictorum ( ne exceptis quidem sodalibus « Benedictinis ) et eorum qui secessionem ab ea Ecclesia « fecerunt, famam lacerare. Tum vero plerique omnes

« harum rerum periti atque imperiti, certatim conquesti « sunt acerbitatem nimiam et loco quidem alieno, in viros « doctos effusam; qua usque adeo delectatus est, ut con- « vicia e primi voluminis prolegomenis resecta, jussu, ut « videtur, præfectorum eruditi ordinis, aliquot post annis, « ira minime placata, reposuerit initio secundi : quod audio « vehementer etiam illis displicere. Ego autem, in quem « nominatim invectus est, et quidem acerrime, nec uno « loco, cœpi expendere quid novi hæc editio ferret, ani- « madvertique hominem minime versasse quid ferre recu- « sarent, quidve valerent humeri. Qua de re admonere « volui hoc opusculo, et rempublicam litterariam et ordi- « nem Benedictinorum, ut videat ne quid fama sua capiat « detrimenti, si ejusmodi hominem patiatur diutius conta- « minare scripta *Hieronymi*, contumeliosis illis et parum « doctis assumentis. Eadem opera multa de *Hieronymo* « ipso dixi, ex quibus liquebit male facere eos, qui usque « adeo despicantur præ eo recentiores criticos, ut quasi « cæcos illi collatos habeant. Si hæc prosint ad confir- « manda, augendaque bonarum sacrarumque adeo litte- « rarum studia, erit quamobrem gaudeam. Eo certe animo « a me scripta sunt. Sin minus, animi saltem hujus mei me « numquam pœnitebit. Vale. »

Noluit Clericus noster sine ulla præmunitione orationis invehi in suum *Martianæum*, quem vehementer dolet editorem fuisse *Hieronymi* minime parcentem hereticis sanctissimo doctori semper infensissimis. Verum prætermissis omnibus quorum Clerici non interest, nec reipublicæ litterariæ ( quorum non meminit malus dolus, nisi ad suscitandum pressuram vinculis meis ) quid pro se conqueratur diligentius inspiciamus. *Ego autem*, inquit, *in quem nominatim invectus est, et quidem acerrime*, etc. Fateor, Clerice, consideratius tecum loqui nolebam, quam tu in Hieronymum non uno loco invectus es. Tua est acerbitas nimia verborum meorum, quando quidem eam accepi a Pentateucho tuo Mosaico, ut lectorem commonui in meis annotationibus, quas parum doctas vocare studes, quia te imperitum probant in omnibus. Revolve igitur Commentarium meum in librum de Nominibus Hebraicis, tom. II editionis nostræ, ubi hæc eadem de te scripta leguntur. Ex his perspicue apparet, inquam, quam dispar fuerit Hieronymi diligentia, quam dispar ingenium et studium in rebus sacris, illi quod nunc ostentant Critici hujus temporis. Sed cum hoc dixero, invidiæ statim me insimulant, aut amarulenti Scriptoris famam inurunt imperiti, quasi vitium cum persona mutetur; et quod Clerico impune liceat contra Hieronymum, mihi pro Hieronymo non liceat adversus Clericum, novorum sensuum et dogmatum assertorem. Huic accusationi, si quando evenerit, nihil habeo quod opponam in hac Apologia, præter verba sancti Doctoris, cujus gratia eam suscepi : *Veritas*, inquit, *amara est, rugosæ frontis ac tristis, offenditque correctos.... Veritas in nobis sit et sinceritas, et amaritudo illico consequetur*. Ita ille lib. I adversus Pelagianos.

Inde sunt notæ et assumenta mea contumeliosa et parum docta, quibus contaminavi scripta *Hieronymi;* inde acerbitas nimia, quam conqueritur Clericus cum suis imperitis. At cum tanta sit apud correctos veritatis amaritudo, quanta nobis erit in mendaciis et contumeliis Joannis Clerici? Felle profecto amarior mihi semper fuit falsitas, et omni acerbitate intolerabilior. Hæc tamen in Critico nostro sæpius dominatur; nec alium scio Scriptorem qui tot ac tantis gaudeat mendaciis. *Cœpi*, inquit, *expendere quid novi hæc editio ferret, animadvertique hominem minime versasse, quid ferre recusarent, quidve valerent humeri.*

At quomodo dicis te expendisse editionem meam, qui prœmium tomo I præfixum necdum legisti? Aut si expendendo legisti, quare dissimulas versasse me, quid ferre recusarent, quidve valerent humeri? Attentius igitur expende ac perpende verba isthæc prœmii mei : *Nobis vero S. Hieronymi divinam Bibliothecam, antehac ineditam, utilitati publicæ procurandam suscipientibus, tot tantaque incumbunt maximarum rerum momenta, ut magnitudo operis imposiii non solum cervices premat, sed ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. Quis enim non pertimescat*, etc. Vide nunc quanta sint mendacia in ipso limine Quæstionum tuarum Hieronymianarum, cum manifestum sit versasse me quid ferre possent humeri; te autem neque id animadvertisse, neque expendisse, quamvis idipsum Lectori mendax ingerere non pertimescas.

Sed jam non equidem de te, verum de prudente et æquo lectore quid dixerim, animadverte : *Sed magna nos spes ista tenet apud æquum lectorem; veniam scilicet nobis facilius indulgendam, sicubi in rebus sponte sua obscurioribus, et a nemine adhuc tentatis, illius desiderio non usquequaque satisfecimus : vel certe si nonnihil aliquando scribentibus exciderit, quod oculatiores diligentioresque haud effugisset. Hac exspectatione in primis provocati quædam emittimus* A *Prolegomena*, etc. Hæc et similia præfatus in causa æquum et bonum habebam, ut peccatis meis indulgeres, si aliquid æqui bonive a Joanne Clerico impetrare potuissem. Nulla sane apud imperitum spes me tenebat impetrandi veniam, quia jamdiu audiveram te nimis iracundum in reprehensores, et in omnem adversarium sævire.

Pergamus tandem, ut ex posteriore proœmii nostri sermone doceamus, objurgatorem editionis novæ mendacem esse ac imperitum : expendens enim *quid novi* ferret hæc editio, præter temeritatem meam et indocta assumenta, nihil notatu dignum invenit, de quo universam litteratorum hominum rempublicam ordinemque Benedictinorum admonere voluerit. At prius est nostrum proœmium admonitione Joan. Clerici, quia prius antidotum, postea venenum : novi namque quid ferat editio nostra, generatim his verbis commonemus tam litterariam rempublicam, quam ordinem Benedictinorum : *Hac exspectatione in primis provocati quædam emittimus Prolegomena in elucidationem divinæ hujus S. Hieronymi Bibliothecæ, quæ ante nostram ætatem clausa et ignorata bene multa patefaciet; scriptorum ac librorum errores ab animis removebit; sacrisque Voluminibus in Latinum, cum e Græco, tum ex Hebræo conversis ab Eusebio Hieronymo, Ecclesiam Christi ditabit.* Dona hujusmodi pro nihilo ducit Clericus noster, B quia nihil aliud habet quod agitet in mente, præter temeritatem meam, et acerbitatem in eum effusam. Verum inter multa maledicta quæ in me passim emisit, veritate tandem superatus, isthæc scribere compulsus est Quæstione 9, pag. 291. « Non possum non laudare consilium *Martianæi* de edendis *Hieronymi* versionibus, quemadmodum exstant in antiquissimis libris sine mutationibus, quæ postea in iis factæ sunt, eoque ordine, quo inveniuntur iisdem in libris, non omissis antiquis distinctionibus, quæ in iis cernuntur. Videmur enim nobis videre eas versiones, quales e manu *Hieronymi* prodierunt, aut certe quam minime fieri potuit, immutatas. » Habemus hic confitentem reum, quem peragere necesse est, ut exsulet tandem e republica sacra litteraria, et suis etiam sordeat cum imperito libro Quæstionum Hieronymianarum.

### § UNICUS. *De imperitia singulari I quæstionis Joannis Clerici.*

Totam I quæstionem Hieronymianam absolvit Joan. Clericus in meæ eruditionis vituperatione, ut probet peritiam linguæ Latinæ, Græcæ et Hebraicæ defuisse *Martianæo* ad feliciter edendum *Hieronymum*. Quam longe vero aberraverit a proposito suo, sequentes responsiones docebunt : neque enim quod volebat argumentis comprobare potuit, C sed imparem sese ostendit ad judicium ferendum de nova nostra editione, aptissimum autem ad prodendam propriam acerbitatem ac imperitiam; cum recte factis pro gratiarum actionibus convicia reponat, et quæ Latine, Græce, atque Hebraice veritati congruenter a me explicata leguntur, eadem ipse traducat imperite in mei contemptum.

Primam itaque quæstionem proponit in hujusmodi inscriptione et epigraphe : *Quid postuletur in eo, qui Hieronymum edere atque illustrare aggrediatur?* Cui consequenter subjungit : « Ut quæstioni huic satisfaciamus, ante omnia duplex auxilii distinguendum est genus; quo instructum eum esse oportet, qui *Hieronymum* edere atque illustrare cum laude velit. Prius liceat externum vocare, quod situm sit in copia manuscriptorum codicum, cum quibus editiones antiquiores comparentur, atque expendantur. Hoc se pulcherrime instructum fuisse dictitat passim *Joannes Martianæus*, qui cœpit edere Lutetiæ Opera Hieronymi, quorum primum volumen publicam lucem vidit anno 1693. Qua in re, fidem ei derogare nolim. Verum de eo auxilii genere hic agere non constitui, cum non possim Bibliothecas visere, in quibus manuscripti illi codices *Hieronymi* asservantur. Posterius auxilium internum dici queat, atque ad sex potissimum capita revocari; quorum primum est, ut non tam *Hieronymi*, quam veri amans D sit ejus operum editor; secundum, ut sat eruditus Latine sit, satisque exercitatus in lectione veterum, ut eum scriptorem probe intelligere possit; tertium, ut sit Græce doctus, ita ut facile assequatur Græca admista operibus *Hieronymi*, et quæ ex ea lingua transtulit cum Græcis exemplaribus, si necesse sit, contendat : quartum, ut Hebraicam linguam teneat, sine cujus cognitione judicium nullum ferre potest de iis, quæ de eadem lingua passim habet *Hieronymus* : quintum, ut ejus translationem, et Septuagintaviralem, Græcarumque aliarum recentiorum Fragmenta, cum Hebraico codice non oscitanter contulerit : sextum denique, ut tractandis manuscriptis sit assuetus, exercendisque omnibus periti critici muneribus longo usu tritus. Si sex hisce dotibus instructus sit editor *Hieronymi* Benedictinus monachus, iisque, ut par est, utatur, erit cur ei omnes, qui eum Scriptorem posthac legent,

gratias habeant atque agant, quod ei recudendo operam dare voluerit. At si ei desint, ne universus quidem ordo Benedictinorum, quamquam in eo sunt nunc multi docti viri, impedire poterit quominus eruditi dicant dolendum tot manuscriptos codices esse in manibus hominis, qui iis recte uti nesciat, ac male facere ordinis præfectos, qui curam edendi *Hieronymi* non transferant ad alium peritiorem. »

De sex hisce dotibus pernecessariis editori operum S. Hieronymi, Clerico assentiuntur ad unum omnes. Sed iis criticus editionis novæ debet esse instructus æque ac editor ipse : et si hujusmodi auxilia in objurgatore nostro desiderari possunt, planum erit atque manifestum omnibus studiosis, non *Martianæum* editorem, sed *Clericum* imperitissimum fuisse criticum editionis ejus. Hæc non longam desiderant orationem, cum in singulis capitibus nonnulla sufficiant nobis rerum exempla.

I. Implicatus adeo est ac rudis Clericus in exercendo munere periti critici, ut ignoret in re præsenti quodnam sit auxilium externum, quodnam autem internum et insitum. Vocat enim auxilium externum, quod vocare debuerat in editione operum S. Hieronymi, præcipuum et internum, copiam videlicet manuscriptorum codicum, quos editor peritus comparare debet atque conferre cum libris editis, seu antiquioribus editionibus. Nam quis nesciat ad restitutionem librorum et instrumentorum antiquorum, auxilium præcipuum et quasi interius petendum esse ab auctoritate ac fide vetustiorum manuscriptorum codicum : peritiam vero editoris adjumentum esse requisitum quidem, sed tamquam externum minusque præcipuum? Quod hac ratione velim persuasum Clerico nostro; veram nempe procurari posse sæpius librorum veterum restitutionem ex sola manuscriptorum codicum contentione cum editis libris; quam indubitabilem, absque tali primo auxilio, totus criticorum chorus procudere non posset, nec consequi conjectura. Discat proinde ab editore *Hieronymi* criticus Clericus, quodnam sit vel internum, vel externum auxilium ad restitutionem pervetustissimi Scriptoris.

II. « Vitium est solemne eorum (inquit Criticus) qui antiquos scriptores edere aggrediuntur, mirum in modum scriptores quos edunt extollere, ut eadem opera persuadeant lectori se utilissimum laborem subiisse, ac esse cur sibi propterea gratiæ agantur. » Fatetur postea, non modo homines e trivio, sed et virum summum *Des. Erasmum* præivisse monacho Benedictino, atque immodicas laudes in *Hieronymum* contulisse.

Si vitium est solemne apud editores non amantes veri rectique extollere quos edunt, scriptores, certe vitium est solemnius apud æmulos et calumniatores detrahere de laudibus scriptorum quorum sapientiæ fama nequaquam eos delectat. Verum errans est ac vaga disputatio isthæc Clerici, quem alibi docui immodica convicia contulisse in *Hieronymum;* me vero nec pares adhuc ejus virtutibus laudes addidisse. Sed ad capita singularia redeamus, et audiamus quid de Martianæo loquatur Joannes Clericus.

« Secundam dotem, inquit, editoris operum *Hieronymi*, si quis quærat in *Martianæi* stylo, hoc est, peritiam linguæ Latinæ, facile animadvertet bonum virum parum versatum esse in veterum scriptorum lectione; cum ejus oratio, barbarismis scatens, nullum plane melioris sermonis Latini gustum homini inesse ostendat. Ne *Hieronymum* quidem ipsum imitatur, nisi in iis quæ vitanda potius sunt : quemadmodum facere solent discipuli, qui vitia præceptorum, potius quam virtutes, imitantur. Hæc adeo manifesta sunt, ut *Prolegomena, Commentarios* ac *Notas Martianæi* obiter legentibus illico sese ingerant omnibus, qui non sunt linguæ Latinæ prorsus imperiti. At forte dixerit aliquis, in hujusmodi scriptis minime postulari sermonis elegantiam, aut puritatem ad normam ævi Augusti exactam. Quod nec ipse diffiteor, at postulari tamen barbariem, aut gratam esse nemo dixerit, præsertim ubi ea non aguntur, quæ nonnisi verbis ecclesiasticis exprimi queant..... Nec dicas bonum virum stylum elegantiorem esse aspernatum, nec quicquam præter perspicuitatem sectatum; lecta enim quavis pagella, intelliges hominem omni ope niti ut, si non *Ciceronem*, at certe *Hieronymum* imitetur, sed frustra. Legis tantum *Breviarii* stylum, locutionibus Hieronymianis vi in orationem intrusis, subinde incrustatum; sed ita tamen, ut in eo ædificio multo plus sit luti, quam marmoris. Deinde infelicem Criticum passim animadvertis, quod est Latini sermonis non satis intellectui necessarium consectarium. »

Totum disputationis criticæ caput absque ulla argumentatione aut exemplis absolvere, non est periti critici; sed garruli et inepti conviciatoris : generalis enim ac vaga disputatio de mea imperitia linguæ Latinæ, urbanus est malevolorum sermunculus; non demonstratio sermonis barbari aut *Breviarii* styli. Potuissem ergo jure meo uti, et animi perduellis criminationem magna solum voce, nec alia re probabilem prorsus contemnere : sed reddamus Clericum inter imperitos linguæ Latinæ; et orationem ejus scatentem barbarismis aliquot notemus exemplis.

Ridet nos quæst. 10, pag. 350 et 351, insulsus Criticus, et in Latinitatem meam his verbis insultare voluit : « Quis non incipiat bene velle eximio illi Scholiastæ, qui ejusmodi hominibus os occludit? nam *linguam* quidem *occludere* quid sit nescio, nisi forte Benedictinus noster, cum loquitur, soleat linguam ore emittere, quam retrahat claudatque intra labia, cum taceat. Sed misso joco, qui Tragœdiæ non convenit, audiamus reliqua : »

Scurrilis ille lepos militis nostri gloriosi magnam præ se fert imperitiam linguæ Latinæ. Nescit quid sit *occludere linguam;* et dum tragœdias agit in nugis, profitetur se non legisse Plautum, cujus hæc sunt verba in Milite Glorioso, act. tert., 10 :

> Quippe si rescivere inimici consilium tuum, tibi,
> Tuopte consilio occludunt linguam, et constringunt [manus,
> Atque eadem quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.

Hic est sermo meus barbarismis scatens, hic stylus Breviarii mei Plautini, o Clerice, qui jocularium in malum penitus incidisti, dum occasionem præbes notandi in perpetuum imperitiam tuam, ac Latinitatis meæ exultam diligentiam; nam si Musæ Latine loquerentur, Plautino sermone loquerentur. Ergo, velis, nolis, constat nunc *Martianæum*, tuum bonum virum, magis esse versatum in veterum Scriptorum lectione, quam sit Clericus ejusdem *Martianæi* hostis ac Criticus calumniator.

Aliud imperitiæ suæ subministrat argumentum ejusdem quæstionis 10 pagina 380, dum ait : « Cap. XI, 28, Numerorum, ita Latinus Interpres, narrato afflatu Eldadi et Medadi, inducit Josuam loquentem : *Domine mi, Moyses, prohibe eos.* Scholiastes Anonymus habet ad marginem : *h. Reclude eos.* De qua annotatiuncula ita Martianæus : *Hebraice* כאלם chelaem, *quod Chaldæus vertit*, esarinun, etc. *Nihil igitur obstat, quin Scholion illud vere sit Hieronymianum.* Sola vox *recludere*, sensu claudendi, debuit docere Monachum nostrum Scholion non esse *Hieronymi*, qui non ita barbare loquebatur, noveratque *recludere* purius loquentibus esse *aperire*. Attamen in versione Scripturæ ea voce sic usus est, quia barbariem vetustioris versionis ubique non emendavit. Sed in scholio ita non esset locutus, præsertim cum כלא frequentius significet *prohibere*, quam *claudere.* »

Dixi aliud subministrari nobis in hoc capitulo argumentum imperitiæ Clericanæ; sed intelligo argumentum genera multa imperitiæ et indicia complexum : etenim imperitia singularis est in qualibet periodo hujusce difficultatis. 1° Manifesta est ex eo quod ait, solam vocem *recludere*, sensu claudendi, debuisse monachum suum docere, Scholion non esse *Hieronymi :* quia verbum illud *recludere*, sensu claudendi, vere est Hieronymianum et ipsi maxime proprium. 2° Probari potest de vetustioris Latinæ versionis exemplaribus, aliisque translationibus. 3° Evidentissime demonstrat nullum esse in critico nostro judicium, dum asserit *Hieronymus* purius locuturum in scholio quodam et annotatiuncula, quam in divinarum Scripturarum translatione Latina. Tria hæc mendaciorum et imperitiæ genera, rebus ipsis manifesta nunc facio.

Apud Hieronymum usurpatam esse vocem *recludere*, sensu claudendi, non solum in translatione Scripturæ, sed in præfationibus suis et Commentariis, consequentia probant testimonia. Præfatione in Danielis prophetæ versionem ex Hebræo, hæc habet Hieronymus : *Denique et ego adolescentulus, post Quintiliani et Tullii lectionem et flores rhetoricos, cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, et multo sudore*, etc. Commentariorum libro VI, in cap. XXIX Jeremiæ : *Cujus officium est discernendi inter prophetas, qui Spiritu sancto loquantur, qui contrario : et recludi jubeatur in carcerem, ut mendacii sui pœnas luat; et populum ultra supplantare desistat.* Et iterum post pauca : *Cur ausus sit propheta scribere veritatem, et cupit eum recludi carcere, ne loquatur.* Deinde in cap. XXXII : *Quod nequaquam eum in carcere, sed in vestibulo recludi jusserit carceris.* Libro quoque I Commentariorum in Abacuc prophetæ caput I : *Et gentes multæ lassatæ sunt eo tempore quo Vespasiani et Titi circumdata est exercitibus, et ad diem solemnem Paschæ venientes, urbe quasi carcere sunt reclusi : et fame et penuria defecerunt.* Videat nunc Clericus noster, an vox *recludere* docere me debuerit scholion supra positum non esse *Hieronymi;* et si in re litteraria potest erubescere, pudeat ipsum propriæ imperitiæ, quod rudis adeo fuerit in veterum scriptorum lectione, ut nescierit verbum *recludere* usurpatum etiam esse apud Justinum lib. I :

*Orthanes*, inquit, *per internuntios quærit a filia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. At illa nec se scire, nec ex alia posse cognoscere, quia singulæ separatim recludantur.*

Secundum imperitiæ magnum et imprudens mendacium existit in verbis Clerici affirmantis Hieronymum in sua versione Scripturæ usurpasse vocem *recludere*, sensu claudendi, quia barbariem vetustioris versionis ubique non emendavit. Sed quomodo audet affirmare Criticus noster barbariem illi præjudicatam vocis, *recludere*, non emendatam remansisse in antiqua Latina versione, ex altera vetustiori translatione, cum nullum exemplar hujusmodi vetustioris versionis nec penes se habuerit, nec uspiam videre potuerit et considerare? Parum est quod dixi; adeo mendax, adeo imperitus fuit, ut locutiones Hieronymianæ versionis ex Hebræo non contenderit neque compararit cum vetustiori Latina e LXX Interpretibus prognata.

Quisquis enim unicum libri Levitici decimum tertium perlegerit capitulum (quæ res non est operosa, nec hominis perdiligentis), persuasum ipsi erit illico vocem *recludere* non esse Interpretis Anonymi Latini et vetustioris, sed S. Hieronymi vertentis ex Hebræo. Ubi enim versio nostra retinet verbum *recludet:* ibidem LXX translatio retinet vocem Græcam ἀφοριεῖ, id est, *segregabit.* Sic versu 4 mox recitati capituli, et consequenter versu 5, 11, 21, 26, 31, 50 et 54. Vocem itaque Græcam ἀφοριεῖ cum nequeat Latine reddi *recludet*, etiam apud imperitissimos hominum clericos, consectarium est numquam lectam fuisse in vetustiori versione Latina e Græcis verbis expressa, et ab Hieronymo emendata, si ita placet imperitis.

Deinde multi interpretes Latini utuntur cum Hieronymo voce *recludere*, sensu claudendi. Ita Pagninus et Arias Montanus, Latinus interpres Chaldæus, et nonnumquam Syrus quoque Latinus. Quos omnes si voluerit Clericus Latinæ linguæ imperitos dicere, non mirum mihi fuerit, quod Scholiasten Canonis Hebræi putidum et barbarum sæpius appellarit. Hæc interim de voce *recludere* barbara apud Clericum, usitata tamen et usurpata apud Justinum historiographum, Hieronymum et alios Interpretes pure loquentes.

Tertium imperitiæ ejusdem conviciatoris argumentum sumimus ab ultima parte præcedentis difficultatis, ubi docere nos gestit, Hieronymum in versione quidem sua usum fuisse voce *recludere*, qua non uteretur tamen in aliquo scholio, seu annotatiuncula marginali. Ex quo intelligimus quantum sit et exquisitum judicium critici nostri, qui desideret eloquentiam Latini sermonis in scholiis marginalibus, in opere autem versionis perfecto eamdem eloquentiam non requirat. Quod quam sit absonum a consuetudine virorum doctorum, et abhorreat ab officio Interpretis optimi, Hieronymus ipse docere poterat Clericum, si ejus opuscula attentius legisset.

Audiant igitur studiosi omnes, non criticum nullius judicii, sed sanctum doctorem hunc in modum præcepta tradentem Latinæ versionis, epist. ad Sunn. et Fretell. *In eodem*, inquit, *in* Valle Lacrymarum. *Pro quo dicitis in Græco scriptum esse* κλαυθμῶνος, *id est*, ploralionis. *Sed sive ploratum, sive planctum, sive fletum, sive lacrymas dixerimus, unus est sensus. Et nos hoc sequimur, ut ubi nulla est de sensu mutatio, Latini sermonis elegantiam conservemus.* Et infra in eadem epistola. *Eadem igitur interpretandi sequenda est regula, quam sæpe diximus, ut ubi non sit damnum in sensu, linguæ in quam transferimus* τὸφωνὸν *et proprietas conservetur.* Si ei præcepto paruisset Clericus noster criticus, non absurde peccasset et puerililer, monens Hieronymum barbarismis scatere in versione Scripturæ; in scholiis autem et annotationibus, Latini sermonis elegantiam conservasse.

Frigidum alterum adversus Latinitatem meam procudit argumentum, quod ego præpostero ordine hic replico, cum scriptum legatur pag. 379 et 380 ante præcedens jam confutatum: sed barbarismos styli mei malui diluere, antequam tricarum Grammaticalium disceptationibus implicarer. Objicit itaque Clericus monitum Cassiodori de Orthographia Antiquorum libros describentium, et monita monitis copulat effuse in nos exsultans his verbis: « Si ei præcepto paruisset monachus noster Benedictinus, aut pütidus ille scholiastes, quem quasi Hieronymum nobis obtrudere initio conatus est, uterque non peccasset puerililer ad cap. VI, 8, Numerorum. Scripserat Hieronymus: *Omnis dies separationis suæ sanctus erit Domino.* Scholiastes quidem barbarus, qui nescivit *omnis* esse accusativi casus, æque ac *dies*, ad marginem notavit, esse in Hebræo *omnibus diebus*, quasi aliud significaretur vocibus *omnis dies!* Politissimus vero monachus simile eruditionis suæ specimen hic edit, cum in ima pagina hæc habeat; *Manuscripti libri hunc versiculum duobus vel tribus modis legunt. Plures sic habent.* Omnes dies separationis suæ, etc. *Alii vero*: Omnis dies separationis, etc. *Regius denique legit cum vulgata Latina*: Omnibus diebus separationis, etc. *Variantes autem hujusmodi lectiones complectitur Canon Hebraicæ veritatis.* Quasi vero essent hæ variæ lectiones, cum ultima sit mera depravatio, secunda vero et prima prorsus eadem. Adeat hac de re Editor Hieronymi virum, quo a multis annis Romana purpura doctiorem non induit, *Henricum* intelligo *Norisium*, Dissert. 4, ad Cenotaphia Pisana, cap. 3, unde discet accusativos plurales tertiæ declinationis, quorum genitivus pluralis in ium desinit, promiscue terminatos in es, eis et is. »

Scriptoris effuse petulantis verba sunt isthæc, in quibus multa imperitiæ suæ specimina nobis edidit. Putidos nos et barbaros habet, quia variantes lectiones, quæ vere variæ sunt ac diversæ in versiculo octavo capitis sexti Numerorum annotavimus. Sed ut ordine suo decurrat nostra confutatio ad fidem librorum, meminerit lector studiosus annotationum mearum in divinam Bibliothecam sancti Hieronymi, hujus maxime cap. I Josue, 14: *Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu*, etc. Monebam enim ante annos plurimos prudentem et curiosum lectorem, de varietate hujusmodi lectionis, et dicebam: *Septuaginta legunt in singulari*, omnis fortis manu: *quod Canon Hebraicæ veritatis; ms. Bibliorum codex Regius, et unus Corbeiensis, imitantur: etsi in mss.* omnis, *et* fortis, *facile scribi potuit, pro* omnes *et* fortes, *quia Veteres* I *pro* E *scribebant sæpius.*

Id a me scriptum legebatur septem annis ante editum librum QQ. Hieronym. Unde isthæc commemoratio quasi exprobatio est Clerici immemoris beneficii. Docueram enim eum et variantes Scripturæ lectiones et Orthographiam Antiquorum, quam ego non ex monito Cassiodori, sed e quotidiana lectione et usu perpetuo mss. codicum vetustissimorum apprime fueram edoctus. Imperite igitur et pueriliter adire nos jubet magistrum purpuratum Grammaticæ, cum ante monitum ejus magistri in hac parte fuerimus omnium sapientium et insipientium.

De varietate autem lectionis versiculi Numerorum quid dicam? Condoctior sum quam noster in republica litteraria comicus, qui concentum ignorat omnium editorum Scripturæ sacræ. Adeat igitur hac de re criticus Clericus *Biblia Polyglotta* Briani Waltoni; adeat Thomæ James *Bellum Papale*, unde discet *omnes dies, omnis dies, omnibus diebus*, varias esse lectiones; et quidem majoris momenti, quam sint permultæ a docto Waltonio collectæ de manuscripto Alexandrino codice. Neque vero necesse est, ut varia sit aliqua lectio, sensum variari semper; modo diversis verbis fuerit concepta et explicata. Sic in Polyglottis ad versum 14 capituli I Gen. notatur hæc varia lectio Græca, εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς; et in ms. Alex., εἰς φαῦσιν τῆς γῆς, *ad illuminationem super terram*; et, *ad illuminationem terræ.* Capite quoque tertio, v. 9, ἐν μέσῳ τοῦ παράδεισου; ms. Alex., ἐν μέσῳ τῷ παραδείσῳ, id est, *in medio paradisi*; et *in medio paradiso.* Vociferetur nunc Clericus putidum esse scholiasten et Criticum infelicem, qui hujusmodi lectiones varias annotavit in Græcis; aut si aliquando resipiscere voluerit, veniam precetur insignis temeritatis, propriæ imperitiæ, et insitæ cupiditatis carpendi cæteros omnes scriptores.

At quis non miretur æstum critici nostri affirmantis, *Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino*, meram esse depravationem versiculi 7 cap. VI libri Numerorum? Nusquam tuta fuit in Joanne Clerico fides; sed nunc fidei perfidum se probat omnibus; cum audeat nimia confidentia asserere lectionem omnium purissimam et integerrimam, meram esse depravationem. Consulat itaque lector prudens ac religiosus hunc Scripturæ versiculum in libris authenticis, et mirabilem inveniet concentum in contextu sacro, et in cunctis sacris Interpretibus. Hebræus enim legit hoc modo: *Omnibus diebus Nazaræatus sui sanctus ipse Domino.* LXX Interpretes: *Omnibus diebus voti sui sanctus erit Domino.* Chaldæus: *Cunctis diebus quibus fuerit Nazaræus*, etc. Textus et versio Samaritanorum: *Omnibus diebus Nazaræatus sui*, etc. Syrus interpres: *Omnibus diebus abstinentiæ suæ sanctus est Domino*; similiter et Arabs. Vulgata denique cum cæteris, *Omnibus diebus separationis suæ*, etc. Hunc Scripturæ et interpretum omnium concentum vocat Joann. Clericus *meram depravationem.* Judicium ergo hujus rei penes sit oculos virorum doctorum et Christianorum.

Jam si talione vellem remordere Latinitatem Joannis Clerici, quantam hujus linguæ imperitiam ex ejus opusculis merito redigerem? Sed quas partes mihi sumpsissem, eas præoccupavit responsio Critica Scriptoris eruditi, qui multam segetem barbarismorum et solœcismorum, id est, peccata et vitia critici nostri collegit de pulvere Harmoniæ ejusdem Evangelicæ. Ad Patrem igitur *Lepineul* ire jubeo *Joan. Clericum*, ut sermonis Latini gustum hauriat potius ab optimo Grammatico, quam stylum barbariei plenum

more solito consectetur, veniamque petens in præteritum, unum illud præcipue roget : num pure loquenti excidere possit hæc Latina phrasis, *Legis tantum Breviarii stylum?* ex qua locutione laudem sibi parere, *Martianæo* autem imperitiæ famam inurere voluit.

III. Postquam Latinitatis meæ diligentiam expugnare tentavit criticus imperitus, Græcanicam similiter peritiam, qualiscumque sit in me, nullam esse sibi persuasit, cunctisque suadere conatur consequenti verborum serie : « Tertium, in edendo *Hieronymo*, subsidium petendum ex Græca lingua, ex qua multa passim aspersit, et multa etiam transtulit. Hæc vero neque satis intelligi possunt, neque virgula censoria ubi opus est notari, nisi ab homine ita ejus linguæ perito, ut subinde Lexici auxilio non indigeat. Quam linguæ peritiam minime profecto assecuti ii videntur, qui verterunt ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσι, *coram palmis ramos palmæ trahunt*, ut obiter monuimus Artis Criticæ, part. III, sect. 1, cap. 13, n. 25. Sed et alia multa posthac clariora rei indicia in lucem proferemus.

« Ipse quidem *Hieronymus*, ut demonstrabimus, ubi ad eam quæstionem deventum fuerit, Græcæ linguæ peritus non fuit; at ejus lapsus deprehendi nequeunt, nisi a peritiore; quod tamen ab ejus Interprete fieri necesse est, et interdum in apertioribus nonnullis peccatis, ne quid dissimulem, factum est a *Martianæo*, sed multo frequentius factum oportuit.

« Ex peritia autem cum Latinæ, tum Græcæ linguæ lectioneque optimorum Scriptorum, quas postulari contendimus ab editore ac illustratore *Hieronymi*, constat eruditio illa philologica, quam *Erasmus* ei prorsus necessariam esse judicavit. Quare merito existimavit sibi excusandum esse, quod ab humanioribus litteris nondum satis paratus primum aggressus esset Hieronymianas epistolas illustrare... Hæc diligenter *Martianæo* expendenda fuerunt; quamvis enim studio *Erasmi*, ne de *Mariano Victorio* loquar expurgatum acceperit *Hieronymum* innumeris vitiis, quoniam tamen utriusque laborem ad priscos codices exigere aggressus est, et de utroque judex sedere, non multo minus eruditione critica instructum prius esse eum oportuit, quam *Erasmum*. Quod, ut opinor, perpauci sibi persuadebunt, qui præfationes, commentarios et notas hominis legerint. »

Nullum hoc loco exemplum imperitiæ meæ objicit Clericus, præter verba Græca ἀντὶ φοινίκων, etc., quæ satis docte interpretata ei nequaquam videntur. De qua iterum indocta interpretatione monet nos Quæst. 9, pag. 318. « Paulo post, inquit, observat *Martianæus* inserta fuisse verbis Hieronymi hæc Græca, ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσι, quæ perabsurde vertit, *coram palmis ramos palmæ trahunt*, cum debuerint verti *pro dactylis ramos palmæ trahentibus*, ut ostendimus dudum *Artis Criticæ* part. III, sect. 1, cap. 13. »

Scire vix potuissem, quæ sit illa *Ars Critica* acerbi Recitatoris Clerici, nisi Parisinum Litteratorum *Diarium* ante paucos menses perlegissem, et in eo dissertationem Domini *Carel*, qui verba Græca mss. nostrorum tertius restituere conatur; sed conjecturis suis tantummodo, non veterum librorum fide auctoritateque. De versione igitur perabsurda Græcorum verborum in Arte Critica Clerici, hæc habet D. *Carel* in Diario Gallico : « On convient avec « M. le Clerc, que le mot grec φοινὶξ signifie également le « *palmier* et les *dattes* qui en sont le fruit ; mais il n'en est « pas de même du verbe σύρειν, qui ne signifie jamais *vellere* ou « *decerpere*, comme M. le Clerc le traduit, mais toujours « *trahere*. De plus, la suite du discours de S. Jérôme ne « permet pas de donner à ces paroles le sens que M. le « Clerc leur donne. S. Jérôme veut détourner son ami « Sophronius de traduire en Grec, et pour les Grecs, la « version latine des Psaumes qu'il venait de faire sur l'Hé- « breu, parce que ce serait faire une chose inutile; ce « serait porter du bois à la forêt, *in silvam ligna ferre;* « ce serait donner une version grecque aux Grecs qui en « avaient déjà plusieurs autres qu'ils estimaient avec rai- « son : en un mot, ce serait, dit S. Jérôme, faire connaître « mon ignorance aux savants de cette nation, en leur don- « nant moyen de comparer ma version avec celles qu'ils « ont déjà, *Et doctissimos quoque viros testes imperitiæ meæ « facere volueris.* S. Jérôme ne peut donc pas en cet « endroit, comparer sa version aux fruits, et celles des « Grecs à des branches stériles; ce serait dire tout le con- « traire de ce qu'il prétend, et tomber dans une contra- « diction manifeste. »

Ita de Arte Critica Joannis Clerici si ego scripsissem, non illico assensum verbis meis præbuissent eruditi omnes, saltem æmuli mei : verum quis fidem non habebit viro erudito, qui verba Græca et verborum Clericanam versionem inspexit ac expendit? Liquet itaque ex ejus observatione, Joan. Clericum imperitum esse linguæ Græcæ, cum verbum σύρειν sit interpretatus *vellere* et *decerpere*. Deinde exploratum nobis est atque manifestum ex eadem observatione Domini *Carel*, tantam esse in Clerico mentis cæcitatem, ut non modo absurde interpretetur verba inserta Hieronymianis; sed ipsum etiam Hieronymum absurdissimum faciat ac parum sibi constantem virum.

Nunc veniamus ad objectationem critici nostri, qui propriæ imperitiæ ac stultitiæ famam mihi inurere voluit in eorumdem verborum Græcorum interpretatione. Sed hujus rei judicium habendum est ex meæ annotationis verbis, non ab imperito scriptore qui simultatem exercet. Hic igitur est contextus præfationis Hieronymi ad Sophronium suum, tom. I, col. 837 et 838 :

QUOD OPUSCULUM MEUM, SI IN GRÆCUM (UT POLLICERIS) TRANSTULERIS, ET IMPERITIÆ MEÆ DOCTISSIMOS QUOQUE TESTES FACERE VOLUERIS, DICAM TIBI ILLUD HORATIANUM : IN SILVAM NE LIGNA FERAS, etc.

*Annotatio nostra.*

« Addunt hoc loco vetustiora exemplaria quasdam Græcas voces e quibus nullum sensum elicere potui : ΑΝΤΙΦΑΟΝΙΚΩΝ ΤΟΒΑΙΑ CYPOYCIN : nisi legendum sit, ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσι, id est, *coram palmis ramos palmæ trahunt.* Sensus est, si opusculum meum in Græcum transtuleris, et imperitiæ meæ doctissimos viros testes facere volueris, non secus facies quam illi qui ante arbores ramusculos afferunt; unde merito dicam tibi illud Horatianum : *In silvam ne ligna feras.* Hæc quantumvis sibi cohærere videantur, non mihi multum arrident; tum quod sententia perfecta sit absque his Græcis verbis, tum quia reperiuntur codices mss. in quibus absunt hujusmodi voces : talis est Sorbonicus, talis est Vaticanus num. 344. Denique nec Erasmus, nec Marianus proverbii istius Græci meminere in suis editionibus : nescio an rei difficultate victi, an potius defectu vetustiorum exemplariorum mss. quibus nos abundamus, manifesto satis numine. »

Lectorem æquum et prudentem rogatum velim, ut ad præcepta Artis criticæ perpendat hæc mea verba, videatque an Clericus noster veterum et Recentiorum judex subtilis sit et callidus. Certe confidenter dicam, cunctasque Grammaticorum leges et lexica Græca citabo universa, ad probationem versionis meæ, *coram palmis ramos palmæ trahunt*; ἀντὶ enim Græce sive ἄντα,, Latine est *coram*, *contra*, *e regione*, ἄντα ἰδών, *ob oculos intuitus*, *contra respiciens* : ἀντία δέσποινης φάσθαι, *coram domina alloqui.* Sic igitur ἀντὶ φοινίκων, erit Latine *e regione*, *coram*, *contra*, *ex adverso.* Τὰ βαΐα, *ramos palmarum* significare Evangelium quoque docet. Σύρουσι denique apud Grammaticos omnes tertia persona est pluralis verbi σύρω, *traho*; uti potest esse tertia dativi casus, σύρουσι *trahunt*, et *trahentibus*. Ubi est ergo imperitia linguæ Græcæ quam mihi Clericus objiciebat? Jam si ad sensum attendamus Hieronymiani contextus, quid magis congruit illi Horatiano *In silvam ne ligna feras*, quam istud *coram palmis ne trahas ramusculos* (*a*)? Restat itaque ut Critico nostro respondeam, Ut ut tu es, item censes omnes esse. Gradiens namque stultus in via, omnes alios stultos existimat et imperitos.

Sic quoque pag. 460 coarguit editionem nostram, dicens : « Secunda epistola est ad monachum *Evangelum*, non *Evangelium*; *Evangelius* enim non dicitur, sed *Evangelus*, prout analogia postulat, ut et usus.... Attamen *Martianæus*, pro solita sua sagacitate grammaticæque peritia, inusitatum usitato, analogiæ contrarium ei consentaneo prætulit in hujus epistolæ titulo, cum utrumque legeretur in mss. Qua in re, non minus peccavit, quandoquidem electio ex ejus arbitratu pendebat, quam qui fingunt ipsi nomina Græca contra linguæ analogiam.... In interpretatione vocis φιλεγκλήμων, qua utitur *Hieronymus* initio hujus epistolæ felicior non est; eam enim vertit *amatorem querelarum*, sive *querulum*, *eo quod præbeat occasionem querelarum et controversiæ*, cum ἐγκαλεῖν sit *accusare* et φιλεγκλήμων dicatur *amans accusationem*. Ac sane Hieronymus agens de *periculoso*, ut loquitur, *tractatu* eum, quamquam satis dure (nam vox de homine tantum carpendi nimio studio laborante dicitur) φιλεγκλήμονα vocat, quasi quæstionem, cujus solutio facile in erroris accusationem incurrat. »

In hac quæstione si non vocis et nominis *Clerici* habemus analogiam, ingenii tamen ejus expressam tenemus ab ipso similitudinem et subitam imaginem; est enim suo

(*a*) *Errant, ac se misere tota hac disceptatione discruciant, Martianæus, Clericus, Carelius. Quo pacto restituenda lectio sit, reponentes* ἐναντιλογικῶν τοῖς καταισύρουσιν, *quod est,* detrahentes, *contentione instituta, refellere, suo nos loco ostendemus.*

sensu vere φιλεγκλήμων,, *amans accusationum*; et quidem *falsarum*, ut liquet ex præsenti capitulo. Nam cum debuisset gratias referre novæ editioni propter restitutam vocem genuinam et nomen *Evangelii* sive *Evangeli*, et sublatum nomen *Evagrii* veterum editionum, subito immemor beneficii ad convicia et mei accusationem descendit, quasi prætulerim inusitatum nomen *Evangelius* usitato *Evangelus*. Quam accusationem confutat prolegomenon posterius nostrum in tom. II editionis novæ, ubi hæc scripta leguntur: *Epistolam ad Evangelum, sive Evangelium dedit idem sanctus Doctor*, etc. *Ergo eodem tempore epistolam ad Evangelum scribebat Hieronymus.* In margine quoque hunc habet titulum: *Epistola ad Evangelum.* Denique in ordine chronologico epistolarum II tomi sic eam epistolam inscripsi ad num. 17: *Epistola ad Evangelum, de Melchisedec.* Hoccine est præferre nomen *Evangelius* inusitatum nomini usitato *Evangelus ?* Hic etiam questus est Clericus! queritur equidem φιλεγκλήμων noster, quod nomen suum interpretatus sim *querulum*, sive *amatorem querelarum*; magis illi arridet *amans accusationum* cum propter ingenium proprium, tum propter imperitiam Græci sermonis, quam illi excutere necesse est ex Lexico Scapulæ, pag. 730: Φιλεγκλήμων, *amator querelarum, querulus; item delator, quadruplator.* Liceat mihi cum talibus lexicographis imperite Græcorum verba interpretari: Clericus solus sibi sapiat et peritissimus videatur. Sed de Græcis quæstionibus hactenus, ad Hebraicas veniamus.

IV. « Quartum, necesse est editorem ac Illustratorem *Hieronymi* linguæ Hebraicæ peritum esse; quod duplici labore est comparandum. Prior est situs in accurata cognitione grammaticæ hodiernæ, et rationis qua cum Rabbini, tum recentiores alii interpretes vetus Testamentum explicare solent. Posterior in examine ejusdem linguæ collatæ cum linguis vicinorum Syrorum, Chaldæorum, Arabum, immo etiam remotiorum Æthiopum; ex qua collatione non dubia lux affulget multis Scripturæ sacræ locis.... Sine duplici hoc labore, de translationibus veteribus, adeoque de Hieronymiana judicare satis recte non possumus. Utroque quidem hoc subsidio destitutus fuit *Erasmus*, et de posteriore ne cogitavit quidem, ut nec quisquam ejus æqualium, prius vero aliena opera supplevit, ut ipse in Epistola ad archiepiscopum Cantuariensem candide fatetur: *Græca*, inquit, *quæ vel omissa fuerunt, vel perperam addita, restituimus, quod idem fecimus et in Hebraicis; verum hac sane in parte, quod minus nostro Marte poteramus, aliorum suppetiis præstitimus, præcipue fratrum Amerbachiorum, quorum quidem auxilio libenter sum usus, quod Hebræorum litteras degustassem verius, quam didicissem.* At horum opera factum est, ut omnia temere exigerentur ad rationem legendi Massoretharum, characteribusque Hebraicis scriberentur, quæ Latinis scripserat aliter *Hieronymus*: quasi mendosum esset quidquid a Massorethica lectione dissentiebat. Peccatum hoc recte a *Martianæo* passim notatum et emendatum est, quod æque libenter profiteor, ac ea noto quæ minus recte ab eo facta videntur. Verum Grammaticæ Hebraicæ ea cognitione imbutus est, ut minus accuratis locutionibus Hieronymi, in errores abducatur vix condonandos; ut cum censet voces Hebraicas incipere a vocalibus, ac diphthongis, ex loco Hieronymi perperam intellecto (*ad lib. de Nominibus Hebraicis col.* 40). Idem etiam non semel invehitur (*in Comment. ad eumdem librum*) in eos qui Hebraicis vocibus significatus fuisse censent nunc nobis ignotos; nec proinde damnandos Interpretes veteres, cum aliter verba vertunt quam nunc solemus. Quod tamen usque adeo verum est, atque ita demonstratum a viris doctis, ut ab harum litterarum perito in dubium amplius nequeat revocari. Exempli causa. Pro *Philisthæis* LXX interpretes sæpe habent ἀλλοφύλους, quod legere etiam est in lexico Græco Nominum Hebraicorum. Rationem hujusce translationis cum non intelligerent ii, a quibus translata sunt nomina Hebraica, seu *Hieronymo* antiquiores, seu ipse *Hieronymus*, ad nescio quas alias coactas ac contortas etymologias confugerunt; dum vertunt *cadentes*, *sive ruina poculi*, aut *cadentes potione*, aut *ceciderunt duo*, quasi deducendum esset ex נפל naphal, *cecidit*, et שתה schathah, *bibit*, aut שתים schthajim, *duo*. At nos alibi ostendimus ex Æthiopica lingua petendam versionis rationem. Sed et alia ejus rei exempla postea proferemus. »

Multiplici hic, ut alibi, errore vagatur animus Clerici. 1° Censet cognitionem accuratam Grammaticæ Hebraicæ hodiernæ pernecessariam esse ad restitutionem Hebraicorum verborum, quæ passim admiscet Hieronymus: et paulo post candide fatetur verba Hebraica in Operibus Hieronymi fuisse penitus depravata, quia fratres Amerbachii cum cæteris quorum opera usus est Erasmus, temere exe- A gerant omnia ad rationem legendi Massoretharum, id est, ad accuratam cognitionem grammaticæ Hebraicæ hodiernæ, quæ tota pendet ex punctis vocalibus, mutatione punctorum, et notis criticis eorumdem Massoretharum. Hinc videat studiosus lector, quam fidem habere debeat Critico usque adeo sibi parum constanti, ut evertat propria manu in eadem observatione, quod conatur astruere. 2° Confitetur peccata editionis Erasmianæ a Martianæo *passim* fuisse notata et emendata, cum dicere debuisset *semper et ubique*: nullum est enim verbum Hebraicum in operibus universis S. Hieronymi, quod ego non emendaverim ac restituerim ad fidem quamplurium vetustissimorum codicum manuscriptorum; et licet in hac parte minæ criticorum impenderent, ego succurri tamen et subivi. Mihi itaque gratias ago, quod tantam restitutionem in operibus S. Hieronymi procurare potuerim, in gratiis æmulorum meorum ac multorum imperitorum. 3° Objicit Clericus noster errores minime condonandos, in quos abducor minus accuratis locutionibus Hieronymi, id est, cum censeo voces Hebraicas incipere a vocalibus, ac diphthongis propter locum Hieronymi perperam intellectum col. 40, tom. II. De hoc loco jam supra dictum est, ubi de Hebraica eruditione Hieronymi disputavimus. Sed B miror criticum nostrum adhuc ignorantem æque veterum, ac recentiorum grammaticorum regulas, quibus evidentissime probare possumus multa verba Hebraica incipere a vocalibus. Nam ex veteribus Hebræis grammaticis hæc apud Hieronymum leguntur lib. de Nominibus Hebraicis, ad *Gomorrhæ* nomen: *Sciendum, quod G litteram in Hebraico non habet, sed scribitur per vocalem* ain (*a*). Incipiebat igitur hoc nomen a vocali, non vero a littera consonanti, עמרה, *Omorrha*. De diphthongis non minor est consensus apud Græcos et Hieronymum, in vocibus quatuor, *Hiram*, *Histob*, *Hiras*, et *Hisboseth*, de quibus idem Hieronymus: *Idcirco cum aspiratione hæc nomina posuimus; quia et apud Græcos et apud Hebræos per diphthongum scribuntur.* Recentiores vero Grammatici nonne sæpius scribunt *vav scourec*, id est, vocalem sive diphthongum *u* vel *ou?* Verbi gratia, Gen. 1, 10, ולמקוה *oulmicveh*, et *congregationem aquarum* scilicet, *vocavit maria.* Utque doceam multa Clericum præcepta Grammaticæ hodiernæ, audiat *Thom. Dufour* cap. 2, de Lectione, pag. 14: *Denique legitur* (scheva) *post motionem magnam, excipe* ו *initiale, post quod non legitur, ut* ובנו οὕνο *bissyllabum*, etc. C Est itaque *vav* vocis initiale, *vocalis*, sive *motio* magna, quæ a multis legitur *ou*, quasi sit diphthongus, ab aliis autem ut simplex *u* vocalis. Secundum præcepta ejusdem Grammaticæ, syllabæ finales in vocibus אלה *Eloah*, ישוע *Jeschouah*, משיח *Maschialh*, trisyllabis, incipiunt a vocali *a*, sive a *patahh*, quod Grammatici periti vocant usurpatum, quia illius sonus auditur prius quam litteræ consonantis supra scriptæ. Eodem modo nomen Dei proprium יהוה, quod numquam legi debet ut scribitur, habetque puncta aliena, sæpius in sacro contextu Hebraico legendum est *Elohe*, *Elohim*, et *Adonai*; quamvis imperiti Clerici hic legant *Jehove*, *Jehovi*, *Jehova*. Denique nomina propria hominum, urbium et montium sæpius incipiunt a vocali littera, et hoc modo lecta visuntur, apud LXX intt. et Hieronymum, *Adam*, *Eva*, *Abel*, *Abraam*, *Ada*, *Our*, vel *Ur*, etc., quibus invictissime comprobamus imperitiam Clerici nostri: accuratam vero cognitionem Grammaticæ hodiernæ in *Martianæo* Editore *Hieronymi.* 4° Impudenti mendacio audet scribere Clericus me invectum esse in eos qui Hebraicis vocibus significatus fuisse censent nunc nobis ignotos, citatque Commentarium meum in librum Nominum Hebraicorum. Ad calumniam improbi Scriptoris D hujusmodi confutandam sufficere credo ea describere quæ leguntur tom. II editionis nostræ, col. 311 et 312. Hoc igitur modo scribebam ante quinque vel sex annos.

Multa præter hæc objiciunt Hieronymo hodierni critici hebraizantes et criticorum gregales, quamvis Hebraicæ prorsus rudes ac imperiti. Horum argumenta collegit vir clarissimus Ludovicus Ferrandus, de sacris litteris, et de Hieronymo optime meritus. Is cum suscepisset provinciam tuendæ Hebraicæ eruditionis Hieronymianæ, undique conquisitis argumentis quibus sancti Doct. impugnatur peritia, satisfacere laudabili conatu sibi proposuit, et toto capitulo 3 sectionis 4 Disput. Prolegom. Summæ Biblicæ, militare cœpit adversus eos qui semper aliquid reprehendunt in etymologiis, aut interpretationibus Hieronymi. At nolunt plures in responsis viri laudati famam pendere maximi Scripturarum Interpretis, quia vix acquiescunt mediæ parti responsionum ejus. Quis enim, inquiunt non pauci, æquo animo ferat vagas ac futiles in defensione Hieronymi id genus responsiones, pag. 140 Sum. Biblic.

(*a*) *Improprie dici vocales apud Hebræos* esse *litteras, ad laudata Hieronymi testimonia ostendimus.*

« Cæteræ objectionis sextæ interpretationes defendi, aut excusari facile possunt : ad ignotas confugiendo significationes, aut negligentes scriptores in culpa ponendo; addique fortasse etiam possit lectionis varietas, quæ in causa fuerit, cur Antiqui interpretationes ab usu nostro alienas adduxerint.

« Vocis sonus, qui idem fere est in nominibus Hereb חרב et ערב ; Cades קדש et חדש : Hieronymum altioribus intentum , et forsitan properantem fallere potuit , ut rebus in hujusmodi doctissimi quoque quotidie peccant. »

Certe res confecta est, si nihil aliud afferamus in defensionem Hebraicæ eruditionis Hieronymianæ. Sive enim properando, sive altioribus intendendo falsus fuerit sanctus Doctor, constans erit sententia apud eruditos, Hieronymum sæpius hallucinatum in suis interpretationibus et nominum etymologiis. Deinde nullus est error tam manifestus, nulla depravationis species quæ non possit defendi, modo confugiamus ad illa imperitiæ diverticula, id est, ad ignotas Hebraicorum nominum significationes, aut scriptorum veterum oscitantem inscitiam. Præstat igitur novas potius ac speciales supplere responsiones, quam hisce generalibus assertionibus adhærere quibus nec mediocriter docti satis acquiescere mihi visi sunt.

Hæc sunt, candide lector, quæ de significatibus, sive significationibus vocum Hebraicarum nunc ignotis plena fide scripsi et jam descripsi : tuum est probare sinceritatem meam, et calumniam Clerici devitare, sive hujusmodi gloriosum militem in Republica litteraria exauctorare : Miles enim ille falsusque vindex publicæ libertatis, partim victoriæ fiducia, partim ignominiæ dolore ad omnem audaciam contumeliæ processit in suis Quæstionibus Hebraicis, ascribens nobis propriam imperitiam, ac singularem invidiam, qua in omnes invehitur acerbius. Cæterum, ne quid eum fallat, multos fereque omnes censeo significatus fuisse vocibus Hebraicis ignotos nunc Clerico nostro, qui afflatus levi aura litterarum Græcarum atque Hebraicarum doctissimos quosque veteres Scriptores despicatissimos habet, atque eorumdem Editoribus insidias collocare non desinit.

V. « Quinto loco, inquit, qui Hieronymum edere aggreditur, debet LXX interpretes, et fragmenta aliorum diligenter legisse et cum Hebraico codice comparasse, ut possit de eorum collatione, quam sæpe instituit *Hieronymus*, recte judicare. Ea enim facultas non acquiritur lectione *Breviarii*, aut suppletur subito ad Concordantias ac Lexica perfugio; sed diuturna atque attenta Hebraici codicis, Interpretumque veterum lectione. Hæc cum deesset *Joanni Martianæo*, multos errores propterea admisit, ut postea liquebit, etc. »

Quid nocuerit *Breviarium* Joanni Clerico nullus scio : dolet tamen sæpius, quod ego pensum hoc diligens ac religiosus persolvam. At qua audacia nunc audet affirmare, mihi non adfuisse facultatem diurnæ lectionis Hebraici codicis, interpretumque veterum ? Nulla fere pagina est in tomis tribus operum sancti Hieronymi jam editis, qua non possit os improbum occludi. Certe nisi redoleret gloriolam, totum opusculum tomi II, quod non minimam partem Hexaplorum Origenis complectitur, revocarem in studiosi lectoris memoriam. Neque vero colligere potui, propria manu exscribere et adornare tot Fragmenta codicis Hebræi et veterum interpretum Græcorum, absque attenta et diurna horum omnium lectione. Ergo aut quidem nemo, aut si quisquam, insipiens iste est Clericus sycophanta, qui laborem meum calumniæ ejus contra positum neque vidit, neque intellexit.

Sed ad causam doloris Clerici nostri veniamus, quem una annotatio ita pupugit, ut somnum ei ademerit, et somniantes repræsentaverit *Martianæum* simul et *Bonfrerium*. Imperitiam igitur suam ita tuetur. « Verum *Joannes Clericus* animadvertere non poterat quod somniaturus erat Martianæus, nec אילון *elon* usquam est lectitatum *aulon* a LXX int. non modo in Numeris et Deuteronomio, nusquam אילון, *elon* vertitur a LXX interpretibus αὐλών, sed ne in universo quidem vetere Testamento. Decepit, ut videtur, *Martianæum* minus attenta lectio notarum *Jac. Bonfrerii* ad librum de Locis, ubi conjicit αὐλών *deformatum* esse *ab* אילון; quod ita intellexit noster quasi a LXX interpretibus hoc esset factum, qua in re graviter hallucinatus est. Nam LXX interpretes aut appellative eam vocem sumpserunt, pro nomine arboris, aut verterunt ἵλων, ut Jud. IX, 37, etc. Hæc animadversa esse a *Martianæo* oportuit, antequam me imperitiæ insimularet. Debuisset etiam; ut hoc obiter dicam, emendatius recudere librum de Locis Hebraicis, non lectori menda editionis Bonfrerianæ passim reponere, ut hic fecit, etenim prave habet utriusque editio Αὐλῶν pro Αὐλών, et ἐπίμηκος pro ἐπιμήκης, ut Græcæ linguæ non prorsus imperiti illico intelligent. »

De voce itaque Αὐλών vel Αὐλῶν, et ἐπίμηκος pro ἐπιμήκης nostra animorum hic concertatio est. Ac primum Αὐλῶν esse Hebræum nomen (*a*), non autem Græcum (ut quidam putabant tempore sancti Hieronymi) manifestissime demonstrare possum cum ab ipsis LXX interpretibus, tum ab Eusebio atque Hieronymo. Id enim legimus cap. I, vers. 1, Deuteron. : *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses omni Israel trans Jordanem in deserto ad Occidentem prope Rubrum mare,* ἀναμέσων Φαράν, Τοφὸλ, καὶ Λοβὸν, καὶ Αὐλών, καὶ καταχρύσεα, *inter Pharan, Tophol, et Lobon, et Aulon, et aurifodinas.* Non minus est nomen proprium loci *Aulon* hic positum a LXX interpretibus, quam *Pharan, Tophol,* et *Lobon,* inter quæ loca Moyses sermonem habuit ad omnem populum Israel in deserto. Sicut igitur ille ineptiret, qui *Pharan, Tophol, Laban* et *Haseroth* negaret esse nomina proprie Hebraica, ac nomina propria locorum : ita quoque ineptire dicendus est, qui præfracte negat Hieronymo, *Aulon* pro *Haseroth* positum apud LXX non esse proprium nomen hujus loci, et nomen Hebraicum. Idem probari potest e libro de Locis Hebraicis; nam consilium Eusebii est nomina propria Locorum edisserere : et quidem nomina Hebraica, non autem nomina Græca et appellativa; ex quo consectarium est Αὐλῶν in libro Locorum Hebraicorum cesse proprium nomen et pure Hebraicum. Deinde id ipsum docet Eusebius his verbis : Αὐλών, πεδιὰς μεγάλη ἐπίμηκος εἰς ἔτι καὶ νῦν καλεῖται, etc. *Aulon, vallis grandis extensa usque hodie appellatur,* sive ut Hieronymus vertit, *appellatur autem vallis grandis, atque campestris in immensam longitudinem se extendens : quæ circumdatur ex utraque parte montibus sibi invicem succedentibus et cohærentibus, qui incipientes a Libano et ultra, usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone, id est, in Valle campestri urbes nobiles, Scythopolis, Tiberias, stagnumque propter eam : sed et Jericho,* etc. Ex his proclive est colligere Clericum nostrum asserentem Αὐλῶν esse nomen Græcum et appellativum, simul lectori suadere velle, illud nomen circumdatum esse montibus sibi invicem succedentibus; in eoque nomine urbes nobiles positas esse, quin et regiones per quas medius Jordanis fluit. Quæ cum nisi ab insaniente affirmari possint, restat ut dicamus *Aulon* nomen esse proprium cujusdam loci, ac nomen Hebraicum suo ordine positum et edissertum ab Eusebio in libro de Locis Hebraicis. De Hieronymo satis superque dixi suis locis, id est, tomo II, col. 542, 544 et 545, et deinde col. 394, in notis. Consulat qui voluerit, ego nolo jam actum peragere.

At quid fiet editionibus *Bonfrerii* et *Martianæi*, qui scribunt Αὐλῶν cum circumflexo; et ἐπίμηκος pro ἐπιμήκης? Dicetur Græcæ linguæ non prorsus imperitis recte ita sese res habere; quia Αὐλῶν in antiquis libris scriptum est ad distinctionem nominis proprii Hebræi, et nominis αὐλών Græci appellativi. Deinde frequenter apud Græcos scriptores, nomina quædam adjectiva terminantur in *os* et in *es*, sic ὀμβρηρὸς et ὀμβρήρης,, *pluviosus;* ἐπίμηκος et ἐπιμήκης, *extensus in longum*, etc., quæ cur ignoret Clericus noster criticus, mirari desino; cum ignoret nomen *Aulon* esse nomen proprium apud Hebræos æque atque apud Græcos et Latinos, *Aulon*, fons, vallis et mons Phrygiæ magnæ : *Aulon*, oppidum magnæ Græciæ; *Aulon*, urbs in ora Macedoniæ, etc.

VI. « Sexto loco, inquit idem Clericus, diximus editorem atque interpretem *Hieronymi* oportere esse assuetum tractandis mss. codicibus, sustinendisque omnibus periti critici muneribus; quarum rerum sat clara specimina in Martianæo non videmus, quamvis nihil præter mss. codices loquatur. »

Unicum postea subjicit exemplum, ut probet restitutionem meam præfationis in omnes libros veteris Testamenti, *quæ pretiosissimo fidei myro Domini discumbentis ungitis caput,* esse imperiti et infelicis critici. Vult enim, contra sententiam etiam Erasmi, Hieronymum non allusisse ad mulierem, quæ effudit alabastrum unguenti pretiosi in caput Domini discumbentis; sed ad mulieres quæ myrrham tulerunt ad sepulcrum. Adeo lepida est explanatio sive cantio isthæc critici nostri, ut merito debeat perpetuis monumentis consignari. Totam propterea describo ita positam post annotationem Erasmi : « At si attente verba

(*a*) *Confer quæ hoc de nomine et quæstione ad librum Locorum Scripturæ hanc ipsam ad vocem observamus tom.* III, *col.* 139. *Notandus cum primis locus ille Hieronymi epist.* 73, *ad Evangelum, qui et præposteras criticorum objectiones jugulat, et qua ratione Hebræum esse nomen illud, dixerit S. Pater, planissime docet.* Vallis, *inquit* regis, sive ut LXX transtulerunt, campus quem hodie AULONEM PALÆSTINI vocant.

*Hieronymi* legamus, videbimus eum multo directius, ut ita dicam, respicere ad mulieres quæ *myrrham* (*a*), tulerunt ad sepulcrum Christi, quam ad eam, aut eas quæ capiti ejus accumbentis unguentum affuderunt. Perinde enim loquitur ac si diceret : *Nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro*, quem mortuum myrrha ungatis, quemadmodum mulieres Evangelicæ fecerunt; sed *myrrha* vestra, ejus viventis ungitis caput.» Euge, Clerice, ad te pertinet Hieronymi restitutio : omnes mss. codices gratias tibi agere gestiunt : tu solus *Artis Criticæ* scriptor *unguentum* fidei pretiosissimum, scabiosi hominis *myrrha* commutare prævales. Unum est quod magnopere timere debeas, contextum scilicet præfationis Hieronymi ob oculos lectoris positum; si enim ille apparuerit, illico non peritus criticus, sed delirus paraphrastes censeberis. Parce itaque, precor, libertati editoris, vindex ipse libertatis animorum in republica litteraria, et lege iterum quod non intelligis, aut certe intelligere noluisti in præfatione Hieronymi : *Sed et vos famulas Christi rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore desæviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam illius semper sententiæ recordabor* : Dixi, custodiam vias meas, etc.

(*a*) *Hac de lectione fusius ad eam Hieronymi præfationem disputamus, ubi et falli Clericum detrahendi voluntate, et fallere ostendimus. Myrum pro unguento ejus ævi Scriptores non raro usurpant. Unus pro cunctis S. Gaudentius Brixiensis sermone* 20, *paulo post medium iisdem pene atque Hieronymus verbis;* super unum fundatur Ecclesia : alter pretiosum fidei myrum doctrina sua portat in populo.

Quomodo Hieronymi verba attente legenti venire potest in mentem, Hieronymum in iis *multo directius* respicere ad mulieres, quæ *myrrham* tulerunt ad sepulcrum Christi, quam ad eam peccatricem quæ in Evangelica narratione Domini discumbentis capiti pretiosissimum unguentum affudit? Hieronymus conceptis verbis docet Paulam et Eustochium ungere caput Domini in cœna discumbentis; quia sæpius Christi membris, id est, pauperibus ministrabant ad mensam, et odore virtutum universam Ecclesiam Christi replebant, juxta illud Evangelicum : *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Deinde asserit sanctus Doctor easdem Christi famulas, nequaquam Christum quærere in sepulcro, quem ungerent myrrha, quia ipsis jam Christus ad Patrem ascenderat. Quod vero affirmat Hieronymus, negat Joannes Clericus; et quod negat Hieronymus, affirmat idem Clericus. Alludit ergo Hieronymus ad mulierem, quæ effudit alabastrum unguenti pretiosi in caput Domini discumbentis; et Evangelica voce delectatus (ut notat Erasmus) maluit dicere μύρῳ, quam unguento. Hæc Hieronymus, atque editor ejus Erasmus, quibus ego libenter subscripsi. Sed in fine hujus defensionis Hieronymianæ ad Clericum more meo alludens, dico Hieronymum *directius* respexisse auctorem Quæstionum Hieronymianarum, quam quos carpebat his verbis : *Ut contra latrantes Canes, qui adversum me rabido ore desæviunt, atque in eo se doctos arbitrantur si aliis detrahant*, etc.

---

# INDEX

## ALIQUOT INSIGNIORUM MENDACIORUM ET FALLACIUM CONCLUSIUNCULARUM JOANNIS CLERICI.

Ne longiorem cum Clerico trahamus contentionis funem, neve imperitus ille Criticus eruditione mulctatus in prima Quæstione, in cæteris habeat impunitatem garriendi, celebriora aliquot loca libelli Quæstion. Hieronymianarum huc adducere necessarium duxi, ut perversa hujus scriptoris fides, imperitia ac supinitas magis magisque patefieret, et in probro esset apud omnes sapientes. Indice igitur potiusquam accurata disputatione Clericum hoc loco manifestum mendacii ac imperitiæ faciemus.

### A

Actum agere in sui adversarii contumeliam, improbi hominis est, ac imperiti scriptoris indicium. Quæst. Hier. pag. 362 et 377, ubi hæc habet Clericus : « Igitur imperitum criticum hic se præstitit *Martianæus*, qui emendationem Scholiastæ verbis Hieronymi substituit; quæ erunt omnino restituenda ab iis qui posthac *Hieronymum* edent, etc. Habent codices plerique omnes : *Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini, quo transeunte coram eo, ait : Dominator Domine Deus*, etc.... At editio *Martianæi* ita est, a nescio quo, reficta ad Hebræum codicem : *Stetit ibidem cum eo* (id est, cum Mose, ut est in margine) *et transiens Dominus coram eo ait*. Quæ mera est depravatio Hieronymianæ versionis, ut antea jam diximus. »

Addenda et mutanda, quæ ad calcem I tomi editionis nostræ posita leguntur, restitutionem hujusmodi faciendam monent his verbis : *Col.* 100, *cap.* XXXIV *Exod.*, *vers.* 5 *et* 6, *lectio isthæc Vulgatæ reponenda nobis videtur* : Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait : Dominator Domine, etc. *Nam primum Memmianus Canon Hebraicæ Veritatis hoc modo legit cum aliis omnibus mss. codicibus, excepto Canone San-Germanensi. Deinde notulæ marginales criticæ ita conceptæ sunt in Canone San-Germanensi, ut facile intelligamus hic loci contextum versionis Hieronymi fuisse mutatum, vel ab ipso Scholiaste, vel ab alio scriptore, qui scholia apposuit marginalia. Ingenue tamen et hoc tribuendum honori scholiastis Hebræi, scilicet sensum Scripturæ eum esse quem ipse reposuit : nam ex Numerorum cap.* XIV, *vers.* 17 *et* 18, *manifestum est Deum locutum fuisse verba Exodi jam dicta* : Dominator Domine Deus, etc. *Conferat qui voluerit, utrumque locum.* Ex his improbus ac imperitus monitor deprehenditur Clericus noster criticus, qui post annos decem monet nos de restituenda lectione versionis Hieronymianæ, quam tanto antea tempore restituendam nos ipsi monueramus.

Amor acer calumniæ est pag. 298 Qu. Hier. « In eodem prologo in Genesim, inquit Criticus, merito irridet *Hieronymus* eos qui LXX int. afflatos putabant; *aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem*, ut recte habet. Sed fuit a *Martianæo* aut castigandus, aut secum in concordiam redigendus, cum in præfatione in Paralipomena juxta LXX interpretes dicat, LXX *interpretes Spiritu sancto plenos, quæ vera fuerunt, transtulisse.* »

Non legit calumniator iste admonitionem meam positam col. 1415 et 1416, in qua Hieronymum in concordiam sic redigo : *Deinde illud attendendum; quod cum Hieronymus undique versum ex suis Præfatiunculis testimonia collegerit ad retundendam Rufini reprehensionem, qua sanctum Doctorem invidiæ erga Septuaginta interpretes calumniator insimulabat; nihil tamen hujus Prologi* (in lib. Paralip.) *replicat in suæ Apologiæ posteriori libro, ad cujus finem recitatæ reperiuntur omnes præfationes veteris Testamenti. Cur hoc acciderit necdum bene novimus : nisi conjectare utcumque liceat cum Erasmo, Hieronymum non ex sua sententia dixisse* Septuaginta interpretes plenos fuisse Spiritu sancto, *et in libris sacris multa addidisse* ob auctoritatem Spiritus sancti : *Sed id tribuisse animo Domnionis et Rogatiani familiarium suorum, apud quos tantum pondus habebant forte exemplaria LXX interpretum. Quidquid sit de Erasmi conjectura, certum exstat S. Hieronymum negare aliis sexcentis locis, Spiritu sancto movente, editam fuisse versionem Græcam LXX interpretum.* Quia aliud est, *inquit Prologo in Genesim*, vatem, aliud est esse interpretem, etc. *Hæc adversus Rufinum afferens in suo Apologiæ libro secundo, non potuit ibidem verba subsequentis præfationis in Paralipomena replicare ad suam defensionem, quin illico stultitiæ argueretur in causa LXX interpretum, de quibus tam contraria et invicem sibi pugnantia scripsisset. Prudenter itaque reticet, quod olim animo ac salivæ Domnionis tribuerat, apud quem summa forte fuit auctoritas editionis LXX*, etc. Videat nunc imperitus artifex calumniæ, an Hieronymi prologos in concordiam redegerim.

### C

Corruptor librorum est pag. 320, hic enim depravat quidquid vult corrigere, legens in Præfatione Hieronymi in Danielis prophetæ translationem Latinam : *Denique et ego adolescentulus.... cum me in hujus linguæ pistrinum inclusissem, et multo*, etc. Cum legere debuisset secundum fidem omnium editionum et codicum mss., *cum me in hujus linguæ pistrinum reclusissem, et multo*, etc.

Corruptionis absurdissimus est patronus, pag. 297. « Miratus sum sæpius in editionibus *Erasmi et Victorii*, prologum hunc emendatius legi in 2 Apologia contra *Rufinum*, cui insertus est, quam initio tomi III, ubi seorsim exstat. Debuit sibi cavere *Martianæus*, ne quid simile admitteret. Quod quoniam non fecit, moneho ex memorata Apologia, alterum prætcrea mendum, in verbis a me allatis, deprehendi ubi pro *illucescere* legendum *illustria*, ut est in illa Apologia, utque sequentia verba ostendunt *illustria facit quæ minus ante fuerant.* »

Delirationem hanc Clerici redarguunt ipsa verba prologi in Genesim. *Quod ut anderem Origenis me studium provocavit, qui Editioni antiquæ translationem Theodotionis miscuit, asterisco ·※· , et obelo ÷ , id est, stella et vera opus omne distinguens : dum aut illucescere facit quæ minus ante fuerant ; aut superflua quæque jugulat et confodit.* Die nobis, *illustris* Clerice, quid hic conferunt tua *illustria*. Num negabis *stellas lucere in cœlo, et illuminare terram?* Si hoc potes negare, pernega similiter *asteriscos*, sive *stellas*, non illuxisse in opere Origenis, qui illud asterisco et obelo distinxit, *illucescere* faciens quæ LXX obliserant, et ipse de Theodotionis editione suppleverat. Nisi me tæderet cum deliramentis conflictari, multa ad imperiti Clerici admonitionem reponerem hoc loco, qui quoniam index est, breviter indicat omnes reprehensiones critici nostri.

Criticus impius est, nec Christianus, qui sacramentum Redemptoris Christi Dei tollere nititur de Scriptura sacra. Pag. 365 et 366. « Ejusdem capitis vers. 15, pro *ipsa conteret*, ut habent ferme omnes mss. codices Latini, sicut fatetur monachus noster, et sicut multi patres legerunt, atque inter alios *Augustinus*, edidit *ipse*, ex uno Codice, quem memorat. Cur non et alios, in Lovaniensi Collectione memoratos laudat? Sed forte locum ex plurimorum Codicum lectione edi oportuit, potius quam mutari ex paucis Codicibus. Nam quod habet *Hieronymus* in Quæstionibus Hebraicis ad rem nihil facit, cum in Versione sæpe sequatur non suam ipsius opinionem, sed Ecclesiasticam consuetudinem, præsertim in insignioribus locis (*Vid.* Gen. IV, 8). LXX Intt. hoc in loco habent... Ipse *servabit caput tuum.* Quibus in verbis αὐτὸς videtur positum, quod LXX Interpretes, quamvis usi essent voce neutra σπέρμα, in animo haberent nomen masculinum γόνος, quod idem sonat. Sic et vetus Interpres Latinus, quamvis usus esset voce *semen*, subjecit tamen *ipsa*; quia cogitavit de *prole*, seu *sobole*. Ejusmodi constructionis facile esset ex optimis quibusque scriptoribus multa exempla proferre. Scio postea pronomen *ipsa* relatum ad Ecclesiam, quasi mulieris nomine describatur, aut etiam ad Virginem Mariam. Sed hæ pravæ interpretationes non obstarent quominus antiquam lectionem repræsentarem, cujus non inepta ratio reddi potest. »

Nolo enumerare imperitiæ somnia in hac Clerici Quæstione, quia nimis longum esset. Id tantum caveat lector studiosus quod alibi animadverti, impietatem scilicet Sociniani nostri critici, qui patrum etiam suorum terminos prætergressus negat legendum, *Ipse conteret caput tuum*, ne cogatur credere Christum Dominum sua virtute contrivisse caput antiqui serpentis, ac genus humanum ab ejus potestate liberasse. Quanta sit porro mendaciorum ejus impudentia, dum asserit ad nostram restitutionem *ipse conteret caput tuum*, nihil facere quod habet Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, liquido apparebit ex Hieronymi ipsius lectione. Itaque hæc est sententia Quæstionum Hebraicarum sancti Doctoris : « *Ipse servabit caput tuum, et tu servabis ejus calcaneum.* Melius habet, inquit, in Hebræo : *Ipse conteret caput tuum, et tu conteres ejus calcaneum;* quia et nostri gressus præpediuntur a colubro; et Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter. » Habes hic, christiane lector, sacramentum tuæ redemptionis in Christo; habes quoque testem idoneum restitutionis meæ, *Ipse conteret*, quam non impugnaret Joannes Clericus, si fide Christi Dei et patrimonio religionis non esset naufragus (*a*).

## F

Fides nulla est in critico qui editorem Hieronymi sollicitat ad depravationem litteræ F, quæ posita est in libris Nominum et Locorum Hebraicorum; sollicitat vero contra fidem omnium editionum et mss. codicum, pag. 397 et 398. « Hoc quoque, inquit Clericus post Richardum Simonium, in hisce etymologiis, ferri nequit, quod nomina, quæ inchoata sunt a littera Hebraica *Phe*, scribantur per F Latinum, quasi unum idemque essent, cum cæteroquin *Hieronymus* soleat semper eam exprimere per PH et in versione, et in Commentariis. Ridiculum est omissam P, aut PH, positamque F, quæ in lingua Hebraica nulla est; et forte ut quod suspicer aperiam, hic liber a monacho quopiam refictus, qui inchoata a PH retulit ad litteram F. Idem tamen factum in libro de Situ et Nominibus Locorum. » !

Quis non miretur criticos stolide feroces, qui necdum noverunt ף litteram Hebræorum exprimendam per Φ Græcorum, et utramque sonare F litteram Latinorum? Recordentur itaque alphabeti Latini, cujus ordinem, seriemque litterarum secutus est Hieronymus in utroque libro Nominum et Locorum Hebraicorum; quod si non sufficiant prima hæc artis Grammaticæ rudimenta, discant saltem me absque ingenti temeritate et audacia non potuisse in libris Hieronymi permutare, quod omnes libri cum editi, tum manuscripti, retinent in toto terrarum orbe. Denique quid prodesset id genus depravationis litteræ F in libris Hieronymi laudatis, cum scelus deprehensum foret ex ipsomet Hieronymo? Ipse enim de littera F posita in libro Nominum Hebraicorum lectorem monet in hunc modum : *Sed sciendum*, inquit, *quod apud Hebræos P littera non habeatur, nec ullum nomen est quod hoc elementum resonet. Abusive igitur accipienda, quasi per F litteram scripta sit.* Hæc Simonius, hæc Clericus animadvertere debuisset, antequam me imperitiæ insimularet propter F suis locis retentam litteram. Quam profecto si ausus essem immutare, non dubito quin illi ambo critici illico me falsarium vociferarentur, talis enim est in illis simultas, quam in *Martianæum* exercent.

## S

Sycophanta, non criticus peritus is est, qui non docet quæ vera sunt, sed vulgus imperitorum concitat in adversarios suos; ita Clericus noster, Quæst. 13, pag. 449 et 450. « Hebræi quod sequitur, *Et nescivit cum dormisset cum eo, et cum surrexisset ab eo*, appungunt desuper quasi incredibile, et quod rerum natura non capiat, etc. Hieronymi hæc verba sunt ad vers. 33, cap. XIX Genes. in nota vero paginæ subjecta, *Plures*, inquit Editor Benedictinus, *Mss. codices curiosius inspexi, sed nihil in eis reperire potui, quo juvaretur intelligentia hujus loci.* Deinde profert notulam *Erasmi*, queriturque hic siluisse *Marianum Victorium*, et postquam observavit alios codices pro *appungunt*, habere aut *adjungunt*, aut *apponunt*, addit : *sive igitur intelligamus puncta fuisse superposita verbis hisce Scripturæ; sive ipsa verba fuisse addita in superiore parte contextus sacri extra seriem reliquorum verborum, quocumque modo id factum credatur, rem incredibilem Hebræi significare voluerunt, tam ex punctis, quam ex situ verborum.* Quis non rideat æstum nostri monachi tanto supercilio doctiorum existimationem invadentis, in re quam tirunculi omnes norunt? Antequam consuleret mss. codices Hebræos, inspicere eum oportuit editiones punctis instructas, quæ omnes habent punctum inusitatum impositum litteræ ו in voce בקומה bkoumah, *cum ea surgeret*; monente Massora, quæ in margine habet נקוד על ואו nakoud hal vau, *punctatum est supra vau.* Qua de re innumeri Interpretes egerunt, ut et *Joannes Buxtorfius* in Comment. Massorethici, cap. XVII, ubi Talmudicos hujus rei mentionem fecisse ostendit. Auctor sim nostro ut studiosius Biblia edita, Commentariosque criticos virorum doctorum legat, antequam libros manu exaratos adeat; quibus uti nesciunt, qui editorum lectioni diligentem operam numquam dederunt. Putidum profecto est jactare codices mss. Bibliorum, cum editos minime legeris. »

Nemo negarit Hæreticum nostrum hic bacchari in cæde mea, et palmaris statuæ tropæum in universa republica litteraria sese consecuturum ex imperitia mea sperasse. Sed pone supercilium tuum, Critice sycophanta, ut editorum librorum lectioni diligentem operam dedisse me non dubites. Dicis omnes editiones punctis instructas habere punctum inusitatum impositum litteræ vau in voce בקומה *bkoumah*; ergo non legisti Biblia Hebræa Munsteri, et Eliæ Hutteri; non legisti Polyglotta Complutensium, nec Parisina D. *le Jay*, in quibus nullum punctum impositum est litteræ ו. Non legisti Biblia Hebræa Xanctis Pagnini, et Ariæ Montani, quæ in Edit. Genev. nullum retinent punctum impositum litteræ *vau*, in editione autem Antuerp. duo, non unum, habent puncta imposita eidem litteræ. Vide nunc, inique calumniator, an editos legerim libros antequam jactarem mss. codices. At non te pudet tantæ calumniæ et tanti supercilii, qui simplicem et candidam observationem, sine alicujus hominis injuria, vocas *supercilium* et *æstum*, quo doctiorum existimationem invado. Auctor sim tibi, ut hostium tuorum verba simplicia veneno

(*a*) *Non tamen improbanda quam et Vulgata habet vox,* Ipsa, *quæ et bonis defendi potest argumentis.*

tuo non inficias deinceps, ne semper de te critico Clerico dicamus : *Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia; et totum quidquid cupit calumnia, prævaleret.* Hieron. lib. IIIApolog. adv. Rufinum.

Si omnia, in hoc Indice imperitiæ Clericanæ expendere vellemus, atque ad accuratissimam Responsionis et Defensionis normam severe exigere, hic nobis esset non finis huic opusculo imponendus, sed alterum inchoandum volumen apologeticum. Verum nec hoc necessarium est, et tædiosum esset; cum animadversa a nobis possint esse speciminis loco, ex quo satis liquet verissimum esse quod de imperitia Quæstionum Clerici jam diximus, et dicendum prætermittimus. Profecto libertas nostra in redarguendo imperito et parum modesto Critico, sine summa aut imperitia, aut iniquitate, non potest nobis negari.

# INDEX

## VERBORUM, SENTENTIARUM ET RERUM MEMORABILIORUM.


## A

Abacuc ad Danielem missi historia apud quosdam incerta, 591.

Abdias quis? 362. Judæi putant prophetiam ejus fieri contra Romam, 366. Magna pars Abdiæ in Jeremia continetur, 365. In Sebaste sepulcrum Abdiæ, Elisæi, et Joannis Baptistæ, 363.

Abraham opera, quæ? 296. Filii Abraham, qui? 876. In tabernaculo Abrahæ mercatus exercetur, 885.

Adadremmon urbs juxta Jezrael, nunc Maximianopolis nominata, 904.

In Adam peccatum originale, 417.

Adamas lapis fortissimus, 328, 836.

Adulatores regalis fastigii, 332. Adulatoribus non credendum, 515. Non simus fatui adulatores Dei, 604.

Æquitate pauci ducuntur, 51.

Afflictio omnis Deo judice dispensatur, 181.

Agrostis quid? 108.

Alexandria, quæ prius vocabatur No, ab Alexandro Macedone nomen accipit, 94. Hæc metropolis Ægypti, *ibid.*

Juxta Altare Domini locus et arbores non plantantur, cur? 40. Unum altare habet Ecclesia, 262. Altaria hæreticorum plurima, *ibid.* Tot habent altaria, quot schismata, *ibid.* Hæretici unum altare habere se jactant, *ibid.*

Amantium cæca sunt judicia, 109.

Amicus, quid? 516. Amici divitum multi, non pauperum, *ibid.* Diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur, *ibid.* Amici fratres dicuntur, 233. Vera amicitia in quo posita, 517. Eadem quando delicata, *ibid.*

Amorrhæi post expleta peccata expulsi, 213.

Ammon filii de stirpe Loth generati sunt, 236. Habitant in Arabia, ubi nunc est Philadelphia, *ibid.* Rabba fuit metropolis eorum, *ibid.*

Amos pastor pecorum utitur in sua prophetia sermonibus artis suæ, 225. Amos nequaquam ad Jerusalem, sed ad Israel et in Samaria prædicat, 221.

Angeli rerum humanarum procuratores, 500. Laudantur et accusantur pro virtutibus vel vitiis eorum quibus præsunt, *ibid.* Angeli designati ad gubernationem mundi, 662. Angeli Christo ministrarunt in terra, 785. Sensus a Deo illuminatus, angelus noster est, 808. Angelorum tutela, 17. Quidam putant Joannem Baptistam, Malachiam et Aggæum fuisse angelos, 751. Angeli pessimi dicuntur Dei exercitus, 190.

In Angustiis positi quid solemus dicere? 301.

Anima in medio virtutum et vitiorum posita, 375. Omnes animæ Dei sunt, 175. Vera causa lætitiæ animæ, quæ? 728. Omnis anima per naturam suam tabernaculum Dei est, non Dæmonis, 597. Anima similis efficitur ei cui adhæret, vel Deo, vel mundo, 578. Anima separata a corpore quo ducitur? 348. Manum Dei evadere non potest, *ibid.*

Antichristus pugnaturus est adversus sanctos Domini, 214.

Apostoli et martyres dicuntur fundamenta terræ, 501. Apostolorum nomina quotidie magnificata, 733. Illud nobis prodest, *ibid.* Apostolorum prædicationes et opera, 785, 786. Claves Ecclesiæ apostolis commissæ, 445. Apostoli nudis pedibus incedere jubentur, 242, 260. Cur apostoli vestimentis suis straverunt pullum asinæ, 244. Apostoli memoriter Scripturas recitabant, 489. Apostoli majora signa fecerunt quam ipse Christus, 527. Apostolorum fortitudo, et invicta constantia, 496, 497.

Aprilis mensis tempus verum, 271.

Aquilæ natura, 368, 447. Dicitur regina avium, 447. Aquila in volatu omnia superat, 595.

Aquila diligens et curiosus interpres, 25.

Arborum radices quantum in ima demergantur, 160.

Arii hæresis notatur, 429. Non negat filium Conditorem, *ibid.* Persecutio Arianorum sævissima, 789. Arius, Aetius et Eunomius hæretici, 229. Quo sensu Arium vocat Hieronymus ostium, Aetium vero et Eunomium vectes, *ibid.*

Artifices omnes suæ artis loquuntur exemplis, 224.

Assyrii et Babylonii quas regiones tenuerunt, 377. Assyrii et Babylonii terram Aquilonis occupant, 795.

In Athletis suis gloriatur Dominus, 733. Athleta Domini, et athleta luxuriæ notantur, 373. Mos Palæstinæ et Græciæ in athletis exercendis, 896.

Attelabus, quid, 576. Discrimen Attelabi a Brucho, 581, 582.

Avaritia bona et mala, 618.

Auditus in Scripturis sanctis non aure, sed corde percipitur, 169. Spirituales et terreni diverso modo audiunt, *ibid.*

Portæ pro auribus sumptæ, 440.

Azael regis Damasci crudelitas, 226, 227.

## B

Baal vocatur imago zeli, 679. Est idolum Sidoniorum, *ibid.* Sidonii et Phœnices hunc appellant Baal et Beel, *ibid.*

Belum patrem suum Ninus refert in Deum, 24.

Babylonis muros exstruxit Semiramis uxor Nini, *ibid.*

Baptismus et pœnitentia quo sensu portæ dicuntur, 686. Verum baptisma in Spiritu sancto, et mysterio SS. Trinitatis, 202. Baptismi effectus, 907. Chrismate baptismi perdito, non ideo desperandum, 655. Baptismus in Pascha et Pentecoste confertur, 921. Quid nobis præcipitur in baptismo, 683. Apostoli baptizant in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, 415.

Bardesanes, cujus etiam philosophi admirantur ingenium, 106.

Beelphegor idolum, quid, 98. Qui libidini deserviunt illud colunt ut Deum, *ibid.*

Beneficiorum Dei magnitudo nobis Deum proprium facit, 412.

Bethel quæ prius vocabatur *Domus Dei*, postea Bethaven dicitur, id est, domus inutilis et idoli, 43.

Bona falsa, quæ? 514. Benedictio Dei est quando aufert ea, *ibid.* Bona non amare peccati est, quanti sceleris odisse, 465. Quid est Bonum quærere, et malum repellere, 296. Dilectio Boni, et odium mali in quo reponuntur, *ibid.* Merces diligentis bonum, *ibid.* Pœnarum finis, Bonorum exordium est, 525.

Bubali indomiti, 319.

In Buxo erudiebant manum parvuli, 610.

## C

Cain primus exstruxit civitatem, 129, 424.

Canticum Canticorum quanto brevius est, tanto difficilius, 364.

Calumniæ vitium describitur, 882. Studium et mendacia Calumniatorum, 331.

Cantherius accusat sacrilegii S. Hieronymum, 425. Innocentiam suam probat S. Doctor, *ibid.*

Carmeli duo, 225.

Catholicorum prima victoria detegere secreta hæreticorum, 370.

Catonis laus, 53.

Chaldæorum audaciæ et roboris testes sunt scriptores Græci, 595.

Chrismatis usus, 654. Dicitur unguentum spirituale, *ibid.*

Christi missio a Deo in terram, 796. Cur omnipotens dicitur? *ibid.* Idem Deus prædicatur, *ibid.* Animam cum corpore sumpsit, 410. Ejus caro non vidit corruptionem, 411. Una persona in Christo, non duæ, 801, 830. Quomodo indutus sordidis vestibus, *ibid.* De Virgine vere natus, 350. Ejusdem miracula, *ibid.* Nativitate Christi omnia pacificantur, 864. Adventus Christi, fons omnium bonorum, 27, 638, 639. Omnes salvantur Christi adventu, 352, 353.

Cur dicitur unigenitus, 904. Quidam negant Christum humanam habuisse naturam, 316. Fortitudo Christi licet pueri, prædicitur, 260. Omnes virtutes in Christo, 639. Quæ in aliis in typo præcesserunt ad Christum referuntur, 123. Cur Christus non potuit signa facere in patria sua, 59. Nomina sua largitus est apostolis, 585. Cibus et conviva, 125. Sine auxilio ejus natura angelorum et hominum fragilis, 812. Carnes Christi comeduntur, et sanguis ejus a fidelibus bibitur, 763. Frumentum dicitur et vinum, 869. Quinam comedere et bibere eum mereantur, *ibid.*, 870. Non ita laboravit in Israel, quam in gentium populo, 429. Pro gentibus pretiosus sanguis effusus, *ibid.*, 430. Ingressus Jerusalem, sedens super asinam, 862. Hujus mysterii explanatio, *ibid* Mysteria passionis Christi, ejus descensus ad inferos, et resurrectionis stabiliuntur, 864. Christus inter duos latrones cognitus, 635. Animam suam moriens Patri commendat, 651. Christus Redemptor descendit ad inferos, 151, 155, 395. Terra inferni morte Christi vastata, 155. Quomodo tres dies, et tres noctes fuit in corde terræ, 405. In inferno vivens et liber, 407. Caro ejus quæ sepulta est, eadem resurgit, 412. Morte Christi, secreta Judæorum patuerunt, *in præf. in Os.* Quid Deus fecit, ut Christus ametur, 640. Interfectio ejus sola causa derelictionis Judæorum, 53. Credentes simplices non decipiuntur nisi sub specie nominis Christi, 254.

Christiani officium in quo positum, 458 Nomen Christianum tormenta non superabunt, 478. Christianus debet esse temperatus prudentia et simplicitate, 76. Persecutiones in Christianos, et pax Ecclesiæ, 841. Christiani puguant contra Ecclesiam tempore persecutionis, 897. Quomodo numerus septem millium ad Christianorum nomen pertinet, 855.

Christianorum genera, quæ? 654.

Cogitans semper de Deo, facere nescit injuriam, 551.

Cogitatio pravitatis humanæ notatur, 145. Cogitationes malæ pœnas luent, 38.

Columba sola ablatos pullos non dolet, 77.

Commentatoris officium, dilucidare obscura, 388, 837.

Confessio delictorum in conversione, 157.

Conditio humana, quæ? 448.

Conscientia mordet post peccatum, 296.

Continentiæ inserviendum tempore luctus, 904.

Conversione nostra Deum mutamus, 354.

Ad Cor loqui, quid? 21.

Cornua pro regnis posita, 640, 790.

Corporis fortitudo est imbecillitas animæ et econtrario, 291. Imbecillitas corporis animi vires secum trahit, 263. Mala et ægrotationes corporis, 564: Causas earum quidam notant, *ibid.* Flagella dicuntur, *ibid.*

Correptio perversorum non condemnat bonos, 719. Correptio quando utilis et bona? 708. Odium correptionis notatur, 292. Qui amatur a Deo, corripitur: qui negligitur, suis peccatis dimittitur, 42.

Crispus citatur, 617.

In Cruce abscondita fortitudo, 638. Crucis sacramentum in Moyse figuratum, 139. In Crucis vexillo Amalec superatus est, 367. Constantinus dicitur frænos equo suo fecisse ex clavis Dominicæ Crucis, 935.

Cucurbita ejusdem naturæ ac hædera, 426. Utraque populum Israel denotat, 427.

Curatio non beatitudo, sed solatium, 525.

Custodia cordis laudata, 640.

Cypriani beati laudes, 420.

Cyrus imperium Chaldæorum destruxit, 778. Ejus pietas in populum Judaicum, *ibid.* Interfectus fuit apud Massagetas post annos imperii XXX, *ibid.* Ejus successores, *ibid.*

## D

Dæmones, hostes Christianorum, 75. Singulæ dæmonum turmæ habent suos principes, 659. Lætantur interitu hominum, 145. Faciunt admirari pulchritudinem sæculi, 643. Confusio dæmonum in fine sæculi, 554.

Datorem qui ex copia non sentit, sentit ex penuria, 18.

David fortis manu interpretatur, 33.

Decius, Valerianus et Maximianus persecutores, 549.

Desideratur magis quidquid non licet, 152.

Desperatio vitanda, 191.

Detractio facilis, 452. Imperitorum est detrahere, doctorum juvare, 429.

Deus veritas est, 391. Natura sua misericors, 413. Domini jussisse, fecisse est, 379, 477. Deus omnium beneficiorum auctor et largitor, 637. Creator totius hominis, 896. Æqualiter Deus omnium, 857. Curam habet universarum gentium, 240. Factor universitatis in brevi ostenditur, 400. Non mutatur, 849. Quo sensu dicitur mutabilis, 849. Quare promissa mutat? 351. Voluntas ejus per hostes expletur, 107. Medicus est clementissimus, 591: Magna ejus clementia, 26. Futura prænuntiat, ne cogatur inferre supplicia, 256. Severus in die judicii, clemens erit erga populum suum, 214. Vult omnes salvari, 153. Deus alios salvat in veritate, alios in misericordia, 531. Propter multa peccata non obliviscitur paucorum bonorum, 744. Pœnitentia in Deo quomodo accipienda, 325. Non mirum, si jurare dicatur, 340. Multa mala facit non puniens; sed occasionem tribuens pœnitentiæ, 48, 49, 61, 269, 270. Quibus bonus est, 453. Beneficia ejus in populum suum, 125. Gravia comminatur, ut misereatur pœnitentium, 63. Austeritatem judicis mitigat pietate Patris, 129. Plaga Dei visitatio est, atque curatio, 252. Causa iræ Dei quæ? 530. Deus in ira sua non obliviscitur, 636. Habet suas mensuras, *ibid.* Quo sensu sumenda? 780. Quomodo fit amarus, 143, 915. Quo sensu Deus cogitat malum, 451, 554, 689. Deus dedit Israeli regem in furore suo, et abstulit postea in indignatione sua, 150. Deserere videtur, ut quem præsentem non sentimus, absentem requiramus, 61. Vult cum populo suo judicari, ne injuste videatur ferre sententiam, 34, 257. Vices rependit peccantibus, 34, 836. Peccata patrum se comminatur redditurum, 230. In eo quod mandat, videtur ipse percutere, 318. Deus nihil præcipit nisi quod honestum est, *in præf. in Os.* Blasphemum est dicere, quidquam sine Deo fieri, 603. Potentia Dei demonstratur in parvis animantibus, 187, 198. Deus nunc diligit Judæos, quomodo? 29. Nihil, Deo aversante, securum est, 396. Dei semper reginur potestate, 76. Inest omnibus occasio cognoscendi Deum, 577. Ambulare cum Deo, est præceptum, 507. Aliter nesciens Deum, aliter punitur recedens a Deo, 91. Deus non ea quæ offeruntur; sed voluntatem respicit offerentium, 395.

Diabolus, leo, ursus, et coluber appellatus, 301. Fons mortuorum, 156. Diaboli varium flagellum, 564. Aut nullus aut rarus quem non deceperit Diabolus, 584, 586. Quidam existimant Diabolum acturum esse pœnitentiam, 418.

Diapsalma, quid significet, 637.

Dies septimus quisque criticus, 283. Diei judicii apparatus et effectus, 918. Nullus dies malus, 312. In nostra potestate est, vel bonum diem facere, vel malum, *ibid.*

Dii Ægyptiorum, qui? 44.

Discordiæ mala quanta? 254.

Divinatio non accipitur in bonam partem, 472.

Divini et somniatores vane consolabuntur, 871.

Divites superbi ante judicium damnati, 687. Divitis purpurati superbia, 307. Damnatur electio divitum, pauperibus neglectis, 679, 680. Notæ, quibus dignoscitur divitum reprobatio, 43.

Divitiæ iniquitate pariuntur, 509. Multiplicatæ divitiæ, densum lutum, 613. Quomodo divitiæ liberant de morte, 687. Veritas paupertatem, mendacium divitias parit, 509.

Docere potest quis post peccatum, et quomodo, 468.

Doctores falsi et prælati designati, 338.

Doctrinæ varietate, diversi adorantur dii, 307. Pereunt virtutes, si doctrina non sit in Ecclesiis, 343.

Quot Dogmata falsa, tot sunt antichristi, 558.

Draconis natura, 438. Virtus ejus in lumbis est, 857.

Didymus tres libros in Osee scripsit, 777.

## E

Ebrietas animi quæ? 247. Ebrietas pro copia rerum sumpta, 160.

Ecclesiæ ortus, 772, 793. Christi sanguine redempta, 717. Cur dicitur Columba, *ibid.* Unitate Spiritus conjuncta est, 444. Habet urbes suas, *ibid.* Possidet mysterium SS. Trinitatis, 445. Angelorum præsidio munitur, 861. Longe melior synagoga, 758. Cur traditur persecutionibus, 358, 788. Auxilio Domini pax redditur Ecclesiis, non doctrinæ magistrorum, 900. Sola Ecclesia irrigatur imbre sempiterno, 273. In ea abundant spes, fides, charitas, *ibid.* Blasphemum videtur dicere Ecclesiam esse malis deditam, 713. Omnis qui salvatur, in Ecclesia salvatur, 208. Judices Ecclesiæ quomodo abominantur judicium, 471. Vita et avaritia rectorum Ecclesiæ ejicit multos ex ea, 750. Ecclesiæ peccatrici non parcit Dominus, 713, 714. Ecclesiæ electæ, quæ? 757.

Ecclesiastici viri, si peccaverint, Sodomæ et Gomorrhæ cruciatibus subjacebunt, 130.

In Ecstasi, nec tacere, nec loqui libere quis potest, 589.

Editio Scripturarum quinta, 213. Duæ editiones sine auctorum nomine, 593. Præter quinque editiones, duas in XII prophetas reperit Hieronymus, 618.

Eleemosyna et humilitas si vere sint pro victimis deputatæ, 65. Non omnis eleemosyna placet Deo, 297.

Eloquentia sæcularis inebriat, 420. Auctores fluminum eloquentiæ, 538.

Emath duæ; una magna quæ nunc Antiochia nominatur, et una minor, Epiphania dicta, 311, 319.

Enoch et Elias rapti in cœlum, 347, 813.
Ephratha dicitur et Bethleem, 385.
Episcoporum munus et officia, 721. Studiose agant, ne violent sancta, *ibid.* Non dignitas sed opus eos salvat, *ibid.* Virtutes episcoporum quæ? 760, 761. Scientiam habeant, ut possint alios erudire, *ibid.* Discant a laicis quæ ignorant, *ibid.* Commendatur in eis lectio Scripturarum, *ibid.* Episcopale nomen sine opere auferetur, 680.
Epistolæ apostolicæ veterem legem explicant, 763. Epistola ad Hebræos non recepta ab omnibus, 838. Ejus auctor ignoratus, 339.
Erodionis tria genera, 819.
Erucæ natura, 275. Hæc, extremum pœnarum omnium, *ibid.* Eruca, locusta, bruchus, et ærugo spiritualiter exponuntur, 171, 172. Quinam populi sub nominibus Erucæ, locustæ, bruchi, et rubiginis designati? 170.
Eruditi debent doctrinæ proferre sermonem, nec debent prohiberi, 247.
Esau unde sic appellatur? 246, 364. Esau et Jacob figuræ Judæorum et populi Christiani, 235.
Esther et Judith, typus Ecclesiæ, 671.
Evangelium Matthæi Hebraice scriptum, 123. Evangelium secundum Hebræos ab Hieronymo translatum, 520. Evangelicus sermo breviatus, 364. Qui legem observat cum Evangelio violat nomen Dei, 243. Mundat Deus in Evangelio, quos in Lege peccantes immundos reliquerat, 218.
Eunuchi Deo placent, 674, 675.

## F

Fame nihil durius, 342. Fames Judæorum et sitis, 343.
Feminæ natura, 518. Feminæ gentiles doctissimæ, 671.
Festivitates celebrandæ non in vino, 549. Quorum Deus projicit festivitates, 302?
Fides in Spiritum sanctum commendatur, 202. Potest aliquis ante Fidem percipere fructum boni operis, 768. Vituli et Victimæ Fidei, 158. Rara fides, quæ, 517.
Omne Flagitium, si terminum pudoris excesserit, semper ad deteriora procedit, 241.
Flumina ex terræ motibus eruperunt, 648. Alia absorpta sunt, *ibid.*
Fontes Judææ obturati, 648.
Fortissimi ut adamantes sola libidine dissolvuntur, 330. Prodest Fortitudines pessimas inter se non convenire, 526.
Frater est et proximus omne genus hominum, 835, 849.
Fugitivo quid convenit, 393.
Fur et latro qui differunt, 69.
Furtum et perjurium non parva crimina, 816.

## G

Gabaa et Rama, duæ civitates tribus Benjamin, 54.
Gabriel et Michael protectores Judæorum, 665.
Galenus medicorum disertissimus, 283.
Galli a Romanis truncati ad ignominiam, 41.
Gentium vocatio describitur, 857, 861, 920. Quomodo justa est, 888. Gentes in assumptione Israelis projectæ sunt, 889. Gentium pœnitentia ruina est Judæorum, 392.
Geth urbs metropolis Palæstinæ, 441, 443. Haud grandis nunc viculus, 389. In eo sepulcrum Jonæ ostenditur, *ibid.*
Gigantomachia in laudes deorum scripta, 289.
Gog et Magog gentes sævissimæ, 213.
Gracchorum mater Cornelia laudatur, 671.
Gratiæ Spiritus sancti diversæ in his qui adhuc spiritu timoris ducuntur, et in his qui perfectam habent dilectionem, 203. Nihil potest anima sine Gratia Christi, 748.

## H

Hadrianus de favillis Jerusalem sui nominis Eliam condidit civitatem, 171.
Hæderæ natura, 425. In Palæstina et arenosis locis nascitur, *ibid.*
Hæreses omnes unde? 582. Una lingua latrant adversus Ecclesiam, 659. Patriarchæ hæreseon qui? 267, 511. Hæreticorum mater superbia, 49, 274, 706. Hæreticorum simulationes ac superbia notantur, 243, 244, 368. Rex apud Hæreticos dici potest qui primus hæresim reperit, 70. Hæretici caro fuerunt et membrum Christi, 102. De domo Dei ejecti sunt, *ibid.* Nihil differunt a gentibus, 75, 80. Non Scripturarum auctoritatem, sed humanæ rationis sensum loquuntur, *ibid.* Hæretici doctissimi, 106. Sermo eorum compositus, 229, 287, 293, 294. Quidquid loquitur hæreticus, plenum est doli, 138 Doctrina hæreticorum quæ? 113, 625. Cultus eorum vertitur in peccatum, *ibid.* Hæretici non habent vocem sententias explicantem, sed sonitum, 121. Hæreticorum cæcitas, 303. Horum munera non suscipit Deus, 303. Sententiæ hæreticorum variantes, 103, 304. Non curant de operibus hæretici, dummodo fides teneatur, 38, 468. Deceptores quid faciunt, 209. Multa confingunt sponte, quasi traditione apostolica, 749. Rapere conantur præ cæteris eos qui in Ecclesia sunt constituti, 145. Singuli hæreticorum habent deos suos, 123. Sibi vindicant sacerdotii dignitatem, 314. Ligno crucis doctrinam suam confirmant, 620. Habent solemnitates suas, 73. Falsa mysteria hæreticorum, 80. Cultus eorum fornicatio est, 43. Severi apud pauperes, non apud divites, 295. Raro hæreticus diligit castitatem, 78, 99. Continentiam et jejunia quidam sectantur; quidam voluptates, 262. Deum calumniantur, 273, 848. Omnes peccant in Trinitatem, 888. Facilius ab ethnicis captum liberamus, quam ab hæreticis irretitum, 376. Multo pejores Judæi et hæretici persecutores, quam ethnici, 374. Tribulatio hæreticorum quæ? 259. Plangendi hæretici, 56. Salus eorum non desperanda, sed optanda. 13.
Hebraicum idioma, 263, 452. Hebræi codices diversas habent lectiones, 650. In expositione historiæ Hebraica veritas sequenda, 582. Hebræorum traditio quæ? 823. Fingunt Judæi, omnes locuturos Hebraice, 722.
Helcesi viculus in Galilæa, 535.
Hieronymus orat pro remissione peccatorum suorum, 531. Quid observat in interpretatione Scripturarum, 447, Humilitas ejus, 361, 386, 443, 452. Studium Hieronymi in lingua Hebræa, 773. Non de proprio sensu loquitur, 550. Morbos libenter sustinet modo libidine careat, 263. Dubitat de malitia Judæorum, 474. Cavet odium episcoporum, 719. Testis erat oculatus subversionis Judæ, 692.
S. Hilarius opus Origenis transtulit, 479.
Historia aliquando metaphorice texitur, 658. Ordo Historiæ in laudibus Dei non semper servatur, præcipue in psal. III et LI, 245. Non omnia quæ in Historia narrantur, possunt tropologice sumi, 395.
Homo, ubi persona non ponitur, pro quolibet homine sumitur. 761. Fugit homo a Deo, 396. Hominum miseriæ et peccata, 451. Crudelitas eorum, 129.
Humerus opus significat, 65.
Humilitas inter virtutes præcipua, 451. Spe hæreditatis Dominicæ nascitur, 697.

## I

Idolorum origo, 24. Idola gentium quæ? 207. Idolorum denominatio, quæ in Ægypto adoravit Judas, 240. In idolis quid reperitur, 630.
Idumæorum regio qualis, 370. Idumæa vergit ad Australem partem, 235. Hæc provincia Theman, Saron, et Nageb dicitur, *ibid.*
Ignis natura duplex, 203.
In Imaginibus tyranni obtruncati mos servatus, 659.
Immisericordes non exaudiuntur, 466.
Impatientia humana in disceptationibus designatur, 608.
Imperatores impii a Deo puniti, 659.
Imperium singulare constitutum est, 477.
Impiorum multitudo ad nihilum utilis est, 102. Eorum stupor, 734. Cur impii super justos prævaleant? 602, 603.
Infernus in medio terræ, 408. Nullus ante resurrectionis diem ab inferis retrahetur, 347. Quidquid separat fratres, infernus est appellandus, 152.
Infirmitas quæ prodest, 690.
Injuriam uxoris Levitæ quo animo vindicarunt Israelitæ, 114.
Invocare nomen Domini non incipientium, sed perfectorum est, 205.
Iræ natura, 173. In subrisione simulata ostenditur magnitudo iræ, 289. Aut rarus aut nullus est, qui ira Dei non sit dignus, 540. Bruta iram Dei sentiunt, 676.
Israel unde Videntis Deum sortitus est nomen, 275. Regnum Israel permansit ducentis quinquaginta annis, 2. Israel vocatur Ephraim et Joseph et Samaria, 8. Quo sensu populus Israel appellatur virgo, 281. Cur Deus tanta contulit Israeli beneficia, 503. Idololatria Israel, 285. Pertinacia populi Israel in suo peccato, 278, 311, 312. Abundans opibus, 261. Ejus rapinæ, 293. Per flagella et tormenta eruditur, 275. Suscepit cultum idolorum vitio principum, 46. Crudelitas principum Israel, 465. Per quingentos triginta annos Israelitæ captivi in Ægypto, 217. In fine mundi omnis Israel salvus fiet, 355.

## J

Jacob unde Israelis et Directi nomen accepit, 136,

551, 552. Ab Angelo confortatur ne timeat Esau, 142. Idem typus Christi, *ibid.*
S. Jacobus præcipitatus de templo, 692.
Januarius mensis, unde sic dicitur? 852.
Jejunium Manichæi, hæreticorum, maximeque Encratitarum saturitate et ebrietate deterius est, 180.
Jerusalem in montibus sita, 23. Tribus nominibus appellatur, 861. Ejus ingratitudo, 45. Tradita Romanis exercitibus, 316, 694.
Jesus filius Nave typus Salvatoris, 741.
Joelis prophetia ad tribum Juda pertinet, non ad decem tribus, 169.
B. Joannis ossa Sebaste condita, 8.
Joannes Evangel. ex Hebræo interpretatur, 903.
Jona Columbam et Græciam sonat, 716. Cur de sua electione doluerit, 392, 393, 423. Arguitur a Deo, 393. Typus Christi, 140, 387. Interpretatio veterum super Jonam obscura, *ibid.*
Joppe portus Judææ, 394. Ibi monstrantur saxa in quibus Andromeda ligata fuit, *ibid.*
Juxta Jordanem morantur leones, 884.
Josephus scripsit triumphos Vespasiani et Titi, 171.
Judæ proditoris interitus, 301.
Judas et Joseph typus Christi, 875. Tribus Juda unde meruit regnum accipere, 132. Tribus duodecim intra Emath, Epiphaniam et terminos Ægypti concluduntur, 320.
Judæi tergiversantur in prophetiis de Christo, 851. Variæ Judæorum captivitates, 300. Eorum solemnitates, 19. Afflictio populi Judaici quæ? 692, 693. Prohibentur ingredi Jerusalem, *ibid.* Quod offendit Judaicus populus, dispensationis Dei est, 454, 455. Unum Deum colunt Judæi, sed Trinitatem non agnoscunt, 303. Judæi licet idolis non serviant, nec tamen habent Deum, 31. Quibus cibis vescantur, *ibid.* Pietas et amor Christi in populum Judaicum, 394. Quotuplici modo venit Dominus ad populum Judaicum, 665. Judæi sua sponte divisi sunt a Christo, 345. A Deo rejecti sunt, 104. Corporibus filiorum vesci coacti sunt, 178. Principum Judæorum superbia, 307. Post Dominum oblatum, defecit regnum a Judæis, 683. Bella Judæorum intestina, 886. Quadraginta annis post passionem Christi subversi, 666. Ruina eorum extrema, 337. Narrantur eorum crimina, et causa iræ Dei, 339. Judæi toto orbe peregrini, 342. Eorum pœnæ in omni loco, 35. Judæi æterna cæcitate cooperti, 927. Eorum magistri occidentem sequuntur litteram, 231. Rari doctores apud Judæos tempore Hieronymi, *in præf. Os.* Judæi vocantur Circumcisio, 22. Synagoga Judæorum fornicaria simul, et adultera, 14. Conversio populi Judaici in consummatione sæculi, 664. Terræ Judææ termini, 319. Fontium Judææ siccitas, 272.
Judicii diem nec angeli noverunt, nec Filius, 32. Diei judicii severitas quanta? 181, 188, 213. Judicii dies pavendus, 301. Nulla anima est quæ non paveat ad judicium Dei, 540.
Judex injustus notatur, 512. Judicia in portis urbium fiebant, 291. Judicia vera quo tempore fiant, 53. Veri judicii signa quæ? 850. Judicium convertit in furorem qui iratus judicat, 521. De perversis judiciis non debemus turbari, 592.
Juliani Apostatæ calumnia confutatur, 123. Dictum ethnici in interitu Juliani, 660.
Justitia Dei vallatur misericordia, 419. Justitia saturat, iniquitas uteros vacuos derelinquit, 39. Quomodo fructus justitiæ vertitur in amaritudinem, 321.
Justus peregrinus est super terram, 695. Ejus constantia et moderatio, 171. Justus paupertate non superatus, ut iniquum aliquid faciat, laudatur, 241.
Justi loquuntur cum Deo, 529.

## L

Lachis urbs idolis dedita, 442. Ad quid Laboramus in terra, 901.
Lamentationes super quo scripsit Jeremias, 904.
Latro cum Christo ingressus est primus in paradisum, 865.
Latrunculi, id est, Emissarii, 443.
Leonis natura quæ? 131. Leo non versatur in agris consitis, sed ubi silvæ sunt et inculta humus, 254.
Lex, Spiritu sancto dictante scripta fuit, 808. Quinque Moysis libri tantum a LXX translati, 439. Lectio Legis sine Christo amara, 573. Lex et Prophetæ de Christi passione prædicant, 809. Lex lacerata propter munera, 593.
Liddæ Hebræi sapientis fabula, 623.
Libri sacri auro et purpura ornantur, 841. Liber Judith non ab omnibus receptus, 745. Libri apocryphi doctrina damnatur, 604. Librorum apocryphorum nonnullæ sententiæ, 751.
Lingua data est ad laudandum Deum, 101. Lingua Hebræa matrix omnium Linguarum, 730.
Linteola ad abstergendos sudores, 473.
Litteræ apud Hebræos sunt XXII, 752. Habet littera utilitatem maximam, si servetur, 241.
Locustæ natura, 427, 576, 581. Locusta inimica mortalibus, 146. Multitudo locustarum in Palæstina tempore Hieronymi, 186, 195.
Lucri gratia non corripientes, 208.
Luctus doctoris, malus discipulus, 513.
Lugentium cœnas Græci νεκρόδειπνα vocant, nos *parentalia*, 93. Consuetudo veterum Lugentium, 340.
Luna a sole lumen accipit, 272.
Lupi sæviores nocte vicina, 595.

## M

Magistrorum vitio discipuli puniuntur, 872.
De Malachi prophetæ opiniones variæ, 939. Quo tempore prophetavit, *ibid.*
Malefici in bonam partem accipiuntur, 566. Malum pro afflictione sumptum, 255. Malitia in Scripturis pro angustia, *ibid.*, 399, 851.
Malogranatum semper intelligitur de Ecclesia, 771, 906.
Manasses egit pœnitentiam, 675.
Manichæi dogma impium, 582, 619.
Marcionis hæresis, 257, 370, 429, 535, 542, 741.
Mare Mortuum unde dictum, 193, 919.
Maria præ cæteris mulieribus illuminata, 671.
Mariti incredibilis ignominia exponitur. 335. Extrema ejus miseria, 913.
Martyres conculcant adversarios suos, 873. Fame perierunt, 344.
Matthæus arguit negligentiæ Scribas et sacerdotes, 488.
Mathematicorum errores damnantur, 680.
Mel non offertur in sacrificiis, 173.
Melchom idolum Ammonitarum, 236, 679.
Medicina extrema x tribuum, et omnium peccatorum quæ? 276. Medicinæ ars, 61.
Medi et Persæ, unum regnum faciunt, 790.
Memphis olim metropolis Ægypti, 94.
Metalla omnia a Deo creata, 758.
Michael ultor iniquitatum Israel, 784.
Millenariorum hæresis arguitur, 22, 210, 214, 474. Sex Millia annorum, et hora novissima, 475.
Milvus avis rapacissima, 819.
Ministrare viduis et pauperibus, apostolicum, 457.
Misericordiæ opera, 833, 834.
Ex Moabitarum metropoli, tota appellata est provincia, 237, 703.
Montanus delirat, 535, 589.
Morasthi viculus Palæstinæ, 433.
Mors extremum omnium malorum, 239. Manus mortis, quid? 151. Quodnam discrimen inter mortem et infernum, 152. Timor mortis in homine, et difficultas avelli ab hoc mundo, 569. Quod in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur, 188. In eo quod non quærimus Deum, mortui sumus, 285. Surgere a Mortuis quid? 500.
Moyses, Aaron, et Maria in uno mense condemnati, 889.
Mulieres sanctæ non leguntur peperisse cum dolore, 483.
Mundus ab ornatu nomen habet, 391, 535.
Munera de rapinis quæsita Deus non recipit, 302.
In Mysteriis cui renuntiamus, et ad quem convertimur, 322.

## N

Natura insensibilis præsentit suum Creatorem, 348. Bonum naturæ et gratiæ in defensionem sui servandum, 579.
Quidquid necessitate fit, cito solvitur; quod voluntate arripitur, perseverat, 71.
In Nilo naves trahuntur funibus, 215. Rivus Nili inter Rhinocoruram et Pelusium, mare ingreditur, 319.
Ninive magnitudo et ambitus, 415. Ninive subversio, 389, 390. Ninive vocatur nunc Ninus, 535.
Ninus primus in Asia regnavit, 24. Sui nominis condidit civitatem, *ibid.* Hanc vocant Niniven Hebræi, *ibid.*
Nisan mensis primus Hebræorum, 769.
Nobilitas vana peribit, 683 Vitia ex ea nascentia, *ibid.*
Novatus ab Hieronymo impugnatur. 200, 282. Novatiani, 156.

Numerus verus, qui unius Dei majestate concluditur, 284. Secundus Numerus in malam partem sumitur, 782. Septenarius sanctus, 282. Octavus sanctus, 752, 753. Nonus in malam partem sumitur, 753. Tricenarius sanctus; et vicesimus non sic, 768. Quadragenarius convenit peccatoribus, 416. Afflictionem et jejunium denotat, 246. Numeri perfecti, qui? 282.

## O

Obscuritas tribus modis nascitur, 25.
Odolla urbs Judæ, 443.
Oleum quidam arbitrantur in Ægypto non gigni, 134. Samaria in oleo fertilissima, *ibid.* Oleo ungebantur prophetæ, *ibid.*
Olivæ fructus ad quid utilis, 160.
Onocrotalorum duo genera, 710.
Opera nostra quando mercedem non habent, 844. Sine mercede sunt ea quæ non fiunt in nomine Christi, 846. Apud incredulos, non prosunt bona opera, 768. Deus mutat promissa, si homines mutent opera, 421.
Oracula dæmonum falsa, et curationes morborum, 597.
Oratio non polita manu auctoris, redolet negligentiam, 881.
Oratores et philosophi velut reges hominum habiti, 419. Eorum præcepta quasi oracula deorum accipiuntur, 420. Difficile credunt in Deum, *ibid.*
Orbis status ante et post passionem Christi, 404.
Origenes scripsit in Canticum Canticorum, 361. Et tria volumina in Malachiam, 441. In allegoriæ interpretatione totus est, *ibid.* Damnatur ejus interpretatio, 814.
Os pollutum prohibetur facere mentionem nominis Dei, 44.
Osee prophetia ad x tribus pertinet: non ad tribum Juda, 169. Græci Auctores qui Osee exposuerunt, *in præf. in Osee.*

## P

Pace impletur, qui contumeliis afficitur, 493. Palatæ, quid? 6.
Palmarum in ramis, signum victoriæ, et virtutis præmium, 932.
Pammachii nomen, quid significet, 223.
Pannoniæ et Dalmatiæ regiones vastatæ, 676.
Papulæ in labiis post morbum, sanitatis indicium, 556.
Parentes vultu tantum lædere scelus est, 519.
Pascha, a quo nomen accepit? 530.
Pastoris liber, 75. Pastores negligentes notantur, 884, 894.
Patimur non fortuitu; sed Dei voluntate, 547.
Patris nomen ante adventum Christi occultum fuit, 635. Agnitio Patris et Filii unde venit, 636.
Paulus, lupus rapax, 55. Ejus conversio, 290. Quare vas electionis dictus, 86. Audivit mysteria Trinitatis, 349. Scripsit ad septem Ecclesias, 855.
Paupertas ficta damnatur, 473.
Peccati gradus quatuor, 228. Regna diaboli, diversa peccata, 647. Peccatorum pondus gravissimum, 818. Venæ sunt mortis, 155. Nihil dignum quod possit Deo offerri pro peccato, 505. Pro peccato sanguis proprius digne offertur, *ibid.* Alia poscit, quæ dantibus prosint, ut, etc., 506. Secundum ordinem peccatorum fit ordo pœnarum, 437. Ad magna peccata, magna est indignatio, 127, 836. Grande peccatum est odisse corripientem, maxime si amore corripiat, 292. Grande peccatum est, non solum facere malum; sed et diligere, 296. Iniquitas et peccatum in quo differant 89. Peccatoris in conversione quid fit, 690. Victimæ Dei, conversio peccatorum est, 65. Peccatores de Ecclesia expelluntur, 484. Peccatores delicias præteritas vitæ austeritate compensent, 180. Nec sufficit flere et habitum lugentis assumere, nisi sanctificent jejunium, *ibid.* Ligat Deus pedes Peccatorum ne ab illo fugiant, 126. Patientia Dei eorum salutis occasio, *ibid.* Quomodo eos percutit ad salutem, *ibid.*, 129. Omnis qui peccat, amat tenebras, 254. Peccatorum justa ruina, *ibid.* Cadentibus non insultandum, 454. Causa redditur, *ibid.*, 524.
Perfectum et imperfectum, 215.
Pericula clementia Dei vitamus, 879. Periculum quorum est commune, communis esse debet oratio, 398. Perire non licet propria manu, 402.
Peritia juvenilis et senilis multum distant inter se, 361.
Persecutiones non sine Dei voluntate, 408.
Persecutores in hoc sæculo a Deo puniti, 925.
Perturbationes quatuor notantur in homine, 171. Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio, 173.
Petesatus, quid? 825.
Petrus et Jacobus columnæ Ecclesiæ, 354. Eorum auctoritas sequenda, *ibid.* Petri infidelitas onus grave, 556.
Phantasia vix aut numquam in bonam partem sumitur, 651, 652.
Philadelphia olim Amana vocata, 572.
Ad Philemonem Epistola laudata, 562.
Philistiim alienigenæ dicuntur nomine sibi proprio, 230.
Philosophorum, oratorum et poetarum consuetudo, 224.
Pietas, abominatio peccatori, 293.
Pilæ medicorum usus, 686.
Plaustra ferrea ad triturum, 226.
Pluvia in fine mensis Junii, et in mense Julio non videtur in Judæa, 150, 172.
Pœnitentiæ signa explicantur, 524. Quod facit baptisma, hoc facit pœnitentia, 140, 156. Locus aptus pœnitentiæ et confessioni, templum est et altare, 193. Continentia in operibus pœnitentiæ requiritur tamquam necessaria, *ibid.* Pœnitentia morti et inferis comparata, 282. Scriptura hortatur ad pœnitentiam, licet venia non detur omnibus, 191. Nemo sit securus de pœnitentia, 525. Pœnitentia nostra Deum mutat, 191. Aliorum pœna, alios ad pœnitentiam provocat, 508. Sollicitudo veri pœnitentis quæ? 505, 577. Girogressus ejus, 597. Magna insania, nolle converti, dante Deo locum pœnitentiæ, 84. Pœnitens gaudens patitur, modo veniam mereatur, 659. Intantum Deus recipit pœnitentes, ut vocet eos populum suum, etc., 200. Eis respondet, 136. Debet pœnitens multitudinem peccatorum, multitudine exæquare virtutum, 580.
Poetarum fabulæ, ridicula et portentosa mendacia, 288. Poeta gentilis furatus est sententiam Amos prophetæ, 290.
C. Pompeius primus Judæam cepit et templum, 896.
In Pontificis pectore et corde veritas et doctrina debent esse, 34.
Porta piscium quæ? 684. Duplices portæ, mortis et vitæ, 292. Virtutes portæ sunt, *ibid.*
Possessio terrena non est hominis rationalis, 616.
Precibus Dei ira retinetur, 889.
Principes dat Deus, ut populum corripiant delinquentem, 96.
Privilegia singulorum, non possunt facere legem communem, 400.
Profectus noster, Domini victoria est, 803.
Prophetæ dicti videntes, 56, 331. Deus locutus est in prophetis, et in Evangeliis, 521. In prophetis divinationis est veritas, 523. Eorum scripta, licet sancta, humilia sunt ad comparationem prophetiæ adventus Christi, 475. Eloquium Dei ad eos intrinsecus est, 608. Intelligunt universa quæ loquuntur, 535. Cur præsens tempus non negligunt? 5. Non omnia Deus revelat prophetis, 255. Dei Spiritu loquuntur, 460, 491. Cilicium habitus prophetarum, 909. Non idem ordo XII prophetarum apud LXX interpretes, ac apud Hebræos, 165. Quatuor prophetæ eodem tempore prophetabant, 389. Sexdecim prophetarum etymologiæ, 165. Osee et Joel iisdem temporibus prophetarunt, 169. Aggæus et Zacharias eodem anno prophetaverunt, 779. Consuetudo prophetarum, cum loquuntur contra Babylonem, 383. Unde oritur obscuritas prophetarum, 550. Ars rhetorica in prophetis, 70. Obscuritas prophetiæ, et difficultas explanationis, 162. Omnis prophetia visio dicitur, 140. Aliud prophetia, aliud divinatio, 472. Ubi prophetia de Christo manifesta est, nihil amplius requiratur, 856. Omnis prophetarum chorus Christi prædicat passionem, 985.
Propontidis angustiæ Chalcedonem et Byzantium dividunt, 878.
Providentia Dei non ignoratur, licet ignoretur ejus veritas, 397. In singulis hominibus providentia, in animantibus currit generalis Dei dispensatio, 604. Negantes providentiam arguuntur, 688.
Psalterium Lyrico more compositum, 631.
Psylli populi Libyæ in Africa, 167. Spiritualem sibi Ψυλλίαν exhiberi cupit Hieronymus, *ibid.*
Pudicitia inter delicias non servatur, 457.
Pulex omnia membra habet, 146.
Puteus et cisterna qui differant, 1.

## Q

Quadragesimæ dedicatio, 416. Quadragesimæ tres, et jejunia hæreticorum, 750.
Quintilianus scripsit XII libros institutionis Oratoriæ, 361.
In *Quis* et *Quid* Scripturæ idioma, 256, 463, 568.

## R

Rachel typus Ecclesiæ, 142.
Raritate quod dulcescit, assiduitate in amaritudinem vertitur, 152.

Recordationis Dei utilitas, 412, 413.
Reges Christiani persecutores Ecclesiæ, pejores Jeroboam, 532. Imperia regum, dura dicuntur, 82.
Regna quomodo sibi successerunt, 791.
Religio unde dicta, 350.
Reprobi in mundo diu vivere, vitam putant æternam, 3.
Reseph, dæmon, 641.
Rhetorum mos in loquendo, 118.
Romulus sui nominis condidit urbem, 223. Ibi Tarquinius Superbus septimus a Romulo regnavit, 737. A Bruto fuit expulsus, *ibid*. Ab eo tempore usque ad Julium Cæsarem rempublicam rexerunt consules per annos 564, *ibid*. Romanorum bella civilia, 477. Romani imperatores in Judæos clementes vel terribiles, 822. Romanorum crudelitas in Judæos. 885.
Ruffinum vocat Hieronymus hydram et scorpium, etc., 52, 167, 564, 629. Hunc hydropisi laborasse notat, *ibid*., Sardanapalum appellat, 582.

## S

Sabaim gens trans Indiam, de qua fuit Regina Saba, 46. Ex Sabaim thus venire perhibetur. *ibid*.
Sabæos quidam, Arabes suspicantur, *ibid*.
Sabbati sanctificatio in quo posita, 283.
Sabbata sancta, et non sancta quæ? 313.
Sacerdotum officium est de Lege respondere, 760. Qui eam ignorat non est sacerdos, *ibid*. Sanguinem Domini populis dividunt, 718. Quomodo agunt impie in Legem Christi, *ibid*. Permittitur ut vivant de altari, 472. Quomodo dicuntur comedere peccata populi, 37, 38. Non inveniuntur scidisse Ecclesiam et populos seduxisse, præter sacerdotes et prophetas, 97. Sicut latrones viatoribus, sic sacerdotes simplicitati populi insidiati sunt, 65. Populus traditur adversariis vitio sacerdotum, 873.
Sacerdotes idolorum vocantur prophetæ, 907.
Non Sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasque Deus dijudicat, 303.
In sæculi rebus non lugendum, 454. Res sæculi et omnia corpora per momenta fluunt, 313. Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi, *ibid*.
Salicis natura ex medicorum sententia, 932.
Salus universorum die tertia repromittitur, 61.
Samaria in uberrimo loco sita, 442. Cur, et a quo Sebaste dicta, 363. In Samaria ossa S. Joannis condita, 437.
Sancti viri dicuntur angeli, 803. Vocantur lapides propter duritiam tribulationum, 867. Viri sancti constantia, 521. Cor Viri sancti in Dei tutela quiescit, 640. Vir sanctus exerceri desiderat, 592. Sancti in judicio absque formidine non erunt, *ibid*.
Sanguis quomodo sumitur in Scriptura, 695. Bestiæ semper sitiunt Sanguinem semel gustatum, 607.
Stannum alia metalla ab igne defendit. 811.
Sapientiæ liber inscriptus nomine Salomonis, 902. Sapientia vera perire non potest, 250.
Sarraceni venerabantur Luciferum, 505.
Saucomariæ quid? 425.
Saul unctus fuit in regem in Galgala, 44. Non ex voluntate Dei rex factus, sed ex populi errore, 82.
Searabeus, vermis stercoris, 619.
Scenopegia, festivitas Judæorum, 139.
Scripturæ a Spiritu sancto editæ, 520. Triplex earum intelligentia, 270. Quidquid in Scripturis sanctis dicitur, tuba est, grandi voce aures credentium penetrans, 255. Simplicitas quæritur in expositione Scripturarum, 309. Quo auxilio utendum in aperiendis secretis Scripturæ, 25, 441. Consuetudo Scripturæ, et nostra, 596. Nefas est dicere quod Scriptura mentiatur, 543. Doctrina Scripturarum, murus firmissimus, 580. Eruditio Scripturarum germinat virgines, 869. Apostoli in recitandis Scripturis, non verba, sed sensum sequuntur. 306. Quare Apostolus juxta LXX testimonio Scripturæ usus sit, 612. Nihil sic percutit, ut testimonium de Scripturis sumptum, 868. Quare difficilis Scriptura sancta, 574. Abusus testimoniorum Scripturæ damnatur, 271. Lectio Scripturarum, paradisus, 935. Ex ea flores diversi colliguntur, *ibid*. Quando Scripturæ prosunt legenti, 454. Non prosunt, nisi facienti, 763. Quasdam Scripturas hæretici probant, quasdam reprobant, 314. Coacta expositio Scripturarum, 459, 467. Foris est litteralis sensus, in medulla spiritualis, 281.
Sculptura in quo differt a conflatura, 627, 628.
Seir regio, quæ? 371.
Senectus multa secum affert et bona et mala, 263.
Senex ante Abraham nullus appellatus, 839.
Sennaar campus est Chaldæorum, 820.
Per Sensus ingredi in animam hostes desiderant, 190, 374. Quinque Sensus portæ sunt Ninive, 579. Has portas aperit voluptati deditus, *ibid*.
Septimi numeri Sacramenta, 283.
LXX non sibi cohærent, 453.
Duo Seraphim celebrant mysterium Trinitatis, 634.
Sermonis divini consuetudo in historiæ veritate exprimenda, 115. Contemptus sermonis Dei in quo positus, 835. Quando sermones Dei boni sunt, 455.
Servorum est non diligere, sed timere, 400.
Settim, quid? 215, 502. Tabernaculum Dei de lignis Settim fuisse perfectum legitur, *ibid*. Vasa torcularium ex eisdem lignis fiunt, 215. Hæc ligna in locis cultis et solo Romano, absque Arabiæ solitudine non inveniuntur, *ibid*.
Siclus quot obolos habet, 472.
Sinus et colpus, quid? 81.
Socrus et nurus invicem se oderunt, 519.
Sol XII mensibus explet anuum cursum, 272. Sol pendentem in cruce Dominum suum spectare non ausus est, 340.
Solitudinis ultimæ signum notatur, 113.
Sortibus non statim credendum, 398. Voluntas Dei regit sortes incertas, 399.
Spatia viarum unaquæque gens appellat suis nominibus, 215.
Spes nostra certa est, 731. Vana Spes in pluribus, 747. Nemini credendum, neque in aliquo sperandum, licet aliis subjiciamur, 519, 520.
Spiritum sanctum quidam hæretici creatum volunt, 280. Spiritus sanctus nec venundari, nec emi potest, 472. Spiritus, anima et corpus in unum sanctum Spiritum rediguntur, 85. In nomine Salvatoris, Spiritus sancti dona descendunt, 204. Spiritus quomodo in bonam et in malam partem sumitur, 461, 629. Mali spiritus et contrariæ potestates, ministri Dei, 199. Adversarias potestates Dominus provocat ad judicium, et disceptat cum eis pro populo suo, 207.
Statuæ et tituli, quid? 105.
Stephani Martyris verba defenduntur, 306.
Struthionis natura, 438.
Sancta Superbia, quæ? 687. Superbia in extensione colli ostenditur, 718, 719. Prodest superbis humiliari 614. Ante adventum Christi omnes fere superbi, 642.
Superborum confidentia diem judicii exspectantium 300.
Sycamina, quid? 534.

## T

Tacitus vitas Cæsarum exaravit, 914.
Tactus pro vexatione sumptus, 797.
Tatianus Encratitarum princeps, 247. Vinum asserebat non esse bibendum, *ibid*.
Templi subversio quo tempore facta est 880. Semper tempus est ædificandi in nobis templum Domino, 742.
Temporis definitio juxta Stoicos, 743.
Tentationes et injuriæ pro remedio adhibentur, 580. Videtur Deus nos repellere, quando relinquit tentationi, 733.
Tertullianus scripsit contra Marcionem, 361.
Testamentum utrumque unius Dei est, 619. Duo Testamenta magis vicina quam unita, 916. Lectio veteris et novi Testamenti viæ Domini, 165. Hæretici negantes vetus Testamentum, 199, 787.
Testudo non tam ambulat quam movetur, 142.
Tharsis civitas Ciliciæ, 393. Quidam locus Indiæ hoc nomine donatur, *ibid*.
Thecue oppidum quod sex millibus ad meridianam plagam abest a Bethleem, 221. Maxima eremi vastitas post Thecue, *ibid*. De hoc oppido fuit Amos propheta, *ibid*.
Theodotio et Symmachus Ebionitæ, et semichristiani, 556.
Theophrastus scripsit III volumina de Amicitia, 517. Est et de ea Ciceronis liber, *ibid*.
Theraphim, quid sunt? 32.
Timon Athenis quid egerit? 528.
Timorem et cultum Dei magis suscipit ætas vicina morti, 180.
Tobiæ liber non habetur in Canone, 389.
Thomyris regina Massagetarum, 778. Hæc Cyrum interfecit, *ibid*.
De Translationis diversæ causis loquitur Hieronymus, 226.
Tribus duæ, cur dictæ Judas, 286, 287. Tribuum Judæ et Benjamin magna pars in Christum credidit, 12. Tribus decem ob populi multitudinem, pristinum nomen *Israel* obtinuerunt, 221, 287. Decem tribuum numquam soluta captivitas, 9.

SS. Trinitatis mysterium laudatum, 283, 756. Cognitum, 666. In mysterio SS. Trinitatis nihil est tenebrosum, 415, 753. Vera puritas in nomine SS. Trinitatis, 753. Arguuntur qui negant Trinitatem, et qui duplicem Deum admittunt, 96. SS. Trinitas læditur a Judæis, 487.
Tubæ usus in sacris Scripturis diverso modo descriptus, 187, 188.
Tullius philosophus et orator, 538. Scripsit de virtutibus cardinalibus, 792.
Tumultus, quid? 468.
Typus et historia quomodo differunt, 124.
Tyrii nominantur fratres Judæorum, 233. Alexander Tyrum ex insula peninsulam fecit, *ibid.*, 596.

## U

Unctus invenitur idem homo frequenter, 655.
Upupa spurcissima est, 819, 820.
Ursæ natura, 148.

## V

Væ, pœnarum est ultimum, 298. Incurrere duplex Væ, quid? *ibid.* Planctus, carmen, et Væ, quibus conveniunt, 281, 282.
Valentini et Basilidis dogma impium, 545.
Vallis Josaphat, 208. Juxta Jezraelem Vallis est quæ plusquam decem millium passibus tenditur, 7.
Vasa templi Domini posuerunt Chaldæi in templo Bel, 209. Romæ templo pacis ædificato, vasa templi in hoc delubro consecrarunt Vespasianus et Titus, *ibid.*
Venator numquam in bonam partem legitur, 494.
Verba ipsa, non tantum res, cernuntur, 363, 364.
Veritas semper supra est, 134. Una veritate surgente, multa mendacia destruentur, 262.
Via dextra et sinistra quæ? 900.
Viduæ munus a Salvatore laudatum, 303.
Vinum in mysteriis bibitur, 357. Quomodo vinum in potantem sævit, 613.
Virga pastorali quinam indigent? 527.
Virgilius primus Homerus apud Latinos, 520. De Virgilio quid traditum, 881.
Virginis et conceptus et partus Achaz regi ostenditur, 259. Bonæ virgines et malæ, quæ? 343. Virgo quæ erravit non habet suscitantem, 283. Ob leve peccatum non potest suscitari, 282.
Virgines Elias, Eliseus, Jeremias, et Joannes Baptista, 876.
Propria Viscera violare, et viscera misericordiæ, quid sit? 239.
Humanæ Vitæ spatia septem, 314. Vitam præsentem pauci despiciunt, 811. Vitam magis merentur qui mori volunt pro aliis, 392. Vita solitaria in quibus laudabilis, 528.
Vitis non putata, in frondes luxuriat, 105.
Vitia dulcia sunt, 173. Quatuor sunt quibus impugnamur, 565. Ex his multa alia originem ducunt, *ibid.* Vitia sunt Idola nostra, 240. Pulchra videntur, et delectant, 313. Libenter applaudimus vitiis nostris, 108. Vitia in virtutes quomodo mutentur, 929, 930. Virtutes quatuor cardinales dicuntur scuta virtutum, 565. Virtutum connexio, 34. Persecutio, virtutum profectus est, 707. Virtutes pristinæ non prosunt facienti malum, 183. Per virtutes nostras Dominus coronatur, 829. Ex virtutibus nomina imponuntur, 431. Virtutes et Vitia quibus nos efficiunt similes? 687. Numquam tuta est humana fragilitas, et quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, 196. Omne tempus in quo non virtutibus deservimus, reputatur in nihilum, 743. Major virtus injuriam facere non posse quam sustinere, 551.
Vituli labiorum, qui? 158. Tradunt Hebræi vitulos aureos a sacerdotibus furto sublatos esse, et pro his æneos repositos, 159.
Volvola, quid? 344.
Voluptas insatiabilis, 39. Ebrietas dicitur, 173. Pervertit sensum, 39. Nihil forte in viris voluptati deditis, 577.
Vultus pallor, unde? 274.

## X

Xenocrates scripsit de gemmarum lapidumque naturis, 528.

## Z

Zachæus quadruplum reddidit, quod rapuerat, 302.
Zacharia propheta obscurus, et inter XII longissimus, 777.
Zelus accipitur in bonam partem, 535.
Zorobabel typus Salvatoris, 74.

# ORDO RERUM

## QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.


### OPERUM HIERONYMI TOMUS V.

*Præfatio.* 9
COMMENTARIA IN EZECHIELEM. 15
LIBER PRIMUS. *Ibid.*
EZECHIELIS
CAPUT PRIMUM, 17. — CAP. II, 31. — CAP. III, 35. — CAP. IV. 42
LIBER SECUNDUS. 51
EZECHIELIS
CAP. V, *ibid.* — CAP. VI, 57. — CAP. VII. 62
LIBER TERTIUS. 75
EZECHIELIS
CAP. VIII, *ibid.* — CAP. IX, 85. — CAP. X, 91. — CAP. XI, 95. — CAP. XII. 102
LIBER QUARTUS. 107
EZECHIELIS
CAP. XIII, *bid.* — CAP. XIV, 116. — CAP. XV, 122. — CAP. XVI. 124
LIBER QUINTUS. 139
EZECHIELIS
CAP. XVI CONTINUATUR, *ibid.* — CAP. XVII. 160
LIBER SEXTUS. 165
EZECHIELIS
CAP. XVIII, 167. — CAP. XIX, 182. — CAP. XX. 186
LIBER SEPTIMUS. 199
EZECHIELIS
CAP. XXI, 201. — CAP. XXII, 208. — CAP. XXIII, 214. — CAP. XXIV. 224
LIBER OCTAVUS. 231
EZECHIELIS
CAP. XXV, 232.—CAP. XXVI, 240.—CAP. XXVII. 246
LIBER NONUS. 265
EZECHIELIS
CAP. XXVIII, *ibid.*—CAP. XXIX, 276.—CAP. XXX. 286
LIBER DECIMUS. 295
EZECHIELIS
CAP. XXXI, 297. — CAP. XXXII, 304. — CAP. XXXIII. 317
LIBER UNDECIMUS. 325
EZECHIELIS
CAP. XXXIV, 326. — CAP. XXXV, 333. — CAP. XXXVI, 336. — CAP. XXXVII, 345. — CAP. XXXVIII, 354. — CAP. XXXIX. 363
LIBER DUODECIMUS. 369
EZECHIELIS
CAP. XL, *ibid.* — CAP. XLI. 395

LIBER DECIMUS TERTIUS. 405
EZECHIELIS
CAP. XLII, *ibid.* — CAP. XLIII, 414. — CAP. XLIV, 427. — CAP. XLV. 444
LIBER DECIMUS QUARTUS. 447
COMMENTARII IN CAP. XLV CONTINUATIO. *Ibid.*
CAP. XLVI, 456. — CAP. XLVII, 466. — CAP. XLVIII. 481
COMMENTARIA IN DANIELEM. 491
*Prologus.* *Ibid.*
INCIPIT LIBER. 495.
DANIELIS
CAPUT PRIMUM, *ibid.* — CAP. II, 498. — CAP. III, 505. — CAP. IV, 512. — CAP. V, 518. — CAP. VI, 522. — CAP. VII, 527. — CAP. VIII, 535. — CAP. IX, 539. — CAP. X, 553. — CAP. XI, 557. — CAP. XII, 575. — CAP. XIII, 580. — CAP. XIV. 584
TRANSLATIO HOMILIARUM ORIGENIS IN JEREMIAM ET EZECHIELEM. *Ibid.*
*Prologus.* *Ibid.*
HOMILIÆ IN JEREMIAM. 585
HOMILIA PRIMA. — In hunc locum : *Verbum Dei quod factum est ad Jeremiam, filium Chelciæ.* *Ibid.*
HOMILIA II. — De eo quod scriptum est : *Fugite de medio Babylonis.* 598
HOMILIA III. — De eo quod scriptum est : *Et contritus malleus universæ terræ.* 606
HOMILIA IV. — De eo quod scriptum est : *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio. In medio dierum ejus derelinquent eum, et novissimis suis erit insipiens.* 615
HOMILIA V. — De eo quod scriptum est : *Qui fecit terram in fortitudine sua.* 623
HOMILIA VI. — De eo quod scriptum est : *Sermo qui factus est ad Jeremiam a Domino, dicens : Audi verba testamenti hujus,* etc. 632
HOMILIA VII. — De eo quod scriptum est : *Exterminata est exterminio omnis terra;* et in istud : *Cinctorium.* 637
HOMILIA VIII. — De eo quod scriptum est : *Notum fac mihi, Domine, et cognoscam,* etc. 642
HOMILIA IX. — De eo quod scriptum est : *Omnis uter implebitur vino,* etc. 647
HOMILIA X. — De eo quod scriptum est : *Quis parcet super te, Jerusalem,* etc. 660
HOMILIA XI. — De eo quod scriptum est : *Heu mihi! ego mater,* etc. 663
HOMILIA XII. — De eo quod scriptum est : *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus,* etc. 676
HOMILIA XIII. — De eo quod scriptum est : *Quomodo conversa est in amaritudinem vitis aliena,* etc. 684
HOMILIA XIV. — De eo quod scriptum est : *Et dixit Dominus ad me in diebus regis Osiæ,* etc. 686
HOMILIÆ IN EZECHIELEM. 691
HOMILIA PRIMA. — De prima visione Ezechielis. *Ibid.*
HOMILIA II. — De eo quod scribitur : *Fili hominis, propheta super prophetas Israel, qui prophetant de corde suo,* etc. 707
HOMILIA III. — De eo quod scriptum est : *Fili hominis, obfirma faciem tuam super filias populi tui, quæ prophetant de corde suo,* etc. 712
HOMILIA IV. — De eo quod scriptum est : *Terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendens manum meam super eam,* etc. 719
HOMILIA V. — De eo quod quatuor ultiones pessimæ, id est, gladius, fames, bestiæ malæ, et pestilentia inducantur super terram peccatricem; et de parabola qua dicitur : *Fili hominis, quid fiet ligno vitis?* 729
HOMILIA VI. — De eo quod dicitur : *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas,* etc. 734
HOMILIA VII. — De eo quod dicitur : *Sumens de vestimentis meis fecisti tibi excelsa,* etc. 743
HOMILIA VIII. — De eo quod scriptum est : *In quo constituam cor tuum, ait Dominus Deus, cum facies tu hæc omnia opera meretricis procacis,* etc. 749
HOMILIA IX. — De eo quod dicitur : *Mater vestra Cethæa, et pater Amorrhæus,* etc. 753
HOMILIA X. — De eo quod scriptum est : *Ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam,* etc. 760
HOMILIA XI. — De eo quod dictum est : *Fili hominis, propone ænigma, et dic parobolam ad domum Israel, et dices : Aquila magnarum alarum,* etc. 766
HOMILIA XII. — De eo quod scriptum est : *Fili hominis, dic ad domum exasperantem, Nescitis quid ista significent.* 772
HOMILIA XIII. — De eo quod dicitur : *Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et pone faciem tuam contra Sidonem.* 777
HOMILIA XIV. — De eo quod dicitur : *Porta hæc clausa erit; non aperietur, et nemo per eam transibit, quia Dominus Deus transibit per eam.* 784
*Admonitio in tractatum sequentem.* 787
IN LAMENTATIONES JEREMIÆ TRACTATUS. *Ibid.*
*Ad tomum V operum Hieronymi Index analyticus.* 793
OPERUM HIERONYMI TOMUS SEXTUS.
*Præfatio.* 809
COMMENTARIA IN OSEE. *Ibid.*
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS. 819
OSEE PROPHETIÆ
CAPUT PRIMUM, *ibid.* — CAP. II, 829. — CAP. III, 841. — CAP. IV, 845. — CAP. V. 856
LIBER SECUNDUS. 859
OSEE PROPHETIÆ
CAPITIS V CONTINUATIO, *ibid.* — CAP. VI, 862. — CAP. VII, 872. — CAP. VIII, 882. — CAP. IX, 890. — CAP. X. 901
LIBER TERTIUS. 905
OSEE PROPHETIÆ
CAPITIS X CONTINUATIO, *ibid.* — CAP. XI, 914. — CAP. XII, 923. — CAP. XIII, 931. — CAP. XIV. 940
COMMENTARIA IN JOELEM. 947
*Prologus.* *Ibid.*
JOELIS PROPHETIÆ
CAPUT PRIMUM, 949. — CAP. II, 962. — CAP. III. 979
COMMENTARIA IN AMOS. 989
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS. *Ibid.*
AMOS PROPHETIÆ
CAPUT PRIMUM, 990. — CAP. II, 1002. — CAP. III. 1015
LIBER SECUNDUS. 1021
AMOS PROPHETIÆ
CAP. IV, 1023. — CAP. V, 1036. — CAP. VI. 1057
LIBER TERTIUS. *Ibid.*
AMOS PROPHETIÆ
CAPITIS VI CONTINUATIO, *ibid.* — CAP. VII, 1068. — CAP. VIII, 1078. — CAP. IX. 1086
COMMENTARIA IN ABDIAM. 1097
*Prologus.* *Ibid.*
ABDIÆ
CAPUT UNICUM. 1099
COMMENTARIA IN JONAM. 1117
*Prologus.* *Ibid.*
JONÆ
CAPUT PRIMUM, 1119. — CAP. II, 1131. — CAP. III, 1138. — CAP. IV. 1141
COMMENTARIA IN MICHÆAM. 1151
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS. 1153
MICHÆÆ
CAPUT PRIMUM, *Ibid.* — CAP. II, 1165. — CAP. III, 1178. — CAP. IV. 1185
LIBER SECUNDUS. 1189
MICHEÆ
CAPITIS IV CONTINUATIO, *Ibid.* — CAP. V, 1195. — CAP. VI, 1205. — CAP. VII. 1215
COMMENTARIA IN NAUM. 1231
*Prologus.* *Ibid.*
NAUM PROPHETIÆ
CAPUT PRIMUM, *Ibid.* — CAP. II, 1243. — CAP. III. 1253
COMMENTARIA IN ABACUC. 1273
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS. 1275
ABACUC PROPHETIÆ
CAPUT PRIMUM, *Ibid.* — CAP. II. 1288
LIBER SECUNDUS. 1307
ABACUC PROPHETIÆ
CAP. III. *Ibid.*
COMMENTARIA IN SOPHONIAM. 133
*Prologus.* *Ibid.*
SOPHONIÆ
CAPUT PRIMUM, *ibid.* — CAP. II, 1357. — CAP. III. 1372
COMMENTARIA IN AGGÆUM. 1387
*Prologus.* *Ibid.*
AGGÆI
CAPUT PRIMUM, 1388. — CAP. II. 1401
COMMENTARIA IN ZACHARIAM. 1415
*Prologus.* *Ibid.*
LIBER PRIMUS. 1417
ZACHARIÆ
CAPUT PRIMUM, *ibid.* — CAP. II, 1429. — CAP. III, 1435. — CAP. IV, 1440. — CAP. V, 1447. — CAP. VI. 1451
LIBER SECUNDUS. 1455
ZACHARIÆ
CAPITIS VI CONTINUATIO. *Ibid.*

Cap. VII. 1458
Cap. VIII. 1463
Cap. IX. 1479
Cap. X. 1489
LIBER TERTIUS. 1497
ZACHARIÆ
Cap. XI. 1498
Cap. XII. 1508
Cap. XIII. 1517
Cap. XIV. 1521
COMMENTARIA IN MALACHIAM. 1541
*Prologus.* *Ibid.*
MALACHIÆ
Caput primum. 1543
Cap. II. 1552
Cap. III. 1564
Cap. IV. 1574
DEFENSIO ERUDITIONIS HIERONYMIANÆ auctore Martianæo. 1577
*Admonitio.* *Ibid.*
Caput primum. — De absoluta Hieronymi eruditione, deque imperitia Joannis Clerici. 1578
§ I. De Græca eruditione S. Hieronymi. *Ibid.*
§ II. De Hebraica eruditione S. Hieronymi. 1585
Cap. II. — De sinceritate et utilitate novæ Operum S. Hieronymi editionis, deque imperitia ac malevolentia Quæstionum Hieronymianarum Joannis Clerici. 1590
Index aliquot insigniorum mendaciorum et fallaciarum conclusiunculariun Joannis Clerici. 1603
*Index analyticus in tomum sextum Operum Hieronymi.* 1607


FINIS TOMI VIGESIMI QUINTI.



ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.
OPERUM HIERONYMI TOMUS V.
Cmmentaria in Ezechielem.
Commentaria in Danielem.
Translatio Homiliarum Origenis in Jeremiam et Ezechielem.
In Lamentationes Jeremiae tractatus.
OPERUM HIERONYMI TOMUS VI.
Commentaria in Osee.
Commentaria in Joelem.
Commentaria in Amos.
Commentaria in Abdiam.
Commentaria in Jonam.
Commentaria in Michaeam.
Commentaria in Naum.
Commentaria in Abacuc.
Commentaria in Sophoniam.
Commentaria in Aggaeum.
Commentaria in Zachariam.
Commentaria in Malachiam.
Defensio Eruditionis Hieronymianae adversus Joannem Clericum.
ORDO RERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.
OPERUM HIERONYMI TOMUS V.
*Praefatio.*
COMMENTARIA IN EZECHIELEM.
LIBER PRIMUS.
EZECHIELIS
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV.
LIBER SECUNDUS.
EZECHIELIS
CAP. V,
- CAP. VI,
- CAP. VII.
LIBER TERTIUS.
EZECHIELIS
CAP. VIII,
- CAP. IX,
- CAP. X,
- CAP. XI,
- CAP. XII.
LIBER QUARTUS.
EZECHIELIS
CAP. XIII,
- CAP. XIV,
- CAP. XV,
- CAP. XVI.
LIBER QUINTUS.
EZECHIELIS
CAP. XVI CONTINUATUR,
- CAP. XVII.
LIBER SEXTUS.
EZECHIELIS
CAP. XVIII,
- CAP. XIX,
- CAP. XX.
LIBER SEPTIMUS.
EZECHIELIS
CAP. XXI,
- CAP. XXII,
- CAP. XXIII,
- CAP. XXIV.
LIBER OCTAVUS.
EZECHIELIS
CAP. XXV,
-CAP. XXVI,
-CAP. XXVII.
LIBER NONUS.
EZECHIELIS
CAP. XXVIII,
-CAP. XXIX,
-CAP. XXX.
LIBER DECIMUS.
EZECHIELIS
CAP. XXXI,
- CAP. XXXII,
- CAP. XXXIII.
LIBER UNDECIMUS.
EZECHIELIS
CAP. XXXIV,
- CAP. XXXV,
- CAP. XXXVI,
- CAP. XXXVII,
- CAP. XXXVIII,
- CAP. XXXIX.
LIBER DUODECIMUS.
EZECHIELIS
CAP. XL,
- CAP. XLI.

LIBER DECIMUS TERTIUS.
EZECHIELIS
CAP. XLII,
- CAP, XLIII,
- CAP. XLIV,
- CAP. XLV.
LIBER DECIMUS QUARTUS.
COMMENTARH IN CAP. XLV CONTINUATIO.
CAP. XLVI,
- CAP. XLVII,
- CAP. XLVIII.
COMMENTARIA IN DANIELEM.
*Prologus.*
INCIPIT LIBER.
DANIELIS
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV,
- CAP. V,
- CAP. VI,
- CAP. VII,
- CAP. VIII,
- CAP. IX,
- CAP. X,
- CAP. XI,
- CAP. XII,
- CAP. XIII,
- CAP. XIV.
TRANSLATIO HOMILIARUM ORIGENIS IN JEREMIAM ET EZECHIELEM.
*Prologus.*
HOMILIAE IN JEREMIAM.
HOMILIA PRIMA. - In hunc locum: *Verbum Dei quod factum est ad Jeremiam, filium Chelcioe.*
HOMILIA II. - De eo quod scriptum est: *Fugite de medio Babylonis.*
HOMILIA III. - De eo quod scriptum est: *Et contritus malleus universoe terroe.*
HOMILIA IV. - De eo quod scriptum est: *Clamavit perdix, congregavit quoe non peperit, faciens divitias suas non cum judicio. In medio dierum ejus derelinquent eum, et novissimis suis erit insipiens.*
HOMILIA V. - De eo quod scriptum est: *Qui fecit terram in fortitudine sua.*
HOMILIA VI. - De eo quod scriptum est: *Sermo qui factus est ad Jeremiam a Domino, dicens: Audi verba testamenti hujus,* etc.
HOMILLA VII. - De eo quod scriptum est: *Exterminata est exterminio omnis terra;* et in istud: *Cinctorium.*
HOMILIA VIII. - De eo quod scriptum est: *Notum fac mihi, Domine, et cognoscam, etc.*
HOMILIA IX. - De eo quod scriptum est: *Omnis uter imptebitur vino,* etc.
HOMILIA X. - De eo quod scriptum est: *Quis parcet super te, Jerusalem,* etc.
HOMILIA XI. - De eo quod scriptum est: *Heu mihi! ego mater,* etc.
HOMILIA XII. - De eo quod scriptum est: *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus,* etc.
HOMILIA XIII. - De eo quod scriptum est: *Quomodo conversa est in amaritudinem vitis aliena,* etc.
HOMILIA XIV. - De eo quod scriptum est: *Et dixit Dominus ad me in diebus regis Osioe,* etc.
HOMILIAE IN EZECHIELEM.
HOMILIA PRIMA. - De prima visione Ezechielis.
HOMILIA II. - De eo quod scribitur: *Fili hominis, propheta super prophetas Israel, qui prophetant de corde suo,* etc.
HOMILIA III. - De eo quod scriptum est: *Fili hominis, obsirma faciem tuam super filias populi tui, quoe prophetant de corde suo,* etc.
HOMILIA IV. - De eo quod scriptum est: *Terra cum peccaverit mihi, ut proevaricetur proevaricans, extendens manum meam super eam,* etc.
HOMILIA V. - De eo quod quatuor ultiones pessimae, id est, gladius, fames, bestiae malae, et pestilentia inducantur super terram peccatricem; et de parabola qua dicitur: *Fili hominis, quid fiet ligno vitis?*
HOMILIA VI. - De eo quod dicitur: *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas,* etc.
HOMILIA VII. - De eo quod dicitur: *Sumens de vestimentis meis fecisti libi excelsa,* etc.
HOMILIA VIII. - De eo quod scriptum est: *In quo constituam cor tuum, ait Dominus Deus, cum facies tu hoec omnia opera meretricis procacis,* etc.
HOMILIA IX.-De eo quod dicitur: *Mater vestra Cethoea, et pater Amorrhoeus,* etc.
HOMILIA X. - De eo quod scriptum est: *Ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam,* etc.
HOMILIA XI. - De eo quod dictum est: *Fili hominis, propone oenigma, et dic parobolam ad domum Israel, et dices: Aquita magnarum atarum,* etc.
HOMILIA XII. - De eo quod scriptum est: *Fili hominis, dic ad domum exasperantem, Nescitis quid ista significent.*
HOMILIA XIII. - De eo quod dicitur: *Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et pone faciem tuam contra Sidonem.*
HOMILIA XIV. - De eo quod dicitur: *Porta hoec clausa erit; non aperietur, et nemo per eam transibit, quia Dominus Deus transibit per eam.*
*Admonitio in tractatum sequentem.*
IN LAMENTATIONES JEREMIAE TRACTATUS.
*Ad tomum V operum Hieronymi Index analyticus.*
OPERUM HIERONYMI TOMUS SEXTUS.
*Proefatio.*
COMMENTARIA IN OSEE.
*Prologus.*
LIBER PRIMUS.
OSEE PROPHETIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV,
- CAP. V.
LIBER SECUNDUS.
OSEE PROPHETLAE
CAPITIS V CONTINUATIO,
- CAP. VI,
- CAP. VII,
- CAP. VIII,
- CAP. IX,
- CAP. X.
LIBER TERTIUS.
OSEE PROPHETIAE
CAP.TIS X CONTINUATIO,
- CAP. XI,
- CAP. XII,

- CAP. XIII,
- CAP. XIV.
COMMENTARIA IN JOELEM.
*Prologus.*
JOELIS PROPHETIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III.
COMMENTARIA IN AMOS.
*Prologus.*
LIBER PRIMUS.
AMOS PROPHETIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III.
LIBER SECUNDUS.
AMOS PROPHETIAE
CAP. IV,
- CAP. V,
- CAP. VI.
LIBER TERTIUS.
AMOS PROPHETIAE
CAPITIS VI CONTINUATIO,
- CAP. VII,
- CAP. VIII,
- CAP. IX.
COMMENTARIA IN ABDIAM.
*Prologus.*
ABDIAE
CAPUT UNICUM.
COMMENTARIA IN JONAM.
*Prologus.*
JONAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV.
COMMENTARIA IN MICHAEAM.
*Prologus.*
LIBER PRIMUS.
MICHAEAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV.
LIBER SECUNDUS.
MICHEAE
CAPITIS IV CONTINUATIO,
- CAP. V,
- CAP. VI,
- CAP. VII,
COMMENTARIA IN NAUM.
*Prologus.*
NAUM PROPHETIAE
CAPUT PRIMUM,
-CAP. II,
-CAP. III.
COMMENTARIA IN ABACUC.
*Prologus.*
LIBER PRIMUS.
ABACUC PROPHETIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II.
LIBER SECUNDUS.
ABACUC PROPHETIAE
CAP. III.
COMMENTARIA IN SOPHONIAM.
*Prologus.*
SOPHONIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III.
COMMENTARIA IN AGGAEUM.
*Prologus.*
AGGAEI
CAPUT PRIMUM,
- CAP II.
COMMENTARIA IN ZACHARIAM.
*Prologus.*
LIBER PRIMUS.
ZACHARIAE
CAPUT PRIMUM,
- CAP. II,
- CAP. III,
- CAP. IV,
- CAP. V,
- CAP. VI,
LIBER SECUNDUS.
ZACHARIAE
CAPITIS VI CONTINUATIO.

CAP. VII.
CAP. VIII.
CAP. IX.
CAP. X.
LIBER TERTIUS.
ZACHARLAE
CAP. XI.
CAP. XII.
CAP. XIII.
CAP. XIV.
COMMENTARIA IN MALACHIAM.
*Prologus.*
MALACHLAE
CAPUT PRIMUM.
CAP. II.
CAP. III.
CAP. IV.
DEFENSIO ERUDITIONIS HIERONYMIANAE AUCTORE MARTIANAEO.
*Admonitio.*
CAPUT PR MUM. - De absoluta Hieronymi eruditione, deque imperitia Joannis Clerici.
§ I. De Graeca eruditione S. Hieronymi.
§ II. De Hebraica eruditione S. Hieronymi.
CAP. II. - De sinceritate et utilitate novae Operum S. Hieronymi editionis, deque imperitia ac malevolentia Quaestionum Hieronymianarum Joannis Clerici.
Index aliquot insigniorum mendaciorum et fallacium conclusiuncularum Joannis Clerici.
*Index analyticus in tomum sextum Operum Hieronymi.*
FINIS TOMI VIGESIMI QUINTI.